


BIBLIOTHECAE DE ROSA

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

JEREMIAS, BARUCH, EZECHIEL, DANIEL,
ET DUODECIM MINORES PROPHETÆ.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

Opus Gallice primum ab Authore, nunc vero Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucensi.

Editio novissima ab Authore recognita, alicubi emendata, textuum aliquot antea præteritorum explanatione adaucta, passim vero novis animadversionibus locupletata.

TOMUS SEXTUS.





VENETIIS, MDCCLVI.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

IN JEREMIAM
PROLEGOMENON.



Eremias Helciæ (1) filius, e Sacerdotali genere, oriundus erat ex Anathoth, vico Tribus Beniamin (2) tribus passuum millibus a Jerosolyma, Orientem versus (3). Primam ætatis juventam agens, ad munus Prophetæ vocatus est; cui destinatum se divinitus dicit, antequam in lucem ederetur (4); & cum Deum primo invitantem audivit, mandantemque ut acceptas a se veritates Regibus, Principibus, Sacerdotibus & populo Juda nunciaret, ætatis imbecillitatem, nondum palam loquendo aptam, causatus est (5). Agebat tunc annum ætatis decimumquartum, cum Josias jam decimum tertium Regni annum numeraret (6). Susceptum munus tenuit usque ad captam Jerosolymam. Quintum Lamentationum caput pœmenee jam captivitate sceiptum est saltem anno post captam Urbem, A. M. 3417. In secundo Macchabæorum libro capite 11. sermo est de Commentariis Jeremiæ, post destructionem Jerosolymæ scriptis.

Oracula sua Jeremias scriptis mandare aggessus est primum anno quarto Regni Joachimi; voce enim tantummodo prolata hactenus vaticinia populo tradiderat. Rerum ab eo gestarum seriem hic digerere ex ejus scriptis conabimur; consultisque appositis in hac nostra Dissertatione notis, intelligent Lectores, qui ordo chronologicus capitibus ejus prophetiæ statuendus sit, & cujus potissimum Regis tempus præseferant.

Cum Deus Jeremiam ad ministerium vocasset, simul illi ea, quæ a Judæis passurus erat mala, & Oraculorum omnium seriem ostendit. Vidit igitur Propheta *Virgam vigilantem*, vel juxta plures Interpretes, virgam amygdalinam, qua præcocior nulla est floribus ferendis; ut eo symbolo intelligeret Propheta, quamprimum expletum iri ea, quæ sibi Deus ostensurus erat. Spectavit & ollam succensam, igne ab aquilone ventilato, ut imminentia Judæ mala per Chaldæos, gentem septemtrionalem, intelligeret. Adjecit deinde Dominus, constitutum esse Jeremiam ceu murum æneum, & columnam ferream, ut contra Duces, Principes, & populum Juda, nequicquam sese opprimentes staret. Regnum Josiæ. Caput I. Jeremiæ.

Jussus deinde est (7), rebellem a Deo populum, Jerosolymam veniens, gravioribus verbis castigare. Id autem Jeremias prolixo satis sermone exequutus est, quo, post demonstratam amplioribus verbis Dei erga populum charitatem, cum iter habentes in deserto Sinai, excusso Ægyptiorum jugo, beneficiis illos prosequeretur; simul exprobrat scelera, pro collatis a Deo beneficiis a populo repensa, novo plane, nec inter ipsos unquam Profanos spectato exemplo: plus enim, inquit, Deos suos verentur Profani, quam Dominum Judæi. Adjecit, frustra spem illos in suppetiis Ægyptiorum collocasse, ex quibus nihil sibi spondendum esset, uti nec ab Assyriis antea quidquam impetraverant. Tum Propheta verso orationis pondere in flagitia Judæorum, hortatur denique, ut debitam criminibus suis ultionem, per Chaldæos imminentem, evitent, lacrymis & pœnitudine scelera eluant. A capite II. ℣. 1. usque ad caput III. *6.* quamdam causæ actionem prosequitur; tum ℣. *6.* Deus veluti sententiam pronunciat, simulque populum ad officium hortatur.



Nec est plane mirum, cur Jeremias pariter & Sophonias, Prophetæ coævi, vehementi adeo oratione crimina Judæ sub Josiæ Regno prosequantur. Quamvis enim nemo esset eo Rege magis ad pietatem & probitatem factus; omnia tamen Judæorum flagitia abolere nequiverat, cum populi mores pessimis majorum, & Manassis potissimum exemplis ad flagitia impellerentur. Regnabat adhuc idololatria, & usque ad annum Josiæ XVIII. quo primum Liber Legis repertus est (8), idolorum, Sacerdotum falsi Numinis, Ariolorum colluvies totam Regni faciem vitiabat.

Regnante Josia, jussus a Deo Propheta, in ipsis Templi foribus accedentem populum prolixa satis oratione allocutus est, ostendens nihil esse, cur tot criminibus implicati prosperum sibi aliquid e Templi sanctitate sponderent; cum maxime loci sancti religionem in speluncam latronum convertissent. Minitatur Deus, ea se in Templum animadversione usurum, qua in Silo, futurum scilicet, ut illud derelinquat. Vetat, ne Jeremias pro populo intercedat, quippe cujus scelera jam nimium nosset; Cœli militiam alienaque Numina illos venerari ait; eoque impietatis devenisse, ut profana simulacra in Templo statuerent, iisque victimas in valle Topheth, prope urbis mœnia, mactarent. Pergit Jeremias non Judam modo, verum etiam Ægyptum, Idumæam, Ammonitas, Moabitas, atque Arabes arguere minisque terrere. Judæos denique ad pœnitentiam hortatur; Numinum inanitatem ostendit: minitatur fore, ut Assyrii veniant; Deum denique exorat, ut iræ suæ pondus in gentes, a quibus minime noscitur, vertat, & Judæ parcat.

(1) S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. hunc ipsum Helciam summum Sacerdotem credit, qui post inventum lectumque a se Librum Legis, deinde diem clausit. *Author Traditionum Hebraicarum in Paralip.* Consentiunt Rabbini, Paulus Burgensis, & Chaldæus, nec abludunt Sixtus Senensis, & Maldonatus. (2) Josue XXI. 17. 18. (3) Hieron. in Prologo, & in Jerem. IX. (4) Jeremiæ I. 5. *Antequam exires de vulva, sanctificavi te.* (5) Jerem. I. 6. *Nescio loqui, quia puer ego sum.* (6) A. M. 3375. (7) Cap. I. II. III. IV. V. VI. (8) Vide 4. Reg. XXIII. 4. &c.

Nonnulla leguntur capite VIII. 13. ex quibus conjecturam duco, habitam esse eam orationem, quo tempore fames contigit in exordio belli a Nabuchodonosore in Sedeciam suscepti. Pars etiam harum in impios atque idololatras minarum anno Josiæ decimo octavo expleta esse videtur. Vide Commentarium.

Capite XI. vaticinium legitur, minis & exprobrationibus plenum, quod Jeremias in urbibus Juda, ipsaque Jerosolyma prædicare jubetur; ipsum vero dicitur *pactum*, seu fœdus, fortasse quod sui cum Juda fœderis, a populo ita neglecti, mentionem ibi faciat Deus. Anathothitæ, Jeremiæ cives, necem illi minitabantur, si vaticinari pergeret; iisque Dei nomine nunciat futurum, ut gladio ac fame perimantur.

Capite XII. queritur Jeremias minas ærumnasque, quas ab Anathothitis civibus suis patiebatur; doletque, impios rebus prosperis frui, dum opprimuntur ac lugent pii. Ejusdem temporis atque argumenti sunt capita XIV. & XV. ubi mala, quibus oppressus est Judas, miserabili plane narratione describuntur. Vetat Deus, ne Jeremias pro populo supplicet, testaturque, sese Moysis & Samuelis preces, si illi viverent, minime excepturum, ac severissimam Jerosolymæ animadversionem decrevisse, ob Manassis flagitia, qui Ezechiæ patri in regno successerat (1). Regum etiam historia testatur, Dei furorem, Manassis sceleribus adversus Jerosolymam excitatum, non deferbuisse, quamvis deinde Josias religione ac pietate claruerit. Fervens Dei furor famem, qua tunc regio vexabatur, peperit; decretam jam populi captivitatem severiori exemplo mox parituros.

Quo cum temporis articulo jungenda sit actio prophetica, quæ capite XIII. legitur, & cum præcedentibus & consequentibus nullo nexu jungitur, plane non dixerim. Jeremias, Deo jubente, cingulum in spelunca ad Euphratem abscondit; deinde illud quærens, putridum invenit: quo indicio intellexit futurum exitium & derelictionem Judæ, quem sibi olim Deus conjunxerat, veluti cingulum, quod arcte illud gerenti hæret. Quæ deinde sequuntur, exhortatio sunt ad pœnitentiam, scelerum Juda exprobratio, & minæ, quibus Assyriorum adventus prædicitur.

Uxorem ne ducat, Jeremiæ imperat Deus capitibus XVI. & XVII. neque filios Jerosolymis alat; domum nullam convivio hilarem, aut funere tristem, flentibus solatium allaturus, ingrediatur: quibus verbis illud significabatur, spem omnem, pacem, atque omne solatium populo Deum abstulisse.

Conviciis probrisque undique onerabatur Propheta cap. XVI. ꝟ. 13. tristium vaticiniorum causa quæ prædicabat. Hac autem de re cum Domino conquestus, ad eam Templi portam, qua Reges egrediebantur atque ingrediebantur, proficisci jubetur; scilicet, facile ad Regiarum ædium fores, quo populi conventus celebrabantur, atque ad cæteras urbis portas; ac populum hortari, ne Sabbathi religionem violet, externis rebus intra urbem illatis. Perseverantibus severissimam animadversionem minitatur, morigeris vero quodlibet felicitatis genus pollicetur.

Hic ordo vaticiniorum est sub Josia. Piissimum Regem in prælio adversus Nechaum Ægypti Regem ad Mageddo cecidisse, nemo ignorat. Eo extincto, Sellum, aliter Joachaz, inter Josiæ liberos ultimus, creatus est. Hunc Scriptura 4. Reg. 23. 32. scelestum impiumque describit: *Fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus*. Injuriæ, quibus Jeremias a Phassur affectus est, suadent, ea quæ deinde sequuntur, sub pio Josia non contigisse.

Regnum Sellum.

Jussus cap. XVIII. Jeremias figuli officinam ingredi, figulum vidit, fracto vase quod elaborabat, statim alterum ex eodem luto fingere: qua ex re intellexit, populum Juda reprobandum esse, atque alterum ipsius loco excitandum. Horum vaticiniorum merces Jeremiæ erant convicia minæque, quibus Judæi constantiam illius labefactare conabantur. Iterum igitur cap. XIX. a Deo jubetur Propheta luteo vase coram populi Senioribus & Sacerdotibus accepto, in vallem Ennom proficisci, futuraque calamitate illis prænunciata, vas ipsum coram illis comminuere; quo luculentius ea, quæ ipse de proximo illorum exitio prædixerat, intelligerent. Redux e valle Ennom, ad Templum ascendit, ubi vaticiniorum suorum fidem certissime ac planissime impletum iri, ob durissimi illorum animi supplicium, nunciavit.

Hæc iniquissimis auribus excipiens Phassur, Sacerdotum Princeps, Jeremiam cap. XX. feriit, atque in publica vincula dedit, prope Templi fores; unde postero die reductus, ipsi Phassur futurum prædixit, ut ipse, ejusque familia & amici omnes in captivitatem traherentur. Constantissimus adversus Principum & populi injurias Propheta, questus apud Deum est, quod ingenti adeo malorum procella obrueretur, acribus ita verbis & querelis, ut aliquam animi commotionem testaretur.

Regnum Joakimi.

Nechaus, Ægypti Rex, redux e Cercusii expeditione ad Euphratem, amoto Sellum, quem populus Josiæ loco Regem creaverat, post trimestre Regnum, Joakimum, superbum sævumque Principem, substituit. Regiis in foribus stetit Jeremias sub ipsum Joakim exordium cap. XXII, redargutisque acri oratione Juda flagitiis, Joakimo nuntiavit futurum, ut si pœnitentiam ageret, alii deinde Reges in iis ædibus cernerentur, omni satellitum pompa stipati; at eædem desertæ squallerent, si in scelere perseveraret: tum populum alloquens Ibid. ꝟ. 10. ait: *Nolite flere mortuum* (Josiam); *plangite eum* (Sellum) *qui egreditur, quia non revertetur ultra*. Sane illum Nechaus in Ægypto necavit.

Iterum Propheta Joakimum, superba ædificia struentem, atque in avaritia & crudelitate viventem arguit. Infelicissimam illi necem, inhonestamque sepulturam minitatur cap. XXII. 19. *Sepul-*

(1) 4. Reg. XXIII. 26. *Verumtamen, non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasse.*

Sepultura asini sepelietur putrefactus , & projectus extra portas Jerusalem . Verba deinde in Jechoniam Joakimi filium vertens, illum in Chaldæorum potestatem dandum esse, nullosque illius liberos in Juda regnaturos vaticinatur.

Proximo capite XXIII. utrumque hunc Regem sub crudelium Pastorum imagine exhibet, quibus non alendi, sed vorandi gregis unica cura est . Ipsos quidem exorres sese acturum , aliosque gregis reliquias melius moderaturos, constituturum . Denique in falsos Prophetas , & Sacerdotes verbis suis repugnantes, invehitur.

Sub ipsa Joakimi exordia, Jeremias ad Templum profectus, nobilissimæ Domus excidium prædixit cap. XXVI. Quamobrem falsi Prophetæ ac Sacerdotes captum Jeremiam morte dignum pronunciarunt. Eo coactis populi Principibus , ut ea de re deliberarent , Jeremias nihil se , nisi Deo jubente, dixisse testatus est; suarumque minarum fidem quamprimum explendam fore , nisi resipiscerent. Sedati hac oratione Principum animi , Jeremias judicio absolutus , probataque illius constantia , Michææ Prophetæ exemplo , qui montem Sion arandum ceu agrum , regnante Ezechia impune prædixerat . Inter eos, qui utilem Prophetæ operam navarunt , maxime excelluit Ahicam filius Saphan, qui furentis populi atque ad necem postulantis potestate illum liberavit . Objiciebatur exemplum Uriæ filii Semei , qui cum eadem quæ Jeremias aliquanto antea prædixisset, a Rege ac Principibus ad necem quæsitus, in Ægyptum fugit ; at inde ab Joakimo reductus, interfectus est.

Ante quartum Joakimi annum, vaticinia edidit Jeremias in Ægyptum, Philisthinos, Tyrios, Sidonios, Gazæ & Ascalonis cives; in Moab, Ammon, Idumæam, Damascum, Cedar, Asor; quæ gentes suo singulæ ordine Divini furoris calice potandæ erant. Hæc in Jeremia continentur ab initio capitis XLVI. usque ad ℣. 34. capitis XLIX. Confer Jeremiam XXV. 1. . . . 13. 14.

Anno Joakimi Regis Juda quarto, Mundi 3368. Nabopolassar Babyloniorum Rex, Nabuchodonosorem filium in Syriam misit, Regia dignitate ac nomine instructum. Quamobrem hic annus primus Nabuchodonosoris est, itemque primus e septuaginta annis captivitatis a Jeremia prædictis. Nabuchodonosor Joakimum cepit , aliosque Judæos plures , inter quos Danielem sociosque; at deinde Joakimum in libertatem restituit, cæteris Babylonem missis, dum ipse reverteretur, Regnum sibi debitum , Nabopolassaro patre extincto , occupaturus . Ita tribus adhuc annis Jerosolymæ regnavit Joakim, nihilo melior, quam ante cladem fuerat.

Hoc eodem anno, Joakimi quarto, Jeremias Judæorum captivitatem , annis septuaginta perseveraturam, luculentissime prædixit; qua absoluta , Deus iram in Chaldæos & Babylonios conversurus esset . Eodem tempore , Jeremias calicem iræ Domini ex ipsa Dei manu acceptum, Chaldæis, Tyriis, Ægyptiis, Philisthinis, Idumæis, Ammonitis , Moabitis & Arabibus propinavit. Altera hæc sunt in eas gentes oracula. Vide superius Caput IX.

Eodem item anno Joakimi quarto, jussit Jeremiam Deus vaticinia omnia, sibi divinitus dictata ab anno Josiæ decimotertio, scriptis tradere cap. XXXVI. 1. 2. Hæc ille Barucho dictavit, imperavitque ut in Templo legeret, cum ipse præsens, quippe in vinculis detentus, adire non posset.

Paruit Baruch, & anno Joakimi quinto, ipsa esuriali Expiationis die, mala omnia, quæ Jeremias vaticinatus fuerat, populo audiente in Templo recitavit. Re ad Magistratus & Principes per Michæam Gamariæ filium delata, vocatus Baruch una cum volumine venir , eademque iterum, quæ in Templo, perlegit . Omnibus ad Regem delatis, interrogatus Baruch , quomodo Jeremias ea scripta dictasset, respondit ita dictasse, ut non ex animo promere , sed tamquam e libro verba legere videretur . Tum Principes actutum facessere Baruchum jusserunt , seque cum Propheta in latebris continere, nec se deinceps prodere. Liber ad Regem delatus ; qui ubi ejus argumentum, audita trium vel quatuor pagellarum lectione , intellexit , confestim scalpello discissum, in ignem ante se positum projecit. Tum Baruchum & Jeremiam jussit comprehendi: at hi Domino volente frustra quæsiti sunt. Cremati Libri; jacturam reparaturus Prophera, iterum eadem oracula, eodem usus Amanuensi, adjectis quam pluribus ex Dei mandato, dictavit . Legimus capite XXXI. jussum Prophetam a Deo hæc scribere , quæ ipse tunc , eodem Deo docente, audiebat. Sed facile caput istud, cæteraque deinceps ad Regnum Sedeciæ spectant.

Quæ leguntur capite XXXV. utrum ad primam Chaldæorum in Judam expeditionem , quarto anno Joakimi pertineant, an vero ad alteram, septimo ejusdem Regis anno, incertum. Propheta igitur Deo jubente Rechabitas in Templum ducit , qui oblatum a Propheta vinum respuerunt, causati, sese Jonadabi , inter patres suos viri amplissimi , mandata sectari , quibus nullo prorsus vino uti, nec sedem habere in domibus & Urbibus, sed in tenturiis tantum, permittebantur. Quod autem tum temporis Urbem incolerent, id metu Chaldæorum, regionem infestantium, factum esse ajebant. Jeremias ea responsione audita , vehementi expostulatione Judæos aggressus est, qui legi Dei cervices submittere recusarent , cum Rechabitæ Patrum suorum traditionibus tantopere obsequerentur. Scirent igitur Judæi, infausta omnia ipsos manere; fausta vero omnia, simulque æternum generis sui successionem Rechabitæ expectarent.

Hæc de Jeremia sub Joakimi Regno . Porro Joakim excusso Nabuchodonosoris jugo desciscens, Chaldæos in Judæam provocavit , quorum armis cedere coactus , vitam simul & libertatem amisit; post mortem honore sepulturæ privatus , sub dio putruit , impleta infausto eventu Oraculorum Jeremiæ fide . Patrem excepit filius Jechonias, tribus tantum mensibus Rex . Nabuchodonosor, expugnata Jerosolyma, a Regno illum amovit , ingentemque tum sacram , tum profanam Urbis prædam , victor una cum majori populi parte Babylonem duxit . Inter captivos celebrantur Mardochæus & Ezechiel . Legimus apud Baruchum , VI. Epistolam Jeremiæ, ad captivos Babylone versantes datam. Regnum Jechoniæ.

Post

Regnum Sedeciæ.

Post Jechoniam, Sedecias rerum potitus est. Secundum hæc, Deus geminos ficuum canistros pro Templo positos Prophetæ ostendit cap. xxiv. Alter eximios ficus habebat, alter pessimos; illis nimirum captivos e captivitate reducendos designantibus, his vero Judæos Jerosolymæ, sive in Ægypto agentes, quorum exitium divino consilio decretum erat.

Ineunti Regnum Sedeciæ Reges Moab, Ammoniridis, Tyri, Sidonis, & Idumææ Legatos miserant, eosque domum reduces jugo singulos donavit Jeremias, munus Regibus suis deferendum, simul Dei verbis nuncians, eos qui Nabuchodonosori colla ultro submittere recusarent, invitos sub jugum ducendos. Eadem prædixit Sedeciæ cap. xxvii. Oracula in Elam, temporis notas, nempe ineuntis Sedeciæ Regni, exhibent cap. xlix. 34.

Sub ipsum ineuntis Sedeciæ tempus, Propheta vincula sibi, & juga, jussus a Domino, induxerat cap. xxvii. & xxviii. imaginem se atque symbolum exhibens captivitatis Populo imminentis. Interim Hananias, filius Azur, Pseudo-Propheta, palam in Templo venditans vaticinia, spopondit intra biennium vasa Templi restituenda, & Jechoniam e captivitate reducendum; quæ cum audiret Jeremias, dixit, scire se cæteros hactenus Prophetas eadem, quæ ipse, nunciasse Judæis mala; quæ vero prospera prædiceret Hananias, hæc ab eventu fidem exposcere. Tum Hananias abreptis confractisque vinculis & jugo ligneo Jeremiæ, ita plane, inquit, Dominus impositum Judæis a Nabuchodonosore jugum confringet. Pedem a loco verterat Jeremias, cum secreto Dei monitu redire jussus, Hananiam allocutus dixit, pro jugo ligneo, quod ipse fregit, cervices populi jugo ferreo Nabuchodonosorem oppressurum; te vero, adjecit, nomine Dei decipiendis populis abutentem, manere scias ante anni exitum, e vita decessum. Obiit, ex oraculo, septimo mense, nempe duobus mensibus post Jeremiæ vaticinium.

Sedecias, anno Regni sui quarto, Babylonem legaverat Saraiam, filium Neriæ, fratrem Baruchi, reposcendis, uti facile credimus, Templi vasis a Nabuchodonosore cap. li. 59. qua opportunitate capta, Jeremias vaticiniorum suorum in eam urbem exemplar ad captivos Babylone versantes misit; mandatis onerato Saraia, ut lectum Judæis volumen, lapidi alligatum, in Euphratem projiceret. Quam legimus in Barucho l. 1. epistulam, ea data creditur a Judæis Babyloniis ad Prophetam, acceptæ ab eo epistolæ respondentibus. Baruch iter habuisse cum cæteris creditur.

Alteram Propheta dedit epistolam ad Judæos, una cum Jechonia Babylone captivos cap. xxix. Incertum quo anno. Alia est autem epistola a priori, per Saraiam missa, Jerem. l. li. Illam detulit Gamarias a Sedecia Babylonem missus. Monet autem Propheta Judæos, ut sedem in ea regione statuant, & jungant connubia; non enim prius in patriam restituendos esse, quam post exactos lxx. captivitatis annos. Addit minas in geminos Pseudo-Prophetas Babylonicos, nempe Achab filium Coliæ, & Sedeciam filium Maasiæ, quos, neglectis veris Prophetis, populus mirabatur: minarum autem hæc summa est, ultimum supplicium illos manere a Nabuchodonosore; cui vaticinio ab eventu fides stetit.

Hæc per Prophetam scripta Semeias filius Nehelam Babylone versans cum iniquius ferret, datis ad Sophoniam Sacerdotem litteris, gravius illum arguit, quod Prophetam talia scribentem sustinuisset, nec tamen audaciæ suæ pœnas in carcere detentum luere coegisset. Epistolam Summus Sacerdos Prophetæ perlegit, qui a Deo jussus alteram adjecit ad captivos epistolam, nuncians Semeiæ, mortem in captivitate, illumque & ejus posteros antea delendus, quam ut liberationem populi Judæ spectarent.

Obsidionem Jerosolymæ suscepit Nabuchodonosor anno xviii. Regni sui, & x. Sedeciæ cap. xxxii. Expugnandam Urbem non modo semel, sed crebro Jeremias prænuncians, adeo cives in se concitavit, ut in atrio Aulæ carceris loco detineretur. Eo virum convenit Hanameel ejus patruelis, monens emendum illi esse, ex legis sanctione, agrum, in Anathoth patria sua situm. Emit ille ab Hanameele, scriptisque tabulis pecuniam numeravit: tabulas vero possessionis Barucho coram Hanameele & testibus tradidit, in figlino vase servandas, ne forte successu temporis corrumperentur. *Si quidem tempus erit*, ait, *cum possidebuntur domus & agri in terra ista*. Ægre dictis hisce fidem præbebat ipse Jeremias, quem proinde Deus prolixe confirmat toto eo capite, & sequenti xxxiii.

Eadem obsidione perseverante cap. xxxiv. Rex cæterique populi in cœtum coacti, servos omnes Hebræos ineunte jam anno Sabbatico, ex Legis sanctione, manumittere decreverunt. Servi igitur manumissi tamdiu liberi relicti sunt, quamdiu gravis mœnibus hostis institit. Sed reductis a Nabuchodonosore armis, ut ducentem auxiliares Hebræis copias Ægypti Regem coerceret, Judæi eo metu liberati, servos reduxerunt in servitutem, nihil Dei præcepta veriti. Acrem ea de re expostulationem instituens Jeremias, omnia in suum caput deturbanda mala timerent, illis prædixit.

Post recessum Assyriorum, libertas Urbi simulque Prophetæ restituta est c. xxxvii. rogatus insuper a Sedecia Propheta, ut se etiam atque etiam Deo commendaret. Missos ob eam rem a Rege viros Propheta renunciare jussit Sedeciæ, Assyrios mox mœnibus graves adfuturos, a quibus expugnandam Urbem, atque in cinerem favillasque redigendam sciret. Cum vero post hæc Propheta in Anathoth patriam suam redire decrevisset, a præsidiariis militibus pro ipsius Urbis portis prohibitus est, quasi ad Chaldæos defecturum retinerent. Ejus causa Optimatibus commissa est; quorum sententia in carcerem adeo tetricum conjectus est, ut ipse demum capite Propheta periclitaretur. Aliquandiu post clam a Rege accitus sciscitantem audivit, siquid haberet novi ad se spectans, nunciaret, Equidem, ait Propheta, te Regibus Chaldæorum tradendum certo scias: tum Regem rogare ne in eundem carcerem reduceretur. Ille roganti facilem se præbuit,

buit, jussitque quotidiano pane ali, cibo adjecto, qualis in obsessa Urbe permittebatur; facile enim credimus, Nabuchudonosorem intermissam obsidionem jam tum resumpsisse.

Igitur post deletas Ægyptiorum copias, Nabuchodonosor gravior mœnibus institit cap. XXI. Quare ad eas angustias redactus Sedecias, per Phassur & Sophoniam, Prophetam consuluit, num prosperum aliquid per Deum Urbi sperandum maneret. Jeremias nihil illis reliquum dixit, nihil Regi, nihil Optimatibus, nihil etiam populo, qui exitium suum in Urbe opperiri maluisset; reliquos, qui sponte, Chaldæorum castra subeuntes se dederent, illos saltem vitam manere.

Cum vero minis denunciandisque malis nullum modum ponere videretur, querelas ea de re suas Optimates ad Sedeciam detulerunt; a quo in eorum potestate permissus Propheta, in arentem cisternam, sed lutosam, funibus demissus est cap. XXXVIII. Re comperta, per Abdemelech Æthiopem Sedecias statim educendum præcepit, ne in extrema, qua Urbs tota laborabat, panis caritate, fame necaretur. Rursus vero eductum Prophetam secreto interrogavit, utrum æquiora sibi speranda nunciaret. Quem ille vitam sperare jussit, simulque Urbem ab occisione immunem futuram, siquidem ultro se Chaldæis dederent; recusantibus certam captivitatem & Urbis eversionem imminere. Hoc cum Rege colloquium nemini mortalium prodere Jeremias a Rege jussus est, simulque in atrio carceris manere, ubi ad captam usque Urbem, annum scilicet Sedeciæ undecimum, mansit.

Factus certior Sedecias teneri Urbis portas a militibus Nabuchodonosoris, noctis silentio fuga elapsus, ad deserta Jerichuntis se conferebat; sed fugienti instantes Chaldæi, tandem assecuti, captivum ad Nabuchodonosorem Reblatam in regione Emath rapuerunt. Illud captivo Principi supplicium a victore decretum, ut mactari singulos filios coram cerneret, ac deinde luminibus a victore decretum, ut mactari singulos filios coram cerneret, ac deinde luminibus orbaretur; orbatus autem oculis, Babylonem deductus est. Devictam Regionem administravit Nabuzardanus, jussus, collectis populi reliquiis, ingenuos viros Babylonem deducere, fœcem relinquere. Simul tamen mandatis oneratus est, omnem impenderet curam, ut Jeremias servaretur. Obtemperans igitur Nabuzardanus, selectos ipse captivos traduxit; reliquis in Judæa relictis præfecit Godoliam. Huic rebus Judaicis Præfecto hæserunt Jeremias, & Baruch, & alii plurimi Judæorum, quos belli metus per finitimas regiones disperserat cap. XL.

Inter hæc, Ismael filius Nathaniæ, genere Regio, invidiæ stimulis in Godoliam agitatus, dolo illum perempturus, in Masphat una cum decem viris se contulit; statimque Præsidem conveniens, proditione occidit, cæsis simul Judæis omnibus & Chaldæis, quos una versantes nactus est. Tum collecta, quam potuit, populi manu, in Ammonitidem iter instituit; sed eunctem insecurus Johanan filius Caree, & relinquere prædam, & fuga se una cum octo solum viris in Ammonitidem proripere coactus est cap. XLI.

Johanan, coacta ingenti Judæorum turba juxta Bethlehem, Jeremiam consuluit, manendum ne sibi esset, an in Ægyptum fugiendum. Propheta postulatis responsioni decem diebus, tandem verbis Dei se renunciare dixit, omnes gladio, fame, & peste perimendos, siquidem in Ægyptum diverterent; manentibus certam Dei opem pollicebatur.

Surdis auribus cap. XLIII. Prophetæ vaticinium excipientes populi Duces, illum fallendi consilio oracula simulasse dictitabant; accusantes insuper, illum precibus Baruchi persuasum, consilio tendendi in Ægyptum repugnasse. Eo igitur decretam profectionem expleverunt, ipsique Baruch & Jeremias, inviti licet ac reluctantes, una perducti sunt. Oracula fundere nunquam destitit Propheta, adeo ut certum etiam locum demonstraret, ubi Nabuchodonosoris solium, cum in regionem veniret, erigendum esset. Ægyptiis indixit, ut iisdem malis & calamitatibus, quibus antea oppressos Judæos viderant, se quoque premendos timerent c. XLIV. Pharaoni Vaphræo eamdem sub Chaldæis Regibus captivitatem nunciat, qua in Sedeciam animadversum antea norat. Tot malorum, quæ Jeremiæ oraculis prænunciabantur, tædio affectus Baruch, bono esse animo a Propheta jussus est cap. XLV. quamvis enim ex iis quæ prædixerat, irritum nihil futurum esset, sciret tamen incolumem se inter tot ruinas a Domino conservandum.

Hucusque de historia & rebus gestis Jeremiæ, quantum ex ejus lucubrationibus colligere licuit. Quo genere mortis, tempore, & loco obierit, incerta omnia. Sunt qui lapidibus conlectum dicant in urbe Taphni a Judæis, iniquo animo minas ejus & expostulationes ferentibus; scriptumque de illo putant ad Hebræos XI. 37. *Lapidati sunt* (1). Sunt inter Rabbinos, qui rediisse ex Ægypto in Judæam asserant: profectum esse Babylonem cum Sedecia, ibique vitam clausisse, tradit Abravanel. Creditus est a vetustis Patribus plurimis adhuc superstes Propheta cum Elia servari (2), cum de obitu ipsius nihil habeatur in Sacra Scriptura; & interroganti Christo, quæ de se ipso ferrentur vulgari apud Judæos sermone, responderint Apostoli, alios credere illum Eliam, alios Jeremiam (3). Fertur Jeremias primo quidem sepulturæ mandatus fuisse Taphnis; dein ossa ejus Alexander Magnus transtulisse Alexandriam; ac teste Paulo Luca nunc pariter ejus sepulcrum prope Cairum visitur. Vide Bollandistas ad 1. Maii tom. 1. pag. 5. & tom. 7. pag. 524. & Herbelot. Bibliot. Orient. in Irmia. Hebræorum quidam opinantur Jeremiam nondum obiisse; sed adhuc superstitem agere cum Elia, utroque suo tempore in lucem redituro; ac Judæorum alii opinantur Jeremiæ spiritum Zachariæ insedisse, vicissim autem spiritum Phinees super Heliam incubuisse.

Ca-

(1) Hebr. traditio, Tertull. adversus Gnostic. cap. 8. Hieronym. lib. 2. in Jovin. Pseudo-Epiph. de vita & morte Proph. Doroth. in Synopsi, &c. (2) Victorin. in Apocal. cap. XI. 3. Plures apud Hilar. in Matth. Can. 20. (3) Matth. XVI. 14.

Caput LII. aliom habere a Jeremia authorem videtur, cum rerum Jechoniæ & Sedeciæ veluti summam complectens, totidem verbis e duobus postremis capitibus quarti Regum descriptum appareat. Quin & in Exemplaribus Jeremiæ aote capue LII. scriptum legimus: *Hucusque verba Jeremiæ;* unde firmior est nobis conjectura, proximum caput ab eo adjectum esse, qui Lucubrationes Jeremiæ recensuit. Ampliorem etiam additionem nos io scriptis Isaiæ deprehcodimus. Huetius vetus Episcopus Abrincensis suspicatur, adjectum caput hoc quinquagesimum secundum ab Esdra, veluti præfationem ante subjectas Lamentationes.

Cum ea ætate floreret Jeremias, qua prostratis Reipublicæ Judaicæ rebus, imminentium malorum eventus & prædicere Propheta, & spectare testis coactus est; id quod atrocem viro invidiam apud Judæos conflaverat; hæc plane omnia acre illud & vehemens dicendi genus non modice juvit; perpetua enim expostulatione utitur, totusque ingenti malorum imagine Scriptor replebatur, quæ mala vividis ubique coloribus & miserabili oratione describie.

Ex hactenus deducta serie rerum a Jeremia gestarum, facile Lectores intelligent, nos capitum ordinem turbasse; ex quo non male suspicamur, plures ex Jeremiæ Lucubrationibus temporum injuria intercidisse. Illud saltem constat, seriem Chronologicam in illis desiderari. Ex capitibus XXIX. L. & LI. desumptæ sunt geminæ illæ epistolæ Babylonem missæ, quarum altera coram populo lecta, deinde jussu Prophetæ in Euphratem projecta est.

Præter hæc omnia, plura etiam scriptis mandavit Propheta, uti Lamentationes, quæ sub ejus nomine nostra etiam ætate leguntur; funebre canticum de obitu Josiæ (1), quod nostra ætate desideratur. Eidem etiam Authori tribuunt Psalmum CXXXVI. & juncta cum Ezechiele opera alterum, nempe LXIV. concinnasse tradunt. Sunt etiam qui ab illo exaratos credant tertium, & quartum Regum, quod scilicet postremum quarti Regum caput idem recurrat in calce ejusdem Prophetæ (2). Forte tamen, quod verisimilius credimus, postremum Jeremiæ caput e postremo quarti Regum derivatum est; quemadmodum simili exemplo capita XXXVII. & XXXVIII. Isaiæ ex iisdem libris Regum descripta sunt. Laudat scripta quædam ejusdem Prophetæ secundus Macchabæorum II. I. quæ nostra quidem ætate interciderunt; manebant tamen anno CLXXXVIII. Seleucidarum, Mundi nempe 3880. Solemne est etiam Patribus Baruchum sub Jeremiæ nomine laudare (3): quod ab illis non eo consilio factum constat, quasi vulgata sub nomine Baruchi vaticinia Jeremiæ deputanda crediderint; sed potius quod eo Amanuensi uteretur Jeremias, ejusdemque scripta statim post illius lucubrationes subjicerentur; ac tandem quod pars libri Baruchi, nempe postremum ejus caput, epistolam contineat, a Jeremia ad Judæos Babylone captivos datam.

In cap. XXVII. 9. S. Matthæi Jeremiæ authori tribuitur hæc sententia: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati quo appretiaverunt a filiis Israel.* Id vero non in Jeremia quidem, sed in Zachariæ XI. 12. legitur. In Apostolo etiam ad Ephes. V. 14. legitur: *Surge qui dormis & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Sententia ista Scripturæ accepta creditur ex apocrypho quodam Jeremiæ scripto. Sed nec Apostolus, nec alius quispiam vetus author illam tamquam ex Jeremia laudat. Vide Fabricium apocryph. vet. test. pag. 1105. Lactantius pariter instit. lib. 4. cap. 8. hanc sententiam ex Jeremia, frustra tamen in eo quærendam, profert: *Beatus qui erat antequam nasceretur.* S. Irenæus lib. 3. cap. 23. & c. 39. semel sub Isaiæ; semel etiam sub Jeremiæ nomine sententiam hanc promit: *Et commemoratus est Dominus S. Israel mortuorum suorum, qui dormierunt in terra sepultionis, & descendit ad eos evangelizare salutem quæ est ab eo ut salvaret eos.* Quem locum ex Prophetæ hujus codicibus erasisse Judæos S. Justinus redarguit in Dialogo cum Triphone pag. 298. Pseudo-Abdiæ lib. 4. cap. 6. verba ista ex Jeremia probantur: *ecce veniet Redemptor tuus Jerusalem, & hoc ejus signum erit: cæcorum oculos aperiet, surdis reddet auditum, & voce sua excitabit mortuos.* Confer hæc cum Isaiæ XXXV. 5. Eadem ferme Celsus recitavit. Vide Origenem contra Celsum l. 2. art. 4. 5. S. Chrysostomus in Matth. XXI. facile ex memoriæ lapsu tamquam a Jeremia dictum hoc Michææ inculcat cap. III. 9. *Audite hoc Judices domus Israel, quia abominamini judicium & omnia recta pervertitis.* Author personatus, sub larva S. Epiphanii latens, in opusculo de vita & morte Prophetarum, & Georgius Syncellus hæc de Jeremia narrant. Josia Rege defuncto, ac templo Hiersolymitano nondum everso Jeremias Dei arcam totumque, quod in ea continebatur assumens, in specu recondidit, simul hæc denuncians Sacerdotibus & senioribus gentis suæ; *Dominus e Sina in Cœlum abiit, indeque cum sancta virtute revertetur. Atque hoc signum advenientis illius erit; cum videlicet lignum gentes omnes adorabunt.* Dehinc adjecit: *Arcam istam Sacerdotum, aut Prophetarum nemo reserabit præter electum Dei Moysem: tabulas vero, quæ in illa sunt, unus Aaron expandet. In resurrectione porro prima omnium exurget arca, & ex illo saxo prorumpet, atque in monte Sina collocabitur. Tum ad eam Sancti omnes confluent, ibique Dominum expectantes, hostem, qui sibi necem molitur, effugient.* Vix hæc dixerat, continuo nomen Dei in saxo specus imprimens saxi hiatum clausit ita firme, ac si ferro occluderetur. Tum & lapsa e cœlo nubes locum illum ita occuluit, ut aspectum hodie pariter sive specus ejusdem sive impressæ in eo scripturæ prohibeat. Specus iste ibi jacebat, ubi olim arca collocata fuit, inter duos illos montes, qui sepulcrum Moysi & Aaroni præbuerunt. Cernere ibi licebat tota nocte collucentem ignem illi persimilem, qui olim Israelitis tenebras noctis dissipabat. Vagenseilius in Telis Ign. Sathan. pag. 441. scribit, hodie pariter cerni ad pedem montis Horeb vetustas aliquot literas saxo insculptas, quas incolæ eas credunt, quas Jeremias exaraverat. Mera putaque horum nar-

[1] 2 Paralip. XXV. 25. [2] Procop. Isid. Kimchi, Tostat. [3] August. de Civit. lib. 18. cap. 33. Chrysost. lib. 2. contra Judæos cap. 6. Clemens Alex. Pædag. lib. 1. cap. 18. Ambrof. Hexaem. l. 3 cap. 14. Ita Basil. Epiph. alii.

narratio fabellam arguit. Morizonius etiam in itinerario ad montem Sinai meminit literarum harumce Hebraicarum, quæ nunc in viciniis montis Sinai cernuntur. Vide Fabric. Apocryph. v. 7. pag. 111. & seq.

Creditur diem in Ægypto clausisse. Tertullianus, S. Hieronymus, Pseudo-Epiphanius, Dorotheus (1) tradunt lapidibus obrutum esse, quod liberius in scelera Judæorum inveheretur; adduntque ejus sepulcrum Taphni gloria miraculorum claruisse, quæ maxime pulsis anguibus, & crocodilis spectarentur. Legimus in Chronico Alexandrino, hunc Prophetam, ibidem versantem, prænunciasse Sacerdotibus Ægyptiis futurum, ut subita terræ concussione eorum Idola dejicerentur, quo tempore Servator in Mundum veniens, in præsepi infans jaceret. Eo vaticinio edoctos, Virginis & Infantis in præsepe positi simulacrum divinis honoribus consecrasse. Ejus imaginis causam sciscitatum a Sacerdotibus Ptolemæum, respondentes audivisse, veteri traditione a Jeremia derivata, se rem tenere. Addebant, Alexandrum Magnum, cum forte ad tumulum ejusdem Prophetæ se contulisset, auditis ejus viri de se oraculis, ejusdem reliquias deferri Alexandriam, & in magnificentissimo tumulo condi jussisse (2). Hæc e Chronico Alexandrino deducta, cum nullum habeant veterem assertorem, fidei sunt incertæ.

Eupolemus apud Euseb. Præpar. l. 9. c. 39. in Jeremiam, cujus laudes prosequitur, non iniquus, plura de illo narrat, frustra alibi quærenda. Cum imminens Judæis idololatris exitum Jeremias prænunciasset, ejus rei merito sententia Regis Joachimi igne mox fuerat damnandus; sed ab eo consilio Regem ipse absterruit, quod diceret, Judæos in captivitatem adductos, iisdem lignis, quibus sibi pyram struere vellent, usuros parandis victori Babylonico cibis, effodiendisque circa Euphratem & Tigrim fossis. Contigit reapse, ut Nabuchodonosor, certior de hoc Jeremiæ oraculo factus, expeditione Judaica decreta, fœderatum sibi adjungeret Assibarum Medorum Regem, junctisque cum illo armis occupata Samaria, Galilæa, Scythopoli, Galaaditide, everterit Jerosolymam, Joachimum omnesque templi divitias transtulerit, exceptis tantum Arca, tabulis Legis, & Jeremia.

Plura sunt in hac narratione conficta, & cum veritate plane pugnantia, uti quæ narrantur de fœdere cum Rege Medorum, & de causa suscipiendi ab Assyriis in Judæos belli; ut nihil dicam de occupata Samaria, quæ a Cuthæis, Nabuchodonosoris subditis tenebatur, & fortasse, quod facile credimus, suis sepulta ruinis jacebat. Quod ad Arcam Jeremiæ a Nabuchodonosore relictam spectat, traditur id in 2. Macchab. xi. 4. 5. ubi legimus, Jeremiam sacrum ignem in cisterna quadam condidisse; transtulisse insuper Tabernaculum, & Arcam in speluncam montis Nebo, ubi olim Moyses occubuerat, ibique ad hodiernum usque diem celatam servari.

Non defuerunt inter Veteres (3), qui antequam plane conciperetur, Jeremiam in rerum natura extitisse censuerint, ex iis Jeremiæ verbis c. 1. *Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Qui vero e Patribus (4) rebantur, superstitem adhuc Prophetam cum Elia manere, de illo scriptum interpretantur illud Apoc. xi. 3. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Opinionem hanc, quamvis ætate sua, uti ipse fatetur, probatissimam, minus se probare scribit S. Hilarius in Matth. can. 20. Porro in Macchabæis (5) satis de ejus obitu apertum est testimonium: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa Sancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.* Ejus memoriam inter viros sanctimonia insignes Veteris Testamenti coluit Ecclesia, quippe qui unus idemque & Prophetæ & Virginis & Martyris laudes in se conciliaverit, atque ab ipso matris utero morum sanctitatem retulerit (6).

Humili oratione potius, quam sublimi, si cum Isaia, Osee, aliisque Prophetis conferatur, teste S. Hieronymo (7), usus est, cujus rei causam idem S. Doctor credit esse humilem patriam, vicum nempe Anathoth, unde nihil ingenuum, nihil elegantia & puritate styli spectatum, quod maxime in amplis Urbibus & in Regia urbe solet, derivari posset: *Sed*, ait *quantum in verbis videtur simplex & facilis, tantum in majestate sensuum profundissimus est.* Cunæus (8), *Jeremiæ*, inquit, *omnis majestas posita in verborum neglectu est; adeo illum decet rustica dictio.* Movendis animis ac maxime ad miserationem flectendis, aptum esse Grotius autumavit, ut de illo dici queat, quæ de tristi, & lugubri Simonidis stylo feruntur: *Tristius lacrymis Simonideis.* Nam in eo maxime claruisse Simonidem, etiam Quintilianus animadvertit; ut nemo illo melius elegias & tristes Lucubrationes scripserit (9). Eximium hujus rei specimen præbent Lamentationes Jeremiæ. Non defuerunt tamen, qui in eo Propheta styli sublimitatem observarent (10). Alii molliores affectus, & fervidos vividosque motus in ejus scriptis animadvertunt (11).

Versio Græca Jeremiæ nec accurata est satis, nec ad literam; qua de re queritur S. Hieronymus Præfatione in Jeremiam Versioni suæ præfixa. Frequentes etiam in illa transpositiones, præsertim post caput xxv. occurrunt.

---

(1) Tertull. Scorp. cap. 8. Hieron. in prolog. Epiph. & Doroth. & Isid. de vita & morte Proph. (2) Jo. Mosch. in prat. spirit. cap. 77. eamdem rem tradit, addens, Jeremiæ memoriam summis honoribus coli in vico Alexandriæ, dicto Tetraphylo. (3) Orig. & ejus sectatores apud Hieron. in Jerem. 1. (4) Victorin. in Apoc. xi. 3. (5) 2. Macch. xv. 13. (6) Vide Hieron. in Jerem. xxiii. 9. Filios eidem tribuit Paraphrastes Chaldæus in Jerem. xxxvi. 12. (7) Præfat. in lib. 6. Comment. in Jerem. (8) De Rep. Hebr. l. 3. c. 7. (9) Quintilian. l. 10. c. 1. Simonides, tenuis alioqui, sermone proprio, & jucunditate quadam commendari potest; præcipua tamen ejus in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis Auctoribus præferant. (10) Sanct. Proleg. Dupin. Frassen. Verum Simonius in Epistolis Selectis tom. 3. Epist. 7. Supplem. itemque in Dissert. Critic. sub Revelini nomine vulgatis Francofurti 1658. contendit, hanc illorum sententiam e minori peritia linguæ Hebraicæ ortam esse; opinionem illi mutaturos, si in Hebraicæ linguæ cognitione magis aliquanto profecissent. (11) Fleury præfat. Mss. in Prophetas. Jeremiæ mansuetudinem, affectus teneros, fervidosque motus.

TABULA CHRONOLOGICA

Vaticinium Jeremiæ.

A. M.

3375 JEremiæ initia, anno Josiæ decimo tertio. *Jerem.* 1. 2. . . . 17. Illi jungitur Sophonias, ut populum ad officium revocent. *Sophon.* 1. 1. *Jerem.* xxv. 3. 4. 5.

3378 Capitur Ninive a Nabopolassaro & Cyaxare.

3381 Sellum Josiæ filius nascitur.

3384 Nascitur Joachaz, alter Josiæ filius, alio nomine Matthanias, tum Sedecias.

3387 Joakim, sive Jechonias, Joakimi filius, & Josiæ nepos, nascitur.

3394 Bellum Nechai, Ægyptiorum Regis, in Assyrios. Huic resistere ausus Josias, in prælio cadit ad Mageddo 4. *Reg.* xxxiii. 29. Josiæ obitum Jeremias lugubri carmine prosequitur, de quo 2. *Par.* xxv. 25. nostra ætate deperdito.

Sellum, sive Joachazum Judæi Regem creant: ipsum vero, post Regnum trimestre, Nechaus removet, suffecto in illius locum fratre majore, quem Joakimum nuncupat. Jeremiam in publica vincula dat & ærumnis afficit Phassur. *Jerem.* xx.

Sellum in Ægyptum ducitur, moriturque. *Jerem.* xxii. 10.

3395 Jeremiæ vaticinium in Joakimum. *Jerem.* xxii. 19.

Vaticinium Jeremiæ in Templum. Is a Sacerdotibus ac populo accusatus, ab Optimatibus & Senatu absolvitur xxvi.

Vaticinium Uriæ e Cariathiarim in Jerosolymam. Is in Ægyptum fugit: at inde ab Joakimo reductus, necatur. *Jerem.* xxvi. Anno incerto.

3397 *Nabopolassar Nabuchodonosorem filium in Syriam mittit, ut Syriæ ac Phœniciæ Satrapam nova molientem coerceat.* Ad primum hunc Nabuchodonosoris annum, quo is a patre dictus est Rex, referenda sunt Jeremiæ vaticinia in Judæos gentesque finitimas. *Jerem.* xxv.

Prædicuntur mala, a Nabuchodonosore in Ægyptum inferenda. *Jerem.* xlvi.

3398 Hoc anno Baruch, jubente Jeremia, vaticinia in Judam cæterasque gentes scripto tradit. Hæc vero ab Josiæ regno usque ad quartum Joakimi annum pronunciata sunt: quamobrem ante hunc annum nihil scripsisse videtur Jeremias. *Jerem.* xxxvi. 1. . . . 8.

Scripta vaticinia Baruch audiente populo in Templo recitat, solemni Expiationis die, decima septimi mensis die. *Ibid.* Baruchi animum confirmat Jeremias Capite xlv. 1. . . . 5. ac fortasse etiam Capp. xxx. & xxxi.

Rechabitæ Jerosolymam ingrediuntur. *Jerem.* xxxv. 11.

Joakim a Nabuchodonosore capitur. Jerosolymæ tribus annis relinquitur, Chaldæis subditus. Ex hac prima servitute ducendum est septuaginta captivitatis annorum exordium.

Daniel Babylonem ducitur cum sociis Sidrach, Misach, & Abdenago. *Dan.* 1. 3. Populus Jerosolymis cogitur nono mense, quo indictum fuerat jejunium.

3399 Baruch dictarum a Jeremia volumen coram populo legit. Id intelligens Joakim Rex, volumen scalpello lacerat, & in ignem projicit. *Jerem.* xxxvi. 9. . . . 25. Hujus flagitii causa solemne jejunium adhuc servant Judæi. Jubet Rex, Jeremiam & Baruchum capi; sed frustra. Iterum scribit Baruch ea, quæ dictat Jeremias de Jerosolymæ ærumnis. *Jerem.* xxxvi. 26. . . . 32.

Nabopolassar, Nabuchodonosoris pater, moritur. Hic Babylonem reversus, captivos ex Ægypto, Phœnicia, Syria, Judæa collectos, amicis relinquit, Babylonem ducendos. Berol lib. 3. *Rerum Chaldaic.*

3401 Vaticinia in Ægyptum, Tyrum, Sidonem, Moab, Ammon, Edom, Damascum, Cedar. *Jerem.* xlvi. xlvii. xlviii.

3401 Joakim, post triennii fidem, a Nabuchodonosore descifcit 4. *Reg.* xxiv. 1.

3404 *Nechaus Ægypti Rex moritur: Psammis filius succedit.* Herodot. lib. 2. cap. 161.

3405 Vaticinia sua scripto tradit Jeremias. *Jerem.* xxvi. 2. *&c.* Rechabitas Dei nomine alloquitur, iisque vinum offert. Iis respuentibus, hinc opportunitatem capit Propheta populum arguendi. *Jerem.* xxxv. 1. 2. 3. *&c.*

Joakim a Chaldæis captus, necatur, atque insepultus projicitur, ex Jeremiæ vaticinio xxii. 18. 19. & xxxvi. 30. *Joachim*, alter *Conias*, sive *Jechonias*, succedit. Patris impietatem imitatur, ac tribus solummodo mensibus & diebus decem regnat. Decreta in illum sententia legitur in Jeremia xxii. 30. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, &c.* Vaticinium hoc, a ℣. 24. Capitis xxii. & Capitis xxiii. Jeremiæ, eodem hoc tempore scripta esse videntur.

Nabuchodonosor Jerosolymam obsidet: Jechonias sese cum universa familia atque urbe dedit. Templi vasa, omnesque urbis opes, una cum populo, Babylonem feruntur, relicta populi fæce in regione. *Isa.* xxxix. 6. *Jerem.* xxiv. 1. xxix. 1. *Ezech.* xvii. 12.

Mardochæus & Ezechiel, & fortasse Rechabitæ, inter Captivos sunt. Vide *Psal.* lxx. 1.

Jeremiæ epistola ad Judæos captivos, qua illos adversus Idololatriam confirmat. *Baruch* vi.

Sedecias undecim annis regnat. *Jerem.* 1. 3. xxxii. xxxvii. Captivitas prædicitur, exhibitis Prophetæ duobus ficuum canistris. *Jerem.* xxxiv. 1. . . . 9.

Elamitarum excidium & restitutio prædicitur. *Jerem.* xlix. 34. . . . 39.

Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Tyrii, Sidonii, missis legatis, Regnum Sedeciæ gratulantur. Hos vinculis donat Jeremias, ut eo indicio certo noscent futuram sub Nabuchodonosore servitutem. *Jerem.* xxvii.

Jeremiæ epistola Babylonem missa, ut Judæos captivos officii sui moneat, ac libertatem pollicentur. *Jerem.* xxix. 1. . . . 23.

3406 Semeias, Babylone captivus, literas dat ad Jerosolymitanos Sacerdotes, Jeremiæ iniquas, *Jer.* xxix. 24 *&c.* Ad idem hoc tempus referri queunt Capita xxx. & xxxi. ad captivitatis exitum, & Messiæ Regnum spectantia.

Falsum Hananiæ vaticinium, asserentis, captivitatem biennio diuturniorem minime futuram. Falso Prophetæ repugnat Jeremias, illique mortem prædicit; quæ statim anno 3407. contigit. *Jerem.* xxviii. 1. . . . 17.

Baby-

A. M.

3409 Babylonis excidium per Medos & Persas prædicitur. *Jerem.* L. Horum vaticiniorum liber Babylonem mittitur per Saraiam & Baruchum LI. 59. statim postquam lectus fuerat, in Euphratem projiciendus. Quid Jerosolymitanis Judæis responderint Babylonii. Babyloniorum Judæorum ad Jerosolymitanos responsio legitur in Barucho I. 10. &c.

3410 *Regnum capessit Pharao Hophra*, Jerem. XLIV. 30. *apud Herodotum Apries. De hoc agit Ezechiel*, XXIX. 3.

3414 Jerosolyma a Nabuchodonosore obsidetur anno Sabbathico. *Jerem.* XXXIV. 8. 9. 10. Cœpta est obsidio decimo decimi mensis die, quem Judæi adhuc jejunio celebrant. Urbem capiendam Jeremias Regi prædicit. Illum Sedecias in Regii carceris atrio claudi jubet. Certior a Deo factus Jeremias futurum, ut rerum Juda status restituatur, agrum Hanameelis patruelis sui emit. *Jerem.* XXXII. 1. . . . 16. & XXXIII.

Pharao Hophra auxiliares Jerosolymæ copias ducit. Castra in illum movet Nabuchodonosor. Servos mox manumissos populus iterum in servitutem agit. Jeremias carcere egressus, Sedeciæ nomine rogatur, ut pro populo Deo supplicet. Reversuros Chaldæos, capiendamque Jerosolymam prædicit XXXVII. 3. . . . 10. Nabuchodonosor Judæos DCCCXXXII. qui sese sponte dediderant, Babylonem mittit. *Jerem.* LII. 29.

3415 Jerosolymam revertitur Nabuchodonosor, cæso Ægyptiorum Rege. Urbis excidium prædicit iterum Jeremias. Hunc carcere liberat Sedecias, & in atrio custodum stare jubet, &c. *Jerem.* XXXVII. 17. Non multo post prædixit ea quæ leguntur Capite XXI. In foveam, quæ in carceris atrio erat, dejicitur Propheta; ex qua eductus ab Ebed-Melech, iterumque a Rege consultus, iterum quæ prius respondet. In carceris atrio usque ad obsidionis exitum perseverat. *Jerem.* XXXVIII. XXXIX. Ex hoc anno ducendum est exordium septuaginta annorum captivitatis, de qua *Jerem.* XXV. 11. XXIX. 10.

3416 Capitur a Chaldæis Jerosolyma: Sedecias Reblatam captivus ducitur, ubi spectata liberorum cæde, oculis orbatur, & catenis onustus, Babylonem ducitur. *Jerem.* XXXII. 4. . . . 7. & LII. 7. . . . 11.

Nabuzardan Jerosolymam ingreditur septimo mensis septimi die; duosque post dies Templum cremat 4. *Reg.* XXV. 8. collatum cum *Jerem.* LII. 13. XXXIX. 8. Templum eversum est quadringentis & vigintiquatuor annis, mensibus tribus, diebus octo, postquam a Salomone inceptum est. Hujus calamitatis memoriam jejunio celebrant adhuc Judæi nona quinti mensis die.

Translatis Babylonem Optimatibus Judæorum, Nabuchodonosor Godoliam vilissimis e populo præficit, in regione relictis ut agrum colant. Jeremias vinculis onustus in Ramath ducitur; dataque illi a Nabuzardano optione, utrum Babylonem una venire, an in Judæa perseverare velit; is moram eligit, & Godoliam Masphæ convenit. *Jerem.* XXXIX. 11. XL. 1. . . . 6.

3417 Godolias ab Ismaele necatur septimo mense, quem Judæi adhuc sacrum habent jejunio, hujus cædis memoria, tertia Tisri die. *Jerem.* XLI. Miseras Judæorum reliquias in Ammonitidem ducebat Ismael, cum illum insequutus Johanan Caree filius, ejecit, captivosque reduxit. Consultus Jeremias, utrum proficiscendum esset in Ægyptum, populum a profectione deterruit, irritis tamen conatibus; quin & ipse una cum Barucho eo rapitur. Vix in Taphnes venit, Ægypti excidium vaticinatur. *Jerem.* XLII. XLIII. XLIV.

3418 Jeremias in Ægypto moritur.

3419 Tyri obsidio, decem annis producta.

Septingenti & quadraginta quinque Judæi Babylonem transferuntur. *Jerem.* LII. 30.

DISSERTATIO

DE CHARACTERIBUS MESSIÆ,

juxta Hebræos Jesu Christo recentiores.

CUM omnium Judæorum cujusque ætatis expectationes in Messiam verterentur, aliquid de illo non obscurum censuisse credendi sunt, certisque ipsum characteribus, ab universa gente receptis designasse, quibus indiciis, ubi demum inter Homines esset, agnosceretur. Maximum hoc fidei dogma neminem latere oportuit; ac nemo ignorare potuit, qui futurus esset is Liberator, quem Scripturæ omnes passim promittunt, atque accuratissime describunt. Ubique in Scriptura occurrunt iidem de illo characteres apertissimi, eædemque promissiones, quamquam variis temporum & rerum circumstantiis variæ, ab eodem tamen Spiritu, in omnibus Prophetis loquente, pronunciatæ. Ubique prædicatur Messias, ceu Deus & Homo, magnus & humilis, Dominus simul & servus; Sacerdos & victima, Rex & Regi subjectus, morti obnoxius & mortis victor, dives & pauper, validus simul & imbecillis. Hæc inter se, ut videbantur, pugnantia, in uno Messia concilianda expectabantur. Ipsi enim iidemque Sacri Scriptores, qui majestatem Regis & victoris, Messiæ tribuerunt, illum ipsum ceu virum dolorum, nostræ infirmitatis, contemptus, & humilitatis exuviis velatum, descripsere.

Norant etiam Judæi, Jesu Christo coætanei, oriturum Messiam e Tribu Juda & Familia Davidis (1), in vico Bethlehem (2). Norant mansurum illum pari æternitati spatio (3); ejus adventum hominibus ignotum fore (4); magnum Prophetam futurum in Lege promissum (5). Eumdem futurum sciebant filium & Dominum Davidis (6), miraculorum gloria coruscaturum (7); post mala plurima, e mortuis ad vitam de-

---

(1) Matth. XXII. 42. (2) Matt. II. 5. Michæ. V. 2. (3) Jo. XII. 34. (4) Jo. VII. 27.
(5) Jo. I. 45. Deut. XVIII. 28. (6) Matt. XXII. 42. Ps. CIX. 1. (7) Jo. VII. 31.

inde rediturum (1); omnia per ipsum restituenda (2); Eliam habiturum adventus sui præconem (3), hunc esse agnum crimina mundi expiantem (4); adventus sui argumentum in resurrectione mortuorum, restituta leprosis valetudine, Evangelio annunciato pauperibus, exhibiturum (5). Jesus Christus Judæos ipsos provocat, ut hos Messiæ characteres in se agnoscant.

Scitum erat, Messiam non abolendæ Legis, sed perficiendæ causa venturum (6); lapidem offendiculi futurum, in quem plures impingerent (7); eliminandam ab illo idololatriam, & impietatem (8); certatim populos ad Dominum convolaturos (9); innumeros illi adversarios & obtrectatores futuros, ne Regibus quidem exceptis (10). Ejus cadaver immune norant a corruptione (11); genuinam Legis intelligentiam ab eo petendam (12). Tandem nullus dubio locus erat, quin Messiæ adventus ad secundi Templi ætatem spectaret, & potissimum circa ætatem Jesu Christi proditurus esset, omnesque demum figuras impleturus. Quare Apostolis ea oracula prædicantibus, atque in Jesu Christo impleta demonstrantibus, nemo Judæorum eorum restitit, contendens nihil horum Messiæ convenire; sed hæc tantummodo obtrectatores oggerebant. Hæc, quæ nunciatis, omnia a Jesu Christo, insigni impostore, & Legis eversore, alienissima sunt; quare alter ab illo Messias expectandus est. *In eo tantum*, inquit S. Hieronymus (13), *Judæos inter & Christianos certamen est, ut cum illi, nosque credamus Christum Dei Filium repromissum, & ea quæ sunt futura sub Christo, a nobis expleta, ab illis explenda dicantur*.

At enim si Judæi æque omnes hæc de Messia habebant explorata, cur igitur Jesum Christum hisce expressum characteribus non agnoverunt? nonne in hunc hominem Deum omnia congruebant futuri Liberatoris indicia? Fateor quidem in mentibus Judæorum distinctam hanc & luculentam Messiæ notitiam esse versatam; at non deerant magno etiam numero Judæi crassiores rudesque, qui aliam plane Messiæ imaginem sibi finxerant. Rati illi, nihil nisi summum in Messia spectandum, proditurum credebant eo majestatis apparatu, ut nihil cæteris per orbem Regibus ea in re concederet; quare nec defuturum illi Regnum in mundo, cui jura daret, non arma, quibus hostium Israelia vires frangeret, non virtutem, qua parem summis Imperatoribus bellicæ laudis gloriam compararet, ac tandem nihil sub eo Rege reliqui futurum Judæis ad gloriam, & felicitatem. Quidquid poterat ambitiosum animum occupare, quidquid cupidus vindictæ animus exposceret, ea omnia a Messia præstanda facile autumabant. Quod vero ad natalium ipsius humilitatem, & vitam ejus ingloriam pertinet, id quidem confuse noverant, & ad figuratum sensum detorquebant; ut hanc veritatem veluti ex oppanso velo elucentem respicere viderentur. Tandem eo velo reducto post Resurrectionem Jesu Christi, & constitutam Ecclesiam, tunc demum, nisi cæteri, saltem Apostoli & Discipuli ipsam veritatis faciem spectavere.

Cum Jesus Christus in mundum venit, omnium oraculorum fidem, eorum etiam, quæ de passione, atque humilitate ipsius a Prophetis prædicta sunt, implevit. Humilis enim venit, inglorius, obscurus, qui plurima pateretur, nec labori parceret, nullo satellitio, nullis viribus, nulla gloria, adeo ut omnia, quæ in ipso magna supra naturam & Divina nitebant, hæc veluti sub obscura caligine tecta & eclypsim passa viderentur.

His ante oculos Judæorum versantibus, qui carneis oculis utebantur, Judæi crassiores scandalo quidem afficiebantur; quod etiam de Messia a Prophetis prædictum novimus. Prophetæ namque ita illum proditurum nunciarunt, ut contemptui habitus rejectusque tandem supplicio perimeretur; illud in se uno simul conciliaturus, ut lapis esset pretiosus in fundamento constitutus, & lapis scandali, in quem Judæi impingerent, ab ædificantibus reprobandus. Hæc ex Divini consilii providentia erant, ut Judæorum plerique, pervicaciæ suæ merito, ita viderent ut non intelligerent, ita audirent ut non perciperent, atque ita obfirmato in impietate animo a salute exclusi, novo populo, olim infideli & extraneo, modo in fœdus accito, cederent. Ita constant omnia quæ specie tenus repugnare videntur, sive ea quæ ad Messiam pertinent, sive ea quæ ad Judæos; quorum alii dictis Jesu Christi morigeros sese præbuerunt, alii pervicaces, quamvis utrique ea de Messia nossent, quæ Jesu Christo ad amussim congruebant.

Post Apostolorum prædicationem, Hebræi conceptam olim opinionem pervicacissime tuentes, obfirmatum habuere in impietate animum; & cum iniquis oculis Ecclesiæ prosperitatem, per universum late orbem, eliminata Idololatria & Judaismo, propagatæ aspicerent; probro ac desperatione acti victos sese ac dissipatos, æternaque reprobationis nota inustos sentirent, cum insuper a Christianis, argumentis e Scriptura petitis, premerentur, ut tandem veritatem Oraculorum in Christo impletam agnoscerent; tantam non ferentes invidiam, conati sunt apertissimos Oraculorum sensus ad alia flectere, alio etiam Prophetas detorquere, litem e verbis instituere; ac tandem fabellas quamplurimas de Jesu Christo oggerere, in ejus doctrinam creare invidiam, novas easque absurdissimas de Messia imagines procudere, nihil morati traditiones, & sententias majorum, quo majus nobis negotium facesserent.

Nec illis quidem statim hæc omnia succurrerunt; sed identidem, & quasi per gradus. Ita apud Paraphrases Chaldaicas, quæ sine controversia Libri sunt post Scripturas apud Hebræos vetustissimi, nonnullis post Jesum Christum sæculis concinnati, plurima de Messia exponuntur, quæ impudentissime a recentioribus Judæis alio flectuntur. Per gradus, inquam, in tantam devenerunt pervicaciam, quanta jam inde a pluribus sæculis tenentur. Vetustiores Rabbini æquiores in ea re sunt, quam recentiores, ut iis ipsis in rebus, in quibus olim Judæos habebamus adstipulatores, modo refragatores sustineamus. Trypho apud S. Justinum Martyrem agnoscebat in Scripturis vaticinia, quæ Messiæ passionem designarent, quæ nunc a Judæis negantur.

Tredecim fidei articuli apud Judæos nostra ætatia recensentur, quot plane etiam Maimonides numerat, & in Confessione fidei Judaicæ, exeunte Æræ Christianæ sæculo undecimo, digessit. Hanc summo consensu Judæi acceperunt probaruntque, eamque fidei professionem a Judæis tenendam, in eaque moriendum statuerunt. Porro duodecimus articulus, qui ad Messiam pertinet; in hæc verba concipitur. *Messias venturus est, quem morantem licet diutius, semper tamen expectabis, donec veniat*. Quicumque, inquiunt illi, de Messiæ adventu dubitarint, illi totam legem mendacii accusant; sed ejus adventus certum tempus in Scriptura plane vestigandum non est.

Josephus Albo, minus æque sciens, Messiæ adventum inter potissimos fidei Judaicæ articulos recenseri, contendit in Collatione habita in Hispania,

[1] Luc. xxiv. 26. [2] Matt. ix. 11. [3] Matt. xi. 14. & xvii. 10. [4] Jo. i. 29. [5] Matt. xi. 5. [6] Matt. v. 17. [7] Matt. xxi. 42. 44. Psal. cxvii. 22. [8] Isai. xlvii. 24. 25. xlv. 22. & lx. 18. [9] Matth. xii. 18. 21. Isai. xlii. 1. [10] Psalm. ii. 2. Act. iv. 26. [11] Psal. xv. 10. Act. ii. 27. [12] Jo. iv. 25. [13] Præfat. Comment. in lib. 6. Jerem. cap. 30.

nia, coram Benedicto XIII. dogma illud levis esse momenti, cui si quis fidem suam addicere recusarit, ille non nisi modicum vulnus Legi infert, ut non nisi ramo arboris avulso intactam radicem servare videatur. Queritur ille, Maimonidem eo consilio fidei articulos ad tredecim produxisse, ut duodecimum de Messia procuderet. Judæorum quidam ambigunt, utrum Messias unquam venturus sit; quippe cujus adventus, juxta illos, non nisi traditione teneatur, facile nutanti, & forte conficta (1) Sed si ambigua sint hæc, quid erit in Scriptura & traditione certum? Quid tandem fiet de Religione Judæorum, ea de Messia persuasione sublata?

Clarissimus Hillel, Christo, si Judæis fides, vetustior, contendit, frustra quidem nos Christi adventum opperiri, cum nostra omnium vota occupans in ipso Ezechia jamdiu venerit (2). Alii pariter diu antea venisse docent; sed inter homines latere, criminibus Judæorum prohibitum, ne prodeat; id quod Rabbinis nostræ ætatis plerisque arridet (3). Jarchi docet, veterum Hebræorum sententiam tenuisse, Messiam eadem die natum, qua Romani ultimum Jerosolymæ excidium intulerunt. Sedem illius aliqui constituunt in Paradiso terrestri, alii in loco ab hominum cognitione remoto & inaccesso.

Romæ, si Thalmudistis fides, moratur, ubi inter leprosos & ægros versans, præ ipsis urbis foribus Eliam, a quo manifestandus est, opperitur. Abravanel tempora distinguit adventus Messiæ; tempus nempe quo necesse est illud venire, & alterum tempus, quo venire poterat. Poterat enim, si a criminibus Israelitæ resipuissent. Illum venire necesse est, sed temporis articulo in futurum expectando; tunc denique venturus, cum Israel Sabbati religionem, eo quo par est, modo & ratione servaverit: id autem adventus sui tempus præteriisse Messias. *Elias*, inquiunt, totam duraturi Mundi periodum clausit intra sex annorum millia; e quibus duo vacua, nempe ante Legem, elapsa sunt; duo plena, sive sub Lege; reliqui vero pro Messiæ Regno manent. Porro juxta hanc doctrinam Eliæ, jam diu a pluribus sæculis Messiæ Regnum vigere necesse est.

Alii ejus adventum usque ad exitum sex millium annorum rejiciunt; ut ortus ejus annum consignent ad annum 3761. quæ annorum summa cum periodo annorum 1713. quot a Christo nato elapsi sunt, conficit summam annorum 5474. Quare illis tantum manent 530. anni circiter. Verum ex nostris calculis qui Jesu Christi natalitia cum A. M. 4000. componunt, si periodus 1710. annorum jungatur, implendis sex millibus annis desunt 300. anni circiter. Vana hæc & Aggæi 11. 7. 8. Oraculo apertissime refragantia: *Hæc dicit Dominus: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo Cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo Domum istam* (nempe secundum Templum post captivitatem restitutum). *Magna erit gloria Domus istius novissimæ plusquam primæ*. Debuit igitur Messias sub Templo secundo prodire; debuit præsentiæ suæ majestate gloriam sacræ Domus augere, atque intra modici temporis spatium Cœlum & terram quatere.

Norant qualibet ætate Judæi, quantum e re nostra esset, tempus orituri Messiæ vestigare; sedulamque in eo operam posuerunt, ut certius adhuc ejusdem adventus tempus, suis erroribus favens, definirent; sed exitu semper infelicissimo. R. Kimchi, qui duodecimo sæculo florebat, in eam opinionem descendit, Messiam, qui in limine esset, ejecturum e Judæa Christianos, ibidem tum temporis regnantes. Exciderunt quidem ab ejus possessione Christiani; sed agente Saladino, qui ante exitum duodecimi sæculi eam armis superavit. David, Maimonidæ nepos, consultus ab Optimatibus gentis suæ de tempore orituri Messiæ, plurima religioso silentio tegenda, ne forte alienis nota fierent, revelavit. *Ne loquimini in Geth, neque palam annunciabitis in Ascalon*. Quid tamen ille pronunciavit? Nimium, Pincham sive Phineem, quem vocabant, quemdam post cov. annos a Templi eversione, in senectute filium genuisse, qui sub ipsum pene ortum loquendi facultate instructus est. Cum puer ad a11. annorum ætatem pervenisset, diem clausit, magnis prius arcanis de liberatione Israelis revelatis. Scripsit tamen hæc omnia vario linguarum genere, & sub verborum ambagibus adeo latentia, ut omnibus obscura diu in situ & tenebris occulta jacuerint. Tandem in ruderibus Urbis cujusdam in Galilæa inventa, hanc legentibus sententiam obtulerunt: *Ficus profert grossos suos*, nempe Messias in limine est. At nondum Messias prodiit.

Rabbi Abraham inventam tradit Jerosolymæ scriptam in pariete prophetiam, qua ferebatur Messias eodem temporis articulo proditurus, quo visum olim, cum Josue Chananitidem subigeret, & cum Esdras populum e Babylone reduceret, sidus recurret, nempe, uti ibidem legebatur, anno 1329. Huic specioso commento fides desiderata est ex eventu. R. Chanan in virum quemdam incidit, penes quem erat Liber Romæ inventus, in quo bellorum omnium exitum legit futurum A. M. 4291. idest, Christi 531. pacatisque demum omnibus, Messiæ Regnum usque ad exitum septimæ periodi milliariæ, Mundi supremæ, perseveraturum. Maimonides accepta e majoribus vaticinia nonnulla refert, ea quibus colligit, Balaamum prædixisse, prophetiæ donum tamdiu in Israele mansurum post ipsius Balaami ætatem, quot ab exordio mundi usque ad ipsum sæcula fluxerunt. Cum autem, ex ejus supputatione, Balaam vigeret anno 2486. repetita ea annorum summa reddet 4972. nempe annum 1316. Sed his etiam veritas defuit. Alii ærumnarum exitum composuerunt cum anno 1492. alii cum 1598. alii 1600. alii etiam multo serius.

Tantæ demum inconstantiæ pertæsi, quæ nihil magis quam eorum levitatem & in re tanti momenti ambages prodebat, solemni prece diris devoverunt eos, qui Messiæ annos supputant; quorum, inquit Gemarra, ossa comminuantur, & sanie putrescant: cum enim certum aliquod tempus definitur, nec eventus respondet, statim criminosa suspicione dubitatur, utrum omnino illud futurum sit.

De Messiæ Regno controversia æque dissidentes Rabbinos inter se committit; alii enim Messiam sibi fingunt seu Judæorum vindicem, qui prostratos erigens, ablato a cervicibus eorum jugo, mundum universum oppressurus sit, & in pacato felicique Regno subjectos sibi populos felices habiturus. Malunt alii hominem fore dolorum & cruciatuum, sub cujus vexillo ærumnæ omnes & infortunia cogenda sint. Ejus ætate dominaturam justitiam, æquitatem, rectam administrationem aliqui crediderunt; aliis vero contraria prorsus sedet sententia; sub ipso enim nihil nisi confusum turbatumque expectandum censent; exulaturam ab ejus regno æquitatem; eoque Israelem regente, postremum populi Judicem interiturum. Nec minus inter eos constat de Regni illius diuturnitate; nam ad quadraginta annos duraturum alii suspicati sunt, alii totum ejus spatium totidem diebus metiuntur, quot in anno dies numerantur; alii septem annorum millibus; alii pari tempore jura daturum credunt, quot a mundo condito usque ad ipsum excurrerunt; sunt tandem, qui ad æternos annos ejus Imperium prorogent (4).

(1) Vide Basnage hist. des Juifs lib. 6. cap. 10. ar. 3.
(2) Gemar. tr. Sanhedrin, cap. 11. sect. 36.
(3) Buxtorf. Synag. Judai. cap. 36.
(4) Basnage hist. Juifs, l. 6. c. 25. a. 3. nov. Edit.

Ut autem vaticinia opinioni suæ repugnantia concilient, geminos invexerunt Messias, alterum post alterum, quorum hic humilis despectusque futurus sit, alter gloriosus divesque [1], uterque merus & simplex homo; postremus non sine liberis, & hæredibus decessurus. Prior e genere Josephi de Tribu Ephraim, patrem habiturus est Uaielem, nomine vero appellandus Nehemias. Exercitum ab eo cogendum e Tribubus Ephraim, Manasse, Beniamin, ac parte Gaditarum; expeditionem vero suscipiendam in Idumæos, quo nomine Judæi Romanos, & Christianos designant [2]; ex quibus omnibus, pluribus victoriis fractis, insignem ducendum Jerosolymæ triumphum, insignem, inquam, non modo captivorum numero, sed Romani etiam Imperii dejectis spoliis, & Judæis reductis.

Armillum, quem Christiani Antichristum vocitant, sub eodem Rege e marmore quodam nasciturum addunt, vel, si mavis, proditurum, nam Deus creatum jam ab initio, in marmore veluti in alvo concluserat. Tantum nactus adversarium Nehemias, consertis cum ipso manibus, dimicabit, ejusque dissipato exercitu, Ducem habebit captivum. At postea ex ejus manibus elapsus, reparato bello cum hoste confliget, feliciori exitu; Nehemias enim in eodem prælio, hoste inscio, interibit. Defunctum ejus corpus Angeli afferentes, in tumulo veterum Patriarcharum condent.

Tunc in ultimam desolationem redacti Israelitæ, salutem in locis desertis quærere cogentur, ubi consternati xlv. dierum spatio latitabunt. Secundum hæc, consternatos Archangelus Michael Angelicæ buccinæ clangore ad lætiora revocabit, secundi Messiæ e genere Davidis adventu nunciato. Prodibit igitur Messias, Elia Propheta comitante, quem ex universo Orbe Judæi, velut universæ Gentis Regem, & futurum Liberatorem, salutabunt. Statim Armillus ad arma, sed cum ad pugnam se instruet; Deus pluvia sulphuris & ignis cœlitus demissa, totum illius exercitum dissipabit, delebitque. Tunc secundus Messias e genere Davidis priorem Messiam e Tribu Ephraimi ad vitam reducet, dispersos congregabit Israelitas; defunctos revocabit ad vitam; Templum Jerosolymæ, ex descripto ab Ezechiele exemplari, excitabit, ac tandem adversariis omnibus dissipatis, qua late patet terrarum Orbis, Imperium suum prorogabit. Succedent cum Regina nuptiæ, atque plures in connubio, aliisque uxoribus (plures enim ducet) filii, hæreditario jure post ejus obitum regnaturi; communem enim habebit cum mortalibus omnibus exitum [3].

Fabularum quæ de Messia, ejusque rebus procuderunt Hebræi, hoc veluti specimen exhibuimus. Alia enim venditant plura, illa præsertim, quæ de prodigiis Messiæ adventum præcessuris comminiscuntur. Sunt autem decem [4]. Primum de suscitatis tribus Regibus, qui sub simulata pietatis imagine populos seducent, adeo vero sævo imperio tyrannidem exercebunt, ut ab eorum injustiis recipere se in deserta loca & cavernas Justi cogendi sint. Tunc omnia Israelitis auferentur, Rex, Princeps, Dux, Pastor, Doctor, Synagoga. Venient per hæc tempora ab ultimis Terræ finibus nigerrimi quidam homines, duobus capitibus, & septem igneis oculis, trucique aspectu horribiles, quorum aspectum impavidus quisque ne sustinere quidem audebit. Divinæ Providentiæ consilio nonnisi trium mensium spatio Imperium illud vigebit. Quis enim diuturnius ferret?

Alterum prodigium in æstu quodam intolerabili spectabitur, unde febres, pestes, quid non? Sed eo supplicio Ethnici tantummodo corripientur; ac apertissimum erit documentum, vel salubre remedium justis Israelitis, certaque spes Solis justitiæ mox prodituri.

Tertium prodigium efficiet sanguineus quidam ros; virus infestissimum Christianis, cæterisque per orbem gentibus; nam liquoris suavitate capti, eo hausto statim interibunt, nec abstinebunt impii ex Israelitis, qui veneni perniciem sentient.

Quartum prodigium ros alius, quo gustato viri, quibus justitiæ aliquid fuerit, primi illius roris veneno tentati convalescent.

Quintum. Sol densa tenebrarum caligine velatus xxx. dierum spatio lucem non dabit. Tot prodigiis territi Christiani, victas tandem Judaicæ religioni manus tradent.

Sextum. Deo permittente, Imperium Romanum eosdem habebit cum Orbe fines, quod Princeps quidam violentus & sævus, omnium postremus, novem mensibus tenebit. Surget enim tunc Messias e tribu Josephi, cui nomen Nehemias, de quo nos supra, vocatisque ad arma Israelitis omnibus, expeditionem in Romanum Imperium suscipiet tam prosperam, ut occiso Tyranno, omnia jure armorum subjiciat.

Septimum. Marmor, puellæ figuram exhibens, ipsa Dei manu mundi ineuntis exordio formatum sculptumque, ex quo nefaria hominum impiorum libidine fœto, filius prodibit Armillus, quem Christiani Anti-Christum vocitant. Hujus porro viri, decem ulnis proceri, ambos oculos palmi interstitium disterminabit, oculos, inquam, infra frontem alte defossos, ignitos, & rubescentes. Flava erit coma, virides pedes, ac tandem duplex caput. Hunc Romani Regem salutabunt, Christiani Dominum agnoscent, illique Legis suæ librum tradent. Missis Legatis eadem imperabit Israelitis; sed Nehemias, filius Uaielis, ducto contra illum Exercitu CCC. millium Euphraimitarum, manus pro Judæis conferet, quanquam exitu infelici, sublato non hominum manu Nehemia, quemadmodum supra fusius narravimus. Armillus victoria usus, arma in Ægyptum ducet, quam suo subjugabit imperio; mox expeditionem in Israelem suscipiet.

Octavum. Clangente Archangeli Michaelis tuba, subito se verus Messias filius Davidis, adjecto sibi Elia, exhibebit. Optimi Israelitarum in desertis locis se continentes, eo venientem Imperatorem suum excipient. Nec mora; reductis ad arma Judæis, validissimum exercitum Jerosolymam adducet. Occurret statim Armillus; cujus tamen exercitus igne cœlitus demisso conflagrabit, uti nos etiam supra.

Nonum prodigium. Archangelus Michael, repetito buccinæ clangore, sepulcra Jerosolymæ omnia concutiet, ac exanimata Defunctorum cadavera revocabit ad vitam. Sed defuncti prioris Messiæ ad vitam reducendi pium officium ipse Elias Propheta præstabit; & Judæos omnes, in suis ditionibus versantes, universi Terrarum Orbis Reges triumphali pompa Jerosolymam reducent.

Postremum tandem prodigium reddet tertio clangens Angelica S. Michaelis buccina; ipsa enim canente, Dominus filios Israelis in Paradisum inducet, ubi nihil ad felicitatem illis deerit, terrenis omnibus subita flamma adeo absumptis, ut neque cibi quidquam alendis cæteris Gentibus supersit.

Audiamus modo, quo convivii solemnioris apparatu populum suum, in Chananitide coactum, Messias filius Davidis excepturus sit. Immanes omnes dapes, ex immanissimis animantibus, piscibus & avibus instructæ; vinum autem exhibebit, siquod unquam, exquisitissimum, idem nempe, quod ipse Adam in Paradiso sibi expresserat, adhuc in ejus cella servatum. Opimus ea occasione bos *Behemoth* immolabitur, illa immani corpore bel-

[1] Abenezra in Psalm. lxxix. 18. Vide Muis. in eundem Psalmum. [2] Hieronym. in Isai. xxii.
[3] Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 36. [4] Libell. Abkas Rocbel, apud Buxtorf. ibidem.

bellua, quæ coactum e mille montibus fœnum uno die vorat. Nunquam ille loco movetur; & ne quid unquam ejus pascuia desit, quantum ille per diem herbarum voraverit, tantum noctu terræ beneficio reparatur. Juncta eras mari bos fœmina; sed metu ne nimium immanis belluæ genus propagaretur, ineuntis Mundi exordio occisa est; cujus carnes sale conditas servare Deus neglexit, quod sciret salitas carnes vulgares esse nimium, neque solemnioribus conviviis cupedias esse delicatissimas. Adeo vero in re tam ludrica serii sunt Judæi, ut inter eos non rari per sibi debitam bovis *Behemoth* portionem ita jurent, quemadmodum Christiani per gloriam & beatitudinem.

Ejus convivii solemnitatem augebit Cete *Leviathan*, immanis adeo bellua, ut alterum piscem, CCC. leucarum spatio porrectum, uno haustu voret. Porro tota aquarum Oceani moles humeris hujus piscis incumbit. Nun deerat mari par fœmella; sed metuens Deus, ne forte Terra his monstris pesiclitaretur, neve monstrorum genus totum occuparet orbem, fœmellam occidit, ejusque salitas carnes convivio reservavit. Tandem avis in Israelitarum convivio necanda nomine *Bar-Juchne*, immanitate prioribus nil concedit, quemadmodum ex historia mox narranda intelligimus. Forte enim decidit ovum putre ex ejus nido in subjectum Libanum, suaque mole per montium devexa provolutum, obvias CCC. proceras Libani cedros dejecit. Cum e lapsu crepuisset, subito erumpentis humoris torrense LX. amplissimos vicos inundavit, vastavitque, ac secum rapuit, veluti subito excussus aquarum nimbus. Si forte avis illa, per aera volitans, alas explicat, earum objectu prohibita solis luce, nigra quædam caligo aerem occupat. Nimius essem, si ejus generis commenta omnia de Messia referrem: majora etiam adduximus, quam quod Judæorum ludibriis in se maxime seria demonstrandia conveniret.

Harum tradisionum, quæcumque demum illæ sint, vetustas ex ipso etiam Evangelio apparet. Portentosa illa Judæorum commenta huic potissimum causæ deputanda sunt, quod ea, quæ figurato sensu Veteres tradidere, illi ad literam interpretentur. Olim ante Jesu Chsisti ætatem futuræ Vitæ selicitas, & Messiæ Regnum, adducto convivii letissimi atque instructissimi emblemate exprimebatur; unde etiam imaginem Regni sui deduxit Christus, ut Judæorum moribus obsequeretur. *Vide Matt.* VIII. 11. 12. *&* XXII. 2. *Apoc.* XIX. 7. *Luc.* XIV. 12. Nihil ille frequentius quam eas nuptias, & convivia, quibus a Patre suo excipiendi sunt electi, commemorat. Ille quidem Judæorum hac de re sententiam non destruendam, sed dirigendam ad rectam normam & ad spisitalem sensum suscepit. Eliminandum tamen a mentibus Judæorum errorem duxit, quo ceteros præter Judeos, a Regno Dei & convivio Messiæ excludebant; monuit proinde Christus, turbam convivarum undique ex universo orbe confluentem eodem convivio excipiendam, quo Abraham, Isaac, & Jacob. Adjecit deinde aliud, quod vehementer timebant Judæi, nimirum filios Regni, inter primos ad convivium vocatos, fore demum excludendos ex aula convivii, atque sub dio hyamalis noctis injuriis & horrori relinquendos.

Ex parabola decem Virginum *Matt.* XXV. 1. *&c.* intelligimus, Messiæ sive Sponsi adventum nocte intempesta a Judæis expectari, quod constanti apud ipsos traditione receptum esse, S. Hieronymus *in Matth.* XXV. 6. testatur; unde etiam derivatum credit apud Christianos, & ex ipsis Apostolis receptum morem, vigilias Paschatis ad mediam usque noctem, qua scilicet hora venturus Dominus expectabatur, producendi. Vetus hæc persuasio apud S. Chrysostomum pariter & Euthymium *In Matt.* XXV. 6. apparet. Nocturnum hunc Sponsi adventum Christiani de secunda Messiæ apparitione, Judei de prima interpretabantur.

Retulimus supra systema quoddam historicum, quo pugnantia specie tenus Prophetarum Oracula conciliare Rabbinorum nonnulli susceperunt. Aliud modo adjungimus, explicandis LXX. septimanis Danielis (1), quas Messias statim excipiet, a plurimis ejus gentis Doctoribus excogitatum. Earum exordium statuunt in eversione Templi Jerosolymitani per Chaldeos, ex qua CDXC. annos usque ad eversionem Jerosolymæ per Titum supputant (2). Duos vero constituunt Unctos sive Messias, quorum primus, cum Cyro miscendus, in septima hebdomada apparuerit; postremus, nempe ex eorum sententia Agrippa II. in extrema Jerosolymæ obsidione interierit. Secundum hæc *Dux*, idest Titus, Urbem sanctam evertit; nunquam deinde restituendam usque ad bellum Gog, & Magog, cum scilicet hostes populi Messiæ gladio delebuntur. Ita philosophantur Salomon Jarchi & Abravanel, quos Rabbinorum non infimi sequuntur. Malunt tamen alii primum Unctum cum Josue summo Sacerdote Esdræ ætate miscere, alii cum Zorobabele, sive Nehemia.

Sed hæc omnia æque vana sunt. I. Exordium septuaginta hebdomadum constituendum est ab edicto de permissa Urbis reparatione, non vero, quod Judæi malunt, ab Urbis eversione (3) II. Contrahunt Judæi de industria Monarchiæ Persarum periodum, Regum numero e decem sive duodecim (4) ad quatuor definito. III. Falluntur aut fallunt, cum Agrippam II. Romæ occisum cum filio Monbajo statuunt, anno captæ Jerosolymæ per Titum; cum & liberis caruerit Agrippa, & viveret adhuc anno XIV. Domitiani, diu nempe post captam Jerosolymam, ut ex nummis constat.

Quam nos tribuimus Messiæ divinitatem, hæc maxime Judæos contra nos provocat; hominem enim cum Deo conjungere, æque monstrosum esse censent, ac si duæ insociabiles naturæ in unum centaurum coalescant (5) Id autem, inquiunt, nunquam a Prophetis commissum est, sedulo inter Deum & Davidem distinguentibus; hunc enim Dominum agnoscunt, illum servum, Messias *David* appellatur, itemque simul & *Servus*. Bella ratiocinatio! Potuit non abs re David servus appellari; potuit Messias æque nomine Davidis designari, cum David Messiæ esset imago. Deus alter est a Davide; distinguitur etiam, si vis, a Messia; nihil hic nostræ fidei dogmati repugnans. Jesus Christus nunquam non prædicat sese a Patre distinctum. An vero potuit disertius Messiæ Divinitas exprimi, quam ab Isaia IX. 6. præstitum est? ait enim: *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, fortis, Princeps pacis, pater futuri sæculi*. Et Jeremias XXIII. 6. *Hoc est nomen quod vocabunt eum* (Messiam), *Dominus Justus noster*, sive Justitia nostra. Isaias iterum XLV. 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ; quia ego Deus, & non est alius*; & XXXV. 4. *Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet. & salvabit vos*. Author Ecclesiastici, I. 4. quem Judæi laudant interdum, qui neque ut tellis probatæ suo tempore opinionis rejici posset, hæc habet: *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.*

Neque de Messiæ divinitate Judæi tantum recentiores ambigunt, verum etiam Judæis Christo coætaneis ea res minime explorata suisse videtur,

(1) Daniel. IX. 24. 25. (2) Vide Basnage hist. des Juifs, liv. 6. ch. 22. (3) Daniel. IX. 25. *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem.* (4) Cyrus, Cambyses, Darius Hystaspis, Xerses, Artaxerses Longimanus, Xerxes II. Ochus, Artaxerxes Mnemon, Artaxerxes Ochus, Arsea, Darius Condomanus. (5) Judæi Lusitani quæst. 23. ad Christianos, q. 1. 2. 4.

Aperta erant ejus Oracula, sed occupatis præjudicio animis obscura, quorum proinde imbecillitati morem gerens Jesus Christus, nunquam satis apertum ea de re testimonium protulit. Volebat, ait S. Chrysostomus, sensim assuefacere mentes hominum carnalium, ne mysterium, humanam omnem rationem superans, tandem detrectarent (1). Si Christus oraculo Davidis illos aggreditur, victi Judei silent; nunquam tamen a veteri persuasione recedunt; nec ausi veritatem negare, admittere tamen refugiunt (2). Si Jesus Christus Dei authoritatem sibi vindicans, peccata remittit, invidiam in se Judæorum creat (3). Insignia ipsius miracula nunquam apud occupatas præjudicio mentes valent, ut Deum illum agnoscant, & cum Deum se coram Summo Sacerdote profitetur, ille ceu audita blasphemia inhorrescens, vestes laceras (4). Apostoli quid de illo homines vulgo censerent interrogati, responderunt ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, vel unum e Prophetis haberi. Expressa Patris revelatione opus fuit, ut S. Petrus divinitatem Filii Dei agnosceret ac profiteretur (5).

Sed, uti superius animadvertimus, quamvis generica quædam & perspicua Messiæ notitia Judæorum mentibus insideret, non omnes tamen æque omnia de illo norant. Erant Judæi quidam crassiores & rudiores, mysteriis Regni Dei intelligendis impares; erant peritiores & docti, qui omnia Prophetarum Oracula habentes explorata, de Messiæ divinitate minime dubitare potuerunt. Idem credebat & populus, sed confusa quadam & implicata credulitate. Fortasse etiam adeo se difficiles in agnoscenda Christi Divinitate præbebant, quod merum hominem, vel ad summum, Prophetam haberent, non Messiam. Hinc illorum horror, cum peccata remittentem, seque Dei nomine donantem intelligerent. Qui vero Messiam esse illum norant, Deum etiam certo credebant. Certe Apostoli hanc rem tam multo nisu tradere non studuissent, nisi probe ipsi prius persuasi, omnino necessarium fuisse Messiæ, ut Deum gereret homini adjunctum. Maria soror Lazari ultro fatetur in Jesu Christo æqualem Deo potentiam, utpote quem genitum e Deo vivo, & in Mundum venisse profitebatur (6). Cum prodigia in obitu Jesu Christi spectasset Centurio, divinitati ipsius testimonium tulit apertissimum (7). S. Petrus sublimiora, quam reliqui e vulgo Judæi, sentiens, luculenter dicit, Christum Filium esse Dei vivi (8). S. Thomas post tractatas manuum & lateris cicatrices, exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus* (9). Hoc Fidei dogma potissimum in ipso Evangelii sui exordio constituit S. Joannes, nihil frequentius insinuat, atque adductis argumentis probat, quam Jesu Christi Divinitatem. S. Paulus luculentissime illam adstruit, sive tamquam alibi adstructam commemorat. In novo Testamento argumenta pro Divinitate Filii Dei undique scatent. Quorsum rem novarum difficultatum feracissimam tanto studio commendarent, nisi maxime necessariam judicassent? Jesus Christus non passim de illa sibi loquendum censuit; at interdum identidem eo recurrit. Vix est igitur, cur Judæi veteres Messiæ Divinitatem ignorasse credantur. Habebant id persuasum; nec Judæi recentiores nisi concepta in nostros invidia, eam veritatem detrectavere.

Nam, ut vera fateamur, Judæorum religio, atque Judaicæ Fidei dogmata temporum vices senserunt, & alia Patribus, alia Discipulis stetit sententia. Quantumvis enim avitis moribus & sententiis inhærere ea gens videatur, quantumvis veteres traditiones vereri, in rebus tamen maximi momenti plurimum a vetustis opinionibus recessisse illos constat. Quæ enim pervicacia nunc vetera præjudicia illos sequi cogit, hæc olim ab illis recedere, quo magis magisque sese opponerent Christianis, coegit. Semel enim persuasi, Christum insignem fuisse deceptorem, ejusque Religionem constituta Legis fundamenta evertere, nihil reliquerunt intentatum, ut atrocem invidiam in illam ejusque authorem crearent. Pervicaciam evertit pervicacia; totique profligandæ veritati intenti, authoritatem suam deinde nutare, variatis subinde sententiis, minime senserunt.

Prophetæ certos quosdam, nec ambiguos, characteres Messiæ expresserant. Eos tamquam genuinos probaverant Judæi vetustiores; ac tandem in Jesum Christum congruere omnes, quam plurimi profitebantur.

Verum recentiores Hebræi e re sua esse censentes, hanc veritatem negare, a Prophetis vetustissimisque gentis Scriptoribus recesserunt. Si autem veritatis vi coacti, vetera Oracula de Messia interpretantur, eorum vim effugiunt, dictitantes, vel Messiam jam in Ezechia venisse, diemque ultimum clausisse; vel venisse quidem, sed in hominum turba latentem, ignotum manere hominibus, vel venturum tandem, cum Israelitæ totam Sabbati religionem impleverint; seu venturum item sexta demum millenaria mundi periodo. Alii certum tempus assignare refugientes, venturum dicunt serius citiusve; si distulerit, non despondendum tamen animis; venturum enim. Contendunt alii, Oracula Messiam designantia, adeo cum aliis aliarum rerum mista esse & confusa, ut secerni nequeant; nihil ea in re veterum traditionibus, tamquam inconstantibus, obsequendum: quare, inquiunt, frustra nobis Prophetę objiciuntur; prius enim certum & genuinum eorum sensum vindicari oportet.

Fatentur illi quidem, tempora omnia pro Messia destinata transisse; interim venturum adhuc expectant, ejusque adventum ceu precipuum fidei suę dogma constituunt. Rogant singulis diebus Deum, ut adventum accelerens, ante in lucem veniat, quam ipsi oculos vitę claudant. Morę autem unicam causam crimina sua esse fatentur, rati huic demum conditioni obnoxias esse promissiones de Messia latas. Sed quandonam immunem criminibus universum habebunt? Si hactenus Sabbati religioni implendę imparea fuerunt, quo tandem tempore totam ejus perfectionem assequentur? Qui vero hęc omnia cum iis, quę de tempore nati Messię narrant, componi possunt (10)? Tunc enim, inquiunt, Sapientibus fato functis, alta Legis oblivio Doctorum etiam mentes tenebit; ejusque loco hominum impudentia augebitur. Ingens erit panis & vini caritas [gulosis hominibus omnia vastantibus, ait Glossa]; universa Regni facies hereticorum fæce, nemine purgare audente, fœdabitur. Templum vero in locum libidinis convertetur. Quinam hęc omnia componantur cum pietate, religione, cęterisque virtutibus, quibus affectus Messias in mundum denique, ex eorum sententia, veniet.

Iidem, qui audita cruce Christi ejusque humilitate, & passione, ingenti horrore afficiuntur, nonne ipsi plurimorum malorum colluviem sub Messia Mundum inundaturam universum putaverunt, adeo ut R. Ula exclamaverit. *Veniat quidem, sed ego nunquam illum intuear?* nam Leonem fugiens, in ursum incidis, & anguis morsu corriperis. Si glo-

[1] Chrysost. in Matt. Author Operis imperfecti in Matthæum putat, eumdem S. Matthæum superfluum reputasse in exordio Evangelii de Divinitate Christi loqui; quod scilicet nosset scribere se Judæis, de Messiæ divinitate persuasis. Hom. 1. Initio. [2] Matt. xxii. 42. 43. ex Ps. cix. 1. [3] Luc. vii. 47. [4] Matt. xxvi. 65. [5] Matt. xv. 13. 12. [6] Jo. xi. 20. 27. [7] Matth. xxvii. 54. [8] Matt. xvi. 15. 16 [9] Jo. xx. 28. [10] Vide Gemar. tit. Sota p. 143. & Basnage hist. des Juifs liv. 6. ch. 26. a. 3.

gloriam ejus adeo commendant; cur quid illum asino vectum, & lepræ scabie tabescentem inducunt? quid cum florentissimo ejus Regno bella, Lues, pestes? Quid decem illa prodigia ejus adventum præcurrentia, quorum pleraque funestissima sunt, & perniciosa? Duo tantummodo viri in Chananitidem ingressi sunt, cum DC. millie ex Ægypto egresse iter eo suscepissent; ita pariter, ait R. Rabba, sub Messiæ regno continget. Lætum Oraculum excipiant Israelitæ.

Spondent sub Messia Hebræi victorias, felicitatem, immortalitatem, vel saltem felix diuturnissime prosperitate Imperium. Septem gloriosa nomine Messiæ tribuunt. *Æternus, nostra Justitia, Germen, splendor, Consolator, Elias, Silo*. Simul vero silentio premunt hæc: *Emmanuel, Justus, Deus, Admirabilis, Consiliarius, Pater futuri sæculi, Sacerdos Æternus*, & sexcenta alia, in Scriptura nota. Qui hæc omnia cum principiis per illos constitutis conveniant? Qui in unum hominem, qualem Messiam credunt, omnia simul quadrent?

Nil in Scriptura luculentius, quam Gentium ad fidem conversio sub Messia; quamobrem ab Aggæo, II. 8. dicitur *Desideratus cunctis Gentibus*; ab Jacobo (1), *Expectatio Gentium*. Sed insitum Gentis in nos odium eos induxit, ut Messiam sibi fingerent veluti Gentium omnium interfectorem, cui de una Judæorum felicitate, Jerosolymæ Templique restitutione, Regni Judæ instauratione, humanisque ac mortalibus Judæorum fortunis, exclusis omnino gentibus, laborandum esset. Tunc, inquiunt, Messias dispersos per universam Orbis faciem Judæos in unum cœtum revocabit; vita functos in dias luminis auras reducet; Templum excitabit, ex norma descripti apud Ezechielem Templi (2). Fines autem Imperii Israelitici ad utrumque mare porrecti, iidem erunt qui & universi. Hostes Israelis universi, Christiani potissimum, vindicem Messiæ gladium sentient. Urbs Jerosolyma gemmis ædificata nitebit, a qua omnes exulare morbi, & vulnera jubebuntur; tam longa vita vivent Israelitæ, quam solent quercus, aliæve arbores diuturniores, nempe minimum pluribus sæculis, quemadmodum ante diluvium, adeo ut, inquiunt, vir centum annorum ætate moriens, quasi puer immaturo funere præreptus parentum lacrymis lugendus sit, juxta illud (3): *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit; secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei*. Populo sibi charo oris sui aspectu dulcem adeo virtutis amorem inspirabit Altissimus, ut simul insitam in malum propensionem ex eorum animis evellat. Hæc tamen omnia, uti lectores facile intelligent, Hebræis favent, non Paganis.

Abravanel (4) decem Messiæ characteres designat, aptiores illi quidem, quam qui a cæteris Rabbinis traduntur, sed gentis ingenium redolentes. Neque enim omnino fabulis, atque insitis Judæorum præjudiciis immunes sunt. Horum primus: oriturus Messias e genere Isai, domo Davidis. II. Restiturus prophetiam, quæ e secundi Templi per Romanos eversione in Israele abolita cessavit. III. Sapientia cæteros superabit. IV. Modestus erit, sibique imperare sciens. V. Justitiam colet, ut populi admirationem simul & amorem sibi conciliet. VI. Miraculorum gloria coruscabit; oris sui halitu hostes occidet, & ministros ultionis suæ habebit angues & leones, ignem etiam e Cælo demissum. VII. Pacata erit terræ universæ facies, ut perpetuum Sabbathum regnare videatur. VIII. Gentes infideles, & Reges ultro colla ejus dominationi submittent. IX. Decem Tribus e dispersione congregatæ, sub Messia coibunt. X. His facilius reducendis, aquas Euphratis, ut olim Moyses fretum Idumæum, discindet.

Hoc, postremo loco ab Authore traditum, desumptum est e quibusdam Prophetarum locis, qui de reditu Hebræorum e captivitate agentes, locutione hyperbolica & figurata per dissitas Euphratis aquas traducturum Dominum gentem suam scripserunt (5); quod quidem nunquam ad literam impletum esse, neque spem esse ullam futurum, ut unquam impleatur, constet. Quid, quod neque hujus Scriptoris authoritati ultro damus, manere adhuc trans Euphratem ductas olim Hebræorum Tribus? Quam enim potissimum regionem, quod Regnum tenent? Nos alibi luculenter demonstrasse putamus (6), rediisse illas una cum Juda, & Benjamino, sensim tamen, non eodem simul tempore omnes. Si quid autem reliquum est Israelitarum in iis Regionibus, hoc sane decem Tribus immerito appelletur (7).

Tandem, quem fidei suæ assertorem laudat Rabbinus in iis, quæ de Regno terrestri Messiæ commentus est? Facile enim efferimus ea, in quibus e nostra ætate & cognitione remoti, neminem habituri sumus refragatorem. Porro quæ Judæi de Regno Messiæ in terra ex Oraculis Prophetarum colligunt, hæc Christiani mala fide reddita esse contendunt; quare illi præpostere tamquam certa constituunt ea, quæ in dubium ab aliis revocantur. Potiori nos jure hæc omnia de Regno spirituali Jesu Christi interpretamur; habemus enim adstipulatores eorum veteres Patres, & Doctores, fassos, ea, quæ nos Jesu Christo tribuimus, vaticinia, hæc ad Messiam spectare; professos insuper, Jesum Christum jam apparuisse. Quin etiam, nisi male illi fide agere nobiscum voluerint, in eo saltem convenire debent, ut Evangelio eum authoritatis gradum tribuant, quem cæteris vetustis historiis. Neque ulterius quidquam ab illis exigimus, ut luculentissime ostendamus, potiorem esse nostram, quam illorum causam. Vacuam illi præjudiciis mentem lectioni historiæ Jesu Christi conferant, statimque intelligent, frustra alium ab Israele Messiam expectari.

Verum non ea tantum nos æquitate indignos censent, sed in tantam proruperunt erga nos audaciam, ut procusas mala fide de rebus a Jesu Christo gestis historiolas tamquam genuinas venditent. Ex Patrum narratione discimus, per submissos emissarios id egisse Judæos, ut undique nomini Christiano atrox invidia sub ipsa religionis initia crearetur. Dictitabant nempe, Christi Discipulos insignes esse impostores, qui Præceptoris sui cadaver furati, in vitam rediisse illum sparserunt (8). Post eam deinde ætatem hanc fabellam commenti sunt (9). *Pandera* quidam, Bethlehemi incola, cum puellam Jochanano nuptam deperiret, ex ea corrupta habuit filium *Jesua*, sive *Jesum*. Cum vero pater fuga se Babylonem præripuisset, puer Jesus inter cæteros Discipulos scholam frequentans, in tantum prorupit audaciæ, ut erecta cervice caput coram Sacerdotibus aperiret, quod impudentissimi erat hominis æque ac flagitiosissimi, cæteris velato capite, & vultu sese coram Sacerdote offerentibus. Ita creata de homine suspicio, ejus natales explorandi occasionem præbuit; nec diu stetit, quin vitium in apertum prodiret.

Tandem Jerosolymam veniens, nomen Dei *Jehovah*

[1] Genes. xlix. 10. [2] Ezech. xl. [3] Isai. lxv. 20. 22. [4] In Isa. liii. & Frischmut, dissert. 2. de charact. Mess. Item Basnage hist. des Juifs, liv. 6. chap. 26. n. 32. [5] Isai. xi. 15. 16. xliv. 24. 1. 2. [6] In Dissert. de Reduct. decem Tribuum, Ezechieli præfixa. [7] Dissert. in Regionem, quo decem Tribus traductæ sunt, ad Paralip. [8] Euseb. in Is. xviii. 1. Hieron. ibid. Oecum. in epist. ad Rom. [8] Toledoth Jesu, liber vulgatus e Vagenseilin, tom. 2. Operis sui, Tela ignea, &c.

hovah subripiendi consilio furtim in penetralia Templi sese insinuans, intra discissam corporis cutem sanctissimum nomen occuluit. Eo artificio, accedente magicæ artis peritia, geminos leones, præ foribus Templi constitutos, ut loci præsidium essent, & tutamen sancti nominis, coercuit. Rugiebant illi adeo horrendum, ut ne reminiscendi quidem facultas præ horrore audientibus maneret. Eo, inquam, artificio Jesu vigiles fefellit, statimque se in Patriam conferens, mortuum revocavit ad vitam, leprosum mundavit. Horum miraculorum fama populi in se favorem adeo conciliavit, ut asino insidentem triumphantis more Jerosolymam deducerent.

Rerum tum temporis potiebantur Jerosolymis Helena ejusque filius Mombas, sive Hircanus; apud quos, agentibus Sacerdotibus, delatus Jesus, Coram Regina sese sistens, causam suam prodigiorum potius, quam argumentorum persuasione defendit. Ad hæc, obstupescere Sacerdotes, simulque, qua ratione is capi posset, deliberare. Tunc e cœtu unus Judas sese rem facturum dixit, siquidem nomen Jehovah discere permitteretur, simulque ipsi sibi vellent totum ejus flagitii reatum imputare. Compos igitur ejus rei factus, Jesum aggressus est, atque pronunciato ab utrilque Dei nomine, tanta utrumque terribilis nominis vis arripuit, ut in aera raperentur. Frustra Judas præcipitem agere adversarium diutius molitus, tandem mingendi super illum consilium arripuit. Nec mora, uterque fœdo humore pollutus concidit. Jesus actutum ad Jordanem convolans, ejus aquis lotus expiatusque, iterum virtutem suam exeruit. Quare cum frustra adversarium sternere Judas tentasset, fraude, quod vi non poterat, præstandum sibi proposuit; nam in illius partes se transisse simulans, illum tanquam e discipulis unus perpetuo comitatus, quæcumque ipse faceret, omnia *Sapientibus* prodebat. Accidit igitur, ut Jesus forte ad Templum se conferens, una cum Discipulis omnibus, ab adversariis caperetur: & continuo marmoreæ columnæ in urbe erectæ alligatus, flagrorum animadversioni subjectus est, tum spinea corona tempora circumdatus, aceto in siti potatus, tandem capite damnatus a Sanhedrio, lapidibus confectus occubuit.

Defunctus post hæc corpus *in lignum* agendum erat, ex recepto Hebræis more; sed lignum antea ab ipso Jesu, qui genus mortis suæ præviderat, magicis excantationibus per nomen *Jehovah* vitiatum, confractum subito concidit. Continuo Judas ea horto suo ingentem brassicum deferens, defunctum viri corpus ex ea suspendit. Veritus autem ne discipuli illud furati, surrexisse palam dictitarent, ipse clam e tumulo subductum in alveo quodam torrentis, derivatis prius aquis, ac deinde pristino illis cursu restituto, occuluit. Accidit nihilo secius, ut non invento corpore, statim fama resurrectionis illius longe lateque spargeretur. Hunc rumorem credulis auribus excipiens Helena Regina, Filium Dei illum esse declaravit; sed Judas proterviam Discipulorum Jesu repressurus, cadaver illius e latebris eductum exposuit, & caudæ equi alligatum usque ad Reginæ palatium rapuit. Tum crines defuncto avulsit; cujus rei causa Monachi taso capite incedunt. Nazaræi atrocem hanc ignominiam inique ferente, seditione facta a Judæis desciverunt.

Ludrica hæc historiola legitur in *Sepher Toledoth Jesu*, qui sane titulus imitatione quadam Evangelio S. Matthæi respondet: *Liber generationis Domini nostri Jesu Christi*. Porro regnasse ætate Jesu Christi Jerosolymis *Helenam & Mombam*, ea, qua cætera, fide Author asseruit. Nunquam enim auditi sunt Jerosolymis Helena & Mombas Reges Judæorum; quamquam Helena Regina Adiabenorum, & Izates sive Monobasus ejus filius venisse Jerosolymam aliquandiu post obitum Jesu Christi leguntur. Judæi natalem Jesu Christi annum ad A. M. 3671. sub Alexandro Jannæo, consignant; & Reginam Helenam CL. annis serius sub Claudio venisse Jerosolymam constat.

Extat alius Liber eodem titulo *Toledo Jesu*, vulgatus ab Huldrico anno 1705. in quo magis ad fidem Evangelii expressa legitur historia, non tamen sine anachronismis, & mendaciis. Tempus nati & mortui Christi sub Herode Magno consignatur, ad quem delata dicitur accusatio de adulterio Pantheria & Mariæ Matris Jesu. Ejus rei furore, simulque dolore ob fugam Pantheris percitus Herodes, in Bethlehem actutum se conferens, omnes ejus regionis pueros trucidavit. Præceptor Jesu statuitur Jusue filius Perachiæ, quem Akibas instituerat. Porro Akibas sub Adriano, integro post Christi obitum sæculo, florebat.

Author, qui nomen Jonathani Jesu Christo coævi & Jerosolymæ ageatis, mentitur, narrat, Herodem Magnum consuluisse, quid facto opus esset de Jesu Christo, Patres Vormatienses, tum temporis per subjectam Cæsareæ regionem dispersos. Quam ineptus, Deus bone! Addit, Herodem ejusque filium copias duxisse in Discipulos Jesu, continentes sese in deserto Judææ, quo loco vicus Hai spectatur. Jesum Christum ejusque imaginem, & Mariæ parentis ipsius, colebant. Hi porro Sectatores Jesu, suppetias rogarunt adversus Herodem filium a Rege Cæsareæ. Qui rogo, iste Cæsareæ Rex sub Herode filio? aliquis ne Germaniæ an Palæstinæ Princeps? Nihil ex historia discimus.

Alterum adversus historiarum Judaicarum fidem argumentum ex eo ducitur, quod magnopere inter se discrepare intelligantur. Namque historia per Vagenseilium vulgata victum natalium Jesu Christi a Sacerdotibus proditum narrat; altera vero per Huldricum, ab Herode primum, deinde ab Akiba deprehensum tradit; Akiba enim jurejurando quodam doloso, summis tantum labiis concepto, arcanum e Maria parente Jesu subduxit. Addit, Jesum post deprehensos furtivos ejus natales calvitio damnatum fuisse; quod ille ferens iniquius, pravam doctrinam tradere aggressus est. Desiderantur hæc omnia in altera historia, quæ vicissim maleficiorum scientia peritissimum Iesum prodit, & furtim subducto nomine Domini miraculis illustrem. Tum historia Huldrici addit, statuto capiendi Jesum consilio, Judæos apud ejus hospitem pecunia corruptum egisse, ut medicatum illi vinum præberet, quo nominis ineffabilis oblivio induceretur; neque enim aliter in adversariorum potestatem venire poterat. Ob eam rem cœlitus impetrandam, decretum est solemne Jerosolymæ jejunium, specie quidem ob divinam opem impetrandam in bello, quo Israelitæ ab infidelibus Regibus premebantur, revera ut Jesus capi posset.

Cum igitur Jesus Christus die Propitiationis convivium habuisset cum Discipulis, hausto medicato vino, in adversariorum manus incidit. Dilatum ejus supplicium a Rege usque ad Festum Paschatis, cujus temporis interjecto spatio missi per universum terrarum Orbem viri indixerunt, si quis vellet rei patrocinium suscipere, ut coram Senatu se sisteret. Consultum ea de re Sanhedrium Vormatiense, non supplicio perimendum, sed arcto & perpetuo carceri tradendum Jesum censuit. Regi altera sedit sententia; quare in crucem actus Jesus, supplicio absumptus est. Porro quo tempore Jesus Christus obiit, nullum fuisse Jerosolymis Regem, tam certum est, quam quid aliud. Sed Judæi æque omnia minora habent odio & invidia in Cristianos. Historia Vagenseilii captum Jesum a militum manu statim post Festum Paschatis commemorat; a quibus scilicet militibus partim in fugam actos Discipulos Christi, partim occisos addit; tum vero lapidibus damnatum Jesum Sanhedrii sententia.

Nimius essem, si omnes æque Judæorum ea de re fabulas congererem. Qui illarum refutationem voluerit, adeat Authores eam rem prosequutos,

sive

sive integras eas historias legat, vel saltem earum epitomen, addita eorum refutatione per Basnagium (1). Nos hic satis superque ducemus, si generatim aliqua animadvertantur de iis, quæ de Messia sentiunt Judæi, deque calumniis, quas falsis rumoribus ubique de Jesu sparserunt. Ex his enim pertinax, dolosum & mendax illorum ingenium satis superque demonstratur.

Si Messiæ characteres ancipites sunt & ambigui, si tempus pro ejus adventu præscriptum fluxit, quod illorum sententia certum est; quæ illis hodie spes ea de re superest? Venturum ne unquam sperabunt, si facta de illo promissiones a certis conditionibus, nempe a pœnitentia populi pendent? Alterutrum necesse est, aut majores eorum errasse in iis, quæ de Messia senserunt, atque in sensu Oraculorum ad Messiam detorquendo; aut Judæos recentiores falli, dum alios tribuunt Messiæ characteres, & aliam Messiæ imaginem in animum inducunt. Porro in re tanti momenti instabilis illa & inconstans gentis opinio nonne reprobationis, & cæcitatis Judaicæ argumentum est apertissimum? Quid sibi expectandum sit, plane ignorant; aut ipsi, aut Patres eorum in errore versantur. Si eorum sententia melior est, actum est de Prophetarum Oraculis; si deterior, Jesus Christus verus est Messias.

Porro erroris hujus universi duplex est causa, dolus nempe, & ignorantia. Ejus, qua gens universa laborat, ignorantiæ argumenta rota hac Dissertatione passim exhibuimus. Frustra apud illos quæras historiam paulo accuratius expositam: frustra petitum integra fide ex historia veteri documentum. Eorum doli & fallaciæ in historiolis, quas de Jesu Christo procuderunt, si alias uspiam, elucent, quibus tamen ne rudiores quidem fallerent: adeo illæ fraudem aperte produnt. Ne ipsi quidem suis hisce artibus caperentur, nisi major esset animi in malo pertinacia, quam spiritus cæcitas errandi consuetudine. Quæ vero insignis est gentis pervicacia & incredulitas, ea demum accepto ignorantiæ & nequitiæ ipsorum referenda est. Quis, rogo, eos homines, omni destitutos scientia & probitate, ad bonam frugem reduxerit unquam? Quis argumentis illos evincat, cum nec apertissima veritate moveantur, neque absurda quæcumque objeceris, insigniter stolidos terreant? Rerum turbata series, insignes anachronismi, putida mendacia, fabellæ nulla ratione sibi constantes, omnia hæc veritate sancta sunt apud ipsos. Apertissimos Scripturæ locos detortis interpretationibus vitiant; cum pronas & simplices rejiciant. Si quid illis majorum authoritas negotii fecerit, eam continuo prorsus abjiciunt; si qua res nobis favere videtur, statim illi sive in dubium revocant, sive e genuina sententia mentem avertunt.

Ex his autem, quæ hactenus deduximus, satis intelligere æquis Lectoribus dabitur, expanso ante oculos velo infelicem hanc gentem in tenebris versari (2); nihil demum esse totam Hebræorum religionem, quam pervicaciam, & obstinationem; reapse nunquam amplius ab illis venturum Messiam expectari, nullam illius notitiam luculentam servari, nihil tandem credi nisi corruptum, nihil sperari nisi quod terrenum sit & carnale. Frustra illos ad spirituales sensus evexeris: paria de regno Messiæ concipiunt quæ Mahometes de Paradiso. Aperi, quæso, Domine, clausos miserorum oculos, ut lucem toto orbe coruscantem agnoscant; aufer cor lapideum, & da cor carneum.

DISSERTATIO
DE RECHABITIS.

Pauca admodum Scriptura de Rechabitis: sed satis illa, ut nobilissimam gentis imaginem animo concipiamus. Genus erat hominum frugi & modestum, duris se inediis, fuga ab hominum consortio, rerum omnium abdicatione exercens. Vitam agebant agrestem sub tentoriis, neglectis Urbibus & hominum commercio; sine fundis, sine domibus, sine certis sedibus. Habebantur ab omnibus tanquam Prophetarum imitatores, eorumque exemplum Essenii & Therapeutæ apud Hebræos, ac solitarii apud Christianos sectati sunt (3). Quem imo corde fovemus, amor erga hoc viræ genus, cui nos addiximus, amore prosequi nos pariter jubet omnia, quæ similitudine quadam ad ipsum referuntur. Gloriosum nobis est, si in eo quod sanctissimum est & illustrissimum in Veteri Testamento, in Elia, in Elisæo, in filiis Prophetarum, in Rechabitis, in S. Joanne Baptista originem instituti nostri, & primos nostræ professionis Patres agnoverimus.

De origine Rechabitarum varia est variorum sententia. Nonnulli e Tribu Juda viros accersunt; quod Theodoreto visum est (4), ea ducto opinione, quod viri omnes longa serie in I. Paralipomenon Libro, capite II. recensiti, ad eam Tribum pertineant, ex quo eadem colligenda censet de Rechabitis, quorum ibidem mentio occurrit. Sed non rara suppetunt argumenta, quibus docemur, Rechabitas origine *Cinæos* fuisse, & quamquam regionem Juda occupantes, adhuc tamen ad eam Tribum non spectasse.

Censuerunt alii, Levitas esse, vel etiam Sacerdotes (5), ex illo nempe Jeremiæ, XXXV. 19. persuasi: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus*. Ex Rabbinis quidam suspicantur, Rechabitas jure connubii cum filiabus Sacerdotum, sive Levitarum conjunctos, liberos genuisse, Templi servitiis tamquam veros Levitas addictos. Quæ si vera sint, oportuit sane, ut singulari privilegio Rechabitæ ad sacrum munus admitterentur; nihil enim ad eam rem conferebat, quod e matre Levitici generis prodiissent; Patrem enim Sacerdotem seu Levitam habere opus erat.

Visi sunt aliis (6) servitiis Templi addicti Rechabitæ, ut inferiori a Sacerdotibus & Levitis ministerio occuparentur, veluti Gabaonitæ (7), Nathinæi (8), cæterique vocati *filii servorum Salomonis* (9), quos sane constat secunda a Sacerdotibus & Levitis ministeria obiisse, veluti ligna & aquam

(1) Histoire des Juifs, liv. 6. chap. 28. (2) Cor. III. 2. 5. (3) Hieronym. ad Paul. ep. 13. *Noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus... de his sunt & filii Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, &c.* (4) Theodoret. in Par. iiii. Vide 1. Par. II. 55. (5) Hegesipp. apud Eus. hist. lib. 2. c. 23. (6) Vide Sanct. Corn. ad Jerem. xxxv. (7) Josue IX. 27. (8) 1. Par. IX. 2. 1. Esdr. II. 43. 58. 70. VIII. 7. 24. VIII. 20. (9) 1. Esdr. II. 55. 58. 2. Esdr. VII. 57. 60. XI. 3.

aquam comportandi; id tandem agebant in Templo, quod mancipia in privatorum Ædibus.

Rechabitis tamen præstantius erat quam Gabaonitis & Nathinæis ministerium, quippe qui canendis laudibus Divinis occupabantur (1), numquam tamen nisi secundo a Levitis & Sacerdotibus gradu. Hæc a me dicta sunt, juxta fidem Vulgatæ & plurium Interpretum, legentium: *Canentes atque resonantes, atque in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore Patris domus Rechab*. Hebræus quidem commode eum sensum patitur. Verum Interpretes alii reddunt (2): *Ostiarii, & in obsequiis manentes*, id est famuli, *atque in tentoriis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Chamat, patre domus Rechab*. Quamquam enim ostiarii munus Leviticum erat (3), poterant tamen secundo ab illis gradu alii etiam destinari, ut in publicis solemnitatibus Levitis ministrarent; scitum est enim, & nos supra docuimus, plures fuisse in Templo ministros secundo a Sacerdotibus & Levitis gradu. Ita ex. g. Samuel Ephraimita (4); Anna Prophetissa e Tribu Aser (5); Gabaonitæ & Nathinæi, qui ab Israelitis origine alieni a Chananæis derivabantur (6). Hi omnes in Templo singuli suo ordine ministrabant.

Novum prorsus & inauditum systema de Rechabitis Bolducus invexit (7). Nam ab ipsis Antediluvianis gentibus eorum originem repetens, omnium Authorem constituit Enos, e quo per posteros traductum genus est post diluvium, qui deinde *Cinæi*, *Cenezæi*, *Hebræi*, sive *posteri Heber*, *Nazaræi*, *filii Prophetarum*, ac tandem *Rechabitæ* appellati sunt. Unde vero Rechabitarum nomen? Audi Bolducum. Cum Eliseus raptum in Cœlum præceptorem suum Eliam spectaret, exclamavit: *Pater mi, Pater mi; currus Israel & auriga ejus* (8). Pariter Rex Ioas invisens Eliseum discipulum Eliæ, postremo illo, quo correptus erat, morbo laborantem, ejulabat: *Pater mi, pater mi; currus Israel & auriga ejus* (9): Hebræus legit: *Pater mi, pater mi, Recheb Israel upharaschav*, idest, currus Israel, & ejus equi. En nominis Rechabitarum originem. Rechabitæ enim filii sunt duorum Recheb Israel, idest, duorum curruum Israelis, nempe Eliæ, & Elisæi.

Ioannes Ierosolymitanus (10) Discipulos illos Eliseo tradit; illos vero, juxta Bolducum, primus Paralipomenon Liber capite II. 55. Discipulos tradit Eliæ. Hoc Bolducus singulari argumento sententiam suam probat: *Hi sunt*, inquit Scriptura, *Cinæi, qui venerant de calore patris Domus Rechab*. Quis, rogo, calor iste pater Rechabitarum, nisi Elias, de quo Ecclesiasticus XLVIII. 1. *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardens?*

Neque hæc satis Authori, qui post derivatos Rechabitas e curru Eliæ, *Pharisæos* ex equis ejusdem currus deducit. Ipsi autem qui antea *Rechabitæ* appellabantur, deinde Pharisei dicti sunt, ducta nominis etymologia *Pharaschim*, idest, equis currus Eliæ. Porro Pharisei, si Authori fides, nihil a Rechabitis abludebant, cum utique vino abstinerent; cujus rei auctorem tradit Evangelium, ubi vitio vertisse Iesu Christo Phariseos legimus (11): *Homo vorax, & potator vini*. Porro, inquit ille, Iesus Christus Esseniorum sectam profitebatur, ejusque adversarii Rechabitarum, quæ eadem erat ac Phariseorum gens, cum perpeti amne deducta ex Enos eorum secta, longa temporum successione, variorum nominum vicissitudines senserit. Si quis talia audeat, nihil erit quod non inveniat in Scriptura.

Sed vera Rechabitarum origo in Cinæis statuenda est (12), qui parvo numero Arabiam tenebant, sive Madianitidis portionem. Iethro socer Moysis, & Hobab ejus filius, Cinæi appellantur (13), qui una cum tota familia, relictis patriis sedibus, Hebræis per desertum in terram promissionis tendentibus accedentes (14), tandem cum illis Chananitidem ingressi, sedes fixerunt ad situs occidentale maris Mortui, non longe ab Engaddi (15), in sorte Iuda; ac deinde successu temporis interiora Arabiæ penetrantes, Saulis ætate Amalecitis misti leguntur (16). Quare Saule expeditionem in Amalecitas suscepturo, sese ex illis recipere ab eo jussi sunt. Porro antequam in Chanaanitidem migrarent, ad litus Orientale, sive Meridionale Maris Mortui, in Madianitide sedes habuisse ex eo constat, quod Balaam in montibus Moab constitutus, subjectam oculis eorum regionem spectaret (17).

Nec invitus crediderim, *Cinæos* Hebræorum ipsissimos esse Græcorum *Troglodytas*, quo nomine significabant populos in speluncis sive locis subterraneis degentes. Moyses enim, sive Balaam apud illum (18), verso ad illos sermone, ait, *Robustum quidem est habitaculum tuum; sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quandiu potueris permanere? Assur enim capiet te*. S. Hieronymus describens populos Iudææ Meridionalis, instar Troglodytarum in specubus locisque subterraneis habitantes inducit (19). Paria legas apud Bellonium (20), nec aliud docet ipsa appellatio Cinæi, quam viros in nidis sese continentes.

Non est igitur, cur vehementer miremur, si una eademque gens variis subinde appellata nominibus deprehendatur, ut Cuschim, Madianitarum, Cinæorum, Salmonæorum. Postremum tamen nomen ubique illis a Chaldæo traditur. Alieni erant ab Israelitis genere, cum potius affines essent Chusch, sive Madian, vel etiam Chananæis, cum in populo recenseantur, quem hæreditatis traditurum se Abrahamo, Dominus pollicetur (21). Sephora uxor Moysis Chuschitis appellatur (22) & Jethro ejus pater Cinæus dicitur (23), tum & Sacerdos Madian (24). Non infrequentes erant Troglodytæ in litore maris Idumææ, maris Mortui, & in tota ferme Arabia Petræa. Cinæi, sedibus locisque carentes, hoc illuc vagabantur, modo sedem sibi eligentes in specu, modo sub tentorio, modo in nemoribus palmiferis. Heber Cinæus sub tentoriis habitabat in medio Chanaanitidis, cum Barac & Debora rerum potirentur (25). Post reductos e captivitate Hebræos, vicinism Jabes Galaad tenuisse illos, legimus (26). Paulo ante obsidionem Jerosolymæ, non longe ab Urbe habuisse tentoria, constat ex Jeremia XXXV. 10. 11. quare occupantibus omnia hostibus, ex agro in Urbem migrare coacti sunt. His omnibus documentis intelligimus, vagas fuisse populo sedes, illudque vitæ genus servasse, quod hodie Saraceni, sive Arabes Scenitæ, huc illucque, nullis Urbibus certisque sedibus discurrentes. Simili exemplo scimus, Hebræos

(1) 1. Par. 11. 55. (2) 1. Par. 11. 55. תרעתים שמעתים שוכתים (3) 1. Par. 1x. 27. xvi. 38. xxiii. 5. xxiv. 6. &c. 2. Par. viii. 14. xxii. 19. (4) 1. Reg. 1. 1. 111. 1. (5) Luc. 11. 36. (6) 1. Esdr. 11. 43. 58. vii. 7. 24. (7) De Eccles. ante Legem, l. 3. c. 16. pag. 472. & 473. (8) 4. Reg. 11. 12. (9) 4. Reg. xiii. 14. אבי אבי רכב ישראל ופרשיו (10) De Institut. Monach. c. 25. (11) Matth. xi. 19. (12) Ita Hebræi, D. Thom. Hugo, Lyran. Dion. Cornel. alii. (13) Judic. 1. 16. (14) Num. x. 29. (15) Judic. 1. 16. (16) 1. Reg. xv. 6. (17) Num. xxiv 21. (18) Num. xxiv. 21. (19) In Abdiam I. *Omnis Australis Regio Idumæorum, de Eleutheropoli usque Petram & Ailam, in specubus habitatiunculas habet, & propter nimios calores solis, subterraneis tuguriis utitur*. (20) Observat. lib. 2. cap. 61. (21) Genes. xv. 19. (22) Num. xv. 1. (23) Judic. 1. 16. (24) Exod. 111. 1. (25) Judic. iv. 11. &c. (26) 1. Par. 11. 55.

bræos toto quadraginta annorum ſpatio erraticam egiſſe vitam in deſerto, & Patriarchas in terra promiſſionis peregrinatos fuiſſe.

Genus igitur ducebant Cinæi ab Hobabo, ſive Jethro ſocero Moyſis; & poſt ingreſſum Iſraelitarum in Chanaanitidem, regionem circa Mare Mortuum plerumque tenuerunt. Ab Iſraelitis vero nulla potiori ratione diſtinguebantur, quam agreſtis vitæ genere, & Urbium ædiumque neglectu.

Ea ſedit nonnullis (1) ſententia, Hobabum ſive Jethro non patrem modo, ſed & authorem ac inſtitutorem Rechabitarum fuiſſe, quippe qui alio nomine etiam Rechab appellaretur; ac tandem Jonadab illum, ſub Jehu notum, inter poſteros ejuſdem, ſive ex Scripturæ phraſi, inter filios habendum. Addunt inſuper, veſtigia quædam inſtituti Rechabitarum ſpectari in Heber Cinæo, qui ædibus contemptis, ſub tentorio degebat, & facile abſtinebat vino, cum Jahel Siſaram ſolo lacte potaſſet. Plus aliquid audet Sanctius; namque Madianitas omnes, quorum portio erant Cinæi, & Jethro, Rechabiticæ vitæ genu ſecutos cenſet.

Duo Rechabitarum genera diſtinguenda cenſet Serarius loco citato, veteres nempe & novos. Veteres ex Iethro repetit, agreſte vitæ genus, ſine certis ſedibus & poſſeſſionibus ducentes, virtutum & religionis exercitationibus penitus addictos. Recentiores Patrem habuiſſe inſtitutoremque credit Ionadabum, e poſteris Iethro & filium Rechab, qui veteribus gentibus nova plurima adjicienda cenſuerit. Iuxta hanc hypotheſim Rechabitarum inſtitutum longius repetendum eſſet.

Sed communis ſententia docet, Ionadabum filium Rechab (2) primum fuiſſe authorem, qui vetuſti populi inſtitutis & abſtinentiam a vino, & ab exercitio colendi agri vacationem adjecit, ſpontaneos terræ gregumque fructus permittens (3): Vivebat Ionadab ſub Jehu Rege Iſraelis, quæ potiſſimum epocha ſtatuenda, unde Rechabitæ ducantur: *Jonadab, filius Rechab, pater noſter*, inquiunt illi, *præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii veſtri uſque in ſempiternum. Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini*: Hæc Rechabiticæ vitæ inſtituta, quæ unis illis peculiaria erant, nec cæteris Cinæorum familiis communia. Reliqui enim Cinæi erraticum vitæ genus ſine certis habitationibus agebant, ut de Nomadibus aliiſque pluribus earumdem regionum gentibus memoriæ proditum eſt.

Porro nemo dubitat, quin Ionadab vir eſſet ampliſſimus, & ſpectatæ virtutis, cum ingentis poſteritatis, & in toto Iſraele & Iuda florentiſſimæ in ſpiritu pater haberetur. Quo potiſſimum in loco ſedem haberet, incertum, cum erraticam vitam, non ſecus ac ejus ſectatores, ageret. Legimus (4) Iehu vindicem Dei in Domum Achab ſuſcitatum, Samariam veniſſe, ut in omnes Sacerdotes & Prophetas Baal ultore gladio animadverteret. Cum inter eundum, Ionadabum obviam haberet, virum ſalutavit, quæſivitque: *Numquid eſt cor tuum rectum; ſicut cor meum cum corde tuo;* ideſt, itane tu mihi, ſicut ego tibi devinctus ſum? *Et ait Jonadab: Eſt*. Tunc Iehu porrecta erga illum manu, in currum aſſumpſit, addens: *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino*. Utroque Samariam aſcendente, tota ſimul familia Achabi & Sacerdotes Baal cæſi ſunt.

Floruit inſtitutum illud ultra ſpatium CCC. annorum, aduſque captivitatem Babylonicam. Cum autem ſub Ioachimo Rege Iuda, poſtremo ejus anno Nabuchodonoſor arma duxiſſet in Ieroſolymam, tota late regionem tenentibus hoſtibus, Rechabitæ ſedem in Urbem tranſtulerunt, ſervato tamen priſtino more ſub papilionibus commorandi. Ejuſdem obſidionis tempore, Ieremias juſſu Domini diſcipulos Rechab conveniens (5), in Templi cellas, ubi vinum pro Sacrificiis ſervabatur, duxit; oblatoque illis vino, ad potum invitavit: cui illi: *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum. Obedivimus ergo voci ejus, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus noſtris nos, & mulieres noſtræ, & filiæ noſtræ. Cum autem aſcendiſſet Nabuchodonoſor ad terram noſtram, diximus: Venite & ingrediamur Jeruſalem a facie exercitus Chaldæorum; & a facie exercitus Syriæ manſimus in Jeruſalem.*

Tunc facto Domini verbo ad Ieremiam, ejus vocibus ita Propheta ad populos Iuda locutus eſt: Quouſque obfirmato in impietate animo mandatis Domini repugnatis? Anne plus valebunt apud poſteros mandata Ionadabi filii Rechab, vino abſtinere jubentis, cujus verbis morigeros ſe ad hoc uſque tempus præbuerunt, quam Domini ad vos, qui Prophetarum cæterorumque miniſtrorum verbis monuit, ut tandem relictis ſcelerum ſemitis, in rectam vos viam reducatis, abjectoque externorum Deorum cultu moribuſque, ſaniora denique conſilia recipiatis: nec tamen æquas his dictis aures adhuc præbuiſtis? Quare hæc Dei nomine, ait Propheta, vobis nuncio: Excutiam tandem in Iudam & Ieroſolymam flagellum, quod antea minatus ſum: *Vocavi enim illos, & non reſponderunt mihi*. Tum verſo ad Rechabitas ſermone ait: *Hæc dicit Dominus: Pro eo quod obediſtis præcepto Jonadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata ejus .... propterea non deficiet de vir ſtirpe Jonadab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*

Hujus oraculi ſenſum alii aliter explicant; ſunt enim, qui de munere judicandi, quod Rechabitis mandatum credunt, interpretentur (6); ſunt qui de perpetuo Nazaræatu, cui, tanquam vini abſtemios addictos volunt (7); ſunt etiam qui de munere canendi in Templo, juxta vim Vulgatæ (8). Communior tamen ſententia docet, Rechabitas deinde deſtinatos fuiſſe muneri janitorum ſub Levitis exercendo. Aptiſſimi inter cæteros huic miniſterio habebantur, cum & domibus carerent, nec ſub tecto, ſed ſub tentoriis jacerent. Opportune etiam vino abſtinebant, cujus uſu Sacerdotes, & Levitæ, cum in Domo Dei miniſteria obirent, interdicebantur. Porro Dei voluntas, Prophetæ ore manifeſtata, ſatis habebatur, ut Rechabitæ a Levitico genere alieni, tamen ſacro muneri addicerentur.

Nec diu quieti in novi muneris poſſeſſione manſerunt; nam capta Urbe, occiſoque Rege Ioachimo a Nabuchodonoſore, Iechonias loco Ioachimi in Regnum æque ac impietatem ſucceſſit; cujus proinde moribus poſt tres menſes & decem Regni dies, provocatus iterum Nabuchodonoſor, Urbe expugnata, ditiſſima Templi vaſa, una cum Rege omnibuſque Optimatibus, Babylonem tranſtulit; nonniſi colonis lixiſque in Urbe relictis. Inter captivos memorantur Mardochæus & Ezechiel; nec immunes facile relicti ſunt Rechabitę, quorum nomina legimus in fronte Pſalmi LX. inſcripti: *Filiorum Jonadab & priorum captivorum;* quibus facile verbis inſinuatur, deductos eſſe in captivitatem ante poſtremam Urbis Ieroſolymę everſionem populique captivitatem. Operę tamen pretium eſt animadvertere, hunc titulum legi qui-

(1) Arias Montan. in Judic. 1. Vide Sanct. ad Jerem. xxxv. n. 5. 6. 7. Serar. Trihæreſ. lib. 3. cap. 9. Mineryal. cap. 13. 14. 15. (2) 4. Reg. x. 15. (3) Jerem. xxxv. 6. 7. (4) 4. Reg. ix. 15 16. (5) Jerem. xxxv. 1. &c. (6) Dion. Carthuſ. in Jerem. xxxv. (7) Cornel. a Lapide ibid. (8) 1. Par. 11. 55. Vide Sanct. ibid.

quidem apud Septuaginta cæterasque ex illis expressas Versiones; desiderari vero in Hebræo, Chaldeo, & Syriaco. Aliter tamen primam hanc Rechabitarum captivitatem exponit S. Hieronymus ad Paulinum: *Hanc primam captivitatem*, ait, *sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem Urbe quasi carcere sint reclusi*; nempe cum regio hostilibus Assyriorum armis infestaretur.

At sive in prima, sive in extrema captivitate, illud extra controversiam positum est, Rechabitas easdem cum filiis Iuda vicissitudines expertos esse, tum amissa, tum recepta cum illis libertate, quemadmodum ex Paralipomenis (1) constat: *Cognationes quoque Scribarum, habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore* (Hebr. Chamath), *patris domus Rechab*. Restituti igitur in patriam, pristinum etiam munus jure postliminii obtinuisse videntur. Quid autem fuerit in caussa, cur sedes constituerent in Iabes, Urbe Galaaditidis trans Iordanem, incertum.

Jure etiam meritoque in dubium revocatur, utrum in Paralipomenis nomen Jabes Urbem designet. Author traditionum Hebraicarum in Paralipomena censet, nomen esse viri inter Cinæos clari, & Legis consultissimi, quemadmodum re ipsa vir quidam illustris ejusdem nominis occurrit (2). Maluerunt alii, Iabes cum Othoniele, præceptore & magistro Cinæorum sive Rechabitarum miscere (3).

Quæcumque demum ea res fuerit, post reditum e captivitate Babylonica nihil ulterius memoriæ proditum est de Rechabitis in Sacra Scriptura; & in aliis Libris rara admodum de illis. Ne verbum quidem est apud Josephum, quamquam non silet, quæ supra narravimus, de Iehu in suum currum assumente Ionadabum, secumque Samariam adducente. Hegesippus apud Eusebium (4) narrat, cum S. Iacobus ad supplicium raperetur, armatis in ejus necem Iudæis, Sacerdotem e genere Rechabitarum clamasse: *Quid facitis? Justus Deum rogat pro vobis*. Porro hic Sacerdos e filiis sive posteris Rechab fuisse legitur in Rufino æque & in omnibus Exemplaribus Græcis; sed in suspicionem id revocant Scaliger (5) aliique nonnulli; nec plane satis accuratum illud esse fateamur oportet, cum nec Leviticum, nec Sacerdotale munus Rechabitis permitteretur. Facile tamen designare potuit Hegesippus sacrum aliquod munus inferius, ceu ministri sive ostiarii Templi, quod ipse abusione quadam Sacerdotis nomine expressit, quasi illud universe de omnibus sacris muneribus usurparetur. Potuit etiam Sacerdos, quamvis genere a Rechabitis alienus, eorum tamen vitæ genus sectari: quemadmodum enim in nova Lege plures religiosę vitæ professionem sequuntur; ita plures Rechabiticam profitebantur in Veteri Testamento (6).

Putant nonnulli, *Assidæos*, de quibus Macchabæorum Libri (7), patres habuisse professionis suæ Rechabitas. Habemus tamen persuasum, Assidæos multo frequentiores fuisse, quam Rechabitas, cum ęque omnes religionem & pietatem sectantes, eodem illo nomine designarentur. Eo sensu sępe hec vox recurrit in Psalmis, & Paralipomenis. Quis autem dixerit, omnes religiosam piamque vitam exercentes, Rechabiticum vitę genus elegisse? Alii miscendos censent cum Essenis (8), Sed vitę genere & professione satis inter se utrique dissidebant. Essenii etenim agreste vitę genus secuti, serendis agris exercebantur (9); nihil possidentes proprium, omnia in commune conferebant: carebant insuper uxoribus & mancipiis, oblationes quidem, sed non sacrificia, offerebant in Templo; purioribus enim & sanctioribus ceremoniis delectabantur, quam Hebręorum reliqui. Sacra illi sua seorsum faciebant, curandoque censui, rebusque necessariis in singulos distribuendis certos habebant ministros destinatos. Non simul omnes in eodem loco, sed varie per plura loca dispersi habitabant, fratresque aliunde venientes provida charitate hospitio excipiebant. Hęc plane omnia a Rechabitarum moribus abhorrent; neque enim uxoribus & filiis carebant, at vicissim fundos agrosque non habebant; a cultu agrorum vacabant, Urbes fugiebant ędesque; nec seorsum illi & extra Templum sacris operabantur, cum potius servitiis Templi destinatos fuisse, supra animadverterimus. Vino abstinebant Rechabitę; nihil autem tale de Essenis apud Josephum legimus.

Quid Rechabitis acciderit post excisas res Iudaicas, eversamque a Romanis Urbem, in historia non legimus; sed Benjamin in suo Itinerario testatur, vidisse se in Theima florentissimam Rechabitarum posteritatem, vastissimę Regionis dominam. Sed huic Authori nihil pręter fidem deest; quare potuit facile plura affingere in sua de Rechabitis historia. Ita ferme rem describit (10).

„ Ex Pundebitha ad Euphratem, in Regionem „ *Seba*, hodie *Altman*, regioni *Sennaar* finitimam, „ veni. Inde unius diei supra viginti per desertum itinere, regionem Judæorum Rechabitarum tenui. Huic genti, cui alia appellatio *populi Thema*, quod eorum regionis caput *Thema* „ sit; Princeps nomine *Hanan* hac ætate præest. „ Urbs Theima amplitudine, & incolarum numero floret. Regio XX. dierum itinere intra montes Septemtrionales longitudine excurrens, munitissimis atque instructis Urbibus, nulli externo Principi obnoxiis, frequens est. Incolas crebræ excursiones tum in regiones finitimas, tum etiam in dissitas, adusque fœderatos sibi Arabes, exercent; est enim Arabum genus in Altman erraticam agens sub papilionibus vitam, „ finitimas regiones direptionibus infestans. Porro Judæi, de quibus modo, agros colunt, greges alunt; regio enim optimis pascuis abundat. „ Decimæ proventuum omnium in usus cedunt „ cum Discipulorum Sapientum, qui perpetuo prędicationi incumbunt, tum Pharisæorum, qui Sionis & Jerosolymæ casum deplorant. Nullus hisce viris, Pharisæis scilicet, vini carnisque usus, „ atratæ vestes, sedes nullæ nisi in cavernis, jejunia nonnisi Sabbato intermissa, preces assiduę, „ obtinendæ libertatis causa & regressus Israelis e „ captivitate.

„ Judæi omnes Theimæ & Thelimæ, C. millium hominum numero florentes, eadem precantur. Illis Salomon frater *Hanani*, de quo „ superius, præest; ambo autem illi Principes expansis tabulis genus suum a Davide referunt. „ Eorum vestes atratæ ut plurimum & tritæ; jejunia XL. dierum pro Judæis omnibus, qui in „ captivitate detinentur, apud illos instituta. Tota Regio XL. Urbibus, CC. vicis, C. arcibus „ frequens est; Metropolim habet Thenai; incolas vero Judæos tercenties millenos circiter. Urbem Thenai ambiunt instructissima mœnia, circuitu suo agrum cultus patientem, & frumento „ uberem, longitudinis & latitudinis XV. millium passuum continentia (idest, V. leucas diametro, & XV. ambitu dimetientia). Spectaculum sui præbent Ædes Principis Salomonis, „ amœ-

(1) 1. Par. II. 55. (2) 1. Par. IV. 9. 10. (3) Petrus Martyr in Judic. 1. Rodolphus Hospinian de orig. Monachatus c. 7. Vide Serarii Minerval. c. 21. (4) Hist. Eccle. l. 2. c. 23. Ἐκ τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ, υἱοῦ Ῥαχαβείμ, τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἰερεμίου τοῦ προφήτου. Vide notas Valesii in hunc locum. (5) Animad. & Euseb. in Elencho trihæres. c. 25. Cornelius a Lapide in Jerem. xxxv. (6) Theodoret. in Jerem. xxxv. ult. Hugo in eumd. loc. (7) 1. Macch. II. 42. VII. 17. 2. Macch. XIV. 6. (8) Ita ex Nilo & Suida Serarius lib. 3. trihæres. c. 9. (9) Joseph. Antiquit. lib. 18. c. 2. & de Bello lib. 2. c. 12. & Philo lib. quod omnis probus liber. (10) Itiner. pag. 75. 76.

" amœnissimis viretis jucundæ. Hæc Rechabitarum, si fides Itineraria Judeo habeatur, Regio."

Nuta est in Arabia urbs *Thema*, facile a Thema filio Ismaelis (1) condita; cujus meminere Job VI. 19. Isaias XXI. 14. & Jeremias XXV. 23. Nullo tamen argumento discimus, ea fuisse amplitudine, quam Benjamin describit, nec unquam auditum est, Rechabitarum sedem fuisse. Omnibus silentibus, uni Benjamino ejus rei fides esto. Plane tanta Urbs & Imperium non ita facile homines nostræ ætatis lateret. Facile arbitror, hanc Themæ regionem, viginti dierum itinere porrectam, Reges habentem potentissimos XL. Urbibus CC. vicis C. arcibus, & CCC. millibus Judæorum imperantem, non alibi commodius locandam, quam in spatiis imaginariis. Cur enim florens adeo regio omnium Historicorum, Geographorum, & itinerantium oculos fugit? Nisi forte malueris, hæc omnia simul post duodecimum sæculum subito evanuisse. Suspectam etiam reddunt fidem ejus Authoris ea, quæ ab illo narrantur de genere vitæ, vestibus, professione, jugibusque ejulatibus populi illius universi. Omnia nos in medio relinquentes, singulis credenda pro suo arbitrio permittimus: nos interim ambigui versabimur, donec nova documenta exhibeantur Rechabitarum, sive nostri, sive etiam sæculi duodecimi.

DISSERTATIO

DE SCHOLIS HEBRÆORUM.

NIl habuerunt antiquius populi optime instituti, quam ut inter potissimas Imperii curas, scholas juventuti instituendæ haberent. In scolis enim formantur Sacerdotes, Judices, Magistratus & Popoli: ibi Religionem discimus, Leges, Historiam, linguas, scientias, res Reipublicæ maxime, & vitæ apprime necessarias. Ea persuasione inducti sapientissimi quique Legislatores, & Principes, in id potissimum operam omnem contulerunt, ut constituerent primum scholas; jam constitutas tuerentur; nec modica illis cura, ut Academias crearent, doctos Præceptores accirent, etiam atque etiam Juvenum profectui consulturi. Parcimus hic afferre aliarum Nationum exempla, intra solos Hebræos hujus dissertationis limitibus constitutis. Perpetuam scholarum, & Prophetarum seriem a Moyse usque ad Iesum Christum demonstrabimus; flexaque deinde oratione, in examen revocabimus ea, quæ de scholis studiisque ejus gentis, post dispersionem illius sub Romanis, ad usque nostram ætatem, narrantur.

Illud commodi veteribus Hebræis præ cæteris Gentibus, ad scholas quod attinet, accedebat, quod Præceptores haberent cæteris merito, & dignitate superiores, Prophetas, inquam, & Sacerdotes Domini. Accedebat tota illorum studiorum ratio, in Lege Domini, & Oraculis versans. Apud alias Gentes summa habebatur ratio Philosophiæ, Astronomiæ, Geometriæ, Musices, Rethorices, & Poeseos; quæ omnia satis neglecta apud Hebræos jacebant. Summa illis & unica fuit Religionis cura, ex qua oriebatur summa illa in ritibus moribusque pristinis firmitas, & constantia, exactum in exercitio Legis studium, & summa instituendæ juventutis sollicitudo; nec reliquis omnibus inferior amor Patriæ (2). Abraham, Isaac, & Iacob, Viri Theodidacti, instituendæ familiæ suæ in cognitione & timore Dei curam susceperunt. Quorum institutis veluti per manus ad posteros transmissis, iisque vicissim alios docentibus, factum est, ut incorrupta sine scriptis traditio ad Moysem usque pervenerit; ad Moysem, inquam, qui ad tradendam literis Legem non sine Domini jussu se contulit. Vir Divinus toto vitæ suæ tempore interpretem egit Voluntatis Divinæ ad populum, quem vicissim sapientia sua, constantia, & studio morigerum semper Deo præbuit & obsequentem. Nunquam spectarunt homines Magistrum sive rerum scientia peritiorem, sive instituendis Discipulis majori cura, studioque adlaborantem. Nunquam toto vitæ suæ spatio cessavit a docendis, hortandis, corrigendis Populis, disciplinæ suæ & institutioni commissis.

Acciverat tamen in partem curarum, in iis, quæ ad instituendos populos spectant, Aaronem fratrem suum, quod peculiari phrasi insinuat S. Scriptura (3): *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. Aliam oneris sui partem credidit electis quibusdam viris, quibus cognoscendas dedit causas Israelitarum, se interim aliis majoris momenti laboribus occupato (4). Tandem in deserto Deus spiritus viri illius sapientissimi portionem transtulit in LXX. selectos viros (5), qui nunquam deinceps a munere prophetandi, instituendique populi cessarunt. Deus fidem suam veluti obligaverat, nunquam commissurum, ut selectæ sibi e cæteris genti deesset Prophetarum successio populo instituendo, donec eximius ille Propheta (6) appareret, a quo aberrantes filii ad pristinas Patrum semitas, & increduli ad fidem revocarentur (7). Constitit Divinorum hominum successio a Moyse adusque captivitatem Babylonicam, perpetua veluti atque continuata. Hanc Judæi claudunt in Esdra, & Nehemia, cæterisque eorum ætate, Sanhedrium, a quo formatus est Canon Scripturarum, constituentibus, sed Ecclesia Christiana inter Prophetas æque recenset Authores Librorum Macchabæorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici, omnes plane multo Esdra & Nehemia recentiores; legimusque pariter in Evangelio, sub ipsum ortus Jesu Christi tempus Spiritum prophetiæ non ita plane Israelem destituisse, ut suos non haberet Prophetas in Zacharia patre S. Joannis, S. Elisabetha, S. Joanne Baptista, Anna Prophetissa, Simeone Justo. Apud Josephum (8) celebratur etiam, tamquam prophetiæ dono insignis, Hircanus Summus Sacerdos, & vir alius, nomine Jesus, qui eversionem Urbis per Romanos diu ante prædixit (9).

Moysi fatis functo, in munere Prophetæ, nempe Doctoris & Magistri Israelitarum, Josue successit (10). Populum ille semper in officio, qua prodigiis, qua authoritate, qua probitatis exemplo, ita continuit ut nunquam obsequiis Regis Domini deessent. Paulo ante obitum in cœtu Populi initum antea fœdus cum Domino renovavit (11); tantumque sibi de populo suo spopondit, ut

(1) Gen. xxv. 15. (2) Joseph. contr. Appian. lib. 1. (3) Exod. vii. 1. (4) Exod. xviii. 25. (5) Num. xi. 25. (6) Deut. xviii. 15. (7) Luc. 1. 17. Malach. iv. 6. (8) De Bello lib. 1. c. 3. Antiq. lib. 13. cap. 18. (9) Idem l. 7. de bello 5. 12. (10) Eccles. xlvi. 1. Jesus Nave, successor Moysi in Prophetiis. (11) Jos. xxiv. 1. &c.

velut illum tentaturus proponeret: *Optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis. Ego autem*, adiecit, *& domus mea serviemus Domino*. Seniores illi, qui Moysem prius, deinde Josue audierant; integrum fidei & Religionis depositum sanctumque custodierunt (1). Sed illis fato concedentibus, sensim Populus corruptionem admittens, in contrarium licet adnitentibus Prophetis & Liberatoribus, variis temporum intervallis, a Domino excitatis, pejora semper de se timenda exhibebat. Donec excitatus a Domino Samuel, deploratis rebus prompta ope, constitutis nempe Scholis, sive cœtibus Prophetarum, quos inter vitam agebat, succurrit.

Ad illam maxime ætatem pertinent florentissimæ Academiæ, tot præstantissimorum Virorum & Prophetarum Seminaria. Ex his una spectabatur in Najoth Ramatha, cui Samuel præerat; altera sita erat in agro Jérichuntis, & in Bethel sub Elia, & Elisæo. Quin & frequentissimæ passim per totam Israelis ditionem occurrebant. Singulas singulis ejus regionis Urbibus fuisse, tradunt Rabbini; uti & suam fuisse peculiarem Eliæ in Monte Carmelo Ligfootus (2) autumavit. Nos vero eas tantum admittimus, quæ nullo ambigente in Scriptura expressæ sunt. Eo vero ad consulendum Dominum de Oraculis futurorum veniebant Judæi; veluti cum Saul Samuelem convenit de asinis Patris sui quæsiturus (3); in morbis etiam oracula quærebantur, quod exemplo Jeroboami de morbo filii sui consulentis (4), Ochoziæ in lapsu suo eadem præstantis (5), discimus. Conveniebant etiam Prophetas singulis diebus Sabbathi, & Neomeniarum, audiendi gratia; quemadmodum mulier hospita Elisæi Prophetam adivit (6). Aggeres se præstabant Prophetæ adversus idololatriam, ignorantiam, & licentiam; neque enim sive Regibus impiis, sive Populis corruptis indulgebant. Nec monstri loco habeatur, siquis Propheta gravissimis verbis, adjecto etiam minarum terrore, Principem in solio sedentem castigaret. Deducto etiam interdum e Cœlo igne, in homines impios & audaces animadverterunt. Fidem, authoritatemque loquentibus conciliabant mira & supra fidem prodigia; videbantur enim eorum imperio parere elementa, & ferocissimæ etiam belluæ dicto obsequentes subjici. Nequaquam tamen vel sanctissimæ vitæ authoritas, vel miraculorum virtus, seu vis eloquentiæ, & favor populi ab impiorum odiis Viros Prophetas in tuto posuit. Sæpe errare, fuga saluti suæ consulere, atque invidia potentium pressi effugium sibi in antris & in præruptis desertis quærere coacti sunt (7). Neque hæc satis; plerique supplicio vitam claudentes, sanguine suo veritatem confirmarunt.

En seriem amplissimam Doctorum, & illustrissimam, siqua unquam, scholæ successionem. E tantis certe Præceptoribus non potuit nisi integrum sanctumque doctrinæ depositum, a Deo ipso acceptum, tradi. Itaque frustra apud Hebræos quæras eam opinionum varietatem, quam passim apud cæteros populos offendes. Nullæ apud ipsos in Religione ambages, & dissensiones, quæ externos Doctores inter se committunt. Sermo idem omnibus, una omnibus sententia, quod omnes uno Spiritu docente instituti sint. Quæ eorum religionem in partes diviserunt Sectæ, diu post captivitatem invectæ sunt.

Nomina Phariseorum, Saduceorum, & Esseniorum primo post Macchabeos audiri cœperunt, cum scilicet multo quam antea rarior esset in Populo prophetia. Singulis hisce Sectis peculiares erant ab aliis distinctę scholę, & Discipuli, quam quam Divinę Providentię, rebus Hebraicis consulentis, cura factum est, ut ex eorum dissidio nihil incommodi sentirent, sive fidei unitas, sive Religionis consensus. Unum omnibus erat Templum, eædem Synagogæ, ritus item & Scripturæ; quemadmodum & fide sanctum erat utrisque, Messiam, Mediatorem, Prophetam, & Doctorem a Lege promissum, tenebras tandem omnes discussurum, atque spiritus animosque in unam fidem & sententiam conciliaturum. Omnibus eadem persuasio, atque expectatio sedebat, & in aliis discrepantes, in hoc denique conveniebant.

Alius traditionis & doctrinę fons apud Hebręos erant Sacerdotes, quos Moyses mandatis oneravit, ut Populum instruerent deducerentque, non in rebus tantum Religionis, sed etiam in politicis, optimaque reipublicæ administratione. Habebantur ipso jure tamquam Magistri & Judices Israelis: *Si difficile, & ambiguum apud te*, ait Moyses (8), *judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcumque dixerint, & docuerint te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreta Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel*.

In partem igitur Sacerdotibus obtigerat studium, doctrina Legis, judicia, & ministerium verbi (9), paratos semper esse consulentibus de quæstionibus Legis æque respondere. *Non enim peribit Lex a Sacerdote, neque consilium a Sapiente, neque sermo a Propheta* (10). Quare dignitate exauthoraturum se profitetur Deus Sacerdotem, qui scientiam negligat (11); & per Malachiam n. 7. commisisse se dicit illis depositum scientię, a quibus proinde Legem populus quæsiturus esset. Sacerdotes, ait Josephus (12), nunquam studio Legis, cæterisque scientiis vacandum sibi censent; illos enim Judices habent Hebræi, & si quid in Republica criminis committatur, castigatores. His igitur tantisque viris, sive Dei spiritu singulari afflatis, vel Sacerdotibus, viris amplissimis, & gravissimis in studio Legis, rebusque Divinis excultissimis, Præceptoribus & custodibus doctrinæ, Hebræos semper usos fuisse constat.

Locus docendo destinatus, Templum Domini habebatur; cum enim ex Legis prescripto ter singulis annis per maxime solemnes dies populi omnes eo convenire juberentur, ea occasione numquam Sacerdotes, & Prophetę nunciare Divinas jussiones, ac monere Populos cessabant. Evolvebantur insuper volumina Legis Domini, quæ deinde populo exponebantur (13), Prophetę etiam pro concione vitia, quæ forte in gentem obrepsissent, sive illa ad Idololatriam, sive ad alia quæcumque pertinerent, gravissimis verbis castigabant. Sacerdotum vero ædes, & aulę, quo Sacerdotes cogebantur, itemque aulę Templi, Senatui vocando destinatę, totidem erant Scholę, quas adire singulis fas erat, quoties ambiguum aliquid in Lege, ejusque exercitio occurreret. Quemadmodum enim supra etiam animadvertimus, nihil antiquius habebant Israelitę, quam ut Legibus ritibusque fere unice studerent. Creduntur scholas habuisse non in Templo solum & Jerosolymę, sed in singulis etiam Urbibus Levitarum.

Suas etiam seorsum positas scholas habebant Prophetę, velut Asceteria quædam, ubi una cogeban-

(1) Jos. xxiv. 31. (2) Centur. pag. 665. (3) 1. Reg. ix. 2. (4) 3. Reg. xiv. 2. 3.
(5) 4. Reg. 1. 2. 3. (6) 4. Reg. iv. 2. 3. (7) Hebr. xi. 37. &c. & 4. Reg. xix. 4. 5. & 3. Reg. xviii. 4. 13. (8) Deuter. xvii. 8. 9. 12. (9) Deuter. xxxiii. 9. 10. (10) Jerem. xviii.
(11) Osee iv. 6. (12) Contr. Appion. l. 2. (13) 1. Esdr. viii. 18.

gebantur filii, sive Discipuli Prophetarum. Celebratissimę pariter & frequentissimę sub Samuele primum, deinde sub Elia, & Eliseo commemorantur. In agro constitutę, viris frequentabantur vitam communem agentibus, & pauperem oppido & laboriosam; ita tamen ut simul quieti, contemplationi, & studio vacare possent; frugi enim illi, & modestissimi viri, paucis contenti, & inanibus curis vacui, post durioris vitę occupationes, tempus invenire vacandi spiritualibus exercitationibus norant. Eos proinde ultro consulebant populi, si quod in moribus, sive in Lege dubium emersisset; in his enim simul habebant exemplum vitę probe & optime institutę, simulque presentis consuetudinis normam, & pro futuris Oracula. Quare certissimi erant & absolutissimi Legis Interpretes; nihil enim in illis erat, quod optimam institutionem non spiraret; mores, professio, verba, Oracula, minæ.

Prophetarum Discipuli sive eodem atque illi prophetię dono excellebant, sive morum tantummodo & professionis tantorum Patrum erant imitatores. Neque enim prophetię scientia audiendis Pręceptoribus, quemadmodum cęterę artes, comparatur; sed Spiritus Sancti gratuitum est donum, pro arbitrio certis hominibus communicatum. Grotius (1) post Rabbinos contendit, raros fuisse Veteris Testamenti Prophetas, qui non serio & diutino physices & metaphysices studio antea se ad ad Prophetiam comparaverint; ut præter consuetum uni Amos accidisse videretur, qui nullis antea excultus Prophetarum Scholis, Propheta crearetur. Verum inania sunt hęc & absurda. Jeremias ex ipso matris utero ad munus Prophetę destinatus est; Eliseus nunquam sub Prophetis sese exercuerat. Quid David, quid Daniel, aliique multi?

His Prophetarum, quibus *Sanctus Spiritus* pręerat, Scholis successerunt Synagogæ. An illę ante captivitatem? Vix in animum inducimus, Regionem universam tanto temporis spatio absque Synagogis fuisse. Synagogæ loco haberi poterat domus Elisæi, quo Sunamitis & Religiosi viri singulis Neomeniis & Sabbatis conveniebant (2). Ex Psalmo LXXIII. 8. qui Levitarum est e classe Asaphi, & inducta jam captivitate scriptus, intelligimus, omnes regionis Synagogas in cinerem favillasque a Nabuchodonosore redactus fuisse. Judith insomnem noctem transegit in Aula, ubi cœtus cogebantur: *In Ecclesia* (3). Eadem loca Susis sub Esther & Mardochæo spectabantur (4). Judæi captivi Ezechielem audituri interdum conveniebant (5), & S. Jacobus (6), *Moyses*, ait, *a temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. His documentis Synagogarum vetustas in Israele asseritur.

Si forte alibi in Vulgata & apud Septuaginta nomen *Synagogæ* occurrat, id positum esse constat designando loco, in quo populi cœtus habebantur. Post solutam captivitatem, Synagogarum usus increbuit; quæ loca habebantur orationis, & cœtuum Religionis, ad Legis & cultus Dominici controversis definiendas. Legebantor ibi Sacræ Scripturæ, non sine interpretationibus; conciones habebantur, & catecheses ad populum. Tradunt Hebræi, Synagogarum numerum, labente Reipublicæ tempore, crevisse adeo, ut sola urbs Metropolis CCCXCIV. juxta aliquos, sive, ut alii malunt, quadringentas & sexaginta numeraret. Cujuscumque generis artifices suam habebant peculiarem; nec infrequentes erant Synagogæ advenis destinatæ (7). De Synagogis Jerosolymæ agit S. Lucas (8); aliarum vero, ibidem Alexandrinorum ære conditarum, meminit Talmud. Synagoga Libertinorum celebratur in Actis VI. 9. Præerant singulis Synagogis certi Judices, Patriarchæ, Præsides, Principes; aderant certi Apostoli, ac ministrorum alii, quos Angelos sive Missos appellabant. De *Archisynagogo*, Principe nempe Synagogæ, sermo est in Evangeliis (9).

Creditur Apostolus (10), Angelos hosce Synagogæ præ oculis habere, cum fœminas velatas esse jubet *propter Angelos*. Judices Synagogæ animadvertebant in eos, qui aperto aliquo crimine Legem Dei violassent, sive doctrinam sanam pravis documentis corrupissent. Illorum sententia lapidibus confectus est S. Stephanus (11), virgis cæsus S. Paulus (12). Diu disceptatum est nostra ætate de quibusdam Ministris, quos appellabant *Otiosos Synagogæ* (13); sed hæc a nostro argumento aliena præterimus. Putant Eruditorum nonnulli, Synagogas ipsas Scholarum usui fuisse; quamquam interdum junctæ etiam habebantur Scholæ Synagogis (14).

Docendi ordo & disciplina, in Synagoga potissimum servata, in Evangelio & Actis repetitur. Cum Jesus Christus in Synagogam Nazareth, patriæ suæ, pro more venisset (15), & ad legendum accessisset, oblatum Isaię Prophete Librum evolvit, aperuitque; post lectam Prophete sententiam, iterum convoluto Libro, aliquid locuturus assedit. S. Paulus in Synagogam Antiochię Pisidię veniens (16), absoluta lectione Legis & Prophetarum, jussus fuit una cum Barnaba a Principibus Synagogę, ut si quid haberet ad populi institutionem, loqueretur. Officiosę invitationi Apostolus obsequendum ratus, assurgens, porrectaque manu silentium indicens, Jesum Christum nunciavit. Solebant etiam in Synagogis disputationes institui, magna animorum contentione; quod contigisse sępe S. Paulo aliisque Apostolis, veritatem contra veterem populi persuasionem nunciantibus, exploratum habemus.

Docent Hebręi (17), moribus usurpatum fuisse usque ad Gamalielis ętatem, ut stantes Legem audirent; idest, ait Grotius (18), dum Textus legeretur, omnes, quemadmodum nos Evangelium, stantes audirent; sederent omnes, cum interpretatio succederet. Veniens in Synagogam Nazareth Jesus Christus, Textum quidem stando legit, deinde convoluto Libro & ministro restituto, assedit (19). S. Paulus (20) de se tradit, Legi studuisse ante pedes Gamalielis Doctoris; & Philone narrante scimus, in cœtibus Esseniorum adolescentes sedisse ante pedes Præceptoris, Legem interpretantis, & sensus allegoricos & figuratos, instar veterum Philosophorum, evolventis (21). Ambrosiaster (22) geminas discipulorum classes in Scholis Hebręorum distinguit: *Hæc traditio Synagogæ est, ut sedentes disputent, Seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas*. Hactenus de veteri disciplina Scholarum, & facile etiam Synagogarum.

Primum in subselliis locum tenebat Princeps Synagogę sive Academię, facta circum auditorum corona, quo commodius singuli docentem audirent. Nec, Discipulis in pavimento sedentibus, Doctor in cathedra sedebat, inquit Talmud (23); simul enim omnes, sive cathedris, sive pavimento assi-

(1) In Sap. VII. 27. (2) 4. Reg. IV. 23. (3) Judith VI. 21. 22. (4) Esther IV. 16. (5) Ezech. XXXIII. 21. (6) Act. XV. 21. (7) Fr. Burman. Dissert. pag. 257. Vitringa de Synagog. Vet. l. 1. p. 2. c. 10. (8) Act. XXIV. 12. (9) Matth. XXII. 35. 36. Luc. XIII. 14. (10) 1. Cor. XI. 10. (11) Act. VII. 57. (12) 2. Cor. XI. 24. Vide & Matt. X. 17. *In Synagogis suis flagellabunt vos* & XXIII. 34. (13) Vide Ligfootum, Vitringam, & Basnage histoire des Juifs liv. 9. chap. 26. (14) Vitringa, de Synag. Judaic. lib. 1. p. 1. c. 3. (15) Luc. IV. 12. &c. (16) Act. XIII. 14. &c. (17) Talmud. tit. Megillah. (18) In Acta XXII. 3. (19) Luc. IV. 16. 20. (20) Act. XXII. 3. (21) Philo lib. quod omnis probus liber. (22) In 1. Cor. XIV. (23) Talmud. Thora c. 4 §. 2.

debant. Receptum tamen pristinis moribus fuerat, ut assidentem Doctorem stantes auditores audirent, addunt iidem Talmudistæ. Alter obtinuit usus, etiam ante eversum per Romanos Templum, Doctore æque & auditoribus eumdem, quem supra diximus, sedendi morem servantibus. Docebat autem Doctor sive per se, sive per Interpretem (s): cum per Interpretem, Hebraice loquebatur, dictis ejus ab Interprete vernaculo auditoribus sermone expositis; ac vicissim, si quid sciscitarentur auditores a Doctore, Interpres Rabbino exponebat, a quo deinde commissa responsa ferebantur.

Auctis in immensum Discipulis, & Doctoribus, variæ demum sententiæ ortæ sunt; quæ deinde opinionum discrepantia Academias, sive peculiares scholas invenit. Mirabantur Judei, qui potuisset Christus, nullo Doctore audito, tantum eloquio tantaque exponendi Scripturas facilitate pollere (a). S. Paulus e Tharso patria sua Ierosolymam, urbem tum temporis sapientissimorum Doctorum Scribarumque fama celebrem, studiorum causa missus est.

Author est S. Hieroaymus (3) paucis ante natum Christum annis duos celeberrimos Rabbinos, *Sammai* & *Hillel*, florentissimas æque ac celeberrimas Scholas instituisse, e quibus Sectæ Scribarum & Phariseorum inter Judæos origines duxerunt. Illos excepit *Akiba*, quem, inquiunt, Aquila Proselytus audivit; tertius ordine successit Meir; quartus, Iohanam filius Zachai; quintus, Eliezer; deinde ordine Delphon, Ioseph Galilæus, ac tandem Josue, qui ad captivitatem usque Scholam moderatus est. Hanc successionem Doctorum suorum digerebant Judæi, S. Hieronymi ætate. *Deuteroses*, vel *Misnam* accepto referebant *Sammai* & *Hilleli*. Sed nostræ ætatis Judeis alia sedet traditio. Quæ vero narrat S. Hieronymus de origine Pharisæorum, hæc minus accurata ex veritate dicuntur; nam multo vetustiores fuisse Pharisæos, ipsis saltem Macchabeis pares, in Dissertatione de Sectis Judæorum adductis argumentis demonstrabimus.

Post eversam Urbem totius gentis Metropolim, Academia literarum in Japhne (4), urbe Palæstinæ, postea *Ivelin* (5), constituta est. Urbs hæc facile miscenda est cum *Japha*, cujus incolæ *Japheni*; quam totius Galilææ florentissimam, & incolarum frequentia atque amplitudine, ac tandem munitione, Josephus (6) describit. Aberat non longe ab *Jotapata*; quo tamen situ, incertum. Suspicantur nonnulli, Gamalielem præceptorem S. Pauli in eadem Academia Sacras literas docuisse.

Celebratur, uti ferunt (7), eodem tempore altera Academia *Lyddæ* sive *Diaspoli*, quæ urbs erat Ephraimitica, x. sive viii. leucis a Jerosolyma, Septemtrionem versus. Akiba, ejusdem Academiæ doctor, laudatur, cui Gamaliel successit, relicta cathedra Japhnes, quam ipse Akiba obtinuit. Fatis functo Gamaliele, successit *Tarphon*. Sed quæ maxime ea ætate florebat Academia, sita erat Tiberiade ad mare Genesareth, sive ad lacum Tiberiadis. Doctorum ejusdem Academiæ fama, quos hodie usque Judæi maxime colunt, frequentissimos undique discipulos eo acciverat, adeo ut scholæ Japhnes & Lyddæ, circa Tiberiadem positæ, manerent auditoribus ferme destitutę. Hanc Scholam moderabatur Judas Sanctus, discipulus Meir inter posteros clarissimi Hillel Senioris, Hunc excepit Chanina, illum Jochanan, Doctorum Tiberiadis postremus,

Misnam, & Talmud Jerosolymitanum ejusdem Academiæ Doctoribus tribuunt; nec alibi a Massoretis puncta vocalia Textus Hebraici inventa ducunt; cum ad eam usque ætatem in Hebręorum Libris vocalia puncta desiderarentur. Sed postremum hoc in dubium a doctissimis Viris revocatur; quorum argumenta rem extra controversiam adeo posuisse videntur, ut vocalia puncta multo recentius esse inventum fateri cogamur.

Quod ad *Misnam* attinet, hanc Patres sub nomine *Deuteroseas*, sive secundæ Legis noverunt. Eusebius in Isa. c. 22. vitio vertit Judęis, quod vanis Deuteroseos suæ expositionibus genuinum Scripturę sensum corrumpant. Quatuor Deuteroseon genera a Judęis laudari S Epiphanius Heres. 33. n. 9. est author; nimirum quæ Moysis nomine inscribitur; alteram, quæ Akibę; tertiam, quæ Addæ, sive Judę; ac tandem postremam, quæ liberis Assamonęorum, sive Maccabęorum, tribuitur. Quæ hodie extat Misna, utrum eadem sit cum illis, sive omnes contineat, non facile definimus, assensu tamen omnium Ecclesiæ Patrum certum tenemus, totum fabulis consertum esse opus, & nullam in Ecclesia authoritatem unquam obtinuisse. Nec latuerunt S. Hieronymum Deuteroses, a quo sępius quidem, sed nunquam sine contemptu producuntur. Illas enim tamquam perpetuam fabellarum anilium & rerum turpissimarum collectionem suggillat, additque, potissimos tam eximii operis Authores laudari ab Hebręis *Bar-Akibam*, *Simeonem*, & *Hellem* (8). Porro *Bar-Akiba* avus erat sive pater clarissimi Akibę; *Simeon* facile miscendus cum *Sammai*, & *Helles* cum Hillel, clari nominis Rabbino.

Judas sanctus, post productam aliquo tempore in Academia Tiberiadis moram, Sephorim recepit sese, Urbem Josephi ætatę munitissimam, & Metropolim totius Galilęę habitam (9). Sita erat ad Septemtrionem Tiberiadis, & ad Occidentem maris Genesareth. Clarissimi Doctoris fama frequentissimos Discipulos eo acciverat, ibidemque post xvii. annorum moram diem clausit. Hactenus de precipuis universę Palęstinę scholis.

Dum vero negotium hæc omnia conciliandi cum genuina Judęorum historia suscipitur, saliva non raro conantibus hęret. Scimus enim, referente Josepho, Urbes omnes Galilææ, ac potissimum Japham, Sephoram, & Tiberiadem, Romanorum armis eversas jacuisse, non in primo solum regionis excidio sub Vespasiano, & Tito, sed & in altera sub Adriano, ut Judęis ne venire quidem in regionem, usque ad quartum Ecclesię sęculum, impune esset (10), S. Hieronymus (11), ejusdem sæculi scriptor, raros fuisse eruditos inter Judæos animadvertit. *Diceren quid ab Hebræorum Magistris vix uno, & altero acceperim; quarum & apud ipsas jam rara avis est, dum omnes deliciis student, & pecuniis.* Insuper quo traditionem suam fulciant Judęi, Doctorum suorum vitam diu adeo prorogant, ut eo maxime documento demonstrent, nil se historię fide certum tenere, sed omnia apud illos fabulis, vel saltem anachronismis misceri. Vide Exercitationes P. Morini (12). Academię Palęstinę, ne Judęis quidem refragantibus, dimidium tertii Ecclesię sęculi non superaverunt.

Post absolutum Talmudis Jerosolymitani Opus, toto spatio CLXXXVII. vel saltem CL. annorum, nullum peculiare historię monumentum Hebręis superest (13); & post obitum Doctorum Palęstinę, de quibus supra, circa dimidium tertii sęculi, altum adeo est de ea regione silentium, quasi nullos

[1] Ibid. c. 4. §. 5. [2] Jo. VII. 15. [3] In Isa. cap. VIII. lib. 3. [4] Vide Morin Exercit. Bibl. lib. 2. exercit. 2. c. 3. n. 2. &c. [5] Benjamin. Tudeleas. iter. [6] De bello lib. 3. c. 21. & De vita sua. [7] Vide Basnage, histoire des Juifs liv. 7. chap. 7. [8] Hier. epist. ad Algas. q. 9. 10. & in Is. c. VIII. & Eccles. VII. [9] De bello lib. 3. c. 3. & lib. 2. cap. 57. Antiq. l. 17. c. 12. & 18. cap. 3. [10] Euseb. in Is. Hieron. in Sophon. I. & in Isa. 51. [11] In Ose. 1. Præfat. [12] Morin. Exercitat. lib. 2. Exercitat. 2. cap. 1. & 3. [13] Morin. tom. 2. Exercit. Bibl. Exerc. 2. c. 1. n. 1. 8. & 10. & Basnage histoire des Juifs liv. 9. chap. 3. n. 3. &c.

nullos unquam Judæos incolas habuerit; idque animadvertisse operæ pretium est, ut inconstantia in traditione scholarum Judaicarum intelligatur. His igitur Academiis Palæstinis destituti Judæi, novas quærunt trans Euphratem in urbibus Sora, Pundebita, Nahardea, Machuza, Perutz, Schibbur, quarum pleræque in Babylonia, & ad Euphratem sitæ sunt: quo tamen potissimum loco, viros etiam doctissimos latet, ut post serium rei examen, nihil se certi tradere potuisse affirmarint Bochartus, Vansilius, & post ipsos Cellarius (1); sed per nos habeant licet Judæi istas Babyloniæ Academias, quarum epocham constituunt circa annum Christi ccxx. Authores vero illarum laudant RR. Rab, & Samuelem, Discipulos Judæ sancti; occupasse autem narrant dccc. annorum intervallum usque ad annum Christi mxxx., cum scilicet Saracenis totam Babyloniam & Persidem jure armorum subjicientibus, scientiæ omnes exulare coactæ sunt.

E Scholarum trans Euphratem ruderibus institutæ sunt Academiæ Ægypti, & Europæ, Hispaniarum potissimum, quo Judæi fugientes se contulerunt. Clarissimi quique Rabbinorum, quorum hodie scripta supersunt, post ætatem illam floruerunt, uti R. Nathan, Princeps Academiæ Romanæ, sæculo duodecimo ineunte, qui post expositas omnes Talmudis voces, obiit Romæ anno MCVI. Abenezra, defunctus Rhodi anno MCLXXIV. Astronomiam, Medicinam, & Grammaticam callebat, & inter cæteros optime literalem Scripturæ sensum assequutus est. Eodem sæculo floruit Moyses Maimonis filius, sive Maimonides, natus Cordubæ anno MCXXXI. sive MCXXXIII. e Patre, ut ipse quidem Pater jactitabat, Davidici generis: audivit Averroem, cujus viri fama longe lateque per Hispanias ferebatur: in Ægyptum deinde sese recipiens, reliquum vitæ spatium ibidem confecit, quamobrem deinde appellatus est Moyses Ægyptius. Scientia, & peritia artis medicæ plurimum claruit; quamquam meritam illam scientiæ laudem plurimum vitiavit suspicione cultæ, saltem secreto, Mahomethanicæ Religionis. Nihil sane incommodum ex pluribus ejus sententiis Idololatriæ accidit (2). Novam Alexandriæ Academiam condidit, tanti Doctoris fama florentissimam; callebat, uti quidem ferunt, non Hebraicam modo, verum etiam Græcam & Arabicam linguam. Obiit circa annum Christi MCCV. sive MCCVIII.

R. Salomon, filius Isaaci, cognomento *Raschi*, quod e literarum proprii & paterni nominis complexu formatum est; dictus etiam *Jarchi*, quod scilicet, inquiunt, oriundus esset Lunello in Provincia; quamquam alii virum accersunt ex Augustobona Tricassiorum; floruit eodem sæculo duodecimo, coævus proinde Maimonidæ, & Kimchi, alteri clari nominis Rabbino, de quo infra. Porro Raschi varia Italiæ, Græciæ, & Palæstinæ loca lustravit; tandem in Ægyptum se conferens, Cl. Moysem filium Maimonidæ invisit. In Scripturam, variosque Talmudis Tractatus laboravit; diem clausit Treviris annis natus LXXV. anno MCLXXX. cujus deinde corpus Pragam translatum est. Linguarum cognitione excultus, peritissimus insuper medicinæ, & Astronomiæ habebatur. Aliquo temporis spatio Synagogam Montis Pessulani moderatus est; discipulos habuit RR. Davidem, & Jonam, qui una cum Magistro, doctrinam Maimonidæ insectati sunt. Nam & scripta hujus Doctoris flammis tradiderunt, & anathemati devotos pronunciarunt, quicumque eorum lectione delectarentur. Partes Maimonidæ strenue defenderunt RR Narbonenses, sub signis Cl. Kimchi, una cum plerisque Rabbinis Hispanis pugnantes. Literalis illa concertatio toto spatio annorum xl. duravit; tandem Maimonidæ victoria adjudicata est.

David Kimchi, cujus mox meminimus, patrem habuit Josephum Kimchi Hispanum, iniquissimum Christianorum adversarium. Natus est Narbone, urbe ea ætate Hispanis Regibus subdita, ut simul unus idemque Kimchi & ad Gallos spectaret, & ad Hispanos. Plurimos in Scripturam Commentarios elucubravit, quorum summa laus in sensu literali est. Vir iste doctissimus longe literaturæ fama superavit & patrem Josephum, & fratrem Moysem, quamquam ambo operibus quibusdam scriptis claruerunt. Ad ejus nomen Judæi festive alludentes, sonat enim pistrinarium, sive farina plenum, proverbio vulgaverunt, *nihil esse farinæ sine pistrinario*, idest, scientiæ legis sine Kimchi. Laudatur elogio Principis Grammaticorum, & Interpretum, floruit autem ab anno MCC. usque ad MCCL. circiter.

Non defuerunt tandem eo sæculo apud Judæos Viri in singulis facultatibus doctissimi; in Grammatica enim excelluit Kimchi; Poeseos laude celebrabantur Judas Alcharizi, Hallevi, Joseph Haddaisn Cordubensis: inter Astronomos clarissimum erat Abrahami Chiia, Abrahami Nasi, & Abenezræ nomen. Apud Gallos, Isaacus senior eo maxime titulo insignis, quod lx. discipulos ita in studio Gemarræ formaverit, ut parati essent de singulis argumentis in utramque partem disputare. Nec minori nominis celebritate claruit proximo sæculo, ex ejus discipulis, Judas Parisiensis. Insignes etiam Cabalistæ & Caraitæ apud illos claruerunt; nam præter insignem R. Salomonem Jarchi, habuit Gallia R. Gersonem, quem alii natum Moguntiæ ferunt: certior tamen sententia illum in Gallia produisse tradit. Opus vulgavit in Gallia *de Constitutionibus*, quod Judæis appellatur *Lumen captivitatis Gallicæ*. Adornata ab illo Legum Collectio non nisi post dimidium sæculi xiii. recepta est, cum ipse sæculo xi. floreret; obiit enim, sive juxta nonnullos, anno MXXVIII. sive juxta alios, xl. annis serius.

Inter ejus Discipulos eminebat Jacob Filius Iekar, insignis Musicus, nec minus celebris in definiendo, quid in singulis rerum eventibus homini Hebræo agendum esset. Judas *Albarcellonita*, sive Doctor Barchinone, sub R. Gersone profecit, una cum Moyse *Hardarsctan*, sive Concionatore. Natus est Narbone, quo vel invexit, vel restituit neglectum hactenus conciones in Synagogis habendi morem. Porro studia in Galliis & Hispaniis vices Judæorum in illis regionibus secuta sunt; quietis enim illis literæ floruerunt; rebus Judæorum turbatis, jacuerunt.

Serius in Germaniam recepti sunt Judæi, vel saltem Academiarum in ea regione epocha recentior est, quam in Galliis, & Hispaniis; vicissim tamen diutius substiterunt, minoribusque vicibus turbatæ sunt, & jam inde a seculo xiii. celebres in ea regione RR. florebant. Una urbs Germesheim geminos produxit, Baruchum & Elieaerum de Germesheim sive de Germesimam: qui postremus sub Moyse filio Nachman Cabalam edoctus, diem clausit anno MCCLX. annis xxx. natus. Isaac Viennensis Lucubrationibus quibusdam in Scripturam claruit. Potissimum tamen occupabatur in describendis Libris ad usum Synagogarum regionis suæ, quo emendatiores redderentur. Vixisse dicitur circa annum MCCXLII. & inter Discipulos habuit Meirum Rotemburgensem, qui Præceptore suo longe sapientior, Judex tandem & Doctor regionis suæ renunciatus est. Adulphus Nassoviensis, Imperator, seu potius, Albertus Austriacus, Filius Rodulphi, virum in carcerem conjecit anno MCCXCIX. Vadem se dederat R. Hasser Hamburgensis pro Præceptore; sed cum imperatam pecuniæ summam nunquam comparare potuisset, Meir in carcere vitam absolvit, anno MCCCV. & Hasser recipere se in Hispanias coactus est. Circa ea tempora anno MCCXLII. in

(1) Geograph. antiq. l. 3. c. 16.

(2) Vide Basnage histoire des Juifs tom. 7. liv. 10. chap. 2. n. 7. &c.

Diœcesi Moguntina clarebat R. Ammon, quem Iudei Martyrem venerantur, omnibus enim pedum manumque digitis amputatis, Archiepiscopi Moguntini jussu, post sevum supplicium toleratum, in Cœlum coram universa Synagoga raptum fuisse ajunt.

Seculis xvi. & xvii. Rabbinos aliquot doctrina celebres Italia spectavit; quos enim Daniel Bombergius, Typographus Venetus, immensos erogabat sumptus in impressione Bibliorum Hebraicorum, tum & Rabbinicorum Operum, iis undique Rabbinos accivit. Narrant, amplius centenos ejusdem Typographi impensis conductos, ut specimina edendi Operis emendarent, & novas insuper Lucubrationes in usum Iudæorum ederent. R. David Ganz, Author Libri inscripti *Germen David*, impressi ejus cura anno MDLXXXVII. eodem tempore in Italia florebat. R. Zimcha, alio nomine Simeon Luzzi, vulgavit Venetiis Socratem suum anno MDCXXXVIII. Venetiis etiam sedem habebat Samuel Nachimias, Thessalonica licet oriundus. Soncinum, Urbs licet ignobilis, plurimum tamen celebratur editione operum Rabbinicorum, curantibus Iudæis, Spira egressis anno MCDXC. Erat Iudæis Synagoga Foro-Cornelii constituta, quam Urbem patriam habuit Gedila vir clarissimus e Lusitania oriundus, natus anno MD ex avo Academiæ & Synagogæ Neapolitanæ Principe, quo tempore Carolus V. Iudeos omnes ex ea Urbe expulit anno MDXXXIX. Synagogæ Mutinensi præerat R. Samuel, qui anno MDL. Iudicium Salomonis vulgavit, quo Libro jus canonicum Iudæorum universum complexus est. Academiæ Patavinæ anno MDLVIII. præerat R. Meir; eamdemque insigniter commendarunt doctrinę fama celebres, circa ea tempora, Ioseph Patavinus, & Isaac Phea.

Synagoga & Academia Mantuana diuturna eruditionis fama celebrantur. Leo Mantuanus, & Kolon seculo xv. illi prefuerunt; cum tamen in partes Hebræos distraherent, Ducis Mantuani jussu, solum vertere coacti sunt. Excepit illos Moyses Senior, vir eruditione insignis. Tandem ne in afferendis singulis Doctorum nominibus nimii videamur, illud universe statuendum est, non defuisse judeis Doctores Europęos, a seculis x. & xii. qui Eruditorum omnium assensu, judicii ac doctrinę soliditate Orientales longe superarunt. Quamquam, ut vera fateamur, multo illi & doctrina & soliditate ingenii inferiores sunt, quam exposcat Scriptorum de rebus prælertim Religionis agentium ratio.

Digessimus constantem traditionem & successionem Scholarum & Academiarum apud Judæos, ad nostram usque ætatem deductam. Dispescunt autem illi seriem Doctorum suorum in novem classe (1). Primam tenent Moyses, Josue, Eleazar, ac Septuaginta illi Seniores, quos Dominus spiritu suo instruxit. Succedit altera e Senioribus constans, qui ex ipso Moyse, Josue, & Eleazaro Legem Domini audierant; iisdemque adjunguntur Judices xii. ab Othoniele ad *Heli*. Tertiam habent Prophetæ, traditionem per manus Patrum derivatam tenentes. Horum series a Samuele ducta, & in Ezechielem desinens, Prophetas omnes complectitur a Samuele usque ad captivitatem Babylonicam. Quartam constituunt magnæ Synagogæ Patres, Aggæus, Zacharias, Malachias, Zorobabel, Mardochæus, Esdra, Jesus filius Josedech, Saraias, aliique plures cxx. numero. Horum plerisque ætatem usque ad Alexandri magni tempora Judæi prorogant.

Quæ proxime succedit classis, ad *Sapientes Misnæ*, seu viros, quorum est in Misna sermo, spectat. Solent eos viros appellare *Thanaim* sive Traditionum sectatores, quorum ætatem definiunt ab Alexandro Magno usque ad Judam Sanctum, Principem Academiæ Tiberiadis, qui Misnam digessit cxx. annis circiter post eversionem Urbis per Romanos. Doctores loquentes, quos vocant *Amoraim*, nempe textus Misnæ interpretes, e quibus totum corpus Talmudis Jerosolymitani & Babylonici constat, ad sextam classem referuntur, totum temporis spatium occupantes ab obitu Judæ Sancti usque ad absolutum Talmud. Sed hujus confecti Operis epocha incerta est. Susceptum creditur Talmud Jerosolymitanum paulo post obitum Judæ; Babylonicum vero nonnisi c. annis serius digestum. Horum finem alii componunt cum tertio sæculo Ecclesiæ, alii cum quarto, alii cum quinto. Pater Morinus nonnisi ante exitum octavi sæculi elucubratum defendit.

Hos Doctores Misnæ Interpretes excipiunt *Seboraim*, idest, Doctores dubii, sive incerti; quorum etiam incerta est epocha ob Persarum Regis, uti quidem ferunt (2), persecutionem. Post obitum Judæ Sancti, Scholæ & scientię, uti supra animadvertimus, trans Euphratem circa dimidium tertii sæculi migrarunt. Octava classis Sapientum est *Geonim*, vel excellentium; quo titulo se distinxerunt Doctores Babylonii, agentes Soræ, Pundebitæ, Nabardææ, & alibi, usque ad annum MXXXVII. Ultimam denique classem habent vulgares Rabbini, apud Judæos adhuc agentes iis in locis, ubi Religionis suæ liberum exercitium obtinent. Porro tota horum Rabbinorum gens in tres sectas distinguitur, in Rabbanistas, Cabalistas, & Caraitas, quorum singulis peculiaris est agendi ratio. Rabbanistæ inhærent traditionibus & interpretationibus, atque contendunt, traditiones omnes in Talmude narratas a Moyse in monte Sinai instructo derivatas profluxisse, non secus ac Legis doctrinam; quamobrem eodem authoritatis gradu, quo Legem ipsam, illas collocant. Cabalistæ latentis & mysticæ scientiæ arcanum custodiunt, quod sub verbis quibusdam, verborum lusibus, supputationibus, atque ad arbitrium excogitatis literarum similium affinitatibus compendiisque, sibi traditum ac reseratum esse affirmant. Caraitæ literam Legis scriptæ præ ceteris tenent; traditiones vero non indiscriminatim omnes admittunt rejiciuntve; quare inter Doctores Synagogæ, docilitate & judicio præstant.

Tres priores Doctorum classes, a Moyse usque ad captivitatem Babylonicam, certum successionis gradum, ut & doctrinæ, siqua unquam est, infallibilis traditionem constituunt; universa enim ejus authoritas non ex alio petitur, quam e Spiritu Sancto, Doctores ejus successionis singulos afflante. Quamvis enim prona in fabulas Rabbinorum indoles tenebris quibusdam asperserit successionem Patrum magnæ Synagogæ; veri tamen genuinæ traditionis radii internitent, cum ad eam usque ætatem Israel vera esset Ecclesia, nec specialis Sancti Spiritus Providentia ejusdem Ecclesiæ Optimates penitus destituisset.

Verum post Jesum Christum, Urbemque Metropolim a Romanis eversam, passim tenebræ, fabulæ, & doli Historiam Hebræorum invaserunt, ex quibus alta rerum ignoratio in eorum Scholas, in mentes caligo profluxit. Lumine enim Sancti Spiritus destituti, plena etiam in luce cæcutire coguntur, & spectra quædam sectantes, veritati, quamquam ultro & ubique se eorum manibus offerenti, terga vertunt. Sive enim quis Libros spectaverit, quorum illi auctoritatem, post Scripturas, suscipiunt, ceu Misnam, Gemariam, Talmudes, Targumim, sive Commentaria in eosdem Libros ab illis scripta, sive Historias, vel interpretationes Scripturarum, sive scriptas de Dogmatibus controversias, infarcta omnia nugis, & plusquam puerilibus fabellis deprehendet. Undique

[1] Vide Morin. Exercit. Bibl. lib. 2. Exerc. 2. cap. 1. cap. 2. num. 12.

[2] Vide Basnage histoire des Juifs liv. 10.

que sese lectoribus offerunt argumenta gentis pervicacissimæ, quæ eximiorum suorum morito stolidæ mentis ludibriis relicta est.

Prima corrumpendæ doctrinæ atque minuendæ Hebraicarum scholarum gloriæ origo ex insita genti in errorem pervicacia ducenda est. Postquam enim in tantam proruptis audaciam, ut Jesum Christum repellerent, ipsa vicissim a Deo & veritate repulsam tulit. Alter exinde corruptionis fons erupit, defectus nempe infallibilis, Divinæ, certissimæque authoritatis, quæ sententias moderetur; cæcumque obsequium erga homines omnium ignarissimos, suaque ipsorum superbia excæcatos. Ex quo nempe cedere S. Spiritum doctrinę hominum coegerunt, divinis traditionibus substituerunt humanas, & privatorum doctorum opiniones authoritati veterum Prophetarum ejusdemque Moysis prępofuerunt; dissidium, error, pervicacia & ignorancia illos undique invasit. At Ecclesia Catholica, contrariam plane rationem sequens, fidei depositum sanctu servavit, ac Doctrinę unitatem & veritatem in omnibus studiis dogmatibusque asseruit.

DISSERTATIO
DE RE VESTIARIA HEBRÆORUM.

DUo potissimum vestium genera apud veteres Hebræos spectantur; כתנת tunica nempe, & מעיל pallium; quarum illam subuculę loco habebant, pallio pro extima veste utebantur. Nec alia erat familiaris vestium ratio apud Ægyptios, Persas, Babylonios, Gręcos; & Orientales plerosque, mares ęque & fœminas. Quamquam muliebres vestes, ac maxime pallium, alterius erant a virilibus formę; & cum raro fœminę pallio uterentur, idcirco ab Herodoto lib. 2. c. 36. assertum legimus, Ægyptias fœminas unica tantum veste usas, cum viri duplicem haberent.

Tunica simul & pallium vestes illas componebant, quas Scriptura par vestium seu *mutatoria vestium*, integram nempe absolutamque vestem, appellat. Ita Naamanum dono obtulisse Eliseo legimus 4. Reg. v. 5. *decem mutatoria vestium*, nempe decem tunicas cum pari numero palliorum. Cum vero non idem, ac nostrorum temporum, usus per eam ętatem obtineret, ut vestes forfice componerentur & acu, neque toties mutarent vestiendi mores, plures in usum paratas vestes, seu munera alii tradenda, divites in suis vestiariis servabant. Nostra etiam ętate apud Turcas obtinet, ut Legati Principum, cum abeundi facultatem ab iisdem Turcis petierint, vestibus donentur.

Moyse narrante legimus, primęvos mortalium patres amplioribus quibusdam zonis e foliis ficuum pro veste usos esse Gen. 3. 7. quas deinde Deus in tunicas pelliceas convertit Gen. 3. 21. Hęc primorum mortalium ratio vestiaria tamdiu obtinuit, quamdiu lino, lanę, & gossypio rude illud vestium genus cessit. Creditur Nohema soror Tubalchaim Gen. 4. 22. eadem facile quę veterum Minerva, omnium prima nendi artem, simul etiam telas pannosque conficiendi, invenisse; sed ita hunc morem amplexi sunt, ut primęvę etiam pelliceę vestes retinerentur; quemadmodum e scriptura (1) intelligimus. Prophetę presertim pelliceis vestibus delectabantur (2); nec insuetę erant apud Persas, Gallos (3), Scythas (4), Æthiopes, Ægyptios, Arabes, quorum plerisque nostra etiam ętate eadem vestiendi consuetudo manet.

Vulgares tunicæ lino gossypiove constabant; utriusque enim generis leguntur in descriptione vestium Sacerdotalium, & Leviticarum apud Hebræos. Mentio ibi de tunicis lineis, Hebraice *Bad* (5), de carbasinis, Hebraice *Schesch* שש כתנת, quas tamen e gossypio potius textas in Exodum xxv. probavimus. Nec inviti concederemus aliquem fuisse, sed rariorem lanæ usum in tunicis.

Quæ leguntur de tunica Josephi (6), & de tunica Thamaris filiæ Davidis (7), mire torquent Interpretes. Hebræus enim habet *tunica passim*, quod Septuaginta, & S. Hieronymus vertere maluerunt χιτῶνα ποικίλον, *tunicam polymitam*; alii reddunt vestem e pluribus pannorum laciniis varii coloris consectam: alii denique tunicam opere phrygio ornatam. Moyses data opera observat, hanc tunicam a parente Jacobo paratam fuisse Josepho, quod eum præ ceteris fratribus amaret; ex quo atrox invidia in puerum apud alios fratres conflata est. Author Libri Regum indicat, ea tunica, pro more regii generis fœminarum, Thamarem indutam fuisse.

Non inviti credimus, *tunicas passim* ejusdem fuisse generis cum iis, quibus Principes viri ac fœminæ adhuc in Oriente utuntur; constant autem longioribus quibusdam subuculis e tela, radiis vel lineis alterius coloris distincta, & sæpe auro argentoque variata. Viriis infra genua non descendit, quemadmodum & manicis est breviorib, nec infra cubitum; muliebris longior, & manicis ad oram amplissimis, inde vero ad humeros usque sensim strictioribus. Aquila pro *tunica passim* reddit χιτῶνα ἀστραγάλων, *vestem stragulatam*; Symmachus χιτῶνα χειριδωτόν, *tunicam manicatam*. Herodotus tunicas Ægyptiis lineas esse narrat (8), ad extremam oram fimbriis ornatas.

Alterius etiam generis tunicas, *strictas* vel *arctas* vocant, in usum Sacerdotum legimus in Moyse (9). De Ambiguis Hebræi vocibus Interpretes inter se dissident: alii enim vestem ornamentis & fimbriis divitem reddunt; alii auro, gemmis, vel unionibus variatam; alii disseminatam pictis oculis vestem, instar caudæ pavonis; alii vero vestem radiis quibusdam, vel aspera superficie scite distinctam. Nos in Commentario ad Exodum pro veste texturæ spissioris, & fortasse varii coloris interpretati sumus.

Muliebres tunicæ virilibus ferme similes, nonnisi prolixitate, & ornamentis distinguebantur. Quamvis enim utræque manicatæ essent, laciniis ornatæ, amplioribus tamen ac tenuioribus fœminæ utebantur. Hæc de illis produnt Itineraria, dictis ea de re Veterum omnino adstipulata. Fervens regio leviores amplioresque tunicas exigebat (10): Et

[1] Levit. xi. 32. xiii. 48. 49. 51. 52. xv. 17. Num. xxxi. 20. [2] Hebr. xi. 37. & 4. Reg. i. 8.
[3] Cæsar Comment. lib. 6. [4] Just. lib. 2. Senec. epist. 90. [5] Levit. xvi. 4. כתנת בד
[6] Genes. xxxvii. 3. כתנת פסים [7] 2. Reg. xiii. 18. כתנת פסים [8] Herod. lib. 2. c. 81.
[9] Exod. xxviii. 31. כתנת תשבץ [10] Manil. Astronom. lib. 4.

Et Syriæ Gentes, & laxo Persis amictu,
Vestibus ipsa suis hærens.

Sacrificium Antonini filii Moesæ, Helagabalo Numini oblatum, describens, ait Herodianus: Mystas exta victimarum ferentes stragulis tunicis emictos, & manicatis instar Pœnicum, distinctis in medio purpurea quadam Zona adstrictis; verbis enim ambiguis (1) utitur.

Cum domi se continerent, stragulam vestem fluere sinebant; domo exeuntes, sive in agrum, sive ad iter proficiscentes, ne longior vestis impedimento esset, sive fluentem reducebant, sive cingulo adstrictam coercebant. Jesus lavandis pedibus Apostolorum sese componens, deposito pallio, lineo baltheo tunicam cinxit (2). S. Petrus in carcere detentus, cingere se ab Angelo, assumptisque sandaliis abire jussus est (3). Jesus Christus vitio vertit Pharisæis, quod stragulis vestibus, sive tunicis sese ostentarent (4), superbiæ fomitem, & eam, quam supra cæteros affectabant, authoritatem vestium gravitate quærentibus. Interdum alia super aliam tunica addebatur, præsertim sæviente hieme; ita cum Sacerdos Caiphas loquentem Jesum audivit, quasi nefaria loquentem ferre non posset, *vestimenta sua*, seu tunicas suas scidisse traditur (5). Iter habentes, suas habebant mutatorias vestes, quibus, tamquam superfluis, abstinendum imperans Jesus Christus, vetat, ne Apostoli duas tunicas ferant, sed uni se Providentiæ totos committant (6).

In tunicis album colorem amabant; quo spectat illud ad jucundioris vitæ amatores (7): *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Nec alia, quam candida veste insignis cuttuque vectus Salomon ipse prodibat (8). Jesus Christus (9) universam Regis illius gloriam decore lilii [floris sane insigni candore nitentis] multo inferiorem esse ait. Angelos plerumque candida vestis distinguebat (10), nec solemnes Terapeutarum vestes alium colorem præseferebant (11). Populus in conspectum Domini venturus lavare, ac mundare vestes, a Moyse jubetur. Apud Ægyptios, Babylonios, Græcos remotissimæ antiquitatis idem mos in Festis obtinebat (12).

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Frequenter apud Hebræos tunicæ minime consutę erant, ad textrinam elaboratę. Hujus generis spectabantur tunicę Sacerdotales & tunica Jesu Christi, quemadmodum de illis in Exodo, de altera vero ex S. Joanne intelligimus (13). Ejusdem operis tunicas simplices, & modicis adeo sumptibus parabiles, ut intra mensem a muliere conficiantur, Sacerdotibus Plato (14) præscribit. In lecto ita cubant Hebræi, ut nulla tunica (15), aliave veste corpus protegant; quod a nostra ætate alienum, in tota antiquitate apud cæteras etiam gentes spectatur. Clausa undique tunica, & in superiori tantum parte scissa, inserto per foramen capite inducebatur.

Cum ad agendum aliquid, sive ad iter habendum sese instruebant, cingulo adstricta tunica corripiebatur. Porro cinguli varium erat pretium pro dignitate singulorum. Magnificentissimis Optimates & divites, præsertim matronæ, utebantur. Pro Sacerdotibus prolixa, latiora, variis coloribus, & pretiosissima (16), quemadmodum adhuc apud Orientales obtinent. Principibus viris non dissimilia erant, quamvis pretio majora; adstrictumque tenebant, inter tunicam nempe & cingulum, ensem vel gladium. Mulier fortis (17) pretiosi operis cingula a se texta Phœniciis Mercatoribus vendebat. Constabant autem lino, opere phrygio, auroque distincto. Zonis aureis accinctos Dei Filium Angelosque S. Joannes (18) spectavit. Pro crumena, cingulo interdum utebantur; quod tum e pluribus Scripturæ (19), cum cæterarum gentium exemplis intelligitur.

Prophetæ & tenuiores quique pelliceis cingulis utebantur, quemadmodum de Elia & S. Joanne Baptista memoriæ proditum est (20); quin & funibus in funere adstringi Veteres consuevisse, colligimus ex Isaia III. 24. *Et pro zona funiculus*, ait ille ad filias Sion. Cum triste aliquid accidisset, sacco accingebantur. Mandat Deus Isaiæ (21), ut sublato e renibus sacco, nudis pedibus ambulet, ut scilicet funebri eo habitu futuram Ægypti captivitatem designet. Porro eam vestium asperitatem affectabant Pseudo Prophetæ, ut ostentatione vitæ rigidioris credulos fallerent (22). Cæterum in fervidis regionibus commodissime accidebat tenuioribus agrestibusque viris, ut omni vel fere omni vestium pondere levati, sive in privatis ædibus, sive in agro æstum tolerarent (23). Plerumque omni veste nudata captivorum utriusque sexus corpora exponebantur, quod quidem ingenuis fœminis molestissimum erat, & muliebri superbiæ maxime incommodum, qua de re crebra Prophetarum in illas minæ (24) leguntur.

Femoralia apud nostræ ætatis fœminas Orientales obtinuere; sed hujus moris apud Hebræos veteres nulla apparent vestigia. Sacerdotibus quidem ad Altare ascendentibus Moyses (25) ea præscribit: Hebræis etiam omnibus positum erat in moribus, ut in æquum ascendentes, sive colendis agris sese exercentes, femoralium sive zonarum quoddam genus adhiberent, quibus renes & coxendices quoque protegerent. Jeremias (26) jussus a Domino, in specu quodam ad Euphratem cingulum suum sive femoralia occuluit: quod forte vestium genus innuitur in Actis XIX. 12. ubi præsentissimum fuisse morbis remedium legimus *sudaria & semicinctia*, contacto corpore Apostoli consecrata. Lino plerumque nativo colore constabant.

Mentio interdum recurrit de diploide seu veste duplicata Prov. XXXI. 21. *omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*; & Moyses, agens de Ephod Summi Sacerdotis Exod. XXVIII. 10. scribit: *erit quadrangulum & duplex*, & Jud. XVII. 10. stipendium Michai annuale statuitur talentum argenteum *& vestes mutatoriæ duplices*. Quæ omnes loquendi phrases facile denotant vestes, altera subsuta veste, duplices. Malunt tamen alii designari hisce par vestium seu mutatorias vestes; nec aliter accipiendas esse contendunt has vel similes voces, diploidis scilicet seu duplicis vestis si quando in veterum scriptis legantur, vel forte, ajunt, exprimitur his vestis adeo lata ut non aliter gestari possit quam duplicata (27).

Puellis familiares erant ansulæ, sive zonæ, sinum & pectus stringentes; *Fascia pectoralis*; incertum tamen cujus formæ & materiæ. Hebræum *petigil* (28), quod S. Hieronymus & Symmachus reddunt *fasciam pectoralem*, apud Septuaginta est

χιθων

[1] Herod. lib. 5. cap. 11. [2] Jo. XVIII. 10. [3] Act. XII, 18. [4] Marc. XII. 38. Luc. XX. 46. [5] Marc. XIV. 61. [6] Matt. X. 10. [7] Eccle. IX. 8. [8] Joseph. Antiq. lib 8. cap. 2. Ἀλουργῷ ἀμφιεσμένος ἐσθῆτι. [9] Matth. VI. 28. [10] Dan. II. 9. 10. XX. 18. Act. I. 10 [11] Philo, de Vita contemplativa. [12] Horat. lib. 2. Sat. 2. [13] Vide nostr. Comment in Exod. XXVIII. & in Jo. XIX. 23. [14] De Leg. lib. 12. [15] Cantic. V. 3. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* [16] Exod. XXVIII. 30. XXXIX. 5. [17] Prover. XXXI. 24. [18] Apocal. I. 13. XV. 6. [19] Matt X. 9. Marc. VI. 8. [20] 4. Reg. I. 8. Matt. III. 4. Marc. I. 6. [21] Isa. XX. 2. [22] Apoc. XV. 3. [23] Vide I. Reg. XIX. 24. Job XXIV. 9. 10. Isa. XX. 4. Michæ. I. 8. [24] Isa. III. 17. XX. 4. Jerem. III. 22. Thren. IV. 21. Ezech. XVI. 37. [25] Exod. XXVIII. 42. XXXIX. 27. [26] Jerem. XIII. 1. [27] Vide Hofman. Lexic. in Διπλοῦς Dacier. in Homer. Odyss. l. XVI. pag. 471. [28] פתיגיל Isa. III. 24.

χιδῶν μεσοπόρφυρος, *tunica clavata purpuræ*, apud Aquilam *cingulum exultationis*. Quo vero loco Jeremiæ (1) S. Hieronymus habet *fasciam pectoralem*, vis Hebraici vocabuli sonat potius *torquem*, sive ansulas seu vittas; & facile idem est, quod apud Veteres *redimiculum*, vel *succinctorium*, exhibeturque in tabula Isidis. Genus est prolixioris zonæ, quæ collum complexa & per scapulas descendens, supra pectus & infra mamillas decussatur; tum utriusque oræ ad lumbos amplexu, velut cingulo quodam, muliebris tunica ad pedes usque pertingens adstringitur; sed de illa fusius ad Exodum actum est.

Exterior vestis viris potissimum familiaris, pallium erat, laneum plerumque, sive pelliceum, colore vario. Pretiosissima purpureo sive rubro fuoro nitebant. Duo hominum genera, pauperum nempe & locupletum, indicans Ecclesiastic. 11. 4. his potissimum notis utrosque designat: *Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui aperitur lino crudo.*

De palliorum forma apud Hebræos non satis convenit. Dominus distinguendum hæreditatis suæ populum a cæteris ipsa vestium forma decernens, jubet Hebræos ad quatuor pallii angulos paniculas quasdam hyacinthinas, & in extrema vestium ora fimbriam adjungere; nihil tamen de colore decernit (2); ne unquam populum se Dei esse & filios Domini oblivíscerentur. Porro eas fimbrias ne respuisse quidem Jesum Christum, ex historia Hæmorrhoissæ, tactu fimbriæ illius incolumitati restitutæ, apparet (3). Pharisæi religionis ostentandæ gratia amplioribus utebantur (4). Minitatur Dominus, exerturum se furoris sui gladium in Israelitas, *qui induti sunt veste peregrina* (5).

Facile credimus, eas, quas Scriptura appellat (6) summitates pallii, Hebraicæ, *alas pallii*, nihil aliud innuere quam angulos, quibus nexæ sunt ansulæ. Saul apprehensa pallii Samuelis ala, virum abeuntem moraturus, illo in diversa trahante abscissam tenuit (7). Saul interiora specus, ubi David latebat, cum subiisset, clam ipsum Davidem alam pallii sui scindentem minime sensit (8). Hæmorrhoissa furtim vestis Jesu Christi fimbriam tetigit; nec aliud sibi remedium ad sanitatem ægroti poscebant; quam *ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*. Pallium Summi Sacerdotis, superiori foramine, inserendi capitis causa, instructum, alia duo foramina addebat, ad utrumque latus singula, inserendis brachiis, in reliquis partibus clausum. Pro ansulis ad quatuor angulos, oram pallii Sacerdotalis ornabant quædam mala punica, phrygio opere confecta, adjectis altero ordine aureis tintinnabulis (9).

Judæi recentiores ornamento quodam utuntur, quod pallio veteri substitutum facile credimus. Frustum est enim panni vel lini, quatuor ansulis ad latera instructum. Est autem duplicatum, cujus una pars ante pectus, altera post humeros pendet. Hærent autem humeris ambæ illæ partes, funiculis quibusdam utrinque devinctæ. Vocitant ornamentum illud *barba canephot* (10), idest, quatuor angulos sive quatuor alas. Est autem, uti supra innui, brevior veteris pallii similitudo, quæ proinde ad nostras tunicas, sive dalmaticas ante & retro pendentes, atque in superiori parte foramine, inserendo capiti, instructas, accessisse videtur. Nec sane ab eo vestis genere ablusisse pallium videtur, nisi vittis ad quatuor angulos & laciniis in ora.

Hæc tamen pallii descriptio mihi suspecta est, I. Quod pallium Orientale quadrato est oblongo, facile in omnes figuras convertendo; potest enim in omnem partem torqueri, potest intra & supra scapulas complicari; potest eodem caput obduci, ut in luctu, in pluvia, in æstu solis, unco quodam hæret infra collum pectori & scapulis. Denique pluribus idem sufficit usibus. II. Scriptura de pallio agens indicat, totum corpus eo protegi, velari & indui, sub pallio latere hominem; assumi illud nullo negocio, statimque dimitti; quæ omnia cum veste circa corpus alligata non congruunt. III. tandem *Thaled* vel *Thalet*, quo Judæi orantes in Synagogis utuntur (11), quodque vetus illorum pallium omnino esse videtur, non multum a pallio Orientali nostræ ætatis abludit. Nullo superiori foramine instruitur, sed vel scapulis imponitur, vel capiti, & ante oculos pendet, ut aditu rebus exterioribus prohibito, mens intra se magis magisque colligatur. Quare maluerim huic potius ornamento veteris Hebraici pallii similitudinem vindicare, quam alteri, *barba canephot*.

Pallium muliebre seu velum, quo faciem obducebant, cum e domo in publicum prodirent, satis ab altero, de quo modo, distinguitur. Rebecca in occursu Isaacum prospiciens, sumpto pallio, statim faciem velavit (12); & Abimelech Rex Geraræ, intelligens, Saram a se raptam conjugio cum Abrahamo copulari, quam sororem solummodo ipsius antea putaverat, viro uxorem restituit, dono simul datis Saræ mille argenteis, quibus, ait, velum oculis tuis imponendum emas (13). Thamar ampliori velo tecta, cum Juda incognita coivit (14). Jubet Apostolus, fœminas nonnisi capite velato in Ecclesiam prodire (15). Quantæ autem illud esset amplitudinis, intelligimus ex Ruth, quæ non modicum frumentum, ex Booz in pallio acceptum, ad Socrum detulit (16). Omnium, qui Orientis loca peragrarunt, testimonio discimus, fœminas earum regionum universas ampliori aliquo velo tectas incedere; & Arabes quidem fœminas perpetuum velum ita obducit, ut videndi quidem facultatem permittat e duplici foramine ante oculos relicto, sed textura quadam e setis equinis ita instructo, ut cæteros videant, ipsæ videri a cæteris nequeant. Porro pretiosissima fuisse opus est & magnifica mulierum pallia, quarum nimium cultum luxumque in vestibus, Sacra Scriptura non semel reprehendit (17); vix enim aliter quam de palliis seu velis hæc accipienda esse videntur.

Familiare erat Hebræis, ut nudo capite incederent, nullam enim in vernaculo sermone vocem habent, quo ornamentum aliquod capitis exprimant. Unum tantum capitis tegumen Sacerdotibus & Levitis peculiare noscitur, e lineo tantum panno, vitta alligato (18). Summus Sacerdos ditiori & magis ornato utebatur, quod capiti adstringebat, addita lamina aurea supra frontem pendente, quæ in occipitio duplici fascia vinciebatur (19). Occurrit etiam in S. Scriptura Regium diadema, quod fascia erat alba seu radiata, in occipitio alligata (20). Loco pilei, sive alterius tegumenti, usi creduntur Hebræi fascia quadam circum caput involuta, quam non obscure innuit Ezechiel XXIV. 17. *Mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi*. Sudaria S. Pauli, præsentissimum in morbis remedium, S. Lucas (21) commemorat; quæ quidem de fasciis laneis sive lineis, caput Apostoli obnubentibus, doctissimi plures Interpretes exponunt (22).

Sed

(1) Jerem. II. 32. קשרים 70. Στηθοδεσμίς. (2) Vide Num. XV. 38. & Deut. XXII. 12. (3) Matt. IX. 20. (4) Matt. XXIII. 5. (5) Soph. I. 8. (6) I. Reg. XV. 27. XXIV. 5. 12. (7) I. Regum XV. 25. (8) I. Reg. XXIV. 52. (9) Exod. XXVIII. 34. XXXIX. 24. (10) Buxtorf. Synag. cap. 4. (11) Leon Modena, De' Riti Giudaici, p. I. num. 5. 11. (12) Gen. XXIV. 65. (13) Gen. XX. 16. (14) Gen. XXXVIII. 14. 15. (15) I. Cor. XI. 5. 6. (16) Ruth III. 15. (17) I. Reg. I. 24. Jerem. IV. 30. Ezech. XVI. 10. 13. (18) Exod. XXVIII. Vide Comment. (19) Exod. XXXIX. 4. (20) 2. Reg. I. 11. XII. 30. (21) Act. XIX. 12. (22) Oecum. & Sanct. in Acta XIX. Hist. Scholast.

Sed negotiom in ea re facit, quod Ezechielis testimonium nonnisi pro eodem Propheta accipiendum est, viro nempe Sacerdote, cui proinde comam nutrire nefas erat, imperatumque tegumen illud, quod vitta adstrictum gerebant Sacerdotes, quemadmodum supra innuimus. An igitur proinde & cæteri Israelitæ caput obnubebant, cum neque ab ingenti frigore, neque ab æstu caput protegere, utpote comam nutrientes, qua Sacerdotes, necessitate cogerentur? Quod vero ad S. Pauli sudaria spectat, poterant eo nomine designari linei panniculi, abstergendo manuum orisque sudori destinati, quemadmodum ipso *Sudarii* nomine proditur.

Sedet igitur mente concepta jam sententia, nullum obtinuisse capitis tegumen apud Hebræos. Si quid autem incommodi sive ab æstu, sive procella, sive ab hieme iter habentibus accidisset, illi pallio super caput reducto, novo veluti pilei genere occurrebant. Caput etiam tegebant in luctibus, & dum orationi vacabant, eo externo habitu Numinis majestatem sentire professi. Ita Moyses ad rubum accedens (1), & David Absalomi arma fugiens (2), caput pallio velarunt. Aman deducere per compita Susarum Mardochæum ovantem jussus (3), domum regressus, rei mœrore & tædio vultum texit. Jeremias XIV. 4. agricolas & populos molestia famis & sterilitatis afflictos designans, ait: *Agricolæ operuerunt capita sua*.

Dum lætum aliquid celebrabatur, veluti in nuptiis conviviisque, florum corollis redimiebantur (4). His igitur exceptis singularibus rerum eventibus, Hebræi nudo erant capite, præter Sacerdotes, qui nudatum coma caput certo genere tegumenti protegebant; quamobrem viros, caput tegentes, injuriam capiti ipsos suo inferre dixit Apostolus (5); & Sponsus (6) rore madere comas suas testatur, quod totam noctem subdio exegisset. Nunquam Absalomio triste illud accidisset, ut in transitu, coma ramis arborum implicata, medius inter Cœlum terramque suspenderetur, si pileo usus fuisset. Neque id tantum solemne erat Hebræis, quin pluribus etiam Orientalibus familiare haberetur. Quicumque autem nostra ætate tiara utuntur, comam sibi cædunt; quare Israelitæ comam nutrientes, nullum sibi cidaris, sive tiaræ usum adscivisse credendi sunt.

Hæc de viris dicta, non item pro fœminis, valent, cum plurimo capitis ornamento uterentur. Si qua fœmina, ait Apostolus (7) in Ecclesiam orandi gratia veniens, caput non obnubit, hæc capitis sui gloriæ nocet; tantumdem est enim ac si tonsa spectandam sese præbeat. Jezabel venientem Jehu Samariam operiens (8), stibio oculos pinxit, caput multiplici ornamento insignivit; nempe, uti facile credimus, cidari sive mitra, adjectis etiam torque, inauribus cæterisque narium & frontis ornamentis, de quibus non semel Scriptura; stibio autem idcirco oculos pinxit, quo ampliores & nigriores apparerent. Judith (9) tentorium Holophernis petitura, comam excoluit, divisisque scite ac testis licio crinibus, mitram pretiosam capiti imposuit, quam pretiosis quibusdam vittis nexam in occipitio vinxit; addidit deinde cultum omnem, inaures nempe aureas & longas unionum series. Baruch v. 2. futurum nunciat, ut Deus tandem pallio justitiæ, & corona sive mitra decoris Jerosolymam ornet. Porro pallium ipsissimum erat velum, quo Matronæ veluti paludatæ in conspectum prodibant.

Isaias III. 18. &c. omnem fœminarum sui temporis cultum iste prosecutus, omnis simul, & torques, & armillas, & mitras commemorat; addens insuper discriminalia, periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & ornamenta calceorum, & lunulas, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, acus, specula, sindones, vittas, theristra. Sæpe alibi locuti sumus de annulis (10), qui e naribus suspendebantur, sive per utramque narem, sive per alterutram inducebantur, sive e summa parte nasi demittebantur, ubi nunc oculorum vitta committuntur. Comæ nigræ plurimi æstimabantur (11), quas oleo & unguentis delibutas fovebant, non fœminæ tantum, sed & viri; quod exemplo fœminæ peccatricis id officii Christo impendentis (12), discimus. Pueri Salomonem domo prodeuntem prosequuti, comas gerebant odoratis unguentis delibutas aureoque pulvere aspersas, quæ solaribus radiis percussæ mire micabant, ait Josephus *Antiq. l. 8. c. 2*.

Pullus color sive niger apud Hebræos luctuosus habebatur. Solebant ea occasione sacco indui, vel cilicio, nempe lanea rudi & inculta veste, vel potius e pilis camelorum seu capræ texta, quarum vestium unicus erat sive in luctibus, sive in extrema rerum familiarium angustia usus. Quare luctum agentes plerumque sacco accincti in sacris Libris exhibentur; qua phrasi designatur pulla vestis rudisque, quæ in cinguli formam tunicæ imponebatur. Neque varius erat in ea re fœminarum a viris usus ritusque, quemadmodum communis erat vestium scissio, cum graviter dolerent.

Vestes etiam iter agentibus erant peculiares; quarum exempla suppetunt in historia Thamaris (13), Judithæ (14), Mulieris viduæ, quæ a Joabo missa, de reducendo Absalomo cum Davide egit (15). Porro vestes illæ a luctuosis funebribusque non abludebant. Judith cilicio cincta singulos dies, Sabbato excepto, itemque Neomeniis, cæterisque diebus in gente solemnibus, esuriales habebat (16). Hoc vitæ genus ab iis servabatur, quæ *vere viduæ erant & desolatæ* (17). Facilis subit conjectura, viros posito pallio funera luxisse, adeo ut tunica, cilicio, sive atra incultaque veste solummodo induerentur, adjecto cinguli loco funiculo sive pellicea zona. Familiare id vestium genus erat Eliæ Prophetæ (18), Joanni Baptistæ (19), cæterisque Prophetam solo habitu simulantibus (20): *Non operientur pallio saccino ut mentiantur*. Septuaginta, Syrus, & Arabs legunt: *Non operientur vellere ad mentiendum*. Nec alio utebantur pœnitentes amictu (21): *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*.

Non satis convenit inter Eruditos, utrum nudis omni tegumento pedibus incederent Hebræi. Nudis asserit Bochartus (22), ut non nisi in itinere calceis uterentur. Laudat in eam rem datum a Moyse præceptum (23), ut Hebræi agnum paschalem comesturi, calceos assumerent, quasi iter habentium more instructi. Addit locum Juvenalis e Satyra VI. de Hebræis:

Observant ubi festa mero pede Sabbatha Reges.

Demum adducit illud de Regina Berenice, Agrippæ germana, quæ Hebræa veniam impetratura, nudis pedibus coram Festo stetit (24).

Bynæo tamen alia sedet opinio, censenti, Hebræos plerumque calceis usos, non nisi in quibusdam rebus, veluti in luctu lugendisque criminibus, nudis pedibus incessisse. Ita David ex Urbe egressus, nudis pedibus & ore velato, filii Absalomi perfidiam lugebat (25). Si Judæi die Expiationis

(1) Exod. III. 6. (2) 2. Reg. XV. 30. (3) Esther VI. 12. (4) Sap. II. 8. & 3. Machab. VI. Isai. LXI. 10. (5) 1. Cor. XI. 4. (6) Cantic. V. 2. (7) 1. Cor. XI. 5. (8) 4. Reg. IX. (9) Judith X. 3. (10) Gen. XXIV. 47. Prov. XI. 22. (11) Cant. V. 11. (12) Luc. VII. 37. (13) Gen. XXXVIII. 19. Vide & Baruc. V. 1. 2. (14) Judith X. 2. (15) 2. Reg. XIV. 2. (16) Judith VIII. 6. (17) 1. Timoth. V. 5. (18) 4. Reg. I. 7. 8. (19) Matth. III. 4. (20) Zachar. XIII. 4. (21) Hebr. XI. 37. (22) Jerozoic. par. 1. lib. 2. cap. 50. (23) Exod. XII. 11. (24) Joseph. lib. 2. cap. 15. de bello Jud. (25) 2. Reg. XV. 30.

ationis solemnis & in funeribus humi sedentes nudis pedibus erant (1), id sane luctus causa servabant. Mandat Deus Ezechieli (2), ne calceamenta detrahat, neque uxoris suæ funera lugeat; quo argumento discimus, eos ritus in luctibus solemnes apud Hebræos fuisse. Isaias (3) a Deo jubetur, detractis calceis, positisque vestibus, vivam quandam imaginem futuræ captivitatis Ægypti & terræ Chus exhibere: utrumque igitur familiare erat Hebreis, & vestibus nimirum & calceis uti. Cum Moyses ardentem rubum spectavit (4); cum Josue Angelum circa Jerichuntem obvium habuit (5), utrique calceos detrahere jussi sunt, quod locum sanctum calcarent. Israelitis iter agentibus per desertum, nec vestes, nec calceamenta defuisse, Domino beneficia sua eidem populo commendante, discimus (6). Moyses singulis Tribubus Israelis benedicens, calceandum prędixit Aser ferro simul & ęre (7). Cavet J. Christus, ne Apostoli iter habentes calceamentis utantur (8); & Hebręi sicco pede amnem se transiisse designaturi, ajunt, aquas calceatos transasse (9).

At enim his exemplis illud tantummodo innuitur, Hebręos cum domo prodirent, in agro, & in itinere, uti cęterę gentes soleat, calceis usos: num etiam cum domi se continerent? En alis ejus moris exempla. Singula beneficia a Domino in populum velut in sponsam carissimam, collata prosequutus Ezechiel (10), calceos etiam commemorat pretiosos, carissimę uxori dono datos. Filius Prodigus in patrias sedes reversus, nova veste, annulo, & calceis ab indulgentissimo patre donatus est (11). S. Petrus somno, cum in carcere esset, resolutus calceos juxta habebat (12). Cum quis fratris sui sine liberis defuncti uxorem viduam in conjugem accipere recusabat, coram Populi cœtu calceos sibi detrahebat (13). Proverbii loco obtinebat: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus* (14); qua locutione aliquis innuebat, se altero prorsus inferiorem putare; simili etiam proverbii formula usurpabatur: *Ne calceamentum quidem accepit*, idest, ne minimum quidem (15). Amos (16) ut Damascenorum & Samaritanorum sęvitiam ac tyrannidem exprimat, vendidisse illos ait justum, & pauperem pro calceamento, nempe vilissimo pretio.

His omnibus satis superque demonstratum arbitror, familiarissimum apud Hebræos calceamentorum usum in ædibus, & in urbe obtinuisse. Nec me fugit, plurimos tum veteres (17), tum recentiores Scriptores (18) putasse, omnem sibi calceamentorum usum interdixisse penitus Jesum Christum: nulla certe illorum mentio in Evangelio fit, nisi forte illud S. Joannis Baptistæ in eam rem laudetur; *Non sum dignus solvere calceamentum de pedibus ejus*. Verum contraria sedet sententia S. Joanni Chrysostomo (19), S. Augustino (20), Paulo Burgensi, Cajetano, Toleto, Barradio, Sopranis, Balduino (21) & Byneo (22). Nec contrarium plane Genti suæ morem in re tam levi adoptasse Christus videtur, quem pariter S. Marci (23) testimonio unicum calceorum par Apostolis iter habentibus permisisse intelligimus. Cavit tantummodo, ne plura haberent, uti satis ab aliis Evangelistis innuitur.

Nec tamen vadem me exhibuerim, Hebræos nunquam nisi calceatos domi mansisse; cum nudis pedibus domi esse familiarissimum sit in fervidis regionibus, veluti Ægypto, & Judæa. Constat insuper, Sacerdotes in Templo nudis pedibus egisse (24). Mancipia, & captivi non domi tantum, sed foris etiam & in agro nonnulli sine calceis incedebant (25). S. Petrus in carcere eodem habitu sese continebat (26). Sponsa (27) ne e lectulo surgat, causatur mox factam pedum suorum lotionem. Omitto receptam consuetudinem nudatis pedibus accumbendi. J. Christus, ejusque Apostoli morem illum servarunt; neque enim aliter in lectis, pro recepta eorum temporum consuetudine, recubuissent (28). Sed vetustissimus mos pedes lavandi iis, qui ex agro venissent, satis probat, illos, statim ac ædes subirent, calceos posuisse (29). Idem pariter usus nudis pedibus qua in domibus, qua in Urbe agendi, commendatur longa consuetudine Lacedęmonum, Atheniensium, Romanorum, & Orientalium fere omnium, quem pluribus laudarunt veteres Patres nonnulli, veluti Clemens Alexandrinus (30) & Tertullianus (31). Favet veterum Christianorum, quantum ex Luciano (32) colligimus, exemplum.

Quænam vero calceorum materia? Corium, uti putat Byneus (33); idque exemplo Gabaonitarum (34) probasse sibi videtur, coriaceos enim illis fuisse calceos credit. Idem etiam confirmat e frequenti pellium usu apud Veteres; sicut etiam, quod vili pretio calceamenta venderentur (35), adeo ut, res in proverbium abierit, quod supra adnotavimus. Sed ejus argumenta non satis propositum evincunt. Neque enim Gabaonitarum calceamenta coriacea fuisse constat; potuerunt e panno, vel simili re confecta esse. Ex locis Amus a Byneo citatis, Gejerus (36) illud sibi probandum censuit, non vilissimos fuisse calceos, sed potius pretiosissimos; neque hodie calcei, licet coriaceis utamur, vilissimi pretii sunt. Quamquam enim proverbii loco dicatur, detrito calceo vilius, certe non usurpatur illud, *calceo vilius*. Nunquam sane in Scriptura calceorum materia satis luculenter exprimitur. Apud Ægyptios papyro texebantur; spartei familiares erant Hispania, lineis usos fuisse ariolos in Syria, & Phœnicia, Herodianus testatur (37).

Quare non invitus ego consenserim, Hebræos sandalia & calceos lineos, sparteos, coriaceos, ligneos, sive alterius cujuscumque materiæ novisse. Æque enim familiaria genti fuisse sandalia, ex eo facile intelligimus, quod non semel in Textu mentio recurrat corrigiæ pedum, idest, vittæ pedem stringantis. Militares calcei ferro vel ære armabantur, quo spectat illud (38) Moysis ad Tribum Aser: *Ferrum, & æs calceamentum tuum*. Æreis ocreis pedes & crura Goliath protegebantur (39); Græci in obsidione Trojæ æreas loricas gere-

(1) Buxtorf. Synag. cap. 35. Jonath. ad Levit. xvi. 29. Braun. de veste Sacerd. lib. 2. c. 3. (2) Ezech. xxiv. 17. (3) Isa. xx. 2. (4) Exod. iii. 5. (5) Josue v. 15. (6) Deut. xxix. 10. (7) Deut. xxxiii. 25. (8) Matt. x. 10. (9) Isa. xi. 15. (10) Ezech. xvi. 10. (11) Luc. xv. 22. (12) Act. xii. 8. (13) Deut. xxv. 7. 8. (14) Matt. iii. 11. Marc. i. 7. Luc. iii. 16. Jo. i. 27. Act. xiii. 25. (15) Eccli. xlvi. 22. (16) Amos ii. 6. viii. 6. (17) Hieron. ad Eustoch. de custod. Virginitate, *Discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii mittuntur, & milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat servis &c.* (18) Ita Dion. Carth. Bonavent. Lyran. Tostat. (19) Homil. 2. ad popul. Antioch. (20) Serm. olim 42. de SS. c. 6. nunc serm. 101. novæ Edit. p. 332. (21) De calceo antiq. cap. 26. (22) De calceo Hebr. lib. 1. c. 11. n. 9. 10. (23) Marc. vi. 9. (24) Exod. xxx. 19. Rabb. Greg. Naz. in Cant. Theodoret. in Exod. iii. 4. 7. aliique passim. (25) Isa. xx. 4. 2. Par. xxviii. 15. (26) Act. xii. 8. (27) Cant. v. 3. (28) Luc. vii. 38. Jo. xiii. 4. 5. (29) Gen. xviii. 4. xix. 2. xxiv. 32. xliii. 24. Judic. xix. 21. 2. Reg. xi. 8. &c. (30) Pædag. lib. 2. cap. 11. (31) De Pallio. (32) In Philopon. (33) De Calceo Hebr. l. 1. c. 2. (34) Jos. ix. 5. (35) Amos ii. 6. 8. 6. Eccli. xlvi. 22. (36) De luctu Hebr. (37) Herodian. lib. 5. cap. 13. Τοῖς μὲν τι χιτῶνα ... ἐχρῆτο, ... ἐν ... χορείᾳ ... (38) Deut. xxxiii. 25. (39) 1. Reg. xvii. 5.

gerebant (1); æreasque pariter, sive ex aurichalco conflatas ocreas, inter Herculis arma recenset Hesiodus (2).

Fœminarum calcei ornamentis & pretio viriles superabant. Ezechiel (3) Dominum ceu Sponsum inducens, munera Judæis, tamquam nuptæ sibi genti, largientem, inter cætera recenset rubros sive purpureos calceos; legunt alii calceos e pelle melis. Nos tamen ibi calceos purpureos exprimi censemus, sive coriacei fuerint, sive lanai, sive e gossypio, linove. Porro soleæ purpureæ olim familiariter obtinebant; pictisque purpura cothurnis, tamquam summæ dignitatis insignibus, Imperatores utebantur. Viros locupletes Israelis olim ad Templum se contulisse, singulis recurrentibus anni Solemnitatibus, purpureis soleis nitentes, ajunt Rabbini (4). Venerem describens Phœnicio amictu Virgilius, addit simul (5):

Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Et sandalia Sponsæ (6), quibus oculi Sponsi rapiebantur, eodem facile colore nitebant. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis?* Porro calceorum genus erat, non spissa textura, neque enim alioqui pedes videri potuissent, sed Phœnicio more texta sandalia ita raram exhibebant texturam, ut cruris & pedis nuda mista purpuræ interniterent. Simili ornamento prodiit Judith, ad tentorium Holophernis se conferens, & cum reliquo corporis cultu placeret, sandaliorum tamen elegantia, juxta Scripturæ phrasim, Imperatoris oculos rapuit. Plutarchus (7) narrat, Summum Judæorum Sacerdotem solemnioribus quidem diebus magnificis cothurnis instructum in Templo sese præbere spectandum; sed Historici quidem falsitatem arguit tum Sacra Scriptura, quæ inter Sacerdotum vestes minime cothurnos recenset, cum Rabbini & Patres uno assensu nudis pedibus Sacerdotes in Templo ministrasse tradant.

Tibialium usus Hebræos latuisse creditur, eo potissimum argumento quod ea constanti consuetudine hospitum pedes lavarentur; cum enim sandaliis laxioris texturæ uterentur, plurimum pulveris inter eundum colligere pedes necesse erat. Licet etiam observare, statim detractis sandaliis, nudis pedibus Hebræos fuisse. Ita nonnisi detractis sandaliis mensæ assidebant, postrema Reipublicæ Hebraicæ ætate, ita pariter in Templo (8) versabantur; eodemque habitu utebantur in luctu. Porro ea passim consuetudo, ut sandaliis solummodo uterentur, toto Oriente obtinebat. Idem mos & in fœminis spectatur; quæ enim pro viris adducta sunt argumenta, eadem & pro fœminis valent; quibus etiam aliud adjungitur peculiare, quod scilicet pretiosis armillis, sive annulis tibias ornarent, quemadmodum supra ea Isaia III. 16. & de nudis pedum Sponsæ per sandaliorum loricam spectatis a Sponso (9) supra etiam observavimus,

[1] Homerus passim. Χαλκοκνήμιδας Ἀχαιούς. [2] Herc. Scutum, v. 122. Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ. [3] Ezech. XVI. 10. [4] Paraphr. Chald. in Cantic. VII. 1. [5] Æneid. 1. [6] Cantic. VII. 1. [7] Sympos. lib. 4. [8] Misna in Massechet Berach cap. 9. Maimon. in Hala. Beth Habbechira cap. 7. [9] Cantic. VII. 1.



COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN JEREMIAM.

CAPUT PRIMUM.

Jeremias, ut Propheta fit, vocatur & creatur. Muneri se subducere conatur. Illum Deus robore implet. Virgam vigilantem, ferventemque ollam, a Borea ventilatam videt Jeremias.

℣. 1. VErba Jeremiæ, filii Helciæ de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in
terra Beniamin. 2. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus
Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus. 3. Et factum est in
diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sede-
ciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto.
4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 5. Priusquam te formarem in ute-
ro, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in Gentibus
dedi te. 6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego
sum. 7. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere: Puer sum, quoniam ad omnia,
quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. 8. Ne ti-
meas a facie eorum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. 9. Et
misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce
dedi verba mea in ore tuo: 10. Ecce constitui te hodie super Gentes, & super re-
gna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. 11.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides, Jeremia? Et dixi:
Virgam vigilantem ego video. 12. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vi-
gilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. 13. Et factum est verbum Domini
secundo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video, & fa-
ciem ejus a facie Aquilonis. 14. Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur
malum super omnes habitatores terræ. 15. Quia ecce ego convocabo omnes cogna-
tiones regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponent unusquisque solium
suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu, & su-
per universas urbes Juda. 16. Et loquar judicia mea cum eis, super omnem mali-
tiam eorum, qui dereliquerunt me, & libaverunt diis alienis, & adoraverunt opus
manuum suarum. 17. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos
omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te fa-
ciam vultum eorum. 18. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in
columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, regibus Juda, prin-
cipibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ. 19. Et bellabunt adversum te, &
non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

℣. 1. VERBA JEREMIÆ, FILII HELCIÆ, DE SACERDOTIBUS QUI FUERUNT IN ANATHOTH. Quis hic fuerit Helcias, Jeremiæ pater, ignoratur; qui enim ajunt esse hujus nominis Pontificem (1), qui sub Josia floruit (2), & Legis volumen invenit, nullum his favet alicujus ponderis argumentum. Anathoth urbs erat Sacerdotalis tribus passuum millibus ab Jerosolyma, Boream versus (3). Post decem Tribuum secessionem, Sacerdotes in ditionem Juda & Beniamin fugere coacti sunt, bonaque in cæteris ejus regionis partibus olim sibi tradita reliquerunt. Septuaginta (4): *Verbum Dei, quod factum est ad Jeremiam Chelciæ filium, e Sacerdotibus, qui habitabat in terra Beniamin.*

℣. 2. QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD EUM

[1] Hebræi, Chald. Salg. Maldon. Sixt. Senens. [2] 4. Reg. 4. 8. 10. &c. [3] Hieron. hic.
[4] Θεοῦ ὃ ἐγένετο ἐπὶ Ἱερεμίαν τὸν τοῦ Χελκίου ἐκ τῶν ἱερέων, ὃς κατῴκει ἐν Ἀναθὼθ ἐν γῇ Βενιαμίν.

IN DIEBUS JOSIÆ, IN TERTIO DECIMO ANNO REGNI EJUS. Ita reddi potest Hebræus (1), ut cum versiculo superiore jungatur: *Verbum Domini ad Jeremiam, ad quem factum est verbum Domini in diebus Josiæ*. Prophetico munere functus est annis amplius quadraginta, ab anno Josiæ tertio decimo, Mundi 3375. usque post Jerosolymæ excidium, annum scilicet Mundi 3416. Tum in Ægyptum profectus, vaticinari non destitit, & aliquot post annis diem clausit.

℣. 3. IN DIEBUS JOAKIM, FILII JOSIÆ . . . USQUE AD CONSUMMATIONEM UNDECIMI ANNI SEDECIÆ . . . USQUE AD TRANSMIGRATIONEM JERUSALEM, IN MENSE QUINTO. Post Josiam, regno potiti sunt Joachaz, Joachim, Jechonias, Sedecias. Joachazum & Jechoniam, utpote brevissimo regno gavisos, præterit. Capta est Jerosolyma anno Mundi 3416. anno Sedeciæ undecimo, die quarti mensis nona (2): at captivi Babylonem ducti, Templumque atque urbs incensa sunt sequenti mense, anni Sancti quinto (3), & decimo anni civilis, qui mensis apud nos cum Julio & Augusto congruit.

℣. 5. PRIUSQUAM TE FORMAREM IN UTERO, NOVI TE; ET ANTEQUAM EXIRES DE VULVA, SANCTIFICAVI TE. Non eadem semper res in Deo significatur hoc vocabulo, *nosse*; interdum enim est, benevolentia prosequi, probare, tueri, sollicite beneficiis cumulare: interdum, antea scire, intueri; denique absolute simpliciterque nosse atque intueri. Primo sensu explicari hoc loco potest. Jam tum Deus gratiæ suæ munera in Jeremia amavit, quibus deinde illum erat cumulaturus. Hic etiam sensus huic loco aptari potest, ut significet, Deum æterno consilio atque anticipata electione Jeremiam prævidisse ac prædestinasse. Æterna mentis meæ scientia, qua omnia, antequam sint, video, te prævidi, elegi, destinavi, ut mei Prophetæ munere fungereris (4); cumque talem te esse statuerim, *te sanctificavi*, paravi, secrevi; gratiæ meæ auxilia, quibus tibi opus in Prophetico munere futurum est, tibi constitui: iis, quibus novum hoc munus eget, te instruere decrevi.

Veteres quidam Patres (5), & Interpretes plerique, hoc loco freti, credidisse videntur, in ipso matris sinu sanctitatem collatam fuisse Jeremiæ, communis ex origine peccati labe purgato, quemadmodum S. Joanni Baptistæ contigit, cui proinde hunc ipsum locum aptat Ecclesia. Luculentissime S. Augustinus (6); *Jeremias & Joannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum*. Quæ verba de peccato originis, quod collatam illis sanctitatem præcessit, usurpanda sunt. Hanc anticipatam Jeremiæ sanctitatem in eo constituit S. Hilarius (7), ut ipsa sit Jeremiæ anima, nullius peccati labe immunda, cum e Dei manu egrederetur, at statim vitiata, ubi peccati contagionem sensit. Aliis tamen Patribus, atque Interpretum plurimis (8) probabiliori jure videtur, *sanctificari* hoc loco dici Jeremiam, quod in certum aliquod munus paretur seu destinetur. Certe hunc sensum frequenter apud Scripturam habet. Ita (9): *Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus quam de jumentis*: mihi serva, secerne, sepone: *sanctifica populum*, parari jube, imo para: *sanctifica bellum*, te in prælium comparato, &c. Ecclesiasticus de Jeremia (10): *Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est*.

PROPHETAM IN GENTIBUS DEDI TE, sive, te Prophetam elegi, ut jussa mea ad gentes deferas. Ad homines Juda præsertim missus fuerat Jeremias, ut eos ab errore reduceret, moneretque quam multa illis mala, jamjam ruitura, imminerent: at non ita peculiaris Jeremiæ fuit ea electio, ut cæteris etiam Prophetis Juda communis non fuerit. Illud inter cæteros Jeremiam secernebat, quod electus a Deo fuisset, ut alienis etiam gentibus prædiceret ea, quæ illas manebant (11): idque revera præstitit Jeremias Capitibus XXV. XXVII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. ubi in Babylonios, Ægyptios, Idumæos, Philisthinos, Phœnices, Ammonitas, Moabitas invehitur. Ita S. Paulus electus a Deo est, ut potissimum gentes doceret (12), quamquam intra eos tantummodo fines legationis suæ amplitudinem non clausit, Hebræos etiam complexus. Ita Isaias Babylonii reditus & Israeliticæ libertatis vates dici potest (13), cum hoc vaticiniorum ipsius præcipuum argumentum sint, eaque nemo ante ipsum nunciaverit; quamquam non hæc tantummodo, verum etiam alia multa vaticinatus est.

℣. 6. ET DIXI; A, A, A, DOMINE DEUS, ECCE NESCIO LOQUI, QUIA PUER EGO SUM. Quam ætatem ageret Jeremias, cum electum se Divino consilio a tota æternitate intellexit, ut Prophetæ gentium munere fungeretur, non satis liquet. Sunt qui decimumquartum seu decimumquintum egisse annum censeant (14); minorem alii, alii majorem illi ætatem tribuunt. Etiamsi vicenos, aut plures annos illi adscripseris, nullum inde incommodi est, cum apud Scripturam pueri dicantur vel adulta ætate viri (15), & ab anno Josiæ tertio-decimo ad Jerosolymæ excidium quadrageni circiter anni tantummodo fluxerint. Si igitur Jeremiam octoginta annis natum obiisse ponas, major triginta, seu triginta & quinque annis esse non potuit, quo tempore illum Deus primum allocutus est. Quod hic legis, *A, a, a, nescio loqui* (16), pueri balbutientis voces non sunt, sed querentis interjecto; *Heu, heu, heu, Domine, eloquens non sum*: prophetico muneri me ineptum sentio: palam loqui non soleo: neque suavis, neque commoda, neque vivida satis mihi facundia est, qualis hominem decet, qui tua ad populum verba defers. Hoc Jeremiæ suadet sua ipsius modestia, uti olim Moysi, loquendi difficultatem (17), & imperitiam causanti, *Impeditioris & tardioris linguæ sum*, quamquam peritissimi artis Magistri Divinam balbutientis hujus facundiam in ejus libris admirantur. Hebræus semel tantum legit (18): *Ah ah! Domine Deus, ecce non novi loqui*. Chaldæus; *Suscipe deprecationem meam, Domine Deus: ecce nescio prophetare*. Syrus: *Quæso, Domine Deus, &c.* Septuaginta (19): *O qui es, dominator Domine, ecce nescio loqui*.

℣. 9. MISIT DOMINUS MANUM SUAM, ET TETIGIT OS MEUM, meam loquendi difficultatem ablaturus.

[1] אשר היה דבר יהוה אליו בימי יאשיהו 2. ℣. דברי ירמיהו. 5. ℣. *Verba Jeremiæ, ad quem factum est verbum Domini*. Ad verbum: *Qui factum est verbum Domini ad eum*. [2] 4. Reg. XXV. 2. 3. 4. Jerem. XXXIX. 2. 3. LII. 5. 6. 7. [3] Jerem. LII. 13. 14. collatum cum XXXIX. 8. 9. [4] Aug ep. 157. n. 37 nov. edit. Jansen. Concord. Evang. c. 2. Salmeron. tom. 0. tract. 14. [5] Origen. Hom. 1. in Jerem. Ambros. Apolog. David. c. 11. n. 57. obscure. Nazianz. Orat. 1. Apolog. Bernard. seu alius Author serm. de privileg. S. Joan. Bapt. &c. P. Damiani ser. 1. in festo S. Joan. Bapt. Hieron. hic, Thom. Raban. Hugo, Dionys. Lyran. Cornel. a Lapide. [6] Aug. lib. 4. Operis imperf. contra Julian. cap. 14 p. 1218. nov. edit. [7] Hilar. in Psal. 119. n. 12. [8] Theodoret. hic: Τὸ δὲ ἡγίασα, ἀντὶ τοῦ ἀφώρισα τέθεικε, Hieronym. in Galat. 1. Chald. Sanct. Tir. Menoch. alii recentiores. [9] Exod. XIII. 2. [10] Eccli. XLIX. 9. [11] Vide & infra ℣. 10. & VI. 12. XXXI. 10. [12] Act. IX. 15. XIII. 46. XV. 3. XXVIII. 28. XI. 13. Galat. II. 8. & 1. Timot. II. 7. & 2. Timot. 5. 11. &c. [13] Isai. XLVII. 5. 2. 7. 8. [14] Castrens. Tirin. [15] Vide Gen. XXII. 5. XXXVII. 29 30. XLI. 10. XLIV. 30. Exod. XXXIII. 11. & 1 Reg. XVII 33 &c. [16] Ita Munst. Mont. Pag. alii Interpp. passim. [17] Exod. IV. 10. *Non sum eloquens ab heri, & nudius tertius &c.* [18] ויאמר אהה אדני יהוה הנה לא ידעתי דבר [19] Καὶ εἶπα, ὁ ὢν δέσποτα κύριε, ἰδοὺ οὐκ ἐπίσταμαι λαλεῖν.

rus. Angelum ad Jeremiam misit, quemadmodum olim ad Isaiam, cujus opera Prophetæ os, Altaris carbone tactum, purgaretur (1). Hæc in spiritu gesta sunt (2), ac fortasse dormiente Propheta; isque experrectus, se penitus alium sensit, virtute, constantia, perspicaci ingenio, animi robore, cæterisque Divini Spiritus donis plenum, quibus instruere illos solet Deus, quos ipse possidet, excitat, atque ad munera gravissima eligit.

℣. 10. Constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas et destruas, &c. Ad Judæos tantummodo non mitteris; alienarum gentium Prophetam te statuo. Voluntatis meæ decreta annunciabis Babyloniis, Ægyptiis, Phœnicibus, cæterisque populis, ad quos verba facere te jussero. Evelles ac destrues; plantabis & ædificabis; scilicet, Imperiorum excidium, ruinam, eversionem, eorumque restaurationem & gloriam prædices. Non malorum solummodo, verum etiam bonorum vates futurus es. Si Jerosolymæ excidium & Judæ captivitatem nuncias, futuram pariter utriusque felicitatem & reditum vaticinaberis. Prophetæ passim dicuntur ea facere, quæ facienda prædicunt (3); & causa earum rerum appellantur, quarum nuntii & præcones sunt.

℣. 11. Virgam vigilantem ego video, ferire paratam, ac plagæ inferendæ intentam. Hæc Dei vindictam mox in exitium Judæ serituram significabat, Nabuchodonosorem scilicet, quem jure optimo dixeris virgam & flagellum, quo usus est Deus, ut Principum, quorum crimina ad fastigium pervenerant, superbiam dejiceret. Chaldæus: *Regem festinantem ad malefaciendum ego video*. Hebræus ad verbum (4): *Virgam amygdalinam ego video* (5). *Floret prima omnium amygdala mense Januario; Martio vero pomum maturat* (6). Reddunt Septuaginta (7): *Baculum nuceum*. Literarum collusio inter Hebræum *schakked*, & verbum quod vigilare significat. Amygdala Hebræis dicitur schakked, quod vigilet, & quam maturrime floreat ac maturet. Virgam amygdalinam Deus exhibet Jeremiæ, ut vindictam, qua animadversurus est in populum, proximam esse significet (8): *Vigilabo ego super verba mea, ut faciam illud*. Amygdalæ celeritatem imitabor, cum in populum animadvertero. *Vigilare* passim in Scriptura usurpatur pro supplicium maturare. *Vigilavi super eos, ut evellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem*, inquit Jeremias xxxi. 28. Daniel ix. 4. *Vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos*. Æschylus (9) *insomne telum* habet; Aristophanes (10) *ignem vigilantem & sponte viventem*.

℣. 13. Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis. Hebræus ad verbum, *ollam exsufflatam*, igni ardenti, & ab aquilone ventilato impositam. Ignis, quo olla fervebat, vehementi aquilone ventilabatur. Olla fervens Judæam & Jerosolymam significabat: aquilo ventilans, & ignem augens, Nabuchodonosorem ex aquilone venientem (11). Ignis passim in Scriptura belli Symbolum est (12). Olla igni imposita Jerosolymam designat, nedum hic, verum etiam apud Ezechielem (13), & Michæam (14). *Hæc* (Jerosolyma) *est lebes, nos autem carnes*, ajebant apud Ezechielem Judæi. Alibi Deus imperat Ezechieli, ut lebetem paret, carnibus impleat, illique ignem subjiciat, ut carnes & ossa coquat, ipsumque lebetis æs liquet: quibus figuris Jerosolymæ obsidio per Chaldæos significabatur. Scribit Michæas, vulgus ab Jerosolymitanis Optimatibus iniquissime vexari: *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ*. Hujusmodi comparationes nihil humile sonabant ea in gente, victimas in Templo cernere assueta, quarum carnes in lebetibus coquebantur in usum Sacerdotum privatorumque, ad sacra ibi facienda confluentium. Aquilo constantissime Assyrios & Babylonios significat, quamquam Geographicæ apud nos Tabulæ Babylonem Judææ orientalem potius quam septemtrionalem exhibent. At errant fortasse Tabulæ; ubique enim Scriptura aquilonem pro regionibus trans Euphratem sitis usurpat. Vel Prophetæ ita de Babylone agebant, ut non verum regionis situm, sed eum qui ipsis videbatur, spectarent. Babyloniorum enim, Chaldæorum & Assyriorum exercitus in Judæam nonnisi per Damascum & Syriam proficiscebantur, cum Arabia deserta exercitibus pervia esse non posset. Quamobrem eorum regio Judæis septemtrionalis esse putabatur.

℣. 15. Convocabo omnes cogitationes regnorum aquilonis, Nabuchodonosorem, cæterosque Reges illi aut subditos, aut fœdere junctos, in vestram perniciem cogo. Cum hujusmodi expeditiones fierent, ingentium Imperiorum Reges una ducebant subditos Principes aut fœderatos. Id ex Holofernis (15), & Benadadi Syrorum Regis, qui duos ac triginta Reges secum traxerat (16), exercitibus intelligimus.

Ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem. Portæ urbis locus erant cœtibus agendis, & juri dicundo destinatus. Alludit ad hunc morem Deus. Principes in Jerosolymam ducam, a quibus illa judicabitur, damnabitur, ac punietur. Uno judice contentus non ero: festinum ac formidabile judicium quæro: in singulis urbis portis tribunal erigam, Regemque, a quo feratur sententia, constituam. Neque is solus erit: illum milites stipabunt, Judicis sententiam executuri; Vos illi obsidione, vineis atque operibus cingent, ut nemo fugiat. Hujus vaticinii fides ad amussim tunc expleta est, cum, capta Jerosolyma, Principes Chaldæi exercitus in urbis porta stetere (17). Hinc Sedeciam Juda Regem captivum ad Nabuchodonosorem, Reblatæ urbe Syriæ morantem, misere, ubi miser judicio damnatus est (18): *Locutus est ad eum judicia*.

℣. 17. Accinge lumbos tuos, et surge et loquere ad eos. Renes cinge, uti solent qui iter aggrediuntur, seu celerrime nuntium ferunt. Judæos meo nomine alloquere. Nihil ex illis verere: ea constantia & dignitate, quæ hominem a Deo missum decet, concionare. Te ego tueor, neque patiar, ut illorum præsentia terrearis: *Nec enim timere te faciam vultum eorum* (℣. 18.). *Ego quippe dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, Regibus Juda, Principibus ejus, & Sacerdotibus, & populo terræ*. Jeremias in Anathoth fuisse videtur, quo tempore missus a Deo est, cum renes cingere, & Jerosolymam proficisci, ibi verba facturus, jubebatur: *Cap. ii. 2. Vade, & clama in auribus Jerusalem*.

(1) Isai. vi. 5. 6. *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*, &c. (2) D. Th. Hugo, Dionys. Lyr. Vat. Sanct. Gor. (3) Vide Isai. vi. 9. 10. Ezech. iv. 2. & xiii. 19. & xliii. 3. Levit. xiii. 13. &c. (4) ויאמר מקל שקד אני ראה (5) Ita Theodoret. Syr. apud Theodoret. Mont. Munst. Pag. Jun. Trem. Grot. Drus. alii passim. (6) Theodoret. hic. Plin. lib. xvi. cap. 25. (7) Καὶ εἶπεν, βακτηρίαν καρυΐνην. (8) ℣. 12. כי שקד אני על דברי (9) Æschyl. Prometh. Vinct. ℣. 365. Ἄγρυπνον βέλος. (10) Aristoph. Lysistrata: Τοῦτι τὸ πῦρ ἐγρήγορε, ... (11) Isai. xxv. 31. xli. 25. Jerem. iii. 12. iv. 6. xiii. 20. & passim. Ezech. xxvi. 7. xxxii. 30. (12) Num. xxi. 28. Deut. xxxii. 22. Judic. ix. 15. Isai. ix. 18. 19. xxvi. 11. & alibi passim. (13) Ezech. xi. 3. & xxiv. 3. 4. & seq. (14) Mich. iii. 3. (15) Vide Judith ii. 7. (16) 3. Regum xx. 1. (17) Jerem. xxxix. 3. *Ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, & sederunt in porta media*. (18) Ibid. ℣. 4.

CAPUT II.

Queritur Deus, Judaeos, se postbabito, Idola secutos. Imminens illorum exitium, idololatriae & infidelitatis causa, praedicitur.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Vade, & clama in auri-
bus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans
adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in de-
serto, in terra, quæ non seminatur. 3. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum
ejus: omnes, qui devorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus.
4. Audite verbum Domini domus Jacob, & omnes cognationes domus Israel: 5. Hæc
dicit Dominus: quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a
me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt? 6. Et non dixerunt: Ubi
est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti: qui traduxit nos per deser-
tum, per terram inhabitabilem, & inviam, per terram sitis, & imaginem mortis,
per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo? 7. Et induxi vos
in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, & optima illius: & ingressi conta-
minastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem. 8. Sacer-
dotes non dixerunt: Ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores
prævaricati sunt in me: & prophetæ prophetaverunt in Baal, & idola secuti sunt.
9. Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris
disceptabo. 10. Transite ad insulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & con-
siderate vehementer: & videte, si factum est hujuscemodi. 11. Si mutavit gens deos
suos, & certe ipsi non sunt dii; populus vero meus mutavit gloriam suam in ido-
lum. 12. Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit
Dominus. 13. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ
vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.
14. Numquid servus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?
15. Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in
solitudinem; civitates ejus exustæ sunt, & non est, qui habitet in eis. 16. Filii quo-
que Mempheos, & Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. 17. Numquid
non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo
ducebat te per viam? 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam
turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? 19. Arguet
te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum, & amarum
est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit
Dominus Deus exercituum. 20. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula
mea, & dixisti: Non serviam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno fron-
doso tu prosternebaris meretrix. 21. Ego autem plantavi te vineam electam, omne
semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena? 22. Si la-
veris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua
coram me, dicit Dominus Deus. 23. Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baa-
lim non ambulavi? vide vias tuas in convalle, scito, quid feceris: cursor levis ex-
plicans vias suas. 24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit
ventum amoris sui: nullus avertet eam: omnes, qui quærunt eam, non deficient: in
menstruis ejus invenient eam: 25. Prohibe pedem tuum a nuditate, & guttur tuum
a siti: Et dixisti: Desperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, & post
eos ambulabo. 26. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt
domus Israel; ipsi, & reges eorum, principes, & Sacerdotes, & prophetæ eorum.
27. Dicentes ligno: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti, verterunt ad me
tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, & libera nos.
28. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictio-
nis tuæ: secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda. 29. Quid
vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus. 30. Fru-
stra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: devoravit gladius vester pro-
phetas vestros, quasi leo vastator. 31. Generatio vestra. Videte verbum Domini:
Num-

Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus
meus: Recessimus: non veniemus ultra ad te? 32. Numquid obliviscetur virgo or-
namenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei die-
bus innumeris. 33. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dile-
ctionem, quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas. 34. Et in alis tuis inven-
tus est sanguis animarum pauperum, & innocentum? non in fossis inveni eos, sed
in omnibus, quæ supra memoravi. 35. Et dixisti: Absque peccato, & innocens
ego sum: & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam te-
cum, eo quod dixeris: Non peccavi. 36. Quam vilis facta es nimis iterans vias
tuas! & ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. 37. Nam & ab ista
egredieris, & manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obtrivit Dominus confi-
dentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea.

℣. 2. VADE, ET CLAMA IN AURIBUS JERUSALEM .... RECORDATUS SUM MISERANS ADOLESCENTIAM TUAM, ET CHARITATEM DESPONSATIONIS TUÆ, QUANDO SECUTA ES ME IN DESERTO. Dubius est loci sensus, & multiplicem explicationem patitur. Memini temporis, quo te in sponsam elegi in deserto Sinai, & adhuc illud adolescentiæ tuæ tempus, eaque benevolentiæ indicia, quæ olim mihi exhibuisti, amo (1). Vel: Prima tui mecum fœderis tempora mente recolo, doleoque, quod te perfidiæ arguere, ac repudiare cogar, cum te tantopere amaverim; ac tam multis beneficiis effecerim (2), quo tempore tibi dux in Arabiæ desertis eram. Huic explicationi plerique Interpretum favent; nullibi enim docet Scriptura, Judæos vel sub ipsa *connubii*, ut verbis Jeremiæ utar, sive fœderis cum Deo exordia, eo erga ipsum amore eave fide fuisse, quæ beneficam adeo Numinis benevolentiam deceret. Ut ad Sinai pervenere, statim vitulum venerati sunt (3); eosque arguit Amos (4), quod profanorum Numinum simulacra in deserto circumtulerint. Aliqua amoris indicia verbo tenus Deo exhibuerunt Judæi, canit Psalmista (5), qui nihil nisi fraudem ac simulationem meditabantur. Ezechiel, Dei amore erga populum sub imagine conjugii, exemplo Jeremiæ, describens, narrat ejus populi flagitia sub adulteræ ac prostitutæ figura, a viro fugientis, ut alios amatores perdite sectetur (6). Osee denique similem ceteris Prophetis descriptionem ejus populi prosequitur (7); neque ulla est Moysis pagina, quæ aliquam Judæorum perfidiam aut seditionem, ingratique animi furorem, toto ejus temporis spatio, quod adolescentia populi a Propheta dicitur, non exhibeat. Cum Deus populi sui misertum se esse, pristinæque erga se benevolentiæ meminisse dicit, id ἀμοιβαῖως ab eo dici putat Theodoretus.

Ceterum neque altera explicatio, quæ locum de sincera populi erga Deum benevolentia, sub ipsum connubii exordium exhibita, intelligit, prorsus negligenda non est; nobisque probabilior videtur, utpote quæ cum Textu & reliqua orationis serie magis nectitur. Hebræus (8): *Recordatus sum tibi* (in gratiam tui) *bonitatis juventutis tuæ, charitatis desponsationis tuæ, cum ambulares post me in deserto*. Facere nequeo, quin suavi aliquo pietatis sensu movear, cum mente revolvo misericordiam, qua te in deserto nudam, inopem, destitutam inveniens, te prosequutus sum, & in sponsam elegi. Memini, me a te amari, coli, summoque studio atque amore observari sub prima connubii hujus tempore, cum me in deserto sequereris. Eo amore studioque, quemquam nondum labe carentibus, adhuc moveor, atque excitor, ubi utrumque cum iis flagitiis, eaque perfidia, quo deinde ruere non cessasti comparo. Editio Romana Septuaginta (9) pro duobus primis hujus capitis versiculis hæc solum legit: *Hæc dicit Dominus: Memini misericordiæ adolescentiæ tuæ, & dilectionis perfectionis tuæ, in eo quod secuta es Sanctum Israel*.

Oratio, quam hic instituit Jeremias, usque ad Caput III. 6. porrigitur. Postquam infinitam Dei pietatem erga populum ostendit, acriter invehitur Jeremias in flagitia, Judam eo tempore inundantia, quorum descriptionem, horribilem sane, prosequitur. Quoddam actionis genus est, quo nervi omnes intenduntur, ut accusatus convincatur. Recole, Jeremiam hic decimo tertio Josiæ anno, vix ad Propheticum munus accersitum, antequam Josias eam morum disciplinam, tam multis laudibus in Scriptura commendatam, inveheret, cujus causa Josiæ dignitas ac fama apud omnes latissime homines crevit. Ea quippe decimo octavo ejus regni anno instituta est.

℣. 3. SANCTUS ISRAEL DOMINO, PRIMITIÆ FRUGUM EJUS. Felicissimo eo tempore, Israelem ceu rem sacram sanctamque habebam, non secus ac fructuum primitias, quæ in templo offeruntur. Quisquis alienus eas tetigerit, profanus est: *Omnes qui devorant eum, delinquunt* (10). Ita populi mei hostes invasoresque, ceu rei sacræ profanatores insectabar, illumque totis viribus tuebar. Vindictæ meæ pondus Ægyptii (11), Amalecitæ (12), Amorrhæi (13), Madianitæ (14), Chananæi (15), omnesque universe populi mei osores, ubique experti sunt. At versis nunc moribus, Israel me destituit, ipsumque vicissim ego destituere, atque in hostium potestate relinquere coactus sum. Simili ferme sententia Osee (16) utitur, cum ait: *quasi uvas* (præcoces) *in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres earum*, quæ statim rapiens, avidissime gustavi. Id porro cum primitiis fructuum Domino consecratis convenit.

℣. 5. QUID INVENERUNT PATRES VESTRI IN ME INIQUITATIS, QUIA ELONGAVERUNT A ME, ET AMBULAVERUNT POST VANITATEM? Miram Dei clementiam, qui rerum erga populum a se gestarum rationem persequi, & veluti cum æqualibus (17) causam agere non recusat, quamvis absoluto jure uti,

(1) Hieron. Vatab. Thom. (2) Chald. Lyran. Dionys. Castr. Castal. Grot. Strigel. Jun. Pisc. Tir. (3) Exod. xxxii. 1. (4) Amos v. 25 26. (5) Psal. lxxvii. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.* (6) Ezech. xvi. 3. & seq. (7) Osee ii. 2. 3. & seq. (8) זכרתי לך חסד נעוריך אהבת כלולתיך לכתך אחרי במדבר (9) Καὶ εἶπε, τάδε λέγει κύριος, ἐμνήσθην ἐλέους νεότητός σου, καὶ ἀγάπης τελειώσεώς σου, τοῦ ἐξακολουθῆσαί σε τῷ ἁγίῳ Ἰσραήλ. (10) Vide Num. v. 9. 10. Levit. xxii. 2. & seq. Deut. xxv. 2. & seq. (11) Exod. xiv. 4. & seq. (12) Exod. xvii. 8. ... 13. 14. (13) Num. xxi. xxii. xxxii. (14) Num. xxv. 17. & xxxi. 2. 3. 7. (15) Josue passim. (16) Osee ix. 10. (17) Vide, si lubet, Mich. vi. 3. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi*, &c. Isai. i. 18. *Venite, & arguite me, &c.* Et v. 3. 4. *Judicate inter me & vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?*

nati, reosque penitus delere, ceu summus vitæ necisque omnium judex atque arbiter, queat! quæ patribus vestris causa querelarum fuit, ut me adeo facile derelinquerent? Incredibilis plane clementiæ artificio, ne impia gens magis magisque irritetur, omnem defectionis culpam in patres majoresque rejicere videtur: *Quid invenerunt patres vestri in me?* Denique ut illorum infirmitati aliquid indulgeat, acribus aut vehementibus objurgandi formulis non utitur, ipsos scilicet Numinum superstitionem secutos, turpissimis flagitiis sese polluisse, aut more prorsus meretricio profanis Diis ultro sese subdidisse: his, inquam, verbis non utitur, sed *Ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt*: vanas imagines sectati, nihilo minus inanes effecti sunt, quam ea ipsa Numina, quæ ipsi coluere. Spectra aucupati, instar fumi evanuere.

℣. 6. Per terram sitis, et imaginem mortis. Hebræus (1): *Terram aridam, & umbram mortis*, tenebris morti & sepulcro simillimis occupatam; sive, per pestiferam sterilemque terram, ubi tuta nulli hominum vita est. Septuaginta (2): *In terra aquis fructibusque carente*. Arabiam Petræam significat, ubi tam diu fuere Israelitæ, quin Deus quicquam illis deesse pateretur.

℣. 7. Induxi vos in terram Carmeli (3), deliciis, miraque ubertate fœcundam. *Carmel* ad verbum sonat *vineam Dei*, vineam eximiam, *agrum fertilem*, sive *spicum plenam*. Carmeli nomine plura Palæstinæ loca nuncupantur (4), ubertatis causa. Carmel pro montibus miræ fœcunditatis, ut *Saron* (5) pro agro uberi, usurpatur.

Contaminastis terram meam, superstitione, libidine, humanis victimis, quolibet denique scelerum genere & flagitiorum. Animadverte, has Jeremiæ objurgationes ante decimum octavum Josiæ annum, inductamque ab Josia morum disciplinam, fuisse pronunciatas.

℣. 8. Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? Me non quæsivere, neglecta penitus ea cura, utrum ego ipsorum gesta probarem, aut flagitia nossem: cæci sponte effecti sunt: populum ex errore minime revocaverunt, monentes: Ubi Dominus? Medium ne inter vos illum esse, non cogitatis? Ipsi ante cæteros me reliquere.

Pastores prævaricati sunt in me. Reges, Principes, ac populi Optimates (6) nedum populum in officio non continuerunt, verum etiam pessimo exemplo in flagitia impulere.

Prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. Universa late regio pseudo Prophetis, sese Baalis spiritu afflari simulantibus, atque Idola colentibus, occupata est. Hi porro terræ sal esse debebant, æneoque muro similes adversus flagitia & impietatem. Hebræus (7) & Septuaginta (8): *Et post ea, quæ non proderunt, ambulaverunt*: idola sectati sunt, quæ neque ipsis nocere poterunt, neque prodesse; at quorum cultus extrema in illos a Deo mala est provocaturus. Manasses & Amon, alter Josiæ avus, alter parens, quodlibet impietatis genus sectati sunt, ipso Baalis cultu non prætermisso (9). Hæ Religionis turbæ usque ad decimum octavum Josiæ annum perseverarunt; quo demum anno Josias omnia superstitionis vestigia toto Regno expellere aggressus est. Porro hæc Jeremiæ oratio ad decimum tertium Josiæ annum spectat, antequam morum ac Religionis vitia corrigerentur.

℣. 9. Cum filiis vestris disceptabo: causæ meæ æquitatem adversus filios vestros, vel ut Hebræus (10), adversus *filios filiorum vestrorum*, tuebor. In jus venit Deus, & causam agit, ceu postulator, adversus Hebræos veteres novosque, tum eos, qui sub Moyse vixerunt, quique post datam solemni ritu fidem, terga adhuc in deserto illi dederunt, tum eos, qui deinde successere. Cum ipse utrosque beneficiis cumulaverit, utrique descivere, ac superstitionem amplexi sunt.

℣. 10. Transite ad insulas Cethim. Cethim inter posteros Javan recensetur (11); isque Joniam, Græciam, & plerasque Ægei & Mediterranei insulas populis frequentavit. Cethim potissimum Cyprum seu Macedoniam significat, uti late docuimus in Genesi: at hic pro omnibus transmarinis populis, & Palæstinæ occidentalibus universe usurpatur. Pars pro universo ponitur, quemadmodum statim *Cedar* pro populis omnibus Palæstinæ orientalibus accipitur: *In Cedar mittite*, ad Cedarenos, ad Arabiam desertam, ad Euphratem. Vide Genesim xxv. 13. Ea in me flagitia patrastis, quæ nulla unquam gens, superstitioni maxime devota. Inanissimam religionem effusissimo studio prosequuntur: verentur, ne satis Numinum studiosi non appareant; pessimaque animi sui libidine eo feruntur, ut eos, qui paria in hac re non sentiunt, perditissima insectentur: vos me, vos reliquistis, ut Deos alienos sequamini.

℣. 11. Populus meus mutavit gloriam suam in idolum. Deus passim Israelis gloria nuncupatur. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*; inquit Psalmista (12). Et (13): *Tu es gloria mea, Domine, tu exaltans caput meum*. Arca etiam fœderis *Dei gloriæ* nomine interdum significatur (14).

℣. 12. Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, in questus luctumque, nullo solatio levandum, descendite. Testes flagitiorum populi sui imminentisque populo supplicii, cœlos vocat. Hebræus reddi potest (15): *Obstupescite, cæli, super hoc, & horrescite, desolamini vehementer*. Sive: *Desolamini, Cæli, super hoc, & portæ ejus vastamini vehementer*. Terror, tumultus, vastitas vos occupat, ceu captam ab hoste urbem. Septuaginta (16): *Obstupuit cælum super hoc, & inhorruit extra modum vehementer*. Chaldæus: *Lugete, Cæli, propter hoc, propter terram Israel, quæ futura est in desolationem, & propter domum sanctuarii, quæ futura est in destructionem*. Portæ cœli vel cœlorum robur, vel Angelos, sive etiam Templum (17), cui portæ cœlorum appellatio aptari potest, significant.

℣. 13. Foderunt sibi cisternas dissipatas, fissas, in rupe rimis plena. Seu potius: Cisternæ, quas ipsi foderunt, tectorio male compacto instructæ sunt; aquas non continent. Cisternis hisce suppetiæ exterorum significantur, quas Hebræi ab Assyriis & Ægyptiis postulaverant: eæ vero nedum illis inutiles, verum etiam exitiales fuere. Alii de inanibus Diis explicant, quos illi effusissime sequebantur.

℣. 14. Numquid servus est Israel, aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam? Ea ne conditio illius est, ut hostium præda sit? An ex earum gentium numero, quas Deus ceu servas & inimicas habet? Nonne filius Dei est ac familiaris, electa gens, atque a cæteris segregata? Cur igitur ita in illum animadvertit Deus, ceu

(1) ציה וצלמות (2) Ἐν γῇ ἀνύδρῳ, ἐν ἀκάρπῳ. (3) ואביא אתכם אל ארץ הכרמל (4) Josue xv. 55. 1. Reg. xv. 12. xxv. 2. & 3. Reg. xviii. 19. & 4. Reg. xix. 23. Cant. vii. 5. Isai. x. 18. xxxii. 15. xxxv. 2. (5) 1. Par. xvii. 29. Isai. xxxiii. 9. xxxv. 2. S. Hieronymus & Eusebius licet sua quatuor agros Saroniticos agnoscant. (6) Chal. Theodoret. Grot. Vide 3. Reg. xxxii. 17. Eccle. xii. 11. Isai. xxiii. 11. (7) ואחרי לא יועלו הלכו (8) Καὶ ὀπίσω ἀνωφελοῦς ἐπορεύθησαν. (9) 4. Reg. xxi. 3. (10) ואת בני בניכם אריב Septuag. Καὶ πρὸς τοὺς υἱοὺς τῶν υἱῶν ὑμῶν κριθήσομαι. (11) Genes. x. 4. (12) Psalm. cv. 20. (13) Psalm. iii. 4. Vide & Rom. i. 23. (14) 1. Reg. iv. 21. 22. (15) שמו שמים על זאת ושערו חרבו מאד (16) Ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξεν ἐπὶ πλεῖον σφόδρα. Codices quidam ferunt, Ἔφριξεν ἡ γῆ. (17) Vide Psalmum lxxvii. 7. & 9. collatum cum Genes. xxviii. 17. Psal. cxvii. 20.

cen in servum malum, qui plagis conficitur, & vinculis oneratur? Christus ab Apostolis quærit (1), quo ex hominum genere gentium Principes vectigalia exigant; e subditis ne filiisque, an ex alienis? Apostolis statim respondentibus, ex alienis; igitur, inquit Christus, filii Regni vectigalibus solvendis immunes sunt. Salomon amplissimis ac nobilissimis ædificiorum suorum operibus nonnisi exteros addixit (2). Judæi nunquam non libertate gloriabantur. *Nemini servivimus unquam*, ajunt iidem in Evangelio (3). Cur igitur, inquit Jeremias, Deus in illum ceu in servum animadvertit? Scilicet is a Deo secessit, ac Dei filiorum populique dignitatem, violato adoptionis fœdere, ab sese abdicavit.

℣. 15. SUPER EUM RUGIERUNT LEONES. Israelem aggressi sunt Ægyptiorum & Chaldæorum Reges, ejusque regionem vastavere (4). Rem futuram veluti elapsam ponit Jeremias. Josiæ ætate, Judæorum res nondum in eas angustias, quæ hic describuntur, devenerant. Nondum vastata fuerat regio, neque urbes crematæ: utrumque tamen ab ipso Manassis tempore decreverat Deus.

℣. 16. FILII QUOQUE MEMPHEOS ET TAPHNES CONSTUPRAVERUNT TE USQUE AD VERTICEM. Turpissimam in te libidinem expleverunt (5), ut nulla tui pars illorum libidine vacet. Te indignissime summoque cum contemptu imbuere; seque, magna suppetiarum pollicitatione opibus tuis spoliatam, statim insultantes oppresserunt. Sive ita explicata sententia, ut Judæorum superstitionem arguat. Ægyptiorum libidines ac turpissima scelera impudentissime sectata es, o Jerosolyma; nulloque pudore in detestabilem prostitutionem ruisti: Deo, sponso tuo, relicto, absurda, ridicula, impudica Deorum monstra amplexa es. Memphis Ægypti superioris metropolis erat: *Taphne* eadem ac *Daphnæ Pelusiæ* xvi. M. passibus a Pelusio, meridiem versus.

℣. 18. ET NUNC QUID TIBI VIS IN VIA ÆGYPTI, UT BIBAS AQUAM TURBIDAM? Hebræus (6): *Et nunc quid tibi & viæ Ægypti, ut bibas aquas Sihor?* Scilicet, ut particeps sis Ægyptiacæ impietatis ac superstitionis; sive, ut suppetias ab Ægyptiis petas. Arguit frequenter Hebræos Deus, quod spem in exteris collocaverint: id quod in ipsius Dei opprobrium cadere videbatur, quasi populus suus suis ipsius viribus, ac patrocinio non crederet. Innumera Divinæ Omnipotentiæ argumenta senserat Israel: zelotypum esse Deum norat, minime passurum, ut alius præter se Deus a populo coleretur. Fœdus aliquod cum Ægyptiis inierat Ezechias, quo nomine ab Isaia acerrime arguitur (7). Sedecias, supremus Judæ Rex, Ægyptiorum opem frustra speraverat (8), Osee, Regum Israelis ultimus, auxiliares in Salmanasarum copias ab Ægyptiis postulaverat (9). Id vero minime dissimulaverant Prophetæ, constantissime minitati futurum, ut impios Reges Deus destitueret, eosque humanæ vires minime tuerentur. Josias Ægyptiorum aut Assyriorum opes unquam implorasse, nuspiam legitur: at non omnia fortasse illius gesta in Scripturæ Libris tradita sunt; aut hæc Jeremiæ verba præteritorum Regum ætatem, potius quam præsentem, spectant. Hæc eadem prosequitur Isaias inferius ℣. 36. quo ex loco illud magis magisque videtur, Josiam fœdus aliquod cum Ægyptiis iniisse; quod quamdiu aut quibus legibus steterit, ignoratur.

Aquæ Sichar, sive aquæ turbidæ, Nili aquæ sunt. Turbidas plerumque aquas, uti late alibi docuimus (10), trahebat Nilus; quamobrem a Profanis interdum *Siris*, quæ vox non multum abludit a *Sichor*, interdum *Melas*, quæ vox Græce nigrum, turbidum sonat, appellabatur. Nili aqua potui eximia est (11). Præsto sunt Nili aquæ, aiebat ad milites quidam Imperator, & vinum postulatis? Nili aquæ in urnis seu doliis ex argilla servabantur, teste Strabone (12), qui Aristidem laudat, narrantem, eas minime putrescere, tribusque aut quatuor amplius annis intra ejusmodi dolia servari, & quo vetustiores sunt, eo pluris fieri, uti apud nos vinum solet. Aquas Ægyptii in Templis venerabantur, servabantque in urnis elegantissimis, ac probe opertis, iisque & votis & obsequio supplicabant (13).

ET QUID TIBI CUM VIA ASSYRIORUM, UT BIBAS AQUAM FLUMINIS, Euphratis? ut Assyriorum Religionem sequaris, ut suppetias ab iis postules. Utrumque peccavit Achaz, opem a Teglathphalassaro postulans, & Syriorum superstitiones imitatus (14). Jeremias post Achazum floruit. Judæos universe arguit, quod advenarum opes flagitaverit. Fortasse adhuc vectigalis fœderatusque cum Assyriis Regibus erat Josias, eorumque adeo studiosus, ut Nechao Ægyptiorum Regi, arma in Euphratem moventi, occurrere voluerit (15).

℣. 19. ARGUET TE MALITIA TUA. Tota hæc Jeremiæ oratio quoddam actionis genus continet (16), quo Propheta Dei causam adversus populum tuetur. Ut convincaris, tuæque causæ injustitiam agnoscas, tua ipsius nequitia, seditio tua atque infidelitas te accusabunt. Hos tantummodo testes volo, ut probro obruaris.

℣. 20. A SÆCULO CONFREGISTI JUGUM MEUM. Ceu indomitum animal, agricolæ repugnans, *dixisti: Non serviam*. Sive: Jugum, quo mecum jungebatis, ceu cum viro uxor (17) fregisti. Legitimum obsequium, quod initi mecum fœderis causa mihi debebas, abjecisti: repudium quæsivisti, tuaque libertate abusa es, extremas animi tui libidines sequens: *Sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix:* Hebræus (18): *A sæculo* (ab initio) *confregi jugum tuum, rupi vincula tua, & dixisti: Non serviam*. Servitute & ærumnis, quibus apud Ægyptios opprimebaris, te eduxi: at tu beneficio ingrata, dixisti: Non servio. Levissimam beneficii mercedem postulavi. Siquid ex te flagitabam, illud certe præmio non vacabat. At tu meæ servitutis expers esse voluisti. Ajunt nonnulli, hæc verba, *Confregi jugum tuum*, illud tantummodo significare, prædixi, te fracturam jugum; sive, te frangere jugum passus sum. Septuaginta (19): *A sæculo confregisti jugum tuum, & dirupisti vincula tua, & dixisti: Non serviam tibi*. Quæ lectio cum Vulgata convenit. Chaldæus: *Confregi a sæculo jugum populorum de collo vestro, succidi vincula vestra, & dixistis: Non addemus ultra transgredi verbum tuum*.

℣. 21. EGO AUTEM PLANTAVI TE VINEAM ELECTAM,

OMNE

[1] Matt. xvii. 24. [2] 3. Reg. ix. 22. [3] Joan. viii. 33. [4] Theodoret. Hieron. Sanct. [5] Grot. hic: *Græci dixerunt ἐξεπόρνευσαν, Latini, constuprarunt; quod ipsum cum in Latino, tum hic in Hebræo, maximum contemptum, & illusionem significat.* [6] ועתה מה לך לדרך מצרים לשתות מי שחור [7] Isai. xxx. 2, 3. & seq. 4. Reg. xviii. 20. 21. [8] Ezech. xvii. 15. 16. 17. [9] Osee vii. 11. ix. 3. & 4. Reg. xvii. 4. [10] Josue xiii. 3. in Commentario. [11] Petr. Matt. Mediolan. Legat. Babyl. lib. 3. fol. 90. Morison, voyage, liv. ch. 20. &c. [12] Strabo lib. 17. 799. [13] Vitruv. Præfat. lib. 8. Julius Firmicus Maternus: *Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa votorum continuatione venerantur.* [14] 2. Par. xxviii. 23. *Achaz spoliata domo Domini, & domo Regum ac Principum, dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz immolavit Diis Damasci victimas percussoribus suis.* [15] 4. Reg. xxiii. 29. [16] Vide supra ℣. 9. [17] Hieron. Maldon. Menoch. [18] כי מעולם שברתי עלך נתקתי מוסרותיך ותאמרי לא אעבד [19] Ὅτι ἀπ' αἰῶνος συνέτριψας τὸν ζυγόν σου, καὶ διέῤῥηξας τοὺς δεσμούς σου, καὶ εἶπας, οὐ δουλεύσω σοι.

OMNE SEMEN VERUM. Hebræus (1): *Et ego plantavi te Sorek totam ipsam, semine vero*, vero semine Sorek te implevi. Non satis liquet, utrum eo nomine significetur quoddam vitis genus, an ea vitis de nomine regionis Sorek, vineis celeberrimæ (2), nuncupetur. Illud certe constat, vitem fuisse plurimi æstimatam (3). Nostras hac de re conjecturas dedimus in Isaiam, ℣. 2. Docet R. Salomon, vites Sorek caruisse acinorum nucleis: id quod ridiculum plane est, & sanæ rationi contrarium; quasi naturæ Author, cum vitium semen in nucleis clauserit, hujus unius vitis causa ab instituto recesserit, quodque cæteris arboribus dedit, huic uni non concesserit.

QUOMODO CONVERSA ES MIHI IN PRAVUM, VINEA ALIENA? Vitis mea, quæ, me relicto, vitis aliena effecta es, quam in gentium potestate relinquo, ceu hæreditatem, quam ego penitus aversor. Satæ a se vitis comparatione frequenter utitur Scriptura, ut electus a Deo Judæorum populus significetur (4). Hebræus (5): *Quomodo conversa es mihi in palmitem degenerem, & vitem alienam?* Septuaginta (6): *Quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena?*

℣. 22. SI LAVERIS TE NITRO, ET MULTIPLICAVERIS TIBI HERBAM BORITH, MACULATA ES IN INIQUITATE TUA CORAM ME. Hebræus (7): *Signata est iniquitas tua coram me*, sive sigillo obsignata, condita, ceu res quam amitti pigeat, quæque seu sub clavi seu sub signo conditur, ex Veterum more. Nitrum salis genus est, in Arabia, Palæstina & Ægypto familiarissimum, cujus usus in lixiviis erat, cum panni ex lana linove tergerensor. Adhibebatur etiam removendis faciei maculis (8), adversus impetigines, ac cætera cutis vitia, quæ pustulæ vel exulcerationes pariunt. Eo utebantur Orientales fœminæ ceu fuco; ipsumque inter mundi muliebris impedimenta recenset Pollux (9); fateturque Ovidius (10) nitro vitia cutis auferri, ipsamque cutem teneriorem fieri, & mundiorem. Vetat S. Athanasius (11), virgines faciem lavantes herba seu nitro uti. Nitrum olim aceto solvebatur, cum in usum pararetur, teste Salomone in Proverbiis xxv. 20. idque Medici vetustissimi confirmant, ut in hunc Proverbiorum locum docuimus.

Herbam borith S. Hieronymus (12) putat in locis humentibus ac riguis Palæstinæ provenire, abluendisque sordibus opportunissimam esse, non secus ac nitrum; quo loco innui ab eo putamus herbam kali, vel eam quam nos Galli dicimus *soude*, cui vis tergendarum sordium est, uti testantur Itineraria (13). Censuere complures, *borith* esse saponem, sive herbam *saponariam* (14), cujus cinere conficitur lixivium, sive ea sit quam dicimus *soude*, sive filix, aliudve herbæ genus; satis enim non constat, quid *saponariæ* nomine significetur, cum alii herbam lychnin, alii struthion Dioscoridis ea voce indicari putent. Sunt qui meliori jure censeant, herbæ borith significationem tam late vagari, quam saponariæ. Quicquid sit, æqua certe ratio postulat, ut herbam, de qua agimus, in Judæa finitimisque regionibus quæramus. Porro iis in locis nonnisi struthion Veterum, & *soda*, vel kali Arabum occurrit, cui ea vis conveniat, quam hic Jeremias de herba borith seu fullonica prædicat.

Soda vulgaris est arbor in Syria, Judæa, Ægypto & Arabia. Tereti folio est, sedo seu sempervivo simili. Caulem geniculatum fert, atque e singulis nodis, dum crescit, folia pinguia & concava, quæ a pingui petiolo usque ad verticem tenuantur, ibique minima sunt, tenuissima & rubra. Flos rotam forma imitatur, fructumque ferme teretem ac parvum parit, nucleo curvo instar cochleæ plenum (15). Sapor salsus, ceu marini feniculi. Hoc autem artificio sale purgatur: scrobs hac herba viridi adhuc impletur: tum e superiori parte ignis injicitur, utque flamma herbam absumit, nova semper additur herba; dum tota scrobs cineribus repleatur. Extincto igne, ac cinere frigefacto, si lixivium simplex fieri velis, aquam per eos cineres transmittito: ea enim salem acerrimum refert, maculis auferendis tergendisque pannis e lana linove opportunissimum. Dicitur etiam *sodæ* folio manibus perfricato, cutis tergeri, ablatis sordibus maculisque. Eadem vi pollet sal kali. Quamobrem minime mirum est, illam ab Jeremia usurpari, ceu medicamen, quo cutis candidior ac mundior efficitur.

Sapo ita conficitur (16). E cineribus *sodæ*, seu kali, uti nuncupant Arabes, acerrimum lixivium fit, quod deinde in lapideum lacum infunditur, cujus ima pars ærea lamina instruitur, instar sartaginis: tum olivum miscetur pro saponis copia, quam fieri volunt: ignis deinde subjectus, diu noctuque nutritur. Singulis diebus novum lixivium infunditur, qua proportione prius minuitur, & ignis vi absumitur. Novem seu decem diebus per æstatem, quinis per hiemem coquitur ea lixivii & olei mistio. His probe confectis, alterum lixivium additur ex aqua per *Sodæ* cineres & calcem transmissa: omnibus demum optime excoctis, vase quodam octo vel decem pintarum capaci lacus hauritur. Densissima mistionis pars, quæ cæteris innatat, super calcem humi stratam injicitur, eaque, ubi deferbuit, adeo durescit, ut hominum supra gradientium vestigia non timeat. Tum in partes scinditur, quarum unicuique nota sigillo inducitur. Hæc saponem conficiendi ars apud Syros. Utrum eadem Jeremiæ ætate obtinuerit, ignoratur: certe is de hoc herbæ genere, seu viridi, sive in lixivium saponemve parato, agere videtur; eademque esse herba, quam borith nuncupat, sive *herbam fullonum*; borith quippe non proprium herbæ nomen esse videtur, sed appellatio, ex vi tergendi maculas candorisque inducendi orta.

℣. 23. QUOMODO DICIS: NON SUM POLLUTA. Qua fronte rem notissimam negas? Scelera tua, tuamque superstitionem omnes norunt. Negas, te *post Baalim ambulasse*: at nonne pedum tuorum vestigia *in valle Hinnon*, ad portas Jerosolymæ sunt, ubi tu sævissimum Numen Menoch, humanis victimis litans, coluisti? Rarior Baalis cultus in Juda, quam in Regno decem Tribuum fuit: at non minima Judæ pars ea superstitione occupata est. Baalem coluit Manasses (17); & ante Manassem, Athalia ejusque filii Phœnicum & Jezabelis super-

[1] ואנכי נטעתיך שורק כלה זרע אמת [2] Judic. xvi. 4. *Quæ habitabat in valle Sorec.* [3] Vide Genes. xlix. 11. Isai. v. 2. & xvi. 8. [4] Psal. lxxix. 9. 15. Isai. iii. 13. v. 1. & seq. Ezech. xvii. 6. &c. [5] ואיך נהפכת לי סורי הגפן נכריה [6] Πῶς ἐστράφης εἰς πικρίαν ἡ ἄμπελος ἡ ἀλλοτρία. [7] נכתם עונך לפני [8] Plin. lib. xxxi. c. 10. *Nitrum utile his quæ evocanda sint, aut discutienda, & leniter mordenda, atque extenuanda, sicut in papulis, pustulisve . . . . Extenuat scabritiae genarum cum fico illitum . . . Vitiligines albas emendat . . . In facie quoque exulcerationes sanat . . . Sic & adversus lepras, & lentigines.* [9] Pollux lib. 7. cap. 22. [10] Ovid. de medicamine faciei. [11] Athanas. seu quispiam alius de virginitate tom. 2. p. 116. nov. edit. n. 21. [12] Hieron. hic: בורית 70. *transtulerunt ποίαν, ut significarent herbam fullonum, quæ juxta ritum provinciæ Palæstinæ, in virentibus, & humentibus nascitur locis, & ad lavandas sordes eamdem vim habet, quam & nitrum.* [13] Vansleb, voyage d'Egypte p. 131. [14] Ita Kimchi Salom. Ben-Melech, alii plures apud Michael. Lang. Dissert. singulari de herba borith p. 18. [15] Vide descriptionem traditam a Tournefortio tab. 129. & Bauchin theatr. lib. 7. sect. 7. p. 259. [16] Vide Voyage de M. Ranvolf, apud Dissertationem 5. Jo. Mich. Langii, de herba borith, Altorf. an. 1705. in quarto, pag. 25. [17] 4. Reg. xxi. 3. & 2. Par. xxxiii. 3.

perstitionem imitati fuerant (1). Achar simulacra Baali dedicavit (2). Josias Baalis aras, fana, simulacra evertit (3), at decimo octavo tantum regni sui anno; atque hæc Jeremiæ oratio ad decimum tertium Josiæ annum spectat. Manassis & Achaz superstitionem impietatemque revocasse videntur Josiæ filii, vix patri successerunt; quamvis nihil ea de re Historici Scripturæ libri tradunt. Certe Jeremias acriter illos hujus sceleris arguit (4).

Vide vias tuas in convalle. Septuaginta (5): *In sepulcro multitudinis*. Qua voce significare videntur Vallem Hinnon, ubi vulgi sepulcra erant, & Molocho sacra fiebant.

Cursor levis explicans vias suas. Hebræus (6): *Dromedaria levis*, sive juvenis cameli fœmina, *perniciter discurrens vias suas*, sive implicans, confundens, perturbans vias suas, a mare ad mare aliud discursitans, multosque excipiens (7), & consuetas gignendi vias turbans. Moyses, ut extremam libidinem, quæ ante diluvium debacchabatur, significet, ait (8): *Omnis caro corruperat viam suam*. Aliis quidem utitur vocibus Moyses, quæ tamen eamdem rem, quam hic, significare creduntur. Explicant alii: Nullo ordine, nullaque certa via discurrens, ceu animal quod furens amor agit. Judam comparat Jeremias cum Meretrice effrænis immoderatæque libidinis, quæ intemperantiæ suæ furori impudicissime obtemperat. Camelus immodice in Venerem furit; quo tempore ad illum accedere nemini impune est. Is tota die eum fœmina moratur (9). S. Hieronymus (10), Symmachus & Theodotio putant, Hebraica voce *Becburah* Capream significare.

℣. 24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. Ex iis quæ sequuntur, Onagrum fœminam intelligendam esse discimus. Marem odore sentit, tantoque impetu, ad eum fertur, ut nulla vi coerceri queat; ferme ut equæ, de quibus Virgilius (11):

Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis...
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, &c.

Onager fœmina marem sequitur (12): *Mares singuli fœminarum gregibus imperitant*. Nullum libidinosius animal Onagro est.

Omnes qui quærunt eam, non deficient (facile invenient): In menstruis ejus invenient eam, scilicet Onagrum fœminam. Nullo negotio invenietur: Illam mas ex vestigiis facile assequetur; quoddam enim virus effundit, illi simile, quod *Hippomanes* in equabus dicitur (13). Ita Jerosolyma meretrix est, quam furens amor agitat: Procos ubique discurrens quærit, eosque indefesso ardore persequitur. Neque arduum est illam agnoscere, quippe quæ libidinem suam palam profitetur; mediisque in Menstruis purgationibus prostabit. Hebræus (14): *In mense suo invenient eam*. Septuaginta (15): *In humilitate ipsius reperient illam*; Syrus: *In viis ejus*; alii (16), *In mense quo calet*.

℣. 25. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Frustra monui, ne impudicitiam sequereris, pedesve (17) seu turpes corporis partes vitares. Frustra edixi ut furentem libidinis æstum vitares (18), quem nulla vis extinguat: Monita & consilia respuisti, impudicissime professa: Pudorem omnem exui: Non obtempero, vel, non resipiscam: acta res est: nihil jam vereor: *Desperavi*, non faciam. Chaldeus: *Prohibe pedem tuum, ne te jungas populis; & os tuum, ne colas idola Populorum*. Hebræus reddi potest: *Ne nudis pedibus incedas in numinum honorem, neque eu implores usque ad sitim*, & raucedinem. At prior explicatio aptior videtur.

℣. 26. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur: sic confusi sunt domus Israel. Israelitæ, quamquam vitiis corruptissimi, scelera tamen sua, & flagitia fateri renuebant (19); constantique erga Deum fide & Religionis studio gloriabantur: at quemadmodum homini, qui eximio probitatis nomine gaudet, intolerabile dedecus est, si furti reus deprehendatur; ita Israel quamprimum probro obruetur, ubi extremas inter angustias positus, nullam in Diis inanibus opem experietur.

℣. 28. Secundum numerum civitatum tuarum erant Dii tui, Juda. Unaquæque Urbs peculiare sibi numen elegit. Sive: nulla non Urbs impium Idolorum cultum secuta est, nullaque superstitione vacat. Israeliticas Urbes hujus flagitii arguit Osee, (20): *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria juxta ubertatem terræ suæ, exuberavit simulacris*. Has comparat Ezechiel cum meretrice, quæ lupanaria in Capite omnium viarum sibi statuit (21). Corruptissimos fuisse ea ætate mores in Juda, necesse est.

℣. 29. Quid vultis mecum judicio contendere? cur reos vos esse non fatemini? Probrum, & convicia, quibus animadvertere in vos cogor, vitaretis.

℣. 30. Frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Spretis animadversionibus meis, nullam emendationem excepere. Malis omnibus, quibus Judas superstitione vitiatus afflictus est, revocari a flagitiis non potuit.

Devoravit gladius vester Prophetas vestros. Sunt qui falsos Prophetas intelligant, a Judæis cæsos (22). At hujusmodi ariolorum cædes laude potius digna erat, quam vituperatione. Sanctos igitur Domini Prophetas, a Regibus populisque odio habitos ac necatos, intelligi necesse est. In Juda, Zacharias Jojadæ filius inter Templum & altare, jubente Joas, cæsus est (23); Isaias, uti dicitur, sub Manasse Rege Juda sectus est in duas partes (24). Achab Israelis Rex, ejusque Uxor Jezabel quolibet ærumnarum genere Domini Prophetas in Regno suo commorantes exa-

(1) 2. Par. xxiv. 7. (2) 2. Par. xxviii. 2. (3) 4. Reg. xxiii. 4. & 2. Par. xxxiv. 4. (4) Jerem. xxia. 5. axiii. 13. xxxii. 59. 35. (5) Septuag. Ἴδε τὰς ὁδούς σου ἐν τῷ πολυανδρίῳ. Aqu. & Sym. Ἐν τῇ φάραγγι. (6) בכרה קלה משרכת דרכיה (7) Grot. Ludov. de Dieu. Vide Byn. de Calceo Hebr. lib. 1. cap. 7. art. 4. (8) Genes. vi. 11. 12. (9) Vide Arist. nat. hist. lib. 6. cap. 18. Plin. lib. 8. cap. 6. *Cameli solitudines, aut secreta certe petunt; neque intervenire datur sine pernicie: coitus toto die est*. (10) Hieron. hic: *Quomodo caprea levis, quam nos genere communi cursorem diximus, significantiusque Aquila, Symmachus, & Theodotio vertere δρομάδα νέαν*. (11) Virgil. Georgic. 3. (12) Plin. viii. cap. 30. Vide nos in Osee viii. 8. (13) Georgic. 3.

Hinc demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus.

(14) בחדשה ימצאונה (15) Septuag. Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτῆς εὑρήσουσιν αὐτήν. Ita & Theodot. (16) Vide Ludov. de Dieu, & Boch. de animal. par. 1. lib. 3. cap. 16. (17) Hebræi pedes pro turpibus corporis partibus usurpant. Isai. vii. 20. xxxvi. 12. Thren. 1. 9. Ezech. xvi. 25. (18) Prov. xxx. 16. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, Sufficit: infernus, & os vulvæ, & terra quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit, sufficit*. Vide Jun. Grot. Sanct. Menoch. alios. Vide, si placet, ad Cant. iv. 1. 7. (19) Supra ℣. 23. *Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulavi?* Et infra ℣. 35. (20) Osee x. 1. (21) Ezech. xvi. 24. 25. (22) 3. Reg. xviii. 40. 4 Reg. x. 25. (23) 2. Par. xxiv. 21. 22. (24) Vide nos in Præfatione ad Isaiam.

exagitavere (1). *Zelo zelatus sum*, ajebat Elisa (2), *pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, &c.* & Christus (3): *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, &c.*

QUASI LEO VASTATOR, GENERATIO VESTRA: VIDETE VERBUM DOMINI. Variam hic sententiam ferunt puncta Massoretarum. Vertunt Alii, junctis simul iis quæ præcedunt & quæ sequuntur: *Devoravit gladius vester Prophetas vestros, quasi leo vastator. O generatio, vos audite Verbum Domini.* Alii (4): *Devoravit gladius vester Prophetas vestros, quasi leo vastator, o sæculum! o tempora! vos videte verbum Domini.* Vel: *Vos*, perversa *natio*, *audite verbum Domini*. Septuaginta (5). *Gladius devoravit Prophetas vestros, ceu leo vastator; & non timuistis. Audite Verbum Domini.* Gladium quodammodo anima instructum ponit Propheta, cum homines vorantem inducat. *Videre* hic est *audire*.

℣. 31. NUMQUID SOLITUDO FACTUS SUM ISRAELI, AUT TERRA SEROTINA; frigida humus, soli non exposita, fructus ægre maturans? Hebræus (6): *Numquid desertum fui Israeli, aut terra caliginis*, meridiem vel orientem nonquam videns? Humus ad occasum versa, deterrima omnium est. Septuaginta (7): *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra plena sentium?* Chaldæus & Syrus: *Numquid sicut solitudo, aut sicut terra deserta*, sterilis inutilisque?

RECESSIMUS, ET NON VENIEMUS ULTRA AD TE. Hebræus (8): *Dominati sumus*, nostra in potestate sumus; *non veniemus ultra ad te*. Aliter: *Derelicti sumus*, tu nos despicis; ad te reverti recusamus. Decrevimus: certum est, non redimus. Denique ex Chaldæo: *Migravimus, non revertemur ultra ad cultum tuum.* Septuaginta (9): *Dixit populus meus: Non serviemus, neque veniemus ad te ultra.*

℣. 32 AUT SPONSA FASCIÆ PECTORALIS SUÆ, vittæ qua sinum mammasque coercet? Hebrea vox (10) *Kesurim* significare potest torquem, auream catenam, sive aliud cinguli genus; nihilque in Textu est, quod de strophio, seu vitta pectorali intelligi jubeat. Inter ornamenta fœminarum suæ ætatis, hanc recenset Isaias (11); eamque vocem S. Hieronymus reddit *murænulam*. Orientales fœminæ nullo thoracis genere utuntur, ut corporis elegantiam tueantur, & sinum coerceant. Vide *Darvieux*, *Coutumes des Arabes*, *chap. 16. pag. 259.*

℣. 33. QUID NITERIS BONAM OSTENDERE VIAM TUAM, AD QUÆRENDAM DILECTIONEM, ut penes me gratiam ineas? Cur me fallere conaris, meamque amicitiam simulatæ æquitatis specie aucuparis? Mox diximus, Judæos, quantumvis flagitiis implicatos, justos piosque videri voluisse, neque aut Prophetarum monita pati, aut sua ipsorum flagitia confiteri.

QUÆ INSUPER ET MALITIAS TUAS DOCUISTI VIAS TUAS; cæteros docuisti flagitia, quæ ipsa patrabas. Cumque hæc ita sese habeant, justi a cæteris haberi vultis? Nedum vos ipsi mala geritis, sed docetis, & objurgantem pati recusatis. Hebræus, qualis apud nos est, legit (12): *Ideo etiam malas docui*, ostendi esse, *Pias tuas*. Id egisti, ut te in jus vocaram, tibique ostenderem malas esse vias, quas sequebatis. Quæ sequuntur, huic explicationi optime favent. Septuaginta (13) totum versiculum ita reddunt: *Quid? adhuc bonum invenies in viis tuis* (bene ages) *ad quærendam dilectionem*, ut benevolentiam meam aucuperis? *Non sic. Sed, & tu malignata es* (secuta es malum) *ad polluendum vias tuas*. Chaldæus: *Quid gloriaris in viis tuis, ut compares tibi benevolentiam populorum? insuper & mala docuisti ex viis tuis.*

℣. 34. ET IN ALIS TUIS INVENTUS EST SANGUIS ANIMARUM PAUPERUM, scilicet in oris vestimentorum tuorum. Septuaginta (14): *& in manibus tuis inventi sunt sanguines animarum innocentium*. Prior tamen Versio cum Hebræo magis convenit (15). Vis a me haberi innocens, tuaque ipsius vestimenta madent cruore sanctorum prophetarumque & pauperum, quos tuæ ipsius sævitiæ avaritiæque immolasti, sive puerorum, victimarumque humanarum, quas mactasti Molocho (16).

NON IN FOSSIS INVENI EOS, SED IN OMNIBUS locis, ubi sanguis fusus est, in tuis ipsius vestibus. Cædem incaute adeo patrasti, ut fusum a te cruorem humo non operueris, illumque in ipso cædis loco invenerim. Hæc pars actionis sunt: Judæos ejusmodi argumentis refellit, quæ minime frangi queant. Sub ipsum Regni exordium Manasses Jerosolymam cædibus compleverat, & cruorem ad os usque obruerat (17): *Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os.*

℣. 36. QUAM VILIS FACTA ES NIMIS, ITERANS VIAS TUAS, ad priora flagitia rediens? vel, iterum suppetias ab alienis postulans, toties repulsa atque contempta, cum illi toties datæ fidei defuerint. Te fallet Ægyptus, nullamque tibi opem feret, quemadmodum tulere nullam Assyrii. *Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* Theglathphalassarum Achaz in Palæstinam accivit; at breve auxilium, quod is tulit, Achazo fatale & successoribus fuit (18). Nihilo utilior aut fidelior erit Ægyptius. Hebræus verti potest (19): *Quam vilis facta es, mutans*, seu corrumpens, *vias tuas?* Meretrici similis, quæ obvios quosque amplectitur; vel, ex Vulgatæ sententia, amatores ultro quærentis, eorumque repulsis & injuriis non offensæ. Septuaginta (20): *Contempsisti valde*, ad priora flagitia rediens, sive, *iterans vias tuas*, veteres scilicet vias iterum sequens, Deum contempsisti, & flagitia tam frequenter reprehensa, iterum amplexa es.

℣. 37. NAM ET AB ISTA EGREDIERIS, ET MANUS TUÆ ERUNT SUPER CAPUT TUUM: Ab Ægypto discedes plorans, caput manu operiens, quemadmodum Thamar e cubiculo fratris sui Amnonis, qui eam stupraverat, egressa est, scissis vestibus, manibusque capiti impositis (21): ita tu ex Ægypto, quo profecta fueras opem postulatum, egredi cogeris; ubi enim te probro & contemptum affecerint, irrisiones denique contemptui addent. Id sub Sedecia contigit; cum enim hic Ægyptium Regem magna pecuniarum vi ad opem sibi ferendam accivisset, Pharao Ægypto egressus, profectusque quasi suppetias Jerusolymæ laturus (22), a Nabuchodonosore cæsus pulsusque est. Quamobrem Judæos hac ope spoliatos, omnis illico spes atque omne præsidium destituit, quippe quos Deus hominesque dereliquerant.

(1) 3. Regum xix. 1. & sequ. (2) Ibidem ℣. 10. (3) Matth. xxiii. 34. 37. (4) אכלה חרבכם נביאיכם כאריה משחית: הדור אתם ראו דבר יהוה (5) Μάχαιρα κατέφαγε τοὺς προφήτας ὑμῶν ὡς λέων ὀλοθρεύων. Καὶ οὐκ ἐφοβήθητε· ἀκούσατε λόγον κυρίου. (6) המדבר הייתי לישראל אם ארץ מאפליה (7) Μὴ ἔρημος ἐγενήθην τῷ Ἰσραὴλ, ἢ γῆ κεχερσωμένη. (8) רדנו לא נבוא עוד אליך (9) Διότι εἶπεν ὁ λαός μου, οὐ κυριευθησόμεθα, καὶ οὐχ ἥξομεν πρός σε ἔτι. (10) כלה קשריה Καὶ νύμφη στηθοδεσμίδα αὐτῆς. (11) Isai. iii. 20. (12) לכן גם את הרעות למדתי דרכיך (13) Τί ἔτι καλὸν ἐπιτηδεύσεις ἐν ταῖς ὁδοῖς σου τοῦ ζητῆσαι ἀγάπησιν; οὐχ οὕτως· ἀλλὰ καὶ σὺ ἐπονηρεύσω τοῦ μιᾶναι τὰς ὁδούς σου. (14) Καὶ ἐν ταῖς χερσί σου εὑρέθησαν αἵματα. (15) גם בכנפיך נמצאו דם (16) Theodoret. hic. (17) 4. Reg. xxi. 16. (18) 2. Par. xxviii. 21. *Adduxitque Dominus contra eum* [Achaz] *Theglathphalassar, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit, &c.* (19) מה תזלי מאד לשנות את דרכך (20) Ὅτι κατεφρόνησας σφόδρα, τοῦ δευτερῶσαι τὰς ὁδούς σου. (21) 3. Reg. xiii. 19. (22) Jerem. xxxvii. 5. . . . 10.

CAPUT III.

Infinita Dei erga populum misericordia. Hortatur, ut superstitionem abjiciant. Felicitas Jerosolymæ promissa. Novi pastores, quales Deo placent. Jerosolymæ gloria & felicitas.

℣. 1. VUlgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam. 2. Leva oculos tuos in directum, & vide, ubi non prostrata sis: in viis sedebas, expectans eos quasi latro in solitudine: & polluisti terram in fornicationibus tuis. 3. Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, & serotinus imber non fuit, frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. 4. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: 5. Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti. 6. Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis: Numquid vidisti, quæ fecerit aversatrix Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi. 7. Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere, & non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, 8. Quia pro eo, quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii: & non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, & abiit, & fornicata est etiam ipsa. 9. Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, & mœchata est cum lapide, & ligno. 10. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. 11. Et dixit Dominus ad me: Justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Judæ. 12. Vade, & clama sermones istos contra Aquilonem, & dices: Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. 13. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: & dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem meam non audisti, ait Dominus. 14. Convertimini filii revertentes, dicit Dominus: quia ero vir vester: & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. 15. Et dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina. 16. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultra: Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius: nec visitabitur, nec fiet ultra. 17. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. 18. In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis, ad terram, quam dedi patribus vestris. 19. Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me: & post me ingredi non cessabis. 20. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus: 21. Vox in viis audita est, ploratus, & ululatus filiorum Israel: quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. 22. Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster. 23. Vere mendaces erant colles, & multitudo montium: vere in Domino Deo nostro salus Israel. 24. Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, & armenta eorum, filios eorum, & filias eorum. 25. Dormiemus in confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, & patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad diem hanc: & non audivimus vocem Domini Dei nostri.

℣. 1. VULGO DICITUR: SI DIMISERIT VIR UXOREM SUAM, ET RECEDENS AB EO, DUXERIT VIRUM ALTERUM, NUMQUID REVERTETUR AD EAM ULTRA? Hebræus (1): *Dicitur: En dimittet vir uxorem suam, &c.* Septuaginta solum ferunt (2) *Si dimiserit vir uxorem suam*, &c. Pergit superioris capi-

(1) לאמר הן ישלח איש את אשתו וגו

(2) Ἐὰν ἐξαποστείλῃ ἀνὴρ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, &c.

capitis oratio. Hactenus Jerosolymam, exhibuit Jeremias sub perfidę uxoris imagine, virum relinquentis, ut libidinem sectetur. Mosaica lege (1) fas erat viro uxorem repudiare, si *quam fœditatem* in uxore invenisset; ita ferunt Legis verba; at illam revocare, si hæc alteri nupsisset, quamvis ab altero repudiatam, sive defuncto altero viro viduam, nefas erat. Addit Moyses: *Ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam*; quasi perinde sit, promissam Regionem profanare, & uxorem ab altero viro repudiatam revocare. Ad hæc Legislatoris verba alludere videtur Hebręus, cum ait (2): *Nonne profanando profanata est terra ista*; cum Vulgata ferat, *Numquid non polluta & contaminata erit mulier ista?* Nonne, si uxorem ita repudiatam revocea, perinde est atque regionem tuam polluas, Deoque detestabilem facias? ita igitur colligit Propheta: Aliquis inter vos homo, qui semel repudium uxori dedit, ab illa abhorret, ubi ea alteras nuptias inierit. Eadem mihi adversum te ratio est: Digna eras quam ego desererem: polluta es inter alienos Deos: at perfidię tuæ oblivisci, teque revocare decrevi, dum vitæ institutum mutes. *Fornicata es cum amatoribus multis*; Septuaginta (3), *cum pastoribus multis*: *Tamen revertere ad me, & ego suscipiam te*.

℣. 2. Leva oculos in directum (in altum), et vide ubi non prostrata sis. Hebręus (4): *Leva oculos tuos ad loca edita*, ad montes collesque, ubi profanos Deos coluisti, innumerisque scortationibus polluta es tum animo, tum corpore, cum turpissimos inanium Deorum ritus sequereris.

In viis sedebas, expectans eos, quasi latro in solitudine. Septuaginta (5): *In viis Jerosolymæ sedebas, quasi cornix deserta*, corvos impatienter expectans ut eos sequatur, iisque jungatur. Novi plures Interpretes vertunt (6): *Sicut Arabes, qui habitant in tentoriis in deserto*. Vel: ceu in deserto Arabs, in insidiis in via eras. Omnis Arabum vita quolibet tempore latrociniis occupata est (7). Hebræa vox *Arab* corvum significare potest, Arabem, vesperam, nocturnum furem. Meretrices olim in viis sedebant. Vide quæ diximus in Genesi ad Thamaris Historiam (8). Eamdem rem probant Proverbia (9), & Ezechiel (10). Meretricem describit Sapiens in insidiis positam, latronis more, quæ adolescentem sub vesperam dubia luce aggreditur. Prov. vii. 8. 9.

Polluisti terram in fornicationibus tuis. Terra ipsa quodammodo libidines tuas horret, quæ regionem omnem pessimo exemplo in flagitia impuleris. Unusquisque rectum vitæ institutum corrupit; nihilque nisi horrore dignum apud te videri. Polluta dicitur Regio, cujus incolæ corrupti flagitiis sunt.

℣. 3. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum. Siccitatem innuit, quæ sub Josia contigit, inferius recitatam, capite v. ℣. 24. aliam plane ab ea, quam prædicit Capite viii. 13. 20. & Prophetico more describit Capite xiv. ℣. 3. claudendus est intra parenthesim: Regionem tuam quolibet flagitiorum genere polluisti (quamobrem extremæ tempestatis imbres prohibiti sunt): Meretricia fronte in flagitiis perseverasti. Hebræa vox (11) *Malkosch*, quæ reddi solet *imber serotinus*, illum significat, qui post sementem, circa Novembrem, in Judæa labitur (12). Septuaginta (13) longe aliam ab Hebræo sententiam ferunt, atque hanc siccitatem prorsus omittunt: *Habuisti pastores multos*, qui fuerunt *in offensionem tibi: facies tua facta est meretricis: Sine rubore facta es ad omnes*.

℣. 4. Pater meus, dux virginitatis meæ tu es, sive adolescentiæ meæ custos. Pater meus es, vir meus. Patri succedit vir in custodienda pudicitia puellæ quam ducit. Hebræi virum nuncupabant (14) *custodem virginitatis*, sive adolescentiæ uxoris. Postula a Deo Sapientiam, inquit Salomon, de fœmina loquens, virum deserente ut liberius vivat (15), *ut eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit Ducem*, custodem, *pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est*. Mos est apud Hebręos puellas suas nuptui dare præcociter. Vide dissertationem nostram de connubiis Hebræorum. Vide Itin. Mandorli tom. 2. pag. 198. & passim & tom. 2. pag. 212. Pagani vero puellas suas tandiu servant donec consummando conjugio sint aptæ. Idem tom. 2. pag. 216.

℣. 5. Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Verba perfidę uxoris sunt, quam hortatur Propheta, ut ad virum revertatur (16): Dicito: Pater meus es, Dominus, custos, vir adolescentiæ meæ: semper ne furor tuus in me ardebit? Justitia & severitas locum misericordiæ nunquam dabunt? At tu, cum sequi hæc monita deberes, Deique tui clementiam votis humilibus implorare, *ecce locuta es & fecisti mala, & potuisti*, scilicet, quicquid poteras, male loqui & agere non cessasti. Reddi Hebræus potest (17): *Numquid servabit* iram suam *in sæculum? Num servabit* furorem suum *in æternum?* (Hæc verba genus masculinum ferunt). *Ecce locuta es, & fecisti mala, & prævaluisti*. [Hæc fœmineum habent]. Clementiam meam nequitia tua superavit. Invita animi mei pietate, te servare, revocare atque in amicitiam restituere volentis, assiduis flagitiis tuis actus delerere te cogor.

℣. 6. Dixit Dominus ad me in diebus Josiæ Regis. Alterius orationis exordium (18). Postquam Jeremias Judæ perfidiam, superstitionem, & cætera vitiorum genera quadam causę actione arguit ab initio capitis ii. nunc denique Deus, ceu Judex, sententiam fert, iterumque Judæos hortatur, ut ad sese redeant. Hæc gesta sunt ante decimum octavum Josiæ annum, quo tempore Judæi inter extremas libidines versabantur.

Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel? Qui Judæ flagitia narrasti, an oblitus es quæ gesserit rebellis Israel, decem Tribuum Regio? Hebræa vox (19) *Mesubah*, quæ redditur *Aversatrix*, seditiosa, toto hoc capite significare potest uxorem minime morigeram, infidelem, a Viro disce-

(1) Deut. xxiv. 1. 2. &c. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii . . . Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.* (2) הלא חנוף תחנף הארץ ההיא (3) 70. Οὐ μιαινομένη μιανθήσεται ἡ γυνὴ ἐκείνη, καὶ σὺ ἐξεπόρνευσας ἐν ποιμέσι πολλοῖς. (4) שאי עיניך על שפים (5) Ἐπὶ ταῖς ὁδοῖς ἐκάθισας αὐτοῖς ὡσεὶ κορώνη ἐρημουμένη. (6) על דרכים ישבת להם כערבי במדבר Ita Chald. Munst. Pag. Mont. Vatab. & alii plerique. (7) Genes. xvi. 12. Diodor. Sicul. lib. 2. Strabo lib. 16. Plin. l. 6. c. 26. Hieronym. hic. (8) Genes. xxxviii. 14. (9) Prov. xxiii. 27. 28. *Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena . . . . insidiatur in via quasi latro.* Ibid. cap. vii. 9. 10. (10) Ezech. xvi. 25. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Vide & ℣. 31. (11) וימנעו רביבים ומלקוש לא היה (12) Deut. xi. 14. (13) Καὶ ἔσχες ποιμένας πολλοὺς εἰς πρόσκομμα σεαυτῇ· ὄψις πόρνης ἐγένετό σοι, ἀπηναισχύντησας πρὸς πάντας. Vocem Hebræam, quæ amatores significat, jam reddiderant *pastores*, ℣. 1. (14) אלוף נעורי Septuag. Ἀρχηγὸν τῆς παρθενίας. (15) Prov. ii. 16. 17. העזבת אלוף נעוריה Joel 1. 8. על בעל נעוריה (16) Ita Chald. Thom. Vat. Isidor. Castr. Maldon. (17) הינטר לעולם אם ישמר לנצח הנה דברת ותעשי הרעות ותוכל (18) Ita Grot. Jun. Tremel. Pisc. alii quidam. (19) הראית אשר עשתה משבה ישראל

ſcedentem ac deſciſcentem. Septuaginta (1): *Domus Iſrael*.

℣. 7. Et vidit prævaricatrix Soror ejus Juda; neque verite eſt, ne ſimilibus malis opprimeretur. Dominum reliquit, quodlibet libidinum genus amplecta. Decem Tribus multo maturius in ſuperſtitionem ruerant quam Regnum Juda. Jeroboam filius Nabath, Iſraelis Rex, populum omnem ſtatim in aureorum vitulorum cultum tracit. Ejus impieratem euecere ſucceſſores, omneſque Profanorum Deos, ritusque ſuperſtitioſos, quos didicerant, in Iſraelem inveeere. Provocetus horum flagitiis Deus, illos abjecit, atque in Aſſyriorum poteſtatem dedit, qui everſo Regno, incolas traos Euphratem miſere. Vidit hæc Judas: Iſraelis ſcelere & flagitia vidit. Pios identidem Principes habuit, qui Dei cauſam agentes, populum ad officii leges revocavere. Regni Iſraelitici ærumnæ Judam docebant, quid ſibigerendum eſſet, ſibique Iſraeli imitanti ſeriem malorum immineret. Prophetæ contumacem populum altis clamoribus hortari, minis terrere, arguere non ceſſabant. Hic denique ſententiam fert in illum Deus, et ita temperatam, ut illos ſimul hortetur, ſerio ac ſincere reſipiſcant, ipſos ſeſe eecepturum pollicitus, boniſque cumulaturum, ubi ad ſeſe redierint.

℣. 9. Facilitate fornicationis suæ contaminavit terram. Hebræus (2): *Levitate*, facilitate, incontinentie *libidinis ſuæ*, *contaminavit terram*. Vel; *Clamore fornicationis ſuæ*, notiſſima turpiſſimeque libidine, *terram polluit*. Septuaginta (3): *Et facta eſt in nihilum fornicatio ejus*. Flagitia tua Religioni ſibi non duxit; arroganter, ſecura fronte, impudenterque patravit. Lapidem lignumque coluit. Illam numine corrupere: *Mœchata eſt cum lapide & ligno*.

℣. 10. Non est reversa ad me . . . . in toto corde suo, sed in mendacio. Variæ morum reſtaurationes ſub Regibus Joas, Ezechia, Manaſſe, aliiſque in Judam inductæ ſunt: at nunquam e ſuperſtitione populus ſincere ſeſe abdicavit. Interdum publicus rudiorque Numinum cultus deſerebatur, edius locis, ſecretiſque ſuperſtitionibus minime repudiatis. Interdum, ſervato Aſtrorum cultu, Baal ſpernebatur. Denique vix mortuo eo Rege, qui bonorum diſciplinam inſtauraverat, ablatoque metu, quo populus coercebatur; ſi quis e Regibus Dei contemptum, cultumque Deorum aut diſſimulabat, aut patiebatur, aut peſſimo exemplo docebat, ſtatim populus in veteres conſuetudines, propenſamque animi libidinem ruebat, ee re docens luculentiſſime, ſeſe neque ſerio neque conſtanter reſipuiſſe, nihilque illis ad peſſime agendum opportunitatem defuiſſe & libertatem.

℣. 11. Justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Juda. Iſraelitice gens multo juſtior viſa eſt, quam Judaica. Vel: Seſe innoxiam eſſe docuit, cum Juda comparatam; hæc enim Iſraelis flagitia ſuperavit. Hoc ſenſu ejebat Ezechiel xvi. 51. Samaria juſtiores ſeſe demonſtraſſe Sodomam & Gomorrham, quod gravioribus quam illæ flagitiis ſeſe implicuiſſet: *Juſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es*. Venia digniores erant decem Tribus, quam Juda, quippe quæ tam multis bene agendi adminiculis non abundarent. Nullus inter Iſraeliticos Principes noſcitur vere pius, qui populum ab erroribus revocaverit. Prophetarum numerus in Iſraele minor fuit: Domini Templum longe aberat: deerant frequenter Sacerdotes Doctoreſque: at plurimos habuit Prophetas Juda, doctos pioſque Sacerdotes, Reges ſanctiſſimos: nullum denique Religionis adminiculum illis deſuit. Samariæ ſupplicium quam ecrirer animos Juda movere debuit? At contumae gens his abuſa, nihilo melior effecta eſt: quamobrem Samariæ crimina ſnis leviora eſſe quodammodo demonſtravit (4).

℣. 12. Vade, et clama sermones istos contra aquilonem, ad Samariam, quæ plagam Jeroſolymæ ſeptemtrionalem occupabat, vel, ad Aſſyriam, regionemque trans Euphratem ſitam, quo decem Tribus captivæ abductæ fuerant. Jubetur Jeremias ad Septemtrionem converti, eaſque Tribus vocare, ut ad Dominum revertantur, atque in patriam & Jeroſolymam redeant, cum Juda multo ipſis deterior ſit: Revertere ad me, teque ego non averſabor: Iniquitatem tuam fatere, & te excipiam.

Non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, et non irascar in perpetuum. Hebræus (5): *Non cadere faciam faciem meam in vos*, vel ſuper vos: *Quia benignus ego ſum, dicit Dominus*. Septuaginta (6): *Non firmabo faciem meam ſuper vos*, vos iratus non intuebor, iram meam in vos non explebo, *quia miſericors ego ſum*. Hæc Phraſis, *firmare faciem ſuam ſuper aliquem*, ſignificat gravem Dei furorem in aliquem (7): *Homo quilibet de domo Iſrael & de advenis qui peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo*. At malo explicare ee Vulgaræ ſententia: Os ab eo non avertam, vel, oculos eo præſente non demittam, uti fit, ubi quis odioſum aliquem alloquitur, quem ſibi devincire non vult, atque hilari & amica oris ſpecie convenire. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* inquit ad Cainum Deus (8). Huic contrarium eſt *levare faciem*, ſecura fronte coram aliquo ſtare. *Recede*, ajebat ad Azaelem Abner (9), *ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem meam ad Joab patrem tuum*; coram Joabo ſtare non potero. David Deum alloquens (10): *Signatum eſt* [Hebr. Leva] *ſuper nos lumen vultus tui Domine*: propitiis nos oculis intuere & largire quæ poſtulamus.

℣. 13. Dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso (11), alienorum libidini te objeciſti, ceu nupta mulier, quæ voluptatem uni viro debitam, aliis impartitur. Cultum meum cum numinum obſequio jungere voluiſti.

℣. 14. Convertimini, filii, revertentes, quia ego vir vester, et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione. Hebræus (12): *Convertimini filii refractarii*, dixit Dominus, *quia ego patronus ero veſter*; meum ſub patrocinium excipiam, meoſque veluti ſubditos iterum agnoſcam: *& aſſumam vos*, ubi ubi eritis, etiam ſi in aliqua urbe unus tantum, aut duo in tota regione ſitis. Vel: *Vos* ego excipiam, etiam ſi unus e tota urbe, & duo e tota Provincia reverti velit. Hæc ad amuſſim expleta ſunt poſt Cyri edictum, quo poteſtas Judæis fiebat in patriam revertendi (13). Complures decem Tribuum Iſraelitæ in Palæſtinam rediere, ſed parvis agminibus turmiſque, atque, ut ita dicam, ſingulatim. Id tamen minime obfuit, quin longo temporis ſpatio frequentaretur regio, atque ingens populi collectio efficeretur.

(1) Ἡ κατοικία τοῦ Ἰσραήλ. (2) ותהי מקל זנותה ותחנף את הארץ (3) Καὶ ἐγένετο εἰς οὐδὲν ἡ πορνεία αὐτῆς. (4) Vide Theodoret. & Hieron. hic. (5) לא אפיל פני בכם כי חסיד אני נאם יהוה (6) Καὶ οὐ μὴ στηρίσω τὸ πρόσωπόν μου ἐφ' ὑμᾶς, ὅτι ἐλεήμων ἐγώ εἰμι. Ita & Syr. & Arab. (7) Levit. xvii. 10. (8) Geneſ. iv. 2. (9) 2. Reg. ii. 22. (10) Pſal. iv. 7. (11) הפזרי את דרכיך לזרים תחת כל עץ רענן Flagitia Judæ ſimilibus verbis expreſſerat ſuperius. Vide Caput ii. 23. *Vide vias tuas in convalle . . . . Curſor levis explicans vias ſuas*. 36. *Vilis facta es nimis iterans vias tuas*. Ita & Prov. xxvi. 19. 20. *Viam viri in adoleſcentia, . . . via mulieris adulteræ*. Geneſ. vi. 12. *Omnis caro corruperat viam ſuam*. (12) שובו בנים שובבים נאם יהוה כי אנכי בעלתי בכם ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה Ἐπιστράφητε υἱοὶ ἀφεστηκότες, διότι ἐγὼ κατακυριεύσω ὑμῶν, καὶ λήψομαι ὑμᾶς ἕνα ἐκ πόλεως, καὶ δύο ἐκ πατριᾶς. (13) Theodoret. Hebræi apud Hieronym. Thom. Hugo, Sanct. Grot.

retur. Christo inter homines nato, prædicatoque hominibus Evangelio, hæc multo absolutissime expleta sunt, cum gentes & Judæorum pars, quos Deus fidei munere locupletavit, Christo nomina dederint.

℣. 15. DABO VOBIS PASTORES JUXTA COR MEUM. Pastores juxta cor Dei, populo Babylone reverso dati, fuere Zorobabel, Jesus Josedechi filius, Esdras & Nehemias. At in Novo Testamento, Christus pastorum caput & Princeps, Apostolos Ecclesiæ dedit, homines spiritu suo plenos, qui solidum jucundumque cibum, panem vitæ, & salutis scientiam populo præbuerunt.

℣. 16. NON DICENT ULTRA: ARCA TESTAMENTI DOMINI: sanctissimo hoc deposito in posterum non gloriabuntur, neque huic Divinæ opis pignori absolute fident: aliquid pretiosum magis, sacrum augustumque suppetet; idem scilicet ipse Deus medio in populo morabitur; cumque antea Domini arca intra Sanctuarii septum clauderetur, tota deinceps Jerosolyma Dei sedes erit, ejusque solii scabellum: *In tempore illo vocabitur Jerusalem solium Domini*. Hactenus arcæ fœderis depositum penes unum Judam fuit; at vobis ex Assyria reversis, Sacrum hoc monumentum genti universæ commune futurum est. Scripta de hoc argumento Dissertatione docuimus, post secundi Templi restaurationem, Fœderis arcam, qua Legis Tabulæ continebantur, intra Sanctuarium non fuisse; quamobrem huic vaticinio fides satis constituit. At his prætermissis, illud certo constat, integram absolutamque vaticinio fidem tum denique stetisse, cum orto inter homines Christo, Legis umbræ evanuere, res figuram excepit, relictisque a Christo in Ecclesia suo ipsius corpore & sanguine, sub Sacramenti specie velatis, ipsa fœderis arca, veteresque ritus ceu res inutiles abolitæque haberi cœperunt.

℣. 17. CONGREGABUNTUR AD EAM OMNES GENTES. Non ægre crediderim, soluta captivitate, magnam peregrinorum vim ad Judaica Sacra conversam sese populo junxisse; aliosque complures Religionis causa identidem ad templum accessisse, ut Sacra Omnipotenti Deo facerent, quamvis circumcisionis ritum, cæterasque Legis religiones non amplecterentur. Aliqua hujus rei vestigia in Scripturis & Josepho videntur. Nemo tamen demonstraverit, Prophetarum oracula, quæ frequentibus adeo in locis gentes universas Jerosolymam conventuras prædicunt, absolutissime expleta fuisse, antequam Christus inter homines esse, & gentes nomina Christo dare cœpissent.

℣. 18. IN DIEBUS ILLIS IBIT DOMUS JUDA AD DOMUM ISRAEL, ET VENIENT SIMUL DE TERRA AQUILONIS, e regione trans Euphratem sita, quo captivi ducti fuerant. Discimus ex Paralipomenis, Esdra & Nehemia, plurimos ex decem Tribuum Israelitis, cum Juda & Beniamino junctos, in Palæstinam una rediisse. Hic decem Tribuum reditus sensim & per partes contigit, uti animadvertimus, cum longo plurium annorum anno redierint. Vide nostram Dissertationem de Reditu decem Tribuum, ad Ezechielem.

℣. 19. EGO AUTEM DIXI: QUOMODO PONAM TE IN FILIOS? Dixeram: Vos in filiorum numero recensere meditor. Vel: Meeum ipse dixi: illud ego committam, ut genus tuum labefactatum ac diminutum restituam, atque augeam? filios reddam, vestrasque cædes restaurem? vos in patriam revocem, vobisque gentium imperium largiar: *Hæreditatem præclaram exercituum gentium?* Putavi optimam rationem explendi ea, quæ vestri gratia meditor, hanc esse, ut Patris naturam erga te induerem, tibique imperarem, ut me Patris loco haberes, mihique obtemperares: *Et dixi: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis*. Tu vero spretis hisce conditionibus, consilia mea tui amantissima frustra perire coegisti. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsisti me*.

HÆREDITATEM PRÆCLARAM EXERCITUUM GENTIUM, scilicet multitudinis & robotis gentium. Hæc explicari possunt de imperio in alienos, innumeris Prophetarum oraculis Jerosolymæ promisso; quorum tamen fidem absolutissime expleverunt Ethnici, cum, datis Christo nominibus, Ecclesiæ paruerunt. Hebræus (1) de præstantia Israeliticæ Regionis, cujus ubertati gentes ceteræ invidebant, explicari potest. Ad verbum: *Hæreditatem elegantiæ*, seu desiderii, *exercituum gentium*. Septuaginta (2): *Hæreditatem Dei omnipotentis gentium*.

℣. 21. VOX IN VIIS AUDITA EST, PLORATUS ET ULULATUS FILIORUM ISRAEL. Contemptum tuum tuamque perfidiam ultus sum ærumnis, quibus te obrui passus sum. Gentis oppressæ clamores ubique & gemitus. Virium mearum pondus nunc experimini, postquam mea beneficia, meæque munificentiæ munera rejecistis. Hebræus (3): *Vox super excelsa loca audita est*, vel in agris (4), sive in viis (5); *fletus & deprecationes*, sive miserabilis ploratus. Septuaginta (6): *Vox de labiis audita est ploratus & deprecationis*.

℣. 22. CONVERTIMINI FILII REVERTENTES (refractarii), ET SANABO AVERSIONES VESTRAS, scilicet mala, quæ in vosmetipsos induxistis, cum a me desciceretis. Reddi potest (7): *Revertimini, filii, revertimini, & sanabo reversionem vestram*; vel sensu plane contrario: *Revertimini, filii contumaces, & sanabo contumaciam vestram*. Septuaginta (8): *Revertimini, filii, revertimini* sincero animo, *& sanabo contritiones vestras*. Israelis filios trans Euphratem captivos alloquitur. Vid. Caput IV. ℣. 1.

℣. 23. VERE MENDACES ERANT COLLES ET MULTITUDO MONTIUM. Inutiles certe fuere colles & edita loca, quo Deos veneraturi conveniebamus. Fefellere nos Dii, quos ibi coluimus, ac pro ope quam ex iis expectabamus, nos penitus destitutos ærumnisque oppressos experimur. *Mendaces colles* stetitelque frequentavimus, & coluimus nullo prorsus fructu.

℣. 24. CONFUSIO COMEDIT LABOREM PATRUM NOSTRORUM. Vel: Idolum, probrum labores patrum nostrorum absumpsit. Hebræi pro Nomine Baal, quod efferre verebantur, usurpabant *Boseth*, probrum (9); ita pro *Miphi-Baal* & *Meri-baal* ajebant, *Miphi Boseth* & *Meri boseth*: Permisit Deus, ut majores nostri, postquam inanium deorum obsequio diu laborarunt, laborum fructu penitus carerent. Aliter: Turpissimum Numen Majorum nostrorum labores voravit. Hi enim cum illi oves, tauros ac liberos immolaverint, nullum obsequii præmium retulerunt.

℣. 25. DORMIEMUS IN CONFUSIONE NOSTRA. Æquissimo justitiæ tuæ consilio Deus noster nos in probro reliquit; & obsequium quod Diis exhibuimus, conditionem morte nihilo meliorem, captivitatem scilicet, exilium, oppressionem nobis parere passus est. *Dormire* frequenter pro morte usurpatur, & mors pro extremis calamitatibus. Reddi etiam potest Hebræus (10) ex sententia Septuaginta (11): *Dormivimus in confusione nostra, & cooperuit nos ignominia nostra*.

(1) נחלת צבי צבאות גוים Iudæa dicitur terra צבי 2. Reg. 1, 19. Ezech. xx. 6. Dan. xi, 16. Theod. hic: Κληρονομίαν ἐθνῶν. (2) Κληρονομίαν Θεοῦ παντοκράτορος ἐθνῶν. (3) קול על שפיים נשמע בכי תחנוני בני ישראל (4) Ludov. de Dieu. Vide sup. ℣. 2. & IV. 11. Ita & Chald. hic. קלא על נגרין (5) Syr. Vulgat. (6) Φωνὴ ἐκ χειλέων ἠκούσθη, κλαυθμοῦ, καὶ δεήσεως. Legunt שפאים pro שפיים (7) שובו בנים שובבים ארפה משובותיכם (8) Ἐπιστράφητε υἱοὶ ἐπιστρέφοντες, καὶ ἰάσομαι τὰ συντρίμματα ὑμῶν. Sym. Conversiones. (9) Jeremias usurpat בשת probrum pro idolo. Vide Jerem. XI 13. Osee X. 16. (10) נשכבה בבשתנו ותכסנו כלמתנו (11) Ἐκοιμήθημεν ἐν τῇ αἰσχύνῃ ἡμῶν, καὶ ἐπεκάλυψεν ἡμᾶς ἡ ἀτιμία ἡμῶν.

CAPUT IV.

Populum hortatur Deus, ut ad sese redeat, & convertatur; malaque extrema illi prædicit, si in scelere perseveraverit. Ærumnas Juda deflet Propheta & miserabili narratione describit.

℣. 1. SI reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere: sic abstuleris offendicula
tua a facie mea, non commoveberis. 2. Et jurabis: Vivit Dominus, in ve-
ritate, & in judicio, & in justitia: & benedicent eum Gentes, ipsumque laudabunt.
3. Hæc enim dicit Dominus viro Juda, & Jerusalem: Novate vobis novale, & noli-
te serere super spinas. 4. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium ve-
strorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem: ne forte egrediatur ut ignis indignatio
mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum ve-
strarum. 5. Annuntiate in Juda, & in Jerusalem auditum facite: loquimini, & ca-
nite tuba in terra: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur civita-
tes munitas: 6. Levate signum in Sion. Confortamini, nolite stare, quia malum ego
adduco ab Aquilone, & contritionem magnam. 7. Ascendit leo de cubili suo, &
prædo gentium se levavit, egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitu-
dinem: civitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore. 8. Super hoc ac-
cingite vos ciliciis, plangite, ululate: quia non est aversa ira furoris Domini a nobis.
9. Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis, & cor principum: & obstu-
pescent sacerdotes, & prophetæ consternabuntur. 10. Et dixi: Heu, heu, heu, Do-
mine Deus, ergone decepisti populum istum, & Jerusalem, dicens: Pax erit vobis:
& ecce pervenit gladius usque ad animam? 11. In tempore illo dicetur populo huic,
& Jerusalem: Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei: non
ad ventilandum, & purgandum. 12. Spiritus plenus ex his veniet mihi: & nunc
ego loquar judicia mea cum eis. 13. Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas
currus ejus: velociores Aquilis equi illius: væ nobis, quoniam vastati sumus. 14.
Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te co-
gitationes noxiæ? 15. Vox enim annuntiantis a Dan, & notum facientis idolum de
monte Ephraim. 16. Dicite gentibus: Ecce auditum est in Jerusalem custodes veni-
re de terra longinqua, & dare super civitates Juda vocem suam. 17. Quasi custo-
des agrorum facti sunt super eam in gyro: quia me ad iracundiam provocavit, dicit
Dominus. 18. Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua,
quia amara, quia tetigit cor tuum. 19. Ventrem meum, ventrem meum doleo, sen-
sus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit ani-
ma mea, clamorem prælii. 20. Contritio super contritionem vocata est, & vastata
est omnis terra: repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ. 21. Us-
quequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ? 22. Quia stultus populus meus
me non cognovit: filii insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt, ut faciant mala,
bene autem facere nescierunt. 23. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; &
cœlos, & non erat lux in eis. 24. Vidi montes, & ecce movebantur: & omnes col-
les conturbati sunt. 25. Intuitus sum, & non erat homo: & omne volatile cœli re-
cessit. 26. Aspexi, & ecce Carmelus desertus: & omnes urbes ejus destructæ sunt a
facie Domini, & a facie iræ furoris ejus. 27. Hæc enim dicit Dominus: Deserta
erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam. 28. Lugebit terra, & mœ-
rebunt cœli desuper: eo quod locutus sum, cogitavi, & non pœnituit me, nec aver-
sus sum ab eo. 29. A voce equitis & mittentis sagittam, fugit omnis civitas: in-
gressi sunt ardua, & ascenderunt rupes; universæ urbes derelictæ sunt, & non habi-
tat in eis homo. 30. Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum
ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: con-
tempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. 31. Vocem enim quasi partu-
rientis audivi, angustias ut puerperæ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque
manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

℣. 1. SI REVERTERIS, ISRAEL, AD ME CONVERTERE. Si serio ad me reverti decrevisti, seriam conversionem institue. Jamdiu duas in partes claudicas, teque ipsum simulata, inconstanti imperfectaque conversione decipis. Constantem jam pœnitentiam, solidam atque absolutam ample-

ctere. Vel (1). Si reverti e captivitate cupitis o Israelitæ, meisque viribus liberari captivitate qua opprimimini, seria conversione resipiscite. Hæc verba ad orationem Capite superiori ℣. 6. inceptam pertinere, satis liquet. Captivos Israelitas a ℣. 20. ejusdem Capitis ad hunc usque locum alloqui pergit. Septuaginta (2): *Si conversus fuerit Israel, ad me convertetur*, vel convertatur. Chaldæus: *Si converteris, Israel, ad cultum meum, acceptabilis erit conversio tua, antequam signetur sententia tua.*

SI ABSTULERIS OFFENDICULA TUA A FACIE MEA, NON COMMOVABERIS. Si Deos tuos, malorum tuorum originem, serio abjeceris, e patria non expelleris, ubi semel ingressa fueris. Profani gentium Dii apud scripturam odioso nomine scandali, lapidis offensionis lapsusque nuncupantur (3). Montem Olivarum Judæi ob Deos ibi cultos montem scandali appellabant. Reddi potest Hebræus (4): *Si abstuleris abominationes tuas a me, non vagaberis*. Septuaginta (5): *Si abstulerit abominationes suas de ore meo, & a facie mea reveritus fuerit.*

℣. 2. ET JURABIS, VIVIT DOMINUS, IN VERITATE, ET IN JUDICIO, ET IN JUSTITIA. Jusjurandum non imperat Deus, sed permittit (6). Si ea fide, sinceritate, veritatis & Justitiæ studio, quod e discipulis exigit Christus, homines instruerentur, nunquam omnino jurarent; æquissimus esset illorum sermo; nihilque gravius in commerciis exigerent, quam aut assererent aut negarent (7): *Ego autem dico vobis non jurare omnino.... Sit autem sermo vester*, Est Est, Non Non. Judæos, cum jurare coguntur, per suum ipsius nomen jurare jubet, vetatque ne per alienos Deos jusjurandum nuncupent, & nunquam nisi ex *veritate, judicio, & justitia* jurent. Hæc si adsint, jusjurandum pars Religionis est, qua Deus colitur; quippe illius veritatis æquitatis, summæque potestatis confessio.

ET BENEDICENT EUM GENTES, IPSUMQUE LAUDABUNT, ubi Israelem serio ad Deum converti, Deos fugere, ac Dei nomine ex veritate, judicio, & æquitate jusjurandum nuncupare viderint, Dicent; Æterna sit Domino laus, Deo gentis adeo sanctæ, justæque, ac fidelis (8); cum olim vitæ ratio ab Israele institutæ ipsis Ethnicis scandalo fuerit. S. Hieronymus de Israele explicat: Alienæ gentes Israelem tunc laudibus cumulabunt, cum illius justitiam & æquitatem aspexerint. Hebræus verti potest (9): *Benedicunt sibi invicem in eo gentes, & in eo laudabunt se*, dicentque: Te beneficiis bonisque cumulet Deus, quemadmodum Israelem. Vel: Vota facient ac bene precabuntur, Deum invocantes, ejusque Patrocinium & amicitiam sibi invicem imprecantes.

℣. 3. HÆC ENIM DICIT DOMINUS VIRO JUDA ET JERUSALEM; NOVATE VOBIS NOVALE, ET NOLITE SERERE SUPER SPINAS. Hoc loco *enim* particula est causam significans, Judæos adhuc in regionn morantes alloquitur jam Propheta; eosque hortatur, ut veteres superstitiones impiumque cultum abjiciant. Hactenus similes fuistis ignavis agricolis, qui ne arandi laborem subeant, agrum vepribus sentibusque impleri patiuntur, omnemque jacti seminis fructum amittunt: spinas igitur ex agro vestro evellite, ac messem ubertimam referetis. Eadem comparatione utitur Capite superiori ℣. 24. & 25. Fatentur ibi Israelitæ, edita loca collesque, ubi inanes Deos venerabantur, montes esse sterilissimos, suosque & majorum labores a Diis fuisse voratos.

℣. 4. CIRCUMCIDIMINI DOMINO. Vel: Circumcisionem, quæ Domino placet, accipite, cordis circumcisionem (10): quicquid Domino displicet, impium cultum, iniquitatem, sævitiam erga fratres removete. Septuaginta (11): *Circumcidimini Deo vestro, & circumcidite durittam cordis vestri.* Symmachus (12): *Purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrorum.* Circumcisionis nomine Scriptura omnia purgationum genera complectitur; incircumcisorum vero appellatione quicquid sordium est. Eadem circumcisionem cordis (13), linguæ (14), aurium (15) commendat.

℣. 5. CANITE TUBA IN TERRA, ET DICITE: CONGREGAMINI. Canite classico: intra munitissimas urbes unusquisque confugite: hostis in agro est: accedit Nabuchodonosor.

℣. 6. LEVATE SIGNUM IN SION: CONFORTAMINI, NOLITE STARE. Mora nulla, fugite; intra Sionem recedite, ubi signum cogendis totius regionis militibusque & agri hominibus erectum stat. Cum publice ad arma conclamaretur, in editis locis vexillum aliudve signum per diem erigebatur; noctu vero ignis excitari solebat, quo populi monebantur, ut in prærupta loca, vel intra munitas urbes ab hostium conatibus unusquisque secederet. Non unus Scripturæ locus hunc morem exhibet (16). Idem a Virgilio apud veteres Italiæ populos animadvertitur (17).

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Hebræus (18): *Levate vexillum in Sion: aufugite: ne steteritis.* Septuaginta (19): *Assumentes fugite in Sion: festinate, nolite stare.*

℣. 6. QUIA MALUM EGO ADDUCO AB AQUILONE. Babylone profectus Nabuchodonosor, regionem vestram invadet. Babylon, Chaldæa, Assyria & Media septemtrionales Judææ ubique in Scriptura ponuntur: quamobrem in Geographicis nostrorum Tabulis; eas regiones ad Palæstinæ orientem statuentibus, mendum latere videtur tum in definiendo earum provinciarum situ, tum in Judea. At fortasse Prophetæ ita de Babyloniorum Chaldæorumque Regibus loquuntur, ut iter potius, quod illi tenebant, in Palæstinam proficiscentes, quam Geographicum eorum situm spectarent. Ii enim trajecto ad Tapsaeum Euphrate, per Damascum & Syriam, plagam scilicet septemtrionalem, in Palæstinam veniebant, utt animadvertimus.

℣. 7. ASCENDIT LEO DE CUBILI SUO, ET PRÆDO GENTIUM SE LEVAVIT. Vitium causa, Nabuchodonosor cum leone comparatur; cum prædone vero ob victoriarum sævitiam & iniquitatem. His illum nominibus non uno in loco nuncupat Jeremias (20). Profecto, nisi merus justitię amor Reges Imperia moderantes, & Imperatores arma moventes impellat, *remota* denique *justitia, quid sunt regna* & victoriæ, *nisi magna latrocinia* (21)?

℣. 9. PERIBIT COR REGIS, ET COR PRINCIPUM.

Præ-

[1] אם תשוב ישראל ... אלי תשוב [2] Ἐὰν ἐπιστραφῇ Ἰσραὴλ, πρός με ἐπιστραφήσεται. [3] 4. Reg. xxiii. 13. Ezech. v. 11. xi. 18. xx. 7. Psal. cv. 36. [4] ואם תסיר שקוציך מפני ולא תנוד [5] Septuag. Ἐὰν περιέλῃ τὰ βδελύγματα αὐτοῦ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ προσώπου μου εὐλαβηθῇ. [6] Theodoret. hic. [7] Matt. v. 34. 37. [8] Ita Theodor. Thom. Maldon. Sanct. [9] והתברכו בו גוים ובו יתהללו [10] Deut. x. 16. *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Rom. ii. 29. *Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu.* Philipp. iii. 3. Galat. vi. 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura.* [11] המלו ליהוה והסרו ערלות לבבכם Septuag. Περιτμήθητε τῷ Θεῷ ὑμῶν, καὶ περιτέμεσθε τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. [12] Apud Hieron. hic. [13] Deut. x. 16. Rom. ii. 29. [14] Exod. vi. 12. 30. [15] Jerem. iv. 4. Act. vii. 51. [16] Vide Isai. v. 26. xi. 12. xiii. 2. xviii. 3. xxx. 17. [17] Virgil. Æneid. 8. initio. [18] שאו נס ציונה העיזו אל תעמדו [19] Ἀναλαβόντες φύγετε εἰς Σιὼν, σπεύσατε, μὴ στῆτε. [20] Jerem. xlviii. 8. ii. 45. xxx. 16. [21] Aug. de Civit. l. 4. c. 4.

Præsente discrimine, atque hoc leone accedente, Joachimi, Jechoniæ, Sedeciæ, cæterorumque Juda Principum animi robore, virtute, consilio, magni Nabuchodonosoris metu, destituentur. Cor pro intelligentia, alacritate, consilio usurpatur.

PROPHETÆ CONSTERNABUNTUR. Probro obruentur Pseudo-Prophetæ, ubi frustra, atque inaniter cadere viderint, quæ ipsi pollicebantur, suasque artes penitus detectas senserint. Septuaginta (1): *Obstupescent Sacerdotes*. Aquila: *Amentes erunt*.

℣. 10. ET DIXI; HEU, HEU, HEU, DOMINE DEUS. ERGONE DECEPISTI POPULUM ISTUM? Hebræus reddi potest (2): *Et Dixi e Domine Deus! vere decepisti populum istum*. Passus es, ut Pseudo Prophetæ hunc populum fallerent, securam pacem polliciti; & miserrima gens, insanissime credula, vanis illorum pollicitationibus fidem haberet. Videntur interdum Hebræi voluntati Dei id tribuere, quod mera illius permissio sive dissimulatio est. *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis*, inquit Isaias LXIII. scilicet, cur nos errare passus es? & Psalmus XLIII. 19. *Declinasti semitas nostras a via tua*, nempe nos ab errore non revocasti.

℣. 11. VENTUS URENS IN VIIS QUÆ SUNT IN DESERTO VIÆ POPULI MEI, NON AD VENTILANDUM ET AD PURGANDUM triticum. Gravissimam calamitatem ab Aquilonari plaga venturam pollicitus est ℣. 6. Nabuchodonosorem scilicet eo nomine designatum. Hic alteram calamitatem prædicit, sub venti imagine, a deserto, scilicet meridie vel oriente, venturi. Ab oriente enim & meridie Judæa desertis Arabiæ cingebatur; ex quibus interdum aridi, urentesque venti, agrorum fructibus noxii, & procellis frequenter juncti (3) flabant. Vento deserti innuitur fortasse Nechao Ægypti Rex, qui pium Josiam acie superavit, necavitque, quo ex tempore Dei furor in Judam ceu torrens ruptis aggeribus ruit. Addit Propheta, hunc ventum minime futurum ex eo lenium ventorum genere, quo utuntur agricolæ, ut triticum in area jam excussum ventilent; sed rapidissimum turbinem, obvia quæque vertentem: (℣. 12.) *Spiritus plenus ex his veniet mihi*; plenus, ac vehemens ventus erit, quem ego data opera excitabo. Hebræus (4): *Ventus vehementior quam opus sit in eos usus*, scilicet ventilandi, seu ventus validior quam cæteri e deserto flantes.

℣. 12. ET NUNC EGO LOQUAR JUDICIA MEA CUM EIS. Cæso Josia, Deus iram in Populum exercere cœpit; atque ex eo tempore, usque ad Urbis et Templi excidium populique captivitatem non intermissa malorum series fuit.

℣. 13. ECCE QUASI NUBES ASCENDET, ET QUASI TEMPESTAS CURRUS EJUS. Hic locus vulgo de Nabuchodonosore explicatur; at ex nostra sententia optime de Nechao Ægypti Rege intelligi potest. Exercitum trahebat is peditatu copiosum, & equitatu validissimum. Superato Josia adversus Euphratem profectus, Cercusium totamque Syriam subegit (5).

℣. 15. VOX ANNUNTIANTIS A DAN, ET NOTUM FACIENTIS IDOLUM (idoli adventum) DE MONTE EPHRAIM. Ad Nabuchodonosorem redit. Clamores populorum e finibus audio, e Borealibus Palæstinæ locis (6), ubi sita erat Urbs Dan, in Radicibus Libani. Clamores audiuntur monentis, formidabilem hostem a Dan Montes Ephraim versus accedere, in Regiones Juda irrupturum. Dan eadem est ac Paneas seu Cæsarea Philippi, si Theodoreto credimus, sive IV. millibus passuum aberat a Paneade, Tyrum versus, ex S. Hieronymo (7). Illam collocat Josephus Libano proximam & parvi Jordanis fontibus (8). Hinc Jerosolymam proficiscenti, per montes Ephraim iter habendum erat. Quod vero Idolum e montibus Ephraim veniens? Ajunt alii (9) ipsum esse Nabuchodonosorem, qui subjectis e gentibus Divinos honores exigebat. Alii (10), Belum, celeberrimum Chaldæorum & Babyloniorum numen. Sunt qui censeant (11), sacrum ignem fuisse, Persarum exercitibus præferri solitum, quem Persæ cultu Religioso venerabantur (12). Vertere aliis placet (13): Voces audio clamantis e Dan, & annunciantis de monte Ephraim, *afflictionem*, calamitatem, malum imminere. Septuaginta (14) *Vox annuntiantis e Dan veniet, & audietur dolor de monte Ephraim*. Chaldæus: *Vox Prophetarum, qui prophetant adversum eos, qui migraverunt ad adorandum vitulam, qui est in Dan. Interfectores interficientes venient super eos, eo quod servierunt simulacro, quod erexerat Michas in Monte Domus Ephraim* (15). Hebræus ita verti potest (16): *Clamor* scelerum suorum *validior est, quam* cultus vituli aurei *in Dan*; *& flagitii*, quod patratur *in monte Ephraim*; vitulus enim aureus in Bethel etiam colebatur. Hæc explicatio cum iis quæ præcedunt optime nectitur: Flagitia tua, o Juda & Jerusalem, majora sunt quam Israelitarum, quos suis e sedibus expuli, quod Idola in Dan & Bethel venerarentur.

℣. 16. CUSTODES (armatos) VENIRE DE TERRA LONGINQUA. Sive: Finitimos monete, præmissos a Chaldæorum exercitu manipulos, excubitores, copiarum præcursores sub ipsis mœnibus Jerosolymæ esse, hostemque proximum. Custodes nominat Chaldæos, eosque comparat cum hortorum custodibus, solicitudinis causa, qua Urbem agrumque Juda custodiebant, nemine per agrum impune vagante, quin illum hostes invaderent; uti solent agrorum excubitores, si quis per creditum sibi agrum, aut vineam transeat. Nulla hostibus quies aut somnus diu noctuque est; assidue explorant, urbisque ingressum iis, qui in agro sunt, & iis qui in urbe morantur, egressum negant. Legimus Jerosolymam a Nabuchodonosore fossis, aggeribusque cinctam fuisse (17), nequis aut ingrederetur aut egrederetur, quæ causa extremæ caritatis & famis fuit. Hæc obsidionum ars eo potissimum desinebat, ut hostis arcte adeo urbem clauderet & custodiret, ut fame coacta, omnique suppetiarum spe destituta, ad deditionem cogeretur. In Hebræo (18) *Urbs custodita* est urbs obsessa: Vir custoditus est vir in Urbe obsessa clausus. *Qui custoditus fuerit, fame morietur*, inquit Ezechiel (19).

℣. 18. VIÆ TUÆ ET COGITATIONES TUÆ FECERUNT HÆC TIBI. Pessime vitæ tuæ ratio, tuaque noxia consilia, gesta tua, tuaque desideria sunt unica exitus tui causa. *Quidquid nobis accidit, nostro accidit vitio, qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus, & cogimus sævire nolentem*, inquit S. Hieronymus in hunc locum.

℣. 19. VENTREM MEUM DOLEO, &c. Hæc verba vel ad Deum (20), vel ad Jeremiam (21), vel ad popu-

[1] והנביאים יתמהו Septuag. Καὶ οἱ Προφῆται θαυμάσονται. [2] ואמר אהה אדני יהוה אכן השא השאת לעם הזה [3] Vide Job XXXVII. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas*. Hebr. מן החדר יבא סופה Vide & Zach. IX. 14. [4] רוח מלא מאלה יבוא לי Septuag. Πνεῦμα πληρώσεως ἥξει μοι. [5] Vide nos in 2. Par. XXXV. 20. & sequ. [6] Confer Jerem. XIII. 16. [7] Hieronym. in locis. [8] Antiq. lib. 5. c. 11. & lib. 8. c. 5. [9] Hugo, Syr. Dionys. [10] Hieron. hic. [11] Sanct. hic. Vide & ad Jerem. lib. 13. [12] Q. Curt. lib. 4. Strabo lib. XV. [13] Munst. Vat. Angl. Pisc. [14] Διότι φωνὴ ἀναγγέλλοντος ἐκ Δὰν ἥξει, καὶ ἀκουσθήσεται πόνος ἐξ ὄρους Ἐφραίμ. [15] Judic. XVII. 4. 5. & sequ. [16] כי קול מגיד מדן ומשמיע און מהר אפרים [17] 4. Reg. XXV. 1. 2. *Circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu ejus munitiones*. [18] Isai. I. 8. כעיר נצורה Et Nahum II. 2. נצור מצורה [19] Ezech. VI. 12. והנצור ברעב ימות [20] Hieronym. hic. [21] Theodoret. Munst. Pisc. alii frequenter.

populum (1) referuntur. Deus sese miseratione malorum Jerosolymæ percitum sentit. Jeremias totis visceribus mœrore ac dolore laceratur, dum Populi calamitates animo versat. Denique populus inter hostes undique positus, gravi dolore viscera lacerante agitatur. Qui de Jeremia explicant, æquiora loqui nobis videntur.

SENSUS CORDIS MEI TURBATI SUNT IN ME. Hebræus (2): *Parietes cordis mei, fremit*, tumultuatur, obstrepit *mihi*, sive intra me, *cor meum: non tacebo*. Septuaginta (3): *Ventrem meum, ventrem meum doleo*, ingens intra me dolor sævit, *& sensoria cordis mei: fluctuat anima mea*; atque insania quodammodo agitatur: *dilaceratur cor meum: non tacebo*. Fieri ne potest, ut silens tam acres cruciatus feram? *Parietes cordis* nuncupat Jeremias ventrem, præcordia, pectus, quicquid denique ventrem, cor, cæterasque interiores hominis partes ambit: Ingentem intra præcordia tumultum, agitationem, cruciatum sentio.

℣. 20. REPENTE VASTATA SUNT TABERNACULA MEA, SUBITO PELLES MEÆ, tentoria mea. Olim tentoria a pellibus conficiebantur. Vis illata est castris meis, meaque tentoria statim eversa sunt. Urbes Juda cum hujusmodi tentoriis comparat, easque tam facile ab hoste occupatas asserit, quam facile tentorium evertitur.

℣. 21. USQUEQUO VIDEBO FUGIENTEM? Hebræus (4) reddi potest: *Usquequo videbo vexillum?* Semper ne inter arma & armatos ero?

℣. 22. STULTUS POPULUS MEUS ME NON COGNOVIT. Hic omnium populi mei malorum fons. Deum non ita agnovere, ut cognitionem actio sequatur. Deum non coluere, non amavere, illique non servierunt, quemadmodum suprema Dei Majestas postulabat. Multo nequiores in eo sunt, quod cum Deum agnoverint, debitam Deo gloriam & obsequium non exhibuere. In cæteris oculatissimi, in iis quæ Deo debentur, cæcutiunt. Vide Caput v. 21.

℣. 23. ASPEXI TERRAM, ET ECCE VACUA ERAT ET NIHIL. Hebræus (5): *Aspexi terram, & ecce tohu & bohu*. Omnia turbæ sunt, Chaos, tumultus & turbata congeries. Iisdem utitur vocibus Jeremias, quibus Moyses informem confusumque materiæ statum significat (6), qualis erat rerum initio, antequam Deus materiæ partes suo singulas loco distribueret, iisque formam, ornamenta, ordinem quem videmus, daret. Septuaginta (7): *Aspexi terram, & ecce nihil*. Talis fuit Judæa, postquam in Chaldæorum potestate relicta est, incolis spoliata, atque in solitudinem redacta.

ET CÆLOS, ET NON ERAT LUX IN EIS. Sub atri Cœli tenebrisque obsiti imagine Scriptura frequenter miserrima tempora, communemque terrorem ac metum significat. Lux prosperas res, & spem adhuc florentem indicant (8), Tenebræ mortem & res adversas (9). Id tum ex Profanis, tum e Scriptura constat. Quibus calamitas aliqua contigit, ii lucem media in luce non vident, neque in meridie diem, inquit Theodoretus; omnia illis videntur tenebris obsita, omnia metu plena, turbantur omnibus, ac terrentur.

℣. 24. OMNES COLLES CONTURBATI SUNT. Terror ubique, ac metus; quibus montes collesque quodammodo quatiuntur. Tropicæ Phrases sunt & Hyperbolicæ, quibus frequenter hoc sensu utitur Scriptura (10).

℣. 25. OMNE VOLATILE CÆLI RECESSIT. Desertam desolatamque Regionem fugiunt aves, quod illa cibum non præbeat. Desertus incultusque ager feris tantummodo alendis opportunus est; ac plerumque feræ ex ea regione fugiunt, quam homines reliquere. Id sua ætate contigisse in regionibus ab hoste vastatis, & incolarum nece desertis, Sanctus Hieronymus animadvertit (11). Iisdem ferme sententiis, quibus hic Jeremias, utuntur Osee (12) & Sophonias (13). Idem Jeremias, Capite XII. 4. *Consumptum est animal, & volucre*. Vide & IX. 10.

℣. 26. ECCE CARMELUS DESERTUS. Carmelus universe pro agro fertili & jucundo usurpatur (14); atque hoc sensu potest hic intelligi, sive accipi de monte hujus nominis, locisque finitimis, præstantia & ubertate celeberrimis. Putat Theodoretus, Carmeli nomine Jerosolymam a Propheta significari.

℣. 27. SED TAMEN CONSUMMATIONEM NON FACIAM; penitus non perdam. Quamtumvis eversa videatur Jerosolyma, & gravia Judam mala opprimant, ita utrumque non perdam, ut spes omnis penitus pereat. In cinerem favillasque redigentur Jerosolyma & Templum; Judas agetur captivus; omnisque regio vastabitur ac deseretur. At meæ ego misericordiæ non obliviscar: gens mea ex hisce malis surget: Restaurabitur Jerosolyma: majorem quam antea in dignitatem Templum restituetur: Judas a captivitate redibit. Sensu plane contrario nonnulli interpretantur. Nondum hisce malis contentus sum: nihil iræ meæ abunde satisfacit (15). Sive: Ultionis meæ vim, quam late patet, non exeram? Prior explicatio aptior videtur. Vide Caput proxime sequens, ℣. 10. *Consummationem nolite facere*; & ℣. 18. Hujus fortasse & sequentis Capitis minæ ad primam solummodo Jerosolymæ obsidionem per Nabuchodonosorem spectant, qua Jechonias, pluresque Jerosolymæ Principes captivi Babylonem ducti sunt. Stetit adhuc Jerosolyma, & Sedecias Jechoniæ successor undecim adhuc annis regnum obtinuit. Totum hoc pœnitentiæ tempus populo reliquit Deus.

℣. 28. COGITAVI, ET NON PŒNITUIT ME. Quæ decrevi, planissime explebo. Eorum quæ vel decernit vel gerit Deus, ipsum pœnitere non potest; menti que angustis finibus clausæ convenit pœnitentia, ipsa enim sese fallit, modum excedit, aut deficit, cæcum animi impetum sequitur; quæ prius decrevit, corrigere potest, aut meliora cogitans, aut magis serio, latioribusque ac solidio-

(1) Grot. hic. (2) קירות לבי הומה לי לבי לא אחריש (3) Septuag. Τὴν κοιλίαν μου, τὴν κοιλίαν μου ἀλγῶ, καὶ τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου μαιμάσσει ἡ ψυχή μου, σπαράσσεται ἡ καρδία μου, οὐ σιωπήσομαι. Edit. Complut. Μὴ μάσσει ἡ ψυχή μου, *Me premit anima mea*. S. Hieronymus aliique legebant μαιμάσσει, quæ vox negotium Interpretibus facit. Significat autem fluctuare, agitari, furere. Aqu. Ὀγκάζει, *tumultuatur*.
(4) נס עד מתי אראה Septuag. Ἕως πότε ὄψομαι φεύγοντας. (5) ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו (6) Genes. I. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua*. (7) Καὶ ἰδοὺ οὐθέν. Aqu. Sym. Th. Καὶ ἰδοὺ οὐθέν.
(8) Homer. Iliad. Z, initio.
Αἴας δὲ πρῶτος . . . Τρώων ῥῆξε φάλαγγα, φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκε.
(9) Senec. Hercul. furente.
. . . Nulla lux unquam mihi
Secura fulsit, finis alterius mali
Gradus est futuri.
(10) Vide Psal. CXIII. 4. 6. Habac. III. 10. 12. Judic. V. 5. Joel. II. 10. (11) Hieron. hic: *Hoc verum esse nunc totus orbis demonstrat, ut cæsa hominum multitudine, volatilia quoque, quæ solent hominem sequi, abierint, perierint*. Vide eundem in Osee IV. 3. & in Sophon. I. 3. (12) Vide Osee IV. 3. *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli, &c.* (13) Sophon. I. 3. *Congregans hominem, & pecus, & congregans volatilia cæli, & pisces maris*. (14) Vide Isai. XXXIII. 9.
(15) Ita Grot. Jun.

lidioribus cognitionibus utens. Deus quicquid gerendum est, uno statim intuitu videt: Æterna atque infinita est illius cognitio, consilia justissima, & quæ nunquam falli queant. Si quando Deum pœnitere narrat Scriptura, impropria locutio est, ex humanis moribus accepta; hominem enim pœnitere dicimus, cum mala quæ decrevit, minime exequitur. Ita Deum pœnitere asserimus, cum hominum precibus animique dejectione motus, iram in misericordiam vertit, minasque maxime formidabiles irritas cadere patitur. Id cum fit, ea Dei decreta conditionibus adstricta fuisse significat. At hic, ubi Deus exitium Judæ & Jerosolymæ minitatur, meras minas non esse testatur; quæ decrevit, sese executurum ait, nulla illorum parte mutata, cum populi iniquitas ad summum usque fastigium perducta fuerit.

℣. 29. Ingressi sunt ardua, loca editissima. Hebræus (1): *Ingressi sunt in nubes*, loca obscura, & tenebris oblita, seu montes editos usque ad nubes, vel in lucos densissimos & obscuros; Septuaginta (2): *In speluncas*.

℣. 30. Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, Chaldæi veteresque amatores te spernent. Fœderati ac finitimi terga vertent; tuique hostes, ornamentis tuis minime illecti, te magis magisque odio & contemptu prosequentur. Hebræus (3): *Etiamsi induas te purpura*, sive cramesio, *& ornes te mundo pretiosissimo*, *& scindas stibio oculos tuos*, frustra laborabis. Te amatores spernent. Ingens est adhuc stibii usus apud Orientales, quo oculos pingunt nigroque colore inficiunt, & palpebras diducunt, ut oculos ampliores atque elegantius patentes exhibeant. Solent Æthiopes stibium in pulverem redigere, eoque cum humida fuligine misto, palpebras linire, penicillo in hunc usum destinato (4). Jezabel stibio liniisse oculos legitur (5), ubi Jehu mœnia Samariæ subire intellexit; futurum sperans, ut ex illo obsequium, amoremve aucuparetur Jerosolymæ amatores Ægyptii sunt, Phœnices, Chaldæi; quibus sese illa prostituit, dum illorum superstitionem imitata est, ac fœdus quæsivit, summa Divini cultus opisque injuria, quam illa neglexerat, Confer *Jerem.* I. 3. 8. 9. &c. *Ezech.* XVI. 15. 16. 17. &c.

℣. 31. Audivi angustias ut puerperæ; Hebræus (6), *ut primiparæ*, cujus cruciatus multo acrior est, elamorque validior.

Vox filiæ Sion inter morientis, expandentisque manus suas, & clamantis: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos! Hebræus (7): *Audivi vocem filiæ Sion: Lamentatur, expandit manus suas*, brachia deficiunt: *Væ nunc mihi, quia lassata est anima mea interfectoribus*: hostium copias videns, langueo & deficio.

(1) באו בעבים
(2) Septuag. Εἰσέδυσαν εἰς τὰ σπήλαια.
(3) כי תלבשי שני כי תעדי עדי זהב כי תקרעי בפוך עיניך
(4) Ludolf. hist. Æth. lib. 7. cap. 7.
(5) 4. Reg. IX. 30.
(6) קול שמעתי צרה כמבכירה Septuag. Ὡς πρωτοτοκούσης.
(7) קול בת ציון התיפח תפרש כפיה הוי נא לי כי עיפה נפשי להרגים

CAPUT V.

Justus aliquis Jerosolymæ quæritur, nec invenitur. Extrema flagitia, quibus universa urbs impia occupatur. Exitium illi a peregrina gente minitatur Deus; at simul pollicetur futurum, ut illam penitus non deleat.

℣. 1. Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. 2. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint: & hoc falso jurabunt. 3. Domine, oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. 4. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. 5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. 6. Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum. 7. Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt dii: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. 8. Equi amatores, & emissarii facti sunt: Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciscetur anima mea? 10. Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini. 11. Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, & domus Juda, ait Dominus. 12. Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse, neque veniet super nos malum: gladium, & famem non videbimus. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis; hæc ergo evenient illis. 14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos. 15. Ecce ego adducam super vos gentem de longin-

longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem,
cujus ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur. 16. Pharetra ejus quasi sepul-
chrum patens, universi fortes. 17. Et comedet segetes tuas, & panem tuum: devo-
rabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vi-
neam tuam, & ficum tuam: & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fidu-
ciam, gladio. 18. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in con-
summationem. 19. Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc om-
nia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, & servistis deo alieno in terra vestra, sic ser-
vietis alienis in terra non vestra. 20. Annuntiate hoc domui Jacob, & auditum facite
in Juda, dicentes: 21. Audi, popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos,
non videtis; & aures, & non auditis. 22. Me ergo non timebitis, ait Dominus, &
a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiter-
num, quod non præteribit: & commovebuntur, & non poterunt: & intumescent flu-
ctus ejus, & non transibunt illud. 23. Populo autem huic factum est cor incredulum,
& exasperans, recesserunt, & abierunt. 24. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus
Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam in tem-
pore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. 25. Iniquitates vestræ decli-
naverunt hæc: & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. 26. Quia inventi sunt
in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capien-
dos viros. 27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magni-
ficati sunt, & ditati. 28. Incrassati sunt, & impinguati: & præterierunt sermones meos
pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium
pauperum non judicaverunt. 29. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut
super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? 30. Stupor, & mirabilia facta
sunt in terra: 31. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant
manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?

℣. 1. Circuite vias Jerusalem .... an inveniatis virum facientem judicium, Pergit Capitis superioris oratio. Mala extrema populo minitatus est Deus, docuitque futurum ut se se minime pœniteat, latamque sententiam non revocet (1). Ut severi adeo instituti æquitatem demonstret, imperat Jerosolymæ, ut in omnibus mœnium suorum angulis scrutetur, singulas hominum conditiones exploret; futurum ut ipse decreta consilia mutet, gentisque suæ misereatur, dum vel unus in urbe justus sit. Cum Abraham pro Sodomia intercederet (2), ac per varios gradus eo pervenisset, ut impiæ Urbi veniam impetraret, modo decem justos contineret, ulterius rogare non ausus est, idque satis esse debere putavit. Unum hic Jerosolymæ justum quærit Deus, nec invenit.

At sub Josiæ Regno credibile est, Jerosolymæ flagitia adeo crevisse, ut ne unus quidem pius esset? nonne justus Josias? Magnis certe laudibus illum prosequitur Scriptura. Joel, Sophonias, Habacuc, Holda Prophetis, Jeremias eo regnante florebant, Nulli ne Sacerdotes, nullive e Vulgo Judæi vacui iis criminibus, quorum arguitur Judas? His plura reponimus: I. Hyperbolicas esse locutiones, quibus illud ostenditur, quam rarè Jerosolymis essent Justitia & Pietas, Cum quis in alium acriter invehitur, in ipso orationis æstu frequenter usurpat: Nulla jam fides, æquitas, amicitia. II. Hæc verba ad eam ætatem spectare, quæ inductam ab Josia in subditos, decimo octavo Regni sui anno, morum disciplinam præcessit (3). Certe ante eam ætatem vitia universam prorsus regionem inundaverant, testibus Sophonia (4), aliisque Jeremiæ locis (5). III. Denique, Dominum veluti pro concione verba facere ad Jeremiam & eos, qui simili exemplo integram sibi fidem servaverant; atque imperare, ut in reliqua gente sollicite scrutentur, utrum vel unus sit, cui appellatio justi conveniat, suique furoris æstum coercere valeat.

℣. 2. Quod si etiam, vivit Dominus, dixerint, at hoc falso jurabunt. Esto, aliquis sit, qui meo nomine jusjurandum nuncupet: at illud probro mihi est, cum me testem mendacii adhibeat. Non satis est Dei nomine jurare: jurandum est ex *veritate, judicio, justitia* (6).

℣. 3. Domine, oculi tui respiciunt fidem, bonam scilicet fidem. Vel: Ita veritatem & justitiam intueris, ut probes, quamobrem necesse est, ut infidelitatem & injustitiam detesteris. Tu nosti, Deus, quid rei sit; ac procul dubio verum est, nihil Jerosolymæ esse, nisi injuriam & iniquitatem. Hebræus (7): *Domine, oculi tui nonne ad veritatem?*

Percussisti eos, et non doluerunt. Gravissima ærumnarum procella, quæ regnantibus Achaz, Ezechia & Manasse Iudam obruit, non satis fuit, ut Iudæos ad officium revocaret, *Induraverunt facies suas super petram*, lapide duriores effecti sunt; atque adeo effuse in flagitia ruerunt, ut jam eorum non pudeat, nihilque iis moveantur; rupibus similes, lapidibus durissimis, indomitis, fragilibus, qui sub artificis scalpro franguntur, ut aptum nihil ex iis conficere artifex vel peritissimus queat.

℣. 4. Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini. Fortasse indoctum vulgus, institutione, literis, eruditione carens, vitiis occupatur, ignorantiæ potius quam nequitiæ causa: at Sacerdotes, Magistratus, Optimates, quorum mens studio & Institutis exculta est, majori ne Religionis Divinique cultus studio tenentur? Minime vero, *Magis hi simul confregerunt jugum*

(1) Sap. cap. iv. ℣. 28. *Cogitavi, & non pœnituit me, &c.* (2) Genes. xviii. 32. (3) 4. Reg. xxiii. 4. 5. & seq. (4) Sophon. i. 4. & seq. (5) Jerem. vi. 13. viii. 10. (6) Jerem. iv. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia.* (7) יהוה עיניך הלא לאמונה

jugum [℣. 5.] ipsi majori audacia Divinæ Legis jugum fregere. Si peccet multitudo, & ea ignorantia peccet, res remedio non caret: at ubi Sacerdos, populi Administrator, Princeps, Eruditus iisdem, quibus multitudo, sceleribus afficitur, deplorata res est.

℣. 6. PERCUSSIT EOS LEO DE SILVA: LUPUS AD VESPERAM [nocturnus] VASTAVIT EOS, PARDUS VIGILANS SUPER CIVITATES EORUM. Leo Nabuchodonosorem significat, ex Theodoreto; quo nomine idem superius (1) designatur; lupus Nabuzardanum, pardus Antiochum Epiphanem. Ex S. Hieronymo, Babylonii leone, lupo Medi & Persæ, Græci pardo innuuntur. Judæos affligere Nabuchodonosor cæterique Nabuchodonosoris successores: plurimis illos malis affecere Cambyses & Xerxes, Persis Medisque post Cyrum imperantes; denique Syrorum & Ægyptiorum Reges, qui post Alexandrum regno potiti sunt, innumeris illos ærumnis oppresserunt. Aliis placet (2), leonem vorantem, lupum nocturnum, vigilem pardum unum eumdemque esse Nabuchodonosorem, qui sævitia, robore, audacia leonem, aviditate, rapacitate, cædis studio lupum, celeritate, alacritate, solertia pardum æquavit. *Nocturni* epitheton optime lupo convenit, quippe qui per noctis tenebras acriori utitur oculorum acie, quam per diem (3): fere noctu vagatur, sub vesperam, seu per nebulam & turbines (4).

. . . . *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit rabies, &c.

Hebræa vox (5) ab Interpretibus sane multis (6) redditur *lupus desertorum*, lupus ferus & communibus lupis ferocior. Pardus *vigilans* dicitur (7), quod revera pardus in insidiis lateat, prædam occupaturus (8), atque in illam summo impetu ruit, cum adest. Ita Nabuchodonosor Judæ urbes invasit.

℣. 7. SUPER QUO PROPITIUS TIBI ESSE POTERO? Fœdus meum violasti: leges meas pedibus conculcasti: quolibet criminum genere obvolutus es: me Deum, Regem, Patrem tuum agnoscere detrectasti: solum jam mihi erga te superest Judicis & vindicis nomen, ut perfidiæ tuæ pœnas exigam.

℣. 8. EQUI AMATORES IN FEMINAS, ET EMISSARII FACTI SUNT. Unusquisque alterius uxorem petit eo impetu, quo belluæ in venerem effusissimæ fœminas. Libidinosissimum omnium animal est equus (9). Hebræus ad verbum (10): *Equi bene pasti & trahentes*. Quæ verba alii aliter explicant; sunt enim qui turpem hic sententiam videant, ut significet equos non castratos, bene pastos, qui fœminas sectantur (11); & sunt (12) qui interpretentur equos bene pastos, recalcitrantes, impatientes jugi; sive equos pinguissimos, mane surgentes. Postrema tamen hæc interpretatio, quamquam multis probata, inepta videtur, & cum Hebræo male convenit (13). Optima omnium ea est, quam Vulgata & Septuaginta sequuntur.

℣. 10. ASCENDITE MUROS EJUS ET DISSIPATE: CONSUMMATIONEM AUTEM NOLITE FACERE; at ne funditus evertatis. Confer ℣. 18. hujus Capitis, & ℣. 27. superioris. Hæc intelligi de iis possunt quæ in prima Jerosolymæ per Nabuchodonosorem obsidione contigerunt. Capta est urbs, ductusque captivus Jechonias (14): at urbs Templumque steterunt, creato in Jechoniæ locum Sedecia, populoque aliquibus adhuc annis in patria relicto.

AUFERTE PROPAGINES EJUS, QUIA NON SUNT DOMINI. Avulsi sunt ab Jerosolyma Jechonias ac liberi, quorum nullos ille Regni successores habuit, a Chaldæis fortasse interfectos. Imperat alibi Jeremiæ Deus (15): *Scribe virum istum* (Jechoniam) *sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim de semine ejus erit vir, qui sedeat super solium David*. Intelligendus est Hebræus de Jerosolyma (16): Jerosolymæ propagines vellite; populum omnem auferte, a fundamentis evertite. Reddunt nonnulli (17): *Vellite loricas*, aggeres; Chaldæus (18), *palatia ejus*; alii (19), fundamenta mœnium & ædificiorum, quippe quæ Deus dereliquit abjecitque; neque deinceps urbs sancta, locusque quietis illius futura est Jerosolyma.

℣. 12. NEGAVERUNT DOMINUM, ET DIXERUNT: NON EST IPSE; Dominus non est Deus. Hebræus (20): *Mentiti sunt Domino, & dixerunt: Non est ipse*. Fide, quam Deo debebant, violata, dixerunt, ipsum non fuisse Deum, qui per Prophetarum ora loquebatur: quicquid ipse aut dixit, aut minitatus est per homines a se missos, meras esse fabulas meramque insaniam putaverunt: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis*. In Deum Divinumque Spiritum mentiti sunt, cum dicerent, ipsum non fuisse, qui per Prophetas loqueretur ipsosque mitteret, quo majori licentia in vitia ruerent.

℣. 13. PROPHETÆ FUERUNT IN VENTUM LOCUTI, ET RESPONSUM NON FUIT IN EIS. Hebræus (21): *Prophetæ fuerunt in ventum, & sermo non fuit in eis: sic fiet eis?* Prophetarum minas irritas fore dixerunt, Dominumque per illos non esse locutum: at suo ipsorum supplicio vaticiniorum omnium fidem penitus impletam intuebuntur. Aliter: Vaticinia in ventum abitura esse dixerunt: nihil in illis rei ac veritatis esse; minas in suos ipsarum authores casuras, in loquacissimos homines, qui nullum arguendi finem faciunt (22). Ita derident impii. Postrema hæc explicatio aptissima omnium, & cum reliquis maxime consentanea videtur.

℣. 14. DO VERBA MEA IN ORE TUO IN IGNEM: ET POPULUM ISTUM IN LIGNA. Sermones tuos tuo in ore ardentes ponam ceu ignem, atque hic populus similis erit lignis, ab hoc igne voratis. Jeremiam hic alloquitur Deus: Cum extrema illis mala tu prædixeris, expletas statim minas ipsi intuebuntur. Verbis tuis consumentur, ceu lignum igne: scilicet, vaticinia tua fides certa sequetur. Prophetæ passim in Scriptura dicuntur illud agere, quod prædicunt. Ignis bellum significat.

℣. 15. ADDUCAM SUPER VOS GENTEM DE LONGINQUO, Chaldæos, quos a loci distantia, opibus, robore, vetustate, ignota Hebræis lingua, armis, scilicet telo, viribus, sævitia describit. Chaldæorum Imperium in Provincias, ad Orientem & Septemtrionem Palæstinæ sitas, quam latissime porri-

(1) Jerem. IV. 7. *Ascendit leo de cubili suo*, &c. (2) Sanct. Grot. Tirin. &c. (3) Ælian. lib. 2. c. 26. (4) Æneid. 2. (5) זאב ערבות Septuag. Λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν ὠλέθρευσεν αὐτούς. Legunt זאב עד בת (6) Pag. Mont. Munst. Castal. Rabb. Jarchi, Ben-Melec, Leo Juda, &c. (7) נמר שקד על עריהם (8) Ælian. lib. 5. c. 40. (9) Aristot. hist. anim. lib. 8. c. 22. Et Virgil. Georgic. 3. (10) סוסים מוזנים משכים היו (11) Hieron. *Omnes consona voce ἑλκυστὰς, idest, trahentes, transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium, juxta illud Ezechielis, quasi asinorum carnes, eorum carnes.* Ita & Septuag. Ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν. Et Ludov. de Dieu: *Equi bene pasti, & producentes, supple membrum genitale, quod honoris causa subticetur, quia ex materia subjecta satis intelligitur.* (12) Bochart. de animal. sacr. parte 1. lib. 2. c. 9. (13) משכים ex השכם, mane surgere; Legendum esset משכימים (14) 4. Reg. XXIV. 12. (15) Jerem. XXII. 30. (16) הסירו נטישותיה כי לוא ליהוה המה (17) Pag. Mont. Kimchi, Jun. Tremel. Pisc. (18) שורי בירניתהה (19) Syr. Arab. 70. Τὰ ὑποστηρίγματα αὐτῆς. (20) כחשו ביהוה ויאמרו לוא הוא 70. Ἐψεύσαντο τῷ κυρίῳ. (21) והנביאים יהיו לרוח והדבר אין בהם כה יעשה להם (22) Vide Chald. Grot. Tir. Piscat.

porrigebatur; cæterorumque per orbem habebatur amplissimum, opulentissimum ac florentissimum, Vetustas a Nemrodo, Ninives & Babylonis conditore, primoque inter homines Rege petebatur (1). Nabopolassar, Nabuchodonosoris pater, priscis Assyriorum Babyloniorumque Regibus successerat. Bellica Chaldæorum virtus neminem latebat: at multo illustrior fuit sub Nabuchodonosore,

Gentem, cujus ignorabis linguam. Chaldæorum seu Syriorum sermo ignotus Hebræis erat, uti ex Ezechiæ historia discimus. Cum Sennacherib Rabsacem ad Ezechiam legasset, missi ab Ezechia Regii Interpretes Rabsacem oravere (2): *Loquere ad servos tuos Syra lingua, intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi, qui est super murum.*

℣. 16. Pharetra ejus quasi sepulcrum patens. Cujus tela mortem cædemque ubique ferunt: satiari nequeunt, ceu sepulcrum; parem morti terrorem incutiunt.

℣. 17. Comedet filios tuos et filias tuas. Id non eo dicit, quod Chaldæi humanis carnibus vescerentur, sed quod obvius quilibet eorum armis cædendus esset, eorumque sævitia omnem late regionem fame & bello desertam squallentemque effectura. Hebræa vox, quæ comedere, vorare significat, universe pro quolibet exitii, excidii & cædis genere usurpatur.

℣. 19. Sicut servistis Deo alieno in terra vestra; sic servietis alienis in terra non vestra. Latini Codices quidam ferunt: *Diis alienis*. Chaldæus: *Servietis populis colentibus idola in terra non vestra*. Me Deum Regemque vestros intra fines renuistis: alieni Reges dominique in aliena regione vos coercebunt, atque experti sentietis, quam latum sit meæ illorumque dominationis discrimen.

℣. 21. Popule stulte, qui non habes cor (3), intelligentiam, prudentiam, quas Hebræi in corde constituunt. *Ephraim quasi columba seducta, non habens cor* (4). *Qui despicit amicum suum, indiget corde*, inquit Salomon (5), Et (6): *Virga in dorso ejus, qui indiget corde*, Judæ insaniam in iis quæ utilissima ipsi sunt, jam arguit Jeremias (7).

℣. 22. A facie mea non dolebitis? Nullo ne animi dolore, nullaque pœnitentia movebimini (8), cum me coram adestis? Nunquam ne contumaces esse desinetis?

Qui posui arenam terminum mari. Virium suarum immensitatem ex eo frequenter commendat Deus, quod terminos mari posuerit, ipsumque ulterius progredi vetuerit (9). Cur aquæ in concavis terraquei orbis partibus sedeant, causa est ipsa fluens earum natura, & aeris pondus impellentis, & intra eas voragines coercentis. Ne vero terras obruant, quamvis convexa earum superficies multo sublimior litore circumjacente sit, ex ipso illarum æquilibrio nascitur, certoque terræ motu, & æquali undique in universam terraquei orbis superficiem aeris gravitate. At hæc minime officiunt, quin summo obsequio colenda sit Omnipotentis manus; creantis omnia, eaque in proprio ac naturali singulorum situ & constitutione servantis. Prima horum causa, Dei nimirum voluntas, in iis suspicienda est. Huc assidue hominum animos impellit Scriptura, dum omnia Deo tribuit, omnia in Deum refert, ipsumque unum agnoscit authorem eventuum omnium ac rerum, quas e natura casuque repetimus: ambiguis sane incertisque principiis, quæ a Religione ignorantur.

℣. 24. Qui dat nobis pluviam temporaneam ac serotinam, vernam & autumnalem. Vide *Deut.* xi. 14.

Plenitudinem annuæ messis custodientem nobis, qui uberem messem singulis annis exhibet. Hebræus (10): *Septimanas statutas messis custodis nobis*. Hebdomades, nempe tempus inter Pascha & Pentecostem fluens, in messis usum nobis relinquit, nulla Religione seu Templi aditione turbatum. Pentecosten in Scriptura (11) *solemnitatem hebdomadarum* nuncupari, neminem latet. Hordei messis cum Paschate inibat, tritici vero cum Pentecoste claudebatur (12). Mihi tamen placet reddere: Hebdomades pro messe constitutas nobis custodit, & eumdem, quem sibi præscripsit, erga nos temporum ordinem servat; opportunum messi tempus æstate largitur, imbres coercet, ne tritici messem impediant. At ordinem turbare, temporumque seriem vertere vestris flagitiis coactus est. Vestra ipsorum culpa messes vestræ vestrique agri beneficentiæ illius ubertate carebunt. Imbres consuetis olim temporibus non dat, & noxio fructibus tempore demittit. (℣. 25.) *Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis*. Sterilitatis cujusdam, quæ ante Jerosolymæ obsidionem contigit, meminere hujus Libri Capita viii. 13. 20. & xiv. 1. 18. quæ tamen altera fuisse videtur ab ea, de qua hic agit.

℣. 26. Insidiantes quasi aucupes: laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Hæc verba ita intelligi possunt, ut nudus illorum sonus fert. Inventi sunt latrones, qui hominibus ita in itineribus insidiantur, uti venatores & aucupes prædæ. Solebant olim, ut ajunt, Tyranni quidam homines venari, iisque insidias parare, ceu feris (13). Aptius tamen tropico sensu usurpantur de impiorum insidiis, dolisque & machinationibus in simplices incautosque. Hebræus (14): *Intuetur, explorat, veluti cum ponuntur laquei* (vel, *laqueos parat, ceu cum auceps retia tendit*; sive: *ceu cum auceps quiescit*, prædam expectans); *statuerunt laqueum ut perdant, homines capiunt*.

℣. 27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo; vel, uti aviarium avibus laqueo captis plenum: Sive: Similis est horum domus decipulæ aviariæ, ubi avis aliqua clauditur, qua cæteræ illi similes vocantur atque capiantur.

℣. 28. Prætergressi sunt sermones meos pessime, turpissimis sceleribus. Hebræus ad verbum (15): *Superaverunt verba mali*. In flagitia ruerunt impudentius, quam dici queat: extrema scelera sectati sunt; sive, communibus hominum ærumnis sese immunes putant: nihil jam verentur. Eadem sententia est, quæ legitur in Psalmo lxxii. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Chaldæus: *Transgressi sunt sermones Legis, fecerunt quod malum est*. Hæc interpretatio, quæ multo simplicior est, cum Vulgata convenit. Hunc locum omisere Septuaginta.

Causam viduæ. Hebræus tantum legit: *Judicium non judicaverunt*, relicto nomine *viduæ*.

℣. 31. Prophetæ prophetabant mendacium, et Sacerdotes applaudebant manibus suis. Hebræus (16): *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes descendebant ad manus eorum*. Falsos hujusmodi Prophetas ceco obsequio prosequebantur; sive,

(1) Vide Genes. x. 10. (2) 4. Reg. xviii. 26. & Isai. xxxvi. 11. (3) עם סכל ואין לב
(4) Osee vii. 11. (5) Prov. xi. 12. (6) Prov. x. 13. (7) Sup. cap. iv. 22.
(8) אם מפני לא תחילו Septuag. Ἀπὸ τοῦ προσώπου μου οὐκ εὐλαβηθήσεσθε. (9) Vide Job xxxviii. 10. 11.
Psal. ciii. 9. Prov. viii. 17. 29. Amos v. 8. (10) שבעות חקות קציר ישמר לנו (11) Exod.
xxxiv. 22. *Solemnitatem hebdomadarum facies*. Et Levit. xxiii. 15. *Numerabitis septem hebdomadas plenas*, &c.
(12) Exod. xxiii. 16. Levit. xxiii. 10. (13) Vide nostram Dissertationem de Re militari Hebræorum.
(14) ישור כשך יקושים הציבו משחית אנשים ילכדו Septuag. Καὶ παγίδα ἔστησαν τοῦ διαφθεῖραι ἄνδρας, καὶ συνελαμβάνοσαν. Primam versiculi partem omittunt. Aquila, Symmachus, & plerique recentiorum vertunt כשך יקושים *sicut aucupis*, Δίκτυον ἰξευτοῦ. (15) עברו דברי רע (16) הנביאים נבאו בשקר והכהנים ירדו על ידיהם

five, turpissime illis adulantur & probant. Reddunt nonnulli (1): *Accipiant munera manibus suis*, Aliter: *Dominantur per manus illorum*; scilicet, vel in falsos hosce Prophetas dominantur; vel eorum opera in populum. His utuntur Sacerdotes, ut suam ipsorum authoritatem ac tyrannidem statuant, vel tueantur. Ex his satis intelligitur, quam obscura & ambigua sint hujus loci verba.

(1) Pag. Munst. Vat. Cast. Kimchi.

CAPUT VI.

Exitium Jerosolymæ, ob peccata populi, Optimatum, Vatumque simulatorum ac Sacerdotum, prædicitur. Rejecta sacrificia. Judæ scelera disciplinam non patiuntur. Populus metallo similis, quod igne purgari non potuit.

℣. 1. Confortamini filii Beniamin in medio Jerusalem, & in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem levate vexillum: quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna.
2. Speciosæ, & delicatæ assimilavi filiam Sion.
3. Ad eam venient pastores, & greges eorum fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.
4. Sanctificate super eam bellum: consurgite, & ascendamus in meridie: væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.
5. Surgite, & ascendamus in nocte, & dissipemus domos ejus.
6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, & fundite circa Jerusalem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.
7. Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas, & vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas, & plaga.
8. Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam terram inhabitabilem.
9. Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel: converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum.
10. Cui loquar? & quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud.
11. Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens: effunde super parvulum foris, & super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum.
12. Et transibunt domus eorum ad alteros, agri, & uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.
13. A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student: & a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.
14. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.
15. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, quam ob rem cadent inter ruentes; in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.
16. Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus.
17. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.
18. Ideo audite Gentes, & cognoscet congregatio, quanta ego faciam eis.
19. Audi terra: Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt.
20. Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.
21. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filii simul, vicinus, & proximus peribunt.
22. Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna consurget a finibus terræ.
23. Sagittam, & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur, vox ejus quasi mare sonabit: & super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te, filia Sion.
24. Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.
25. Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici pavor in circuitu.
26. Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.

in Arabia agnoscunt Profani (1). Feraces hujus calami erant regiones etiam circa Judæam sitæ (2): at fortasse nondum Jeremiæ ætate, cum is *de terra longinqua* eos advehi testetur. Vide quæ animadvertimus in Exodum XXX. 24.

℣. 22. POPULUS VENIT DE TERRA AQUILONIS, Chaldæorum exercitus, a Nabuchodonosore ductus. Graphicam hujus descriptionem tradit Jeremias. Gens est remota, violenta, sæva, telisque & clypeis, seu venabulis affabre constructis, armata.

℣. 23. SAGITTAM ET SCUTUM. Altera hæc in Hebræo (3) vox aliter vertitur; venabulum, telum, spiculum, sica. Vide Josue VIII. 18.

℣. 26. LUCTUM UNIGENITI, quasi matris, unicum filium morte raptum lugentis. Ita solent ingentem luctum significare; atque hæc locutio ferme in proverbium abiit, penes Hebræos. Vide Amos VIII. 10. & Zachariam XII. 10.

℣. 27. PROBATOREM DEDI TE IN POPULO: ceu robustum æris fusorem te in populo constitui. Populum ceu in fornace cremabis, & cujus notæ sit, experieris. Seu potius: Vatem eorum, quæ illi eventura sunt, te creavi. Prædicito futurum, ut acerrimum illius periculum fiat, ceu metalli, quod fornacis igne purgatur. Novi ego illum ignis vim non laturum, statimque agnoscendum, impurum esse metallum, quod purgari nequeat. Tum hic, tum in sexcentis Scripturæ locis Prophetæ id agere dicuntur, quod prædicunt. Verti Hebræus potest (4): *Fusorem constitui te in populo meo robustum*, firmatum, munitum. Chaldæus: *Electum dedi te in populo meo ceu civitatem fortissimam*. Septuaginta (5): *Probatorem dedi te in populis probatis*. Nonnulli Hebræum vertunt: *Propugnaculum invictum constitui te in populo meo*. Harum tamen explicationum pleræque duriores sunt; atque hac voce *Bechen* arcem significari, nullo ex etymo colligimus. Maluerim ego ita interpretari: *Te ego constitui ut populum meum majori solertia purges, quam purgatur aurum* (6).

℣. 28. OMNES ISTI AMBULANTES FRAUDULENTER: ÆS ET FERRUM: UNIVERSI CORRUPTI SUNT. Vel: Pleni sunt dolo: nihil penitus sunt præter ferrum & æs vitiatum & ærugine corruptum. Frustra illos igne excoquis: nihil usui aptum elicies.

℣. 29. DEFECIT SUFFLATORIUM: IN IGNE CONSUMPTUM EST PLUMBUM: FRUSTRA CONFLAVIT CONFLATOR. Detritus est follis; sive, fusorius calix iteratis calefactionibus consumptus est; vel, frustra laboravimus flando: in igne consumptum est plumbum: fusor frustra illos in fornace excoxit. Ferrum aut æs ærugine vitiata, apta non sunt, quæ fornace excoquantur, & periti artificia solertiam exerceant. Frustra in fornace cremantur, misceturque iis plumbum, quod injici in fornacem solet, quo facilius liquentur metalla, atque a fæcibus separentur (7): frangetur fornax; plumbum dissipabitur, ac penitus nihil e trita æruginosaque materia usui aptum reducetur. Ita, quantumvis labores, o Jeremia, nunquam fiet, ut suis sordibus, suaque illuvie, quibus teritur, populum meum purges; idolorum scilicet cultu, impietate, avaritia, cæterisque flagitiis, quibus putrescit. Ipse ego, calamitatibus illum & bellis exagitans, purgare conatus sum: nullos illum labor meliorem effecit. Renuncia igitur, ipsos corrigi non posse, spurium argentum esse: (℣. 30.) *Argentum reprobum voca eos*. Huic solummodo usui opportuni sunt, ut scilicet æterna sententia damnentur, flammisque tradantur.

(1) Diodor. lib. 3. Strabo lib. 16. Agatharcid. (2) Theophrast. hist. Plant. lib. 9. cap. 7. Plin. lib. XII. cap. 22. Vide Boch. de animal. sacr. par. 2. lib. 5. c. 8. p. 689. (3) קשת וכידון (4) בחון נתתיך בעמי מבצר (5) Δοκιμαστὴν δέδωκά σε ἐν λαοῖς δεδοκιμασμένοις. (6) *Probatorem dedi te populi mei præ auro*. בצר significat *aurum*. Job XXII. 25. & XXXVI. 18. (7) Theodoret. hic: Et Hieron. hic: *Plumbum miscetur metallis, quæ adulterata sunt, & violata, ut materiam separet alienam: & si forsitan purgata non fuerit, plumbum omne consumitur, & in nihilum redigitur*. Ita & D. Thom. & alii. Matthiol. in Dioscorid. c. 58. *Plumbum miscetur conflationi, quia plumbi adminiculo facilius metalla igne reducit*. Nostra ætate utuntur potius hydrargyro quam plumbo, ut argentum a cæteris metallis secernatur; aurum vero ab argento sejungitur aquæ ferventis ope.

CAPUT VII.

Inanis Judæorum fiducia de Templo & sacrificiis, dum in quolibet scelerum genus ruunt. Evertetur Templum ac deseretur, universaque gens ærumnis opprimetur, criminum ac flagitiorum ipsius causa.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Sta in por-
ta domus Domini, & prædica ibi, verbum istud, & dic: Audite verbum
Domini omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. 3. Hæc
dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bonas facite vias vestras, & studia vestra: &
habitabo vobiscum in loco isto. 4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes:
Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. 5. Quoniam si bene
direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis judicium inter virum, & proxi-
mum ejus, 6. Advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sangui-
nem innocentem effuderitis in loco hoc; & post deos alienos non ambulaveritis in
malum vobismetipsis: 7. Habitabo vobiscum in loco isto; in terra, quam dedi pa-
tribus vestris a sæculo, & usque in sæculum. 8. Ecce vos confiditis vobis in sermo-
nibus mendacii, qui non proderunt vobis. 9. Furari, occidere, adulterari, jurare
mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis. 10. Et veni-
stis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & di-
xistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. 11. Numquid
ergo

ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in
oculis veſtris? ego, ego ſum: ego vidi, dicit Dominus. 12. Ite ad locum meum in
Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: & videte quæ fecerim ei propter ma-
litiam populi mei Iſrael. 13. Et nunc, quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Domi-
nus: & locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & voca-
vi vos, & non reſpondiſtis: 14. Faciam domui huic, in qua invocatum eſt nomen
meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & patribus ve-
ſtris ſicut feci Silo. 15. Et projiciam vos a facie mea, ſicut projeci omnes fratres
veſtros, univerſum ſemen Ephraim. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec
aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.
17. Nonne vides, quid iſti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jeruſalem? 18.
Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem,
ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provo-
cent. 19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne ſemetipſos
in confuſionem vultus ſui? 20. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, &
indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper viros, & ſuper jumenta, & ſuper
lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur, & non extinguetur. 21. Hæc
dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Holocautomata veſtra addite victimis veſtris,
& comedite carnes. 22. Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præce-
pi eis, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & vi-
ctimarum: 23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero
vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi
vobis, ut bene ſit vobis. 24. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed
abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis ſui mali: factique ſunt retrorſum, &
non in ante, 25. A die, qua egreſſi ſunt patres eorum de terra Ægypti, uſque
ad diem hanc. Et miſi ad vos omnes ſervos meos prophetas per diem conſurgens
diluculo, & mittens. 26. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed
induraverunt cervicem ſuam: & pejus operati ſunt, quam patres eorum. 27. Et lo-
queris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non reſpon-
debunt tibi. 28. Et dices ad eos: Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini
Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides, & ablata eſt de ore eorum. 29. Ton-
de capillum tuum, & projice, & ſume in directum planctum: quia projecit Domi-
nus, & reliquit generationem furoris ſui. 30. Quia fecerunt filii Juda malum in ocu-
lis meis, dicit Dominus. Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt
nomen meum, ut polluerent eam; 31. Et ædificaverunt excelſa Topheth, quæ eſt
in valle filii Ennon, ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni, quæ non præce-
pi, nec cogitavi in corde meo. 32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non
dicetur amplius, Topheth, & vallis filii Ennon: ſed vallis interfectionis, & ſepelient
in Topheth, eo quod non ſit locus. 33. Et erit morticinum populi hujus in cibos
volucribus cœli, & beſtiis terræ, & non erit, qui abigat. 34. Et quieſcere faciam
de urbibus Juda, & de plateis Jeruſalem, vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem
ſponſi, & vocem ſponſæ; in deſolationem enim erit terra.

℣. 1. VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM. Novam hic orationem inſtituit, ad Caput XCIX. uſque productam. Judæ & Jeroſolymæ flagitia exagitat; tum minas in Edomum, Ammonem, Moabum, & Arabiæ populos ſcribit (1). Hæc Jeremias pro Templi Jeroſolymitani foribus, coram populo in Templum confluente, pronunciavit ℣. 2.

℣. 3. HABITABO VOBISCUM. Hebræus (2): *Habitare faciam vos in loco hoc*; certam fixamque hic ſedem vobis dabo.

℣. 4. NOLITE CONFIDERE IN VERBIS MENDACII DICENTIS: TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI EST. Templum quod Jeroſolymis erat, templum Domini fuiſſe, id certe mendacium non eſt: at ex Hebræorum ſententia cum male eo abuterentur, error erat & mendacium. Cenſebant illi, Deum, ſuæ ipſius gloriæ ſtudioſiſſimum, minime paſſurum, ut Templum ulla unquam ætate violaretur, atque in Chaldæorum poteſtate relinqueretur, ſuique cultores, gens a ſe electa, patriis ſedibus expellerentur, templo, altari, ſacrificiis ſpoliati. Etiamſi, inquiebant, criminum noſtrorum atrocitas poſtularet, ut Deus ita in nos animadverteret, id tamen illius gloria non pateretur. Quid finitimæ gentes dicerent, ſi Templum Domini ab exteris everteretur? Quam multa in Deum convicia pronunciarent? Nullus igitur ex Prophetarum minis metus eſto; quippe quibus certiſſimum divinæ opis pignus in templo eſt. Miſeros, cæcoſque qui non agnoſcerent, templum Domini ſuis ipſorum flagitiis magis violari, quam Ethnicorum ſævitia, ſi ab illis everſum cremaretur; Numinumque Religionem ſectantes, ſa-

[1] Vide Cap. IX. 26. [2] ושכנתי אתכם במקום הזה Septuag. Κατοικιῶ ὑμᾶς ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ.

ftere. Vel (1). Si reverti e captivitate cupitis o Israelitæ, meisque viribus liberari captivitate qua opprimimini, seria conversione resipiscite. Hæc verba ad orationem Capite superiori ℣. 6. inceptam pertinere, satis liquet. Captivos Israelitas a ℣. 10. ejusdem Capitis ad hunc usque locum alloqui pergit. Septuaginta (2): *Si conversus fuerit Israel, ad me convertetur*, vel convertatur. Chaldæus: *Si converteris, Israel, ad cultum meum, acceptabilis erit conversio tua, antequam signetur sententia tua.*

SI ABSTULERIS OFFENDICOLA TUA A FACIE MEA, NON COMMOVEBERIS. Si Deos tuos, malorum tuorum originem, serio abjeceris, e patria non expelleris, ubi semel ingressa fueris. Profani gentium Dii apud scripturam odioso nomine scandali, lapidis offensionis lapsusque nuncupantur (3). Montem Olivarum Judæi ob Deos ibi cultos montem scandali appellabant. Reddi potest Hebræus (4): *Si abstuleris abominationes tuas a me, non vagaberis*. Septuaginta (5): *Si abstulerit abominationes suas de ore meo, & a facie mea reveritus fuerit.*

℣. 2. ET JURABIS, VIVIT DOMINUS, IN VERITATE, ET IN JUDICIO, ET IN JUSTITIA. Jusjurandum non imperat Deus, sed permittit (6). Si ea fide, sinceritate, veritatis & Justitiæ studio, quod e discipulis exigit Christus, homines instruerentur, nunquam omnino jurarent; æquissimus esset illorum sermo; nihilque gravius in commerciis exigerent, quam aut assererent aut negarent (7): *Ego autem dico vobis non jurare omnino.... Sit autem sermo vester*, Est Est, Non Non. Judæos, cum jurare coguntur, per suum ipsius nomen jurare jubet, vetatque ne per alienos Deos jusjurandum nuncupent, & nunquam nisi ex *veritate, judicio, & justitia* jurent. Hæc si adsint, jusjurandum pars Religionis est, qua Deus colitur; quippe illius veritatis æquitatis, summæque potestatis confessio.

ET BENEDICENT EUM GENTES, IPSUMQUE LAUDABUNT, ubi Israelem serio ad Deum converti, Deos fugere, ac Dei nomine ex veritate, judicio, & æquitate jusjurandum nuncupare viderint, Dicent: Æterna sit Domino laus, Deo gentis adeo sanctæ, justæque, ac fidelis (8); cum olim vitæ ratio ab Israele institutæ ipsis Ethnicis scandalo fuerit. S. Hieronymus de Israele explicat: Alienæ gentes Israelem tunc laudibus cumulabunt, cum illius justitiam & æquitatem aspexerint. Hebræus verti potest (9): *Benedicent sibi invicem in eo gentes, & in eo laudabunt se*, dicentque: Te beneficiis bonisque cumulet Deus, quemadmodum Israelem. Vel: Vota facient ac bene precabuntur, Deum invocantes, ejusque Patrocinium & amicitiam sibi invicem imprecantes.

℣. 3. HÆC ENIM DICIT DOMINUS VIRO JUDA ET JERUSALEM; NOVATE VOBIS NOVALE, ET NOLITE SERERE SUPER SPINAS. Hoc loco *enim* particula est causam significans, Judæos adhuc in regione morantes alloquitur jam Propheta; eosque hortatur, ut veteres superstitiones impiumque cultum abjiciant. Hactenus similes fuistis ignavis agricolis, qui ne arandi laborem subeant, agrum vepribus sentibusque impleri patiuntur, omnemque jacti seminis fructum amittunt: spinas igitur ex agro vestro evellite, ac messem uberrimam referetis. Eadem comparatione utitur Capite superiori ℣. 24. & 25. Fatentur ibi Israelitæ, edita loca collesque, ubi inanes Deos venerabantur, montes esse sterilissimos, suosque & majorum labores a Diis fuisse voratos.

℣. 4. CIRCUMCIOIMINI DOMINO. Vel: Circumcisionem, quæ Domino placet, accipite, cordis circumcisionem (10): quicquid Domino displicet, impium cultum, iniquitatem, sævitiam erga fratres removete. Septuaginta (11): *Circumcidimini Deo vestro, & circumcidite duritiam cordis vestri.* Symmachus (12): *Purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrarum*. Circumcisionis nomine Scriptura omnia purgationum genera complectitur; incircumcisorum vero appellatione quicquid sordium est. Eadem circumcisionem cordis (13), linguæ (14), aurium (15) commendat.

℣. 5. CANITE TUBA IN TERRA, ET DICITE: CONGREGAMINI. Canite classico: intra munitissimas urbes unusquisque confugite: hostis in agro est: accedit Nabuchodonosor.

℣. 6. LEVATE SIGNUM IN SION: CONFORTAMINI, NOLITE STARE. Mora nulla, fugite; intra Sionem recedite, ubi signum cogendis totius regionis militibusque & agri hominibus erectum stat. Cum publice ad arma conclamaretur, in editis locis vexillum aliudve signum per diem erigebatur; noctu vero ignis excitari solebat, quo populi monebantur, ut in prærupta loca, vel intra munitas urbes ab hostium conatibus unusquisque secederet. Non unus Scripturæ locus hunc morem exhibet (16). Idem a Virgilio apud veteres Italiæ populos animadvertitur (17).

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit,

Hebræus (18): *Levate vexillum in Sion: aufugite: ne steteritis*. Septuaginta (19): *Assumentes fugite in Sion: festinate, nolite stare.*

℣. 6. QUIA MALUM EGO ADDUCO AB AQUILONE. Babylone profectus Nabuchodonosor, regionem vestram invadet. Babylon, Chaldæa, Assyria & Media septemtrionales Judææ ubique in Scriptura ponuntur: quamobrem in Geographicis nostrorum Tabulis; eas regiones ad Palæstinæ orientem statuentibus, mendum latere videtur tum in definiendo earum provinciarum situ, tum in Judea. At fortasse Prophetæ ita de Babyloniorum Chaldæorumque Regibus loquuntur, ut iter potius, quod illi tenebant, in Palæstinam proficiscentes, quam Geographicum eorum situm spectarent. Ii enim trajecto ad Tapsacum Euphrate, per Damascum & Syriam, plagam scilicet septemtrionalem, in Palæstinam veniebant, ut animadvertimus.

℣. 7. ASCSNOIT LEO DE CUBILI SUO, ET PRÆDO GENTIUM SE LEVAVIT. Virium causa, Nabuchodonosor cum leone comparatur; cum prædone vero ob victoriarum sævitiam & iniquitatem. His illum nominibus non uno in loco nuncupat Jeremias (20). Profecto, nisi merus justitiæ amor Reges Imperia moderantes, & Imperatores arma moventes impellat, *remota* denique *justitia*, *quid sunt regna* & victoriæ, *nisi magna latrocinia* (21)?

℣. 9. PERIBIT COR REGIS, ET COR PRINCIPUM. Præ-

---

[1] אם תשוב ישראל . . . אלי תשוב [2] Ἐὰν ἐπιστραφῇ Ἰσραὴλ, πρός με ἐπιστραφήσεται. [3] 4. Reg. xxiii. 13. Ezech. v. 11. xi. 18. xx. 7. Psal. cv. 36. [4] ואם תסיר שקוציך מפני ולא תנוד [5] Septuag. Ἐὰν περιέλῃ τὰ βδελύγματα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ προσώπου μου εὐλαβηθῇ. [6] Theodoret. hic. [7] Matt. v. 34. 37. [8] Ita Theodor. Thom. Maldon. Sanct. [9] והתברכו בו גוים ובו יתהללו [10] Deut. x. 16. *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne indurætis amplius*. Rom. ii. 29. *Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu*. Philipp. iii. 3. Galat. vi. 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura.* [11] המלו ליהוה והסירו ערלות לבבכם Septuag. Περιτμήθητε τῷ Θεῷ ὑμῶν, καὶ περιτέμεσθε τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. [12] Apud Hieron. hic. [13] Deut. x. 16. Rom. ii. 29. [14] Exod. vi. 12. 30. [15] Jerem. iv. 4. Act. vii. 51. [16] Vide Isai. v. 26. xi. 12. xiii. 2. xviii. 3. xxx. 17. [17] Virgil. Æneid. 8. initio. [18] שאו נס ציונה העיזו אל תעמדו [19] Ἀναλαβόντες φεύγετε εἰς Σιὼν, σπεύσατε, μὴ στῆτε. [20] Jerem. xlviii. 2. 21. 48. xxx. 16. [21] Aug. de Civit. l. 4. c. 4.

Præsente discrimine, atque hoc leone accedente, Joachimi, Jechoniæ, Sedeciæ, cæterorumque Juda Principum animi robore, virtute, consilio, magni Nabuchodonosoris metu, destituentur. Cor pro intelligentia, alacritate, consilio usurpatur.

PROPHETÆ CONSTERNABUNTUR. Probro obtuentur Pseudo-Prophetæ, ubi frustra, atque inaniter cadere viderint, quæ ipsi pollicebantur, suasque artes penitus detectas senserint. Septuaginta (1): *Obstupescent Sacerdotes*. Aquila: *Amentes erant*.

℣. 10. ET DIXI; HEU, HEU, HEU, DOMINE DEUS, ERGONE DECEPISTI POPULUM ISTUM? Hebræus reddi potest (2): *Et Dixi o Domine Deus! vere decepisti populum istum*. Passus es, ut Pseudo Prophetæ hunc populum fallerent, securam pacem polliciti; & miserrima gens, insanissime credula, vanis illorum pollicitationibus fidem haberet. Videntur interdum Hebræi voluntati Dei id tribuere, quod mera illius permissio sive dissimulatio est. *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis*, inquit Isaias LXIII. scilicet, cur nos errare passus es? & Psalmus XLIII. 19. *Declinasti semitas nostras a via tua*, nempe nos ab errore non revocasti.

℣. 11. VENTUS URENS IN VIIS QUÆ SUNT IN DESERTO VIÆ POPULI MEI, NON AD VENTILANDUM ET AD PURGANDUM triticum. Gravissimam calamitatem ab Aquilonari plaga venturam pollicitus est ℣. 6. Nabuchodonosorem scilicet eo nomine designatum. Hic alteram calamitatem prædicit, sub venti imagine, e deserto, scilicet meridie vel oriente, venturi. Ab oriente enim & meridie Judæa desertis Arabiæ cingebatur, ex quibus interdum aridi, urentesque venti, agrorum fructibus noxii, & procellis frequenter juncti (3) flabant. Vento deserti innuitur fortasse Nechao Ægypti Rex, qui pium Josiam acie superavit, necavitque, quo ex tempore Dei furor in Judam ceu torrens ruptis aggeribus ruit. Addit Propheta, hunc ventum minime futurum ex eo lenium ventorum genere, quo utuntur agricolæ, ut triticum in area jam excussum ventilent; sed rapidissimum turbinem, obvia quæque vertentem: (℣. 12.) *Spiritus plenus ex his veniet mihi*; plenus, ac vehemens ventus erit, quem ego data opera excitabo. Hebræus (4): *Ventus vehementior quam opus sit in eos ušas*, scilicet ventilandi, seu ventus validior quam cæteri e deserto flantes.

℣. 12. ET NUNC EGO LOQUAR JUDICIA MEA CUM EIS. Cæso Josia, Deus iram in Populum exercere cœpit; atque ex eo tempore, usque ad Urbis ac Templi excidium populique captivitatem non intermissa malorum series fuit.

℣. 13. ECCE QUASI NUBES ASCENDET, ET QUASI TEMPESTAS CURRUS EJUS. Hic locus vulgo de Nabuchodonosore explicatur; at ex nostra sententia optime de Nechao Ægypti Rege intelligi potest. Exercitum trahebat is peditatu copiosum, & equitatu validissimum. Superato Josia adversus Euphratem profectus, Carcusium totamque Syriam subegit (5).

℣. 15. VOX ANNUNTIANTIS A DAN, ET NOTUM FACIENTIS IDOLUM (idoli adventum) DE MONTE EPHRAIM. Ad Nabuchodonosorem redit. Clamores populorum e finibus audio, e Borealibus Palæstinæ locis (6), ubi sita erat Urbs Dan, in Radicibus Libani. Clamores audiuntur monentis, formidabilem hostem a Dan Montes Ephraim versus accedere, in Regiones Juda irrupturum. Dan eadem est ac Paneas seu Cæsarea Philippi, si Theodoreto credimus, sive IV. millibus passuum aberat a Panea, Tyrum versus, ex S. Hieronymo (7). Illam collocat Josephus Libano proximam & parvi Jordanis fontibus (8). Hinc Jerosolymam proficiscenti, per montes Ephraim iter habendum erat. Quod vero Idolum e montibus Ephraim veniens? Ajunt alii (9) ipsum esse Nabuchodonosorem, qui subjectis e gentibus Divinos honores exigebat. Alii (10), Belum, celeberrimum Chaldæorum & Babyloniorum numen. Sunt qui censeant (11), sacrum ignem fuisse, Persarum exercitibus præferri solitum, quem Persæ cultu Religioso venerabantur (12). Vertere aliis placet (13): Voces audio clamantis e Dan, & annunciantis de monte Ephraim, *afflictionem*, calamitatem, malum imminere. Septuaginta (14) *Vox annuntiantis e Dan veniet, & audietur dolor de monte Ephraim*. Chaldæus: *Vox Prophetarum, qui prophetant adversum eos, qui migraverunt ad adorandum vitulum, qui est in Dan. Interfectores interficientes venient super eos, eo quod servierunt simulacris quod erexerat Michas in Monte Domus Ephraim* (15). Hebræus ita verti potest (16): *Clamor* scelerum tuorum *validior est, quam* cultus vituli aurei *in Dan*; *& flagitii*, quod patratur *in monte Ephraim*; vitulus enim aureus in Bethel etiam colebatur. Hæc explicatio cum iis quæ præcedunt optime nectitur: Flagitia tua, o Juda & Jerusalem, majora sunt quam Israelitarum, quos suis e sedibus expuli, quod Idola in Dan & Bethel venerarentur.

℣. 16. CUSTODES (armatos) VENIRE DE TERRA LONGINQUA. Sive: Finitimos monete, præmissos a Chaldæorum exercitu manipulos, excubitores, copiarum præcursores sub ipsis mœnibus Jerosolymæ esse, hostemque proximum. Custodes nominat Chaldæos, eosque comparat cum hortorum custodibus, solicitudinis causa, qua Urbem agrumque Juda custodiebant, nemine per agrum impune vagante, quin illum hostes invaderent; uti solent agrorum excubitores, si quis per creditum sibi agrum, aut vineam transeat. Nulla hostibus quies aut somnus diu noctuque est; assidue explorant, urbisque ingressum iis, qui in agro sunt, & iis qui in urbe morantur, egressum negant. Legimus Jerosolymam a Nabuchodonosore fossis, aggeribusque cinctam fuisse (17), nequis aut ingrederetur aut egrederetur, quæ causa extremæ caritatis & famis fuit. Hæc obsidionum ars eo potissimum desinebat, ut hostis arcte adeo urbem clauderet & custodiret, ut fame coacta, omnique suppetiarum spe destituta, ad deditionem cogeretur. In Hebræo (18) *Urbs custodita* est urbs obsessa: Vir custoditus est vir in Urbe obsessa clausus. *Qui custoditus fuerit, fame morietur*, inquit Ezechiel (19).

℣. 18. VIÆ TUÆ ET COGITATIONES TUÆ FECERUNT HÆC TIBI. Pessima vitæ tuæ ratio, tuaque noxia consilia, gesta tua, tuaque desideria sunt unica exitus tui causa. *Quidquid nobis accidit, nostro accidit vitio, qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus, & cogimus sævire nolentem*, inquit S. Hieronymus in hunc locum.

℣. 19. VENTREM MEUM DOLEO, &c. Hæc verba vel ad Deum (20), vel ad Jeremiam (21), vel ad popu-

Comment. Tom. VI. E 3

[1] יאבד לב המלך ולב השרים ונשמו הכהנים והנביאים יתמהו Septuag. Καὶ οἱ Προφῆται θαυμάσονται. [2] ואמר אהה אדני יהוה אכן השא השאת לעם הזה [3] Vide Job XXXVII. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas*. Hebr. מן החדר תבוא סופה Vide & Zach. IX. 14. [4] רוח מלא מאלה יבוא לי Septuag. Πνεῦμα πληρώσεως ἥξει μοι. [5] Vide nos in 2. Par. XXXV. 20. & sequ. [6] Confer Jerem. VIII. 16. [7] Hieronym. in locis. [8] Antiq. lib. 5. c. 11. & lib. 8. c. 3. [9] Hugo, Syr. Dionys. [10] Hieron. hic. [11] Sanct. hic. Vide & ad Jerem. lib. 13. [12] Q. Curt. lib. 4. Strabo lib. XV. [13] Munst. Vat. Angl. Pisc. [14] Διότι φωνὴ ἀγγέλλοντος ἐκ Δὰν ἥξει, καὶ ἀκουσθήσεται πόνος ἐξ ὄρους Ἐφραίμ. [15] Judic. XVII. 4. 5. & sequ. [16] כי קול מגיד מדן ומשמיע און מהר אפרים [17] 4. Reg. XXV. 1. 2. *Circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu ejus munitiones*. [18] Isai. I. 8. כעיר נצורה Et Nahum II. 2. נצור מצורה [19] Ezech. VI. 12. והנשאר והנצור ברעב ימות [20] Hieronym. hic. [21] Theodoret. Munst. Pisc. alii frequenter.

populum (1) referuntur. Deus sese misaratione malorum Jerosolymæ percitum sensit. Jeremias totis visceribus mœrore ac dolore laceratur, dum Populi calamitates animo versat. Denique populus inter hostes undique positus, gravi dolore viscera lacerante agitatur. Qui de Jeremia explicant, æquiora loqui nobis videntur.

Sanua cordis mei turbati sunt in me. Hebræus (2): *Parietes cordis mei, fremit*, tumultuatur, obstrepit *mihi*, sive intra me, *cor meum: non tacebo*. Septuaginta (3): *Ventrem meum, ventrem meum doleo*, ingens intra me dolor sævit, *& sensoria cordis mei: fluctuat anima mea*; atque insania quodammodo agitatur: *dilaceratur cor meum: non tacebo*. Fieri ne potest, ut silens tam acres cruciatus feram? *Parietes cordis* nuncupat Jeremias ventrem, præcordia, pectus, quicquid denique ventrem, cor, cetarasque interiores hominis partes ambit: Ingentem intra præcordia tumultum, agitationem, cruciatum sentio.

℣. 20. Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ, tentoria mea. Olim tentoria e pellibus conficiebantur. Vis illata est castris meis, meaque tentoria statim eversa sunt. Urbes Juda cum hujusmodi tentoriis comparat, easque iam facile ab hoste occupatas asserit, quam facile tentorium evertitur.

℣. 21. Usquequo videbo fugientem? Hebræus (4) reddi potest: *Usquequo videbo vexillum?* Semper ne inter arma & armatos ero?

℣. 22. Stultus populus meus me non cognovit. Hic omnium populi mei malorum fons. Deum non ita agnovere, ut cognitionem actio sequatur. Deum non coluere, non amavere, illique non servieruot, quemadmodum suprema Dei Majestas postulabat. Multo nequiores in eo sunt, quod eum Deum agnoverint, debitam Deo gloriam & obsequium non exhibuere. In cæteris oculatissimi, in in iis quæ Deo debentur, cæcutiunt. Vide Caput v. 21.

℣. 23. Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihil. Hebræus (5): *Aspexi terram, & ecce tohu & bohu*. Omnia turbæ sunt, Chaos, tumultus & turbata congeries. Iisdem utitur vocibus Jeremias, quibus Moyses informem confusumque materiæ statum significat (6), qualis erat rerum initio, antequam Deus materiæ partes suo singulas loco distribueret, iisque formam, ornamenta, ordinem quem videmus, daret. Septuaginta (7): *Aspexi terram, & ecce nihil*. Talis fuit Judæa, postquam in Chaldæorum potestate relicta est, incolis spoliata, atque in solitudinem redacta.

Et cœlos, et non erat lux in eis. Sub atri Cœli tenebrisque obsiti imagine Scriptura frequenter miserrima tempora, communeraqua terrorem ac metum significat. Lux prosperas res, & spem adhuc florentem indicant (8), Tenebræ mortem & res adversas (9). Id tum ex Profanis, tum e Scriptura constat. Quibus calamitas aliqua contigit, ii lucem media in luce non vident, neque in meridie diem, inquit Theodoretus; omnia illis videntur tenebris obsita, omnia metu plena, turbantur omnibus, ac terrentur.

℣. 24. Omnes colles conturbati sunt. Terror ubique, ac metus; quibus montes collesque quodammodo quatiuntur. Tropicæ Phrases sunt & Hyperbolicæ, quibus frequenter hoc sensu utitur Scriptura (10).

℣. 25. Omne volatile Cœli recessit. Desertam desolatamque Regionem fugiunt aves, quod illa cibum non præbeat. Desertus incultusque ager feris tantummodo alendis opportunus est; ac plerumque feræ ex ea regione fugiunt, quam homines reliquere. Id sua ætate contigisse in regionibus ab hoste vastatis, & incolarum nece desertis, Sanctus Hieronymus animadvertit (11). Iisdem ferme sententiis, quibus hic Jeremias, utuntur Osee (12) & Sophonias (13). Idem Jeremias, Capite xii. 4. *Consumptum est animal, & volucre*. Vide & ix. 10.

℣. 26. Ecce Carmelus desertus. Carmelus universe pro agro fertili & jucundo usurpatur (14); atque hoc sensu potest hic intelligi, sive accipi de monte hujus nominis, locisque finitimis, præstantia & ubertate celeberrimis. Putat Theodoretus, Carmeli nomine Jerosolymam a Propheta significari.

℣. 27. Sed tamen consummationem non faciam; penitus non perdam. Quamtumvis eversa videatur Jerosolyma, & gravia Judam mala opprimant, ita utrumque non perdam, ut spes omnis penitus pereat. In cinerem favillasque redigentur Jerosolyma & Templum; Judas agetur captivus; omnisque regio vastabitur ac deseretur. At meæ ego misericordiæ non obliviscar: gens mea ex hisce malis surget: Restaurabitur Jerosolyma: majorem quam antea in dignitatem Templum restituetur: Judas e captivitate redibit. Sensu plane contrario nonnulli interpretantur. Nondum hisce malis contentus sum: nihil iræ meæ abunde satisfacit (15). Sive: Ultionis meæ vim, quam late patet, non exeram? Prior explicatio aptior videtur. Vide Caput proxime sequens, ℣. 10. *Consummationem nolite facere*; & ℣. 18. Hujus fortasse & sequentis Capitis minæ ad primam solummodo Jerosolymæ obsidionem per Nabuchodonosorem spectant, qua Jechonias, pluresque Jerosolymæ Principes captivi Babylonem ducti sunt. Stetit adhuc Jerosolyma, & Sedecias Jechoniæ successor undecim adhuc annis regnum obtinuit. Totum hoc pœnitentiæ tempus populo reliquit Deus.

℣. 28. Cogitavi, et non pœnituit me. Quæ decrevi, planissime explebo. Eorum quæ vel decernit vel gerit Deus, ipsum pœnitere non potest; menti que angustis finibus clausæ convenit pœnitentia, ipsa enim sese fallit, modum excedit, aut deficit, cæcum animi impetum sequitur, quæ prius decrevit, corrigere potest, aut meliora cogitans, aut magis serio, latioribusque ac solidio-

(1) Grot. hic. (2) קירות לבי הומה לי לבי לא אחריש (3) Septuag. *Τὴν κοιλίαν μου, τὴν κοιλίαν μου ἀλγῶ, & τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου μαιμάσσει ἡ ψυχή μου, σπαράσσεται ἡ καρδία μου, οὐ σιωπήσομαι*. Edit. Complut. Μὴ μάσσει ἡ ψυχή μου, *Me premit anima mea*. S. Hieronymus aliique legebant μαιμάσσει, quæ vox negotium Interpretibus facit. Significat autem fluctuare, agitari, furere. Aqu. Ὀχλάζει, *commovetur*. (4) עד מתי אראה נס Septuag. Ἕως πότε ὄψομαι φεύγοντας. (5) ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו (6) Genes. i. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua*. (7) Καὶ ἰδοὺ οὐθέν. Aqu. Sym. Th. Καὶ ἰδοὺ οὐθέν.
(8) Homer. Iliad. Z, initio.

Αἴας δὲ πρῶτος . . . Τρώων ῥῆξε φάλαγγα, φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκε.

(9) Senec. Hercul. furente,

. . . *Nulla lux unquam mihi*
Secura fulsit, finis alterius mali
Gradus est futuri.

(10) Vide Psal. xviii. 4. 6. Habac. iii. 10. 12. Judic. v. 5. Joel. ii. 10. (11) Hieron. hic: *Hoc verum esse nunc totus orbis demonstrat, ut cæsa hominum multitudine, volatilia quoque, quæ solent hominem sequi, abierint, perierint*. Vide eundem in Osee iv. 3. & in Sophon. i. 3. (12) Vide Osee iv. 3. *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli, &c.* (13) Sophon. i. 3. *Congregans hominem, & pecus, & congregans volatilia cœli, & pisces maris*. (14) Vide Isai. xxxiii. 9.
(15) Ita Grot. Jun.

lidioribus cognitionibus utens. Deus quicquid gerendum est, uno statim intuitu videt: Æterna atque infinita est illius cognitio, consilia justissima, & quæ nunquam falli queant. Si quando Deum pœnitere narrat Scriptura, impropria locutio est, ex humanis moribus accepta; hominem enim pœnitere dicimus, cum mala quæ decrevit, minime exequitur. Ita Deum pœnitere asserimus, cum hominum precibus animique dejectione motus, iram in misericordiam vertit, minasque maxime formidabiles irritas cadere patitur. Id cum fit, ea Dei decreta conditionibus adstricta fuisse significat. At hic, ubi Deus exitium Judæ & Jerosolymæ minitatur, meras minas non esse testatur; quæ decrevit, sese executurum ait, nulla illorum parte mutata, cum populi iniquitas ad summum usque fastigium perducta fuerit.

℣. 29. Ingressi sunt ardua, loca editissima. Hebræus (1): *Ingressi sunt in nubes*, loca obscura, & tenenebris oblita, seu montes editos usque ad nubes, vel in lucos densissimos & obscuros; Septuaginta (2): *In speluncas*.

℣. 30. Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, Chaldæi veteresque amatores te spernent. Fœderati ac finitimi terga vertent; iuique hostes, ornamentis tuis minime illecti, te magis magisque odio & contemptu prosequentur. Hebræus (3): *Etiamsi induas te purpura*, sive cramesio, *& ornes te mundo pretiosissimo, & scindas stibio oculos tuos*, frustra laborabis. Te amatores spernent. Ingens est adhuc stibii usus apud Orientales, quo oculos pingunt nigroque colore inficiunt, & palpebras diducunt, ut oculos ampliores atque elegantius patentes exhibeant. Solent Æthiopes stibium in pulverem redigere, eoque cum humida fuligine misto, palpebras linire, pennicillo in hunc usum destinato (4). Jezabel stibio linisse oculos legitur (5), ubi Jehu mœnia Samariæ subire intellexit; futurum sperans, ut ex illo obsequium, amoremve aucuparetur Jerosolymæ amatores Ægyptii sunt, Phœnices, Chaldæi; quibus sese illa prostituit, dum illorum superstitionem imitata est, ac fœdus quæsivit, summa Divini cultus opisque injuria, quam illa neglexerat, Confer *Jerem.* 1. 3. 8. 9. &c. *Ezech.* XVI. 15. 16. 17. &c.

℣. 31. Audivi angustias ut puerperæ; Hebræus (6), *ut primiparæ*, cujus cruciatus multo acrior est, clamorque validior.

Vox filiæ Sion intea morientis, expandentisque manus suas, & clamantis: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos! Hebræus (7): *Audivi vocem filiæ Sion: Lamentatur, expandit manus suas*, brachia deficiunt: *Væ nunc mihi, quia lassata est anima mea interfectoribus*: hostium copias videns, langueo & deficio.

(1) באו בעבים (2) Septuag. Εἰσέδυσαν εἰς τὰ σπήλαια. (3) כי תלבשי שני כי תעדי עדי זהב כי תקרעי בפוך עיניך (4) Ludolf. hist. Æth. lib. 7. cap. 7. (5) 4. Reg. ix. 30. (6) קול שמעתי צרה כמבכירה Septuag. Ὡς πρωτοτοκούσης. (7) קול בת ציון תתיפח תפרש כפיה אוי נא לי כי עיפה נפשי להרגים

CAPUT V.

Justus aliquis Jerosolymæ quæritur, nec invenitur. Extrema flagitia, quibus universa urbs impia occupatur. Exitium illi a peregrina gente minitatur Deus; at simul pollicetur futurum, ut illam penitus non deleat.

℣. 1. Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus,
an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius
ero ei. 2. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint: & hoc falso jurabunt. 3. Domine,
oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, &
renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt
reverti. 4. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini,
judicium Dei sui. 5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt
viam Domini, judicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt jugum,
ruperunt vincula. 6. Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit
eos, pardus vigilans super civitates eorum: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur:
quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum.
7. Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, & jurant in his,
qui non sunt dii: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur.
8. Equi amatores, & emissarii facti sunt: Unusquisque ad uxorem proximi sui
hinniebat. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non
ulciscetur anima mea? 10. Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem
nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini. 11. Prævaricationes
enim prævaricata est in me domus Israel, & domus Juda, ait Dominus. 12.
Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse, neque veniet super nos malum:
gladium, & famem non videbimus. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum
non fuit in eis; hæc ergo evenient illis. 14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum:
Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, &
populum istum in ligna, & vorabit eos. 15. Ecce ego adducam super vos gentem de
longin-

longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur. 16. Pharetra ejus quasi sepulchrum patens, universi fortes. 17. Et comedet segetes tuas, & panem tuum: devorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. 18. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem. 19. Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, & servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra. 20. Annuntiate hoc domui Jacob, & auditum facite in Juda, dicentes: 21. Audi, popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis. 22. Me ergo non timebitis, ait Dominus, & a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commovebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud. 23. Populo autem huic factum est cor incredulum, & exasperans, recesserunt, & abierunt. 24. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc: & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. 26. Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. 27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt, & ditati. 28. Incrassati sunt, & impinguati: & præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. 29. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? 30. Stupor, & mirabilia facta sunt in terra: 31. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?

℣. 1. CIrcuite vias Jerusalem ...., an inveniatis virum facientem judicium, Pergit Capitis superioris oratio. Mala extrema populo minitatus est Deus, docuitque futurum ut se se minime pœniteat, latamque sententiam non revocet (1). Ut severi adeo instituti æquitatem demonstret, imperat Jerosolymæ, ut in omnibus mœnium suorum angulis scrutetur, singulas hominum conditiones exploret; futurum ut ipse decreta consilia mutet, gentisque suæ misereatur, dum vel unus in urbe justus sit. Cum Abraham pro Sodomis intercederet (2), ac per varios gradus eo pervenisset, ut impiæ Urbi veniam impetraret, modo decem justos contineret, ulterius rogare non ausus est, idque satis esse debere putavit. Unum hic Jerosolymæ justum quærit Deus, nec invenit.

At sub Josiæ Regno credibile est, Jerosolymæ flagitia adeo crevisse, ut ne unus quidem pius esset? nonne justus Josias? Magnis certe laudibus illum prosequitur Scriptura. Joel, Sophonias, Habacuc, Holda Prophetis, Jeremias eo regnante florebant. Nulli ne Sacerdotes, nullive e Vulgo Judæi vacui iis criminibus, quorum arguitur Judas? His plura reponimus: I. Hyperbolicas esse locutiones, quibus illud ostenditur, quam rarè Jerosolymis essent Justitia & Pietas, Cum quis in alium acriter invehitur, in ipso orationis æstu frequenter usurpat: Nulla jam fides, æquitas, amicitia. II. Hæc verba ad eam ætatem spectare, quæ inductam ab Josia in subditos, decimo octavo Regni sui anno, morum disciplinam præcessit (3). Certe ante eam ætatem vitia universam prorsus regionem inundaverant, testibus Sophonia (4), aliisque Jeremiæ locis (5). III. Denique, Dominum veluti pro concione verba facere ad Jeremiam & eos, qui simili exemplo integram sibi fidem servaverant; atque imperare, ut in reliqua gente sollicite scrutentur, utrum vel unus sit, cui appellatio justi conveniat, suique furoris æstum coercere valeat.

℣. 2. Quod si etiam, vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. Esto, aliquis sit, qui meo nomine jusjurandum nuncupet: at illud probro mihi est, cum me testem mendacii adhibeat. Non satis est Dei nomine jurare: jurandum est ex *veritate*, *judicio*, *justitia* (6).

℣. 3. Domine, oculi tui respiciunt fidem, bonam scilicet fidem. Vel: Ita veritatem & justitiam intueris, ut probes, quamobrem necesse est, ut infidelitatem & injustitiam detesteris. Tu nosti, Deus, quid rei sit; ac procul dubio verum est, nihil Jerosolymæ esse, nisi injuriam & iniquitatem. Hebræus (7): *Domine, oculi tui nonne ad veritatem?*

Percussisti eos, et non doluerunt. Gravissima ærumnarum procella, quæ regnantibus Achaz, Ezechia & Manasse Judam obruit, non satis fuit, ut Judæos ad officium revocaret. *Induraverunt facies suas super petram*, lapide duriores effecti sunt; atque adeo effuse in flagitia ruerunt, ut jam eorum non pudeat, nihilque iis moveantur; rupibus similes, lapidibus durissimis, indomitis, fragilibus, qui sub artificis scalpro franguntur, ut aptum nihil ex iis conficere artifex vel peritissimus queat.

℣. 4. Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini. Fortasse indoctum vulgus, institutione, literis, eruditione carens, vitiis occupatur, ignorantiæ potius quam nequitiæ causa: at Sacerdotes, Magistratus, Optimates, quorum mens studio & Institutis exculta est, majori ne Religionis Divinique cultus studio tenentur? Minime vero, *Magis hi simul confregerunt jugum*

(1) Sap. cap. IV. ℣. 28. *Cogitavi, & non pœnituit me, &c.* (2) Genes. XVIII. 32. (3) 4. Reg. XXIII. 4. 5. & seq. (4) Sophon. I. 4. & seq. (5) Jerem. VI. 13. VIII. 10. (6) Jerem. IV. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia.* (7) יהוה עיניך הלא לאמונה

jugum [Ỷ. 5.] ipsi majori andacia Divinæ Legis jugum iregere. Si peccet multitudo, & ex ignorantia peccet, res remedio non caret: at ubi Sacerdos, populi Administrator, Princeps, Eruditus iisdem, quibus multitudo, sceleribus visiesnr, deplorata res est.

Ỷ. 6. Percussit eos leo de silva: lupus ad vesperam [nocturnus] vastavit eos, pardus vigilans super civitatas eorum. Leo Nabuchodonosorem significat, ex Theodoreto; quo nomine idem superius (1) designatur; lupus Nabuzardanum, pardus Antiochum Epiphanem. Ea S. Hieronymo, Babylonii leone, lupo Medi & Persæ, Græci pardo innnuntur. Judæos afflixere Nabuchodonosor cæterique Nabuchodonosoris successores: plurimis illos malis affecere Cambyses & Xerxes, Persis Medisque post Cyrum imperantes; denique Syrorum & Ægyptiorum Reges, qui post Alexandrum regno potiti sunt, innumeris illos ærumnis oppresserunt. Aliis placet (2), leonem vorantem, lupum nocturnum, vigilem pardum unum eumdemque esse Nabuchodunosorem, qui sævitia, robore, audacia leonem, aviditate, rapacitate, cædis studio lupum, celeritate, alacritate, solartia pardum æquavit. *Nocturni* epitheton optime lupo convenit, quippe qui per noctis tenebras acriori utitur oculorum acie, quam per diem (3): fere noctu vagatur, sub vesperam, seu per nebulam & turbines (4).

. . . . *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit rabies, &c.

Hebræa vox (5) ab Interpretibus sane multis (6) redditur *lupus desertorum*, lupus ferus & communibus lupis ferocior. Pardus *vigilans* dicitur (7), quod revera pardus in insidiis lateat, prædam occupaturus (8), atque in illam summo impetu ruit, cum adest. Ita Nabuchodonosor Judæ urbes invasit.

Ỷ. 7. Super quo propitius tiat assa poteao? Fœdus meum violasti: leges meas pedibus conculcasti: quolibet criminum genere obvolutus es; me Deum, Regem, Patrem tuum agnoscere detrectasti: solum jam mihi erga te superest Iudicis & vindicis nomen, ut perfidiæ tuæ pœnas exigam.

Ỷ. 8. Equi amatores in fœminas, et emissarii facti sunt. Unusquisque alterius uxorem petit eo impetu, quo belluæ in venerem effusissimæ fœminas. Libidinosissimum omnium animal est equus (9). Hebræus ad verbum (10): *Equi bene pasti & trahentes*. Quæ verba alii aliter explicant; sunt enim qui turpem hic sententiam videant, ut significet equos non eastectos, bene pastos, qui fœminas sectantur (11); & sunt (12) qui interpretentur equos bene pastos, recalcitrantes, impatientes jugi; sive equos pinguissimos, mane surgentes. Postrema tamen hæc interpretatio, quamquam multis probata, inepta videtur, & cum Hebræo male convenit (13). Optima omnium ea est, quam Vulgata & Septuaginta sequuntur.

Ỷ. 10. Ascendite muros ejus et dissipate: consummationem autem nolite facere; at ne funditus evertatis. Confer Ỷ. 18. hujus Capitis, & Ỷ. 27. superioris. Hæc intelligi de iis possunt quæ in prima Jerosolymæ per Nabuchodonosorem obsidione contigerunt. Capta est urbs, ductusque captivus Jechonias (14): at urbs Templumque steterunt, creato in Jechoniæ locum Sedecia, populoque aliquibus adhuc annis in patria relicto.

Auferte propagines ejus, quia non sunt Domini. Avulsi sunt ab Jerosolyma Jechonias ac liberi, quorum nullos illa Regni successores habuit, a Chaldæis forsasse interfectos. Imperat alibi Jeremiæ Deus (15): *Scribe virum istum* (Jechoniam) *sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim de semine ejus erit vir, qui sedeat super solium David*. Intelligendus est Hebræus de Jerosolyma (16): Jerosolymæ propagines vellite, populum omnem auferte, a fundamentis evertite. Reddunt nonnulli (17): *Vellite loricas*, aggeres; Chaldæus (18), *palatia ejus*; alii (19), fundamenta mœnium & ædificiorum, quippe quæ Deus dereliquit abjecitque; neque deinceps urbs sancta, locusque quietis illius futura est Jerosolyma.

Ỷ. 12. Negaverunt Dominum, et dixerunt: Non est ipse; Dominus non est Deus. Hebræus (20): *Mentiti sunt Domino, & dixerunt: Non est ipse*. Fide, quam Deo debebant, violata, dixerunt, ipsum non fuisse Deum, qui per Prophetarum ora loquebatur: quicquid ipse aut dixit, aut minitatus est per homines a se missos, meras esse fabulas meramque insaniam putaverunt: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & responsum non fuit in eis*. In Deum Divinumque Spiritum mentiti sunt, cum dicerent, ipsum non fuisse, qui per Prophetas loqueretur ipsosque mitteret, quo majori licentia in vitia ruerent.

Ỷ. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis, Hebræus (21): *Prophetæ fuerunt in ventum, & sermo non fuit in eis: sic fiet eis?* Prophetarum minas irrisas foredixerunt, Dominumque per illos non esse locutum: at suo ipsorum supplicio vaticiniorum omnium fidem penitus impletam intuebuntur. Aliter: Vaticinia in ventum abitura esse dixerunt: nihil in illis rei ac veritatis esse; minas in suos ipsarum authores casuras, in loquacissimos homines, qui nullum arguendi finem faciunt (22). Ita deridebant impii. Postrema hæc explicatio aptissima omnium, & cum reliquis maxime consentanea videtur.

Ỷ. 14. Do verba mea in ore tuo in ignem: et populum istum in ligna. Sermones tuos tuo in ore ardentes ponam ceu ignem, atque hic populus similis erit lignis, ab hoc igne voratis. Ieremiam hic alloquitur Deus: Cum extrema illis mala tu prædixeris, expletas statim minas ipsi intuebuntur. Verbis tuis consumentur, ceu lignum igne: scilicet, vaticinia tua fides certa sequetur. Prophetæ passim in Scriptura dicuntur illud agere, quod prædicunt. Ignis bellum significat.

Ỷ. 15. Adducam super vos gentem de longinquo, Chaldæos, quos a loci distantia, opibus, robore, vetustate, ignota Hebræis lingua, armis, scilicet telo, viribus, sævitia describit. Chaldæorum Imperium in Provincias, ad Orientem & Septemtrionem Palæstinæ sitas, quam latissime porri-

(1) Jerem. IV. 7. *Ascendit leo de cubili suo*, &c. (2) Sanct. Grot. Tirin. &c. (3) Ælian. lib. X. c. 26. (4) Æneid. 2. (5) זאב ערבות Septuag. Λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν ὠλόθρευσεν αὐτούς. Legunt זאב עד בת (6) Pag. Mont. Munst. Castal. Rabb. Jarchi, Ben-Melec, Leo Juda, &c. (7) נמר שקד על עריהם (8) Ælian. lib. 5. c. 40. (9) Aristot. hist. anim. lib. 6. c. 22. Et Virgil. Georgic. 3. (10) סוסים מוזנים משכים היו (11) Hieron. *Omnes consona voce* ἑλκοντες, *idest, trahentes, transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium, juxta illud Ezechielis, quasi asinorum carnes, eorum carnes*. Ita & Septuag. Ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν. Et Ludov. de Dieu: *Equi bene pasti, & producentes, supple membrum genitale, quod honoris causa subticetur, quia ex materia subjecta satis intelligitur*. (12) Bochart. de animal. sacr. parte 1. lib. 2. c. 9. (13) משכים est השכם, mane surgere; Legendum esset משכימים (14) 4. Reg. XXIV. 10. (15) Jerem. XXII. 30. (16) הסירו נטישותיה כי לוא ליהוה המה (17) Pagn. Mont. Kimchi, Jun. Tremel. Pisc. (18) פגרי בירניתהא (19) Syr. Arab. 70. Ὑπολίπεσθε αὐτῆς. (20) כחשו ביהוה ויאמרו לוא הוא 70. Ἐψεύσαντο τῷ Κυρίῳ. (21) והנביאים יהיו לרוח והדבר אין בהם כה יעשה להם (22) Vide Chald. Grot. Tir. Piscat.

porrigebatur; cæterorumque per orbem habebatur amplissimum, opulentissimum ac florentissimum. Vetustas a Nemrodo, Ninives & Babylonis conditore, primoque inter homines Rege petebatur (1). Nabopolassar, Nabuchodonosoris pater, priscis Assyriorum Babyloniorumque Regibus successerat. Bellica Chaldæorum virtus neminem latebat: at multo illustrior fuit sub Nabuchodonosore,

GENTEM, CUJUS IGNORABIS LINGUAM. Chaldæorum seu Syriorum sermo ignotus Hebræis erat, uti ex Ezechiæ historia discimus. Cum Sennacherib Rabsacem ad Ezechiam legasset, missi ab Ezechia Regii Interpretes Rabsacem oravere (2): *Loquere ad servos tuos Syria lingua, intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi, qui est super murum.*

℣. 16. PHARETRA EJUS QUASI SEPULCRUM PATENS. Cujus tela mortem cædemque ubique ferunt: satiari nequeunt, ceu sepulcrum; parem morti terrorem incutiunt.

℣. 17. COMEDET FILIOS TUOS ET FILIAS TUAS. Id non eo dicit, quod Chaldæi humanis carnibus vescerentur, sed quod obvius quilibet eorum armis cædendus esset, eorumque sævitia omnem late regionem fame & bello desertam squallentemque effectura. Hebræa vox, quæ comedere, vorare significat, universe pro quolibet exitii, excidii & cædis genere usurpatur.

℣. 19. SICUT SERVISTIS DEO ALIENO IN TERRA VESTRA; SIC SERVIETIS ALIENIS IN TERRA NON VESTRA. Latini Codices quidam ferunt: *Diis alienis*. Chaldæus: *Servietis populis colentibus idola in terra non vestra*. Me Deum Regemque vestros intra fines renuistis: alieni Reges dominique in aliena regione vos coercebunt, atque experti sentietis, quam latum sit meæ illorumque dominationis discrimen.

℣. 21. POPULE STULTE, QUI NON HABES COR (3), intelligentiam, prudentiam, quas Hebræi in corde constituunt. *Ephraim quasi columba seducta, non habens cor* (4). *Qui despicit amicum suum, indiget corde*, inquit Salomon (5), Et (6): *Virga in dorso ejus, qui indiget corde*, Judæ insaniam in iis quæ utilissima ipsi sunt, jam arguit Jeremias (7).

℣. 22. A FACIE MEA NON DOLEBITIS? Nullo ne animi dolore, nullaque pœnitentia movebimini (8), cum me coram adestis? Nunquam ne contumaces esse desinetis?

QUI POSUI ARENAM TERMINUM MARI. Virium suarum immensitatem ea eo frequentar commendat Deus, quod terminos mari posuerit, ipsumque ulterius progredi vetuerit (9). Cur aquæ in concavis terraquei orbis partibus sedeant, causa est ipsa fluens earum natura, & aeris pondus impellentis, & intra eas voragines coercentis. Ne vero terras obruant, quamvis convexa earum superficies multo sublimior litore circumjacente sit, ex ipso illarum æquilibrio nascitur, certoque terræ motu, & æquali undique in universam terraquei orbis superficiem aeris gravitate. At hæc minime officiunt, quin summo obsequio colenda sit Omnipotentis manus; creantis omnia, eaque in proprio ac naturali singulorum situ & constitutione servantis. Prima horum causa, Dei nimirum voluntas, in iis suspicienda est. Huc assidue hominum animos impellit Scriptura, dum omnia Deo tribuit, omnia in Deum refert, ipsumque unum agnoscit authorem eventuum omnium ac rerum,

quas e natura casuque repetimus: ambiguis sane incertisque principiis, quæ a Religione ignorantur,

℣. 24. QUI DAT NOBIS PLUVIAM TEMPORANEAM AC SEROTINAM, vernam & autumnalem. Vide *Deut.* xi. 14.

PLENITUDINEM ANNUÆ MESSIS CUSTODIENTEM NOBIS, qui uberem messem singulis annis exhibet. Hebræus (10): *Septimanas statutas messis custodit nobis*. Hebdomades, nempe tempus inter Pascha & Pentecostem fluens, in messis usum nobis relinquit, nulla Religione seu Templi aditione turbatum. Pentecosten in Scriptura (11) *solemnitatem hebdomadarum* nuncupari, neminem latet. Hordei messis cum Paschate inibat, tritici vero cum Pentecoste claudebatur (12). Mihi tamen placet reddere: Hebdomades pro messe constitutas nobis custodit, & eumdem, quem sibi præscripsit, erga nos temporum ordinem servat: opportunum messi tempus æstate largitur, imbres coercet, ne tritici messem impediant. At ordinem turbare, temporumque seriem vertere vestris flagitiis coactus est. Vestra ipsorum culpa messes vestræ vestrique agri beneficentiæ illius ubertate carebunt. Imbres consuetis olim temporibus non dat, & noxio fructibus tempore demittit, (℣. 25.) *Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, & peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis*. Sterilitatis cujusdam, quæ ante Jerosolymæ obsidionem contigit, meminere hujus Libri Capita viii. 13. 20. & xiv. 1. 18. quæ tamen altera fuisse videtur ab ea, de qua hic agit.

℣. 26. INSIDIANTES QUASI AUCUPES: LAQUEOS PONENTES ET PEDICAS AD CAPIENDOS VIROS. Hæc verba ita intelligi possunt, ut nudus illorum sonus fert. Invanti sunt latrones, qui hominibus ita in itineribus insidiantur, uti venatores & aucupes prædæ. Solebant olim, ut ajunt, Tyranni quidam homines venari, iisque insidias parare, ceu feris (13). Aptius tamen tropico sensu usurpantur de impiorum insidiis, dolisque & machinationibus in simplices incautosque. Hebræus (14): *Intuetur*, explorat, *veluti cum ponuntur laquei* (vel, *laqueos parat, ceu cum auceps retia tendit*; sive: *ceu cum auceps quiescit*, prædam expectans); *statuerunt laqueum ut perdant, homines capiunt*.

℣. 27. SICUT DECIPULA PLENA AVIBUS, SIC DOMUS EORUM PLENÆ DOLO; vel, uti aviarium avibus laqueo captis plenum: Sive: Similis est horum domus decipulæ aviariæ, ubi avis aliqua clauditur, qua cæteræ illi similes vocantur atque capiuntur,

℣. 28. PRÆTERIERUNT SERMONES MEOS PESSIME, turpissimis sceleribus. Hebræus ad verbum (15): *Superaverunt verba mali*. In flagitia ruerunt impudentius, quam dici queat: extrema scelera sectati sunt; sive, communibus hominum ærumnis sese immunes putant: nihil jam verentur. Eadem sententia est, quæ legitur in Psalmo LXXII. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Chaldæus: *Transgressi sunt sermones Legis, fecerunt quod malum est*. Hæc interpretatio, quæ multo simplicior est, cum Vulgata convenit. Hunc locum omisere Septuaginta.

CAUSAM VIDUÆ. Hebræus tantum legit: *Judicium non judicaverunt*, relicto nomine *viduæ*.

℣. 31. PROPHETÆ PROPHETABANT MENDACIUM, ET SACERDOTES APPLAUDEBANT MANIBUS SUIS. Hebræus (16): *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes descendebant ad manus eorum*. Falsos hujusmodi Prophetas cæco obsequio prosequebantur; sive,

(1) Vide Genes. x. 10. (2) 4. Reg. xviii. 26. & Isai. xxxvi. 11. (3) עם סכל ואין לב (4) Osee vii. 11. (5) Prov. xi. 12. (6) Prov. x. 13. (7) Sup. cap. iv. 22. (8) אם מפני לא תחילו Septuag. Ἢ ἀπὸ προσώπου μου οὐκ εὐλαβηθήσεσθε. (9) Vide Job xxxviii. 10. 11. Psal. ciii. 9. Prov. viii. 17. 29. Amos v. 8. (10) שבעות חקות קציר ישמר לנו (11) Exod. xxxiv. 22. *Solemnitatem hebdomadarum facies*. Et Levit. xxiii. 15. *Numerabitis septem hebdomades plenas*, &c. (12) Exod. xxiii. 16. Levit. xxiii. 10. (13) Vide nostram Dissertationem de Re militari Hebræorum. (14) ישור כשך יקושים הציבו משחית אנשים ילכדו Septuag. Καὶ παγίδα ἔστησαν τοῦ διαφθεῖραι ἄνδρας, καὶ συνελαμβάνοντο. Primam versiculi partem omittunt. Aquila, Symmachus, & plerique recentiorum vertunt שך יקושים *vero aucupis*, Δικτύου ἰξευτοῦ. (15) עברו דברי רע (16) הנביאים נבאו בשקר והכהנים ירדו על ידיהם

five, turpissime illis adulantur & probant. Reddunt nonnulli (1): *Accipiunt* munera *manibus suis*, Aliter: *Dominantur per manus illorum*; scilicet, vel in falsos hosce Prophetas dominantur; vel eorum opera in populum. His utuntur Sacerdotes, ut suam ipsorum authoritatem ac tyrannidem statuant, vel tueantur. Ex his satis intelligitur, quam obscura & ambigua sint hujus loci verba.

(1) Pag. Munst. Vat. Cast. Kimchi.

CAPUT VI.

Exitium Jerosolymæ, ob peccata populi, Optimatum, Vatumque simulatorum ac Sacerdotum, prædicitur. Rejecta sacrificia. Judæ scelera disciplinam non patiuntur. Populus metallo similis, quod igne purgari non potuit.

℣. 1. Confortamini filii Beniamin in medio Jerusalem, & in Thecua clangite buc-
cina, & super Bethacarem levate vexillum: quia malum visum est ab A-
quilone, & contritio magna. 2. Speciosæ, & delicatæ assimilavi filiam Sion. 3. Ad
eam venient pastores, & greges eorum fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet
unusquisque eos, qui sub manu sua sunt. 4. Sanctificate super eam bellum: consur-
gite, & ascendamus in meridie: væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ
sunt umbræ vesperi. 5. Surgite, & ascendamus in nocte, & dissipemus domos ejus.
6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, & fundite circa Jeru-
salem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus. 7. Sicut
frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas, &
vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas, & plaga. 8. Erudire Jerusa-
lem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam terram inhabi-
tabilem. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in
vinea reliquias Israel: converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum. 10.
Cui loquar? & quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & au-
dire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non susci-
pient illud. 11. Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens: effunde su-
per parvulum foris, & super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere ca-
pietur, senex cum pleno dierum. 12. Et transibunt domus eorum ad alteros, agri,
& uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Do-
minus. 13. A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student: & a pro-
pheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. 14. Et curabant contritionem filiæ
populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. 15. Confusi sunt,
quia abominationem fecerunt; quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere
nescierunt, quam ob rem cadent inter ruentes; in tempore visitationis suæ corruent,
dicit Dominus. 16. Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate
de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium
animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus. 17. Et constitui super vos spe-
culatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. 18. Ideo audite Gen-
tes, & cognoscet congregatio, quanta ego faciam eis. 19. Audi terra: Ecce ego ad-
ducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non
audierunt, & legem meam projecerunt. 20. Ut quid mihi thus de Saba affertis, &
calamum suaveolentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta,
& victimæ vestræ non placuerunt mihi. 21. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce
ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filii simul, vicinus,
& proximus peribunt. 22. Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra Aqui-
lonis, & gens magna consurget a finibus terræ. 23. Sagittam, & scutum arripiet:
crudelis est, & non miserebitur, vox ejus quasi mare sonabit: & super equos ascen-
dent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te, filia Sion. 24. Audivimus fa-
mam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut par-
turientem. 25. Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius ini-
mici pavor in circuitu. 26. Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cine-
re: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super
nos.

nos. 27. Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum: 28. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum: univerſi corrupti ſunt. 29. Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflavit conflator; malitiæ enim eorum ſunt conſumptæ. 30. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.

℣. 1. CONFORTAMINI, FILII BENIAMIN, IN MEDIO JERUSALEM. Judæ flagitia arguere pergit Jeremias. Beniamini Tribum hic alloquitur, jubetque animis confirmari, Jeroſolymam ingredi, eamque adverſus Chaldæos, jamjam invaſuros, tueri. Beniamitæ bellica virtute ac peritia gloriabantur. Ad utramque Tribum, tum Beniamini ſcilicet, tum Judæ, Jeroſolyma pertinebat, totiuſque Regni Princeps, gentiſque univerſæ Metropolis erat. Hebræus reddi poteſt (1): *Fugite, filii Beniamin, e medio Jeruſalem*. Intra ſceleſtiſſimam urbem ne moremini, ne commune illius exitium vos rapiat. Spernenda non eſt hæc explicatio.

IN THECUA CLANGITE BUCCINA, ET SUPER BETHACAREM LEVATE VEXILLUM. Duo hæc loca ad Judæ Tribum, non ad Beniaminum ſpectabant. In colle ſedebat Thecua, XV. millibus paſſuum ab Jeroſolyma, ad Orientem. Similis erat Bethacaræ ſitus, Jeroſolymam inter ac Thecuam. Utriuſque loci incolis imperat Jeremias, ut claſſico canant, ſigna in montibus erigant, univerſamque meridianam regionis plagam moneant, hoſtilem exercitum adeſſe a ſeptemtrione, totique regno Juda exitium minitari. Signorum hujuſmodi in montium faſtigiis erectorum, ut vel remotiſſimi de hoſtium acceſſu & invaſione monerentur, frequenter meminerunt Prophetæ (2). Morem hunc inter bellicos uſus recenſent Profani (3). Is certe & utilis & opportunus eſt, ubi regio montibus impeditur, qualis erat Judæa.

MALUM AB AQUILONE, Nabuchodonoſoris exercitus, ab aquilone proficiſcens. *Jerem.* I. 13. 14. 15. III. 18. IV. 6. X. 22.

℣. 2. SPECIOSÆ ET DELICATÆ ASSIMILAVI FILIAM SION. (℣. 3.) AD EAM VENIENT PASTORES, ET GREGES EORUM. In Hebræo luſus quidam verborum eſt, quo ambigua efficitur locutio. Reddi poteſt (4): *Agro*, & terræ *deliciarum aſſimilavi filiam Sion: ad eam venient paſtores & greges eorum*, ut paſcantur, & herbas vorent (5). Aliter: *Speciosæ & delicatæ ſimilis eſt Filia Sion. Ad eam venient amatores, & greges eorum*, amici & ſodales. Illam quærent Chaldæi, ſeu eximiæ venuſtatis fœminam. Acerrima ironia eſt. *Paſtores* ſunt Nabuchodonoſor, ejuſque copiarum Principes; *greges*, horum Principum manipuli. At prior explicatio, quæ Jeroſolymam cum agro comparat, & hoſtes cum gregibus, multo optima omnium eſt.

℣. 4. SANCTIFICATE SUPER EAM BELLUM (6); parate Bellum. *Sanctificare* frequenter ſignificat rem alicujus momenti aggredi, ſeſe ad eam comparare, illam ſuſcipere (7). Verba ſunt Chaldæorum Ducum, militibus imperantium, ut ad Urbis aggreſſionem ſtrenue accedant: *Conſurgite & aſcendamus* urbis Mœnia *in meridie*. Sanctificare Bellum proprie ſignificat Religioſos ritus, quibus unaquæque gens probe inſtituta parare ſolebat milites, antequam hoſtem aggrederentur. Miſſis prius Caduceatoribus, injuriæ reparatio poſtulabatur: tum indicebatur bellum, invocabantur dii belli præſides, victimis placabantur, denique in hoſtem copiæ ducebantur. His ritibus bellum ſanctificabatur.

ASCENDAMUS IN MERIDIE. VÆ NOBIS QUIA DECLINAVIT DIES. Mœnia ſcandamus, nihil morati, ne animos colligendi tempus hoſti ſit; Palam, plenaque meridie proficiſcamur: nihil ex hoſte metuendum eſt, repente primoque impetu Jeroſolymam occupemus. Væ nobis! dum deliberamus, inclinatur dies, & nox jam ſuccedens prohibebit, quin hac ipſa die Jeroſolymæ potiamur; ex quo minor nobis & gloria & voluptas erit. *Longiores factæ ſunt umbræ veſperi*, quo longius ſol removetur, propiuſque accedit nox (8):

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Hebræus (9) verti poteſt: *Infelices ſumus, quia deſtituimur die, & tenebræ noctis diuturniores ſunt*; quaſi pigeat non pugnare.

℣. 5. ASCENDAMUS IN NOCTE, ET DISSIPEMUS DOMOS EJUS. Hebræus (10), *palatia ejus*. Septuaginta (11): *Diſſipemus fundamenta illius*. Noctu, primo diluculo, ante lucem ſurgamus, oppugnationem inſtauraturi. Hæc affabre pingunt Chaldaici exercitus ſolertiam & ſollicitudinem, atque evertendæ Jeroſolymæ cupiditatem. Breviſſimus illis eſt dies, nox celerrima, tenebræ diuturniores: diem pugna prævertunt. Ex hiſce hoſtibus quid non metuendum eſt?

℣. 6. CÆDITE LIGNUM EJUS, ET FUNDITE (ſtruite) CIRCA JERUSALEM AGGEREM. Univerſæ regionis ligna cædite, ut ex iis machinas, ſudes, vallum in uſum caſtrorum conficiatis; foſſas circumducite, aggeres circa urbem ſtruite, ut nemini aditus aut egreſſus pateat. Hæc olim erat obſidionum diſciplina, uti late docuimus in Diſſertatione De Re Militari veterum Hebræorum.

℣. 7. SICUT FRIGIDAM FACIT CISTERNA AQUAM SUAM, SIC FRIGIDAM FECIT MALITIAM SUAM, ſcilicet, ſic ſedato tranquilloque animo hæc urbs in ſcelera turpiſſima delata eſt. In ea impietate perſeveravit, in qua tamdio deſes putruit. Quicquid in illam ingreditur, impietatem, injuriam, nequitiam induit. Illius flagitia nedum non minuuntur, verum etiam in dies creſcunt. Reddi poteſt Hebræus (12): *Quemadmodum ebullire facit puteus aquas ſuas, ſic illa ſcaturire fecit malitiam ſuam*, quaſi ex ubere ſemper fonte. Fonti perenni ſimilis eſt: quo plures aquas hauris, plures elicit (13).

℣. 8. ERUDIRE, JERUSALEM, NE FORTE RECEDAT A TE ANIMA MEA. Jeroſolymam frequenter arguit ignorantiæ & cæcitatis; monet hic ut erudiatur, diſcat quid officii ſui ſit, docilem ſeſe ac ſubjectam exhibeat, niſi a Deo deſtitui velit. Nulla eſt ex ignorantia excuſatio, ubi ignorantiam ſponte & conſulto velis: novum potius ex ea peccatum oritur, quo fit, ut Deus ab homine recedat. Non una illi eſt hominea docendi ratio. Rebus proſperis erudit & adverſis, bonorum hominum opera & malorum: interius loquitur exterioriuſque. Væ qui audire negligunt, & animum obdurant. Certum uſque ad finem patienti animo fert, at deinde hominem in ſua ipſius libidine relinquit (14): *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael*

(1) העזו בני בנימן מקרב ירושלם Ita Chald. גלו בני בנימין מגו ירושלם Ita & Munt. Pag. Vide & ſup. IV. 6.
(2) Vide dicta ad Iſai. XVIII. 3.
(3) Vide Veget. lib. 3. c. 5. Frontin. Strateg. lib. 2. cap. 5. Diodor. lib. 1. cap. 39.
(4) הנוה והמענגה דמיתי בת ציון [3.] אליה יבאו רעים ועדריהם
(5) Ita Grot. & Strigell.
(6) קדשו עליה מלחמה
(7) Vide Iſai. XIII. 3. *Ego mandavi ſanctificatis meis.* Jerem. XII. 4. & LI. 27. 28. Joel. III. 14. Mich. III. 5. Sophon. I. 7.
(8) Virgil. Eclog. 1.
(9) כי ינטו צללי ערב
(10) ארמנותיה
(11) Διαφθείρωμεν τὰ θεμέλια αὐτῆς.
(12) כהקיר בור מימיה כן הקרה רעתה
(13) Ita Pag. Var. Grot. Caſtal. Jun. Tremel. Munſt. alii.
(14) Pſal. LXXX. 12. 13.

& Israel non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Alibi (1): *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.*

℣. 9. Usque ad racemum colligent, quasi in vinea, reliquias Israel. Hebræus (2): *Racemando racemabunt velut vineam residuum Israel: Converte manum tuam, sicut vindemiator ad canistra.* Chaldæi, meam in vineam irrumpite, vindemiam agite, nullus e racemis superstes sit. Domini populus sub vineæ (3), hostes vero sub vindemiatoris imagine (4) exhibentur. Integram una vice vindemiam non egit Nabuchodonosor. Jerosolymam sub Joakimo aggressus, urbem cepit, partemque sacrorum Templi vasorum rapuit (5). Iterum arma in Joakimum movit, ipsum captivum egit, necatumque insepultum projecit, ingenti captivorum numero Babylonem acto (6). Deinde Jechoniam, Joakimi successorem, bello petens, captivum onustumque catenis, una cum præstantissimis Jerosolymæ civibus, Babylonem duxit (7). Denique Jerosolymam sub Sedecia obsidens, eaque potitus, in cinerem favillasque redegit (8). Ita integro vaticinio Jeremiæ fides stetit, atque urbs scelestissima pœnas sensim ac per gradus dedit.

℣. 10. Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt. Impuras clausasque aures gerunt: audire, quia renuunt, nequeunt. *Incircumcisus* tropice pro quolibet vitio linguæ, animi, aurium usurpatur (9). Væ iis, qui sua ipsorum culpa eo devenerunt, ut Dei loquentis voces non audiant? *Non vacat impossibilitas supplicio, quæ de contemptu & infidelitate descendit*, inquit hic S. Hieronymus.

℣. 11. Furore Domini plenus sum, laboravi sustinens. Effunde iram super parvulum, &c. Verba Prophetæ sunt. Innumera flagitia intuens, eo animi ardore eaque indignatione me agi sentio, ut iis quodammodo vorer: coerceri nequeo: animum effundam necesse est. Loquere jam, Jeremia, iræ meæ ignem in illas effunde, fac sciant, me furoris mei fluctus in Judææ capita impulsurum, in juvenem senemque, in virum ac fœminam, nemine excepto. *Effunde*, scilicet, vaticinare mox effundendum fore.

Senex cum pleno dierum, ad verbum (10), *cum saturo dierum*; vel, cum eo qui dies suos complevit. Plures sunt senectuti gradus. Sexagenarius vir jam senex habetur, at vitæ suæ cursum explevisse, vulgo non dicitur; vitamque ad annos octoginta seu nonaginta producere potest. Aliter vertunt Septuaginta hunc ℣. 11. (11): *Iram meam explevi, & me continui: & non consumpsi eos. Effundam furorem meum super parvulos ... capientur senior cum pleno dierum.*

℣. 13. A Propheta usque ad Sacerdotem, omnes faciunt malum; nihil nisi dolum meditantur. Septuaginta (12) cæterique Interpretes de falsis Prophetis explicant, qui, juncta cum Sacerdotibus opera, populum fallentes, quibus solummodo cogendis studebant, uti e superiori Capite, ℣. 31. diximus.

℣. 14. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes; Pax, pax. Probro obruentur, ubi populum, quem diuturnæ pacis spe lactaverunt, turbis ærumnisque agitatum viderint. Hebræus (13) verti potest: *Curabant contusionem populi mei leviter*, suspenso veluti brachio, fallaci ratione, *dicentes; Pax, pax*. Vel: *Leviter tractavere*, ceu summa tenus cute vellicationem, morbum minime periculosum. Vulneris discrimen verbis minuere conati sunt, testantes, optime omnia procedere, nullumque esse timori locum: *Pax, pax, & non erat pax*. Vide Caput VIII. 11.

℣. 16. State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis. Cum rectum iter ignoretis, saltem quærite, atque e majoribus discite: iter vobis tenendum ex iis agnoscite; inspicite quid Abraham, Isaac, Jacob gesserint; Leges a Moyse vobis meo nomine traditas evolvite. Veteres hæ viæ sunt, quas vos sequi necesse est. Recentibus viis, venerabili antiquitati ignotis, ne credite. Idolorum cultum, superstitionem, novasque religiones, recens in Judam invectas, abjicite. Æternæ sunt leges meæ; at novi sunt hi ritus, vestra præsertim in gente. Septuaginta (14): *State super vias, & videte, & interrogate* quæ sint *viæ Domini æternæ*.

℣. 17. Constitui super vos speculatores. Prophetas vobis dedi ceu excubitores, quibus de hostium adventu admoneremini, ut illorum voces exciperetis, & mala quæ vobis prædicebantur, præverteretis; at inanis labor fuit. Frequenter Prophetæ sub excubiarum nomine significantur (15).

℣. 18. Audite, gentes, et cognosce, congregatio populorum, testes vos volo eorum quæ in populum meum acturus sum. Septuaginta (16): *Ideo audierunt gentes, & qui pascunt greges suos.* Chaldæi, & Principes Chaldæorum duces, norunt, quid ego in Judam decreverim.

℣. 20. Ut quid mihi thus de Saba offertis, et calamum suaveolentem de terra longinqua? Non eo queritur Deus, quod thus, & nobilissima unguenta sibi cremarentur; cui enim melius? Hæc ipse in Lege quæsiverat. At pessimam animi præparationem, qua sibi ea exhibebantur, dedignatur, queriturque, spreta Religione, horum solummodo rituum, qui accessio Religionis sunt, rationem haberi. Occupat ea, quæ respondere poterat populus. Quid amplius ex nobis quærit? Nonne ipsius nomine juramus (17)? Nonne holocausta in templo cremamus (18)? Nonne peregrinum ac nobilissimum thus, unguentaque pretiosissima in altari coram Sanctuario fumant? Judæorum superbiam, exterioribus Religionis exercitiis gloriantium, repellere & coercere, passim in Veteri Testamento (19) studet Deus, testatus, sese minimi facere ea, quæ interiori mentis religione, solidaque ac sincera pietate destituuntur.

Sabæum thus omnium præstantissimum ac nobilissimum habebatur; ejusque meminere Veteres, addito elogio (20):

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Calamus suave-olens genus est calami, ex Arabia & Sabæa delati. Hunc Ezechiel (21) ex Uzal, Arabiæ provincia, accersit. Calamum odoratum

(1) Psalm. [illegible] (2) [illegible] (3) Jerem. [illegible] xxix. 9 [illegible] Isai. [illegible] & seqq. Jerem. [illegible] (4) Jerem. xii. 10. xlix. 9. Abd. 5. (5) 2. Paralip. xxxvi. 6. & 4. Reg. xxiv. 1. & Dan. 1. 2. (6) 4. Reg. xxiv. 2. Jerem. xxii. 18. & xxxvi. 30. (7) 4. Reg. xxiv. 8. ... 16. 2. Par. xxxvi. 10. (8) 4. Reg. xxv. 1. ... 14. Jerem. xxxix. 1. 2 &c. (9) Vide sup. Jerem. iv. 4. Exod. vi. 30. Levit. xxvi. 41. Jerem. ix. 26. Act. vii. 51. (10) [illegible] (11) [illegible] (12) [illegible] (13) [illegible] (14) [illegible] Hebr. [illegible] (15) Isai. lvi. 10. *Speculatores ejus cæci omnes.* Ezech. iii. 17. *Speculatorem dedi te domui Israel.* Idem; Cap. xxxiii. 2. Osee ix. 8. &c. (16) [illegible] Legunt [illegible] (17) Sup. Cap. v. 2. (18) Infra Cap. vii. 2. & sequ. (19) Vide Isai. i. 11. *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? dicit Dominus, plenus sum.* Et Amos v. 21. & Psal. xlix. 9. 13. & Jerem. vii. 22. & 23. &c. (20) Virgil. Georgic. 1. & 2. Vide & Æneid. 1. Theophrast. hist. Plant. l. 9. c. 4. alii passim. (21) Ezech. xxvii. 19.

in Arabia agnoscunt Profani (1). Feraces hujus calami erant regiones etiam circa Judæam sitæ (2): at fortasse nondum Jeremiæ ætate, cum is *de terra longinqua* eos advehi testetur. Vide quæ animadvertimus in Exodum XXX. 24.

℣. 22. POPULUS VENIT DE TERRA AQUILONIS, Chaldæorum exercitus, a Nabuchodonosore ductus. Graphicam hujus descriptionem tradit Jeremias. Gens est remota, violenta, sæva, telisque & clypeis, seu venabulis affabre constructis, armata.

℣. 23. SAGITTAM ET SCUTUM. Altera hæc in Hebræo (3) vox aliter vertitur; venabulum, telum, spiculum, sica. Vide Josue VIII. 18.

℣. 26. LUCTUM UNIGENITI, quasi matris, unicum filium morte raptum lugentis. Ita solent ingentem luctum significare; atque hæc locutio ferme in proverbium abiit, penes Hebræos. Vide Amos VIII. 10. & Zachariam XII. 10.

℣. 27. PROBATOREM DEDI TE IN POPULO: ceu robustum, æris fusorem te in populo constitui. Populum ceu in fornace cremabis, & cujus notæ sit, experieris. Seu potius: Vatem eorum, quæ illi eventura sunt, te creavi. Prædicito futurum, ut acerrimum illius periculum fiat, ceu metalli, quod fornacis igne purgatur. Novi ego illum ignis vim non laturum, statimque agnoscendum, impurum esse metallum, quod purgari nequeat. Tum hic, tum in sexcentis Scripturæ locis Prophetæ id agere dicuntur, quod prædicunt. Verti Hebræus potest (4): *Fusorem constitui te in populo meo robustum*, firmatum, munitum. Chaldæus: *Electum dedi te in populo meo ceu civitatem fortissimam*. Septuaginta (5): *Probatorem dedi te in populis probatis*. Nonnulli Hebræum vertunt: *Propugnaculum invictum constitui te in populo meo*. Harum tamen explicationum pleræque duriores sunt; atque hac voce *Bachon* arcem significari, nullo ex etymo colligimus. Maluerim ego ita interpretari: *Te ego constitui ut populum meum majori solertia purges, quam purgatur aurum* (6).

℣. 28. OMNES ISTI AMBULANTES FRAUDULENTER: ÆS ET FERRUM: UNIVERSI CORRUPTI SUNT. Vel: Pleni sunt dolo: nihil penitus sunt præter ferrum & æs vitiatum & ærugine corruptum. Frustra illos igne excoquis: nihil usui aptum elicies.

℣. 29. DEFECIT SUFFLATORIUM: IN IGNE CONSUMPTUM EST PLUMBUM: FRUSTRA CONFLAVIT CONFLATOR. Detritus est follis; sive, fusorius calix iteratis calefactionibus consumptus est; vel, frustra laboravimus flando: in igne consumptum est plumbum: fusor frustra illos in fornace excoxit. Ferrum aut æs ærugine vitiata, apta non sunt, quæ fornace excoquantur, & periti artificis solertiam exerceant. Frustra in fornace cremantur, miscetürque iis plumbum, quod injici in fornacem solet, quo facilius liquentur metalla, atque a fœcibus separentur (7): frangetur fornax; plumbum dissipabitur, ac penitus nihil e trita æruginosaque materia usui aptum reducetur. Ita, quantumvis labores, o Jeremia, nunquam fiet, ut suis sordibus, suaque illuvie, quibus teritur, populum meum purges; idolorum scilicet cultu, impietate, avaritia, cæterisque flagitiis, quibus putrescit. Ipse ego, calamitatibus illum & bellis exagitans, purgare conatus sum: nullus illum labor meliorem effecit. Renuncia igitur, ipsos corrigi non posse, spurium argentum esse: (℣. 30.) *Argentum reprobum voca eos*. Huic solummodo usui opportuni sunt, ut scilicet æterna sententia damnentur, flammisque tradantur.

---

(1) Diodor. lib. 3. Strabo lib. 16. Agatharcid. (2) Theophrast. hist. Plant. lib. 9. c. 7. Plin. lib. XII. cap 22. Vide Boch. de animal. sacr. par. 2. lib. 5. c. 6. p. 287. (3) קשת וכידון (4) בחון נתתיך בעמי מבצר (5) Δοκιμαστὴν δέδωκά σε ἐν λαοῖς δεδοκιμασμένοις. (6) *Probatorem dedi te populi mei præ auro.* בצר significat *aurum*, Job XXII. 25. & XXXVI. 15. (7) Theodoret. hic: Et Hieron. hic: *Plumbum miscetur metallis, quæ adulterata sunt, & violata, ut materia separetur aliena: & si forsitan purgata non fuerit, plumbum omne consumitur, & in nihilum redigitur.* Ita & D. Thom. & alii. Matthiol. in Dioscorid. c. 58. *Plumbum miscetur conflationi, quia plumbi adminicula facilius metalla igni cedunt.* Nostra ætate utuntur potius hydrargyro quam plumbo, ut argentum a cæteris metallis secernatur; aurum vero ab argento sejungitur aquæ ferventis ope.

CAPUT VII.

Inanis Judæorum fiducia de Templo & sacrificiis, dum in quolibet scelerum genus ruunt. Evertetur Templum ac deseretur, universaque gens ærumnis opprimetur, criminum ac flagitiorum ipsius causa.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Sta in porta domus Domini, & prædica ibi, verbum istud, & dic: Audite verbum
Domini omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. 3. Hæc
dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bonas facite vias vestras, & studia vestra: &
habitabo vobiscum in loco isto. 4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes:
Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. 5. Quoniam si bene
direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis judicium inter virum, & proximum ejus, 6. Advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc; & post deos alienos non ambulaveritis in
malum vobismetipsis: 7. Habitabo vobiscum in loco isto; in terra, quam dedi patribus vestris a sæculo, & usque in sæculum. 8. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis. 9. Furari, occidere, adulterari, jurare
mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignoratis. 10. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. 11. Numquid

ergo

ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus. 12. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. 13. Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis: & vocavi vos, & non respondistis: 14. Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & patribus vestris sicut feci Silo. 15. Et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te. 17. Nonne vides, quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem? 18. Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent. 19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? 20. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super jumenta, & super lignum regionis, & super fruges terræ, & succendetur, & non extinguetur. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes. 22. Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum: 23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. 24. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum, & non in ante, 25. A die, qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens. 26. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam: & pejus operati sunt, quam patres eorum. 27. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non respondebunt tibi. 28. Et dices ad eos: Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum. 29. Tonde capillum tuum, & projice, & sume in directum planctum: quia projecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui. 30. Quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam; 31. Et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennon, ut incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. 32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius, Topheth, & vallis filii Ennon: sed vallis interfectionis, & sepelient in Topheth, eo quod non sit locus. 33. Et erit morticinum populi hujus in cibos volucribus cœli, & bestiis terræ, & non erit, qui abigat. 34. Et quiescere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jerusalem, vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ; in desolationem enim erit terra.

℣. 1. VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM. Novam hic orationem instituit, ad Caput XXII. usque productam. Judæ & Jerosolymæ flagitia exagitat; tum minas in Edomum, Ammonem, Moabum, & Arabiæ populos scribit (1). Hæc Jeremias pro Templi Jerosolymitani foribus, coram populo in Templum confluente, pronunciavit ℣. 2.

℣. 3. HABITABO VOBISCUM. Hebræus (2): *Habitare faciam vos in loco hoc*; certam fixamque hic sedem vobis dabo.

℣. 4. NOLITE CONFIDERE IN VERBIS MENDACII DICENTIS: TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI, TEMPLUM DOMINI EST. Templum quod Jerosolymis erat, templum Domini fuisse, id certe mendacium non est: at ex Hebræorum sententia cum male eo abuterentur, error erat & mendacium. Censebant illi, Deum, suæ ipsius gloriæ studiosissimum, minime passurum, ut Templum ulla unquam ætate violaretur, atque in Chaldæorum potestate relinqueretur, suique cultores, gens a se electa, patriis sedibus expellerentur, templo, altari, sacrificiis spoliati. Etiamsi, inquiebant, criminum nostrorum atrocitas postularet, ut Deus ita in nos animadverteret, id tamen illius gloria non pateretur. Quid finitimæ gentes dicerent, si Templum Domini ab exteris everteretur? Quam multa in Deum convicia pronunciarent? Nullus igitur ex Prophetarum minis metus esto; quippe quibus certissimum divinæ opis pignus in templo est. Miseros, excosque qui non agnoscerent, templum Domini suis ipsorum flagitiis magis violari, quam Ethnicorum sævitia, si ab illis eversum crematetur; Numinumque Religionem sectantes, sa-

[1] Vide Cap. 12. 36. [2] ושכנתי אתכם במקום הזה Septuag. Κατοικιῶ ὑμᾶς ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ.

ceri illius Templi naturam in latronum impiorumque speluncam, locumque numinibus dicatum convertisse. Triplex ea repetitio, *Templum Domini*, &c. elegantissima hoc loco est, & vim quandam, extremamque ejus gentis arrogantiam significat. Simili repetitione utitur Jeremias, Judæam alloquens (1): *Terra, Terra, Terra, audi sermonem Domini*.

℣. 7. Habitabo vobiscum. Hebræus (2) & Septuaginta (3): *Habitare vos faciam*. Vestris e sedibus vos pelli non patiar. Vide ℣. 3.

℣. 9. Ire post Deos alienos quos ignoratis; recentes Deos, majoribus vestris ignotos, quos ipsi ignorabatis, ex quibus nulla unquam vobis utilitas orta est, quos cæco insanoque impetu sequimini, ne illud quidem expendentes, quid ipsi sint. Profecto intelligeretis, meros esse homines Dæmonesque, mera simulacra aut astra, Deorum appellatione indignissima.

℣. 10. Dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Ipso in Templo meo vestris flagitiis gloriari non veremini, meque coram testari, alienorum Numinum ope immunes periculis vos esse; felices rerum vestrarum exitus illos tribuitis; insanis iis hominibus similes, qui sese invicem ita hortabantur (4): *Eamus, & disponamus Testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recepimus ab eis, invenerunt nos multa mala*. Tum iis, qui *percusserant fœdus cum morte & cum inferno* (5): Et impio Regi, qui gloriabatur (6): *Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos placabo hostiis & aderunt mihi*. Denique Judæis contumacibus, qui cum Jeremia in Ægyptum profecti ajebant (7): *Sermonem quem locutus es ad nos non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginæ Cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in Urbibus Juda & in plateis Jerusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ Cœli, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus*. Paria his jactabant impii ex Judæis in ipso Dei Templo. Hæc explicatio omnium optima & maxime simplex videtur.

Impia horum verborum sententia offensi Interpretes, varias ac dissidentes inter se explicationes sectati sunt; alii enim Hebræum reddunt (8): *Liberati sumus, etiam si fecerimus omnes abominationes istas* (9). Nos punire negligit Deus; omnesque Prophetarum minæ inanissimæ sunt. Alii (10): *Liberati sumus, ut faciamus omnes abominationes ipsas*: licet jam quodlibet flagitiorum genus audacter sequi, cum Deus nondum in nos animadverterit. Quamobrem necesse est, hæc illum eo odio non prosequi, quod persuadere conantur Prophetæ. Aliter (11) *Liberati sumus*, vel purgati *omnibus abominationibus istis*, vix in Templum convenimus, & aliquas expiationis victimas mactavimus. Septuaginta (12). *Abstinuimus ne faceremus omnia flagitia ista*. Priorem explicationem maxime omnium probamus.

℣. 11. Numquid spelunca latronum facta est domus ista? Huc alludit Christus iis verbis (13): *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Cæde & rapinis onusti in Templum convenitis, ceu in impietatis asylum, & a mea severitate perfugium.

Ego sum, ego sum: Ego vidi dicit Dominus. Meum ne in Templum confugere audeatis, quasi ultionis meæ severitatem vitaturi; latronum instar, qui ubi cæde & exuviis peregrinorum sese violaverint, suas in speluncas elabuntur. Flagitia vestra ego novi, ego detegam. Nunquam feram, ut impios tueri dicar, meumque Templum perfugio latronibus esse credatur.

℣. 12. Ite ad locum meum in Silo. Dei Tabernaculum & Arca Fœderis diu in Silo fuit; at violata filiorum Heli flagitiis & libidinibus loci religione (14), passus est Deus, Arcam a Philisthinis capi, & nunquam deinceps in Silo restitui. Id luculentissime tradidit Psalm. lxxvii. 60. *Repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorum in manus inimici* reliquit. Si igitur Tabernaculum & arcam rejicere potuit Deus, ob crimina Sacerdotum Silo, cur Templum in Chaldæorum potestate non relinquat, ob effusam universæ gentis licentiam, nemine prorsus excepto?

℣. 13. Locutus sum ad vos mane consurgens. Ad verbum (15): *Vos allocuturus mane surrexi*. Prophetas meos ad vos mittere sedulo curavi; severitate ac lenitate, promissis & minis, objurgationibus, & exhortationibus usus, operam omnem perdidi.

℣. 15. Universum semen Ephraim: Decem Tribus, in captivitatem ductæ regnante Ezechia, atavo Josiæ, sub quo Jeremias florebat.

℣. 16. Ne assumas pro eis laudem et orationem. Hebræus ad verbum (16): *Ne tollas pro eis clamorem & orationem*. Ne precibus me sollicites, neque vocem tollas, ut animi mei misericordiam erga ingratissimam gentem moveas. *Ne obsistas mihi, quia non exaudiam te*. Hæc luculentissime docent, quam ingens sit precum vis, quas pii homines pro impiis fundunt. Ita Moyses Dei manum, Israelitas ferire in defesto paratam, cohibuit (17). Aaron inter vivos ac mortuos medius stat, ut flammarum, Israelitica castra vorantium, impetum coerceat (18): Phinees, ænei parietis instar, Divino furori opponitur, mox in populum sævituro, ob libidinem cum Madianiticis puellis in Sacris Phegor exercitam (19). David sincera animi dejectione, Angelum interfectorem placat, terribili cæde medio in populo sævientem (20). Cum imperat Prophetæ Deus, ne supplex pro Juda accedat, id non eo dicit, quod Prophetam ex integra verborum fide sibi obtemperare velit: monere potius videtur, ne validissimum hoc avertendæ calamitatis adminiculum negligat. Sodomæ & Gomorrhæ causa supplicare non cessat Abraham, quamvis certum iis exitium imminere noverit (21), Samuel pro Saule, quamquam reprobato, animo excruciari non desinit (22). Queritur per Prophetas Deus, neminem fuisse, qui sese iræ suæ opponeret, suamque manum coerceret. *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te*, inquit Isaias lxiv. 7. Et in Ezechiele xxii. 30. ipse queritur Deus: *Quæsivi virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inveni*.

℣. 18. Filii colligunt ligna, et Patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli. Familia universa manus operi admovet, & eo occupatur. Sub Josiæ exordia, & ad decimum usque octavum ipsius annum,

---

[1] Jerem. xxii. 29. [2] ושכנתי אתכם [3] Septuag. Κατοικιῶ ὑμᾶς. [4] 1. Macc. 1. 12.
[5] Isai. xxviii. 15. [6] 2. Par. xxviii. 23. [7] Jerem. xliv. 17. 17. [8] ואמרתם נצלנו
למען עשות את כל התועבות האלה [9] Grot. Tig. Maldon. Sa, Strigel. [10] Mont. Jun. Pisc. Chald.
[11] Thom. Hugo, Lyr. [12] Ἀπεσχήμεθα τοῦ ποιεῖν πάντα τὰ βδελύγματα ταῦτα. [13] Matt. xxi. 13.
[14] 1. Reg. ii. 22. 23. & sequ. & iii. 4. . . . 11. [15] ארבר אליכם השכם ודבר ולא שמעתם
[16] אל תשא בעדם רנה ותפלה [17] Exod. xxxii. 10. *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*. [18] Num. xvi. 47. *Stans inter mortuos, & viventes pro populo deprecatus est*.
[19] Psalm. cv. 30. *Et stetit Phinees, & placavit, &c.* Num. xxv. 7. [20] 2. Regum xxiv. 16. 17.
[21] Genes. xviii. 23. 24. [22] 1. Reg. xvi. 1.

annum, superstitio, idolorum cultus, libido impune tum Jerosolymis, tum in cæteris Judææ urbibus bacchabantur; colebatur præsertim Regina Cœli, scilicet Luna; sive Astarte, seu Trivia, vel Diana, seu Venus cœlestis (1). Censent alii (2), solem esse, quod Hebræa vox *Schemes* fœminei generis sit; cumque Sol procul dubio astrum sit nobis nitidissimum & pulcherrimum, jure optimo dici potuit, servato nominis genere, *Regina Cœli*. Placet nonnullis (3), ea sub appellatione astra omnia censeri, quæ alio nomine *Cœli militia* nuncupantur. Nos Lunam probamus; huic enim aræ in summis domorum tectis, in triviis, prope ædium fores, ubi sacra fiebant placentis ex oleo seu melle, libatisque vino aliisve liquoribus. Neque recens apud Judam ea superstitio fuit, quippe cujus meminerit Isaias LXV. 11, ipsam Judæis, sub Achazo, Ezechia, Regibusque sequentibus, objiciens. Censendus profecto est Josias, cum bacchantia inter subditos flagitia corrigeret, cultum hunc abolere sedulo studuisse: at vix eo satis functo, statim populus ad superstitionem rediit; ipsique Judæi, qui cum Jeremia in Ægyptum fugerant (4), malorum suorum causam ex eo duci insanissime putabant, quod hoc sacrorum genus, quo tum ipsi, tum majores sui Reginam Cœli intra ipsam Jerosolymam, & in cæteris urbibus coluerant, omisissent.

Hebræus (5): *Filii colligunt ligna, & patres excitant ignem, & fœminæ subigunt conspersionem, ad faciendum placentas* (Heb. *Cavanim*) *Reginæ Cœli*. Hoc placentarum genus delicatissimum fuisse videtur, ex oleo seu melle subactæ. Hebræa vox oritur e radice, quæ sonat parare, disponere. S. Hieronymus (6) docet, placentis hujusmodi, quas Septuaginta *cauanas* nominant, significari crustulas a pistore paratas coctasque. Placentas illas Reginæ Cœli oblatas Hebræi vocant כונים; unde nomen corniculæ seu placentæ cornotæ figuræ, sive cordatæ לבבים quod cordis sint persimillimæ. Porro corniculatum maximus est usus in quadragesima & ineunte vere. Agit de quodam panis genere sub cineribus cocto Athenæus, quod Alexandrini Saturno dicatum, in ejus delubro edendum apponunt cuivis eo vesci cupienti (7); quemadmodum & de alio placentarum genere, quas *basintas* dicebant, Hecatæ sacras, in insula Delo. Hujus moris sunt Hecates cœnæ, quæ in triviis per Kalendas ipsi Deæ parabantur (8). Putant nonnulli, per eos dies ignem excitari consuevisse in Lunæ obsequium; idque a Propheta significari iis verbis: *Patres succendunt ignem*. Cautum est in Concilio Constantinopolitano Quinisexto (9), ne Christiani ignem in Neomeniis excitent, aliosque ritus Ethnicis consuetos imitentur. De hujusmodi superstitionibus agemus iterum inferius XLIV. 17. 18.

℣. 19. NUMQUID ME AD IRACUNDIAM PROVOCANT? NONNE SEMETIPSOS IN CONFUSIONEM VULTUS SUI? Putant ne, ipsorum impietate me lædi aut cruciari? Nemini, præter se, nocent. Quid utile ipsis est, me provocasse, cum ea ratione necem sibi ipsi consciscant? *Quicquid facimus, non Deum lædimus, qui lædi nunquam potest; sed nobis interitum præparamus, thesaurizantes iram in die iræ*, inquit S. Hieronymus.

℣. 21. HOLOCAUTOMATA VESTRA ADDITE VICTIMIS VESTRIS, ET COMEDITE CARNES. Comedite, si placet, vestra ipsi holocausta, vestrasque victimas: utraque minimi facio: his opus non habeo: vobis habete.

℣. 22. NON SUM LOCUTUS CUM PATRIBUS VESTRIS, ET NON PRÆCEPI EIS IN DIE QUA EDUXI EOS DE TERRA ÆGYPTI, DE VERBO HOLOCAUTOMATUM ET VICTIMARUM. SED HOC VERBUM PRÆCEPI EIS, DICENS: AUDITE VOCEM MEAM, ET ERO VOBIS DEUS. Si holocausta & victimas postulavi, id ceu rei accessionem volui; id enim potissimum quærebam, ut mihi obtemperaretis, ac moralia præcepta, quæ ad summam Religionis pertinent, servaretis. Cruenta victimarum sacrificia Religionis meæ veluti additamenta contingunt (10). Plures in Scriptura (11) similes loci sunt, ubi sub absolutis ac minime definitis locutionibus intelligendæ sunt sententiæ conditionibus adstrictæ, certis finibus clausæ, & per comparationem usurpatæ. Aliter: Cruenta sacrificia a vobis fieri passus sum, ut vestræ infirmitati morem gererem, ne, superstitiosis sacrificiis assueti, quæ Diis Ægyptiorum offerebatis, iis minime abstineretis, iterumque Numinum cultum amplecteremini. Primo quidem Deus agni Paschalis sacrificium imperavit (12), deinde ea quibus Lex per Moysem vulganda confirmaretur (13): at sacrificia, ritus, Legesque ad Tabernaculi ministerium spectantes, solummodo post aurei vituli cultum præscripsit (14). Quamobrem idcirco sancita sunt, ut populo in malum ruenti remedium essent; mentes enim spiritualis penitus & interioris cultus minime capaces, sacrificiis corporeis, & exterioribus ritibus coercendæ fuerant.

Aliter: Sacrificia absolute non postulavi: holocausta vestra vestrasque victimas, interiori pietate, obedientia & subjectione destitutas, minimi feci. Vestra odi sacrificia, si piis hisce animi præparationibus careant. *Non propter hoc eduxit eos de Ægypto, ut sacrificia ei afferrent*, inquit S. Irenæus (15), *sed ut abluti idololatriæ Ægyptiorum, audire vocem Domini possent, quæ erat ei salus & gloria*. Igitur sacrificia non prima & potissima, sed minor Dei cura fuerunt. Ita Christus (16) docuit, misericordiam a Deo, non sacrificia postulari: *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Hoc olim Deus docuerat per Oseæ VI. 6. non quod absolute sacrificia respueret, sed quod proximi charitatem multo plurimi faceret. Ita ad Judæos Joel II. 3. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*: scilicet, ne satis esse putetis, vestes scindere, eo doloris indicio, quod plerumque ambiguum est, sed interiori animi dolore cor ipsum frangite. Et Christus (17): *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos, Moyses*. Non ego solus, sed una Moyses, vester Legislator, vos accusabimus. Denique S. Paulus tradit, sese a Christo missum non esse, ut baptismo abluat, sed ut Evangelium doceat (18); scilicet, potissimum electionis suæ munus esse, Evangelii prædicationem. Postrema hæc interpretatio æquissima omnium & probatissima videtur (19). Arduum profecto est ostendere, nulla a Deo sacrificia imperata fuisse, ante vituli aurei superstitionem; jam enim Tribum Levi, & Aaronicam familiam sese elegisse declaraverat, ut sibi Sacer-

(1) Theodoret. & ad Jerem. XLIV. 17. (2) Rab. Salom. & Ben-Melec; Gataker. Guevar. in Habacuc I. 12. Vat. in Jerem. VII. 17. Beza in nov. Testam. (3) Kimchi hic, Syr. Arab. Jun. Tremel. למלכת quasi esset במלאכת, ea לעך (4) Jerem. XLIV. 17. 18. (5) הבנים מלקטים עצים והאבות מבערים את האש והנשים לשות בצק לעשות כונים למלכת השמים (6) Hieron. in Isai. LXVI. p. 418. *Cavonæ, crustulæ*. Septuaginta Hebræam servavere, leguntque χαυῶνας, hic & apud Jeremiam XLIV. 19. (7) Athen. lib. 3. cap. 25. (8) Idem. Vide nos in Isai. LXV. 11. (9) Concil. Quinisext. Can. 82. & 65. (10) Maimon. Gatak. Calov. (11) Vide Glass. Gram. lib. 3. & 1. Reg. XV. 22. Psal. XLIX. 13. 14. Osea VI. 6. Marc. XII. 33. Matt. IX. 13. XII. 7. Genes. XLV. 28. Exod. XVI. 8. Prov. VIII. 10. XVII. 12. (12) Exod. XII. 3. & seq. (13) Exod. 20. 24. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra*. (14) Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 18. Chrysost. homil. 6. in Matt. Hieron. & Theodoret. hic; & alii frequenter. D. Thom. hic, & 1. 2. quæst. 102. art. 3. Raban. Hugo, Dionys. Lyr. (15) Irenæ. lib. 4. c. 17. (16) Matt. IX. 13. (17) Joan. V. 45. (18) 1. Cor. I. 17. (19) Maldon. Isidor. Menoc. Tir. alii.

dotio fungerentur; & agni Paschalis sacrificium, & alia sacra ob Aaronis dedicationem imperaverat (1).

Ỷ. 29. Tonde capillum et projice: et assume in directum planctum. Hebræus fœmineum genus fert, & Jerosolymam alloqui videtur (2): Cape luctus indicia, Filia Sion, *velle capillum, & projice* abs te: *attolle lamenta in locis eminentibus*; in montes secede, casum tuum ploratura. Solebant frequenter in edita montium juga, circa urbes, secedere, qui vel publicas vel privatas ærumnas flerent (3). Aliter: Gemitus attolle, & locorum sublimium tuorum, quæ tam multis Idolorum sacris profanasti, eversionem defleto: Jam enim decreta apud Deum est. Vide ỶỶ. 31. 32. Septuaginta: *Assume super labia lamentationem*. Nonnullas apud gentes adhuc fœminæ in luctu os & imam faciei partem velant. Hic igitur locus hoc sensu intelligi potest. Vellere crines, aliud est luctus indicium, apud Profanos & Scripturam vulgatum. Achilles in amici Patrocli funera (4) crines vellit, & inter mortui manus ponit: Achillem imitati milites, evulsos crines super Patrocli cadaver projiciunt.

Generationem furoris sui, iræ suæ argumentum, Septuaginta (5): *Generationem quæ fecit hæc*.

Ỷ. 30. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum. In ipso Dei templo simulacra collocaverat Manasses (6), quæ deinde abstulit Josias. At Ezechielis ætate nonnulla adhuc in Templo videbantur (7). Idola nuncupat Jeremias *offendicula*, quæ vox sæpe hoc sensu recurrit. Hebræus (8): *Abominationes*.

Ỷ. 31. Ædificaverunt Excelsa Topheth, quæ est in valle filiorum Ennon. Topheth, & vallis Ennon, ad Jerosolymæ meridiem jacebant, interluentibus Torrente Cedron, & fonte Siloe. Jucundissimus ac suavissimus erat locus, inquit, Hieronymus, ut fontes, lucosque ibi cultos fuisse credas, ex communi inter Ethnicos superstitione. At multo probabilius est, edita Topheth loca dicata fuisse Molocho, Ammonitarum Deo, cui sacra e victimis humanis fiebant. Vallem Ennon profanavit Josias, & excelsa Topheth evertit (9).

Ỷ. 32. Non dicetur amplius Topheth... sed vallis interfectionis; et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus. Topheth locus fiet, quo Jerosolymæ sordes congerentur; eoque projicientur cadavera sepulcro indigna. Tempus erit, cum ingens cædes Jerosolymis fiet, ut deficientibus cadaverum multitudini sepulcris, hæc in Topheth projiciantur, insepultaque relinquantur. Integra huic vaticinio perfectaque fides fuit, cum Nabuchodonosor primo, deinde Romani bello Judæos affligerent. Narrat Josephus (10) Belli Romani tempore innumera e mœnibus cadavera projecta fuisse, derelictaque in vallibus, quæ circa urbem erant; ita ut ipse Titus, miserrimum hoc spectaculum intuens sese continere nequiverit, quin manus ad cœlum tolleret, Deumque testaretur, sese hujus sævitiæ causam non esse. Primus profanavit Topheth Josias, congestis sordibus, effusoque pulvere & cinere, qui e fractis, combustisque simulacris superfuerant (11). Confer hoc Caput cum XIX.; ubi Jeremias eadem acrius ac fusius minitatur, asserens futurum, ut Topheth locus sordium Jerosolymæ sit, ipsaque Jerosolyma in similem Topheth conditionem redigatur; immunda scilicet & cadaverum plena sit. Eadem *vallis Cadaverum* appellatur Capite XXXI. 40.

Ỷ. 34. Quiescere faciam de urbibus Juda vocem sponsi et vocem sponsæ. Nulla deinceps ibi connubia celebrabuntur; nulla lætantium & canentium vox, seu musica instrumenta pulsantium, quibus augeri solet pompa nuptiarum, audietur. Vide Jeremiam XVI. 9. XXV. 10. XXXIII. 11. ubi eadem Phrasis legitur. Eandem vide apud Pindarum (12).

(1) Vide Exod. XX. 24. & XXIV. XXIX. (2) גזי נזרך והשליכי ושאי על שפים קינה 70. Ἀνάλαβε ἐπὶ χειλέων θρῆνον. (3) Vide Judic. XI. 35. 36. & Jerem. IX. 10. (4) Iliad. Ψ. Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ἀπεκείρατο χαίτην, &c. (5) Τὴν γενεὰν τὴν ποιήσασαν ταῦτα. Legunt דור עברתו pro עברתו (6) 4. Reg. XXIII. 4. 6. (7) Ezech. VIII. 3. 10. (8) שמו שקוציהם Septuag. Ἔταξαν τὰ βδελύγματα. (9) 4. Reg. XXIII. 10. *Contaminavit quoque Topheth, quod est in valle filiorum Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem, Moloch.* (10) Joseph. lib. 6. de Bello cap. XIV. in Latino p. 917. (11) 4. Reg. XXIII. 10. (12) Pindar. Pyth. Ode 3. Ἀλλ' οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι ἑσπερίαις ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς.

CAPUT VIII.

Convicia & minæ in Reges, Principes, Sacerdotes, ac Prophetas Juda. Illos Deus in sævissimorum hostium potestatem tradet, idololatriæ & avaritiæ causa.

Ỷ. 1. IN illo tempore, ait Dominus: Ejicient ossa regum Juda, & ossa principum ejus,
& ossa sacerdotum, & ossa prophetarum, & ossa eorum, qui habitaverunt Jerusalem, de sepulchris suis. 2. Et expandent ea ad solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ dilexerunt, & quibus servierunt, & post quæ ambulaverunt, & quæ
quæsierunt, & adoraverunt: non colligentur, & non sepelientur: in sterquilinium super
faciem terræ erunt. 3. Et eligent magis mortem, quam vitam omnes, qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos,
dicit Dominus exercituum. 4. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur? 5. Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt
reverti. 6. Attendi, & auscultavi: nemo, quod bonum est, loquitur, nullus est, qui
agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum
suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. 7. Milvus in cœlo cognovit tempus
suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem
meus

meus non cognovit judicium Domini. 8. Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. 9. Confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis. 10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus: quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. 11. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cum non esset pax. 12. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 13. Congregans congregabo eos, ait Dominus, non est uva in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: & dedi eis, quæ prætergressa sunt. 14. Quare sedemus? convenite, & ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. 15. Expectavimus pacem, & non erat bonum; tempus medelæ, & ecce formido. 16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus, commota est omnis terra, & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus: urbem, & habitatores ejus. 17. Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus. 18. Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. 19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua, Numquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis? 20. Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus. 21. Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me. 22. Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

℣. 1. IN ILLO TEMPORE, EJICIENT OSSA REGUM, ET OSSA PRINCIPUM DE SEPULCRIS SUIS. Neminem verebuntur Chaldæi, neque vivum neque mortuum. Vivos quidem necabunt; mortuorum vero sepulcra scrutabuntur, ut latentes ibi thesauros inveniant: ossa eruent, e sepulcris projicient, insepulta humi relinquent, ne collecta quidem, ut suis locis restituantur. Baruch (1) sive Jeremias in Epistola, quam Baruch ad primos Babylone captivos detulit, hasce minas prorsus expletas docet; suaque jam ætate ossa Regum Juda humi relicta, & solis æstui, noctisque frigori exposita jacere; quibus ex verbis discimus, Chaldæos huc sævitiæ genus primo jam bello in Joachimum & Jechoniam, antequam Sedeciam armis peterent, quæ suprema omnium expeditio fuit, exercere incepisse. Utrum Judæi pecunias in Principum sepulcris condere solerent, non satis docent Historici. Magnam opum vim in Davidis sepulcro conditam fuisse Joseph testatur; at multa sunt quæ illi fidem minuunt. Nullus scripturæ locus docet, eam fuisse vulgatam gentis consuetudinem. At illud saltem procul dubio est, cadavera olim unguentis condiri consuevisse, & paribus dignitatis suæ ornamentis ex auro, argentoque indui; quemadmodum adhuc arida Ægyptiorum cadavera cum pretiosis ornamentis inveniuntur. Postquam Regum nonnullorum cadavera cremari cœpere (2), illorum cineres urnis pretiosissimis conditi fuisse creduntur. Horum denique sepulcrorum magnificentia, mirus operarum numerus, quo ea constructa sunt, barbaris avidisque militibus suadebat, ingentem opum vim iis claudi; cum præsertim ea esset Assyriorum & Chaldæorum erga Principum tumulos consuetudo; quemadmodum ea docet, quæ de Semiramidis (3), Beli (4), & Cyri (5) Sepulcris narrantur. Horatius (6) inter injurias, quibus victor Miles hostium urbes affligit, sepulcrorum violationem uti sævissimam, atque odiosissimam, numerat.

Barbarus heu! cineres insistet victor, & urbem
Eques sonante verberabit ungula;
Quæque carent ventis & solibus ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

℣. 3. ELIGENT MAGIS MORTEM QUAM VITAM. In rerum omnium desperatione, feliciores putabunt eos, qui media inter patriæ mala obierint, quam qui superfuerint: durissima captivitas mortem illis optabiliorem faciet.

℣. 4. NUMQUID QUI CADIT, NON RESURGET? Cur igitur Hebræi sollicite non student, ut e lapsu surgant, terribilesque Divinæ severitatis minas a se avertant?

℣. 6. OMNES CONVERSI SUNT AD CURSUM SUUM, QUASI EQUUS IMPETU VADENS AD PRÆLIUM. Aliter: In exitium feruntur, ceu acris equus, in discrimen ruens. Vel, malam animi libidinem, veteresque consuetudines sectantur. Septuaginta (7): *Defecit currens a cursu suo, quasi equus defessus in hinnitu suo.* Fatigatur equus, inquit Theodoretus, & sistit, ubi spiritum frequentius ducat: At ipsi in mediis flagitiis minime steterunt. Syrus: *Unusquisque eorum sequitur impetum suum*, sententiam suam, *quasi equus currens cum impetu ad prælium.*

℣. 7. MILVUS IN CÆLO COGNOVIT TEMPUS SUUM. Aquila pro milvo ardeam ponit; Arabs gruem; Bochartus aliique plures, Ciconiam. Hebrea vox Asida, quam Septuaginta, Symmachus, & Theodotio integram servavere, oritur ex radice, quæ misericordiam significat, propriam Ciconiæ laudem, parentes alentis ubi senuerint (8), Peregrina avis est, mare trajiciens, & in mitiores Regiones

(1) Baruc II. 24. *Ut transferrentur ossa Regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum, de loco suo, & ecce projecta sunt in calore solis, & in gelu noctis.* (2) 2. Paral. XVI. 14. XX. 19. (3) Herodot. lib. 1. c. 187. (4) Herodot. lib. 1. c. 181. & seq. Diodor. lib. 2. (5) Vide Arrian. lib. 6. de Exp. Alex. & Strab. lib. 15. pag. 730. (6) Epodon, Ode 16. (7) Διέλιπεν ὁ τρέχων ἐκ τοῦ δρόμου αὐτοῦ, ὡς ἵππος καθιδρῶν ἐν χρεμετισμῷ αὐτοῦ. (8) Plin. l. x. c. 23. *Genitricum senectam invicem educant.*

giones hieme secedens (1). Milvus etiam a nostris Regionibus fugit per hiemem (2); & Theodoretus, gente Syrus, asserit, voce *Asida* communi eruditorum sententia milvum significari (3).

Turtur et hirundo et ciconia. Hebræus: *Tur, sus, & agur*. Prior vox communi Interpretum assensu turturem sonat, peregrinam avem (4), non secus ac hirundinem; ac plerisque *sus*, vel *sis* est *Grus* (5), maria item Hieme transiens. Refragatur huic sententiæ Bochartus; & *sis*, vel *Hasita* pro hirundine, *hagur* pro grue usurpat. Profecto Chaldæus, Syrus, & Recentiorum Interpretum plerique postremam hanc vocem de hirundine explicant. At doctissimi Bocharti, qui de natura Animalium, quorum meminit Scriptura, mirifice prorsus disseruit, argumenta multo probabilissima nobis videntur, quam recentiorum Interpretum conjecturæ & auctoritas. Vide nos in Isaiam XXXVIII. 14. Grues in remotissimas regiones hieme secedere (6), nemo ignorat. Septuaginta (7): *Turtur, hirundo, agri passeres custodierunt tempora exitus sui*. Fatendum certe est Hirundines a nostro cœlo fugere hiemis initio, ut mitiores regiones quærant; at æque certum est, apud Sarmatas & Septemtrionis accolas, hirundines hieme in lacubus delitescere, ceu ranas, & piscatu capi: ex iis enim in massas quasdam mutuo nexu collectæ educuntur motu carentes; reddito statim motu, si igni admoveantur, vel in tepido loco ponantur. Vide Historiam de rebus gestis Cardinalis Commendonii. Nonne mirum est, homines, qui sapientia gloriantur, potissima officii sui munera ignorare magis, quam aves intelligentia destitutas, in iis quæ ipsis conveniunt? Ita ratiocinatur Propheta.

℣. 8. Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum (8); profecto stilus Doctorum Legis mendax est, merum mendacium scripsit. Scribæ, Legis Doctores, ii qui in populo sapiunt, aperte nimis mendacii, malæ fidei ac simulationis rei sunt. Pacem ac prosperas res polliciti, securos adversus severitatis meæ minas effecere. Cernitis jam quanti facienda sint ea quæ ipsi pollicentur: apertissime illorum dolus. Contraria prorsus illorum pollicitationibus evenere: *Confusi sunt sapientes: perterriti & capti sunt*. Chaldæus: *Ecce frustra fecit scriba calamum mendacii ad falsandam scripturam*, ut mendacia procudat, vosque inanibus vaticiniis fallat. Vos ipsi contrarias plane vices intuiti estis.

℣. 10. Dabo agros eorum hæredibus, Chaldæis, qui de illis, seu de hæreditate decernent. Magnam Judææ partem occupavere Idumæi non secus ac Philisthini & Samaritani, postquam Nabuchodonosor captivam gentem adduxit, & plurima regionis pars deserta & incolis vacua squalluit.

℣. 11. Sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam; gentis meæ vulnera curare æterno ipsorum probro aggressi sunt. V. super. VI. 14.

℣. 12. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quinimo confusione non sunt confusi. Vel ex S. Hieronymo: *Erubuerunt in sceleribus suis, intellexerunt abominationes quas operati sunt? Nequaquam, sed in tantam erupere amentiam, ut nec confusione caperent emendare vitia, nec spe veniæ sua scelera confiteri*. Inter mala, quibus opprimuntur, extremo pudore obruti sunt, suosque errores agnoscunt, imo potius, adeo obduruerunt, ut nulla penitus arte corrigi queant.

℣. 13. Congregans congregabo eos intra Jerosolymæ mœnia. Illos eo simul ducam, veluti in communem lanienam, nequis vindictæ meæ severitatem effugiat (9). Aliis verbum *congregare* est neci tradere (10). Congregabo in mortem, in sepulcrum: Cadaverum una coactorum acervum ex iis efficiam.

Non est uva in vitibus. Deus Judæam absoluta sterilitate ferit; quo anno a Chaldæis Jerosolyma obsidebatur. At cum non una fuerit ejus urbis obsidio ex Chaldæis, certus hujus famis annus non definitur. At si eadem est, quæ ceu præsens malum describitur inferius XIV. 1. credibile certe est paulo ante supremam Jerosolymæ obsidionem sub Sedecia contigisse.

℣. 14. Quare sedemus? Convenite et ingrediamur civitatem munitam quamlibet, sive Jerosolymam. Verba populi sunt, sese mutuo hortantis, ut in urbem totius Regionis Principem secedant, cum & vitis & agri fructus penitus defecerint, neque cujus opem implorare debeat, satis sciat. Nihil gravius contingere nobis intra urbem potest, quam ut fame pereamus, pari certe infortunio, cum nullos in agro cibos inveniamus. *Sileamus ibi*, ajunt, *quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & dedit nobis potum fellis*. Cum nulla jam nobis auxilii spes supersit, Jerosolymam coeamus, una morituri. *Silere* interdum pro totius rei exitio, & malorum oppressione usurpatur. *Sileant ut lapis*, ait Moyses, de Ægyptiis agens in Erythræo mersis (11). *Impii in tenebris conticescent*, inquit Anna Samuelis mater (12). *Nisi Dominus opem tulisset mihi, paulo minus habitasset in silentio anima mea*, inquit David (13), nempe, ut ferunt Septuaginta & Vulgata, in sepulcrum ruissem. *Non mortui laudabunt te, Domine*, idem alibi canit (14), *neque omnes qui descendunt in silentium*. Isaias (15) Babylonem alloquens: *Sede tacens, & intra in tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum*.

℣. 16. A Dan auditus est fremitus equorum, hostium equitatus. Dans urbs erat in septemtrionalibus Palæstinæ finibus sita, qua parte Chaldæi profecturi erant in Jerosolymam. Vide eamdem locutionem superius IV. 15. Hinc collegere Veterum nonnulli (16), Antichristum e Tribu Dan esse oriturum; putabantque, anguem esse, quem spectabat Jacob, cum Dan filium suum alloqueretur (17): *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*. At habita ratione, quam debemus, veterum Patrum, qui hoc tradidere, hanc inter incertas sententias, ab Ecclesia universa nunquam probatas, recensemus.

℣. 17. Ecce ego mittam vobis serpentes, regulos, quibus non est incantatio. Morbos olim & angues carmine cicurari consuevisse, nemo ignorat. Integram hac de re dissertationem dedimus. Hebræa vox *ziphonim* (18) regulos significat, ex plerisque Interpretibus (19). Septuaginta

(1) Plin. lib. x. c. 23. Solin. c. 40. Ælian. lib. 3. c. 23. (2) Vide Petr. Martyr. Mediol. Legat. 3. a. (3) Theodoret. hic. Ἡ μὲν Ἀσίδα ἱέραξ ἐστί. Τινὲς δὲ φασι τὸν ἰκτῖνα οὕτω καλεῖσθαι. (4) Cant. II. 11. 12. Arist. hist. anim. l. 8. c. 3. Varro de re Rust. lib. 3. c. 5. (5) Chald. Syr. Mont. Pag. Jun. Tremel. Pisc. Castal. alii. (6) Herod. lib. 2. c. 22. Arist. l. 8. c. 12. Ælian. l. 3. c. 13. (7) Τρυγὼν, καὶ χελιδὼν, ἀγροῦ στρουθία ἐφύλαξαν καιροὺς εἰσόδων αὐτῶν. (8) אכן הנה לשקר עשה עט שקר ספרים (9) Hieron. hic, Raban. Hugo, Lyr. Maldon. alii. (10) אסוף אסיפם Vide Isai. XVII. 12. *Et vos congregabimini unus, & unus*. Osee IV. 31. *Pisces maris congregabuntur*. Sophon. 1. 1. 2. 3. *Congregans congregabo omnia*, &c. (11) Exod. XV. 16. (12) 1. Reg. II. 9. (13) Ps. XCIII. 17. (14) Psal. CXIII. 17. (15) Isai. XLVII. 5. (16) Iren. lib. contra hæres. c. 30. Hippolyt. de consum. sæc. Theodoret. qu. 10. in Genes. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. 7. Greg. lib. 31. Moral. in Job c. 24. olim 58. Aug. aut alius, tract. de Anti-Christo; Prosper, Haimo, Rupert. alii. (17) Genes. XLIX. 17. (18) נחשים צפענים (19) Aquil. Mont. Pag. Munst. Boch. Pisc. &c.

ta (1): *Angues lethales*, seu lethiferos.

℣. 18. Dolor meus super dolorem. Dolor meus dolorem omnem superat. Sunt qui hæc verba Deo tribuant, dolenti, quod severissime in populum, olim in deliciis habitum, animadvertere cogatur. Alii ad Prophetam referunt, de malis Juda dolentem; vel ad populum sub malorum pondere fatiscentem. Hebreus (2) aptius ita explicatur, quasi ipsa urbs Jerosolyma in hanc sententiam queratur: *Heu! quam gravi dolore crucior!* Sive: Quos de me gemitus edam! *Mœrore opprimor: animus deficit*, (℣. 19.) *Ecce vox suspiriorum filiæ populi mei*, quam audio *de terra longinqua*, vel, quam ipse edit *de remota regione*, ab exilio. Aptissima est hæc interpretatio, versiculi sequentis sententiam, aliter obscurissimam, explicans. Septuaginta (3): *Vos mordebunt angues insanabiliter cum dolore cordis vestri deficientis*.

℣. 19. Numquid Dominus non est in Sion? Populi querelis ita respondet Deus: Meus ne populus me invenire non potuit? An nimis aberam? Nonne in Sion eram? Quorsum igitur Deos alienos quærebat? Post hæc, an jure queritur, quod ingrato ipsius animo & impietate irritatus, in sævissimorum hostium potestate sese reliquerim?

℣. 20. Transiit messis, finita est æstas, et nos salvati non sumus. Obsessus Jerosolymæ populus diuturnitatem obsidionis queritur. Inanem proximæ libertatis spem nobis faciebant; vanisque vaticiniis nos fefellare pseudo-Prophetæ. Defiit jam messis, absoluta est æstas, & nulla suppetiarum spes fulget. Supremam Jerosolymæ obsidionem productam esse biennio, totoque eo tempore populum ineptis pollicitationibus fallere pseudo-Prophetas non desiisse, notissimum est. Nono Sedeciæ anno, decima decimi mensis die (4), scilicet tertio Kalendas Februarii, anno 3414. ex Usserio, cœpit obsidio. Aliquot post menses, Nabuchodonosor obsidionem solvere coactus est, ut Ægyptiorum Regi, auxiliares Jerosolymæ copias ducenti, occurreret (5): at, pulsis Ægyptiis, rediit, & sequenti statim anno obsidionem instauravit, decimaquinta tertii mensis die, qui mensis cum Majo sive Junio anni 3415. congruit, cccxc. diebus antequam urbs caperetur: quamobrem cum agri colendi, legendorumque agri fructuum tempus populo relictum non fuerit, Jerosolyma in extremam annonæ inopiam statim devenit. Proximo deinde anno capta est, Mundi 3416. nona die quarti mensis, quæ dies cum sexto Kalendas sextiles convenit (6). Populi diuturna molestaque obsidione vexati verba hic exhibet Jeremias.

℣. 21. Super contritione filiæ populi mei contritus sum. Gravissimum filiæ populi mei vulnus animum meum sævissime cruciat. Verba Jeremiæ sunt, ærumnas Jerosolymæ deflentis, quæ per sequens Caput producuntur.

℣. 22. Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Cur igitur populi mei cicatrix obducta non est? An illud culpæ meæ est? Nonne Prophetas misi? Nonne tempus, monita, adminicula impertitus sum, ut ad officium reverteremini? Ullane medicamenta aut pharmaca defuerunt? Cur non convaluistis? Profecto quod & pharmacis uti, & medicos consulere neglexeritis. Veterum Medici nihil, præter chirurgiceo, exercebant, suisque ipsi manibus pharmaca ægro admovebant. Resina seu terebinthina Galaad, celebris est in Scriptura, præsertim in Genesi, xxxvii. 25. ubi Josephus venditus traditur Israelitis Mercatoribus, e Galaad venientibus, ferentibusque aromata & resinam. Jeremias, xlvi. 11. Ægyptum alloquens, ait: *Ascende in Galaad, & tolle resinam, filia virgo Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi*. Docent Medici (7), terebinthinam, & universe resinam vim habere molliendi, leniendi, calefaciendi, solvendi, purgandi, siccandi, ac tergendi. Plura sunt terebinthinæ genera, ex singulorum natura & ex arboribus ipsam ferentibus distincta; plures enim sunt arbores resinæ feraces, terebinthus, lentiscus, larix, cupressus, pinus, abies, picea, aliæque.

(1) Ὄφεις θανατοῦντας. (2) מבליגיתי עלי : יגון עלי : לבי דוי Hanc vocem בלג ex Vulgatæ & Septuaginta Interpretum sententia explico, apud quos plerumque redditur *plangere*, *mærere*, *dolere*. Vide Job ix. 27. x. 20. Psal. xxxviii. 14. Sejungo מ, vel מה, a בליגיתי aliter nulla est syntaxis: denique jungo hunc ℣. cum sequenti, ut unus ex altero explicetur. (3) Καὶ δήξονται ὑμᾶς ἀνίατα μετ᾽ ὀδύνης καρδίας ὑμῶν ἀπορουμένης. (4) 4. Reg. xxv. 1. Jerem. xxxix. 1. & lii. 4. (5) Vide Jerem. xxxvii. 3. 10. (6) 4. Reg. xxv. 2. 3. 4. Jerem. xxxix. 2. 3. (7) Vide Dioscorid. lib. 1. c. 66. 97. & not. Matthioli.

CAPUT IX.

Jerosolymæ calamitates deflet Jeremias, ejusque flagitia insectatur. Judæos eorumque finitimos puniet Deus: Judæi corde incircumcisi.

℣. 1. QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum? & plora-
bo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. 2. Quis dabit me in soli-
tudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam
ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum. 3. Et extenderunt lin-
guam suam quasi arcum mendacii, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de
malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt, dicit Dominus. 4. Unusquis-
que se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam; quia
omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. 5. Et
vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam
suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt. 6. Habitatio tua in medio
doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. 7. Propterea hæc dicit Dominus
exercituum: Ecce ego conflabo, & probabo eos: quid enim aliud faciam a facie filiæ
populi mei? 8. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pa-

cem

cem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias. 9. Numquid super his
non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujuscemodi non ulciscetur anima mea?
10. Super montes assumam fletum, ac lamentum, & super speciosa deserti planctum:
quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens: & non audierunt vocem
possidentis: a volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt, & recesserunt. 11.
Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, & cubilia draconum; & civitates Juda dabo
in desolationem, eo quod non sit habitator. 12. Quis est vir sapiens, qui intelligat
hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quare perierit terra,
& exusta sit quasi desertum, eo quod non sit, qui pertranseat. 13. Et dixit Dominus:
Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem
meam, & non ambulaverunt in ea: 14. Et abierunt post pravitatem cordis sui, &
post Baalim quod didicerunt a patribus suis. 15. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum
Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis
aquam fellis. 16. Et dispergam eos in Gentibus, quas non noverunt ipsi, & patres
eorum: & mittam post eos gladium, donec consumantur. 17. Hæc dicit Dominus
exercituum Deus Israel: Contemplamini, & vocate lamentatrices, & veniant: & ad
eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent: 18. Festinent, & assumant super
nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis.
19. Quia vox lamentationis audita est de Sion; Quomodo vastati sumus, & confusi
vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam dejecta sunt tabernacula nostra.
20. Audite ergo mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonem oris
ejus: & docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum.
21. Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere
parvulos de foris, juvenes de plateis. 22. Loquere: hæc dicit Dominus: Et cadet
morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum
metentis, & non est, qui colligat. 23. Hæc dicit Dominus: non glorietur sapiens
in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in
divitiis suis: 24. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego
sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra, hæc enim
placent mihi, ait Dominus. 25. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & visitabo super
omnem, qui circumcisum habet præputium. 26. Super Ægyptum, & super
Juda, & super Edom, & super filios Amon, & super Moab, & super omnes, qui
attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium,
omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

℣. 1. QUIS DABIT CAPITI MEO AQUAM. Hebræus (1) acriori sententia: *Quis dabit, convertet, caput meum in aquas, & oculos meos fontem lacrymarum?* Cur populi mei ærumnas, immensas plane, & nunquam satis deflendas, nullo solatii loco non lacrymor?

℣. 2. QUIS DABIT ME IN SOLITUDINE DIVERSORIUM VIATORUM? Quis mihi tugurium viatorum in deserto ostendat? Hebræus & Vulgata congruunt (2): *Quis me in solitudine tugurium viatorum efficiat?* Cur similis non sum rusticis iis agrorum casis, quo interdum succedunt viatores, ut quiescant? Cur a populo meo discedere nequeo, eorumque flagitia, molestissima doloris mei argumenta, ab oculis animoque removere? Septuaginta (3): *Quis dabit mihi in eremo locum remotum?*

℣. 3. EXTENDERUNT LINGUAM SUAM, QUASI ARCUM MENDACII. Lingua utuntur ceu arcu, quo mendacii tela jaculentur. Omnia illorum verba eo definunt, ut cæteros fallant. Nihil nisi mendacia & falsa loquuntur. *Sagitta vulnerans est lingua eorum*, inquit inferius, ℣. 8. Eadem locutione frequenter utitur David (4).

℣. 4. UNUSQUISQUE SE A PROXIMO SUO CUSTODIAT. Nulla jam in hominum consuetudine est fides: unusquisque sibi a proximo caveat, illique minime credat, ne fallatur. Idem monet Michæas (5), ubi de Israelis flagitiis, deque discrimine, supremis diebus Israelem agitaturo, agit. Opem nemo a proximo vel amico expectet: Homines vel genere vel consuetudine conjunctissimi maxime deerunt, ubi opus illorum præsidio fuerit; atque ut sibi consulant, & consanguineos & amicos mactabunt. Huc spectabat Christus; cum diceret (6): *Non veni pacem mittere, sed gladium; & inimici hominis, domestici ejus.*

℣. 5. DOCUERUNT LINGUAM SUAM MENDACIUM; UT INIQUE AGERENT LABORAVERUNT. Male agere student, atque in illud sedulo studioseque incumbunt: illud pro arte exercent. Hi non ex iis sunt, qui vel imprudentia, vel naturæ impetu in malum trahuntur: sponte dataque opera eo ruunt. Laborant, ut cæteris noceant: tunc denique decipere cessant, cum defatigati fuerint, & scelus ipsi fastidiverint. *Ostendit, consuetudinem mentiendi quodammodo in naturam verti, studioseque eos agere, ut agant iniqua*, inquit S. Hieronymus. Septuaginta (7): *Didicit lingua eorum loqui falsa; inique egerunt, & non abstinuerunt, ut convertantur.*

℣. 6. HABITATIO TUA IN MEDIO DOLI. IN DOLO RENUA-

(1) מי יתן ראשי מים ועיני מקור דמעה (2) מי יתנני במדבר מלון ארחים (3) Τίς δώσει μοι ἐν τῇ ἐρήμῳ σταθμὸν ἔσχατον. (4) Psal. LXIII. 4. 5. 6. *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Et Psal. XIII. 3. & CXIX. 2. 3. 4. (5) Mich. VII. 5. (6) Matt. X. 35. (7) Μεμαθήκασιν ἡ γλῶσσα αὐτῶν λαλεῖν ψευδῆ, ἠδίκησαν, καὶ οὐ διέλιπον. Heb. למדו לשונם דבר שקר העוה נלאו

GERUERUNT SCIRE ME. In populo habitas doli pleno, o Jeremia. Fraudulenta gens sunt, meque nosse renuunt; vel, fraudulenter me nosse recusavere. Me ab ipsis ignorari simulant: ita nullam mei rationem habent, quasi me minime norint. Septuaginta cum superiori versiculo jungunt (1): *Non abstinuerunt a male agendo, ut convertantur. Fœnus super fœnus, dolus supra dolum: noluerunt nosse me.*

℣. 7. ECCE EGO CONFLABO ET PROBABO EOS. Hæc una jam superest illos purgandi ratio. Dixerat Deus (2), electum a se esse Jeremiam, ut sese erga illos ceu metallorum fusorem exhiberet. Ignis, quo Deus probaturus est Judæos, bellum & cætera mala sunt, quæ ex bello oriuntur. Hac ignis voce frequenter utitur scriptura, ut mala significet, quibus Deus suorum periculum facit (3). *Quotiescumque angustiis subjacemus; mala recipimus a Deo, & examinamur persecutionibus, ut quicquid in nobis adulterinæ materiæ est, tribulationum & miseriarum exuratur ardoribus*, inquit S. Hieronymus.

℣. 10. SUPER MONTES ASSUMAM FLETUM AC LAMENTUM, ET SUPER SPECIOSA DESERTI PLANCTUM. Vel: Miserrimum montium nostrorum, olim adeo feracium cultorumque statum deflebo, nostrosque agros, jucundissimos olim, nunc ita desertos, vastatos atque arentes, ut igne tacti videantur (4). Nullum hi aut hominis aut bestiæ vestigium servant. Similes nemori sunt arido exustoque, ubi nihil penitus occurrit;

ET NON AUDIERUNT VOCEM POSSIDENTIS: A VOLUCRE CŒLI USQUE AD PECORA TRANSMIGRAVERUNT. Hebræus (5): *Non audietur vox armenti a volucre cœli usque ad pecus.* Nullus deinceps in agris montibusque aut ovium balatus, aut mugitus boum audietur: nulla in posterum bestia, seu fera, seu cicur, ab avi ad pecus, occurret. Tota denique regio penitus vastata squallebit. Siqua regio ab hominibus destituitur, statim illam pecora avesque relinquunt, quemadmodum Theodoretus & S. Hieronymus, & non uno in loco Prophetæ ipsi animadvertunt (6).

℣. 11. DABO JERUSALEM IN ACERVOS ARENÆ ET CUBILIA DRACONUM. Omnia Urbis ædificia exusta atque in cineres redacta jacebunt, eorumque rudera anguibus cubilia suppeditabunt. Judæorum hostes, cum labores populi mox e captivitate reversi irriderent, ajebant (7): *Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris qui combusti sunt?*

℣. 15. CIBABO POPULUM ISTUM ABSINTHIO, ET DABO EIS AQUAM FELLIS; illum doloribus & cruciatibus opprimam. Reddi potest Hebræus (8): *Cibabo populum istum Laama* (herba est amarissima & virulenta); *& potabo eos aqua amaritudinis*, vel fellis, seu toxici, sive succo cicutæ; genuina enim Hebræarum vocum significatio ignoratur. Septuaginta (9): *Ecce ego nutriam eos angustiis, & potabo eos aqua fellis.* Vide nos in Deuteronomii XXIX. 18.

℣. 16. MITTAM POST EOS GLADIUM, DONEC CONSUMANTUR. Illos ubique sequentur gladius, bellum, atque omnia ærumnarum genera. In Ægyptum fugiant, an in Arabiam, in Moabitidem, apud Philisthinos, vel Idumæos secedant, suam ubique calamitatem invenient, furore meo illos persequente. Luculentis verbis minitatur Jeremias (10) fore ut qui in Ægyptum elapsi fuerint, bello ac fame ad extremum usque exitium consumantur; & siqui superfuerint, parvo numero in Judæam redeant.

℣. 17. VOCATE LAMENTATRICES, UT VENIANT; ET AD EAS QUÆ SAPIENTES SUNT (11), MITTITE; scilicet, ad eas quæ peritissimæ sunt. Fortasse hujusmodi mulierum sapientum munus erat, solatium adhibere mortuorum consanguineis; vel lugubre carmen, *lessum*, seu *næniam*, plenumque demortui laudibus, exarare; quæ deinde carmina cæteræ post ipsas iterabant. *Hic mos*, inquit S. Hieronymus, *usque hodie permanet in Judæa, ut mulieres sparsis crinibus, nudatisque pectoribus voce modulata omnes ad fletum concitent.* Eundem morem in plerisque Orientalium Provinciis adhuc servari docent Itineraria. Viros, ac fœminas lugubria canentes, flentesque memorat Homerus (12), quibus Hectoris cadaveri justa solvenda fuerant, inter lugubrium carminum voces, a Populo querente atque in lacrymas effuso iterandas. Suos etiam habebant Romani viros, fœminasque lugentes, pretio conductos, qui funeris pompam prosequerentur & numero augerent; ne simulatæ saltem lacrymæ deessent, ubi deerant veræ. Interdum additas fuisse tibias, ex Evangelio discimus (13).

℣. 21. ASCENDIT MORS PER FENESTRAS NOSTRAS. Carmen lugubre, quod jubentur a Propheta Judæi filias docere. Væ! mors per fenestras ascendit nostras, usque intra domos invecta est; vel, ex Hebræo (14), intra nostra palatia. Proverbii vulgaris genus fuisse videtur: *Ascendit mors per fenestras*, pro, Mors aliquem intra domos nostras rapuit. Joel (15) locustarum exercitum, Judæam inundaturum describens, ait, illas militum more venturas, & per fenestras aditum sibi usque intra domorum penetralia facturas. Christus (16) malos pastores describens, asserit, ipsos instar furum accedere, & per fenestras, non per fores ingredi. Ita venturi sunt Chaldæi. Vi obviis quibusque illata, intra omnia irrumpent, per vim accedent, cædem, rapinas, exitium ubique ferentes.

Fenestrarum nomine, patentes mœnium aditus, vel pinnas intelligere licet: at nobis probabilius est, tropico sensu ac metaphorico hunc locum esse explicandum, ducta e furibus comparatione. Frustra intra domorum septa latetis: intra domorum penetralia vos quæret mors. Si fores clauseris, per fenestras ingredietur. S. Epiphanius tamquam e Moyse recitat hæc verba, quæ in Moyse non leguntur (17): *Si transierit mortuus, occludite januas ac fenestras, ne domus inquinetur.* Hoc fortasse didicerat ex Judæis, qui cadaveris labem per fores ac fenestras introduci putabant, ac mortem per eas quodammodo vias intra domus penetralia inferri. Profecto ad hunc Jeremiæ locum spectare videntur. Asseruit Isaias (18), in funere domorum fores claudi consuevisse; & narrat Philo, Judæos Alexandrinos ob Drusillæ obitum, gravem animi dolorem clausis tabernis significasse (19): at hæc plane aliud sunt, quam quod vult S. Epiphanius.

℣. 22. LOQUERE, Septuaginta in nostris Editionibus hanc vocem omittunt; at apud hos Interpretes & Theodotionem legebat S. Hieronymus cum antecedentibus, hoc modo: *Disperdent juvenes de plateis morte.* Aquila & Symmachus cum Vul-

(1) Οὐ διέλιπον [6.] τοῦ ἐπιστρέψαι. Τόκος ἐπὶ τόκῳ, δόλος ἐπὶ δόλῳ, οὐκ ἤθελον εἰδέναι με. (2) Jerem. VI. 27. *Probatorem dedi te populo huic.* (3) Job XXIII. 10. Psal. XVI. 3. XCV. 2. LXV. 10. Prov. XVII. 3. Jerem. XI. 3. Zach. XIII. 9. (4) Heb. הארץ נצתה כמדבר Vulg. *Quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum*, Septuag. Ἀνήφθη, ὡς ἔρημος. (5) ולא שמעו קול מקנה מעוף השמים ועד בהמה (6) Vide supra Jerem. IV. 25. & infra XII. 4. Sophon. I. 3. Osee IV. 3. (7) 2. Esdr. IV. 2. (8) הנני מאכיל את העם הזה לענה והשקיתים מי ראש (9) Septuag. Ἰδοὺ ἐγὼ ψωμιῶ αὐτοὺς ἀνάγκας, καὶ ποτιῶ αὐτοὺς ὕδωρ χολῆς. (10) Jerem. XLIV. 27. *Consumentur omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus consumantur.* (11) ואל החכמות שלחו Septuag. Καὶ πρὸς τὰς σοφὰς ἀποστείλατε. (12) Homer. Iliad. XXIV. (13) Matt. IX. 23. *Cum vidisset tibicines, & turbam tumultuantem.* (14) כי עלה מות בחלונינו בא בארמנותינו (15) Joel II. 8. 9. (16) Joan. X. 1. (17) Epiphan. hæres. 9. quæ est Samaritanorum. (18) Isai. XXIV. 10. (19) Philo in Flaccum pag. 953.

Vulgata sentiunt, habentque: *Loquere*. Varias admittit Hebræus (1) interpretationes, ex varia punctorum vocalium distributione, & pronunciatione.

℣. 23. NON GLORIETUR SAPIENS IN SAPIENTIA SUA, nisi hujus sapientiæ finis Deus ipse sit, nosque ipsa minimam nostri rationem habere, animos sub immensa Dei potestate demittere, & gloriam nulla in re, præter ipsum, quærere doceat. Quicquid ulterius sapientiæ est, merum inane est ac discrimen. *Ne efferaris sapientia*, inquit ex Ethnicis quidam (2), *neque robore, magnis opibus. Unus Deus est sapiens, potens simul, & omnifariam dives.*

℣. 25. VISITABO SUPER OMNEM QUI HABET CIRCUMCISUM PRÆPUTIUM. Unumquemque Legis meæ violatorem indiscriminatim, circumcisione initiatum, nec ne, puniam. Quamobrem ne vobismetipsis blandiamini futurum, ut flagitia vestra impune abire patiar eo nomine, quod circumcisione, fœderis mei signo, distinguamini. Nonnulli ex Hebræis (3) putant, severissimum a Deo supplicium iis imminere, qui circumcisione olim initiati, illius vestigium abolere conati sunt, inducto iterum præputio (4). At vera loci explicatio est, quam primo dedimus, suadentibus iis etiam quæ sequuntur. Gentes deinceps recensitæ Divini furoris calicem hausere, postquam Jerosolyma eo ebria effecta est. Vide infra xxv. 17. 18. 19. 20. &c.

℣. 26. SUPER ÆGYPTUM, ET SUPER JUDAM, ET SUPER EDOM . . . QUIA OMNES GENTES HABENT PRÆPUTIUM, OMNIS AUTEM DOMUS ISRAEL INCIRCUMCISI SUNT CORDE. Edom, Ægyptus, Moab, Ammon, cæterique solitudinis populi flagitiorum suorum pœnas luent, non secus ac Juda, utrique enim incircumcisi sunt, illi corpore, hi animo. Neque his prodest circumcisio, neque illis nocet, aut eorum culpam auget præputium. Denique, quemadmodum initio diximus, nullum Deo est discrimen circumcisorum, nec ne, ubi flagitia vindictam poscunt. *Visitabo super omnem circumcisum, cum præputio*, inquit Hebræus.

Interpretum plures (5), cum Ægyptios, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Arabesque circumcisione initiatos fuisse censeant, aliam plane, quam nos, sententiam ex Jeremiæ verbis eliciunt. Ajunt minitari Deum, fore ut circumcisos omnes puniat, non secus atque Judæos, cum utrique incircumcisi animo sint; quamobrem nihil esse, cur Judæi circumcisione glorientur, cum aliæ gentes sint, circumcisione initiatæ, Deo, ejus rei causa, nihilo cariores. Veram circumcisionem esse, quæ animi est; cætera nihil prodesse, si hæc absit. At res ipsa, quæ huic sententiæ fundamentum præbet, incertissima est. Circumcisionem, ceu communem gentis ritum, apud alios, præterquam Judæos servatam non fuisse, eamque ortam esse ex Judæis, latissime docuimus (6), neque ardua res est, demonstrare, Jeremiæ ætate, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Ægyptios circumcisione caruisse.

Ezechiel, qui paulo post Jeremiam floruit, Assyrium Regem alloquens, ait (7): *In medio incircumcisorum dormies: ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus.* Igitur Ezechielis ætate communis saltem non erat Ægyptiis circumcisio; minime enim inficiari velim, nonnullos fuisse, qui ea initiarentur. Moabitas vero & Ammonitas circumcisione usos esse, neque Scriptura neque Profani tradunt. Certe ipsi perpetuam cum Judæis simultatem exercuere, neque genus ex Abrahamo ducebant. Quid igitur causæ fuit, ut circumcisionem admitterent? Si illos circumcidi coegissent Judæ vel Israelis Reges, quo tempora imperium in ipsos exercebant, Leges etiam Mosaicas illis imperassent: id quod certe præstitum ab iis minime fuit. Achior Moabita, cujus meminit Liber Judith, sub Manasse vivens, avo Josiæ, quo regnante Jeremias vaticinabatur, circumcisione carebat; at intra Bethuliam admissus, circumcisione initiatus est (8). Circumcisionis initium apud Idumæos recens est, & a Josepho traditur (9), ab Hircano enim Macchabæo superati, circumcisionem cæterosque Judaicos ritus amplecti jussi sunt. Ante id tempus, ea Lege teneri non censebantur, quamvis commune cum Hebræis ex Abrahamo & Isaaco genus ducerent. Quinimo tradit S. Epiphanius (10), Esau, Jacobi fratris odio, omnia circumcisionis vestigia pro viribus a se abstulisse.

Arabes Scenitæ aliique, ita hoc loco descripti, *Qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto*, circumcisionem quovis tempore, quamquam minima religione studioque, coluisse videntur. At cum adulta ætate, & ritu plane incerto vagoque circumciderentur, ab Judæis inter incircumcisos habebantur. Divini cum Abrahamo fœderis signum censeri non poterat eorum circumcisio; cum hoc fœdus in Sinai confirmatum non fuerit, neque Deus Ismaelis aut Esau genus, sed unos Jacobi posteros elegerit, ut suis unius obsequiis addicta gens esset. Vera denique circumcisio ea est, quæ octava ab ortu die, Isaaci exemplo, excipitur. Inter eos, qui tonsa cæsarie utebantur, recenset Jeremias (11) Cedar & Theman, Ismaelis posteros, (12), & Buz, e Nachore natum (13), & *Dedan*, Abrahami & Cethuræ nepotem, per Jecsan (14). Hebræus ad verbum (15): Visitabo *super omnes amputantes angulum*, sive extremum, *habitantes in deserto*. Pro angulis intellige *extrema capillorum*, quos in gyrum tondebant, instar coronæ, circa verticem, quemadmodum fere apud nos viri Sacris Ecclesiæ ministeriis addicti; brevioribus etiam capillis utentes, quam nostra ætate plerique ex Ecclesiasticis hominibus solent: & *extremitatem barbæ*, quam ab aure usque ad mentum radebant, relicto solum barbæ cirro, e mento pendante. Id vero contrarium Hebræis erat, quibus cautum erat Lege (16), *ne exterminarent angulum barbæ*, scilicet, ne tonderent barbam, qua genæ ab aure ad mentum usque vestiuntur (17).

Porro hic ritus barbam capillosque tondendi ex Arabum superstitione orta est; cum enim inter cæteros Bacchum seu Liberum Patrem venerarentur, illius tonsuram imitabantur, cæsis in gyrum illius exemplo capillis, iis præsertim, quibus utraque capitis tempora velabantur (18). Hoc tonsuræ genus Septuaginta nuncupant *zinoen*, nomine prorsus simili Hebrææ voci *bezouzei*, qua hic utitur Jeremias, ut capillos in extremitatibus tonsos significet. Hunc ritum Moyses Hebræis penitus interdicit (19): *Non in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam*; fortasse Arabicæ superstitionis odio, quæ tonsuram profani Numinis obsequio imperabat.

[1] Hieron. hic: *Verbum Hebraicum quod tribus literis scribitur Daleth, Beth, Resch; vocales enim in medio non habent; pro consequentia, & legentis arbitrio si legatur Dabar, sermonem significat: si Deber, mortem: si Daber, loquere, &c.* [2] Phocylides.

Μὴ γαυροῦ σοφίῃ, μήτ' ἀλκῇ, μήτ' ἐνὶ πλούτῳ·
Εἷς Θεός ἐστι σοφός, δυνατός θ' ἅμα, καὶ πολύολβος.

[3] Rabb. in lib. Aruch. [4] Vide quæ hac de re diximus in 1. Macch. 1, 16. & 1. Cor. VII. 18. [5] Theodoret. Hieron. Raban. Dionys. Hugo, Castal. alii. [6] Vide ad Genesim, Dissertationem de origine circumcisionis. [7] Ezech. XXXI. 18. [8] Judith XIV. 6. *Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui.* [9] Joseph. Antiq. lib. 13. c. 17. [10] Epiphan. lib. de ponderib. & mensur. circa medium. [11] Vide Jerem. XV. 23. & XL. 8. 33. [12] Genes. XXV. 13. 15. [13] Vide Job XXXII. 2. [14] Genes. XXV. 1. 3. [15] ועל כל קצוצי פאה הישבים במדבר [16] Levit. XIX. 27. [17] Theodoret. hic. [18] Herodot. lib. 3. cap. 8. [19] Levit. XIX. 27.

CA-

CAPUT X.

Inanis astrorum, & Idolorum cultus. Unus Deus hominum obsequio cultuque dignus. Suprema Dei potestas. Mala quæ Jerosolymæ imminent.

℣. 1. AUdite verbum, quod locutus est Dominus super vos domus Israel. 2. Hæc
dicit Dominus: Juxta vias gentium nolite discere: & a signis cœli nolite
metuere, quæ timent Gentes. 3. Quia leges populorum vanæ sunt: quia lignum de
saltu præcidit opus manus artificis in ascia. 4. Argento, & auro decoravit illud:
clavis, & malleis compegit, ut non dissolvatur. 5. In similitudinem palmæ fabrica-
cata sunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite er-
go timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. 6. Non est similis tui, Do-
mine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. 7. Quis non timebit,
o rex Gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes Gentium, & in uni-
versis regnis eorum nullus est similis tui. 8. Pariter insipientes, & fatui probabun-
tur: doctrina vanitatis eorum lignum est. 9. Argentum involutum de Tharsis affer-
tur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarii: hyacinthus, & purpura
indumentum eorum, opus artificum universa hæc. 10. Dominus autem Deus verus
est: ipse Deus vivens, & rex sempiternus, ab indignatione ejus commovebitur terra:
& non sustinebunt Gentes comminationem ejus. 11. Sic ergo dicetis eis: Dii, qui
cœlos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub cœlo sunt.
12. Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & pruden-
tia sua extendit cœlos. 13. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, &
elevat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluviam facit, & educit ventum
de thesauris suis. 14. Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex
omnis in sculptili: quoniam falsum est, quod conflavit, & non est spiritus in eis.
15. Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt. 16. Non
est his similis pars Jacob: qui enim formavit omnia, ipse est: & Israel virga hæredi-
tatis ejus: Dominus exercituum nomen illi. 17. Congrega de terra confusionem
tuam, quæ habitas in obsidione. 18. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longe pro-
jiciam habitatores terræ in hac vice, & tribulabo eos, ita ut inveniantur. 19. Væ
mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane hæc infir-
mitas mea est, & portabo illam. 20. Tabernaculum meum vastatum est: omnes
funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, & non subsistunt: non est, qui
extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas. 21. Quia stulte egerunt
pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex
eorum dispersus est. 22. Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de ter-
ra Aquilonis: ut ponat civitates Juda in solitudinem, & habitaculum draconum.
23. Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viris est, ut ambulet,
& dirigat gressus suos. 24. Corripe me, Domine: verumtamen in judicio: &
non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. 25. Effunde indignationem
tuam super Gentes, quæ non cognoverunt te; & super provincias, quæ nomen
tuum non invocaverunt: quia comederunt Jacob, & devoraverunt eum, & consum-
pserunt illum, & decus ejus dissipaverunt.

℣. 1. AUDITE VERBUM, QUOD LOCUTUS EST DOMINUS SUPER VOS, DOMUS ISRAEL. Judam arguere pergit Jeremias. In superioris capitis fine monuit, Deum in osores suos, Judæos ne an Ethnicos, circumcisos nec ne, indiscriminatim animadversurum. Hic monere pergit, ut Ethnicorum impietatem ac superstitionem abjiciant, si Divinæ ultioni subduci velint.

℣. 2. JUXTA VIAS GENTIUM NOLITE DISCERE, ET A SIGNIS COELI NOLITE METUERE. Gentium errores, vel Ethnicorum mores ritusque ne discatis, neve astra vereamini, quæ mera signa sunt, in temporum indicium a Deo constituta. *Viæ gentium* sunt religiosi ritus, quos sequenti versiculo *Leges* appellat: *Quia leges populorum vanæ sunt*. Signa Cœli sunt Sol, Luna, Stellæ, quæ Deus rerum initio condidit (1), *ut sint in signa & tempora & dies & annos*. Divinum aliquid in astris esse putabant Ethnici; eaque ceu causas rerum omnium, bonarum malarumque, quæ in terris fiunt, venerabantur. Horum cultus universum fermo Orientem occupaverat, iisque tribuebant efficientem quamdam vim in corpora Cœlo inferiora. His principiis nitebatur Astrologia Judiciaria, & Genethliacorum ars, vetus adeo & communis inter Orientales. *Metuere*, apud Scripturam, fre-

(1) Genes. 1. 14.

frequenter usurpatur pro, supremo cultu venerari (2). *Terror Isaac* est Isaaci Deus (3). Vetat Deus Idola metuere, scilicet adorare.

℣. 4. CLAVIS ET MALLEIS COMPEGIT. Varias simulacri partes simul jungit: vel, aureas & argenteas bracteas clavis malleo fixis ligno junxit. Confer Isaiam (4). Baruchum (5), & Authorem Sapientiæ (6), qui Ethnicorum insaniam, ligneos, lapideos, aureosque & argenteos Deos venerantium irrident. Ipsi interdum Profani inepta hæc numina de ridiculo traducere non metuerunt. Prudentius opportune animadvertit (7), Myronem potius, Phidiam, Polycletum, ipsaque illorum instrumenta aris donari debuisse, quam simulacra, quæ elegantiæ causa colebantur, cum omnis simulacrorum venustas & elegantia ex horum artificum peritia oriretur.

℣. 5. IN SIMILITUDINEM PALMÆ FABRICATA SUNT; inflexa, immobilia, fixa, actione, motuque carentia, ceu palmæ stipites. Profecto palmæ comparatio optime convenit vetustis Ægyptiorum aliarumque gentium simulacris, antequam sculptura recentiorem ea Græcis perfectionem assequeretur. Ante Græcorum Imperium, Orientales his artium generibus non magnopere studebant (8). Simulacra illis erant uno ligni ductu, instar stipitis laborata, pendulis manibus, atque ab utroque latere non separatis, clausis oculis, pedibusque simul junctis; ut palmæ stipiti, quocum ea comparat Jeremias, similia essent. Dædalus, celeberrimus artifex, aliam simulacris formam primus dedit, pedes solvit, patentibus oculis manibusque veluti aliquid agentibus exhibuit. Tradit hoc Diodorus Siculus. Vetustior est Dædalus Jeremia; at ejus artem Judæa, finitimæque Provinciæ nondum noverant, apud quas vetus simulacrorum forma recentissime, scilicet sub Græcis & Romanis desiit.

℣. 7. TUUM EST ENIM DECUS, seu gloria. Hebræum (9) alii aliter reddunt. Chaldæus (10): *Tibi enim est Regnum*, Tu supremus es omnium Princeps. Theodotio, Syrus, pluresque recentiorum Interpretes: *Tuum enim est*, intellige, *timeri*. *Quis non timebit te, o Rex gentium? Tu enim unus vere metuendus es*. Septuaginta omittunt cætera (11) a ℣. 5. usque ad 9. & ℣℣. 10 11, integros non recitant. Ita autem fert illorum versio, (℣. 5.) (12): *Argentum elaboratum est: non gradientur*. (℣. 9.) *argentum est productum* in laminas bracteasque: *aurum* est *Mophaz*, *e Tharsis delatum; opera aurificum, opera artificum omnia hyacintho & purpura induent ea: portata tollentur. Ne timeatis ea, quia non malefacient, & bonum non est in eis*. (℣. 11.) *Sic dicetis eis: Dii qui cælum & terram non fecerunt, dispereant de terra, & de subter cælo*, (℣. 12.) *Dominus, qui fecit terram*, &c.

℣. 8. PARITER INSIPIENTES ET FATUI (esse) PROBABUNTUR: DOCTRINA (argumentum) VANITATIS EORUM LIGNUM EST. Ipsa numinum simulacra contrarium sibi argumentum exhibent. Hebræus (13): *In uno*, vel simul omnes, *insani sunt & fatui: Argumentum insaniæ* eorum *lignum est*, sive traditio vanitatis eorum.

℣. 9. ARGENTUM INVOLUTUM DE THARSIS AFFERETUR. Tharsus ea ætate Urbs erat, apud Orientales negotiatione celebris. Inde argentum optimæ notæ, sive *argentum expansum* in bracteas (14), ut fert Hebræus, vehebatur, quod fortasse artifices peritissimi Tharsi essent, qui arte producendi Argentum in bracteas excellerent.

ET AURUM DE OPHAZ. Demonstrare alibi (15) conati sumus, aurum Ophaz, seu Phaz, sive Uphaz idem esse atque aurum Phisonis apud Moysem.

℣. 10. AB INDIGNATIONE EJUS COMMOVEBITUR TERRA. Dei Majestatem ac vires ex iis, quæ in natura facit, exhibet hic Jeremias. Hæc vero maxime omnium homines movent, terræmotus, tonitru, fulgura, imbrium ventorumque productio, & creatio universi. Hæc porro omnia Dei opus sunt. Quatitur terra, ubi irascitur Deus. *Respicit terram, & facit eam tremere*, inquit Psalmista (16). *Tangit montes, & fumigant*. Tremit tonitru, ubi is loquitur. Micant fulgura, ut imber e nubibus cadat. Ventos carcere claudit, & vinculis coercet. Nubium materiem ab extremis Mundi finibus accersit. Hoc deinceps videbimus, ℣. 13. Ita sentiebant Hebræi de earum rerum ortu, quibus homines terrentur; singulas enim ad Deum ceu ad propriam ipsarum causam, referebant.

℣. 11. SIC ERGO DICETIS EIS: DII QUI COELOS ET TERRAM NON FECERUNT, PEREANT DE TERRA, ET DE HIS QUÆ SUB COELO SUNT. Totus hic ℣. Chaldaice hic legitur, ac veluti intra parenthesim clausus; quippe qui orationis seriem turbat. Animadvertimus in ℣. 7. Septuaginta omisisse ℣℣. 6. 7. 8. 10. At hunc ℣. legunt, qui quoddam formulæ genus est, illis a Jeremia datæ, qua tela adversus Idololatriam muniant, & Idola abominentur, ubi inter Chaldæos fuerint; nisi hæc verba per captivitatem addita esse censeas. Sunt (17) qui putent hæc verba scripta esse a Jeremia, cum Jechonias a Nabuchodonosore traderetur. Nobis tamen magnopere probatur, hæc Vaticinia vetustiora esse anno Josiæ decimo octavo, ob innumera, quæ ante id tempus, in Juda regnaverant, flagitia; quæ deinde post decimum octavum Josiæ annum abolita sunt.

℣. 12. QUI PRÆPARAT ORBEM IN SAPIENTIA SUA; stabilem firmumque suis in fundamentis efficit (18). Frequenter Scriptura terram exhibet columnis innixam, super Abyssos, ceu super firmissima fundamenta constitutis (19).

℣. 13. AD VOCEM SUAM DAT MULTITUDINEM AQUARUM IN COELO. Tonitru apud Scripturam Dei vox appellatur. *Intonuit Dominus fragore magno* (20). Et (21): *Dominus dabit voces & pluvias*. Job (22): *Tonabit Dominus in voce sua mirabiliter*. Denique (23): *Vox Domini super aquas; Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia; Vox Domi-*

(2) Levit. xix. 14. Deut. vi. 13. xiii. 4. Jerem. v. 22 Jon. i. 9. Malach. i. 6. (3) Genes. xxxi. 42. 53. (4) Isai. xli. 7. xliv. 8. 9. (5) Baruc vi. 3. & seq (6) Sap. xiii. 11, 12, &c. (7) Prudent.

Forceps Myronis, Polycleti malleus,
Natura vestrum est, atque origo cælitum;
Miror quod ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum, & aras ipse Phidias habet,
Fabri Deorum, vel parentes numinum!
Qui si caminis institissent segnius,
Cum conderentur gentibus stultis Dei,
Non esset ullus Jupiter conflatilis.

(8) Diodor. Sic. lib. 4. Biblioth. (9) כי לך יאתה (10) דילך היא מלכותא (11) Σοὶ γὰρ πρέπει. (12) Ἀργύριον τορευτόν ἐστιν, οὐ πορεύσονται, ἀργύριον προσβλητόν ἐστι. Ἀπὸ Θαρσεῖς ἥξει χρυσίον Μωφάζ, καὶ χεὶρ χρυσοχόων, ἔργα τεχνιτῶν πάντα, &c. (13) ובאחת יבערו ויכסלו מוסר הבלים עץ הוא (14) כסף מרוקע מתרשיש Vide Exod. xxxix. 3. Num. xvi. 38. 39. Isai. xl. 19. ubi רקע usurpatur pro expandere aurum, argentum, & æs in bracteas. (15) Vide nos in Genesim ii. 12. & Dissertationem de Ophir. (16) Psal. ciii. 32. (17) Chald. Lyr. Rab. Salom. non improbant Maldon. & Castr. Vide Sanct. hic. (18) מכין תבל בחכמתו (19) 1. Paral. xvi. 30. Psal. xxiii. 2. xlvii. 9. lxxiv. 4. xcii. 1. xcvi 10. Jerem. li. 15. (20) 1. Reg. vii. 10. ירעם יהוה בקול גדול (21) 1. Reg. xii. 17. 18. יתן קלות ומטר (22) Job xxxvii. 5. ירעם אל בקולו נפלאות (23) Psal. xxviii. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Domini confringentis Cedros; Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertos; Vox Domini terrentis cervas, & catulos edere facientis. Iisdem locutionibus interdum utuntur Poetæ. Jovem intonuisse scribit Homerus, ut auditas ab eo Nestoris preces significet (1). Ait Jeremias sonante Domini voce ingentem aquarum imbrem e cœlo ruere; plerumque enim imber tonitrua sequitur. Certe tunc editur tonitru, cum nubes super nubem cadit, coactique in nubem vapores, ubi simul pressi incaluerint, in imbrem solvuntur, & in terram ruunt.

ELEVAT NEBULAS AB EXTREMITATIBUS TERRÆ. Exhalationes, quibus compinguntur nubes, e mari potissimum tolluntur. Nubes plerumque e maritimis plagis impelluntur, atque ex ipso maris sinu educi videntur. Similis huic locutio in Psalmis occurrit (2): *Educens nubes ab extremo terræ.* Vide & Job XXXI. 15. 16. 21. & inferius LI. 16.

FULGURA IN PLUVIAM FACIT. Eadem sententia repetitur Capite LI. 16. legiturque in eodem Psalmo, quem mox laudavimus. Verti potest; Fulgura ceu imbris indicia edit (3). Chaldæus: *Fulgura in pluviæ tempus fecit.* Fulgurum causa est exhalationum in nube clausarum inflammatio, cum nubes supra nubem cadens aerem medium magno impetu comprimit. Quamobrem inflammatæ exhalationes fracta nube fugientes, proximi imbris indicia sunt, statim labentis, ubi nubes descendere & scindi cœperint.

EDUCIT VENTUM DE THESAURIS SUIS. Thesaurus appellatur locus quilibet, condendæ alicui rei aptus, veluti auro, argento, tritico, vino, oleo, unguentis, vestibus. Meminit Job (4) *thesaurorum grandinis & nivis*, qui apud Deum sunt: *Numquid ingressus es thesauros nivis, & thesauros grandinis aspexisti?* Simili ferme figura Virgilius Æolum describit, ventos ac procellas vastis in speluncis conditas coercentem (5):

. . . . Vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

℣. 14. STULTUS FACTUS EST OMNIS HOMO A SCIENTIA: Sua unusquisque scientia probro affectus est; vel, sua ipsius scientia unusquisque insaniam suam probavit. Peritissimus simulacrorum & numinum Artifex sua ipsius arte insanus demonstratur; si enim saperet, an hujusmodi Religionis levitatem non agnosceret? Vide supra, ℣. 8. *Doctrina vanitatis eorum lignum est.* Quæ sequuntur, huic explicationi favent. Hæc etiam sententia elici ex hoc loco potest: Stultus inventus est omnis homo absque scientia (6); quod enim ipse agit, insanissimum est, nihil veri, stabilis ac firmi habens: *Quoniam falsum est quod conflavit.* Inutilia sunt ipsius simulacra; atque insani solummodo hominis est, simulacra facere & venerari: (℣. 15.) *Vana sunt & opus risu dignum.*

℣. 17. CONGREGA DE TERRA CONFUSIONEM TUAM, QUÆ HABITAS IN OBSIDIONE. Simulacra tua, æterni probri argumenta, Jerosolymis coge: in urbem tecum accerse, ut illam ab hoste tueantur. Hebræus (7): Filia Sion, *habitans in munita Urbe, congrega de terra mercimonia tua.* Quicquid optimum in tota regione est, Jerosolymam deferri jube: optimas rerum tuarum opes eo coge: inundaturus mox agros tuos hostis, omnia vastabit. Cum bellum imminet, unusquisque in Urbem aliquam munitam fugiens, quicquid cha-

rissimum habet, eo confert. Jam hortatus est populum, ut in principem Regionis urbem confugiat, supra VIII. 14. *Convenite & ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi.* Septuaginta (8): *Collegit substantiam suam, foris positam, ea quæ habitat in Arce.* Romana Editio: *Collegit de foris substantiam tuam, existentem in electa Regione.*

℣. 18. ECCE EGO LONGE PROJICIAM HABITATORES TERRÆ IN HAC VICE, ET TRIBULABO EOS, ITA UT INVENIANTUR, nemo effugiat; ita ut minas meas irritas non esse intelligant. Reddi potest Hebræus (9): *Ecce ego projiciam*, ceu lapidem, *funda habitantes terram hanc, & affligam, ut inveniantur*, omnibus exosi, malis oppressi; vel *ut inveniant*; experiantur, quam gravis sit furor meus; & quem usque ad finem vindictæ meæ severitas sæviat, ubi clementia mea despecta fuerit. Chaldæus: *Ecce ego adducam tribulationem super populum istum, ut recipiant tribulationem peccatorum suorum.* Septuaginta (10): *Ecce ego supplantabo habitatores terræ hujus, in tribulatione, ut inveniantur.* Denique hunc locum ita reddo: Nunc quidem populum meum in alienam regionem projicio, ceu fundibularius lapidem. Tam multis illum malis opprimam, ut me quærere meque invenire cogantur. Invitos in rectam viam, malorum & calamitatum vi, reducam. *Invenire* hoc loco usurpatur pro, quærere. Gravibus adeo ærumnis feriam, ut me quærere demum sollicite studeant. *Quæretis me in captivitate, & invenietis*, inquit per Jeremiam Deus (11). *Cum quæsieritis me in toto corde vestro, & inveniar a vobis, & reducam captivitatem vestram.*

℣. 19. PLANE HÆC INFIRMITAS MEA EST, ET PORTABO ILLAM. Hic denique minarum exitus, quæ tamdiu meis auribus insonuere: demum eversa & ægra jaceo: ferendum igitur est: nullum malis meis remedium.

℣. 20. TABERNACULUM MEUM VASTATUM EST. Urbes meæ, palatia, Templum, ædes tam facile eversa sunt, quam a procella, sive hostium manu tentorium evertitur. Hanc porro calamitatem pastorum insania provocavit: (℣. 21.) *Quia stulte egerunt pastores.* Eadem pergit allegoria: Tentoria mea, pastores mei, illorum grex, &c. Pastores sunt Principes, Reges, Sacerdotes, populi Optimates.

℣. 22. VOX AUDITIONIS DE TERRA AQUILONIS: ingens ab aquilone strepitus: Nabuchodonosor cum ingenti strepitu exercitum ab aquilone in terram Juda ducens. Hoc quod dicere vult, incertum minime relinquit Jeremias: jam enim octies significavit, calamitatem Juda ex aquilone venturam: adfuturum mox cum valido exercitu Imperatorem, universamque regionem inundaturum.

UT PONAT CIVITATES JUDA IN SOLITUDINEM ET HABITACULUM DRACONUM. Hebræa vox *thannim*, quæ vulgo redditur *dracones*, frequenter pro magnis piscibus usurpatur: at hoc loco ægre ita intelligitur. Symmachus vertit *Sirenes*; Septuaginta, *struthiones*. Malo de *anguibus* interpretari, hi enim rudera amant, & loca inculta ac deserta: & apud Hebræos tum pisces tum reptiles eodem in numero habentur. Quamobrem *thannim* dicentur quælibet maximorum reptilium genera, tum quæ humi, cum quæ in aquis vivunt.

℣. 23. SCIO, DOMINE, QUIA NON EST HOMINIS VIA EJUS. Tu, o Deus, omnes hominum vices moderaris: quicquid fit, providentiæ tuæ consilio geri-

G 2

(1) Homer. Iliad. XV. Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, μέγα δ' ἔκτυπε μητίετα Ζεὺς,
Ἀράων ἀΐων Νηληϊάδαο γέροντος.
(2) Psal. CXXXIV. 7. (3) Theodoret. (4) Job XXXVIII. 22. Vide & Psal. CXXXIV. 7. & Jerem. LI. 16. (5) Virgil. Æneid. I. (6) נבער כל אדם מדעת Præpositio מן significare potest privationem, defectum. Genes. XXVII. 39. Psal. CXC. 24. Jerem. XLVIII. 45. Lament. IV. 9 (7) אספי מארץ כנעתך יושבת במצור (8) Συνήγαγεν ἔξωθεν τὴν ὑπόστασιν αὐτῆς κατοικοῦσα ἐν ἐκλεκτοῖς. Edit. Rom. & Theodoret. Συνήγαγεν ἔξωθεν τὴν ὑπόστασίν σου, κατοικοῦσα ἐν ἐκλεκτοῖς. (9) הנני קולע את יושבי הארץ בפעם הזאת: והצרותי להם למען ימצאו (10) Ἰδοὺ ἐγὼ σκελίζω τοὺς κατοικοῦντας τὴν γῆν ταύτην, ἐν θλίψει, ὅπως εὑρεθῇ. Aqu. & Sym. Σφενδονίζω. (11) Jerem. XXIX. 13. 14.

geritur. Quæ æternis decretis tuis semel constituta sunt, prohibere homo non potest. Quamobrem, cum terribile severitatis tuæ pondus sentire nos velis, punito, at infirmitati nostræ parcito: (℣. 24.) *Corripe me, verumtamen in judicio, & non in furore tuo.* Aliter: Scio, o Deus, hominem suis unius viribus relictum ad virtutem duci non posse (1); tuaque ex misericordia habere quidquid ipse boni est aut facit. Theodoretus aliique (2) ita explicant: Novimus, Regem, qui arma nobis infert, te, o Deus, jubente venire, tibique deberi felicem armorum ceptorumque illius exitum: at formidandum hostem averte; quod si supplicium meremur, patris, non judicis more, puniamur.

℣. 24. CORRIPE ME IN JUDICIO, ET NON IN FURORE TUO. Misericordiæ non semper opponitur justitia: imo justitiam hoc loco significat clementia temperatam. Ex æquitatis tuæ legibus in nos animadverte: at iræ ac severitatis æstum ne sequare. Postulat frequenter David (3): *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Quid sit *corripi in judicio*, docet inferius Jeremias (4): *Faciam consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te*, illas penitus delebo: *te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio*; ceu pater sedato animo, iraque amota filium puniens.

℣. 25. EFFUNDE INDIGNATIONEM TUAM SUPER GENTES, QUÆ NON COGNOVERUNT TE. Severissime in eas animadverte; illas penitus abole. Siquos a te graviter cædi necesse est, ut homines in metu contineas, infideles populos, qui te ignorant, potius quam fideles electamque gentem ferito. Tuæ quodammodo gloriæ est, hos servari; cui nullum discrimen est, si cæteræ aboleantur. Quam gravis futura est infirmis dubitandi occasio, si impios atque infideles rebus prosperis impune uti viderint, obrutis malorum procella iis, qui de tuo nomine appellantur? Si quod vitium in populo tuo est, aliqua semper conversionis spes superest: si vero infidelibus parcis, hi multo audaciores sint ac duriores. Proximi igitur malum non optat Propheta, sed neminem, si fieri queat, terribili Omnipotentis iræ obnoxium esse: quod si divinæ gloriæ causa opus est, Divinam iram interdum sævire, postulat, ut in alienos potius quam in Dei populum serveat; modo par utrinque ratio sit, & infidelium flagitia criminibus fidelium non superentur; & hi pervicaciores illis non sint; secus enim neque justa neque innoxia forent desideria. Vide Psalmum LXXVIII. 6.

(1) Hieron. hic: *Erubescant novi prædicatores, qui ajunt, unumquemque suo arbitrio regi.* Et in Cap. IX. 23. *Ubi sunt qui dicunt hominem proprio regi posse arbitrio, & sic datam liberi arbitrii potestatem, ut Dei misericordia tollatur, atque justitia.* (2) Vatab. Sanct. Menoch. Grot. (3) Psalm. VI. 1. & XXXVII. 2. (4) Jerem. XXX. 11.

C A P U T XI.

Fœdus a Deo initum cum populo. Supplicia in fœderis violatores. Judæorum pervicacia & idololatria. Mala populi consilia in Jeremiam. Minæ in Anathothitas, Jeremiam prohibere conantes, ne publicas conciones habeat.

℣. 1. VErbum, quod factum est a Domino ad Jeremiam, dicens: 2. Audite verba pacti hujus, & loquimini ad viros Juda, & ad habitatores Jerusalem,
3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, 4. Quod præcepi patribus vestris, in die, qua eduxi eos
de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, & facite omnia,
quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. 5. Ut
suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris, daturum me eis terram fluentem
lacte, & melle, sicut est dies hæc. Et respondi, & dixi: Amen, Domine. 6. Et
dixit Dominus ad me: Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, & foris Jerusalem, dicens: Audite verba pacti hujus, & facite illa: 7. Quia contestans contestatus sum patres vestros, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, usque ad diem
hanc: mane consurgens contestatus sum, & dixi: Audite vocem meam. 8. Et non
audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt, unusquisque in pravitate cordis sui mali: & induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi, ut facerent, & non fecerunt. 9. Et dixit Dominus ad me: Inventa est conjuratio in viris
Juda, & in habitatoribus Jerusalem. 10. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum
priores, qui noluerunt audire verba mea: & hi ergo abierunt post deos alienos, ut
servirent eis: irritum fecerunt domus Israel, & domus Juda pactum meum, quod
pepigi cum patribus eorum. 11. Quam ob rem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me, & non
exaudiam eos. 12. Et ibunt civitates Juda, & habitatores Jerusalem, & clamabunt
ad deos, quibus libant, & non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. 13. Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui Juda: & secundum numerum viarum Jerusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim. 14. Tu
ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem, & orationem: quia
non

non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. 15. Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? numquid carnes ſanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? 16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta ejus. 17. Et Dominus exercituum, qui plantavit te, locutus eſt ſuper te malum, pro malis domus Iſrael, & domus Juda, quæ fecerunt ſibi ad irritandum me, libantes Baalim. 18. Tu autem, Domine, demonſtraſti mihi, & cognovi: tunc oſtendiſti mihi ſtudia eorum. 19. Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. 20. Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juſte, & probas renes, & corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi cauſam meam. 21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, ut non morieris in manibus noſtris. 22. Propterea hæc dicit Dominus exercituum. Ecce ego viſitabo ſuper eos: juvenes morientur in gladio, filii eorum, & filiæ eorum morientur in fame. 23. Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum ſuper viros Anathoth, annum viſitationis eorum.

℣. 1. VERBUM QUOD FACTUM EST A DOMINO AD JEREMIAM. Haberi poteſt hæc concio ceu pars ſuperioris, quam Propheta in Templi aditu ad populum habuit (1). Id hoc loco innuitur, ℣. 15. Vel, Jeremiam allocutus eſt Deus, quo tempore Joſias populum in Templo Jeroſolymæ coegit, ut fœdus cum Domino inſtauraret (2).

℣. 3. MALEDICTUS VIR QUI NON AUDIERIT VERBA PACTI HUJUS. Imperat Jeremiæ Deus, ut Judæ populum alloquatur, ac fœdus a patribus cum Domino inſtitutum per Moyſen in deſerto, in memoriam revocet. Pronunciatas olim a Moyſe in eos, qui datam ſponte fœderi fidem violarent, minas diraſque renovat (3).

℣. 4. DE FORNACE FERREA, Ægypto; fornace, ubi ferrum liquatur, ſive ferrum fabri opera candens fit. Ægyptum cum fornace, populum cum metallo in fornace liquato comparat. Vivida comparatio eſt, & in aliis Scripturæ locis uſurpata (4).

℣. 5. ET DIXI: AMEN, DOMINE. Væ iis, qui imperiis tuis non obtemperant; quibus, niſi reſipiſcant, omnia dirarum genera tuo nomine imprecor. Sive: *Amen Domine*: vere quæ pollicitus es, Domine, placitiſſime implevisti. Aliter: Fiat: Voces tuas audiat populus, tuaque juſſa exequatur.

℣. 6. VOCIFERARE IN CIVITATIBUS JUDA, ET FORIS JERUSALEM. Hebræus (5): *Lege*, ſeu vociferare, *omnia verba hæc in civitatibus Juda, & in plateis Jeruſalem*. Quæ verba ita intelligi poſſunt: Lege, ſeu palam prædica, quæ mox ubi dixi in Templi foribus, quo omnes Urbium Juda Cives conveniunt. Ea in compitis foriſque Jeroſolymæ pro concione eloquere, ne quis ignoret.

℣. 7. QUIA CONTESTATUS SUM . . . . . MANE CONSURGENS, ſcilicet magna feſtinatione. Vide ſuperius VII. 13. Verſiculos 7. & 8. non legunt Septuaginta.

℣. 8. INDUXI SUPER EOS OMNIA VERBA PACTI HUJUS. Profecto a Moyſe ad captivitatem uſque Babylonicam, quid porro eſt univerſa Judæorum hiſtoria, niſi continua illorum infidelitatis, ſeditionis, idololatriæ, Divinæque in illos ultionis narratio, bello, captivitate, ſterilitate, & quolibet malorum genere ſævientis? Hebræus reddi poteſt in futuro (6): *Et inducam ſuper eos omnia verba pacti hujus*; ſcilicet, mala omnia, quæ minitatus ſum, ubi fœdus meum violaverint: quæ quidem explicatio multo æquiſſima videtur.

℣. 9. INVENTA EST CONJURATIO IN VIRIS JUDA. Simul conſpiravere, ut a cultu meo diſcedant: collatis ſuffragiis, communique conſenſu, & uno ſtudio in hanc rem conjuravere (7). Septuaginta (8): *Inventa eſt colligatio in viris Juda*: impia in malum conſpiratione conjuncti ſunt.

℣. 11. CLAMABUNT AD ME, ET NON EXAUDIAM EOS. Diu malis opprimi eos patiar, antequam vindicem in libertatem. Clamabunt diu, antequam exaudiam. Homines ſincero fervidoque animo ſupplicantes audire, nunquam non paratus eſt Deus: at ubi diu ipſe neglectus fuerit, diu rogari ſe patitur. Neque idcirco animis deſpondendum eſt, aut imitandum Saulis exemplum, Sagam fœminam ac Diabolum vocantis, ubi ſeſe a Deo non exaudiri ſenſit (9); aut Judæorum, qui calamitatibus oppreſſi, inanibus numinibus ſupplicavere: [℣. 12.] *Et clamabant ad Deos ſuos, & non ſalvabunt eos*.

℣. 13. SECUNDUM NUMERUM CIVITATUM TUARUM ERANT DII TUI, JUDA; ET SECUNDUM NUMERUM VIARUM JERUSALEM, POSUISTI ARAS CONFUSIONIS. Veriſſime profecto dici poteſt, ſuos fuiſſe ſingulis urbibus Juda Deos, ſuaſque ſingulis Jeroſolymæ compitis aras, non quod peculiare unicuique Numen eſſet, cæterarum Diis diverſum, ſed quod nulla urbs impio cultu vacaret. Cum Jeroſolyma univerſa idololatriam ſequeretur, nulla erat via, nullaque fortaſſe domus, cui familiares Dii non eſſent; ſinguliſque Kalendis altaria Lunæ bonæque Fortunæ in triviis erigebantur, uti ex Iſaia diſcimus (10), & ſuperius innuit Jeremias (11).

Aræ confuſionis ſunt altaria Diis erecta. Profanos Deos de nomine appellare Prophetæ renuunt vel contemptu vel horrore; ſed eorum loco ſubjiciunt *confuſionem*. Id paſſim animadvertere licet (12).

(1) Vide ſupra VII. 2. (2) 2. Paral. XXXIV. 29. 31. (3) Levit. XXVI. 14. & ſequ. Deuter. XXVII. 15. & ſeq. XXVIII. 16. 17. & ſequ. (4) Deut. IV. 20. & 3. Reg. VIII. 51. (5) קרא את כל הדברים האלה בערי יהודה ובחוצות ירושלים 70. Ἀνάγνωθι τοὺς λόγους τούτους ἐν πόλεσιν Ἰούδα, καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλήμ. (6) ואביא עליהם את כל דברי הברית הזאת (7) Hieron. hic. *Conjuratio. Hoc verbo Scriptura abutitur, quando non ſubito ſortuitoque peccatur, ſed paratis inſidiis & conjuratione tenditur ad delictum, & pari mente, unoque ſtudio id agunt, ut Dei mandata contemnant.* (8) Heb. קשר Septuag. Aqu. Theodot. Σύνδεσμος. (9) *Per quæ diſcimus, etiamſi Dominus non exaudierit, nequaquam eſſe ceſſandum, nec confugiendum ad Dæmones, qui cultores ſuos adjuvare non poſſunt, &c.* Hieron. hic. (10) Iſai. LXV. 11. Vide & Ezech. XVI. 25. (11) Jerem. VII. 18. & infra XLIV. 17. 18. (12) Vide quæ animadvertimus in Jerem. III. 24.

℣. 14. TU ERGO NOLI ORARE PRO POPULO HOC, Vide quæ diximus supra VII. 16. in similem locutionem.

℣. 15. QUID EST, QUOD DILECTUS MEUS IN DOMO MEA FECIT SCELERA MULTA? Hebræus & Septuaginta fœmineo genere legunt (1): *Cur dilecta mea in domo mea fecit abominationem? Ingens numerus, & caro sancta transire facient eas a te? Cum male egisti, tunc elevaris*. Septuaginta (2): *Quid dilecta in domo mea fecit abominationem? Numquid vota & carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, aut istas effugies?* Chaldæus: *Quid est populo huic, qui erat dilectus coram me? reliquerunt cultum domus sanctuarii mei: inierunt consilium ad peccandum multum: commiscent carnem abominationum cum carne sanctificata: migrabunt a te: propter malitiam tuam tunc eras fortis*. Queritur ita de populo Deus. Putabat Judas, postquam innumeris sese flagitiis polluit, satis purgari, si vel ad Templum accederet, vel particeps sacrificiorum fieret. Hac superbia ducti gloriabantur (3): *Templum Domini, Templum Domini est*, cum illius honorem pessimo vitæ instituto læderent, ipsumque in latronum speluncam converterent.

℣. 16. OLIVAM UBEREM VOCAVIT DOMINUS NOMEN TUUM: AD VOCEM LOQUELÆ, GRANDIS EXARSIT IN EA IGNIS. Olea ingens ac pulcherrima eras: at tonitru cum fulmine junctum te in cineres redegit. Docuimus supra X. 13. Dei vocem frequenter pro tonitru poni. Id porro tonitru tribuitur, quod fulminis est; nunquam enim fulmen sine tonitru ferit. Pulcrior utiliorque olea Hebræis arbor non erat; quamobrem comparatio nobilissima hoc loco est.

℣. 18. TU AUTEM, DOMINE, DEMONSTRASTI MIHI. Ecclesiarum omnium consensu, inquit S. Hieronymus, his verbis & iis quæ sequuntur, Jesus Christus ejusque cruciatus spectantur. Ipse sceleratorum consiliorum scopus est; ipse vere agnus mitissimus; ipse demum in Crucis ligno suspenditur. Hujus figura est Jeremias (4), malis obrui a suis hic incipiens, Divinumque exemplar: Christum scilicet, qui sese virum dolorum, & quolibet infirmitatum genere probatum dixit, suis ipsius ærumnis exhibere. Septuaginta (5): *Domine, notum fac mihi, cognoscam. Tunc vidi studia eorum*. Hæc verba argumento sunt, uti animadvertit Theodoretus (6), aliud hic spectari, quam Jeremiæ cruciatus: *Non enim opus erat revelatione, ut videret quæ tunc gerebantur; in ipsum quippe fiebant. At revelatio futuras res ostendebat*. Messiæ cruciatus, a suis ceu figura exhibitos, intuebatur. Mala Judæorum in se consilia intelligebat, simulque ea exprimebat, quæ Christus ab iis passurus erat.

℣. 19. EGO QUASI AGNUS MANSUETUS, QUI PORTATUR AD VICTIMAM. Hebræus (7): *Et ego quasi agnus cicur* (sive, ceu agnus edoctus, seu cæteros ducens) *qui portatur ad laniénam*. Solent adhuc Arabes, cicures agnos domi alere, qui dominis blandientes, ipsos sequuntur, capiuntque ex illorum manibus cibos, atque instar liberorum in familia nutriuntur (8). Morem hunc spectabat Nathan cum diceret, locupletis cujusdam injuria ablatam esse pauperi cicurem ovem, in illius gremio cubantem, atque ex ipsa illius mensa eodemque calice cibos potumque capientem (9). Hujus ingenii agnus, Domini manibus tractari, palpari ac deferri assuetus, nihil reluctans, tranquilloque animo sese ad laniénam duci patietur.

MITTAMUS LIGNUM IN PANEM EJUS ET ERADAMUS EUM DE TERRA VIVENTIUM. Lethiferum ac venenosum lignum, seu radicem cibis Jeremiæ misceamus, ut pereat. Hebræus ad Verbum (10): *Corrumpamus lignum in pane ejus, & deleamus eum de terra viventium*. Mortiferum lignum, vel arborem in illius pane comminutam misceamus, ut lethalis illi sit. Vel, servata agni metaphora: Lethiferæ arboris frondes comedendas illi exhibeamus, misceamusque illius cibo herbas plantasque virulentas, quibus necetur. Hebraica Phrasis, *Corrumpamus lignum in pane ejus*, ita reddi potest: Lethiferum vitiatumque lignum illius cibo misceamus. Varia sunt arborum, herbarumque genera, cum hominibus, tum brutis noxia, quemadmodum quotidiana docet experientia. Hæc interpretatio maxime simplex videtur (11).

Aliter: Fustis ictus pro pane illi exhibeamus. Dicimus interdum: quid sapiat fustis meus, sciat faxo: fuste donatus est. Lignum pro fuste, sive pro hastæ manubrio usurpari, maxime pronum est. Ludovicus de Dieu ita reddit, ut cum nostra explicatione congruat: *Frangamus lignum in carne ejus*; animadvertit hic, hebræam vocem, quæ vulgo redditur panis, ceu cibus, pro carne etiam usurpari (12). Mutatis in Hebræo vocalibus punctis (13), legi potest: *Frangamus illi panem doloris*. Frangere panem, familiaris est Judæorum locutio, pro, panem comedere, sive alteri exhibere. Vulgaris etiam inter Hebræos phrasis erat, panis doloris, pro laboribus & ærumnis. Pane lacrymarum sese a Deo ali, cecinit David (14). Jubet Israelis Rex, Michæam Prophetam *sustentari pane tribulationis & aqua angustiæ* (15). Alteram huic loco aptissimam explicationem accommodat Glassius: *Corrumpamus lignum in pane ejus*, scilicet; *corrumpamus panem ejus in ligno ipsius*, in mactra, ubi panem subigit. Apud Arabes; recens quotidie panis subigitur, atque in vase quodam, gestatorio alveolo simili, pinsitur. Neque nova videri debet perversa locutionis sintaxis, *Corrumpamus lignum in pane ejus*, pro, *corrumpamus panem in ligneo alveo illius*; similium enim exempla passim occurrunt in Scriptura.

Locum hunc Patres (16) de Christo in Cruce suspenso interpretantur. Dixere Judæi: *Mittamus lignum in panem ejus*; affigamus ligno corpus ejus, de quo dicitur, *Hic est panis de Cælo descendens*; in Crucis ligno suspendamus, ipsumque e viventium regione avellamus. At hæc explicatio minime haberi potest inter literales.

℣. 20. VIDEAM ULTIONEM TUAM EX EIS. Illos me præsente puni: Judæorum iniquitatem, pertinaciam, animumque disciplinæ impatientem merito supplicio affectum videam, tuamque Justitiam, plane vindicatam. In eos tantummodo loquitur, qui pertinaces futuri erant, inquit S. Hieronymus. Fratrum calamitatem ipse quidem non optat; sed illos a Deo puniri cupit, ut convertantur, vel solummodo ea quæ illis eventura erant, vaticinatur.

℣. 21.

[1] מה לידידי בביתי עשותה המזמתה : הרבים ובשר קדש יעברו מעליך : כי רעתכי אז תעלזי [2] Septuag. Τί ἡ ἠγαπημένη ἐν τῷ οἴκῳ μου ἐποίησε βδέλυγμα; Μὴ εὐχαὶ καὶ κρέα ἅγια ἀφελοῦσιν ἀπὸ σοῦ τὰς κακίας σου, ἢ τούτοις διαφεύξῃ. [3] Jerem. VII. 1. [4] Hieron. hic. *Ut autem nos omni interpretationis molestia liberemus, illam sequamur regulam; quod omnes Prophetæ in typum Domini salvatoris pleraque gesserint, & quicquid juxta præsens tempus completum sit a Jeremia, hoc in futurum de Domino prophetari*. [5] Κύριε, γνώρισόν μοι, καὶ γνώσομαι. Τότε εἶδον τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν. [6] Οὐκ ἀποκαλύψεως ἐδεῖτο εἰς τὸ ἰδεῖν τὰ τότε γινόμενα. Εἰς αὐτὸν γὰρ ἐγίνετο. Ἀλλ' ἡ ἀποκάλυψις ἐδήλου τὰ ἐσόμενα. [7] ואני ככבש אלוף יובל לטבוח Septuag. Ὡς ἀρνίον ἄκακον. [8] Bochart. de anim. sacr. t. 1. lib. 2. cap. 46. [9] 2. Reg. XII. 3. [10] נשחיתה עץ בלחמו ונכרתנו מארץ חיים [11] Ita fere Chald. Grot. Sanct. [12] Vide Job VI. 7. Levit. III. 11. & XXI. 8. [13] נשחיתה עצב לחמו [14] Psal. LXXIX. 6. [15] 3. Reg. XXII. 27. [16] Tertull. contra Jud. cap. 12. Cyprian. lib. 2. c. 15. advers. Judæos; Lactant. lib. 4 Divin. Instit. cap. 18. Gregor. Moral. lib. 3. c. 12. Hieron. & Theodoret. & D. Thom. hic.

℣. 21. Hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, Jeremiæ fratris sui civisque necem quærentes. Satis probat hic locus, recitato mox vaticinio Jeremiam proprio ac directo sensu spectari; quo tamen minime fit, quin de Jesu Christo, sublimiori, sed apto luculentoque sensu explicetur.

CAPUT XII.

Miratur Propheta, impiorum fortunam intuens. Arcana Dei consilia in populum. Supplicii in populum exerciti ratio. Populi denique miserebitur, suaque ultionis æstum in hostes convertet, Judæ, populorumque ab hostibus oppressorum conversio & reditus.

℣. 1. JUstus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen justâ loquar
ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævari-
cantur, & inique agunt? 2. Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & fa-
ciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. 3. Et tu, Do-
mine, nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum: congrega eos quasi gre-
gem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis. 4. Usquequo lugebit terra, &
herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea? consumptum
est animal, & volucre, quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra. 5. Si cum
peditibus currens laborasti; quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in
terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis? 6. Nam & fratres tui,
& domus patris tui etiam ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt post te ple-
na voce: ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona. 7. Reliqui domum meam,
dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.
8. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo
odivi eam. 9. Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per
totum? venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. 10.
Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt
portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. 11. Posuerunt eam in dissi-
pationem, luxitque super me: desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est,
qui recogitet corde: 12. Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius
Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus: non est pax universæ
carni. 13. Seminaverunt triticum, & spinas messuerunt: hæreditatem acceperunt, &
non eis proderit: confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini.
14. Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæredi-
tatem, quam distribui populo meo Israel: Ecce ego evellam eos de terra sua, &
domum Juda evellam de medio eorum. 15. Et cum evulsero eos, convertar, &
miserebor eorum; & reducam eos, virum ad hæreditatem suam, & virum in
terram suam. 16. Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in
nomine meo: Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal:
ædificabuntur in medio populi mei. 17. Quod si non audierint, evellam gentem il-
lam evulsione, & perditione, ait Dominus.

℣. 1. JUstus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Non eo tecum disputo, quod te justum esse ignorem, Vel: Optime novi, o Deus, te infinite justum esse: idque fieri nequit, quin apertissime intelligam, si tecum certare aggrediar. Meæ tamen causæ argumenta tibi proponere non verebor: *Verumtamen justa loquar ad te*; vel, ex Hebræo (1): *Verumtamen judicium loquar ad te*; te quodammodo in jus vocabo, tuæque in impios indulgentiæ rationem exposcere non dubitabo, Hoc dolebat Jeremias, quod populus Juda, quamvis innumeris sceleribus implicitus, quod Reges, principes, Optimates, Sacerdotes, falsique Prophetæ, quadam prosperitatis specie fruerentur, bonisque affluerent; Jeremia ejusque asseclis inter minas, injurias, & omnium odia versantibus. Hæc e superiori Capite sequuntur, ubi Anathothitas, quorum præsertim erat Jeremiam tueri, necem illi venenocædemque minitantes vidimus. His igitur discriminibus malisque servi sui probandi erant, impiis quietam bonisque omnibus uberem vitam agentibus? Istud ne justi sapientisque Numinis institutum est? Idem piissimorum cujuslibet ætatis hominum dolor, ac Jeremiæ fuit (2); ac profecto mediocrem infirmamque virtutem nihil facilius quatit, quam præsens impiorum felicitas, cum ærumnis comparata, quibus obnoxii sunt boni. Septuaginta (3), *Justus es, Domine, quoniam sermone me defendam apud te*. Chaldæus: *Justior es, Domine, quam ut contendam ante verbum tuum: verumtamen interrogationem judicii ego interrogo a facie tua*.

℣. 2.

[1] צדיק אתה יהוה כי אריב אליך אך משפטים אדבר אתך

[2] Psalm. LXXII, 3. 4. Habac. 1. 13. 14.

[3] Δίκαιος εἶ, κύριε, ὅτι ἀπολογήσομαι πρὸς σέ.

℣. 2. PROFICIUNT, ET FACIUNT FRUCTUM. Septuaginta (1): *Filios fecerunt, & fecerunt fructum.* Hebræus (2): *Iverunt, etiam fecerunt fructum.*

PROPE ES TU ORI EORUM, ET LONGE A RENIBUS. Te assidue ore versant; at animus longe abs te abest. Hoc exprobravere Judæis Isaias (3), & Christus (4): *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

℣. 3. CONGREGA EOS QUASI GREGEM AD VICTIMAM, ET SANCTIFICA EOS IN DIEM OCCISIONIS (5), eos para in diem, qua jugulandi sunt. Apud Hebræos, sanctificare plerumque est solummodo præparare. Septuaginta (6): *Purifica eos*, &c. Verba Dei sunt, Jeremiæ querelis respondentis, jubentisque impios congregare, ceu gregem lanienæ destinatum. Hebræus (7): *Evelle eos sicut pecus ad jugulationem*, laniénæ destinatum. Faciant, se altili pecudi similes esse, quæ e præsepi vel a pascuis denique abigitur, ut juguletur. Frequentissime Deus Prophetas id agere jubet, quod imperat ut vaticinentur. Hæ loquendi formulæ rem acrius exhibent, implendamque vaticinii fidem multo certius demonstrant: Interfice, immola, evelle, pro, interficiendos, jugulandos, vi auferendos fore, meo nomine prædicito.

℣. 4. USQUEQUO LUGEBIT TERRA? Quereris, Jeremia, me de impiorum supplicio minime cogitare. Unde igitur assidui clamores, quos audio, vocesque miserabiles Judæ, totius Regionis sterilitatem squalloremque plorantis? Nonne ea est perspicua incolarum pœna, *Propter malitiam habitantium in ea*, ac luculentissimum Providentiæ meæ argumentum? Sterilitatis hujus meminere Capita XIV. 4. & VIII. 13.

CONSUMPTUM EST ANIMAL ET VOLUCRE, ob agrorum sterilitatem, & raritatem incolarum.

QUONIAM DIXERUNT: NON VIDEBIT DEUS NOVISSIMA NOSTRA, qui futurus sit vitæ nostræ exitus: vel, nostra non curat. Nostris vicibus, nostraque sorte aut fine minime tangitur. Dignam Epicuræo sententiam. Sive: Quæ nobis imminent, ignorat Deus; omnia enim casu reguntur. Quicquid fit, ex eo non pendet. En pessimas populi cogitationes. At ego manus meæ vires agnoscere, meamque opem implorare illos coegi. *Usquequo lugebit terra?* &c.

℣. 5. SI CUM PEDITIBUS CURRENS LABORASTI, QUOMODO CONTENDERE POTERIS CUM EQUIS? Proverbii & parabolæ genus. Te frequenter cecidere Philisthini, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, quin resistere illis posses: quibus igitur viribus resistes Chaldæis, quorum vires multo majores sunt ac validiores? Illi peditatu solummodo pollebant: hi equitatu & curribus valent (8).

CUM AUTEM IN TERRA PACIS SECURUS FUERIS, QUID FACIES IN SUPERBIA JORDANIS, ubi Jordanes inundaverit? Te in patria securum putas: quid vero ages, ubi Chaldæorum exercitus, finitimorum tuorum armis auctus, Judæam occupaverit? Exercituum irruptionem alluvionis nomine frequenter designat Scriptura (9), Nabuchodonosoris copias sub Euphratis imagine describit, vorticibus fluctibusque omnia obruentis (10). Hic vero Jordanis alluvione significari potissimum arbitror Ammonitas, Madianitas, Moabitas, Arabes, quos Jordanes a Judæa separabat. Hi certe arma Chaldæis junxere, cum Judæi bello peterentur, ut inferius ostendemus. Ita igitur colligit Jeremias: Si tuo te flumine satis tutum putas, quo adversus finitimorum vires defenderis, quid acturus es, ubi te illi invaserint eo impetu, quo Jordanes agros, cum tumente alveo aggeres superat (11)?

℣. 6. NAM ET FRATRES TUI . . . PUGNAVERUNT ADVERSUM TE. Idumæi & Israelitæ, communem tecum patrem sortiti Abrahamum; Moabitæ & Ammonitæ, ex Loth, Abrahami nepote, sati, ad Nabuchodonosoris copias accedent, te armis petituri, o Juda & Jerosolyma. Harum gentium adventum Jordanis alluvione significat; earumque molimina & nequitiam in Judæos luculentissime describunt Prophetæ, Idumæorum quidem, Jeremias (12) & Psalmista (13); quos etiam sævitiæ in Judæos exercitæ pœnas dedisse, discimus ex Abdia (14) cæterisque Prophetis. Ammonitæ vero & Moabitæ, assiduis in Judæos simultatibus celebres, hac oblata opportunitate, hostiles animos luculentissime prodere non neglexere. Godolias (15), quem Chaldæi relictis in Judæa populi reliquiis præfecere (16), Regis Ammonitarum arte necatus est. Ipsi denique Judæi arma in patriam convertêre. Jeremiæ suadenti, ut Chaldæis Jerosolymam obsidentibus sese dederet, Sedecias ingenue fassus est (17): *Sollicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Godoliam ipsum e transfugarum numero fuisse putant Hebræi, provincia Judæa donatum, postquam ea capta est, ob præstitam Chaldæis opem in patriæ excidium. Necato Godolia, quam multi ex Judæis arma in fratres cepere, ut Godoliæ necem ulciscerentur (18)?

NE CREDAS EIS, CUM LOCUTI FUERINT TIBI BONA. Docet Jeremias (19), missos fuisse a Regibus Edom, Moab, Ammonis, Tyri & Sidonis ad Sedeciam Legatos, quibus illum ad arma in Nabuchodonosorem, communem hostium hostem, simul jungenda sollicitarent. Malam earum gentium fidem prævidens Deus, populum monet, ne inanibus illarum pollicitationibus, lenibusque orationibus credat. Terga vertent, ubi te bello implicitum viderint. Res vaticinium secuta est. Sedecias perfidis Regibus facile credidit, ac veniente in Judæam Nabuchodonosore, illi nedum fœderatis Judæis opem ferre neglexerunt, verum etiam arma junxere Chaldæis, quo facilius Jerosolyma caderet, ac universus Juda aboleretur.

℣. 7. RELIQUI DOMUM MEAM, DIMISI HÆREDITATEM MEAM. Pergit Jeremiam alloqui Deus, ut sese populi sui criminum non oblivisci, neque suum unicuique jus reddere a se negligi doceat. Templum meum destitui; Judam causa flagitiorum ipsius abjeci; populum, olim charissimum, regionem beneficiis ornatissimam in Chaldæorum potestatem dedi: *Dedi dilectam meam in manu inimicorum ejus.* De re futura ceu de præterita loquitur, quippe jam decreta & certissime constituta.

℣. 8. FACTA EST HÆREDITAS MEA QUASI LEO IN SILVA. Descivit Judas; ceu leo rugiit, extremasque in injurias ruit: quamobrem feræ loco illum habeo, abominor, aversor. Itaque ne ulterius querare, me scelera impune pati, impiosque hominum felicissimos ferre.

℣. 9. NUMQUID AVIS DISCOLOR HÆREDITAS MEA MIHI? NUMQUID AVIS TINCTA PER TOTUM? Nonne ita mihi erat Judas, ceu avis jucundo plumarum ornamento nitens? Num idcirco non punii, cum leges meas violaret? Nonne feris discerpen-

[1] Ἐτεκνοποίησαν, καὶ ἐποίησαν καρπόν. [2] ילכו גם עשו פרי. [3] Isai. XXIX. 13. [4] Matt. XV. 8. Marc. VII. 7. [5] הקדשם ליום הרגה [6] Septuag. Ἅγνισον αὐτοὺς εἰς ἡμέραν σφαγῆς αὐτῶν. Theodoret. hic: Τὸ ἅγνισον, ἀντὶ τοῦ ἀφόρισον, λέγει. Ἀφορίζει γὰρ αὐτὸ, ὃ ἁγιάζεσθαι βούλεται. διὸ καὶ ὁ Σύρος, ἀφόρισον, ἀντὶ τοῦ ἅγνισον, τέθεικε. [7] התקם כצאן לטבחה [8] Theodoret. & Hieronym. [9] Isai. VIII. 7. Jerem. XLVI. 7. Dan. XI. 10. Ezech. XXVI. 10. [10] Jerem. II. 18. XLVI. 7. Isai. I. X. [11] Vide Sanct. II. 16. [12] Jerem. XXV. 11, 12. 21. 22. Thren. IV. 21. 22. & Jerem. XLIX. 7. 8. [13] Psal. CXXXVI. 7. [14] Abdias ℣. 11. 12. 13. 14. [15] Jerem. XL. 14. [16] Vide Jerem. XL. 11. 12. & XLI. 1. 2. &c. [17] Jerem. XXXVIII. 19. [18] 4. Reg. XXV. 23. 25. [19] Jerem. XXVII. 3. & seq.

pendum exhibui? *Venite*, ajebam, *congregamini*, *omnes bestiæ terræ*, *properate ad devorandum*. Hebræus reddi potest (1): *Nonne avis est tincta*, versicolor, hæreditas mea mihi? *nonne avis clausa*, intra caveam nutrita, vel avis undique cincta, & ab aucupe capta? Nonne populum meum hactenus in deliciis habui, ceu avem jucundo ac pulcherrimo plumarum apparatu distinctam, quæ intra caveam ali solet? At versis jam studiis illam aversor; eumque manus illa meas effugesit, falsam libertatem secutura, ferarum prædam relinquo.

Septuaginta (2): *An spelunca hyænæ hæreditas mea mihi effecta est*, *aut spelunca illam undique ambiens? Venite, congregate omnes bestias agri*, *&c.* Hyæna similis forma lupo est (3), sed statura minor. Villos habet lupi similes, at magis hispidos, & idenridem nigris maculis ampliuribus distinctos. Collo caret, capite cum vertebris, seu dorsi spina juncto, ut totum simul corpus convertere cogatur, si retro aspicere velit. Sævissima est bestia, & maxime cruenta. Cadavera e tumulis eruta in speluncam trahit. Continuo pro dentibus osse utitur. Humanas voces imitari, eaque arte viatores fallere dicitur. Septuaginta Interpretibus favens Bochartus (4), hoc loco Ieremiam agere de hyæna arbitratur. Quamobrem ita Hebræum reddit: *An igitur est fera rapax variegata* [Hyæna] *hæreditas mea erga me? An est fera rapax circumquaque super eam? Ite, congregamini, omnes agri bestiæ, venite ad vorandum*. Putat vero, Hebræum vocem *aith*, quæ vulgo redditur avis, quodlibet ferarum genus universe significare; ac profecto locos nonnullos secitat (5), apud quos latissime patet hujus vocis significatio, Tullerus reddit (6): *Avis rapax & carnivora*, prædatria, ceteras aves vorans. Chaldeus: *Sicut avis quæ dispersa est*, ab aucupe acta, *sic dispersa est hæreditas mea coram me: & sicut avis quæ volat, sic congregabantur contram eam bestiæ agri*.

℣. 10. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, Israelis Regio, ac Dei populus passim cum vinea comparantur. Pastores hic iidem sunt, quos superius, vi. 3. hoc nomine significavit; Nabuchodonosor scilicet, ejusque optimates ac duces, quorum greges exercitus sunt. Populorum pastores a priscis Reges dicebantur. Deus ipse pastoris populi sui nomen non dedignatur; atque hoc ipsum passim Christus usurpat.

℣. 11. Luxit super me. Luget, quod ipsam ego dereliquerim; vel, mala præsentia deflet: sive, Flebit olim, cum sese ope mea destitutam senserit.

Nullus est qui recogitet corde, qui illius meminerit; seu potius: Nemo Deum cogitat, quæque harum calamitatum causa sit, animadvertit. Inter tot mala populus meus mira animi tranquillitate fruitur, quasi flagitiorum ipsius oblitus fuerim, aut ea punire negligam.

℣. 12. Super omnes vias deserti venerunt vastatores terræ, Hebræus (7): *Super omnia excelsa in deserto venerunt vastantes* eam. Terrorem, ignem, gladium ubique ferunt Chaldæi; neque urbium cultorumque agrorum depopulatione contenti, in monteaipsos & luca deserta evadunt, ut si qui fortelateant, perscrutentur. Septuaginta (8): *In omnem recessum solitudinis venerunt, misere viventes in solitudine*; Iudæi, scilicet, qui e Chaldæis elapsi, in speluncis ac nemoribus latent.

℣. 13. Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt. Locutio est proverbio similis. Diuturnam pacem, constantem fortunam, felicitatemque minime perituram sibi polliciti, vices plane contrarias experiuntur. Fructus metent, quales minime sperabant: *Confundemini a fructibus vestris*. Uberrimæ messis spe vobis ipsi blandiebamini; at spes vos omnino fefellit. Hæc verba optime explicantur de ea annonæ caritate, de qua superius ℣. 4. Septuaginta (9): *Probro affeciemini a gloria vestra*, idest, ab eo ipso, quod gloriæ vestræ argumentum fuit. Hebræus: *Confundentur a redditibus eorum*. Multo minora inveniunt, quam sperabant.

℣. 14. Hæc dicit Dominus adversus omnes vicinos meos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, quorum meminit superius ℣. 5. 6. Minitatur Deus fore, ut patrio solo avellantur, & captivi, non secus ac Iuda, abducantur. Id vero expletum omnino est a Nabuchodonosore, aliquot post captam Ierosolymam annis; cum enim horum inconstantię credere non posset Nabuchodonosor, ac probe reminisceretur, omnes simul cum Sedecia Rege Iuda conspirasse, ut sibi in Palęstinam proficiscenti junctas simul vires opponerent (10), illos patria e regione amovere, ac trans Euphratem abducere decrevit. Id luculentissime passim tradidere Prophetę (11); ejusque ętatem scripto aeliquit Iosephus (12) octavum scilicet annum post Ierosolymę expugnationem, & tertium ac vigesimum Regni Nabuchodonosoris.

Domum Juda evellam de medio eorum. Indicat hic locus, Judam ante finitimos subiturum captivitatem. Ipso regionis suæ situ, Judas inter eos medius erat. Hunc ante cæteros e patrio solo avulsum cæteri quantocius secuti sunt.

℣. 15. Et cum avulsero eos, convertar, et miserabor eorum, et reducam eos. Deus Judæ misertus, illum Babylone reduxit; cujus reditus Historia neminem latet. At Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, ac Tyriorum revocatio, quamvis multo obscurior & ignotior, a Prophetis tamen penitus non præteritur. Regressum Ægyptiorum (13), Ammonitarum, ac Moabitarum sub Sodomæ & Gomorrhæ nomine describit Ezechiel (14). Isaias restaurandam vaticinatur Tyrum, septuagesimo demum anno, postquam eversa est (15).

℣. 16. Si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo ..... Ædificabuntur in medio populi mei. Luculentissimum habes hic de gentium vocatione ad Christi sacra vaticinium. Post captivitatem, minor fuit Judæorum superbia, atque erga cæteros contemptus; nedum enim Ethnicos ad Judaismum sponte conversos non rejiciebant, sed ut quamplurimos converterent, laborabant (16). Hircanus Macchabæus, Idumæos & circumcisione initiari, & Mosaicæ Legis sanctionibus colla subdere coegit (17). At vaticinia, quæ Ethnicos in Domini Hæreditatem domumque colligendos esse prædicebant, iteratis sæpissime ac luculentissime apud Scripturam promissionibus, certe nonnisi post Evangelii prædicationem expleta sunt. Pollicetur hic Deus, sese *ædificaturum* (18) eas gentes *in medio populi sui*, florentem scilicet illis posteritatem largiturum (19); facturumque, ut inter Judæos eo loco habeantur, quo esse decet familias, quibus Deus benedixit.

[1] העיט צבוע נחלתי לי העיט סביב עליה : לכו אספו וגו׳ [2] Μὴ σπήλαιον ὑαίνης κληρονομία μου ἐμοί, ἢ σπήλαιον κύκλῳ αὐτῆς ἐπ᾽ αὐτήν; Βαδίσατε, συναγάγετε πάντα τὰ θηρία, &c. Legunt עיש specum, pro עיט avis. [3] Vide Busbeq. iter Amasian. p. 76. [4] Boch. de anim. sacr. t. 1. l. 3. c. 11. [5] 1. Reg. xiv. 32. & xv. 19. [6] Fuller. Miscell. l. 6. Vide & Anglican. Vers. [7] על כל שפים במדבר באו שודדים [8] Ἐπὶ πᾶσαν διεκβολὴν τῆς ἐρήμου ἦλθον, ταλαιπωροῦντες ἐν τῇ ἐρήμῳ. [9] Αἰσχύνθητε ἀπὸ καυχήσεως ὑμῶν. Heb. ובשו מתבואתיכם [10] Vide Jerem. xxvii. 3. & seq. [11] Jerem. xxvii. xlviii. xlix. Ezech. xxv. Abdias, &c. [12] Joseph. Antiq. l. 10. c. 11. [13] Ezech. xxix. 11. 12. [14] Idem cap. xvi. 55. [15] Isai. xxiii. 15. 17. [16] Matt. xxiii. 15. *Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum*. [17] Joseph. Antiq. l. xiii. c. 17. [18] ונבנו בתוך עמי Septuag. Οἰκοδομηθήσονται ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ μου. [19] בנה hoc sensu passim usurpatur. Vide Exod. i. 21. Gen. xxx. 3. Ruth iv. 11.

CA-

CAPUT XIII.

Jeremiæ zona in quodam alveo secus Euphratem condita & putrefacta; Judæorum figura, quos rejecit & dereliquit Deus. Hos hortatur Propheta, ut pœnitentiam agant, malaque illis maxima minitatur.

℣. 1. HÆC dicit Dominus ad me: Vade, & posside tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam non inferes illud. 2. Et possedi lumbare juxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos. 3. Et factus est sermo Domini ad me, secundo, dicens: 4. Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens vade ad Euphratem, & absconde illud in foramine petræ. 5. Et abii, & abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. 6. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me. Surge, vade ad Euphratem: & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi, ut absconderes illud ibi. 7. Et abii apud Euphratem, & fodi, & tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud: & ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset. 8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 9. Hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, & superbiam Jerusalem multam: 10. Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in pravitate cordis sui: abieruntque post deos alienos, ut servirent eis, & adorarent eos: & erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. 11. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, & omnem domum Juda, dicit Dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt. 12. Dices ergo ad eos sermonem istum: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Nnmquid ignoramus, quia omnis laguncula implebitur vino? 13. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, & reges, qui sedent de stirpe David super thronum ejus, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Jerusalem, ebrietate: 14. Et dispergam eos, virum a fratre suo, & patres, & filios pariter, ait Dominus: non parcam, & non concedam, neque miserebor, ut non disperdam eos. 15. Audite, & auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est. 16. Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem. 17. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ: plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. 18. Dic regi, & dominatrici: Humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. 19. Civitates austri clausæ sunt, & non est, qui aperiat: translata est omnis Juda transmigratione perfecta. 20. Levate oculos vestros, & videte, qui venitis ab Aquilone: ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? 21. Quid dices, cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, & erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? 22. Quod si dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum: 24. Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. 25. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es mendacio. 26. Unde & ego fundavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua. 27. Adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ: super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem, non mundaberis post me? usquequo adhuc?

℣. 1. VADE, ET POSSIDE (compara) TIBI LUMBARE LINEUM. Nova hic incipit oratio, alia plane a superiori. Jubet Jeremiam Deus zonam e crudo lino (1), nondum aqua macerato, seu lixivio, sibi comparare, atque illam secus Euphratem in rupis alveo humi condere. Porro linea zona Judæi significabantur, quos Deus sibi veluti zonam junxerat; Jeremiæ iter ad Euphratem, ut ibi zonam conderet, abducendos significabat Babylonem Judæos; idem vero rediens ut

zonam

(1) *In aquam non inferes illud.* ℣. 1.

zonam recuperaret, ac putrefactam inveniens, docebat, Judæos Ethnicorum consuetudine per diuturnam captivitatem adeo vitiatos fuisse, ut cum de illorum libertate Deus cogitavit, nihil in illis invenerit, quod ipsius cura dignum haberetur. Unius igitur misericordiæ ac pietatis beneficio pias animi curas ad illos convertit, deque ipsorum libertate cogitavit. Ita vivens spiransque hoc vaticinium Deus ipse interpretatus est.

Hæc Jeremiæ zona ex iis non erat, quibus vestes coercentur. Amplioris zonæ genus erat, tunicæ muliebri simile, sed brevius, qua viri, præsertim iter facientes, sive agrum colentes, ceu nos subligaculis, ea ætate utebantur. Hoc fortassa fuit, quod S. Hieronymo (1) persuasit, *vestimentum muliebre* fuisse. De hoc vestis genere fusius egimus in Exodo xxviii. 42.

℣. 4. Vade ad Euphratem, et absconde illud in foramine petræ. Zonam hanc in rupe humi condidisse videtur ex ℣. 7. illam enim educturus, fodere coactus est, & scrobem eruere. Saltem dicendus est humo obstruxisse alveum rupis, quo Zonam condiderat. Sunt qui dubitent (2), utrum revera ad Euphratem usque profectus sit Jeremias, zonam ibi conditurus. Jerosolyma enim centum & quinquaginta amplius leucis ab Euphrate aberat. Quid porro necesse fuit, ut levis adeo rei causa Jeremias tam longum iter bis susciperet? an non satis erat populum monere, id sese per visum intellexisse? Profecto ea res gesta nihilo aerius populi animos movere debuit; quis enim inspecturus erat, quid Jeremias ad Euphratem ageret? Habenda erat uni ipsi fides. His adde, non ita facilem fuisse Jerosolyma egressum, si eo tempore copiis bellicisque operibus Chaldæorum undique cingebatur, uti visum est S. Hieronymo. At hoc incertum maxime est; veroque simillimum videtur, hæc omnia regnante Josia, ac fortasse ante decimum octavum Regni illius annum, diu ante Nabuchodonosoris expeditionem, contigisse.

Illud constat, plerorumque Interpretum (3) sententia, rem ita gestam esse, uti sonus verborum fert, & bis Jeremiam ad Euphratem usque processisse. Novam difficultatis solutionem commentus est Bochartus (4); putatque, Hebræam vocem *Pherath* hic pro *Ephrath*, vel *Ephrata*, quæ eadem est urbs ac *Bethlehem*, sex millibus passuum ab Jerosolyma, usurpari. Ita & brevius fit Prophetæ iter, & minor labor. His vero argumentis ducitur; i. plerumque Scriptura, cum de Euphrate agit, *fluminis* appellationem addit, quæ hoc loco negligitur. ii. dicitur Propheta zonam condidisse in *Pherath*, quamvis in rupe condiderit; idcirco fortasse, quod in aliqua urbis Bethlehem rupe celaret, cujus urbis situs in montibus innumera rupium multitudine asperis erat. iii. docet, primas nominum syllabas plerumque deteri. Quamobrem ex *Ephrata* fieri potuit *Phrata*, vel *Phrath*; quemadmodum ex *Aphesdamim* fit Phesdamim, ex *Aram* Ram, ex *Heemim* Emim.

℣. 9. Sic putrescere faciam superbiam Juda. Judam avehi trans Euphratem jubebo, eumque Babylone condam, veluti in rupis alveo, ex quo nullus sit egrediendi locus: is ibi putrescet, atque inter gentes depravabitur, Templo carens, sacrificiis, Sacerdote, cultu exteriori: diu ibi futurus est; nullique aptus usui erit, ubi illum visitavero. Ita *Superbiam Juda* dejiciam, ut suis in posterum viribus non credere discat, sibique blandiri desinat fore, ut inanes cadant minæ, quibus ipsum terrui, meamque gentem patrio e solo nunquam avellam, eamque in Ethnicorum potestatem tradam. Judæ audaciam frangam, faciamque, nihil se esse, nisi quod misericordiæ meæ beneficio est, experiatur.

℣. 11. Ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam. Hebræos elegi, ut peculiaris mihi gens essent, de meo nomine appellarentur; hunc omnes, Dei populum dicerent; me ipse laudibus coleret, puroque & sancto penitus cultu veneraretur: denique ut optimo ac religioso illorum vitæ instituto, nominis mei gloria inter homines cresceret.

℣. 12. Omnis laguncula implebitur vino. Hebræam vocem (5) *nebel* Septuaginta reddunt *utrem* (6); Symmachus *crateram*; Theodotio *vas*; Aquila in priori Editione *lagunculam*. Postrema hæc interpretatio certior videtur. Luteum *nebel* in Isaia (7) & Jeremia (8) legitur. Dicere id vult hoc loco Jeremias, Deum furoris sui vino lagenas impleturum, ut illud amarissimum populo suo propinet. Familiares sunt Scriptoribus sacris locutiones, vinum, calix, ebrietas, quibus Divinum furorem significent (9). Atque hoc ipsum exprimit inferius ℣. 13. *Implebo omnes habitatores terræ hujus ebrietate.*

℣. 13. Date Domino gloriam; antequam contenebrescat. Tenebræ ultionis & calamitatis tempus passim in Scriptura significant. Huc ad locum alludebat Christus, cum Judæis diceret (10): *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Tenebræ, quas Jeremias hic Judæis minitatur, bellum sunt, ærumnæ, fuga, captivitas. Addit: *Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos*. Deo gloriam exhibete, flagitia vestra confitemini, veniam exposcite, eaque pœnitentia eluite, antequam fugere cogamini in montes, quorum vertex adeo sublimis est, ut intra nubes condi videatur; vel in montes, speluncis obscurissimis, profundissimis, in rupe excisis, frequentes. Extrema hæc mala prævertite: animi dejectione tranquillam in patria moram impetrate. Fortasse montium hujusmodi caliginosorum nomine, *montium crepusculi*, uti habet Hebræus (11), intelligendi sunt montes trans Euphratem, qui longe nubium instar prospiciebantur. Vestra flagitia agnoscite, antequam in montes Babyloniæ mittamini.

℣. 17. In abscondito plorabit anima mea superbiam tuam, audaciam, pertinaciam: id significat tum hoc, tum ℣. 9. *superbia*. Testatur Propheta, omnibus frustra tentatis, ut populum ad officium reduceret, jam illud solummodo superesse, ut populi pertinaciam lacrymis clam prosequatur. Legunt Septuaginta (12): *In abscondito plorabit anima vestra*. Ne libera quidem potestas vobis futura est, calamitatem vestram publico luctu prosequendi: lacrymas vestras ab hominum aspectu subducere cogemini. Profecto ea fuit Judæorum in captivitate conditio; mœrore oppressis, palam mœrere non licebat.

℣. 18. Dic Regi et Dominatrici: Humiliamini, sedete, &c. Joachinum, ejusque parentem Nohestam mone (13), ut animos corpusque coram Deo dejiciant, siquidem Regiæ dignitatis insignibus exui nolint. Fac sciant, sese in humillimam rerum conditionem lapsuros, nisi Divini furoris

(1) Hieron. Proœm. in Osee: *Ego & Jeremias accinctus lumbari, vestimento muliebri*, &c. (2) Hieron. ibid. Lyran. Vat. Majmon. (3) Cyrill. Alex. in Oseam, Theodoret. Thom. Hugo, Isidor. Castr. Maldon. Sanct. Est. Tir. alii hic. Kimchi, Jarchi, Abarbanel. (4) Bochart. Phaleg t. 2. p. 914. 255. Dissert. de transportat. J. C. in montem. (5) כל נבל ימלא יין (6) Πᾶς ἀσκὸς πληρωθήσεται οἴνου. (7) Isai. xxx. 14. שברה כשבר נבל יוצרים (8) Jerem. xlviii. 12. נבליהם ינפצו Et Thren. iv. 2. נחשבו לנבלי חרש (9) Isai. li. 21. Mich. ii. 11. Isai. xxix. 9. & cxiii. 6. Jerem. xxv. 27. li. 7. 39. Thren. iv. 21. Nahum iii. 11. Psalm. lxxiv. 9. Ezech. xxiii. 31. &c. (10) Joan. xii. 35. 36. (11) על הרי נשף Septuag. Ἐπ' ὄρη σκοτεινά. Confer Isai. xiii. 2. *Super montem caliginosum levate signum.* (12) Κεκρυμμένως κλαύσεται ἡ ψυχὴ ὑμῶν. (13) 4. Reg. xxiv. 8.

roris diem prævertetint. Videntur aliis hæc verba ad Sedeciam ejusque uxorem spectare. Septuaginta (1); *Dicite Regi, & potentibus*, optimatibus gentis. Fœmineo genere frequenter utuntur Hebræi pro neutro. Quamobrem *Dominatrix* hic usurpari potest pro iis qui dominantur, qui Regnum una cum Rege administrant. Aptior tamen videtur prior interpretatio ob ea quæ sequuntur: *Quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ*.

℣. 19. CIVITATES AUSTRI CLAUSÆ SUNT, Australes Judæ urbes clausæ sunt, civibus vacuæ, Universa Judæ Tribus, olim pulcherrima, populoque & nobilissimis urbibus frequentissima, deserta nunc squallet, urbibus habitatore destitutis clausisque. Sunt qui de Ægypto explicent, ad Judæ meridiem sita. Clausæ vobis sunt Ægyptiorum urbes, quippe nullæ ex iis suppetiæ vobis expectandæ sunt. Pharao suos intra fines coercitus, egredi non audet, ut opem ferat. Tentaverat Pharao auxiliares ad Sedeciam a Nabuchodonosore obsessum copias mittere (2); at infelici expeditionis exitu; quippe a Nabuchodonosore pulsus, in Ægypto quiescere coactus est. Prior interpretatio aptior videtur, meliusque cum iis quæ sequuntur nexa: *Translata est omnis Juda transmigratione perfecta*. Universa Tribus Juda in captivitatem adducta est, nemine prorsus relicto.

℣. 20. VIDETE QUI VENITIS AB AQUILONE. Hebræus (3), Septuaginta, & ipsa orationis series jubent legi: *Videte venientes ab aquilone*, Chaldæorum exercitum, e boreali plaga proficiscentem.

UBI EST GREX, QUI DATUS EST TIBI? His verbis Jeremias Regem & Reginam alloquitur, ad quos verba facere cœpit ℣. 18. Hos sub pastorum, populum sub gregis imagine exhibet. Quæ tunc vobis excusatio futura est, ubi crediti vobis populi rationem exegerit Deus? Quæ vobis responsio, ubi supremus Israelis Dominus gregem suum dissipatum, diminutum, afflictum, perditum viderit?

℣. 21. TU ENIM DOCUISTI EOS ADVERSUM TE. Quos nunc hostes experiris, hos tu olim vocasti, ut opem tibi ferrent, ac docuisti iter, quo in regionem tuam irrumperent, cum antea nihil unquam tale cogitaverint. Achaz Theglathphalassarum Assyriorum Regem accersivit, ut sibi adversus Damasci & Israelis Reges suppetias ferret (4). Ezechias, ærarii sui gazas Legatis Merodac-Baladani, Babyloniorum Regis, ostendens (5), escam quodammodo exhibuit, qua ipse vel ipsius successores ad sui depopulationem vocarentur. Ipsi denique Reges Juda, ueaque populus, congestis ad fastigium usque flagitiis, expletoque scelerum cumulo, arma Nabuchodonosori dedere, ut vindictam, quam tandiu sibi minitabatur Deus, inferret.

℣. 22. POLLUTÆ SUNT PLANTÆ TUÆ. Hebraica locutio, pro, indignissimis probris objecta es, passa es quicquid militum libidini, & victoris insolentiæ in victum captumque licet.

℣. 23. SI MUTARE POTEST ÆTHIOPS PELLEM SUAM, ET VOS POTERITIS BENEFACERE. Tam difficile est vos ad meliorem frugem reverti, quam Æthiopem mutare colorem. Diuturna male agendi consuetudo in naturam versa est. Æthiopem lavo, dum vos alloquor: nihilo enim meliores efficiemini.

℣. 27. NON MUNDABERIS POST ME? USQUEQUO ADHUC? Nunquam ne munda efficieris, me constanter sequens? quousque in sordibus perseverabis? Vel: An renuis mundari, ut me sequaris? quandonam sordes abjicies? Denique verti Hebræus potest (6): *Nunquam ne mundaberis? quousque.....?*

(1) Εἴπατε τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῖς δυναστεύουσι. אמר למלך ולגבירה (2) Jerem. XXXVII. 5... 10. (3) ראו הבאים מצפון Septuag. Ἴδε τοὺς ἐρχομένους ἀπὸ βοῤῥᾶ. (4) 4. Reg. XVI. 7. 8. (5) 4. Reg. XX. 13... 17. (6) לא תטהרי אחרי מתי עד

C A P U T XIV.

Siccitas famesque Judam vastantes. Supplicat Jeremias, ut imbrem populo impetret; cui respondet Deus. Falsi Prophetæ pacem pollicentes, quæ nunquam venit. Iterum supplicat populi causa Jeremias.

℣. 1. QUod factum est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus siccitatis. 2. Lu-
xit Judæa, & portæ ejus corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor
Jerusalem ascendit. 3. Majores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad haurien-
dum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua: confusi sunt, & afflicti, &
operuerunt capita sua. 4. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram,
confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. 5. Nam & cerva in agro peperit, & re-
liquit: quia non erat herba. 6. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi
dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. 7. Si iniquitates nostræ respon-
derint nobis: Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones no-
stræ, tibi peccavimus. 8. Expectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis:
quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? 9.
Quare futurus es, velut vir vagus, ut fortis, qui non potest salvare? tu autem in no-
bis es, Domine, & nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. 10.
Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, & non quievit, &
Domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum.
11. Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. 12. Cum jeju-
naverint, non exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocautomata, & victimas,
non suscipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos. 13. Et dixi: A,
a, a, Domine Deus: Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit
in vo-

in vobis, ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto. 14. Et dixit Dominus ad me: Falſo prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos viſionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. 15. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi, dicentes: Gladius, & fames non erit in terra hac: In gladio, & fame conſumentur prophetæ illi. 16. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jeruſalem præ fame, & gladio, & non erit, qui ſepeliat eos; ipſi, & uxores eorum: filii, & filiæ eorum: & effundam ſuper eos malum ſuum. 17. Et dices ad eos verbum iſtud: Deducant oculi mei lacrymam per noctem, & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei, plaga peſſima vehementer. 18. Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque, & ſacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. 19. Numquid projiciens abjeciſti Judam? aut Sion abominata eſt anima tua? quare ergo percuſſiſti nos; ita ut nulla ſit ſanitas? Expectavimus pacem, & non eſt bonum, & tempus curationis, & ecce turbatio. 20. Cognovimus, Domine, impietates noſtras, iniquitates patrum noſtrorum, quia peccavimus tibi. 21. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam ſolii gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum. 22. Numquid ſunt in ſculptilibus Gentium, qui pluant? aut cœli poſſunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noſter, quem expectavimus? tu enim feciſti omnia hæc.

℣. 1. VERBUM DOMINI AD JEREMIAM DE SERMONIBUS SICCITATIS. Quo tempore hęc ſiccitas contigerit, diſputant Interpretes. In ipſa Jeroſolymę obſidione contigiſſe putant S. Hieronymus, plurimique Interpretum illi ſuffragantes. Bellum jam tum ardebat in Juda, & populi pars abducta in captivitatem fuerat, teſte ℣. 18. *Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque & Sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant.* Profecto hæc mala nulli videntur convenire, niſi ætati, quæ Jechoniæ captivitatem, & initium belli Nabuchodonoſoris in Jeremiam ſecuta eſt. Superius animadvertimus (1), ingentem ſterilitatem ſæviiſſe eo anno, qui Jeroſolymæ obſidionem præceſſit; omnemque Juda populum intra Jeroſolymam confugiſſe, ut ibi mœſtam triſtemque vitam agerent, ut ipſi teſtabantur. At in præfatione ad Jeremiam, & in Commentario ad Joelis 1. famem hanc ad Joſiæ ætatem rejecimus; atque hæc ſententia rejicienda non eſt.

℣. 2. PORTÆ EJUS CORRUERUNT, ET OBSCURATÆ SUNT. Hebræus (2): *Portæ ejus languerunt*, ægrotaverunt, infirmatæ ſunt: *atratæ ſunt ſuper terram*: atris quodammodo veſtibus indutæ ſunt, & humi ſederunt veluti qui funus lugent. Jeroſolymam exhibet ceu matrem liberis orbatam, ac mœrore obrutam. *Portæ* pro urbe uſurpantur. Septuaginta (3): *Portæ ejus vacuæ factæ ſunt, & obſcuratæ ſunt ſuper terram.*

℣. 3. VENERUNT AD HAURIENDUM. Nullus in urbe fons erat, ſed aquæ in ciſternis ſervabantur. Imo extra Urbem unicum Siloes fontem fuiſſe, teſtatur S. Hieronymus, quo ex fonte ne toto quidem anno perennes aquæ fluebant. Fontis quidem Gehon meminit Scriptura; at S. Hieronymi ætate, fons iſte fortaſſe perierat, atque ſub Urbis ruderibus amiſſus erat. Ipſemet fons Siloes, horum ruderum cauſa, nonniſi identidem e ſcaturigine profluebat. At alia plane fuit fontis natura, cum vetus Jeroſolyma ſtaret; ſuavis enim & uberrimus erat (4). Quamquam ingens adeo interdum ſiccitas ſæviebat, ut penitus illius aquæ deficerent, vel ſaltem ita minuerentur, ut locupletiſſimæ Urbis populo non ſufficerent.

OPERUERUNT CAPITA SUA, uti fieri in luctu ſolet. Vide 2. *Reg.* xv. 30.

℣. 5. CERVA IN AGRO PEPERIT, ET RELIQUIT. Si ex ipſo verborum ſono ſententia de re ferenda eſt, ſterilitatem ac ſiccitatem in univerſa regione extremam fuiſſe neceſſe eſt. Exempla hæc ſunt ad miſericordiam maxime accommodata, præſertim de cerva, miti, ſimplici, venuſtaque bellua, quæ facile cicuratur, nemini nocet, non ſævit, & catulos vehementer amat. Parere autem ſolet potius ſecus vias ab hominibus frequentatas, quam in denſis lucis (5), quod minus hominum inſidias, quam ferarum metuat.

℣. 6. ONAGRI STETERUNT IN RUPIBUS: TRAXERUNT VENTUM QUASI DRACONES. Cum conſueta onagri ſedes ſint loca eremia, & ſole exuſta, hinc fieri ſolet, ut frequenter ſiti crucietur, magnoque impetu ad fontes ac torrentes currat, ſitim expulſurus (6). At ubi aquam non inveniat, apertis faucibus ſpiritum trahendo incedit, & loca ventis atque aeri maxime expoſita quærit, ut fauces frigidiori aere recreet; ferme uti juvencæ, de quibus Poeta:

. . . . *Bucula cœlum*
Suſpiciens, patulis captavit naribus auram.

Veluti apud Cephalenios capellæ, nullo unquam potu utentes, quæ apertis ad flantem ventum faucibus, ſitim extinguunt. Onagros comparat hic Jeremias cum draconibus, quod utrique ſitim levent aerem ducentes, ubi aquis carent.

DEFECERUNT OCULI EORUM. Oculorum acies ferme illis defecit: adeo & æſtu & ſiti cruciantur & languent, Onager natura ſua acie oculorum præſtat: at fame ac ſiti acris oculorum vis, quemadmodum cæteris, ipſiſque hominibus uſuvenit, infirmatur (7).

℣. 7. SI INIQUITATES NOSTRÆ RESPONDERINT NOBIS, DOMINE, FAC PROPTER NOMEN TUUM. Ita orat Jeremias. Fateor quidem, multa nos ſupplicia vereri, tuæque Juſtitiæ inſtrumenta ſunt Cœlum & terra. Flagitia noſtra in nos conſpirant, & accuſant. Neque res a nobis bene geſtas pro nobis objicimus. Nulla nobis ſpes, præter te, tuumque nomen, eſt. Populus Dei appellamur: ea ſolummodo cauſa eſt, cur miſericordiam conſtanter a te poſtulemus.

℣. 8. QUARE QUASI COLONUS FUTURUS ES IN TER-

(1) Vide dicta in verſ. 13. cap. 20. (2) שעריה אמללו קדרו לארץ (3) Αἱ πύλαι αὐτῆς ἐκενώθησαν, καὶ ἐσκοτώθησαν ἐπὶ τῆς γῆς. (4) Joſeph. de bello lib. 5. c. 6. de fonte Siloe. (5) Plin. lib. 8. cap. 32. Ælian. lib. 6. cap. 11. hiſt. animal. (6) Pſal. ciii. 11. *Expectabunt onagri in ſiti ſua.* (7) Vide 1. Reg. xiv. 27.

TERRA, ceu peregrinus, cui nulla regionis cura est, malene an bene res illi cedant? Ita ne pari animi tranquillitate terram hanc negliges, quam tu ipse elegisti, fixis in ea tamdiu sedibus; quam frequentibus adeo virium tuarum, tuæque misericordiæ spectaculis illustrasti?

Hunc locum Patres (1) vulgo de Jesu Christo interpretantur, peregrini ac viatoris habitu inter homines futuro, ac relicturo Synagogam Templumque, uti publicum hospitium libenter a viatore relinquitur, ut ad itineris metam perveniat. Hæ tamen explicationes spiritualem potius, quam literalem sensum sequuntur.

℣. 9. QUARE FUTURUS ES VELUT VIR VAGUS ET FORTIS, QUI NON POTEST SALVARE quos cupit; vel, qui viribus ac virtute in civium salutem minime utitur; urbes ac Provincias peragrans, ut virium suarum spectaculum cæteris faciat, cum inutilis patriæ sit; seu denique, vel vir robore & virtute instructus, sed dormiens, qui ope sua indigentibus saluti esse nequit? Septuaginta (2): *Num eris velut homo dormiens; vel, ut vir qui non potest servare?* Hebræum alii reddunt (3): *Cur eris velut homo trepidus & fortis* (ceu Princeps terrore correptus) *qui non valeat servare* eos, quorum causa expeditionem aggressus est, qui opem suam imploravere? Vel denique: an similis futurus es Principi, qui alteri opem ferre aggressus (4), consilium explere non potest?

NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER NOS: de nomine tuo appellamur, tui sumus, gens tua dicimur, atque hac sub appellatione cognoscimur. Dici ne patieris, populum tuum destituisse, ac ferre, ut alieni tyrannidem in tuos exerceant?

℣. 10. HÆC DICIT DOMINUS POPULO HUIC, QUI DILEXIT MOVERE PEDES SUOS, populo inconstanti ac levissimo, nunquam non agitato & inquieto, rerum novarum amatori, qui, me relicto, Deos sectatus est; spretaque ope mea, externarum gentium auxilia imploravit.

℣. 11. NOLI ORARE PRO POPULO ISTO IN BONUM. Ne ores, ut præsenti sterilitate, qua is affligitur, ipsum liberem, suamque ubertatem telluri restituam. Nulla enim beneficia is meretur, ejusque flagitia ad fastigium usque pervenere. Frustra preces adhibes populi causa, qui bonam ad frugem converti, & flagitia, quibus iram meam provocavit, dissipare negligit. Quædam sunt peccata ad mortem (5), pro quibus orare insanum est, inquit hic S. Hieronymus: *Stultum est orare pro eo, qui peccaverit ad mortem.* Quod vero peccatum ad mortem? constans in scelere ad finem usque pertinacia. *Jejunia & preces & victimæ & holocausta tunc proficiunt, cum recedimus a vitiis, & flemus antiqua peccata: sin autem in sceleribus permanentes, putaverimus votis aut sacrificiis redimere nos, vehementer erramus, iniquum arbitrantes Deum.*

℣. 13. ET DIXI: A. A. A. DOMINE DEUS: PROPHETÆ DICUNT EIS: NON VIDEBITIS GLADIUM, &c. Dei minis respondet Jeremias, ac populum excusare conatur, rejecta flagitiorum culpa in Pseudo-Prophetas. Hi quippe populum miserrime decipiunt, ejusque in scelere pertinaciam fovent, dum ipsorum flagitia impune futura, ipsosque bonis omnibus abundaturos pollicentur. Vel alio sensu. Heu, Domine Deus, quid de Prophetarum vaticiniis fiet, nisi peperceris? quam sæpe enim promisere futurum, ut neque bellum, neque pestis in hoc populo sæviat? Respondet Deus, missos a se non esse Prophetas, eosque spiritu suo non agente locutos ℣℣. 14. 15.

℣. 15. IN GLADIO ET FAME CONSUMENTUR. Septuaginta (6): *In morte morbosa peribunt, & in fame consumentur.*

℣. 17. DEDUCANT OCULI MEI LACRYMAM PER NOCTEM ET DIEM. Septuaginta (7): *Deducite ex oculis vestris lacrymas die ac nocte.* Vulgata cum Hebræo congruit. Jubet Jeremiam Deus, futuram Judæ calamitatem diu noctuque deflere, ut certissimam minarum suarum fidem, verborumque veritatem ostendat longe esse maximam, quam Pseudo Phophetarum, de quibus superius, ℣℣. 14. 15.

℣. 18. SI EGRESSUS FUERO AD AGROS, ECCE OCCISI GLADIO. Nabuchodonosoris copiæ, antequam Jerosolymam obsidione cingerent, universum circa agrum sævissime depopulatæ fuerant. Veteres simultates in Judæos exercere finitimi, & Judaici nominis osores non neglexere. Fortasse hic Jeremias narrat, quæ in prima Jerosolymæ obsidione sub Jechonia contigerunt; quo tempore dubitari certe nequit, quin plurimos ex Judæis in pagis oppidisque infirmioribus Chaldæi trucidaverint.

SI INTROIERO IN CIVITATEM, ECCE ATTENUATI FAME. Eam innuit famem, quæ tunc Judæam vastabat.

PROPHETA QUOQUE ET SACERDOS ABIERUNT IN TERRAM QUAM IGNORABANT. Captivos abduxit Nabuchodonosor Jechoniam, ipsiusque matrem, uxores, ministros, domus Regiæ Principes, Eunuchos, Jerosolymæ Optimates, fortissimos ex exercitu Duces, peritissimos Urbis artifices; denique quicquid erat in Juda nobilissimum (8). Inter captivos erat Ezechiel. Daniel jam antea deductus fuerat a Nabuchodonosore, capta Jerosolyma sub Joakimo. Hebræus fert (9): *Prophetæ & Sacerdotes circuierunt super terram, & nescierunt*: palantes, dispersi, vagi, incerti quo ferantur. Patria expulsi ab hoste, errare coguntur, quin ullum sibi perfugium videant. Chaldæus: *Scriba & Sacerdos conversi sunt ad negotiationes suas, ad id quod est in terra, nec requisierunt*, cætera scilicet cæteris neglectis. Falsi Prophetæ, pessimique Sacerdotes, juncto cum illis consilio, vaticinia quasi mercaturam exercent: Regionem universam peragrant, & de iis loquuntur, quæ penitus ignorant. Arctissimum hoc fœdus inter Pseudo-prophetas ac Sacerdotes frequenter arguit Jeremias. Vide supra, v. 31. vi. 13. viii. 10.

℣. 21. NE DES NOS IN OPPROBRIUM PROPTER NOMEN TUUM. Vide supra ℣. 7. Nullam pro populo excusationem objicit Jeremias. Peccata fatetur: at probare conatur, gloriæ Dei magnopere interesse, ut populus servetur.

NEQUE FACIAS NOBIS CONTUMELIAM SOLII GLORIÆ TUÆ. Ne probro nos obruas, gloriæ tuæ solium pedibus proturbari patiens. Dei solium est Templum vel Urbs Jerosolyma, seu cœlum. *Dico vobis, non jurare per cœlum, quia thronus Dei est*, inquit Christus (10); *neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis.* Et (11): *Qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei.* Hoc etiam nomine Jeremias Jerosolymam nuncupat (12): *In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini.* Denique passim in Scriptura Deus insidere Cherubim in Templo dicitur. Ne patiare, o Deus, quemquam viribus tuis, tuæque clementiæ infinitæ insul-

(1) Tertull. lib. 3. contra Marcion c. 6. Ambros. seu quis alius in Symbol. Apostol. cap. 30. Hieron. hic: *Noster vero, inquit, de futura Christi dispensatione disputans, quod futurus sit peregrinus in terra, & parvo tempore terra usurus hospitio, & quasi vir potiens & robustus, relicto Israel, tendat ad gentium multitudinem*, &c. (2) Μὴ ἔσῃ ὥσπερ ἄνθρωπος ὑπνῶν, ἢ ὡς ἀνὴρ ὃ μὴ δυνάμενος σώζειν. (3) למה תהיה כאיש נדהם כגבור לא יוכל להושיע (4) Arabice דהם est Supervenire. (5) 1. Joan. v. 16. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* (6) Ἐν θανάτῳ νοσερῷ ἀποθανοῦνται, καὶ ἐν λιμῷ συντελεσθήσονται. Heb. בחרב וברעב (7) Καταγάγετε εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν δάκρυα ἡμέρας καὶ νυκτός. (8) 4. Reg. xxiv. 12. & seq. (9) כי גם נביא גם כהן סחרו אל ארץ ולא ידעו (10) Matt. v. 34. (11) Matt. xxiii. 22. (12) Jerem. iii. 17. Vide xvii. 12.

ſultare, ac dicere, populum tueri te aut non potuiſſe, aut noluiſſe. Quam multis enim conviciis ſanctam Urbem hoſtes tui proſcindent? quam miſere Templum profanabunt? An patieris, nobiliſſimum Templum, quod tua ſedes eſt, & ſanctam Urbem, qua ceu ſcabello uteris, impiis ac ſacrilegis manibus everti?

℣. 22. NUMQUID SUNT IN SCULPTILIBUS GENTIUM, QUI PLUANT, ſcilicet, quorum juſſu pluat? ſi imbrem largiri, quem flagitamus, negas, a quo poſtulabimus? Nos igitur perire vis, quod ferre opem renuas? Tua ne gens obnoxia erit diſcrimini, alios Deos implorandi, ut id impetret, quod adeo conſtanter impertiri tu renuis?

CAPUT XV.

Severiſſima Dei reſponſio ad Jeremiæ preces. Populo parcere Deus renuit; & mala quatuor illi minitatur. Muneris ſui arduitatem & invidiam queritur Jeremias; quem Deus confirmat, opem pollicitus.

℣. 1. ET dixit Dominus ad me: Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ejice illos a facie mea, & egrediantur. 2. Quod ſi dixerint ad te: Quo egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem. 3. Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & beſtias terræ ad devorandum, & diſſipandum. 4. Et dabo eos in fervorem univerſis regnis terræ: propter Manaſſen filium Ezechiæ regis Juda, ſuper omnibus, quæ fecit in Jeruſalem. 5. Quis enim miſerebitur tui, Jeruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? 6. Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abiiſti, & extendam manum meam ſuper te, & interficiam te: laboravi rogans. 7. Et diſpergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci, & diſperdidi populum meum, & tamen a viis ſuis non ſunt reverſi. 8. Multiplicatæ ſunt mihi viduæ ejus ſuper arenam maris: induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie: miſi ſuper civitates repente terrorem. 9. Infirmata eſt, quæ peperit ſeptem, defecit anima ejus: occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies: confuſa eſt, & erubuit: & reſiduos ejus in gladium dabo in conſpectu inimicorum eorum, ait Dominus. 10. Væ mihi, mater mea: quare genuiſti me, virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi. 11. Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, ſi non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adverſus inimicum. 12. Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs? 13. Divitias tuas, & theſauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis. 14. Et adducam inimicos tuos de terra, quam neſcis: quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ſuper vos ardebit. 15. Tu ſcis, Domine, recordare mei, & viſita me, & tuere me ab his, qui perſequuntur me, noli in patientia tua ſuſcipere me: ſcito, quoniam ſuſtinui propter te opprobrium. 16. Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei: quoniam invocatum eſt nomen tuum ſuper me, Domine Deus exercituum. 17. Non ſedi in concilio ludentium, & gloriatus ſum a facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me. 18. Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium. 19. Propter hoc hæc dicit Dominus: Si converteris, convertam te, & ante faciem meam ſtabis: ſi ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris: convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos. 20. Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem: & bellabunt adverſum te, & non prævalebunt: quia ego tecum ſum, ut ſalvem te, & eruam te, dicit Dominus. 21. Et liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium.

℣. 1. SI STETERINT MOYSES ET SAMUEL CORAM ME, NON EST ANIMA MEA AD POPULUM ISTUM. Fervidis Jeremiæ precibus, Capite ſuperiori exaratis, ita reſpondet Deus. Fruſtra rogando populi hujus cauſa laboras: neque audio, neque in amicitiam revoco. Tametſi Moyſes & Samuel, animæ mihi chariſſimæ, in vitam reſtituti, pro populo intercedant, decreta non mutavero. Jube abſcedere populum, pro quo rogas: penitus abeat, evadat. Hinc collige, ita loqui Jeremiam, quaſi in Templo ſit, populi coram Deo ſtrati agmen ducens, ac pro eo ſupplicans. Hos rejicit Deus

raro apud Scripturam severitatis exemplo. Moysis ac Samuelis nomina hic consulto ponuntur; uterque enim gentem suam effusissime amaverant, ac Dei furorem, in populi perniciem armatum, sedare studiosissime conati fuerant (1). Similem ferme huic responsionem fert Ezechiel (2); illum enim monet Deus futurum, ut si Noe, Daniel & Job in medio Juda sint, iræ suæ fervorem ab impia gente minime avertant. Cum imperat Jeremiæ Deus, ut *ejiciat populum a facie sua*, perinde est ac dicat: Meo nomine illis renunciato, fore ut nunquam exaudiantur.

℣. 2. QUO EGREDIEMUR? . . . QUI AD MORTEM, AD MORTEM. Deum populus rogat: A te pulsi, quo ibimus? Respondet Deus: Ad miserrimum unusquisque finem, qui sibi decretus fuerit. Ii, quibus decreta est ex morbo mors, morbo peribunt; qui gladio & pesti devoti sunt, gladio & peste rapientur. Certum est quod decrevi, non revoco.

℣. 3. VISITABO SUPER EOS QUATUOR SPECIES. Quatuor in illos supplicia immittam. Hebræus (3): *Visitabo eos* in furore meo *quatuor familiis*, seu quatuor generibus inimicorum: *gladio*, quem hic ceu anima instructum exhibet, *canibus*, *volucribus cœli*, *& feris terræ*. Quatuor hæ inimicorum familiæ idem valent ac ea quæ superiori versiculo recensuit, mors, gladius, fames, captivitas. Gladius bellum significat; ex quo captivitas oritur. Qui gladio, vel fame, seu morbo peribunt, a canibus, volucribus, seu feris discerpentur.

℣. 4. DABO EOS IN FERVOREM UNIVERSIS REGNIS: illos ego Regnorum omnium furori, ad verbum, fervori, igni, objiciam. Hebræus (4): *Dabo eos in commotionem universis Regnis terræ*. Per omnes terrarum plagas agitabuntur, dissipabuntur, in fugam agentur. Id plane impletum est supremis Chaldæorum bellis in Judæos, quorum plerosque rapuit Nabuchodonosor, & captivos Babylonem abduxit; alii in Ægyptum elapsi sunt; pars in remotissimas insulas, nonnulli denique in Syriam sese receperunt. Lege Prophetas de horum reditu agentes, qui Israelitas e quatuor terrarum angulis accersunt (5). Septuaginta (6): *Tradam eos in angustias in omnibus Regnis terræ*.

PROPTER MANASSEM FILIUM EZECHIÆ. Manasses Judæ Rex omnia majorum suorum crimina superaverat. Numinum superstitio, impietas, vis, horribilis libido, eo regnante, ad summum usque fastigium pervenerunt. At demum, Deo permittente, in manus hostium datus, ductusque Babylonem captivus, scelera fassus est, lacrymis eluit, veniam impetravit, atque in Regnum restitutus, præterita scelera abolere pro viribus studuit (7). Altius tamen erat vulnus, quam ut facile medicum pateretur: populus Regis exemplum in scelere secutus, pœnitentiam imitari renuit. Constans in flagitiis Judas perseveravit; ejusque rei culpa Manassi, primæ procul dubio illius causæ, a Scriptura tribuitur. Formidandum certe Principibus exemplum. Pessimum ipsorum vitæ institutum quam plurimos in scelus trahit, & quamvis interdum Deus illos a crimine revocet, plerumque populos flagitiorum imitatores relinquit: *Ex qua discimus, Regum, & Principum, Præpositorumque scelere populos plerumque deleri*, ait S. Hieronymus.

℣. 5. QUIS MISERERITUR TUI? QUIS CONTRISTABITUR PRO TE? AUT QUIS IBIT AD ROGANDUM PRO PACE TUA? Ita loquitur Deus. Quæ tunc, o Jerosolyma, animi tui angustiæ; cum in universa terrarum regna dispersa fueris? Ubi amicos nancisceris, quos calamitatis tuæ misericordia moveat, qui lacrymas suas tuis misceant, tuæque libertatis solliciti, vota pro te faciant? Nonne omnes potius in te undique, ceu in populum supremo cunctorum hominum odio dignum, conspirantes aspicies? Septuaginta (8): *Quis tibi parcet, Jerusalem? Quis miserebitur tui? vel quis convertetur ad pacem tibi* postulandam? Vel, ut alii codices habent: *Quis tibi parcet? Quis contristabitur super te*, te verebitur? *Quis convertetur ut pacem tibi flagitet?* Hebræus (9): *Quis clementia utetur super te? Quis miserebitur tui? Quis movebitur ut postulet pacem tibi*, sive, ut aliquod bonorum genus tibi comparet? Profecto, inquit hic S. Hieronymus, *nullus potest offenso Deo pro flagitiis rogare peccantium, si in scelere perseverent: quia nec tam clemens potest creatura, quam Creator, esse; nec ita alienus externis, quomodo Dominus suis parcere*.

℣. 6. LABORAVI ROGANS. Hebræus (10): *Fessus sum pœnitere*, vel misereri tui. Tuis questubus frequentius, quam opus erat, aures præbui, meumque furorem cohibui. Hoc vero est, quod in Scriptura dicitur, Deum pœnitere. Septuaginta (11): *Non adhuc parcam illis*. Hebræum ita verti posse, *Laboravi rogatus*, vestris precibus fatigatus sum, docet S. Hieronymus.

℣. 7. DISPERGAM EOS VENTILABRO IN PORTIS TERRÆ, ad extremos usque terrarum fines projiciam. Vide ℣. 4. Terram ceu ingentem urbem usurpat, cujus portæ sunt fines extremi, per quos aditus atque exitus patet. Sunt (12) qui in præterito reddant: *Dispersi eos*, &c. Quæ quidem versio cum iis quæ sequuntur, melius congruit: *Et tamen a viis suis non sunt reversi*. Hos ego quibuscumque furoris mei armis afflixi, malis obrui, inter populos dissipavi, ut ad officium revocare conarer: nulla tamen ars illorum pertinaciam superare potuit. Intelligi hic locus potest de decem Tribubus a Salmanasaro ablatis, & Judæis a Nabuchodonosore in captivitatem abductis, regnantibus Joakimo & Jechonia, ante supremam transmigrationem sub Sedecia.

℣. 8. INDUXI EIS SUPER MATREM ADOLESCENTIS VASTATOREM MERIDIE. In eorum perniciem hostem accersivi, adolescentes meridie intra matrum ulnas mactantem. Dixit mox, viduarum numerum auctum esse in immensum; nunc addit: Ablatis viris, hostem etiam ipsis in meridie misi, qui adolescentes liberosque in ætatis flore mactavit, ut supremam ipsorum exitio manum imponeret. Hebræus (13) reddi potest: Interfectis illarum viris, *induxi super eorum adolescentem vastatorem meridie*. Nabuchodonosor, adolescens Imperator, Princeps ætatis flore gaudens, Judæam meridie, nihil veritus, invasit. Aliter: *Induxi super matrem illorum*, viduam ac profligatam, *militum manum* (14), *qua in meridie vastetur*; seu grassatores diurnos, non nocturnos fuere, clam & noctu vim inferentes. Hi porro aperta vi, audacter, secura fronte accesserunt, ut exhaustæ jam regioni, ac prioribus jacturis oppressæ, exitium inferrent. Vidua hæc & profligata mater Judæam significat, sive Jerosolymam; solent enim Prophetæ, ex communi Poetarum more, omnia acriter pingere, anima vitaque instructa exhibere. Septuaginta (15): *Induxi super matrem adolescentis*, sive adolescentum, *miseriam in meridie*. Nonnulli sub *matris*

(1) Vide Exod. XXXII. 10. & 1. Reg. XII. 23. (2) Ezech. XIV. 14. 16. (3) ופקדתי עליהם ארבע משפחות (4) ונתתים לזועה לכל ממלכות (5) Vide Isai. XI. 11. 12. (6) Παραδώσω αὐτοὺς εἰς ἀνάγκας πάσαις ταῖς βασιλείαις τῆς γῆς. (7) Vide 4. Reg. XXI. & 2. Par. XXXIII. (8) Τίς φείσεται ἐπὶ σοί, Ἱερουσαλήμ; ἢ τίς δειλιάσει ἐπὶ σοί, ἢ τίς ἀνακάμψει εἰς εἰρήνην σοι; Edit. Rom. Τίς φείσεται ἐπὶ σοί, ἢ τίς δειλιάσει ἐπὶ σοί, ἢ τίς ἀνακάμψει εἰς εἰρήνην σοι; Theodoret. Τίς ἀνακάμψει ἐρωτῆσαι τὰ εἰς εἰρήνην. (9) כי מי יחמול עליך ומי ינוד לך ומי יסור לשאול לשלום לך (10) נלאיתי הנחם (11) Οὐκ ἔτι ἀνήσω αὐτούς. (12) Pagn. Munst. Tigur. Sanct. (13) הבאתי להם על אם בחור שדד בצהרים (14) בחיר sonat adolescentem, militem, juvenem bello electum ac destinatum. (15) Ἐπήγαγον ἐπὶ μητέρα νεανίσκου ταλαιπωρίαν ἐν μεσημβρίᾳ, Al. Μητέρα νεανίσκων.

tris appellatione Jerosolymam intelligunt, totius regionis Principem ac Metropolim.

MISI SUPER CIVITATES REPENTE TERROREM. Hebræus (1): *Cadere feci super eam repente civitatem & terrorem*. Vidua mœrens, & orba viro ac liberis, patriæ ruinis quodammodo oppressa est; ac terror omnia undique occupavit. Septuaginta (2): *Injeci super eam repente tremorem ac festinationem*.

℣. 9. INFIRMATA EST QUÆ PEPERIT SEPTEM (3), quæ multorum mater fuit, filios parere desiit; vel potius, acri dolore affecta est, ubi se orbam sensit. Eam matrem seu viduam significat, cujus calamitatem versiculo superiore descripsit. *Septem* pro ingenti numero usurpatur (4). Insolita certe res non est, mater septem filiorum ferax: at earum, seu certe miserum est, nullos habere, cum septenos ediderit. Septuaginta (5): *Vacua* (orba) *facta est quæ peperit septem*. Hoc de Jerosolyma seu Synagoga intellige, filiis orbata, aucto Ecclesiæ Christianæ numero, atque in dies confirmato.

OCCIDIT EI SOL, CUM ADHUC ESSET DIES. Mœror quo illarum obruta est, similis atræ nocti fuit, quæ illam plena die obvolvit. Calamitatum, morbi, ac mœroris tempus frequentissime apud Scripturam sub noctis ac tenebrarum imagine significatur (6). Nitidissimi dies in atram illi noctem versi sunt.

℣. 10. VÆ MIHI, MATER MEA! QUARE GENUISTI ME VIRUM RIXÆ, hominum odium, publicum hostem, hominem omnibus inimicum, quem omnes aversantur? Hebræus (7): *Virum litis*.

NON FŒNERAVI, NEC FŒNERAVIT MIHI QUISQUAM. OMNES MALEDICUNT MIHI. Quicquid lites causasque mihi parere potuit, vitavi, assiduis nihilominus litibus agitor, novosque in dies inimicos acquiro. Hebræus (8): *Non fœneratus sum, neque fœnerati sunt mihi; at omnes maledicunt mihi*. Septuaginta (9): *Non profui* cuiquam, *neque profuit mihi quisquam*. Syrus: *Non sum obnoxius ulli, neque sunt obnoxii mihi*, hostibus tamen bene multis non careo. Theodotio: *Non debui* quicquam cuiquam, *nec debuit mihi quisquam*,

℣. 11. DICIT DOMINUS: SI NON RELIQUIÆ TUÆ IN BONUM: futurum juro, ut posteritas tua bonis omnibus cumuletur. Jeremiæ questubus Dominus respondet: Mendax habear, nisi posteri tui, familia, *reliquiæ tuæ*, vel extrema tua, tu ipse deinceps, post harumce litium procellas, bonis fortunisque cumuleris. Ingentem tibi ego gloriam ac nominis dignitatem comparabo. Te verebuntur Chaldæi, tuæque dignitatis rationem habebunt, populo in durissima captivitate detento. Plenam huic vaticinio fidem res ipsa fecit (10). Septuaginta magnopere dissident ab Hebræo & Vulgata (11): *Fiat, Domine, dirigentibus illis*, id quod mihi imprecantur, *si non astiti tibi in tempore tribulationis eorum, in bona* (ut bene illis facerem) *contra inimicum*. Totus ex Hebræo versiculus ita reddi potest (12): *Respondit Dominus: Si non vincula tua feliciter* fracta sunt (vel ex Massoretarum correctione) *si non finis tuus*, vel posteritas tua *in tempora meliora* servatur: *si non occurrere*

Comment. Tom. VI.

cogero inimicum tuum tibi, te precibus occupare, prævertere, *in tempore malo*, *& in tempore angustiæ*. Manum porrigent Chaldæi, atque omne auxilii genus exhibebunt, quo tempore gens tua gentium omnium miserrima erit. Vel: Populus tuus, ingrata gens, te nunc quolibet ærumnarum genere obruens, miserrimis malorum suorum diebus ad te accedet, orans, ne sese destituas. Hostes tui coram te procumbent, opem tuam flagitantes. In suprema urbis obsidione, Sedecias ad Jeremiam rogatum misit, uti supplicationibus precibusque sibi opem ferret (13); ipsumque clam consuluit, quid de se ipso, deque Regni fortuna futurum esset (14). Postremo hoc sensu interpretatus est Chaldæus: *Venient & deprecabuntur te in tempore, quo arctaverit eos inimicus*.

℣. 12. NUMQUID FŒDERABITUR FERRUM FERRO AB AQUILONE (quod ab Aquilone defertur), ET ÆS ÆRI? Quidni? Quid magis ex natura est, quam ut ferrum cum ferro, & æs cum ære jungatur? Verti potest: *Num jungi poterit ferrum cum ferro aquilonari & ære?* Major certe difficultas erit, si ferrum cum ære miscendum sit; amica enim ferri atque æris natura non est, eaque ægre miscentur (15). Ferrum aquilonare Chaldæos, æs Judæos significare potest. Nulla unquam pax, nullum fœdus inter utramque gentem futurum est. Implacabilis hostis est Nabuchodonosor, bello vos affligere minime desiturus, nisi penitus perdiderit (16). Optima profecto sententia: satis tamen non video, qua ratione cum iis quæ præcedunt & sequuntur, nectatur. Malo ita Hebræum vertere (17): *An ferrum nocere poterit ferro Aquilonari, & æs æri?* An chalybs ferro, & æs ære superabitur? Ferrum ferro, & æs ære vinci non possunt. Vel: *Neque ferrum neque æs nocere poterit ferro aquilonari*, scilicet *chalybi*; is enim nomine ferri aquilonaris intelligendus est, quippe qui e Chalybum regione (18), quæ ad septentrionem Judææ jacet, in Judæam defertur. Latina ipsa appellatio *chalybs* e Chalybum nomine oritur. Hoc igitur hic locus significat. Deus solatium Jeremiæ adhibiturus ℣. 11. pollicetur futurum, ut procumbentes coram se hostes suos videat, opem flagitantes. Addit ℣. 12. Quid vero ex Judæis times? Quid tibi nocere valebunt? Tametsi ferro duriores & solidiores ære sint, vel summam cutem perstringere non poterunt. Te ita solidum firmumque efficiam, uti chalybem, robustum ceu ferrum aquilonare. Ænei parietis instar futurus es, quo omnia illorum spicula frangantur. Nonne ego te monui, cum primum te mitterem (19): *Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in murum æreum . . . & bellabunt adversum te, & non prævalebunt*. Eadem nunc iterum tibi polliceor (℣. 20.): *Dabo te populo huic in murum æreum, fortem: & bellabunt adversum te, & non prævalebunt*. Versionem nostram tuetur Symmachus: *Numquid nocebit ferrum ferro ab aquilone, & æs?* Hanc optimi plures Interpretes probant (20), eamdem ferme ex Hebræo sententiam elicientes.

℣. 13. DIVITIAS TUAS IN DIREPTIONEM DABO GRA-

 TIS.

(1) הפלתי עליה פתאם עיר ובהלות (2) Ἐπέῤῥιψα ἐπ' αὐτὴν ἐξαίφνης τρόμον, καὶ σπουδήν. (3) אמללה ילדת השבעה (4) Vide 1. Reg. ii. 5. Prov. xxiv. 12. & xxvi. 16. 25. Deut. xxviii. 7. (5) Ἐκενώθη ἡ τίκτουσα ἑπτά. (6) Vide Amos viii. 9. *Occidet sol meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Isai. lix. 9. *Impegimus meridie, quasi in tenebris*. Theodoret. hic: Τοῖς γὰρ [illegible] ἐν τῷ φωτί. (7) איש ריב Septuag. Ἄνδρα διακρινόμενον. (8) לא נשיתי ולא נשו בי כלה מקללוני (9) Οὔτε ὠφέλησα, οὔτε ὠφέλησέ με οὐδείς. (10) Vide Jerem. xxxix. 11. 12. & xl. 1. 2. 3. & sequ. (11) Γένοιτο, δέσποτα, κατευθυνόντων αὐτῶν· εἰ μὴ παρέστην σοι ἐν καιρῷ θλίψεως αὐτῶν, εἰς ἀγαθὰ πρὸς τὸν ἐχθρόν. (12) אמר יהוה אם לא שריתך (vel שרותיך) לטוב ; אם לא הפגעתי בך בעת רעה ובעת צרה את האיב (13) Jerem. xxxvii. 3. (14) Jerem. xxi. 1. 2. & xxxviii. 10. 14. (15) Plin. lib. xxxiv. c. 4. simulacri cujusdam meminit, e ferro & ære simul mistis, liquatisque. (16) Hieron. Menoch. Tirin. Alii. (17) הירע ברזל ברזל מצפון ונחשת (18) Xenophon. lib. 5. Scholiastes in Apollonii lib. 2. v. 1005. Valer. Flacc. lib. 5. v. 141. *Pervigil auditur Chalybum labor: arma fatigant*
Ruricolæ, Gradive, tui, &c.
(19) Jerem. i. 17. 18. (20) Jun. Tremel. Piscat. Grot. Castal. Vida & Sanct. hic.

ris, Opes tuas, ceu rerum suarum partem, usorpabunt. Tuis te hostibus gratis, nulla mercede, nullaque redhibitione dedi; quippe quem neque vendidi, neque commutavi; sed, ceu mercem vilissimam, dignamque contemptu abjeci. Ita populum alloquitur Deus.

℣. 14. Adducam inimicos tuos de terra quam nescis. Perspicua satis sententia est. Septuaginta (1): *Servire faciam te in circuitu inimicis tuis, in terram, quam non novisti.* At Hebræus in impressis Codicibus fert (2): *Transire faciam inimicos tuos in terram, quam non nosti.* Vel: *Transire faciam te cum inimicis tuis in ignotam terram.*

℣. 15. Tu scis, Domine, [qui animi penetralia nosti] recordare mei. Quæ fuerit consiliorum meorum æquitas, quod agendi institutum, & qua ratione in molestissimum vaticinandi munus me adduxeris, non ignoras. *Recordare mei, & visita me, fer opem mihi; tuere me*, vel ex Hebræo (3), *Purga me adversus persecutores meos:* Me innoxium pronuncia, meque adversus hostes & accusatores meos absolve. Chaldæus: *Ulciscere me a prosequentibus me.*

Noli in patientia tua suscipere me: Ne tam sedato lentoque animo mei causam tuearis (4). Ardeat jam furor tuus, tuæque iræ fervor quamprimum in ipsos micet. Me ingenii studio tuere, neque consuetam clementiæ ac misericordiæ tuæ moram secteris. *Scito, quoniam sustinui propter te opprobrium.* Causæ tuæ gratia pugno: meum tueri tu debes. Acres profecto sunt Jeremiæ questus, Quamobrem magis Dei gloria, quam propriis ipsius malis, moveri dicendus est.

℣. 16. Inventi sunt sermones tui, et comedi eos. Narrat Jeremias, qua ratione in Propheticum munus ipse inductus fuerit, eoque functus sit. Quo tempore me primum allocutus es, tuoque spiritu afflasti, os aperui, tuaque verba avidissime excepi, instar hominis, qui fame laborans, convenientem sibi cibum nanciscitur. Quamobrem ea voravi, iisque impletus sum, omnemque in iis animi lætitiam collocavi: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium.* Me statim omnes hominem tuo spiritu afflatum agnovere, meque Prophetam tuum appellaverunt: *Invocatum est nomen tuum super me.*

℣. 17. Non sedi in consilio ludentium. Omnia hominum oblectamenta & ludos vitavi; id enim nugarum genus mihi vetitum esse censui, statim ac Prophetæ & hominis Deo afflati munus aggrederer. Altera ex Hebræo sententia elici potest (5): Secretis impiorum consiliis, Religionem de ridiculo traducentium, justorumque pietatem irridentium, sublimium denique acriumque ingeniorum, non adfui. Ludi nomine apud Scripturam res plane aliæ significantur. Vide Psalmum 1. *Beatus vir, qui in cathedra pestilentiæ non sedit;* ubi Hebræus: *Beatus vir, qui in consessu derisorum non sedit.*

Gloriatus a facie manus tuæ. Hoc solummodo gloriandi argumentum mihi fuit, quod tu me miseris. Prophetam tuum me constantissime appellari, atque ex hoc nomine, cujus causa tam multa patior, omnem mihi gloriam comparavi. Negantem particulam membri superioris nonnulli ad hoc membrum referunt, Consilio derisorum non adsui, neque arroganter gloriatus sum Prophetæ munere, quo me ornasti.

Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. Hebræus (6): *Quonia indignatione replesti me.* Pessimos populi mei mores videre nequeo, quin indignatione ferveam. Nullum mihi fœdus cum hujusmodi hominibus placet, quorum gesta non probo. Vel: *Indignatione replesti me*, me publicum populi odium effecisti; vel, furoris tui significationibus me terrore complesti.

℣. 18. Quare factus est dolor meus perpetuus? Septuaginta (7): *Ut quid qui contristant me, prævalent adversum me?* Hebræus reddi potest (8): *Cur fuit vulnus meum*, seu dolor meus, *adeo durum*, acre?

Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium, ceu fallax aqua, cui nemo impune credat. Dolor meus, seu vulnus meum instar fontium est, aliquo tantum anni tempore fluentium, qui per ferventiores dies, quibus homines maxime aqua indigent, deficiunt. Frustra refrigerari ex iis optas. Nullam apud eos aquam invenis: penitus defecere. Ita nullum est vulneri meo remedium. Explicari etiam hoc modo potest: Similis est dolor meus fontibus æstate plerumque deficientibus, qui si aquam toto anni curriculo præter spem suppeditarint, id appellatur *mendacium aquarum infidelium*; datæ enim quodammodo fidei desunt, & eos fallunt, qui ipsos defuturos putabant. Ita dolor meus, qui intra tempus certum desiturus videbatur, perseverat, ac singulis diebus augetur. Hæc tamen explicatio exquisitior videtur quam par est. Æquiorem alteram præbet Hebræus (9). Plaga mea curari renuit: *es mihi* o Deus, *velut mendax aqua*, ut fons æstate deficiens. Me tunc maxime destituis, cum ope tua indigeo. Dominantur hostes mei, nec tu illos coerces. Chaldæus: *Ne sit Verbum tuum mihi in mendacium, sicut fons aquarum, cujus aquæ deficiunt.*

℣. 19. Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis. Vel: Si ad me reverteris, te ego reducam, teque coram me statuam. Si populi hujus minis minime territus, me constanter sequeris, omni te discrimine liberum efficiam: te tuebor, teque, ceu e servis carissimis, unum coram me semper adesse jubebo. Non ita hæc verba, *Si converteris*, intelligenda sunt, ut Jeremias unquam a Deo recessisse dicatur: at cum Jeremias acriori oratione usus fuerit, atque impiorum minis territus fuisse videretur, illum his verbis confirmat Deus.

Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Si fidei ac promissionis meæ pretium ab hominum pollicitationibus minisque secernere noveris, si tanti feceris, quanti faciendum est, electionis meæ beneficium, qua te ad munus Propheticum accersivi, atque, uti debes, hominum gratiam aut inimicitias spreveris, te ita habebo, quasi os meum sis (10), Legatus meus, meorum consiliorum interpres, & arcanorum custos. Prophetæ *os Dei* sunt eo sensu, quo Aaron Moysis os, interpres, *Propheta* (11) appellatus est. Chaldæus: *Si revocaris impios, ut fiant justi, voluntatem verbi mei implebis* (12). Hæc verba, *os meum eris*, ita interpretantur, ut significent: Oris mei verba complebis. Melior tamen est prior explicatio.

Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. Te quærere populus, & ad te supplex venire cogetur: nihil tibi laborandum erit, ut ad eos converteris, eorumque amicitiam tibi compares. Quamobrem constans esto, neque illorum minas vereare. Agnoscere demum ipsi cogentur, te meum esse; vaticiniorum tuorum veritatem ipsi aspicient, tuaque justa ipsi ultro quæ-

[1] Καταδουλώσω σε κύκλῳ τοῖς ἐχθροῖς σου, ἐν τῇ γῇ ᾗ οὐκ ᾔδεις. Legunt העבדתי pro והעברתי quod legimus in Hebræo. Chaldæus eodem modo ac Septuaginta: *Servientes inimicis vestris, &c.* [2] והעברתי את איביך בארץ לא ידעת [3] הנקם לי מרדפי Septuag. Ἀθώωσόν με ἀπὸ τῶν καταδιωκόντων με.
[4] אל לארך אפך תקחני, Μὴ εἰς μακροθυμίαν. [5] לא ישבתי בסוד משחקים
[6] כי זעם מלאתני, Ὅτι πικρίας ἐνεπλήσθην. [7] Ἵνα τί οἱ λυποῦντές με κατισχύουσί με.
[8] למה היה כאבי נצח Septuaginta legunt איבי [9] היו תהיה לי כמו אכזב מים לא נאמנו
[10] כפי תהיה Septuag. Ὡς στόμα μου ἔσῃ. [11] Exod. iv. 16. *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* [12] Vide & Hieron. in Psal. cv. 32.

quærent, quin tu ipsis ulla ratione subjiciaris. Id revera contigit in Jerosolymitana obsidione, quo tempore Sedecias Jeremiam non semel consuluit, ipsumque, ut sui causa supplex ad Deum accederet, flagitavit (1). Capta urbe, miseræ populi reliquiæ coram Jeremia procumbentes (2), postulavere, ut propitium sibi Deum precibus faceret, quidve de ipsis decerneret Deus, doceret.

℣. 20. DABO TE IN MURUM ÆREUM, Vide *Jerem.* I. 18. & XV. 12.

℣. 21. LIBERABO TE DE MANU PESSIMORUM, ET DE MANU FORTIUM. Te Judæorum, impiæ gentis, injuriis, & Chaldæorum, fortium ac potentium hominum, potestate liberabo. Profecto nonnisi apertissimo Divinæ opis patrocinio fieri potuit, ut Jeremias, nihil constantiæ, fervoris libertatisque in arguendis sceleribus remittens, insanæ furentisque plebis manus, cruentorumque Principum vim, hostium denique implacabilium, quibuscum nulla unquam ipsi pax fuit, injurias liber evaderet.

---

(1) Jerem. XXI. 1. 2. XXXVII. 3. XXXVIII. 10. 14.

(2) Jerem. XLII. 2. *Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum . , . Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, & verbum quod faciamus.*

CAPUT XVI.

Uxorem ducere vetatur a Deo Jeremias, cum Judæi malis opprimendi sint. Judæos mortuos nemo aut sepulcro aut lacrymis prosequetur. Venatores ac piscatores ad Babylonis supplicium, & Judæorum libertatem missi.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Non accipies uxorem,
& non erunt tibi filii, & filiæ in loco isto. 3. Quia hæc dicit Dominus
super filios, & filias qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ ge-
nuerunt eos: & super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac: 4.
Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur, in sterquili-
nium super faciem terræ erunt, & gladio, & fame consumentur: & erit cadaver eo-
rum in escam volatilibus cœli, & bestiis terræ. 5. Hæc enim dicit Dominus: Ne
ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos: quia
abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam, & miserationes.
6. Et morientur grandes & parvi in terra ista: non sepelientur, neque plangentur,
& non se incident, neque calvitium fiet pro eis. 7. Et non frangent inter eos lu-
genti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad con-
solandum super patre suo, & matre. 8. Et domum convivii non ingrediaris, ut se-
deas cum eis, & comedas, & bibas: 9. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus
Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris, vocem
gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ. 10. Et cum annuntiave-
ris populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super
nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? & quod peccatum nostrum,
quod peccavimus Domino Deo nostro? 11. Dices ad eos: Quia dereliquerunt me
patres vestri, ait Dominus: & abierunt post deos alienos, & servierunt eis, & ado-
raverunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non custodierunt. 12. Sed &
vos pejus operati estis, quam patres vestri: ecce enim ambulat unusquisque post pra-
vitatem cordis sui mali, ut me non audiat. 13. Et ejiciam vos de terra hac, in
terram, quam ignoratis vos, & patres vestri: & servietis ibi diis alienis die, ac no-
cte, qui non dabunt vobis requiem. 14. Propterea ecce dies veniunt, dicit Domi-
nus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.
15. Sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis
terris, ad quas ejeci eos, & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eo-
rum. 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos:
& post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de
omni colle, & de cavernis petrarum. 17. Quia oculi mei super omnes vias eorum:
non sunt absconditæ a facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis
meis. 18. Et reddam primum duplices iniquitates, & peccata eorum; quia conta-
minaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, & abominationibus suis im-
pleverunt hæreditatem meam. 19. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refu-
gium meum in die tribulationis; ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent:
Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. 20. Num-
quid

quid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dii? 21. Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, & virtutem meam: & scient, quia nomen mihi Dominus.

℣. 2. NON ACCIPIES UXOREM, ET NON ERUNT TIBI FILII. Nova hic oratio instituitur. Imperat Jeremiæ Deus, ne uxorem ducat, 1. ut is liber sit curis laboribusque, quibus id hominum genus agitari solet; 2. ut ea libertate fruatur, qua munus Propheticum indiget; 3. ut hoc indicio populus intelligeret, nullam tunc esse felicitatis partem, filios procreasse, vitamque ipsam minime utilem esse, cum universus Juda extremis calamitatum ruinis obruendus foret, & superstites invisuri essent mortuorum felicitati, quod præcessissent, patriæ excidium, & gentis eversionem minime intuiti. Cælebs igitur virginitatem hactenus coluerat Jeremias, & ad obitum usque servasse creditur (1). Rarissimum in Testamento Veteri exemplum.

℣. 4. MORTIBUS ÆGROTATIONUM MORIENTUR: NON PLANGENTUR, ET NON SEPELIENTUR. Morbos populo minitatur hic Jeremias (2); pestem fortasse, vel diuturna & sæva morborum genera, quibus perimimur, postquam diu doloribus nos excruciaverint: id porro gravissimum est ex irato Deo supplicium, inquit S. Hieronymus (3), in iis præsertim rerum articulis; quæ hic significantur. Addit Jeremias, mortuos sepulcro minime donandos fore, sive lugendos, ob ingentem morientium numerum, vel quod in obsessa urbe minime futurus esset funeribus lugendis locus. Nihil certe gravius hujusmodi minis esse poterat genti, penes quam gravissima omnium calamitas habebatur, sepultura carere.

℣. 5. NE INGREDIARIS DOMUM CONVIVII. De convivio loquitur agi consueto post funus, ad quod familia universa conveniebat. Tradit Josephus (4), religiosum adeo inter Judæos hunc ritum fuisse, ut si quis, absoluto funere, cognatos, quantumvis magno numero, convivio excipere negligeret, impius haberetur. Hac autem consuetudine ad profusos adeo sumptos adigebantur, ut plurimi idcirco in extremam inopiam devenerint. Eodem more Græci Romanique utebantur; id quod neminem latet. Persius, Satyra VI.

. . . . . . Sed cœnam funeris hæres
Negliget, iratus quod rem curtaverit.

Hebræa vox *Marseah* (5) non convivium utcumque, sed funeris convivium, vel convivium post funus, significat.

NEQUE VADAS AD PLANGENDUM, NEQUE CONSOLERIS EOS. Hebræus (6): *Ne vadas ad plangendum, neque funebres illis pompas trahas*; solebant enim consanguinei atque amici, honoris causa, cum iis jungi, qui funebrem pompam agebant. Porro hæ in compitis forisque habebantur, obviis quibuslibet ad turbam plerumque accedentibus. Funerum pompam apud Ægyptios, describit Herodotus (7); & vulgarem quamdam parœmiam recitat Christus (8), his, quæ dicimus, faventem: *Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis; lamentavimus, & non plorastis*; lacrymas lugubresque voces nobis plorantibus non addidistis.

℣. 6. NON SE INCIDENT, NEQUE CALVITIUM FIET PRO EIS. De his ritibus fuse egimus alibi (9). His expresse Judæos interdicit Moyses, at fortasse non in communibus ipsorum funeribus, sed in funere Adonidis, Numinis in Ægypto, Syria, finitimisque regionibus noti. Carnes incidere seu scalpere in luctibus, mos erat ipsa ætate S. Hieronymi in Judæa communis (10). Fatetur Plutarchus (11), gentium nonnullarum usum, in propinquorum funere os, aures, vel nares, aliasve corporis partes incidere. Id apud Scythas consuetudine usurpatum tradit Herodotus (12), & lata lege apud suos vetuere Romani (13). Capillos scindendi mos, utpote non æque molestus, multo etiam familiarior fuit. Hujus luculenter meminit Homerus in Patrocli funere (14). Catullus in Argonauticis:

. . . . . Natorum in funere matres
In cinerem canos solvant a vertice crines.

℣. 7. ET NON FRANGENT INTER EOS LUGENTI PANEM AD CONSOLANDUM. Solebant in funere convenire ad hominem suous lugentem propinqui & amici, ut solatium lugenti afferrent. Ita in Evangelio Mariæ & Marthæ propinqui Bethaniam conveniunt, ut una doleant (15). Cibus lugenti offerebatur, cogebaturque oblatum comedere. Delicatissimi autem cibi, vinumque eximium exhibebatur, ut inquiunt, quibus illorum vires confirmarentur (16). Huc spectare creditur locus Proverbiorum, XXXI. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amara animo sunt, bibant; & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*. Monet filium Tobias (17), ut vinum & panem super Justi sepulcrum inferat. Nihil tale a Jeremia præstari ob sui propinquos & amicos, jubet Deus.

℣. 8. DOMUM CONVIVII NON INGREDIARIS. Hebræus (18) hilare convivium significat, alterum ab eo, quod post funus agebatur, de quo egimus supra, ℣. 5. Ad verbum: *In domum potus*.

℣. 9. VOCEM SPONSI, ET VOCEM SPONSÆ. Communis apud Scripturam phrasis, significans hominum voces in nuptiis gaudentium. Gravibus adeo malis gens universa opprimetur, ut omnis nuptiarum cura negligenda sit.

℣. 11. QUIA DERELIQUERUNT ME PATRES VESTRI. At æquum ne est, ut paternorum scelerum pœnas nos luamus? Omnino; ipsorum enim flagitia & imitati estis, & superastis: (℣. 13.) *Sed & vos pejus operati estis: quam patres vestri*. Patrum vestrorum mensuram cumulavistis, ajebat ad Judæos Christus (19).

℣. 13. SERVIETIS IBI DIIS ALIENIS DIE AC NOCTE, QUI NON DABUNT VOBIS REQUIEM. Hæc descriptio heris potius, quam Diis alienis convenit; Dii enim nihil ab adoratoribus exigunt, ipsosque minime exagitant: at avari sævissimique heri servos diu noctuque fatigant, nulla illis quiete concessa. Hebræa vox (20) *Elohim* interdum significat Principes, Optimates, Magistratos, dominos. Chaldæus: *Servietis ibi populis idola colentibus die ac nocte, qui non erunt vobis misericordes* (21). Hebræus

(1) Hieron. in Cap. XXIII. Jerem. Isidor. de vita, & morte SS. cap. 38. & alii. (2) ממותי תחלאים Septuag. Ἐν θανάτῳ νοσερῷ. (3) Notandum, quod ægrotationibus, & longa infirmitate tabescere, Dei ira sit. Hieron. hic. (4) Joseph. lib. 2. de bello c. 1. (5) אל תבוא בית מרזח. (6) אל תלך לספוד ואל תנוד להם (7) Herodot. lib. 2. c. 85. (8) Luc. VII. 32. (9) Vide nos in Levit. XIX. 27. 28. & Deut. XIV. 1. & Ezech. XXVII. 31. (10) Hieron. hic: *Mos iste fuit apud veteres, & usque hodie in quibusdam permanet Judæorum, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant.* (11) Plut. Ep. consolat. ad Apollon. (12) Herodot. lib. 4. c. 71. (13) Lex XII. Tabul. *Mulieres genas ne radunto.* (14) Homer. Iliad. ΨXIII. (15) Joan. XI. 19. (16) Buxtorf. Synag. Jud. c. 35. (17) Tob. IV. 18. (18) ובית משתה לא תבוא Εἰς οἰκίαν πότου. (19) Matt. XXIII. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* (20) ועבדתם שם את אלהים אחרים יומם ולילה אשר לא אתן לכם חנינה (21) Ita Grot. Confer Jerem. V. 19. *Sicut servistis Deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra.* Infra cap. XVII. 4. *Servire te faciam inimicis tuis.*

breus ad Vesbum: *Non dabo vobis gratiam* apud eos. Judæos per captivitatis Tempus Idola coluisse, tam certum est, quam quod maxime; id enim luculentissime tradiderunt Prophetæ: at illud his verbis satis evinci non videtur.

℣. 15. VIVIT DOMINUS, QUI EDUXIT FILIOS ISRAEL DE TERRA AQUILONIS, scilicet, e Chaldæorum regione, Babylonia, cæterisque Provinciis trans Euphratem positis. Miscet Jeremias minis ac terroribus solatia. Reditum e captivitate pollicetur Israelitis, at ita prodigiis coruscantem, ut cum libertate ex Ægypto comparandus sit, ac vetus illud beneficium, cum recenti comparatum, in oblivionem sit abiturum. Plurimi hæc verba de humani generis Redemptione, per Servatorem gesta, interpretantur. Nullum profecto luculentius ac certius Redemptionis pignus est, quam Babylonica e captivitate libertas.

℣. 16. EGO MITTAM PISCATORES MULTOS ... POST HÆC, MITTAM EIS MULTOS VENATORES. Plures afferuntur hujus loci explicationes. Censent nonnulli (1), *piscatores* esse Chaldæos, qui capta Jerosolyma, Judæos Babylonem captivos abduxere; *venatores* vero Persas, qui everso Chaldæorum Imperio, Judæos in libertatem restituerunt. Putant alii (2), piscatores una & venatores indiscriminatim omnes esse Judæorum hostes; Chaldæos illos, hos vero Romanos. Vel utrosque esse populi Dei Liberatores; Medos scilicet ac Persas, qui sub Cyri Imperium collecti, Dei populum in libertatem vindicavere. Denique, si Interpretibus bene multis sit fides (3), Chaldæi solummodo sub piscatorum ac venatorum nomine significantur, qui Judæos ceu reti cepere, odio iniquissimo insectati sunt, interfectisque ingenti numero plurimis, ceteros in captivitatem abegere. Junius & Piscator Ægyptios piscatoribus, venatoribus vero Chaldæos significari arbitrantur. Utrique enim supremis Judaicæ Reipublicæ temporibus Judæos quamplurimis malis affecere, antequam extrema illis cædes a Nabuchodonosore inferretur. Veterum nonnulli (4) hunc locum tropico sensu de Apostolis explicavere, quorum plerique genere piscatores erant, omnesque ad id munus vocati a Christo fuerant, quo homines piscarentur (5), populosque tum institutionibus, tum prodigiorum fulgore quodammodo venarentur.

Tota orationis series postulare videtur, ut de Judæorum hostibus hic locus explicetur. Pollicitus populo Jeremias futurum, ut ex aquilonari plaga Dei beneficio reducantur, ad minas paulo ante intermissas revertitur, monetque e patrio solo avellendos, quocumque demum in loco latere conentur; si in aquis delitescant, piscatores missurum, qui ex aquis eruant; si inter rupes & & nemora fugiant, immissurum venatores, quorum opera e latibulis pellantur. Utramque personam optime gessit Nabuchodonosor; primo enim erga Joachimum & Jechoniam similis piscatori fuit, ipsosque reges, & populi partem cepit. Piscatorum artes non æque cruentæ sunt ac venatorum, & aliqui semper pisces e piscatorum manibus elabuntur. At in supremo Judæorum bello, post generale Jerosolymæ Templique excidium, nemini pepercit, omnemque Juda populum abstulit. Piscatoris ac venatoris metaphora usi sunt Ezechiel (6) & Habacuc (7), cum de capta per Nabuchodonosorem Jerosolyma agerent.

℣. 18. REDDAM DUPLICES INIQUITATES; flagitiorum pœnas duplo redddam. Duplo reddere significat, severissime in aliquem animadvertere. *Duplex* apud Profanos etiam (8) pro *ingenti* usurpatur. Jeremias, XVII. 18. *Duplici contritione contere eos*. Isaias, XL. 2. *Suscepit duplicia de manu Domini*, severissimo supplicio affectus est.

CONTAMINAVERUNT TERRAM MEAM IN MORTICINIS IDOLORUM SUORUM (9), intollerabili Numinum suorum fœtore polluerunt, victimis, quibus sacra Diis suis fecere. Profanas victimas nuncupat *morticina* per contemptum; vel Deos ipsos eo nomine significat, qui mortuorum hominum imaginem exhibebant.

℣. 19. AD TE GENTES VENIENT AB EXTREMIS TERRÆ, ET DICENT: VERE MENDACIUM POSSEDERUNT PATRES NOSTRI. Gentium conversionem vaticinatur. Non leves aliquæ gentium conversiones post Babylonicam captivitatem contigere. Ita, regnante Assuero, cum Mardochæus atque Esther Regis gratia florerent, non pauci ex Gentibus Judaica sacra amplexi sunt (10); Ethnicis insitum illud odium sensim ponentibus, quo Judæos & Judæorum Religionem aversabantur. Hæc tamen nonnisi initia haberi poterant conversionis post Christi obitum, per Apostolorum institutionem, Crucisque virtutem futuræ. Certatim in Ecclesiam confluxere alieni, ut veteres paternosque errores faterentur, nullamque hactenus sibi hæreditatem fuisse, præter insaniam & mendacium, agnoscerent.

℣. 20. NUMQUID FACIET SIBI HOMO DEOS? Absurdus adeo est hominum error, qui hac sententia carpitur, ut, si serio animadvertere velint, statim ab errore discedant. Si Deos sibi facit homo, ipse igitur melior Diis est; si melior, jam illi Dii non sunt. Hanc Ethnicorum insaniam ita arguit Tertullianus in Apologetico: *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: Homo jam Deo propitius esse debebit.*

℣. 21. OSTENDAM EIS MANUM MEAM, manus meæ virtutem, in illorum superstitionem severissime animadvertens.

---

(1) Theodoret. Hug. Lyran. Dionys. Maldon. Castr. Grot. (2) Hebræi apud Hieron. (3) Vatab. Menoch. Sanct. alii. (4) Origen. Homil. 2. in Jerem. Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 9. Ambros. serm. 6. in Psal. 118. Hieron. hic. (5) Luc. V. 10. *Ex hoc jam eris homines capiens*. (6) Ezech. XII. 13. *Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea*. Vide & XVII. 20. XIX. 8. XXXII. 3. ubi eadem metaphora utitur. (7) Habac. I. 4. *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum.* (8) Horat. Sat. 2. lib. 2. *Et nux ornabat mensas cum duplice ficu*. Virgil. Georgic. 3. *Duplex agitur per lumbos spina*, &c. Homer. Χλαῖναν διπλῆν, pallium duplex seu amplum. (9) על חללם את ארצי בנבלת שקוציהם (10) Esther. VIII. *Plures alterius gentis & sectæ, Judæorum Religioni jungebantur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat*. Vide & I. Esdr. VI. 21. (11) Joseph. Antiq. lib. XIII. cap. 17.

CAPUT XVII.

Judæorum pertinacia. Hi flagitiis veluti gloriantur. Inane est ex hominibus auxilium. Uni Deo secure creditur. Jeremiæ oratio, Divinam opem adversus hostes postulantis. Sabbati Religio. Minæ in Jerosolymam.

℣. 1. PEccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. 2. Cum recor-

cordati fuerint filii eorum ararum suarum, & lucorum suorum, lignorumque frondentium, in montibus excelsis, 3. Sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, & omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis. 4. Et relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, & servire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit. 5. Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus. 6. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit, cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili. 7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. 8. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. 9. Pravum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? 10. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes; qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum. 11. Perdix fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens. 12. Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ. 13. Expectatio Israel, Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. 14. Sana me, Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero: quoniam laus mea tu es. 15. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat. 16. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. 17. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. 18. Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: paveant illi, & non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. 19. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, & egrediuntur, & in cunctis portis Jerusalem. 20. Et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Juda, & omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem; qui ingredimini per portas istas. 21. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbathi, nec inferatis per portas Jerusalem. 22. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbathi, & omne opus non facietis: sanctificate diem sabbathi, sicut præcepi patribus vestris. 23. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, & ne acciperent disciplinam. 24. Et erit: Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbathi: & si sanctificaveritis diem sabbathi, ne faciatis in eo omne opus: 25. Ingredientur per portas civitatis hujus reges, & principes, sedentes super solium David, & ascendentes in curribus, & equis, ipsi, & principes eorum: viri Juda, & habitatores Jerusalem: & habitabitur civitas hæc in sempiternum. 26. Et venient de civitatibus Juda, & de circuitu Jerusalem, & de terra Beniamin, & de campestribus, & de montuosis, & ab Austro, portantes holocaustum, & victimam, & sacrificium, & thus, & inferent oblationem in domo Domini. 27. Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbathi, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbathi: succendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jerusalem, & non extinguetur.

ỹ. 1. PECCATUM JUDA SCRIPTUM EST STYLO FERREO, IN UNGUE ADAMANTINO (adamantis cuspide); EXARATUM SUPER LATITUDINEM (tabulam) CORDIS EORUM. Jungenda hæc sunt cum capite superiori. Vindictam meam in Judam mox exeram. Hujusmodi hominum flagitia ad fastigium pervenere; iis gloriantur; ea ceu nobilem epigraphen & cordi & altarium suorum angulis inscribunt; quemadmodum illustria Heroum facinora in lapide vel ære cælata, posteris traduntur. Ne ulla unquam suæ impietatis oblivio subeat, sua passim in Regione illius monumenta statuerunt. Hebræus (1): *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, scalpello Samir: cælatum est super tabulam cordis eorum*. Putant aliqui (2), *Samir* Adamantem, aliudve pretiosi lapidis genus significare. Quamobrem vertendum esset: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*, sive, in adamante, auro argentove constricto, ferme uti manuum ungues in extremo digito stringuntur. Videtur aliis (3), *Samir* esse lapis *Smyris*, quo gemmæ expoliuntur, & vitrum scinditur. Hunc

Itali

(1) חטאת יהודה כתובה בעט ברזל בצפרן שמיר חרושה על לוח לבם (2) Mont. Munst. Grot. Menoch. Pisc. alii plerique ex Vulg. (3) Bochart. de animal. tom. 2. lib. 6. c. 11. Vide Dioscorid. lib. 5. c. 143. Stephan. Voce Ἀμυρίς Matthiol. in Dioscorid.

Itali appellant *Smeriglio*. Quamobrem servanda est explicatio, quam primo loco dedimus, scilicet scelus Juda in Judæorum animis cælatum esse, quasi in marmorea tabula, ope adamantis, seu Smyridis. Sunt qui censeant (1) pro *latitudine cordis* quoddam ornamenti sive amuleti genus, in cordis formam, quod, inquiunt, supra pectus pendens gestari solebat, a Jeremia significari. At tum incertissima est ea consuetudo, tum æquo exquisitior videtur interpretata. Codices Septuaginta Interpretum, S. Hieronymi ætate communes, quatuor priores hujus capitis versiculos non habebant. Illos tamen fert Theodoretus; docetque Eusebius Cæsariensis (2), in emendatissimis Codicibus non defuisse; hos in variis Codicibus, ita invenit Nobilius (3): *Peccatum Juda inscriptum est in scriptura in ungue adamantino, insculptum in pectore cordis eorum*.

ET IN CORNIBUS ARARUM EORUM. Inscribebantur olim, aris Deorum nomina, quibus erant sacræ; at aræ cornibus inscribi consuevisse non credo. Neque etiam commune fuit, aras recenter dedicatas cornibus instruere. Judæi, uti fert hic Jeremias, flagitia sua, quasi trophæa, profanorum altarium cornibus inscribebant, nequis ea ignoraret. Superstitionem neque metu dissimulabant, neque abscondebant verecundia: illam publice profitebantur; eaque gloriantes, illius memoriam quodammodo posteris tradere epigrammatum ope studebant. Hæc gravissima fuit irritandi Numinis causa.

℣. 2. CUM RECORDATI FUERINT FILII EORUM ARARUM SUARUM. Vel cum præcedentibus junge: Flagitia sua cornibus ararum inscripsere, *ut*, sive, *adeo ut recordentur filii eorum* (4), quem in usum destinatæ fuerint hujusmodi *aræ & luci*, *&c.* cum eo viderint, vel eo sacra facturi venerint. Hujusmodi ararum memoriam ad posteros mittere studebant, eosque iisdem sententiis imbuere, quibus ipsi tenentur, cum in agro sacrificant: *Sacrificantes in agro*, ℣. 3. Vulgo hæc verba junguntur cum ℣. 2. At Hebræus, Chaldæus, Septuaginta ex his exordiuntur ℣. 3.

℣. 3. SACRIFICANTES IN AGRO: FORTITUDINEM TUAM . . . IN DIREPTIONEM DABO. Si Hebræum sequaris, aliam hinc sententiam eruere potes (5): *Montem meum, in agro* [illegible]*um*, *substantiam tuam*, *omnes thesauros tuos in direptionem* hostibus *dabo*. Chaldæus: *Pro eo quod coluistis idola in agro, substantiam vestram direptioni tradam*. Septuaginta (6): *O montane, in agro* habitans, *opes tuas*, *& thesauros tuos omnes direptioni dabo*. Alii: *Mons meus in agrum æquabitur: opes tuas in prædam dabo*, *&c.* Quod apud Vulgatam *fortitudo* dicitur, *opes* etiam significare potest. Minime dubito, quin jungendi sint ℣℣. 2. & 3. in hanc sententiam: Ne unquam posteri obliviscantur *ararum suarum*, *& Nemorum silvestrium* (Hebræus, *Aserim*), quæ ipsi colebant *in lucis frondosis*, *in collibus editis*, *in montibus*, *in agris*. *Opes tuas*, *thesauros*, *excelsa tua in direptionem dabo*, *propter peccata* a te patrata *in omnibus finibus tuis*. Tertius hic versiculus iisdem ferme verbis idem est ac 13. Capitis xv. (7).

℣. 4. RELINQUERIS SOLA AB HÆREDITATE TUA; hæreditate spoliaberis, ac penitus exuta in hostium potestatem traderis. Hebræus (8): *Et intermissionem facies tu & qui tecum, ab hæreditate tua: colere cessabis*. Terra tua, te invita, quiescet (9) cumque Legi meæ, telluris quietem singulis Sabbathis, totisque annis Sabbathicis imperanti (10), obtemperare nolueris, te ex hac regione abigam, & quietem, quam tu relinquere noluisti, terræ tuæ ipse ultro largiar. Ita fides sua Mosaicis minis, tam longo antea tempore pronunciatis, stetit (11): *Tunc placebunt terræ sabbatha sua cunctis diebus solitudinis suæ, quando fueritis in terra hostili: sabbathizabit, & requiescet in sabbathis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbathis vestris, quando habitabatis in ea*.

℣. 5. MALEDICTUS HOMO QUI CONFIDIT IN HOMINE. Damnat fœdera, quæ Sedecias cum variarum gentium Regibus (12), ac præsertim cum Ægypto (13) inierat, ut sese adversus Chaldæorum vim tueretur. Frustra iis provisionibus uteris, quas carnis prudentia docet: Dei opem implorare opus est, illique omnino credere. Verte jam consilia, ejusque iram placare studeto; tuosque hostes deinceps ne vereare.

℣. 6. ET ERIT QUASI MYRICÆ IN DESERTO, ET NON VIDEBIT, CUM VENERIT BONUM. Neque udum neque sudum tempus infœcundis iis arboribus prodest, quæ in aridis regionibus nascuntur; illas enim minime recreat imber, cum arena in qua satæ sunt, humorem non contineat. Æstu vero uruntur; & illud ipsum quod bonas arbores nutrit atque auget, inutile illis est, cum enim ex ingrato solo nascantur, satis erigi & crescere nequeunt: nulli denique hominum usui opportunæ, etiamsi omnem, quæ in solo arenoso haberi potest, perfectionem assequantur. Hebræa vox (14) *Oroer*, quam S. Hieronymus *myricam*, Græci *agriomyricam*, seu myricam Sylvestrem reddunt, certe arborem inutilem significat: at præcise *myricam* significare, apud omnes non constat. Verterat Symmachus *arborem inutilem*, alii *juniperam*, alii *rosmarinum*, alii denique *stipitem*, sive nudam sterilemque arborem. Similem locutionem vide inferius *Jerem.* XLVIII. 6. & *Isai.* XVII. 2.

IN TERRA SALSUGINIS (15), in terra nitro gravida, cujusmodi sterilissimæ esse solent. Jacens circa mare mortuum & Erythræum Regio, & Arabiæ petrææ pars ob ingentem nitri copiam steriles efficiebantur, nitro vel arbores urente, vel steriles & pravo succo plenas efficiente rarissimas eas arbores, quæ forte ibi radices egebant.

℣. 8. QUASI LIGNUM QUOD TRANSPLANTATUR SUPER AQUAS. Justum hominem uni Deo credentem opponit homini, qui fiduciam omnem in homine collocat. Hic similis myricæ est, in nitrosis Arabiæ desertis, in tesquis natæ, ille arbori opimæ, in solo eximio & ad aquas satæ. Eamdem sententiam fert Psalmus 1. 3. & Pindarus in Odis (16).

℣. 9. PRAVUM EST COR OMNIUM. Hebræus (17): *Perversum est cor præ omnibus*, vel, magis quam omnia. Nihil pravum magis, infidum, fallax, quam cor hominis; nihil enim illo tortuosius obscuriusve. Septuaginta (18): *Profundum est cor super omnia*, scilicet, impenetrabilius quam dici queat: at omnes illius recessus nullo prorsus negotio scrutatur Deus: *Ego Dominus scrutans cor* ℣. 10.

℣. 11. PERDIX FOVIT QUÆ NON PEPERIT. *Ajunt Scriptores naturalis historiæ, hanc perdicis esse naturam, ut ova alterius perdicis, idest aliena, furetur, & eis incubet, foveatque; cumque fœtus adoleverit, avolare ab eo, & alienum parentem relin-*

[1] Grot. S[illegible]. Menoch. Tir. [2] Euseb. Cæsar. lib. 2. Demonstr. [3] Ἁμαρτία Ἰούδα ἐγγέγραπται ἐν γραφῇ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ, ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν. [4] כזכר בניהם מזבחותם [5] הררי בשדה חילך כל אוצרותיך לבז אתן במתיך בחטאת בכל גבוליך Septuag. Ἐν τῷ μνημονεύειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, &c. [6] Ὦ ὄρος ἐν τῷ πεδίῳ, τὸν πλοῦτόν σου, καὶ πάντας τοὺς θησαυρούς σου εἰς προνομὴν δώσω.
[7] ℣. 13. cap. xv. חילך ואוצרותיך לבז אתן לא במחיר ובכל חטאותיך ובכל גבוליך (14.) [8] ושמטתה ובך מנחלתך אשר נתתי לך [9] Ita Chald. Grot. Vat. Pisc. [10] Exod. XXIII. 2. Levit. XXV. 3. 4. [11] Levit. XXVI. 34. 35. [12] Vide Jerem. XXVII. 1. 2. 3. [13] Vide Jerem. XXXVII. 4. [14] והיה כערער בערבה ולא יראה כי יבוא טוב [15] Hebr. ארץ מלחה Septuag. Γῆ ἁλμυρᾷ. Sym. apud Theodoret. in Antris, Ἐν φαλσοῖς. [16] Pindar. Nem. Ode 8. [17] עקב הלב מכל [18] Βαθεῖα ἡ καρδία παρὰ πάντα.

inquere. Ita S. Hieronymus hic, quem Interpretes plutes sequuntur (1). Eamdem rem confirmat S. Ambrosius (2), addens, pullum audita veræ patentis voce avolare, relicta ea quæ incubuerat. At rerum naturalium Scriptores tale nihil tradunt. Septuaginta feruot (3): *Clamavit perdix: congregavit ea quæ non peperit*. Quæ in verba animadvertit Theodoretus (4), perdices aliquas ab aucupe cicurari, ut earum voce perdices cæteræ in laqueos trahantur. Probant hoc Ælianus (5), & Author Ecclesiastici xi. 32.

Putant nonnulli (6), perdicem, ut amplam feturam simulet, aliarum perdicum pullos ad se vocare; at ubi veræ pullorum parentes vocem emiserint, pulli relicta aliena ad matrem volant. Alii (7) hunc locum ita vertunt (8): *Perdix multa ova parit, ut non omnia excludit*, cum enim humi nidificet, nidum frequenter relinquere cogitur, vel a feris, canibus, & aucupibus pulsa; quamobrem ova refrigerantur, & infœcunda fiunt; vel imbribus corrumpuntur, vel franguntur a maribus. Raro denique omnia unius fœturæ ova a perdice excluduntur: atque hoc fortasse vult hoc loco Propheta. Similes perdici sunt impii: quemadmodum enim perdia ova quamplura, pullos perpaucoa edit, ita impii partis scelere fortunis, quamquam amplissimis non ditescent: *Fecit divitias, & non in judicio; in dimidio dierum suorum derelinquet eas*. Quæ hic Jeremias de ave *kore*, multo aptius *cuculo*, quam perdici, conveniunt. Ipsum oomen *kore* oritur ex *kara*, clamare. Quamobtem cuculo optime competit, qui nonnisi ex voce fere cognoscitur; auditur enim illius vox, quin ipse videatur. Ova ponere dicitur in alterius avis nido, & quæ poluerit, ipse non fovet (9). At omnia, quæ de cuculo veteres tradidere, incertissima sunt, is enim & nidificat, & ova parit, & incubat, ut cæteræ aves solent.

℣. 12. Solium Gloriæ Altitudinis a principio; Divinæ gloriæ solium ab initio editum est. Verti possunt in vocativo casu versiculus hic & sequens: *O solium gloriæ, locus ab initio sublimis, locus sanctificationis nostræ* (℣. 13.) *Expectatio Israel*. (Hæc per apostrophen ad Templum Domini, quod superius (10) *solium gloriæ* appellaverat, diriguntur). *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur*, scilicet in pulvere, cuilibet vento obnoxii. Vulgaris est loquendi modus; alteri Latinorum similis, qui inanes irritasque pollicitationes *in aqua scribendas* esse ajebant (11). Vel, scribi in terra usurpatur, ut oppositum alteri scribi in Cœlo, in libro vitæ (12). Nomen sibi comparare in terra poterunt impii; at tota illorum sors hos limites non superabit, quippe quorum nomina e libro vitæ delebuntur.

Vanam aquarum viventium, mendacibus iis fontibus, scissisque cisternis, aquam minime continentibos, quas Judæi deserto Deo elegerunt, oppositam (13): *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*.

℣. 14. Laus mea tu es, seu gloria mea (14). Tu unicum es laudum mearum argumentum; vel; unicum spei meę fulcrum, pręsidium, gloria. Dum a te defendar, nihil me imposterum terrebit.

℣. 15. Ecce dicunt ad me. Ubi est verbum Domini? veniat. Superba Judæorum oratio, Dei patientiæ tamdiu parcentis, minarumque Propheticarum executionem non statim proferentis, quodammodo insultantium. Similis huic arrogantia apud alios Prophetas (15) legitur.

℣. 16. Non sum turbatus te pastorem sequens. Quibuslibet me periculis constanter objeci: omnes hostium minas neglexi, validissima tuę manus ope fretus. Hebræus (16): *Et ego non festinavi*, non properavi, *ne pastor essem post te*. Molestum hoc munus ac discriminis plenum, tua ope fretus, quam mihi certissime pollicebar, ampleaus sum. Septuaginta (17): *Ego non laboravi, sequens post te*. Chaldæus. *Non sum cunctatus super verbum tuum, ut non prophetarem eis*. Certe Jeremias adolescentiam solummodo causatus est, cum ad Propheticum institutum vocaretur (18): *A, a, a, Domine Deus, ecce ego nescio loqui, quia puer ego sum*.

Diem hominis non desideravi; tu scis. Neque prosperas fortunæ vices, neque vitæ commoda optavi (19): Ministerio non sum abusus, ut cuiquam adularer, aut cujusquam amicitiam mihi compararem: Ipse tu nosti. Aliter: Hominum testimooium non quæsivi; eorumque Judiciis minime territus sum, ut veritatem aut corrumperem, aot dissimularem. *Dies hominis* apud S. Paulum (20) significare videtur publicum vulgi judicium. Hebræus (21): *Diem infelicem*, molestum, tristem, *non optavi, tu scis*. Hoc munus, quod innumeras mihi curas pariturum noveram, minime expetivi. Sive Populi exitium, supplicium, aut calamitatem nunquam desideravi (22).

℣. 17. Non sis tu mihi formidini. Sive: Ne patiare, ut hostium minis quatiar seu terrear: tuis viribus tu me rege, territumque confirma.

℣. 18. Duplici contritione (23) contere eos, variis scilicet malis, improvisis, iteratis, insolitis. Extremis illos calamitatibus obrue. *Duplex* pro *magno* apud Scripturam & profanos usurpatur. Vid supra, Caput xvi. 18. & *Origen. Homil.* xii. in Jeremiam.

℣. 19. Vade, sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Juda. Agere hic puto Jeremiam de Regiarum ædium foribus, ubi ingens semper populi concursus habebatur; sive de occidentali Templi porta, qua Reges ex ædibus suis in Dei domum veniebant. Nova hic instituitur oratio, cujus tempus ignoratur. Illud constat, publice pronunciatam esse, ob publicas legis, Sabbati quietem imperantis, violationes.

℣. 21. Custodite animas vestras. Hebræus (24): *Vigilate in animas vestras*. Sabbatum veremini, si severissima supplicia vitare cupitis, si vitam amatis; eo enim violato, vos ego neci tradam. Sabbati Religio sub mortis pœna imperabatur (25).

Nolite portare pondera in die sabbati. Ni-

[1] Sanct. Tirin. Menoch. Vat. Munst. [2] Ambros. lib. 6. Hexaemer. c. 3. & ep. 32. nov. edit. n. 6. [3] Ἐφώνησε πέρδιξ, συνήγαγεν ἃ οὐκ ἔτεκε. [4] Theodoret. hic. Τῶν περδίκων, οἱ θηρᾶται τιθασσεύουσι πέρδικας, ἵνα διὰ τῆς τούτων φωνῆς τὰς ὁμογενεῖς συγκαλῶσι. [5] Ælian. de animal. l. 4. c. 16. [6] Olympiodor. Chrysost. Hippolyt. apud Bochart. de animal. sacr. t. 1. l. 2. c. 12. [7] Jun. Pisc. Anglic. Grot. [8] קרא דגר ולא ילד [9] Vide Ælian. lib. iii. cap. 30. Plin. lib. x. c. 9. [10] Cap. xiv. 21. *Ne facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ*.
[11] Catull. *Dixit: Sed mulier cupido quod dixit amanti,*
In vento, & rapida scribere oportet aqua.
[12] Philipp. iv. 3. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*. Apoc. iii. 5. xiii. 8. &c. Vide, si lubet, Exod. xxxii. 32. [13] Jerem. ii. 13. [14] כי תהלתי אתה Septuag. Ὅτι καύχημά μου σὺ εἶ. [15] Vide Isai. xxviii. 10. xxxiv. 15. Amos 5. 18. Mich. ii. 6. &c. [16] ואני לא אצתי מרעה אחריך [17] Ἐγὼ δὲ οὐκ ἐκοπίασα κατακολουθῶν ὀπίσω σου. [18] Jerem. i. 6. [19] Sanct. Menoch. Tir. [20] 1. Cor. iv. 3. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die*. [21] ויום אנוש לא התאויתי אתה ידעת [22] Ita Chald. Munst. Mont. Vat. Grot. Jun. Pisc. &c. alii & Theodoret. [23] ומשנה שברון שברם [24] השמרו בנפשותיכם [25] Exod. xxx. 15. *In die septimo Sabbatum est; omnis qui fecerit opus in hac die, morietur*. Vide Num. xv. 32.

Nihil servile aut in Urbe aut in agro die Sabbati agite. Ita explicanda sunt quæ hic monet Jeremias. Sanctissimas Veteris Testamenti Leges Judæorum Doctores (1) inanissimis animadversionibus depravarunt. Si quis calceos gerat, inquiunt, id non est, pondus gerere; est vero, si clavos sub calceis habeat. Siquis in alterutro humero quidpiam gerat, illud est pondus, minime vero, si utroque.

℣. 26. SACRIFICIUM ET THUS; *Oblationes* e tritico, panibus, simila, fructibus, liquoribus, *& thus* (2).

℣. 27. SUCCENDAM IGNEM IN PORTIS EJUS, ET DEVORABIT DOMOS JERUSALEM. Bellum in Jerosolymam immittam; atque obsidione cingetur, portæ capientur & cremabuntur, atque urbs universa in cineres redigetur. Verba tunc faciebat Jeremias ad urbis portas, in foro, ubi cœtus populi celebrabantur. Pro *Domibus* Hebræus fert *Palatia* (3); Septuaginta, *Bivia* (4); Symmachus (5) *turritas domus*.

---

(1) Origen. lib. 4. c. 2. Περὶ ἀρχῶν. (2) ומנחה ולבנה Septuag. Μαναὰ, καὶ λίβανον. (3) ארמנות ירושלם (4) Ἄμφοδα Ἱερουσαλήμ. (5) Sym. Aqu. Βάρεις.

CAPUT XVIII.

Quemadmodum figulus vas suum pro arbitrio tractat, ita de populo decernet Deus, uti libuerit. Extrema Judæorum flagitia. Horum conspiratio in Jeremiam, & Jeremiæ questus.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Surge, &
descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. 3. Et descendi in
domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. 4. Et dissipatum est vas,
quod ipse faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit illud vas alterum, sicut
placuerat in oculis ejus, ut faceret. 5. Et factum est verbum Domini ad me, di-
cens: 6. Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Do-
minus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. 7. Re-
pente loquar adversum gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, &
disperdam illud. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum
adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.
9. Et subito loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. 10. Si
fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam su-
per bono, quod locutus sum, ut facerem ei. 11. Nunc ergo dic viro Juda, & ha-
bitatoribus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos ma-
lum, & cogito contra vos cogitationem: revertatur unusquisque a via sua mala, &
dirigite vias vestras, & studia vestra. 12. Qui dixerunt: Desperavimus: post cogi-
tationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.
13. Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate Gentes: Quis audivit talia horribilia, quæ
fecit nimis virgo Israel? 14. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli
possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes? 15. Quia oblitus est mei populus
meus, frustra libantes, & impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent
per eas in itinere non trito: 16. Ut fieret terra eorum in desolationem, & in sibi-
lum sempiternum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, & movebit caput
suum. 17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem
ostendam eis in die perditionis eorum. 18. Et dixerunt: Venite, & cogitemus con-
tra Jeremiam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sa-
piente, nec sermo a Propheta: venite, & percutiamus eum lingua, & non attenda-
mus ad universos sermones ejus. 19. Attende, Domine, ad me, & audi vocem ad-
versariorum meorum. 20. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt fo-
veam animæ meæ? Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro
eis bonum, ut averterem indignationem tuam ab eis. 21. Propterea da filios eo-
rum in famem, & deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis,
& viduæ: & viri earum interficiantur morte: juvenes eorum confodiantur gladio in
prælio. 22. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem
repente: quia foderunt foveam, ut caperent me, & laqueos absconderunt pedibus
meis. 23. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mor-
tem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum a facie tua non deleatur:
fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

℣. 2. DESCENDE IN DOMUM FIGULI, ET IBI AUDIES VERBA MEA. Novam hic Jeremias orationem instituit, quæ cum præcedentibus necti nullo modo videtur. Imperat illi Deus, ut in domum figuli, sive *certi cujusdam* (1) *figuli*, nominatim designati, sese conferat, Divinæ ibi voluntatis voces percepturus. Ut ostenderet Deus, quanta erga se subjectione homines esse deceret, figuli comparatione usus est, quidlibet e luto ex arbitrio conficientis (2).

℣. 3. ET IPSE FACIEBAT OPUS SUPER ROTAM, Hebræus (3): *Et ecce ipse faciens opus super duos lapides*, vel, *super duas rotas*. Duplex fuisse olim rota in usum figulorum creditur; vel machina constans e rota ampliori, minorem sustinente, cui minori incumbebat lutum, ceu rotæ majoris modio. Non desunt nostra adhuc ætate figuli, simili machina utentes. Ecclesiastici Scriptor figulum sedentem ad rotam his verbis describit (4): *Figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos, curvabit virtutem suam*. Quibus verbis describitur figulus, corpore curvo operi incumbens. Homerus apud Strabonem (5), ait, figulum torquere manu Rotam: at Possidonius hunc versum ab Homero abjudicat, qui certe in impressis Homeri editionibus non legitur. Figuli rotam ab Anacharsi inventam esse, plerique veterum narrant (6). Is vetustior Authore Ecclesiastici est; & in vetustissimis Scripturæ Libris *Rotæ* nomen pro figuli machina nusquam lego. Quamobrem locus dubio esse potest, utrum Hebræa vox *Abanaim* vere rotas significet. Septuaginta (7) simpliciter reddunt *lapides*; eaque propria est Hebrææ vocis significatio. Chaldæus (8), *rotam figuli*, seu *cathedram*. Cathedras etiam apud Exodum (9) significat ea vox *Abanaim*. Profecto qui fieri potest, ut figulus super rotam sedeat?

℣. 4. ET DISSIPATUM EST VAS QUOD IPSE FACIEBAT, vel sponte vel inter artificis manus; *Hoc agente Providentia divina, ut manus artificis, dum nesciret, errore suo parabolam figuraret* (10); vel ipse figulus vas fregit, quod minime placeret (11), eodemque ex luto alterum conficere instituit. Ea figura illud affabre significabatur, quod Deus docturus erat Jeremiam, ut ipse deinceps tradit, Gentes in Dei manu sunt, ceu lutum a figulo tractatur. Hos ille erigit, dejicit alios, conterit restituitque, uti videtur. Hac imagine quam graphice describitur hominis conditio, Deo nunquam non egens, infirma, & subdita!

℣. 8. SI POENITENTIAM EGERIT GENS ILLA... AGAM ET EGO POENITENTIAM, &c. Libera hominis voluntas decretis Dei minime cogitur, & liberum illius arbitrium his minime vitiatur; si enim, pœnitentiam amplexi, convertamur, illius minas avertere, atque ab ipsius manu fulmina removere possumus. Absit vero credamus, converti ad Deum hominem posse, illius gratia penitus destitutum: *Nec statim erit hominis quod eveniet, sed ejus gratiæ qui cuncta largitur est. Ita enim libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris*, inquit S. Hieronymus.

℣. 12. QUI DIXERUNT: DESPERAVIMUS. Acta res est, feraque nimis conversio. Nulla nobis est spes reditus, vel, ita recessimus, ut reverti nequeamus. Vide supra II. 25. ubi eadem impiorum responsio legitur. Vertunt aliqui (12): *Dixerunt: Despeximus*; aures vobis præbere jam fessi dedignamur. Septuaginta (13): *Dixerunt: audaces efficimur*, pervicaciores in male agendi proposito. Chaldæus: *A tuo cultu aversi sumus*. Ea impiis verba tribuit Propheta, quæ illos habere decebat, si ex animi habitudine loqui vellent, non quæ omnino pronunciarunt.

℣. 13. VIRGO ISRAEL. Israelitica gens virgini comparatur, non pudicitiæ aut innocentiæ causa, sed quod flagitia, scelera, infidelitas turpia magis & odiosa in virgine sint, quam in cæteris. Urbes gentesque frequenter Scriptura sub imagine Virginum exhibet: Virgo filia Syon, filia Babylonis, filia Ægypti, &c.

℣. 14. NUMQUID DEFICIET DE PETRA AGRI NIX LIBANI? AUT EVELLI POSSUNT AQUÆ ERUMPENTES (℣. 15.)? QUIA OBLITUS EST MEI POPULUS MEUS. Fieri ne potest, ut quis turbidas cœnosasque aquas sectetur, ubi præsto sit fons, vivas ac frigidas exhibens? Quis alibi frigus quærat, dum nix Libani suppetat? Me tamen reliquit populus meus, me perennium suaviumque aquarum fontem, ut fœtidas & alienas bibat; superstitionem, scelus, libidinem. Opibus, quæ in foribus erant, neglectis, inanissima bonorum spectra per difficiles & obliquas vias sectati sunt: *Ut ambularent in itinere non trito*. Confer alterum Jeremiæ locum, II. 13. *Obstupescite, cœli, super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer: Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Eadem hic Dei querela est: Nivem Libani, ejusque scaturigines, frigidas semper & uberrimas, gens mea reliquit, ut alias aquas, mendaces aquas & pessimas, quæreret.

Hebræus (14): *Numquid relinquet* quis *rupem agri, nivem Libani? Num evellentur aquæ alienæ, scaturientes, defluentes?* (℣. 15.) *Tamen obliti sunt mei populus meus*. Aliter: Numquid relinquent aggeres agri nivem Libani? Vel: An relinquet petra agri nivem Libani? Omnia obscurissima. Septuaginta (15): *Numquid deficient de petra mammæ* (fontes), *aut nix de Libano? Numquid declinabit aqua vehementer vento pulsa?* Me tamen reliquit gens mea. Quæ sensu carent, constantissimo semper ordine & cursu aguntur: rupium fontes nunquam deficiunt; montium editissimorum nives minime tabescunt; maris fluctus impetum ventis sequuntur: populus vero meus, quem ratione, utilitate, metu, amore agi decebat, summo bono neglecto, inanitatem ac mendacium sectatur. Satis apta mihi videtur hæc explicatio. Denique ita Hebræus reddi potest: *An relinquet* quis *agrum cultum præ rupe & nive Libani? An dissipabuntur*, perdentur, exhaurientur data opera *aquæ fontis* (ad verbum, *aquæ alienæ*, subterraneis ignotisque venis scaturientes) *aquæ frigidæ & uberes?* Atque hoc ipsum egit populus meus, cum, me relicto, Idola sectatus est.

℣. 15. FRUSTRA LIBANTES, ET IMPINGENTES IN VIIS SUIS, ET IN SEMITIS SÆCULI, vel *antiquis*. *Æterna itinera* (16), ab initio indicata, atque a majoribus constantissime servata, reliquere: aberrarunt, ut vias alienas & iter minime tritum sequerentur. Confer hunc locum cum altero (17): *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*. Vias inspicite, ac rogate, quæ sit vetus via (via æterna), quæ optima, eamque sectamini.

Via

[1] ירדת בית היוצר [2] Psalm. II. 9. *Tamquam vas figuli confringes eos*. Isai. XLV. 9. *Numquid dicet lutum figulo suo: quid facis?* Rom. IX. 21. *An non habet potestatem figulus luti, &c.*
[3] והנהו עשה מלאכה על האבנים Καὶ αὐτὸς ἐποίει ἔργον ἐπὶ τῶν λίθων. [4] Eccli. XXXVIII. 32.
[5] Homer. apud Strabon. lib. 7. pag. 209. Vide Casaubon. in eum locum. [6] Plin. lib. 7. Laert. lib. 1. Ephor. apud Strabon. lib. 7. p. 209. [7] Ἰδοὺ αὐτὸς ἐποίει ἔργον ἐπὶ τῶν λίθων.
[8] Chald. על פרנא [9] Exod. I. 16. [10] Hieronym. [11] Grot. hic. [12] ויאמרו נואש
[13] Καὶ εἶπαν, ἀνδριούμεθα. Symmach. *Defecimus*. [14] היעזב מצור שדי שלג לבנון אם ינתשו מים זרים קרים נוזלים [15] Μὴ ἐκλείψουσιν ἀπὸ πέτρας μαστοὶ, ἢ χιὼν ἀπὸ τοῦ Λιβάνου; μὴ ἐκκλινεῖ ὕδωρ βιαίως ἀνέμῳ φερόμενον. [16] שבלי עולם Septuag. Τρίβους αἰωνίους. [17] Jerem. VI. 16. שאלו לנתיבות עולם

Via regia dicitur quasi per proverbium via æterna & vetus. Insani viatoris est, antiquas tritasque vias deserere, ut ramotas, ignotasque, & discrimine plenas sequatur. Hoc ipsum fecit Juda, profanorum numinum religionem sequens.

℣. 16. Ut fieret terra eorum in sibilum sempiternum (1), æternum opprobrium. Sibilus vulgo contemptus indicium est (2). Horatius (3):

Populus me sibilat, at mihi plaudo.

Obstupescet et movebit caput suum. Contemnentis atque insultantis gestus, apud Scripturam familiaris (4).

℣. 17. Sicut ventus urens dispergam eos. Hebræus, *Sicut ventus Radim*, qui ventus aridus & urens est, ex Arabiæ desertæ plaga flans, quo exsiccantur corpora, & innumera in Judæa & Ægypto incommoda patiuntur. Vide *Exod.* x. 13. xiv. 21.

Dorsum et non faciem ostendam eis; veluti si quis rem molestam atque odiosam aspicere nolit. Hujus damnationis vim in Judæis adhuc cernimus, inquit S. Hieronymus; quippe in omnes terrarum plagas dissipati, clamare nunquam desinunt in Synagogis, ac Dei nomen invocare; qui tamen os avertit, ipsosque tenebris & probro obrutos destituit.

℣. 18. Non enim peribit lex a Sacerdote, neque consilium a Sapiente, nec sermo a Propheta. Sublato Jeremia, nec Sacerdotes deerunt qui legem doceant, nec sapientes qui consiliis juvent, nec Prophetæ qui Dei voluntatem nobis nuncient. Aliter: Jeremiam necemus; quamdiu enim in vivis erit, nunquam legis obliviscetur, neque exprobrare cessabit, legem a nobis violari, Sapientiæ, qua se abundare credit, consiliis, tristibusque vaticiniorum suorum nunciis nulla intermissione nos fatigabit. Vel. Quemadmodum enim legis nunquam obliviscitur Sacerdos, neque Sapiens consiliorum; ita Jeremias mala semper vaticinatur. Denique: Mali ominis vates, molestus concionator necandus est; quidquid enim ipse minitetur, populum suum Deus nunquam adeo destituet, ut Sacerdotibus, Lege, Sapientibus, Prophetis careamus. Vel: Fieri non potest, ut errantibus cæteris, unus ipse Divino Numine affletur? Omnes igitur Sacerdotes, Sapientes, Prophetæ nos fallunt, aut legem penitus ignorant? Elige ex hisce explicationibus quam malueris.

Percutiamus eum lingua. Illius famam quovis calumniarum genere laceremus (5), existimationem evertamus, ipsumque ceu deceptorem aut seditiosum apud Regem insimulemus. Vel ex aliis: Illum linguæ (6), scilicet, orationum ipsius causa interficiamus: assiduas jam importunasque objurgationes morte luat. Has inter ærumnas luculenta Jesu Christi imago Jeremias erat; ac nihil ferme de Jeremia dicitur, quod multo aptius in Christum, Judæorum odiis agitatum, non competat.

℣. 20 Quia foderunt foveam animæ meæ in mei ruinam ac perniciem, quemadmodum erui solent scrobes, quibus feræ capiantur, veluti lupi & apri; sive hoc insidiarum genere uti olim in homines solerent; sive Propheta ad illud alludat, quod a Venatoribus erga feras agitur.

℣. 21. Da filios eorum in famem. Vindictæ desiderio ita ne loquitur Jeremias? an Divinæ Justitiæ studio, rebus suis suarumque ærumnarum ultione neglectis, postulat ut Dei gloria reparetur, satisque illius justitiæ fiat? Denique, merum ne vaticinium est, ex animo pii servoris pleno elicitum, iisque verbis expressum, quibus aliqua animi turbatio, & vindictæ cupiditas significatur; quæ tamen solummodo ex charitate profluunt, injurias sentiente, quibus Dei Majestas per flagitia offenditur? Postremam certe hanc Interpretationem in similibus locis Patres & Interpretum plerique amplectuntur. Postquam Deus locum tempusque reliquit, ut resipiscant, & pœnitentiam agant, æquum est optare pios, ut puniatur scelus. *Ne inultum peccatum cæteris noceat exemplo*, inquit hic S. Hieronymus.

℣. 22. Adduces super eos latronem repente, Nabuchodonosorem cum exercitu. Reges imperiorum usurpatores frequenter apud Scripturam (7) latronum nomine significantur, qui spretis justitiæ & Religionis Legibus, infirmiores hostiliter vexant.

℣. 23. In tempore furoris tui abutere eis. Hebræus (8): *In tempore furoris tui fac in eis*, vel cum eis, vel in eos: illis utere, ut merentur: ultionis tuæ vim omnem latissime in illos exerceto.

[1] שריקות עולם Septuag. Σύριγμα τὸ αἰώνιον. [2] Vide 3. Reg. ix. 8. 2. Par. xxix. 8. Jerem. xix. 8. xxv. 9. &c. [3] Horat. lib. 1. Sat. 1. [4] Psalm. xxi. 8. 4. xix. 21. Thren. ii. 15. Matth. xxvii. 39. [5] Theodoret. Συκοφαντίας ὑφαίνωμεν κατ' αὐτῦ. [6] נכהו בלשון Πατάξωμεν αὐτὸν ἐν γλώσσῃ. Vide Jun. [7] Vide Osee vii. 1. Zach. v. 3. 4. Mich. v. 1. [8] בעת אפך עשה בהם Septuag. Ἐν καιρῷ θυμῦ σου ποίησον ἐν αὐτοῖς.

CAPUT XIX.

Luteum vas in valle Topheth a Jeremia fractum, futuræ Judæorum eversionis imago. Mala, quibus illi opprimentur, idololatriæ causa. Jeremias in Templo Domini verba facit, veteresque minas iterum ibi pronunciat.

℣. 1. HÆC dicit Dominus: Vade, & accipe lagunculam figuli testeam a seniori-
bus populi, & a senioribus sacerdotum: 2. Et egredere ad vallem filii
Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis: & prædicabis ibi verba, quæ ego
loquar ad te. 3. Et dices: Audite verbum Domini reges Juda, & habitatores Jeru-
salem: hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam afflictionem
super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures ejus. 4. Eo
quod dereliquerint me, & alienum fecerint locum istum: & libaverunt in eo diis alie-
nis, quos nescierunt ipsi, & patres eorum, & reges Juda: & repleverunt locum istum
sanguine innocentum. 5. Et ædificaverunt excelsa Baalim, ad comburendos filios
suos igni in holocaustum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascende-

runt in cor meum. 6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non vocabitur amplius locus iste, Tophet, & Vallis filii Ennom, sed Vallis occisionis. 7. Et dissipabo consilium Juda, & Jerusalem in loco isto: & subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quærentium animas eorum: & dabo cadavera eorum, escam volatilibus cœli, & bestiis terræ. 8. Et ponam civitatem hanc in stuporem, & in sibilum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, & sibilabit super universa plaga ejus. 9. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum: & unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, & in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum. 10. Et conteres laguncuIam in oculis virorum, qui ibunt tecum. 11. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari: & in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. 12. Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus ejus: & ponam civitatem istam sicut Topheth. 13. Et erunt domus Jerusalem, & domus regum Juda, sicut locus Topheth, immundæ; omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cœli, & libaverunt libamina diis alienis. 14. Venit autem Jeremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, & stetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem populum: 15. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam super civitatem hanc, & super omnes urbes ejus, universa mala, quæ locutus sum adversum eam: quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

℣. 1. Accipe lagunculam figuli a Senioribus populi. Hebræus (1): *Vade, & eme lagenam figuli*, ac tecum elige aliquem *e Senioribus populi, & e Senioribus Sacerdotum*. Ita hunc locum intelligunt Septuaginta (2), Chaldæus, Grotius, aliique; atque ita intelligendum jubent ea quæ sequuntur, cum ipse luteum vas, in vallem Topheth delatum, coram illis fregerit (℣. 10.) *Et conteres lagunculam in oculis virorum qui ibunt tecum*. Quid hoc significaret, inferius videbimus. Nulla est necessario hujus Capitis cum superiore nexio.

℣. 2. Egredere ad vallem filiorum Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis, vel *portæ arsith*; ita enim fert Hebræus, quam vocem nonnulli e Græcis Interpretes, Arabs, Syrus aliique servavere. Hujus portæ mentio hic tantummodo semel in Scriptura legitur. Eam porro circa latus Jerosolymæ meridionale sive orientale patuisse necesse est; cum vallis Ennom vel Topheth ad Euro-notum Jerosolymæ jaceret, Septuaginta pro valle Ennom, legunt (3) *Cœmeterium filiorum Ennom*; revera enim per ea tempora, quæ Regnum Josiæ & reditum e captivitate consecuta sunt, ea vallis in usum condendorum vulgi cadaverum, imo & congerendarum Jerosolymæ sordium destinata est.

℣. 3. Ita ut omnis qui audierit, tinniant aures ejus; veluti si acutus stridensque sonus aures feriat. Hac locutione utitur Scriptura, ut insolitum improvisumque terrorem significet (4).

℣. 4. Alienum [profanum] fecerint locum istum (5). Hunc ego ceu hæreditatis meæ partem non habeo; & vallem Ennom minimi facio, uti locum totius terræ vilissimum. Nihil me prohibebit, quin illum ceu profanum atque execrabilem abominer.

Repleverunt locum istum sanguine innocentum. In Valle Ennom Judæi Templum Arasque Molocho dedicaverant, quas deinde liberorum cruore fœdebant; quemadmodum sacra volumina passim illis exprobrant, & Jeremias conceptis verbis exprimit hic, ℣. 5. & superius VII. 31. 32.

℣. 5. Quæ non præcepi, nec locutus sum. Hoc locutionum genus plerumque plus significat, quam verba sonant. Id ego minime imperavi; scilicet, Id ego aperta sanctione vetui. Fortasse Hebræi miserrima superstitione & cæcitate aliquid præmio dignum sese agere putabant, cum humanas victimas mactarent, quibus & expiarentur crimina & Deus placaretur. Quamobrem ut ostenderet Deus, quantopere ab hoc sacrificiorum genere ipse abhorreret, hac repetitione consulto usus est: *Non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*. Easdem phrases vide supra, VII. 31.

℣. 6. Non vocabitur amplius locus ille Topheth, sed vallis occisionis. Hoc idem alibi prædixerat (6). Topheth & vallis Ennom profanabuntur, nomina amittent, ac deinceps vallis occisionis appellabuntur. Hujus vaticinii fides, capta per Chaldæos Jerosolima, expleta est. Cœperat eum locum profanare Josias; & Nabuchodonosor ingentem adeo Judæorum numerum in ea valle necavit (7), ut hæc, olim pulcherrima & jucundissima, locus fieret vilissimorum vulgi cadaverum, sepulcro destinatus. Septuaginta (8): *Non vocabitur amplius locus ille Ruina & Cœmeterium filii Ennom, sed Cœmeterium occisionis*, vel laniene.

℣. 8. In stuporem et in sibilum; Admirationis & irrisionis argumentum. Vide Caput XVIII. 16.

℣. 9. Cibabo eos carnibus filiorum suorum. Cum liberos ipsi suos Molocho per summam sævitiam mactaverint, eo illos redigam, ut liberorum carnibus vescantur: *Ut qui propria viscera Idolis immolarent, ventres suos sepulcra facerent liberorum*, inquit S. Hieronymus. Inanes non fuisse has minas, docet Historia; obsessa enim Jerosolima sub Sedecia, matres quædam liberorum carnes devorarunt (9).

℣. 10. Conteres lagunculam. Ita claudit oratio-

(1) הלך וקנית בקבק יוצר חרש ומזקני העם (2) Edit. Rom. Βάδισον, καὶ κτῆσαι ἄγγος πεπλασμένον ὀστράκινον, καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ, καὶ ἀπὸ τῶν ἱερέων. (3) Εἰς τὸ πολυάνδριον υἱῶν Ἐννὸμ, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῶν προθύρων πύλης τῆς χαρσείθ. (4) תצלנה אזניו Vide 1 Reg. III. 11. 4 Reg. XXI. 12. (5) וינכרו את המקום הזה Septuag. Ἀπηλλοτρίωσαν τὸν τόπον τοῦτον. (6) Jerem. VII. 32. *Non dicetur amplius Topheth, & vallis filii Ennom, sed vallis interfectionis.* (7) Vide ℣. 7. hujus Capitis. (8) Οὐ κληθήσεται ἔτι τῷ τόπῳ τούτῳ Διάπτωσις καὶ πολυάνδριον υἱοῦ Ἐννὸμ, ἀλλὰ πολυάνδριον τῆς σφαγῆς. (9) Vide Thren. II. 20. & IV. 10. & Ezech. V. 10.

tionem. Quemadmodum fracta est hæc lagena; ita Jerosolyma ejusque populus frangentur & comminuentur, populus scilicet cædi datus, urbs in cineres favillasque redacta.

℣. 11. VAS FIGULI, QUOD NON POTEST ULTRA INSTAURARI. Altera hæc vaticinii pars ad verbum urgenda non est; restituta enim fuit post reditum e captivitate Jerosolyma. Putat S. Hieronymus, absolutam vaticinii fidem sub Romanis denique impletam esse. At insolita res non est, similes huic locutiones apud Prophetas invenire (1), quæ nihil ulterius, præter absolutum exitium, significant. Jerosolyma per Romanos ita eversa est, ut nullæ illis reliquiæ superfuerint, eademque Urbs nunquam restituta sit; quamquam altera illius loco instaurata est, quam pro eadem vetere posteri habuerunt (2).

IN TOPHETH SEPELIENTUR, EO QUOD NON SIT LOCUS AD SEPELIENDUM. Vide supra, VII. 32. & hic, ℣. 6.

℣. 12. SIC FACIAM LOCO HUIC, Jerosolymæ, quam Urbem coram intuebatur, & manu innuebat.

℣. 13. IN QUARUM DOMATIBUS SACRIFICAVERUNT. In ædium tectis, altaria Lunæ & astris dedicata fuerant (3). Hoc igitur scelus ut expiet Deus, minitatur, sese hujusmodi ædes eversurum, atque ad turpissimam Topheth conditionem redacturum, ut loca impura sint, hominum sepulcra, denique radicitus eversurum. Flagitia quæ hic arguit Jeremias, Josiæ jussu coercita sunt (4); at fieri non potuit, ut ipsa mali radix evelleretur. Priorem hujus versiculi partem non habebat Hebraicus codex, quo S. Hieronymus utebatur; at habent noster, Septuaginta, & Chaldæus.

℣. 14. STETIT IN ATRIO DOMUS DOMINI, in magno atrio, vel in atrio populi ubi ingens semper populi conventus habebatur; quamvis enim hæc scelera, quæ Jeremias narrat, in populo baccharentur, Templum frequentari nunquam desiit.

---

(1) Confer Isai. xxx. 14. Psal. II. 9. 12. Sophon. I. 5. Jerem. XXXII. 29.
(2) Vide Grot. & Sanct. hic.
(3) Vide 4. Reg. XXIII.
(4) 4. Reg. XXIII. 12.

CAPUT XX.

Phassur Jeremiam percutit, & carcere damnat; ex quo eductus Jeremias, de Phassur universaque Judæa vaticinatur. Queritur, sese innumeris ærumnis obrui, vaticiniorum causa. Animis confirmatur, Deoque grates agit. Diem ortus sui execratur.

℣. 1. ET audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in
domo Domini, Jeremiam prophetantem sermones istos. 2. Et percussit
Phassur Jeremiam prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini. 3. Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur
Jeremiam de nervo, & dixit ad eum Jeremias: Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique. 4. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te
in pavorem, te, & omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum suorum, &
oculi tui videbunt: & omnem Judam dabo in manum regis Babylonis: & traducet
eos in Babylonem, & percutiet eos gladio. 5. Et dabo universam substantiam civitatis hujus, & omnem laborem ejus, omnemque pretium, & cunctos thesauros regum Juda dabo in manu inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent
in Babylonem. 6. Tu autem Phassur, & omnes habitatores domus tuæ, ibitis in
captivitatem: & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibique sepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium. 7. Seduxisti me, Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & invaluisti: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. 8. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito: & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die. 9. Et
dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens. 10. Audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu: Persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & custodientes
latus meum: si quo modo decipiatur, & prævaleamus adversus eum, & consequamur
ultionem ex eo. 11. Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco, qui
persequuntur me, cadent, & infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. 12. Et tu, Domine, exercituum, probator justi, qui vides renes, & cor: videam, quæso, ultionem
tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. 13. Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. 14. Maledicta dies, in
qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. 15. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus: & quasi
gaudio lætificavit eum. 16. Sit homo ille, ut sunt civitates, quas subvertit Domi-

nus,

nus, & non pœnituit eum: audiat clamorem mane, & ululatum in tempore meridiano. 17. Qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulva ejus conceptus æternus: 18. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem, & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei?

℣. 1. ET AUDIVIT PHASSUR FILIUS EMMER SACERDOS, QUI CONSTITUTUS ERAT PRINCEPS IN DOMO DOMINI. Emmeri nepos erat Phassur per Melchiam, quemadmodum aperte docent Paralipomena (1), & infra, Caput XXI. ℣. 1. Emmer inter majores Phassur, & decimæ sextæ Sacerdotum classis Princeps erat (2). Neque Sacerdotio fungebatur Phassur, uti Veterum nonnullis visum est (3), sed Templi præfectura (4). Cum igitur hunc magistratum gereret, falsos Prophetas ac seditiosos in Templo vinculis coercendi potestate gaudebat. Id luculenter ex iis colligitur, quæ inferius (5) Semeias Sophoniæ filio Maasiæ, eumdem sub Sedecia Magistratum gerenti dixit. Illum enim monuit, sciret sese a Deo Domus suæ Principem ac præfectum pro Jojada esse constitutum, ut eos qui sese nomine afflati, & Prophetas esse simulabant, vinculis & carcere coerceret: *Ut sis dux in Domo Domini, super omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum, & in carcerem*. Helciam Josia regnante Pontificatum exercuisse, nemo ignorat (6); quamobrem Phassur ea ætate Pontifex esse non poruit. Iidem in Templo, non secus atque in Regis alicujus ædibus, Præfecti erant, idem ordo, idemque ministerium, ferme uti apud Reges Juda, servabatur. Templi præfectus idem est atque ii qui passim in Evangelio (7) *Principes Sacerdotum* nominantur. Hoc Caput e superiore sequitur. Censuit Phassur, Jeremiæ minas, quæ Jerosolymæ excidium, ut imminentia illi mala luculentissime nunciabant, carcere & compedibus esse coercendas, quo cautior fieret Jeremias, quamobrem in Jeremiam veluti in Pseudo Prophetam animadvertit.

℣. 2. PERCUSSIT JEREMIAM, ET MISIT EUM IN NERVUM. Illum virgis cædi jussisse videtur, ictibusque novem & triginta castigari; sive alapis cædi (8); vel tantum, *capi jussit*; hoc enim interdum sensu usurpatur verbum *percutere* (9), uti docet Grotius. *Nervus* proprie nervum significat; at de compedibus etiam, quibus captivi stringebantur, usurpatur. Illud vero supplicii genus e duobus asseribus constabat, per intervalla perforatis, qui deinde sejungebantur, & invicem committebantur. Tum insertis duplici foramini captivorum cruribus, asseres jungebantur. Quo autem remotius utrumque foramen erat, eo sævius supplicium. Qui etiam quatto vel sexto foramini inserta haberet, is supplicio sævissimo cruciabatur. Manus interdum etiam & collum simili compedum genere constringebantur. Hebræa vox (10), ex quorumdam sententia (11), carcerem, vel subterraneam scrobem; ex aliis (12) compedum genus significat, de quo mox egimus. Symmachus vertit (13) *locum supplicii*; quasi diceremus: Habita est de illo suppliciis quæstio.

IN PORTA BENJAMIN SUPERIORI, IN DOMO DOMINI. Ex aliis Scripturæ locis discimus, portam Benjamin in numero portarum Jerosolymæ fuisse (14): At minime probamus, ullam e quatuor majoribus Templi portis eo nomine esse distinctam. Idem hic locus (15) innuit, duplicem fuisse portam Benjamini: alteram, qua egressus ab urbe patebat, quæ & inferior porta Benjamin erat; alteram cum Templo conjunctam, qua iter erat in Templum, portam scilicet superiorem Benjamin, de qua hic. Certus tamen hujus portæ situs definiri nequit.

℣. 3. NON PHASSUR VOCAVIT DOMINUS NOMEN TUUM, SED PAVOREM UNDIQUE. *Phassur* Hebraice (16) est *oris nigredo*, teste S. Hieronymo; vel ex aliis, *incrementum lucis*; sive *is qui pallorem parit*. Nomen huic mutat Deus, nuncupatque *Magur missabib* (17), quas voces S. Hieronymus reddit *pavorem undique*; vel *undique mala*; vel ex Septuaginta (18) & Syro, *migrantem*, extorrem, proscriptum. Phassur captivus Babylonem abductus est. Cum vero Deus nomen Phassur mutaturus dicitur, illud significatur, Phassur in posterum minime futurum terribilem eum virum, cujus authoritate & vi tetriti ceteri pallebant; sed miserrimum exulem, omnibus contemptissimum. Vide ℣. 6.

℣. 4. DABO TE IN PAVOREM; te ego pavore complebo; vel, te a patrio solo exulare cogam, servata etymologia, quam versiculo superiore dedimus; eadem enim est in Hebræo (19) utrobique vox *Magar*.

℣. 6. QUIBUS PROPHETASTI MENDACIUM. Propheticum igitur munus affectabat Phassur, eaque fortasse causa fuit simultatis in Jeremiam, quod scilicet hic infana illius omnia vaticinia everteret.

℣. 7. SEDUXISTI ME, DOMINE, ET SEDUCTUS SUM. Magna mihi pollicitus es, opemque tuam mihi certissime promisisti, cum me Prophetam esse jubetes: me futurum ajebas adversus inimicos, ceu murum æneum & columnam ferream (20), neque illorum conatibus & nequitiæ unquam succubiturum: at nunc populi injuriis expositus sum, mihique Principes, Sacerdotes, omnes denique adversantur (21). Ubi promissionum tuarum fides, o Deus? An similis homini es, ut datæ fidei deesse queas? Aliter: promiseras, o Deus, me gentium Ethnicorumque Prophetam futurum (22): *prophetam in gentibus dedi te*; cum vero tam multis ab hinc annis Propheticum hoc munus exerceam, nonnisi ad populum mittor. Id si novissem, adeo ne libenter promptoque animo obtemperassem? Ita fortasse querebatur Jeremias, cum in carcere esset; quæ totidem locutiones æquo acriores idcirco nobis videntur, quod mitiores usurpari nostris motibus soleant. At apud Orientales ea, quæ nobis durius aliquid sonant, maxime

(1) 1. Par. 12. 12. *Adaias filius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ . . . filii Emmer.* (2) 1. Par. xxiv. 14. *Decima sexta Emmer.* (3) Theodoret. Πατχὼρ ἀρχιερεὺς ὢν ἐτύγχανεν. Hieron. *Iste autem erat Pontifex Templi, & data sibi Sacerdotii dignitate in perversum abutitur.* (4) Castr. Sanct. Grot. Vat. Jun. &c. (5) Jerem. xxix. 25. 26. 27. (6) 4. Reg. xxii. 4. 8. 10. & xxiii. 4. 24. 2. Par. xxiv. 14. (7) Matt. xxvi. 47. Luc. xxii. 4. Ita Grot. in Matt. Tolet. in cap. 18. Joan (8) Sanct. Anglic. (9) Ita εὐτάξαντο sumitur Matt. xxvi. 31. Marc. xiv. 27. (10) ויתן אתו על המהפכת (11) Septuag. Ἐνέβαλεν αὐτὸν εἰς τὸν καταῤῥάκτην. Chald. לביסתא Septuag. infra xxix. 26 Ἀπόκλεισμα. Et 2. Par. xvi. 10. φυλακή. (12) Munst. Vat. Jun. Pisc. Hieron. hic. (13) Sym. Βασανιστήριον, seu στρεβλωτήριον. Theodot. Καταῤῥάκτην, ut Septuag. (14) Jerem. xxxvii. 12. xxxviii. 7. Zach. xiv. 10. (15) בשער בנימן העליון אשר בבית יהוה (16) פשחור Septuag. Πασχώρ. Aqu. Ξένος. (17) מגור מסביב (18) Septuag. Μέτοικον. (19) נתנך למגור Septuag. Ἐγὼ δίδωμί σε εἰς μετοικισμόν. (20) Jerem. 1. 18 *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram* Vide & xvi. 27. (21) Hieron. Theodoret. Sanct. Jun. Grot. alii passim. (22) Jerem. 1. 5. Vide S. Hieronymum in Jerem. xxv. 18.

me simplicia existimantur. Quamobrem cum ait Jeremias, sese deceptum a Deo esse, hoc solum significat, sese sibi spem fecisse futurum, ut munus suum in tranquillo rerum statu exerceret, Divinasque pollicitationes sese hoc sensu intellexisse: at nunc denique se experiri, molestissimum munus ac discriminis plenum se suscepisse. Vide *Lament.* III. 53. 54. 55.

Varios Prophetæ æstus, ejusque animi perturbationes toto hoc Capite animadvertere licet. Nunc queritur, territusque & animo dejectus esse videtur: nunc alacris est, atque ultro, ut ita dicam, sese discrimini objicit. Diem ortus sui execratur; statimque Dei laudes canit, cujus ope discrimina vitavit. Ita S. Paulus mœroribus sæpe & angustiis obrutus est, ac parum abesse visus est, quin animo consternaretur; at deinde, Altissimi virtute confirmatus, omnis labores & ærumnas loquitur. Quid? nonne Christus ipse mœrorem prope lethiferum expertus est, adeo ut Angeli solatio indigeret? Statim vero animo confirmatus, Discipulos hortatur, constantissime occurrit morti, ac supplicia sævissima, nullo querelarum indicio, amplectitur. Jeremiæ & S. Pauli exemplis hinc naturæ humanæ infirmitas, inde gratiæ vis demonstratur; quid agere valeamus, ubi animos confirmet, suoque Spiritu impleat Deus; quam infirmi simus, ubi gratiæ vires deficiant.

℣. 8. Factus est mihi Sermo Domini in opprobrium. Undique minarum mearum inanitas, & falsitas vaticiniorum mihi objicitur. Me insultantium more interrogant: Ubi hostis ab Aquilone proficiscens, ubi terror, pestis, fames, quæ minitaris? Non illud dolet Jeremias, quod fallax Propheta habeatur, sed quod Dei verbum contemptui & ignominiæ haberi videat (1).

℣. 9. Et dixi: Non recordabor ejus [Domini], neque loquar ultra in nomine illius. Minas, vaticinia, objurgationes Dei nomine non loquar: desino jam vaticinari: nemo me audit, ac Dei gloria in discrimine est: Quamobrem satius est, ut sileam.

Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans. Frustra jussiones tuas, o Deus, detrectare conatus sum: Tuus me spiritus agit, meque penitus occupat: non resistam. Ignis est, quo uror; flamma, quæ intra cor latere nequit, meque invito micat. Loqui cogor, silere nequeo. Ita S. Paulus (2), cum Athenis esset, grassantemque ibi superstitionem videret, spiritui, quo agebatur, resistere non poterat: *Incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.* Idem ipse alibi (3), sese necessitate compelli fatetur, ut Evangelium nunciet, nullamque sibi in ea re laudem esse; miserum vero, si abstinuerit. Ait Eliu (4), sese spiritu plenum facere non posse, quin loquatur; pectus sibi esse ceu dolium vino recenti plenum, & æstuariis naribus carens, quod vini recentis vi disrumpitur. Si profana sacris jungere fas est, Cumæa sybilla vehementissime agitatur, ut incumbentem sibi Deum, & oracula fari cogentem, excutiat (5):

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum. Tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Putat Sanctius, alteram ex Hebræo hujus loci elici posse sententiam. Animadvertit ille, nec immerito, hunc locum, sensu mox recitato explicatum, cum præcedentibus & consequentibus satis apte non congruere. Quamobrem ita reddit (6): Cum Dei verbum ignominiæ mihi sit, *dixi: Nullam deinceps* Prophetici muneris *mentionem agam, neque Dei nomine loquar*, quoniam illius verbum *est in corde meo ut ignis urens, clausus in ossibus meis*. Assidua hoc mihi causa doloris est, innumerosque inimicos, nullo non tempore mihi molestos, hoc munus peperit. *Opprimor, neque ferre jam queo* ingentem adeo numerum simultatum. [℣. 10.] *Audivi execrationes, quibus undique obruor, ac terrores, quibus me quatere conantur, se invicem hortantes: Persequimini, & persequamur eum.*

℣. 10. Pacifici mei, et custodientes latus meum. Amici mei (7), & qui latus meum assidue obsidebant, denique odia in me converterunt. Hebræus verti potest: *Amici mei, observantes utrum* claudicarem, qui sedulo scrutabantur quicquid agebam, ut, si quid errarem, animadverterent. Ita Pharisæi & Sacerdotes, servatoris gloriæ succensentes, illum vel in rebus, vel in verbis capere conabantur.

℣. 11. Confundentur, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Hebræus (8): Probro obruentur, *quia felici cœptorum exitu carebunt: Opprobrium sempiternum* eorum *nunquam delebitur*, At servari potest Vulgata versio: *Non intellexerunt opprobrium sempiternum*; non animadverterunt, quid ipsorum memoriæ apud posteros noceret.

℣. 12. Videam ultionem tuam ex eis. In eos, me præsente, animadverte; nullaque tibi sit puniendæ illorum nequitiæ mora. Vel: Mala, quæ illis paras, fac, Deus, ut sciam. Non hoc postulat Jeremias, ut injuriarum suarum pœna in adversarios a Deo immittatur. Cum enim sancto Spiritu ageretur, inimicas adeo charitati sententias ab eo doceri non poterat. Humano illum more prædicere jubet supplicia, quæ hostes suos manent.

℣. 13. Laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis. Cum ostenderet Jeremiæ Deus, sese postulatis annuisse, ipsiusque inimicos probro obruendos, & eorum conatus inanes fore, ipsum vero ex eorum manibus elapsurum, Deo grates agit, quasi jam beneficium acceperit. Vel, ex animadversione Theodoreti (9), hymnum ac Dei laudes canit, antequam ad Diras, sequentibus Versiculis recitatas, descendat, ne quis blasphemias esse & impatientis animi sensa arbitretur.

℣. 14. Maledicta dies, in qua natus sum. Superius animadvertimus, Orientales plerumque acriori oratione atque hyperbole uti, ut res maxime vulgares significent. Id hoc loco animadvertendum omnino est. Malis ærumnisque obrutus Ieremias, ut doceat, nonnisi odia & ærumnas ab ipso Prophetici muneris initio sibi occurrisse, totoque vitæ curriculo labores & calamitates se pertulisse, ait: Pereat dies, qua natus sum: pereat is, qui me natum esse, patri nunciavit. Cur in ipso matris utero, vel statim ortus non perii? Hæc per hyperbolem dicuntur, in gravi animi perturbatione ac dolore facile dissimulanda. Adde, quod mitius multo aliquid apud Orientales, quam nostris auribus sonant. Iisdem ferme vocibus utitur Job (10), cum vehementi doloris æstu ageretur. Ieremiam simul movebant & inimico-

(1) Theodoret. hic. (2) Act. XVII. 16. (3) I. Cor. IX. 16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero.* (4) Job XXXII. 18. 19. (5) Virgil. Æneid. VI. (6) ואמרתי לא אזכרנו ולא אדבר עוד בשמו והיה בלבי כאש בערת עצר בעצמתי Confer Psal. XXXVIII. 4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Notum fac mihi, Domine, finem meum, &c.* (7) Heb שלמי שמרי צלעי Septuag. Ἄνδρες φίλοι αὐτοῦ, τηρήσατε τὴν ἐπίνοιαν αὐτοῦ. Ita & in Psal. XL. 10. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos.* Et XXVII. 7. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo.* Et XXXIV. 27. *Qui volunt pacem servi ejus.* (8) בשו מאד כי לא השכילו כלמת עולם לא תשכח (9) Theodoret. hic. Προτάττει τὸν ὕμνον, εἶτα οὕτως ἐπάγει τὰς κατάρας. (10) Job III. 2. 3. & seq.

micorum iniquitas, & sua ipsius mala, & calamitates, quæ universæ genti imminebant, & contemptus quo Dei verbum habebatur, & vitia quæ in populo grassabantur. His omnibus una conjunctis Ieremiæ mens adeo percellebatur, ut resistere nequiverit, atque in acres adeo sententias eruperit. Hæc pronunciasse Ieremiam putat Grotius, cum in carcere esset.

℣. 15. Quasi gaudio lætificavit eum. Hebræus (1): *Vere exhilaravit eum*.

℣. 16. Sicut civitates quas subvertit Dominus, et non pœnituit eum, quasi Sodoma & Gomorrha, cæteræque urbes, quas irrevocabili adeo decreto evertit, ut illas restaurare nemo unquam molitus sit. Hujus hominis domus miserrimis hisce urbibus similis esto.

Audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano. Ea domus mane resonet hominum clamoribus, quos improvisus ignis, & non expectata calamitas occupavit; & meridie pereuntium ululatibus reboet. Vel: nullum totius diei curriculo tempus ferarum ac mali ominis avium vocibus ea in domo vacet. Si noctu diceret, res plane insolita non foret. At ii ululatus prima die aut meridie exaudiri, terrorem & consternationem pariunt. Sive: Nihil tota die in ipsius familia & circa ipsum sonet, præter querelas clamoresque, quibus excrucietur.

℣. 17. Quia non me interfecit a vulva. Ex iis quæ sequuntur, vertendus videtur hic locus ex sententia Septuaginta Interpretum (2), Syri, Arabis & Grotii: *Quoniam non interfecit me in utero matris*. At Hebræus (3), & Interpretum plerique legunt cum Vulgata: *Quia non interfecit me a vulva*, statim in lucem editum. Quæ vero sequuntur, ita reddunt: *Aut cur facta non est mihi mater mea sepulcrum, & vulva ejus conceptio sæculi*, aut non me utero æternum gessit? Postrema hæc interpretatio literæ sonum melius servat: Cur statim editus non perii? aut cur non obii, priusquam lucem intuerer?

C A P U T XXI.

Missi a Sedecia Phassur & Sophonias, Jeremiam consulunt; qui & Sedeciæ & populo mala omnia nunciat, quæ ex bello oriuntur, pestem, famem; nisi sese ultro Chaldæis dediderint.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando misit ad eum rex
Sedecias Phassur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem,
dicens: 2. Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis prælia-
tur adversum nos: si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, &
recedat a nobis. 3. Et dixit Jeremias ad eos: Sic dicetis Sedeciæ: 4. Hæc dicit Do-
minus Deus Israel: Ecce ego convertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt, &
quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, & Chaldæos, qui obsident vos in cir-
cuitu murorum: & congregabo ea in medio civitatis hujus. 5. Et debellabo ego vos
in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi.
6. Et percutiam habitatores civitatis hujus, homines, & bestiæ pestilentia magna morien-
tur. 7. Et post hæc ait Dominus: dabo Sedeciam regem Juda, & servos ejus, & po-
pulum ejus, & qui derelicti sunt in civitate hac a peste, & gladio, & fame, in manu
Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & percutiet eos in ore
gladii, & non flectetur, neque parcet, nec miserebitur. 8. Et ad populum hunc dices:
Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. 9. Qui habi-
taverit in urbe hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, &
transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, & erit ei anima sua, quasi spolium.
10. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, & non in bonum, ait
Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni. 11. Et domui regis
Juda: Audite verbum Domini. 12. Domus David, hæc dicit Dominus: Judicate ma-
ne judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur ut ignis
indignatio mea; & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam studiorum
vestrorum. 13. Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ, atque campestris, ait Do-
minus: qui dicitis: Quis percutiet nos? & quis ingredietur domos nostras? 14. Et vi-
sitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus: & succendam
ignem in saltu ejus: & devorabit omnia in circuitu ejus.

℣. 1. MIsit ad eum Rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, et Sophoniam filium Maasiæ. Cum Nabuchodonosor jam iterum Jerosolymam obsidione cingeret [primam enim obsidionem intermittere coactus fuerat, ut Ægyptiorum Regi, suppetias ad Jerosolymam ferenti, occurreret] Sedecias clam ad Jeremiam binos hosce misit, qui illum de belli exitu consulerent. Id alte-

(1) שמח שמחהו Septuag. Εὐφρανθεὶς ἐπ' αὐτῷ. (2) Ὅτι οὐκ ἀπέκτεινέ με ἐν μήτρᾳ μητρός.
(3) אשר לא מותתני מרחם ותהי לי אמי קברי ורחמה הרת עולם

altero obsidionis anno, Mundi 3415. gestum est. Si temporum ordo servetur, præsens Caput statim post XXXVI. & ante XXXVIII. & XXXIX. inferendum est. At qoi Prophetica oracula colligebant, hunc ordinem neglexere.

Interpretes nunnulli (1) ajunr, hunc Phassur Melchiæ filium, alium esse ab eo, qui filius Emmer dicitur supra XX. 1. Id tamen nobis minime probsri jam diximus. Ferunt apertissime Paralipomena (2) Phassur quemdam Melchiæ filium e posteris Emmer, e decima quinta Sacerdotum classe. Idem hic Phassur inferius etiam XXXVIII. 1. legitur, qui odium ac simultateoi in Jeremiam pertinacissime fovit. Hic a Rege postulavit, ut Jeremiam, ceu turbarum in populo authorem, necaret (3).

Sophonias, Maasiæ filius, Summo Pontificatu non gaudebat, quod nonnullis visum est, sed secundi tantummodo Sacerdotis, atque apud Pontificem Adjutoris vicibus fungebatur. *Sacerdos secundus* is dicitur apud Jerem. LII. 24. & in Libris Regum (4). Capta Jerosolyma, hic una cum Saraia Pontifice captivus Reblatam ad Nabuchodonosorem missus est, ab eoque nece damnatus. Hujus familia ad Sacerdotalem classem XXIV. pertinebat (5). Bis a Rege missus ad Jeremiam consulendum fuit. Vide Jerem. XXXVII. 3. Ingenti authoritate vir fuisse videtur, regnante Sedecia.

℣. 4. Ego convertam vasa belli quæ in manibus vestris sunt, et quibus vos pugnatis adversus Regem Babylonis . . . . et congregabo ea in medio civitatis hujus. Hæc denique verba significant, Judæos Jerosolymæ clausos arma in mutuam cædem convertisse, uti fit in popularibus turbis ac seditionibus (6). Id tamen contigisse per hanc sub Sedecia obsidionem non legimus; at evenisse docet Josephus, obsessa a Romanis Jerosolyma. Reddi potest Hebræus (7): *Ecce ego avertam*, coercebo, prohibebo *arma*, *quæ* sunt *in manibus vestris*... & (8) *congregabo eos* (Chaldæos) *ad medium civitatis*, ut vestris vos armis jugulent.

℣. 6. Pestilentia magna. Septuaginta (9): *Morte magna*, morbis lethalibus. Proximo statim versiculo meminit pestis, famis & gladii.

℣. 7. Dabo Sedeciam et servos ejus . . in manu Nabuchodonosor, Expletas vide has minas 4. Reg. XXIV. & Jerem. LII.

℣. 8. Do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. Via vitæ ea est, si Chaldæis sponte dedamini, antequam arctior fiat obsidio. Via mortis, si usque ad obsidionis exitum restiteritis; ℣. 9.

℣. 9. Erit ei anima sua quasi spolium. Si sponte hostibus se dediderit, cætera amittet, satis beatus quod vitam servarit; eamque magni faciet, ceu rem magno cum periculo & rerum omnium pretiosissimarum jactura, ex hostium manibus ereptam. Similem huic locutionem vide infra XXXVIII. 2. ubi Vulgata reddit: *Erit anima ejus sospes & vivens*. Quibus in verbis vulgaris quædam forma continetur. Elabetur ceu ex naufragio vel incendio, nudus, & incolumis.

℣. 12. Judicate mane judicium; æquum jus quammaturrime reddite: laborate, ut æquum jus unicuique reddatur. *Mane* significat sedulo, vel diluculo. Judicia apud Hebræos aliosque mane tantum exercebantur (10): *Mane consilium; vespere convivium*.

℣. 13. Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ atque campestris. Hæc verba in Jerusolymam nonnisi τροπικῶς competunt; Jerosolyma enim in collibus locisque lapidosis atque asperis sedebat (11). Ita vero appellari potuit a Jeremia *vallis solida*, seu munita, uti Isaias *vallem visionis* nuncupavit (12). Hebræus fert (13): *Ecce ego ad te, qui habitas in valle* arcis, seu *rupis planitiei*. Rupes hæc sive *ara* situm Jerosolymæ indicat, colli munitissimo insidentem, qui plurium jugorum congeries erat; vel si mavis, collis multiplici vertice, a cæteris undique sejunctus ac remotus. Hinc fit, ut *ara planitiei* appelletur, cum revera Jerosolyma inter valles, quibus undique ambiebatur, media surgeret. Septuaginta (14): *Ecce ego ad te qui habitas vallem Sor campestrem*. Chaldæus: *Quæ habitas in fortitudine, in civitatibus munitis*.

℣. 14. Succendam ignem in saltu ejus, locupletissimis ædibus, iis præsertim quæ (15) *Saltus Libani* appellabantur; vel in Templo, quod interdum *Libanus* nuncupatur (16); denique in Jerosolymæ domibus, quarum præcipuæ ligneæ erant. Vide infra XXII. 4. expletamque harum minarum fidem lege apud Libros Regum (17): *Et succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni*.

(1) Theodoret. Hieron. Gror. Pisc. Sanct. alii. (2) 1. Par. XXIV. 1. (3) 1. Par. XXIV. 3. 4. (4) 4. Reg. XXV. 18. (5) 1. Par. XXIV. 18. (6) Ita Thom. & Sanct. (7) הנני מסב את כלי המלחמה אשר בידכם (8) ואספתי אותם Septuag. Καὶ συνάξω αὐτούς. Ita Hieron. Munst. Pagn. Jun. Pisc. Castal, &c. (9) Ἐν θανάτῳ μεγάλῳ. Heb. בדבר גדול (10) Vide Psal. C. 8. XXXIII. 14. Sophon. III. 5. Isai. XLVII. 11. Eccle. X. 16. (11) Joseph. de bello lib. VI. cap. 6. (12) Isai. XXII. 1. *Onus vallis visionis*. (13) הנני אליך ישבת העמק צור המישור (14) Ἰδοὺ ἐγὼ πρὸς σὲ τὸν κατοικοῦντα τὴν κοιλάδα Σὸρ τὴν πεδινήν. Sym. pro, *sor*, *petram*. Theodot. *Obsessam*. Aq. 1. edit. *Solidam*; 2. *Tyrum*. (15) 3. Reg. VII. 2. *Domus saltus Libani*. (16) Zach. XI. 1. *Aperi, Libane, portas tuas*. (17) 4. Reg. XXV. 9.

CAPUT XXII.

Jeremiæ oratio ad Joakimum Regem Juda, quem hortatur, ut æquum jus reddat. Sellum Juda Rex Jerosolymam non reversurus. Inanes Joakimi sumptus & iniquitas arguuntur. Jechonias Babylonem ducetur, nullo Regni herede relicto.

℣. 1. HÆc dicit Dominus: Descende in domum regis Juda, & loqueris ibi verbum hoc,
2. Et dices: Audi verbum Domini rex Juda, qui sedes super solium David; tu, & servi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas.
3. Hæc dicit Dominus: Facite judicium, & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique: & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.
4. Si enim facien-

facientes feceritis verbum istud: ingredientur per portas domus hujus reges sedentes
de genere David super thronum ejus, & ascendentes currus, & equos, ipsi, & ser-
vi, & populus eorum. 5. Quod si non audieritis verba hæc: in memetipso juravi,
dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc. 6. Quia hæc dicit Dominus
super domum regis Juda: Galaad tu mihi caput Libani: si non posuero te solitudi-
nem, urbes inhabitabiles. 7. Et sanctificabo super te interficientem virum, & arma
ejus: & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem. 8. Et pertransi-
bunt gentes multæ per civitatem hanc: & dicet unusquisque proximo suo: Quare fe-
cit Dominus sic civitati huic grandi? 9. Et respondebunt: Eo quod dereliquerint
pactum Domini Dei sui, & adoraverint deos alienos, & servierint eis. 10. Nolite
flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia
non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suæ. 11. Quia hæc dicit Do-
minus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui
egressus est de loco isto: Non revertetur huc amplius: 12. Sed in loco ad quem
transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius. 13. Væ qui ædi-
ficat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum op-
primet frustra, & mercedem ejus non reddet ei. 14. Qui dicit: Ædificabo mihi do-
mum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedri-
na, pingitque sinopide. 15. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? pater
tuus numquid non comedit, & bibit, & fecit judicium, & justitiam tunc, cum bene
erat ei? 16. Judicavit causam pauperis, & egeni in bonum suum: numquid non
ideo quia cognovit me, dicit Dominus? 17. Tui vero oculi, & cor ad avaritiam,
& ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali ope-
ris. 18. Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim filium Josiæ regem Juda: Non
plangent eum: Væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei: Væ Domine, & væ
inclyte. 19. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Jeru-
salem. 20. Ascende Libanum, & clama: & in Basan da vocem tuam, & clama ad
transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. 21. Locutus sum ad te in abun-
dantia tua: & dixisti: Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non
audisti vocem meam. 22. Omnes pastores tuos pascet ventus: & amatores tui in
captivitatem ibunt, & tunc confunderis, & erubesces ab omni malitia tua. 23. Quæ
sedes in Libano, & nidificas in cedris quomodo congemuisti, cum venissent tibi do-
lores, quasi dolores parturientis? 24. Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Je-
chonias filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.
25. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu, quorum tu formi-
das faciem, & in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.
26. Et mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati
non estis, ibique moriemini: 27. Et in terram ad quam ipsi levant animam suam,
ut revertantur illuc, non revertentur. 28. Numquid vas fictile, atque contritum vir
iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse, & se-
men ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt? 29. Terra, terra, terra, au-
di sermonem Domini. 30. Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, vi-
rum, qui in diebus suis non prosperabitur: non erit enim de semine ejus vir, qui
sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.

℣. 1. DESCENDE IN DOMUM REGIS JUDA. Hæc diu antea contigerunt, quam quæ capite superiori narrantur. Jeremias ad Joakimum Regem Juda mittitur, in Regno constitutum ab Ægyptiorum Rege, pro Joachazo, aliter Sellum, anno Mundi 3394. ex Usserio.

℣. 2. QUI INGREDIMINI PER PORTAS ISTAS Regiæ domus. Fortasse in Regiæ domus foribus erat cum Optimatibus Rex, cum Jeremias coram stetit.

℣. 5. IN MEMETIPSO JURAVI. Per se ipsum jurat Deus, cum nemo illo superior sit, quem jurejurando vocare, ac testem veritatis accersere queat (1). Apud Scripturam solet Deus ea quæ vel pollicetur, vel minitatur, jurejurando confirmare (a); non quod eo egeat, ut fidem verbis suis faciat, cum suprema ipse veritas sit, sed ut hominum infirmitati se accommodet, qui vel a sui similibus falli, vel sui similes fallere assueti, ægre induci queunt, ne metuant quin cæteri datæ sibi fidei desint, nisi certius fidei pignus habeant, & pollicitationes jurejurando confirmatas. Cum homo homini juratus aliquid pollicetur, illud ipsum malæ invicem fidei argumentum est; si enim mutuam fidem minime dubiam esse crederent, jus-juran-

(1) Heb. vi. 13. *Quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum.* (a) Isai. xlv. 23. *In memetipso juravi.* Et lxii. 8. *Juravit Dominus in dextera sua.* Et Psal. cix. 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Et passim.

jurandum non postularent. At ubi Deus suis erga hominem pollicitationibus jusjurandum addit, id malæ hominum fidei & incredulitatis indicium est, infinitæque Dei indulgentiæ, morem homini gerere in ea ipsa re volentis, in qua is minime omnium meretur.

IN SOLITUDINEM ERIT DOMUS HÆC (1); avertetur, deseretur. Hæc de Templo intelligi possunt, quod Jeremias manu tangens, addiderit: Domus hæc, hoc Templum in similem solitudini statum redigetur. At aptius de Regia domo explicantur.

℣. 6. GALAAD, TU MIHI CAPUT LIBANI, SI NON POSUERO TE IN SOLITUDINEM. S. Hieronymus, quem Interpretum plurimi sequuntur, ait, Galaaditicos montes Libani caput esse & initium; cujus pars maxime meridionalis & orientalis sunt. Testatur etiam Eusebius, Galaaditicum montem a Libano usque ad Ammorrhæorum regionem, a Schone, tum a Rubenitis occupatam porrigi. Strabo (2), Libani juga alia ex parte inspiciens, ait: *Desinunt ad Montes Arabiæ, qui sunt ultra Damascum, & eos qui ibi Traconitæ dicuntur.* Quamobrem extrema Libani pars ex Strabone, in Montes Galaaditicos desinit. Si Libanum Strabo eo loco, quo S. Hieronymus, collocasset, in iisdem montibus incipere diceret; hujusmodi enim rerum initium & finis ex arbitrio sunt; cum ab utralibet extremitate ducantur. Quamquam Strabonis & S. Hieronymi sententia probari potest, ægre tamen credo hanc veram esse hujus loci interpretationem; Hebræi enim Montes Libani & Galaad penitus distinguebant. Scribit hic Theodoretus, id quod nemo ex Geographis habet, quamdam esse Libani partem, Galaad appellatam. Mons Galaad, proprie dictus, certe multum aberat a Libano stricte usurpato. Addit, nomen Galaad hic Metaphoricum esse, quod pro Jerosolymitanis ædibus ponitur. Profecto quæ Dei ultio in montes Galaad futura erat, ad populum ea ætate minime pertineates? Quorsum vero ab Jerosolyma & Regibus Juda ad Libanum & Galaad statim transit? Ipsamet orationis series satis ostendit, de Regiis Judæ ædibus hic agi ab Jeremia. *Hæc dixit Dominus super Domum Regis Juda: Galaad, tu mihi Vertex Libani* (3), [sive initium Libani] *si non dedero te in solitudinem*. Domus Regum Juda, quam ego ita ornatam effeci, uti verticem Libani, cum inops, misera, nuda esses instar Galaad; futurum juro, ut te in horribilem solitudinem redigam. Apud Prophetas (4), Libanus pro pulcherrimi atque amœnissimi loci Symbolo usurpatur. At Montes Galaad steriles erant, asperi, inculti, præsertim qua parte Arabiam desertam aspiciunt. Aliter: Libani vertex fies, Galaad, potius quam e decreta Regiæ Juda Domus ruina decedam. Vel: Jerosolyma, quam ego instar Libani ornavi, futurum juro, ut in similem montibus Galaad statum ac solitudinem redigaris. Alii ita interpretantur (5): Sionis palatium, Jerosolymæ decus, gloria Regum Juda, non secus atque Galaad Libani gloria, atque ornamentum est, te evertendum ac deserendum juro. Denique: Ne opibus tuis, tuoque situ glorieris, Jerosolyma. Galaad opulentissima Regio (6) Teglathphalassari armis vastata est (7). Similem igitur ruinam tibi metue (8). Hæ sunt optimæ hujus loci explicationes; neque desunt aliæ, quæ ægerrime defenduntur.

℣. 7. SANCTIFICABO SUPER TE INTERFICIENTEM: hostium tuorum manus & arma consecrabo, scilicet Nabuchodonosoris ejusque exercitum, qui *sancti vocantur, quia exequuntur sententiam Dei*, inquit hic S. Hieronymus. Minori opere verti potest (9): *Præparavi adversum te hostes, unumquemque cum armis suis*. Apud Scripturam, *sanctificare*, præsertim ubi de rebus bellicis agitur, plerumque eligere, parare, instruere significat (10); bellica enim facinora serme non suscipiebantur, nisi præmissis sacris, Deoque consulto de belli exitu, qua in re unaquæque gens Religionis suæ, malæ ne an bonæ, leges sequebatur.

SUCCIDENT ELECTAS CEDROS. Pergit in allegoria Jerosolymæ cum Libano comparatæ. Cedros tuas succidi jubebo, palatia tua & cedrinas domos everti. Vide hic ℣. 14.

℣. 10. NOLITE FLERE MORTUUM, Josiam, optimum Regem, quem populus immerito morte ad Mageddo Ægyptiis armis interfectum sincerissimis lacrymis prosequitur. Flere jam desinite: alia vobis sunt doloris argumenta: *Plangite* Regem *qui egreditur ex* Urbe, *& non revertetur ultra*. Plorandus in posterum vobis est Sellum, sive Joachaz, quem Nechao Ægyptiorum Rex solio dejecit, ut captivum in Ægyptum trahat, nunquam inde reversurum (11).

℣. 13. VÆ QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IN INJUSTITIA. His verbis spectatur Joachim, Regi Sellum a Nechao successor datus. Hic, æquius ac sanctius vitæ institutum, quam Reges Juda, qui Deum irritaverant, negligens, ingentia ædificia aggressus est, pauperum dispendio, & operarum detrimento, quas mercede fraudabat: *Amicum suum opprimet frustra, & mercedem non reddet ei*. Hebræus (12): *Proximum suum ad servitutem coegit gratis, & mercedem operis illius non dedit illi*.

℣. 14. DOMUM LATAM ET CŒNACULA SPATIOSA. Hebræus (13): *Domum mensuræ, & cœnacula superiora vento exposita*; ædes magnitudine eximias (14), vel structuræ ordine & præstantia (15); *domum mensuræ*, & conclavia ventis exposita, frigori excipiendo opportuna. Hoc conclavium genus plurimi habebantur in ferventibus regionibus, qualis erat Judæa. Hæc alibi descripsimus.

PINGITQUE SINOPIDE, minio. *Sinopis* dicitur, a Sinope urbe Ponti, ubi minium præstantissimum nascitur (16). Eo plurimum utebantur Veteres, ad colorem lignis ac simulacris inducendum (17). Jovis simulacri facies, teste Plinio (18), diebus festis illini solebat, & a Censoribus in primis Jupiter miniandus locabatur. Tradit Vitruvius (19), minio porticus & conclavia pingi consuevisse. *Quis antiquorum*, inquit, *non, uti medicamento, minio parce videtur usus esse? At nunc passim plerumque toti parietes inducuntur*.

Hebræa vox (20) *Sasar*, si Junio fides, est illud coloris genus, quod vulgo dicitur *indace*. Hunc mittunt *Sasuri*, populi trans Gangem positi (21), ex quibus illi nomen *Sasar*. Arabes nuncupant *sartin*, seu *sartanne*, quod in cannis proveniat, ex

[1] כי לחרבה יהיה הבית הזה Εἰς ἐρήμωσιν ἔσται. [2] Strabo l. xvi. Vide & Bochart. Phaleg l. 3. c. 15
[3] גלעד אתה לי ראש הלבנון אם לא אשיתך מדבר [4] Vide Deut. iii. 25. *Montem istum egregium & Libanum*. Psalm. lxxi. 16. *Extolletur super Libanum fructus ejus*. Cant. iv. 14. v. 15. *Species ut Libani*. Isai. xxix. 17. xxxiii. 9. Osee xiv. 8. &c. [5] Menoch. Tirin. [6] Vide Genes. xxxvii. 25. *Viderunt Ismaelitas viatores venientes de Galaad, portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum*. Vide & Jerem. viii. 22. [7] 4. Reg. xv. 29. [8] Ita fere Jun. Pisc. Anglic. Grot. [9] קדשתי עליך משחיתים איש וכליו [10] Vide Isai. xiii. 3. *Mandavi sanctificatis meis*. Jerem. vi. 4. *Sanctificate super eam bellum*. li. 27. 28. *Sanctificate contra eam gentes*, Joel. iii. 9. *Sanctificate bellum*, &c. [11] 4. Reg. xxiii. 33. 34. & Jerem. xxvi. 11. 12. [12] ברעהו יעבד חנם ופעלו לא יתן לו Septuag. Παρ' αὐτῷ ὁ πλησίον ἐργᾶται δωρεὰν, καὶ τὸν μισθὸν αὐτοῦ, οὐ μὴ ἀποδώσει αὐτῷ. [13] בית מדות ועליות מרווחים [14] Vide Num. xiii. 33. 2. Reg. xxi. 20. Isai. xlv. 14. [15] Theodoret. hic. [16] Plin. xxxv. 6. *Sinopis inventa est primum in Ponto, inde nomen a Sinope urbe*. [17] Vide Sap. xiii. 14. *Perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius*. [18] Plin. lib. xxxiii. 7. [19] Vitruv. l. 7. c. 5. [20] משח בששר [21] Plin. lib. 6. c. 19. Vide & lib. xxxv. 6.

ex Dioscoride (1). Vividus est color, ad cæruleum accedens. Hujus origo Veteres ferme latebat. Nostra ætate jam constat, indicum succum esse coactum, ex India apportatum, expressumque ex herba quadam sativa, quæ quotannis post imbrium tempus seritur, & similis cannabi est, Flore ad carduum accedit, semine ad fœnum græcum. Color, qui ea ex herba conficitur, violaceus est, in cæruleum desinens, at utroque micantior, nitidiorque. Herba in stagna quædam injicitur, quorum ima pars est ex arenato, marmorea duritie. Singulis diebus subigitur atque agitatur, donec herba omnis in quoddam limi, seu pinguis humus genus convertitur. Ubi ea in imo stagni fundo quievit, effusâ aqua, limus illa colligitur, & in pastillos dimidii ovi magnitudine compingitur (2). Recens quidam Itinerarii Scriptor, qui sese hoc herbæ genus excoluisse ait, nihil exactum satis a recitatis mox Scriptoribus narrari asserit. Duplex, inquit, indici genus est, alterum spurium, alterum sincerum. Illud in agro sponte nascitur, hoc seritur coliturque. Utriusque folium simile medicæ est, semen vero & magnitudine & rotunditate napo; hoc tamen discrimine, quod utrumque seminis caput retusum sit, cum illud siliqua ceu pisi claudatur. Spurii semen atrum est, & minus altero, quod castaneum colorem habet. Secta herba, ingens trulla, ex arenato confecta, ea herba impletur: tum aqua ad oram usque infunditur; quem in usum aptissima est, quæ cœnosa. Macerata intra aquam horis quatuor & viginti herba, dilutum illud in trullam ampliorem, & situ humiliorem demittitur; tum duobus quibusdam grandibus cochlearibus duarum horarum spatio percutitur, ut indici color ab aqua sejungatur; duobus deinde horis omnia in quiete relinquuntur, ut color ipse ad imam trullæ partem descendat. Effusa deinde aqua, succus educitur, in sole siccatur, atque in minutas partes scinditur. Hæc indici parandi ars est; quod idem videtur esse, quod *sasar* Jeremiæ.

℣. 15. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? patri tuo Josiæ (3), Regi sublimissimo, ac veneratione dignissimo? Hebræus (4): *Nam regnabis, quoniam tu cingeris cedro*, in cedrina domo habitas? Septuaginta (5): *Numquid regnabis*, diuturnum ne ac felix regnum tibi futurum putas, *quoniam tu contendis velut Achaz pater tuus*, illius exemplo Divinum furorem provocans?

Numquid non comedit et bibit, et fecit judicium? nonne felici beataque vita usus est, æquitatem sequens? Nonne inter amicæ fortunæ beneficia justitiam exercuit? Omnibus ne vitæ commodis exui debes, ut muneri tuo satisfacias? Deum colito, illius jussionibus obtempera; teque bonis cumulabit Deus.

℣. 16. Numquid non ideo, quia cognovit me? Hebræus (6): *Nonne hoc est me nosse*, ait Dominus? Omnis Josiæ vita nonne luculentissimo veluti argumento docuit, illum me plurimi fecisse, meisque legibus constantissime obtemperasse? Chaldæus: *Nonne ista est scientia quam volo, ait Dominus?* Septuaginta (7): *Nonne hoc ipsum est, te minime novisse me?*

℣. 17. Ad calumniam, et ad cursum mali operis. Illud solummodo studes, ut calumnias & malum secteris. Hebræus (8), *ad violentiam, & iniquitatem*: Populum quibuslibet injuriis opprimere meditaris. Septuaginta (9): *Ad iniquitates & ad cædem, ut faceres hæc.* Teneri potest Vulgata versio. Hebræa vox *Merusah* pro *cursu* legitur etiam Capite xxiii. 10.

℣. 18. Hæc dicit Dominus ad (vel, de) Joakim . . . . . . Non plangent eum: Væ frater! Nemo Joakimi Regis Juda obitum flebit, illumque magnifico funere, uti majores illius, nemo prosequetur. Familiæ ipsius Principes flentes non ingeminabunt: Heu Frater! neque ad Joakimi uxorem: Heu soror &c.

℣. 19. Sepultura asini sepelietur. Insepultus instar morticini projicietur. Quæ de Joakimo tradit Scriptura, ea inter se pugnare ex parte videntur. Illum in Libris Regum ait *dormisse cum patribus suis* (10); *nec tamen ejus sepultura narratur; hanc habente Scriptura sacra consuetudinem, ut omnes Reges & mortuos referat & sepultos* (11). In Paralipomenis (12) dicitur *vinctus catenis ductus esse Babylonem*. Denique Jeremias (13) alibi apertius docet, quid sit sepultura asini, cum de eodem scribat: *Cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem*. Ut hæc pugnantia concilient, ajunt, Chaldæos, capto Joakimo, illum Babylonem ducere statim decrevisse; at versis deinde consiliis, interfectum in agro avibus ferisque discerpendum reliquisse (14). Docent alii (15), illum ductum esse quidem Babylonem, ibique obiisse; at mortuum, habitum esse indignissime, projectumque, ut insepultus in agro putresceret. Locus Libri Regum hoc solummodo significat, illum simili cum patribus suis fato extinctum occubuisse. Obiit, uti obiere majores; cæterorum hominum conditionem sequutus est. Maxima Judæis cura erat, mortuorum corpora condere; qua in re nihilo inferiores erant Ægyptiis, omnium hominum hujus religionis studiosissimis, teste Tacito (16).

℣. 20. Ascende Libanum, et clama. Hebraica verba hoc loco fœmineum genus referunt; quamobrem ad Jerosolymam vel ad Sionem referenda sunt. Has hortatur Propheta, ut in Libano, vel in Basanitide necem amatorum suorum fleant: *Contriti sunt omnes amatores tui*. Ægyptii, quorum ope spes omnis tua nitebatur, fracti sunt; territi Phœnices & Arabes, quibuscum fœdera inieras (17); quamobrem nullas ex iis suppetias expectare non licet; quippe quos Nabuchodonosoris nomen & vires metu coercet, ne quicquam gerant. *Amatorum* nomine intelligi etiam possunt totius regionis incolæ & Judæi. Subdit ℣. 22. pastores Juda vento pascendos esse, & Jerosolymæ amatores in captivitatem redigendos.

Clama ad transeuntes. Reddi Hebræus potest (18): *Clama e montibus Abarim*, trans Jordanem sitis. Vel: Voces emitte ad eos qui trans amnem sunt, trans Nilum, vel trans Jordanem. Vel denique: Clama ab extremis regionis tuæ finibus: frustra laborabis; opem feret nemo: amici tui omnes fracti jacebunt. Septuaginta (19): *Clama trans mare*.

℣. 22. Pastores tuos pascet ventus, fumus. Suppetias sibi pollicentur, quas nunquam obtinebunt. *Pastorum* nomine Reges, Principes intelligit. Eadem loquendi forma utitur Osee xii. 1. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum*. Inani spe pascitur. Chaldæus, quem Interpretes quamplurimi sequuntur (20), vertit: *Omnes gubernatores*,

(1) Dioscorid. lib. 7. c. 67. (2) Vide Tavernier, & Foretiere. (3) Theodoret. Hieron. Thom. Sanct. alii. (4) התמלך כי אתה מתחרה בארז (5) Μὴ βασιλεύσῃς, ὅτι σὺ παροξύνῃ ἐν Ἀχὰζ τῷ πατρί σου. Ita & Arabs, & Grot. Edit. Complut. Παρωξύνθης. Theodoret. Ὅτι σὺ ἐφιλονείκησας πρὸς τὴν κέδρον. Κέδρον τὸν Ἰωσίαν ἐκάλεσεν. Hieronym. *Quia contendis contra Achaz patrem tuum*. (6) הלא היא הדעת אותי נאם יהוה (7) Οὐ τοῦτό ἐστι τὸ μὴ γνῶναί σε ἐμέ. (8) על העשק ועל המרוצה לעשות (9) Εἰς ἀδικήματα, καὶ εἰς φόνον, τοῦ ποιεῖν ταῦτα. (10) 4. Reg. xxiv. 6. (11) Hieron. hic. (12) 2. Par. xxxvi. 6. (13) Jerem. xxxvi. 30. Vide Joseph. Antiq. lib. x. c. 8. (14) Usser. ad an. M. 3405. Glassius Rethoric. lib. 2. c. 7. (15) Grot. & alii quidam. (16) Tacit. lib. 5. *Corpora condere, quam cremare, more Ægyptio, eadem cura, & de inferis persuasio.* (17) Vide Jerem. xxvii. 2. 3. & sequ. (18) צעקי מעברים (19) Βόησον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης. (20) Vatab. Anglic. Drus. Menoch.

res, pastores, Duces *tui dispergentur in omnem ventum*, in omnes terrarum plagas; quæ verba cum consequentibus conveniunt: *Et amatores tui in captivitatem ibunt*.

℣. 23. QUÆ SEDES IN LIBANO, ET NIDIFICAS IN CEDRIS, QUOMODO CONGEMUISTI? Jerosolymam alloquitur sub avis imagine in Libano commorantis, atque in cedris nidificantis; ob ædium splendorem & situs præstantiam. Quantopere dolebis, cum te ex improviso ingentibus copiis obvolutam videris? Hebræum (1) reddunt Interpretes multi per ironiam (2): *Quæ habitas in Libano . . . quam gratiosa eris*, quam venusta, quantopere gloriaberis tua venustate, ædium tuarum pompa, *cum venerint tibi dolores* ceu parientis! At Septuaginta, Syrus, aliique Interpretes plures (3) Vulgatæ sensum sequuntur; & Hebræus ita ad verbum reddi potest: Quid ages, ut te gratiosam efficias? Quas preces effundes, ut aliquem ad tui misericordiam impellas? Hunc versiculum de Joakimo, vel de Jechonia Joakimi filio explicat Theodoretus.

℣. 24. SI FUERIT JECHONIAS ANNULUS IN MANU MEA, INDE AVELLAM EUM. Jechonias, sive, ut in Hebræo appellatur, *Chonias*, Joakimo patri in Regno Juda successit. Paterna calamitate minime territus, paterna flagitia imitatus est (4). Minitatur hic Jechoniæ Deus futurum, ut ipsum e paterno solio dejiciat, atque in alienas regiones expellat, minime reversurum. Utitur hic Jeremias vulgari locutione, proverbii loco usurpata: *Si fuerit annulus in manu mea, inde avellam eum*. Etiamsi charus æque mihi sit atque annulus, quem manu gero, meque proxime tangat, eoque ita opus habeam, uti annulo signatorio, non parcam. Eadem ferme phrasis in Aggæo legitur (5): *In die illa, dicit Dominus, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi*. Imperii insigne erat annulus. Moriens Alexander, annulum Perdiccæ tradidit (6), quasi successorem, vel Administratorem Imperii designaret, dum legitimus hæres adolesceret. Apud Orientales, Rex annulo illum donat, quem secundum a se in Imperio eligit. Annulum Assuerus primum Amano credit, deinde Mardochæo (7). Etsi primus post me ipsum Imperii mei Minister, ac nobilissimus inter Aulæ meæ Principes sit Jechonias, denique præstantissimus omnium universi Regum, illius solium evertam.

℣. 26. MITTAM TE ET MATREM TUAM (Nohestam).... IN TERRAM ALIENAM. Non uno in loco Regum historiis tradit (8), Nohestam una cum filio Babylonem ductam fuisse captivam; fortasse ut discas, Regem illius opera aut a malo minime prohibitum, aut etiam in scelera fuisse compulsum. Illud certe supplicium merebatur Nohesta, quamvis tantummodo filium, cujus animo imperabat, in libidines ruentem minime coercuisset.

℣. 27. AD TERRAM, AD QUAM IPSI LEVANT ANIMAM SUAM. Inania vota concipient patriæ repetendæ; at minime repetent; patriam effusissime optabunt. Vel: Suspensis semper desideriis reditum expectabunt, at nunquam revertentur; sollicito semper animo erga patriam erunt: *Levant animam suam*.

℣. 28. NUMQUID VAS FICTILE ATQUE CONTRITUM VIR ISTE JECHONIAS? NUMQUID VAS ABSQUE OMNI VOLUPTATE? Hebræus (9): *An ut scalptile vile atque confractum vir iste Chonias? An ut vas*, res, quidpiam *quod displicet*, inutile, inquiunt Septuaginta (10) & Chaldæus? In longinquam regionem abigetur, nullaque illius, ceu rei plane inutilissimæ, recordatio servabitur.

℣. 30. SCRIBE VIRUM ISTUM STERILEM; VIRUM QUI IN DIEBUS SUIS NON PROSPERABITUR. Hebræa vox (11), quæ redditur *sterilis*, hominem etiam significat filiis orbatum, cui nulli sunt posteri, filiis careat nec ne. Septuaginta (12), execrabilem, infamem, ejectum, expolitum: prima Aquilæ Editio, *sterilem*; altera, *non crescentem*; Symmachus, *vacuum*, spoliatum. Nullos fuisse constat Jechoniæ filios, ipsique successisse Salathielem, Zorobabelis patrem, qui Babylone rediit, Princeps Juda post captivitatem. Posterorum Jechoniæ meminit hic Scriptura. ℣. 28. *Abjecti sunt ipse, & semen ejus*. Genealogicam hujus seriem narrant Paralipomena (13) & S. Matthæus (14). Eumdem spectari ab Ezechiele arbitror (15), ubi ait: *Siccavi lignum viride*, Sedeciam, *& frondere feci lignum aridum*, Jechoniam. Huic liberos fuisse, postquam pœnitentiam egit, narrant Judæi. S. Hieronymus (16), Theodoretus, & plerique Interpretum censent, ipsum omnino posteros reliquisse: at hoc ita explicant, ut nullum ex ejus genere successorem in Regno Juda fuisse arbitrentur. Quod ad aviti Regni hæreditatem, similis *sterilis* fuit (17): ejus enim e filiis nemo avitum Regnum capessivit. Nunquam Zorobabel vel Regno vel absoluta in Judam potestate gavisus est; primique, post captivitatem, absoluto imperio & Regio nomine usi sunt Assamonæi, vel Macchabæorum posteri (18), e genere Sacerdotum.

[1] ישבת בלבנון . . . מה נחנת [2] Mont. Pagn. Munst. Vat. Tig. Cast. Jun. Tremel. [3] Grot. Menoch. Tir. alii. [4] 4. Reg. XXIV. 9. *Fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerat pater ejus*. [5] Agg. II. 24. [6] Quint Curt. lib. X. [7] Esth. III. 10. VIII. 8. [8] 4. Regum XXIV. 8. 12. 15. [9] העצב נבזה נפוץ האיש הזה כניהו אם כלי אין חפץ בו Sym. *Numquid quisquilia vilis atque projecta vir iste?* Theodoret. legit: Τὸ σῶμα τὸ ἐξουδενωμένον, & ἀπορριμμένον ὁ ἀσὴς αὐτοῦ. [10] Ὡς σκεῦος οὗ οὐκ ἔστι χρεία αὐτοῦ. [11] כתבו את האיש הזה ערירי [12] Γράψον τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐκκήρυκτον ἄνθρωπον. Ita & Theodor. In quibusdam libris additur: Α'ναυξῆσαι ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ. [13] 1. Paral. III. 17. 18. [14] Matt. I. 12. [15] Ezech. XVII. 24. [16] Hieron. hic; Ezech. XIX. 2. [17] Sanct. Piscat. Menst. [18] Antiq. lib. XI. cap. 4. Et Hieron. hic.

CAPUT XXIII.

Minæ in Principes, qui subditos opprimunt. Reditus e captivitate, & Princeps justus, sive Messias, e sobole Davidis, promittitur, res Hebræorum restauraturus. Pseudoprophetæ arguuntur, & ii qui vaticinia rident.

℣. 1. VÆ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant greges pascuæ meæ, dicit Do-
minus. 2. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt
populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis
eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. 3. Et

Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc: & convertam eos ad rura sua: & crescent, & multiplicabuntur. 4. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos: non formidabunt ultra, & non pavebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet judicium, & justitiam in terra. 6. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. 7. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti. 8. Sed: Vivit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc: & habitabunt in terra sua. 9. Ad prophetas: Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus a vino, a facie Domini, & a facie verborum sanctorum ejus. 10. Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti: factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis. 11. Propheta namque, & sacerdos polluti sunt: & in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. 12. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. 13. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel. 14. Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quasi Gomorrha. 15. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle: a prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. 16. Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. 17. Dicunt his, qui blasphemant me; Locutus est Dominus: Pax erit vobis: & omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt: Non veniet super vos malum. 18. Quis enim affuit in consilio Domini, & vidit, & audivit sermonem ejus: quis consideravit verbum illius, & audivit? 19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet. 20. Revertetur furor Domini, usque dum faciat, & usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligetis consilium ejus. 21. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. 22. Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, & a cogitationibus suis pessimis. 23. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longe? 24. Si occultabitur vir in absconditis; & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus? 25. Audivi, quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. 26. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium seductionem cordis sui? 27. Qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. 28. Propheta, qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere; quid paleis ad triticum, dicit Dominus? 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? 30. Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea, unusquisque a proximo suo. 31. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, & ajunt, dicit Dominus. 32. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis: cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. 33. Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus, projiciam quippe vos, dicit Dominus. 34. Et propheta, & sacerdos, & populus, qui dicit: Onus Domini: visitabo super virum illum, & super domum ejus. 35. Hæc dicetis unusquisque ad proximum, & ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus? 36. Et onus Domini ultra non memorabitur: quia onus erit

erit unicuíque fermo fuus : & pervertiftis verba Dei viventis , Domini exercituum
Dei noftri. 37. Hæc dices ad prophetam : Quid refpondit tibi Dominus ? & quid
locutus eft Dominus? 38. Si autem onus Domini dixeritis; propter hoc , hæc dicit
Dominus: Quia dixiftis fermonem iftum: Onus Domini: & mifi ad vos, dicens: No-
lite dicere ; Onus Domini. 39. Propterea ecce ego tollam vos portans , & derelin-
quam vos , & civitatem , quam dedi vobis , & patribus veftris , a facie mea. 40.
Et dabo vos in opprobrium fempiternum , & in ignominiam æternam , quæ num-
quam oblivione delebitur,

℣. 1. VÆ PASTORIBUS, Regibus, Regum Adminiftris, authoritate abutentibus , ut pauperes opprimant. Pars fuperioris orationis eft, que Principes e fobole Juda , filii & fucceffores Jofiæ exagitantur.

℣. 2. EJECISTIS ET NON VISITASTIS EOS. Creditum vobis gregem nedum fedulo non cuftodiftis, coagregaftis, reduxiftis , verum etiam in exitium impuliftis . *Vifitare* hoc loco pro omnibus optimi paftoris ftudiis ufurpatur, præfertim vero pro cura, qua opus eft ut oves frequenter invifat ac recenfeat , ne qua forte defit aut erraverit . Contrario plane fenfu idem verbum ftatim ponitur, *Vifitabo fuper vos malitiam ftudiorum veftrorum* . Peffimum inftitutum , quod tenetis , iratus puniam ac vifitabo.

℣. 3. CONGREGABO RELIQUIAS GREGIS MEI . E captivitate reducam , atque in patrias fedes revocabo . Solemne Prophetis eft , poftquam captivitatis mala tempufque prædixerunt , illius exitum vaticinari (1).

℣. 4. SUSCITABO SUPER EOS PASTORES , Principes , Duces , alios plane ab iis , a quibus nunc reguntur . Illos hi pafcent , tuebuntur , cuftodient, fervabunt ; cum ii qui nunc Judam moderantur , illos opprimant , diffipent , jugulent . Porro Paftores , quos illis largiar , funt Zorobabel , Jefus Jofedechi filius , Efdras , Nehemias , & cæteri qui Judam poft captivitatem moderati funt . Sublimiori fenfu , pro paftoribus Chrifti Apoftolos intellige , ducendis pafcendifque Fidelibus , Diaboli fervitute liberatis, deftinatos. Zorobabel , Jefus Jofedechi filius , Nehemias figuræ folummodo fuere boni Paftoris , Jefu Chrifti , Paftorum Ecclefiæ Principis.

In Chrifti grege ejufque Fidelibus explete planiffime eft eorum fides , quæ hic prædicuntur : *Non formidabunt ultra , & non pavebunt , & nullus quæretur* ex eorum *numero*. Huc fpectat Chriftus, cum diceret (2) : *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*. Et alibi (3) : *Quos dedifti mihi non perdidi ex eis quemquam* . Quis de Judæis e captivitate reverfis hæc vere dici afferat : *Non formidabunt , & non pavebunt* ? Quam fæpe illos terruere Samaritani, Perfæ , Græci , Ægyptii? Quam multi Macchabæorum ætate , & fupremis Reipublicæ Judaicæ temporibus prævaricatores ? Quis iftos errantes oves hominefque perditos effe neget ? Chriftiana etiam Ecclefia , inquies , terroribus atque impiis hominibus minime caruit , cum in ipfo Apoftolorum numero Judas fuerit, perditionis vir ; & Chrifti Ecclefiam multorum fæculorum odia exagitavere. Denique nullo non tempore impii homines fuerunt , defectores , hæretici , perditi , ovesqua aberrantes . At illud minime dicimus, hæc verba aut Ecclefiæ aut Synagogæ ad amuffim convenire.

Quis enim nefciat , ea quæ generaliter atque in univerfum a Scriptura dicuntur , atque excipientes formulas ex ipfo verborum fono non femper effe intelligendas ? Ufurpatur τὸ *femper* pro diuturno tempore , & quæ ardua funt , inter ea numerantur quæ fieri nequeunt . Aliquid deinceps nunquam futurum dicitur , ut fignificetur , non æque frequenter , nec eadem facilitate eodemque modo venturum . Ut igitur verum fit quod de Judæis prædicitur , futurum fcilicet , ut Babylone reverfi vita magis tranquilla in patria gaudeant , ac Principibus magis piis minufque fceleftis utantur , fatis eft , fi poft captivitatem nullum Judæis infortunium contigerit captivitati fimile , ac populus cunctantior , quam olim , in Dei obfequiis fuerit . Hæc fi adfint , fua eft vaticinio Jeremiæ fides . At in Chriftiana Ecclefia hæc ipfa multo præftantius ac latius , fublimius , luculentius expleta effe, nullo negotio demonftrantur. Quæ profecto priorum Ecclefiæ paftorum , Apoftolorumque virtus , quæ fapientia , quod animi robur , quæ charitas ! quanta in primis Fidelibus fides , conftantia, pax , amor ! quam Sancti , quam cafti , quam perfecti in primis Ecclefiæ alumnis mores ! Miferrima, obfcuriffima, atque agitatiffima Chriftianorum tempora feliciffimas Judæorum ætates longiffimo certe intervallo fuperaverunt.

℣. 5. ECCE DIES VENIUNT , ET SUSCITABO DAVID (τῷ David) GERMEN JUSTUM. *Hic verficulus*, & qui fequitur , luculenter adeo in Meffiam atque in Jefum Chriftum competunt , ut ex verboborum fono alteri aptari nequeant. *Germen juftum* promittitur e Davidis fobole regnaturum : *Et regnabit Rex* : is porro fapientia abundabit , Juftitiam in terris religiofiffime exercebit, Judam fervabit, *falvabitur Juda*; beatiffimam illi pacem afferet, denique is Princeps erit , cui nomen futurum fit : Dominus Juftitia noftra : *Et hoc eft nomen , quod vocabunt eum , Dominus juftus nofter* . Genus e Davidica fobole trahebat Zorobabel, dux Juda fuit, atque imperium ex juftitiæ, æquitatis , & fapientiæ Legibus moderatus eft ; idque fatis erat , ut Meffiæ figura & imago haberetur : at unius folummodo Chrifti eft , Regem vere effe, Judam atque Ifraelem fervare, veram conftantemque pacem illi largiri , atque hoc nomine diftingui, *Jehovah Juftitia noftra* ; Nomine cæteris non communi, quod uni Deo conveniat; quod nomen fi Zorobabeli aut alteri cuivis homini tribuas , impietatis expers effe non poteft. Pauci folummodo funt ex Judæis pertinaciffimi , noftrique fcriptores , Rabbinicarum explicationum æquo ftudiofiores (4), qui luculentiffimi hujus de Jefu Chrifto vaticinii veritate non moveantur . Illum agnovere Chaldæus Paraphraftes (5), Rabbinique plures (6), Patres, & Interpretes Chriftiani. Iifdem fere verbis hæc promiffio iteratur inferius XXXIII. 15. 16.

Hebræam vocem (7) , quæ hic redditur *germen*, Septuaginta (8) hic & Vulgata interdum reddidere *Orientem* (9) ; atque apud Prophetas Meffias frequenter fub radicis , furculi , floris , ftirpis imagine fignificatur . Ita Ifaias IV. 2. *In Die illa erit germen Domini in Magnificentia* ; & Capite XI. 1. *Egredietur virga de radice Jeffe, & flos de*

(1) Ita Hebb. Theod. Sanct. Vide infra ℣. 7. & 8. (2) Joan. VI. 39. (3) Joan. XVIII. 9. & XVII. 12. (4) Grot. hic. (5) Chald. *Ecce dies veniunt, & fufcitabo David Meffiam juftum*, ואקים לדוד משיח צדיקא (6) Rabbini in Bava-Batra cap. 5. Midras in Pf. XX. Echa Rabba in Thren. 1. 16. Kimchi, Abarban. Berefch. Rabb. in Genef. XXV. 6. Vide Raimund. Martin. Pugio , fidei , part. 2. cap. 1. Calov. hic ; Boch. de animal. par. 1. lib. 2. c. 17. (7) הקימותי לדוד צמח צדיק (8) Ἀναστήσω τῷ David ἀνατολὴν δικαίαν. (9) Vide Zach. III. 8. & VI. 12. *Ecce vir, oriens nomen ejus*.

de radice ejus ascendet. Et Capite LIII. 2. *Et ascendet quasi virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*. Jeremias XXXIII. 15. *In tempore illo germinare faciam David germen justitiæ*.

Et regnabit Rex. Zorobabel neque gentis suæ regno, neque absoluta administratione gavisus est. Jesus Christus, qua parte homo erat, Regnum in hominum corpora & bona non exercuit; at qua Deus, tum in corpora, tum in fortunas, tum in voluntates hominum imperare nunquam desiit. Regem se esse ipse testatus est; at Regno minime terreno: *Regnum meum non est de hoc mundo* (1).

℣. 6. Salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, Juda & Israel, post captivitatem una collecti, brevi atque inconstanti pacis imagine in patria gavisi sunt; qua tamen vera pax, a Dei Filio ad homines in terras allata, significabatur: *In terra pax hominibus* (2), fœdus, quod ipse Patrem inter & homines iniit (3): *Ipse pax nostra*; denique pax & salus, quam uti *Princeps Pacis* (4), obiens hominibus comparavit.

Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster, Hebraice (5), *Jehovah zidekenu, Dominus justitia nostra*. Christus *Jehovah* est, Deus verus, *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (6). Ipse hominum justitia est, sanctitas, salus: justos idem gratia nos efficit: mortis sententiam adversum nos latam scriptamque delevit (7), eamque cruci affixam quodammodo in triumphum tulit: peccati imperium evertit, justitiæ fontes in Sacramentis Ecclesiæ datis aperuit, atque in virtutis exemplis, quæ ipse & verbis & moribus expressit. Septuaginta (8): *Hoc est nomen ipsius, quod vocabit eum: Dominus Josedech*. Postrema hæc vox conflata est ex *Ja* vel *Jehovah*, Dominus, & *zedek*, justitia. Syrus apud Theodoretum: *Domine, justifica nos*. Chaldæus; *Hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum: Fient nobis justitiæ a facie Domini in diebus ejus*. Grotius hoc vaticinium ad Judæos torquens, penitus evertit: *Et hoc est nomen quod vocabunt populum Israel: Dominus justitia nostra*. Legendum esset; *Dominus justitia illius*. At hæc minimi facit Grotius, locisque maxime luculentis minime movetur; ut interdum locis de Messia tota antiquitate explicatis magis ipse, quam Judæi, adversetur. Caute legendus est, ne gravissima de his rebus dubia subrepant.

℣. 7. Non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit semen Israel de Ægypto; sed, Vivit Dominus, qui Captivitate Babylonica Israelitas liberavit. Eadem hæc verba jam exhibuit supra XVI. 14. 15. Micantibus adeo perspicuisque prodigiis populum e captivitate Babylonica reductam, ut obliteratis penitus prodigiis, quibus egressus ex Ægypto claruit, recentioris solummodo hujus prodigii memoria servanda sit. At Babylonica libertas, quantumvis clarissima, nunquam par Ægyptiacæ fuit; quamobrem nobilissimæ hujus descriptiones, quæ a Prophetis aguntur, satis indicant, aliud multo augustius utiliusque argumentum spectari; humani scilicet generis ex inferni & peccati potestate redemptionem, quam nece sua Christus comparavit. Hæc profecto nedum Ægyptiacæ, verum etiam Babylonicæ libertatis famam oppressit; utraque enim illa debiles infirmæque hujus imagines fuerunt. Septuaginta, omissis hoc loco ℣℣. 7. & 8. sexti finem cum octavi initio jungunt, leguntque: *Hoc est nomen quod vocabit eum Dominus Josedech, in Prophetis*. At Vulgata cum Hebræo convenit, optimamque sententiam facit.

℣. 9. Ad Prophetas (vel, in Prophetas): Contritum est cor meum in medio mei. Nova hic oratio in falsos Juda Prophetas instituitur. Tum Sacerdotes illis conjunctos, suaque illos authoritate in populo confirmantes, arguit. Narrat Jeremias, sese malorum, quæ illis imminent, aspectu ita turbari atque agitari, uti hominem vino oppressum.

℣. 10. Adulteris repleta est terra; pestilentibus hominibus, falsis Prophetis, qui Dei verbum mendaciis vitiant; sive Israelitis Idola colentibus. Idolorum cultus passim sub scortationis & adulterii nomine designatur.

A facie maledictionis, ob impias orationes, quæ passim audiuntur; ob circulatorum audaciam, qui Dei nomen conviciis afficiunt, dum sese a Deo missos jactant, & cum Deo loqui gloriantur, tametsi neque a Deo missi sunt, neque Deo afflante vaticinantur (9). Aliter: Dolet terra, & obruta est calamitatibus dirarum causa, quas in ipsam pronunciavit Deus, & impii provocaverunt.

Arefacta sunt arva deserti. Ager incultus, & jumentorum cæterarumque pecudum pabulis relictus, penitus aruit, & herbis caret, quod illum devoverit Deus. Imbribus consueto ordine non irrigatur. *Arva deserti* cultis agris opponuntur.

Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis. Ad male agendum cucurrerunt, & robur eorum iniquitati servivit. Hebræus ad verbum (10): *Fuit cursus eorum in malum, & fortitudo eorum non recta*. Vel: Animus illorum in malum pendet, & robur eorum non est rectum, vel, non est sic, scilicet, non est qualem esse decet. Ad innocentium præsidium, ac veritatis defensionem non convertitur. Denique reddi potest: Fiet cursus eorum, vel mala eorum vis, ipsorum pernicies; & eorum virtus cadet. Succumbent denique & peribunt.

℣. 11. In domo mea inveni malum. Ipso in Templo Numinum simulacra posuere (11); meorumque Sacerdorum animus in rebus meis maxime negligens & infirmus fuit, ipsique ad hostes meos transiere. Quamobrem ab ipsa domo mea vindictam exercere incipiam (12). *Propheta & Sacerdos polluti sunt*, æque corrupti: Vel ex Hebræo (13): *Et Propheta & Sacerdos Hypocritæ sunt*, veritatem abscondunt, atque sub levi Religionis specie populum mendaciis simulatisque vaticiniis fallunt.

℣. 13. In Prophetis Samariæ vidi fatuitatem ..... [℣. 14.] et in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium. Nulli tunc erant Samariæ Prophetæ, cum ea Urbs diu antea eversa jaceret. At veteres innuit pseudo-Prophetas, qui sub Israelis Regibus eam regionem frequentabant. Ii quamumvis scelestissimi Jerosolymitanorum impietatem non æquabant. Nihil illi præter insanos erant, qui saltem nominis mei sanctitate non abutebantur, ut vaticiniis fidem adderent. Baalem publice colebant, ejusque nomine vaticinabantur. Insanisse opus erat, ut illorum nugis quis caperetur. At Jerosolymis Prophetæ sunt, meo nomine vaticinantes, meamque Religionem exteriori cultu profitentes; quos gentis Principes & Sacerdotes & tuentur & probant. Quis illorum fraudibus non capiatur? Quamobrem fit, ut populus in scelere perseveret: *Confirmaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua*. Oracula etiam verorum Prophetarum evertunt, dum contraria illis vaticinia venditant.

℣. 15. Cibabo eos absinthio; et potabo eos felle. Tropica locutio, hoc significans: Quolibet

(1) Joan. XVIII. 36. (2) Luc. II. 14. (3) Ephes. II. 14. (4) Isai. IX. 6. (5) יהוה צדקנו
(6) Coloss. II. 9. (7) Coloss. II. 14. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*. (8) Τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν κύριος Ἰωσεδέκ. (9) Septuag. Ἀπὸ προσώπου τούτου ἐπένθησεν ἡ γῆ. Hebr. כי מפני אלה אבלה הארץ
(10) ותהי מרוצתם רעה וגבורתם לא כן Septuag. Ἐγένετο ὁ δρόμος αὐτῶν πονηρὸς, καὶ ἡ ἰσχὺς αὐτῶν οὐχ οὕτως.
(11) 4. Reg. XXIII. 7. Jerem. VII. 30. (12) Ezech. IX. 6. *A sanctuario meo incipite*.
(13) גם נביא גם כהן חנפו Chald. *Suffurati sunt vias suas*.

bet malorum genere illos obruam. *Patare* aliquem, five alicui propinare, vulgo significat, feverissime in aliquem animadvertere. Nihil amarius felle propinati potest. Hebræus (1): *Ecce ego cibabo illas laana, & propinabo eis aquam Rosch*. Quid significet duplex hujus loci vox, non latis constat; at inter omnes conveait, amarissimum aliquid significare (2). Septuaginta: (3): *Ecce ego cibabo eos doloribus, & propinabo eis aquam amaram*.

℣. 17. Dicunt his qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis. Hebræus (4): *Dicunt spernentibus me*, vel convitiantibus: *Locutus est Dominus; Pax erit vobis*; fortunis omnibus abundabitis: ne quidquam vereamini: verti etiam potest ex sententia Septuaginta (5): *Dicunt abjicientibus sermonem Domini: Pax erit vobis*. Confer cum hoc loco Caput VI. 14. VIII. 11. *Dicentes: Pax Pax, cum non esset pax*, Ezech. XIII. 10 &c.

℣. 18. Quis affuit in consilio Domini? Septuaginta (6): *Quis stetit in subsistentia Domini*, coram Domino, in loco ubi præsens est, suamque majestatem prodit? Symmachus, *in callaquia*, Aquila, *in secreto*? Postremam hanc explicationem plerique sequuntur. Quis vestrum, pseudo-Prophetæ, Dei arcana & consilia se pervasisse jure glorietur? Hæc ego vobis aperiam. Dai furor in vos fevissime ardebit; vobisque tunc dabitur Dei arcana intelligere, & consilia scrutari. (℣. 20.) *In novissimis diebus intelligetis consilium ejus*.

℣. 22. Si statissent in consilio meo .... Avertissem utique eos a via sua mala. Si consilia mea scrutati essent, & arcana intellexissent. [Hebræus (7) eadem hic voces habet, quas explicavimus ℣. 18.] tam multis sceleribus non tenerentur, ipsos flagitiis liberassem; neque discrimini obnoxiam reliquissem gentem meam, cum impios adeo homines vaticinandi, measque sanctiones populis nunciandi munere occupatos videret. Aut meliores elegissem, aut minus impios reddidissem. Hebræus (8), Septuaginta (9), Chaldæus, cæteræque versiones, & Latinæ editiones quædam (10): ferunt, *Avertissent utique eas*. pro *avertissem*. Si meo consilio adfuissent, populum meum a pessimo itinere proculdubio revocassent, ac nedum non impulissent, aut male agentes probassent, verum etiam a flagitiis removissent. Haberi τὸ *avertissem* possit mendum librarii in Vulgata, nisi S. Hieronymus itidem in Commentario legisset, & omnes ferme manuscripti Codices & impressi ferrent. Cæterum optimam utraque lectio sententiam exhibet.

℣. 23. Putasne Deus de vicino ego sum, et non Deus de longe? An putas, mearum virium potestatem in ea solum ferri, quæ circa me sunt, non in ea, quæ remotiora videntur? Nonne satis late manus porrigo, ut te capiam, meique furoris pondere opprimam? Futurum ne speras, ut fuga te mihi subtrahas, a me elabaris? Vel: An Deus sum angustis finibus clausus, ea solummodo videns, quæ coram ac prope me sunt? Omnia ne loca & tempora non intueor? Aliter; Num recens Deus sum (11), Numinibus similis? Æternitatem omnem atque omnia sæcula non supero? Denique: Utrum ne Deus sum, quem scrutari facile unicuique negotium sit? Mea ne consilia pervadere, & arcana facile intelligere vos posse censetis? Harum explicationum nulla cum Hebræo totaque orationis serie pugnat. Septuaginta & Theodotion Hebræum reddunt (12): *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe* (13). Ubique sum, omnia immensa præsentiæ meæ magnitudine impleo. Sequens versiculus huic explicationi favet.

℣. 24. Numquid non cœlum et terram ego impleo? Artes tuas tuaque mendacia nonne præsens intuor? Sperabas ne futurum, ut te meæ vel cognitioni vel potestati subduceres: *Deus ubique* est, vetus quidam ajebat (14), *quia nullibi*. Ubique esse non posset, si quo in loco clauderetur.

℣. 26. Usquequo istud est in corde Prophetarum? Quousque pseudo-Prophetæ sibi blandientur, meque ipsorum fraudes & mendacia non intueri censebunt? Vel: Quousque parati animo erunt, populum fallere, seque ipsos in fraudes impellere?

℣. 27. Sicut obliti sunt patres eorum nominis mei, propter Baal. Religionem in Juda evertere falsis vaticiniis moliuntur, non secus ac falsi Samaritanorum Prophetæ everterunt, cum & Baalis cultum promoverent, & meo nomine vaticinarentur. Samariticos Prophetas appellat *patres* Prophetarum Juda, doctores, exempla, præcursores.

℣. 28. Propheta qui habet somnium, narret somnium iis, qui vere Numine afflantur, ut is sententiam ferant; utrum a Deo missum fuerit: quæ mera somnia sunt aut mentis ludibria pro vaticiniis non vendicet, ut a tritico palea secernatur, neque concessæ divinitus cognitiones cum insanæ mentis deliriis misceantur. *Quid paleis ad triticum*? Ita primis Ecclesiæ temporibus, quibus somnia Divinæque allocutiones frequentius audiebantur, nequis deciperetur, jubet (15): *Prophetæ dua aut tres dicant, & cæteri dijudicent*.

℣. 29. Verba mea quasi ignis, et quasi malleus conterens petram. Certissimum mei fermonis indicium est ardor igni similis, quo animus eo plenus uritur; vis invicta, qua mentes durissime franguntur. Si plenus meo spiritu esses, si verba mea ori tuo indidissem, igneus plane esses, meæque gloriæ studio totus occupareris. Malleus esset fermo tuus, lapides frangens; populi mei duritiem vinceres; pervicaces in scelere animos superares. Jeremias Spiritu Sancto plenus, ajebat (16): Dei fermo intra cor meum clauditur, ceu vorans ignis, intra ossa conclusus: deficio, ejusque vim ferre non valeo. S. Paulus (17): Dei verbum cum ense utrinque acuto secretissimas animi partes penetrante, arcanas maxime cogitationes scrutante, animæque ac spiritum dividente, comparat. Septuaginta (18): *Sicut securis*, vel instrumentum quodlibet, *scindens petram*. Hebræus: *Malleus comminuens*, atque in frusta conterens *petram*, scintillas feriendo eliciens.

℣. 30. Qui furantur verba mea unusquisque a fratre suo. Alter de altero obloquuntur; quamobrem fit, ut populus falsos Prophetas a veris minime secernens, nulli jam credat. Eadem

(1) הנני מאכיל אותם לענה והשקיתים מי ראש (2) Vide superius IX. 15. (3) Ἰδοὺ ἐγὼ ψωμιῶ αὐτοὺς ὀδύνας, καὶ ποτιῶ αὐτοὺς ὕδωρ πικρόν. (4) אמרים אמור למנאצי דבר יהוה ; שלום יהיה לכם (5) Λέγουσι τοῖς ἀπωθουμένοις τὸν λόγον Κυρίου, εἰρήνη ἔσται ὑμῖν. (6) Τίς ἔστη ἐν ὑποστήματι Κυρίου. כי עמד בסוד יהוה (7) אם עמדו בסודי (8) וישמעו דברי את עמי וישבום מדרכם הרע (9) Καὶ τοῦ λαοῦ μου ἀπέστρεφον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν. (10) Ita Edit. Complut. Regia, & Parisin. Mich. le Gray. (11) Vide similem locutionem in Job XX. 5. ex Hebræo: *Exultatio impiorum de propinquo* (seu brevis.) (12) האלהי מקרוב אני ולא אלהי מרחק Septuag. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, καὶ οὐχὶ Θεὸς πόῤῥωθεν. (13) Confer Job XXXVI. 3. & Psal. LXXX. 9. (14) Porphyr. libel. de occasion. Ὁ Θεὸς πανταχῆ, ὅτι οὐδαμῆ. (15) I. Cor. XIV. 29. (16) Jerem. XX. 9. *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*. (17) Heb. IV. 12. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*. (18) Ὡς πέλυξ κόπτων πέτραν. Heb. בפטיש יפצץ סלע

dem veri Prophetæ ratio habetur ac falsi; atque alteri frequenter authoritatem fidemque iis debitam, qui vere missi a Deo sunt, surripiunt, dum illorum sermones imitantur, ac Dei nomine abutuntur, quamquam illius spiritu minime prorsus afflati.

℣. 31. QUI ASSUMUNT LINGUAS SUAS. Meo nomine loquendi libertate abutuntur & lingua, ut falsa oracula meo nomine pronuncient. Simile hominum genus; arguit David (1): *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Reddi potest Hebræus (2): *Prophetas* acuentes, expolientes, blandam ac suavem reddentes *linguam suam*; veluti si quis ensis mucronem, quo alteri necem molitur, oleo tingat. Vel: Placere iis quos alloquuntur, hi studeant, blandiuntur, suasque in partes suavi blandaque oratione, malis animi libidinibus & flagitiis amica, illos alliciunt.

℣. 32. SEDUXERUNT POPULUM MEUM IN MIRACULIS SUIS, fictis prodigiis, quibus ignaros capiunt; vel præstigiis, quibus oculos illorum fascinant. Hebræus varie admodum redditur (3): *Seduxerunt populum meum mendaciis suis, & levitate sua*, vanissimis vaticiniis, impudentia (4), fallaciis (5), fictis animi abalienationibus (6), adulationibus. Singulis hisce versionibus sui adsunt patroni, suæque rationes, neque altera certior altera est.

℣. 33. QUOD EST ONUS DOMINI? Gravis in aliquem vaticinia *onus* a Prophetis appellantur (7). Interdum etiam, sed raro, quodlibet vaticiniorum genus eo nomine donatur. Judæi, Jeremiæ insultantes, frequenter interrogabant: Quid novi est? Ullumne habes onus, minax vaticinium? Respondebis: Hoc ad vos vaticinium pertinet: vos hoc onere opprimemini. Vel: si negaverint: Novum ne onus aut vaticinium paras? Dices: Vos ipsi onus Dei estis: is vos ferre jam fessus, projiciet & comminuet: *Vos estis onus Domini; projiciam quippe vos, dicit Dominus.* Hebræus ad verbum (8): *Dices: Quod onus? Et vos terræ allidam.* Chaldæus: *Et dices ei: Talis est Prophetia: Projiciam vos, dicit Dominus.* Vulgatæ sensum, qui & aptissimus videtur, sequuti sunt Septuaginta. Lusus verborum est inter onus & vaticinium, *massa* & *massa*, Hebræas voces vario sensu usurpatas.

℣. 35. HÆC DICATIS: QUID RESPONDIT DOMINUS? Aliter loqui vos docebo: Prophetas in posterum verebimini. Cum vos punivero ac dejecero, jam non dicetis: Quod est onus Domini? Deus ne locutus est?

℣. 36. QUIA ONUS ERIT UNICUIQUE SERMO SUUS. Vel: Ultricis manus meæ pondus unusquisque vestrum sentiet, ob insanas orationes, quas pronunciastis. Onus vestrum sermones vestri, & supplicii vestri causa fient.

℣. 39. ECCE EGO TOLLAM VOS PORTANS, ET DERELINQUAM VOS. Alludit ad oneris vocem, toties ab Judæis Jeremiæ objectam. Cum, me invito, frequenter adeo Prophetas meos flagitaveritis, quod onus Domini esset, accipite: Vos ego ceu onus tollam, ac terræ allidam veluti onus quod ferre nequeam. Hebræus (9): *Propterea ecce ego vos fero ceu sarcinam oblivionis, & projiciam vos.* Servatis Massoretarum punctis verti debet (10): *Propterea ecce ego obliviscar vestri obliscendo, & projiciam vos, &c.* Chaldæus: *Derelinquam vos, & projiciam vos.* At omnium optima videtur versio, quam sequuntur Vulgata & Septuaginta.

(1) Psal. XLIX. 16. (2) הנבאים הלקחים לשונם Septuag. Ἐκβάλλοντας προφητείας γλώσσας. (3) ויתעו את עמי בשקריהם ובפחזותם (4) Ita Chald. Grot. (5) Septuag. Ἐν τοῖς πλάνοις αὐτῶν. (6) Anglic. Vers. (7) Heb. מה משא יהוה Septuag. Sym. Theodot. Τί τὸ λῆμμα κυρίου. Assumptio Domini? Aq. Ἆρμα, onus, seu pondus. (8) את מה משא ונטשתי אתכם Septuag. Καὶ ἐρεῖς αὐτοῖς ὑμεῖς ἐστε τὸ λῆμμα, καὶ ῥάξω ὑμᾶς. (9) לכן הנני ונשיתי אתכם נשא ונטשתי אתכם Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ ἐγὼ λαμβάνω, καὶ ῥίσσω ὑμᾶς. (10) Legunt בשותי ex naschba נשה, oblivisci, pro nasa נשא ferre.

C A P U T XXIV.

Duo calathi, alter bonis, alter malis ficubus pleni Jeremiæ per visum exhibentur; quorum primo Jechonias cæterique una captivi, altero Judæi in patria relicti cum Sedecia significabantur.

℣. 1. Ostendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Juda, & principes ejus, & fabrum, & inclusorem de Jerusalem, & adduxit eos in Babylonem. 2. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis: & calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ. 3. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Jeremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. 4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 5. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum. 6. Et ponam oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non destruam: & plantabo eos, & non evellam. 7. Et dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum Dominus: & erunt mihi in populum; & ego ero eis in Deum: quia revertentur ad me in toto corde suo. 8. Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ: hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Juda, & principes ejus, & reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac, & qui habitant in terra Ægypti. 9. Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ:

in opprobrium, & in parabolam, & in proverbium, & in maledictionem in universis locis, ad quæ ejeci eos. 10. Et mittam in eis gladium, & famem, & pestem; donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.

℣. 5. ECCE DUO CALATHI PLENI FICIS, POSITI ANTE TEMPLUM DOMINI. Vidit hoc Jeremias postquam Jechonias translatus est Babylonem, regnante Sedecia, supremo e Regibus Juda. Jechoniæ, Babylonem una cum Jerosolymitanis Optimatibus translati, calamitas deflebatur, cum illum a Nabuchodonosore in vinculis indignaque & Regno & Regio genere conditione detineri, compertum esset. Geminos ficuum calathos in Templi foribus exhibet Jeremiæ Deus, iis canistris similes, in quibus fructuum primitiæ Domino offerri solebant. Qui bonas ficus continebat, Jechoniam cæterosque una captivos significabat; qui malas, Sedeciam tunc regnantem, populumque in regione relictum, postquam ablatus est Jechonias. Hoc fusius explicabimus in consequentibus.

POSTQUAM TRANSTULIT FABRUM ET INCLUSOREM (1) DE JERUSALEM, fabros aurarios aut ferrarios. Primæ vocis significatio vaga est, quodlibet fabrorum genus significans, lignum, lapides aut metalla elaborantium. Altera magis ignota est, orta e radice, quæ sonat *claudere*. Ita de *architecto* domos ædificante, urbesque mœnibus cingente usurpatur; vel de *aurario fabro*, annulos & sigilla conflante; gemmasque auro argentove includente; quæ olim ars apud Barbaros in pretio fuit, teste S. Hieronymo (2). Denique *machinariam architectum* designat, castra metandi peritum, aut cingendæ obsidione urbis arte nobilem; vel *fabrum* serarum, pessulorum ac vectium artificem. Hebræa vox proprie significat *eum qui claudit* portam. Easdem voces (3) ferunt Libri Regum. Capto Jechonia, Chaldæi Judæos ad eas rerum angustias adigere voluere, ad quas olim sub Philisthæis redacti fuerant (4); illos enim fabris exuerunt, cæterisque peritis conflandi arma vectesque, quibus urbes clauduntur.

℣. 2. UT SOLENT FICUS ESSE PRIMI TEMPORIS; præcoquæ ficus. Hebraice *bccorah*, quæ cum fructum autumno ediderint, tota hieme servant, ac maturum vere primo exhibent, quo tempore cæteræ ficus vix fructuum indicia ferunt. Hoc ficuum genus plurimi æstimabatur, uti plures docent Scripturæ loci (5).

℣. 5. SICUT FICUS HÆ BONÆ, SIC COGNOSCAM TRANSMIGRATIONEM JUDA (6). Quemadmodum hæ ficus optimæ sunt, ita optime ego me geram erga eos, qui ex Juda translati sunt; quicquid ad illos spectat, tuebor, nunquam illos deseram, ceu homines mihi ignotos atque extraneos: illorum rationem habebo, ceu hominum, quos ego novi, meorum in numero habeo, quos tueor. *Cognoscere* frequenter usurpatur pro, beneficiis afficere, plurimi æstimare; amore prosequi (7). Harum promissionum fides tunc patuit, cum, Nabuchodonosore fatis functo, Evilmerodachus Jechoniam carcere eduxit, atque honestissimo loco inter familiares habuit (8). Daniel sociique & gloria & dignitatibus apud Nabuchodonosorem claruerunt (9). Zorobabel, Salathielis filius, Jechoniæ nepos e captivitate reversus est, suæque Tribus Principatum obtinuit. Cæteri Judæi, in dissitis a Babylone plagis captivi, medium inter se habebant Ezechielem, quem Deus Spiritu suo implebat. Denique Chaldæorum imperium in Judæos cum Jechonia captivos mitissimum fuisse, satis ex historia Susannæ discimus. Populares iis erant Judices; patriis Legibus libere utebantur; amplas ibi opes, domos amœnissimas hortosque sibi comparaverant (10). At longe durior fuit eorum conditio, qui sub Sedecia translati sunt; quippe quos Babylonii pro seditiosis atque perduellibus habuere; quamobrem nulla erga ipsos misericordia utebantur. Hos denique Deus hic & Capite xxix. 17. sub malarum ficuum, cibo ineptarum, odiosarumque imagine designat. Vide ℣. 8.

℣. 6. ÆDIFICABO EOS, ET NON DESTRUAM. Illos in patriam revocabo, ubi pristinas urbes sedesque illi restituent, in posterum minima destruendas. Nihil illis huic Babylonicæ captivitati simile eveniet. At, inquies, nonne suprema Judæorum eversio sub Romanis, quæ tamdiu producta est, & adhuc perseverat, eumdem cum mundo exitum habitura; nonne major Babylonica calamitas est? Qua ratione cum Divinis hujus loci, & Capitis xxiii. 4. promissionibus ea concilietur? Respondeo, pleraque Veteris Testamenti vaticinia, ea præsertim, quæ a Prophetis ante captivitatem edita sunt, in Messia desinere, atque ad Judæos adhuc pervicacea minime pertinere. II. In primo Scripturarum & Spiritus sancti proposito unicam esse gentem & Judæos, cum ab electæ gentis dignitate nondum excidissent, & Christianos. Nobilissimæ promissiones, quæ ad Hebraicam gentem spectabant, post Jesum Christum ad Christianos transierunt; Judæis ad extraneæ gentis conditionem rejectis. Veri promissionum hæredes sunt Jesu Christi Discipuli. Quamobrem, ut vaticiniorum Jeremiæ veritas constet, illud solummodo docendum est, Judæos a Cyri ætate usque ad Christum patriis in sedibus commoratos esse, a nemine pulsos avulsosque, ut alio abigerentur; ac post Jesu Christi tempora, verum Israelem, *Israelem Dei*, Christianos, non Judææ finibus clausos; sed in omnes Orbis partes effusos, ex Prophetarum vaticiniis, nulla non ætate floruisse; Ecclesiam, a Jesu Christo super Prophetarum Apostolorumque fundamenta constitutam, nunquam ruisse; ac Dei promissionem, quam late patet, certissima fide impleri: *Reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos, & non destruam, & plantabo eos, & non evellam*. III. Denique, nisi satis esse videatur hæc responsio, cujus vim facile quivis sentiat, dico, horum vaticiniorum fidem certis conditionibus adstrictam esse, ac tunc implendam, ubi Judæi constanter Dominum sequerentur; his vero debita Deo officia negligentibus, par fuisse, ut hujusmodi promissionum fructum ipsi non sentirent.

℣. 9. OMNIBUS REGNIS TERRÆ. Judæi, qui Ierosolymæ obsidionem sub Sedecia a Nabuchodonosore metuebant, cum hostem intra regionis suæ fines cernerent, nullaque ipsis elabendi spes super-

---

(1) את החרש ואת המסגר (2) Hieron. hic: *Artifices inclusores auri atque gemmarum, quæ ars apud Barbaras nationes pretiosissima est.* (3) 4. Reg. xxiv. 14. *Omnem artificem, & clusorem.* (4) 1. Reg. xiii. 19. *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel: caverant enim Philisthiim ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* (5) Mich. vii. 1. *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* Vide & If. xxviii. 4. & Osee ix. 10. (6) כן אכיר את גלות יהודה (7) Psal. i. 16. *Novit Dominus viam justorum.* xxxvi. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum.* lxxiii. 9. *Et nos non cognosces amplius.* cxliii. 3. *Quid est filius hominis quia reputas eum?* &c. Vide hic ℣. 6. (8) 4. Reg. xxv. 27. *Sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Juda de carcere.* (9) Dan. ii. 48. (10) Jerem. xxix. 5. *Ædificate domos, & habitate; & plantate hortos, & comedite fructum eorum: accipite uxores,* &c.

pereffet, varia in loca confugerunt, fugamque & fpontaneum exilium belli calamitatibus triftiqui ac miseræ captivitati prætulerunt. Fugam hanc Scriptura non defcribit; at fatis indicant Prophetæ vel tunc, cum Ifraele ex omnibus terrarum plagis reverfurum vaticinantur; e Regionibus trans mare & Euphratem pofitis, ex Ægypto, Affyria; denique *a quatuor ventis* (1).

(1) Ifai. xi. 11. & Ezech. v. 1. 19. 11. Ezech. xxxvii. 9. Zach. ii. 6. vi. 5. 15.

C A P U T XXV.

Arguuntur Judæi indociles ac pervicaces. Chaldæis finitimifque, qui Judæos afflixere, Divini furoris calix propinabitur. Pergunt in eas gentes & in Judæos minæ.

ỳ. 1. Verbum, quod factum eft ad Jeremiam de omni populo Juda in anno quar-
to Joakim filii Jofiæ regis Juda, (Ipfe eft annus primus Nabuchodonofor
regis Babylonis.) 2. Quod locutus eft Jeremias propheta ad omnem populum Ju-
da, & ad univerfos habitatores Jerufalem, dicens: 3. A tertio decimo anno Jofiæ
filii Ammon regis Juda ufque ad diem hanc: ifte tertius, & vigefimus annus: factum
eft verbum Domini ad me, & locutus fum ad vos de nocte confurgens, & loquens:
& non audiftis, 4. Et mifit Dominus ad vos omnes fervos fuos prophetas, confur-
gens diluculo, mittenfque: & non audiftis, neque inclinaftis aures veftras, ut audi-
retis. 5. Cum diceret: Revertimini unufquifque a via fua mala, & a peffimis cogi-
tationibus veftris; & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus ve-
ftris, a fæculo, & ufque in fæculum. 6. Et nolite ire poft deos alienos, ut fervia-
tis eis, adoretifque eos: neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum
veftrarum, & non affligam vos. 7. Et non audiftis me, dicit Dominus, ut me ad
iracundiam provocaretis in operibus manuum veftrarum, in malum veftrum. 8. Pro-
pterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audiftis verba mea: 9. Ec-
ce ego mittam, & affumam univerfas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabu-
chodonofor regem Babylonis fervum meum: & adducam eos fuper terram iftam, &
fuper habitatores ejus, & fuper omnes nationes, quæ in circuitu illius funt: & in-
terficiam eos, & ponam eos in ftuporem, & in fibilum, & in folitudines fempiter-
nas. 10. Perdamque ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem fponfi, & vo-
cem fponfæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. 11. Et erit univerfa terra hæc in
folitudinem, & in ftuporem: & ferviens omnes gentes iftæ regi Babylonis feptuaginta
annis. 12. Cumque impleti fuerint feptuaginta anni, vifitabo fuper regem Babylo-
nis, & fuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & fuper terram
Chaldæorum: & ponam illam in folitudines fempiternas. 13. Et adducam fuper ter-
ram illam omnia verba mea, quæ locutus fum contra eam, omne quod fcriptum eft
in libro ifto, quæcumque prophetavit Jeremias adverfum omnes gentes: 14. Quia
fervierunt eis, cum effent gentes multæ, & reges magni: & reddam eis fecundum
opera eorum, & fecundum facta manuum fuarum. 15. Quia fic dicit Dominus ex-
ercituum Deus Ifrael: Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: & propinabis
de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. 16. Et bibent, & turbabuntur,
& infanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. 17. Et accepi calicem de
manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas mifit me Dominus: 18. Je-
rufalem, & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus: ut darem eos in
folitudinem, & in ftuporem, & in fibilum, & in maledictionem, ficut eft dies ifta:
19. Pharaoni regi Ægypti, & fervis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus,
20. Et univerfis generaliter: cunctis regibus terræ Aufitidis, & cunctis regibus terræ
Philifthiim, & Afcaloni, & Gazæ, & Accaron, & reliquis Azoti, 21. Et Idumææ,
& Moab, & filiis Ammon: 22. Et cunctis regibus Tyri, & univerfis regibus Sido-
nis: & regibus terræ infularum, qui funt trans mare: 23. Et Dedan, & Thema,
& Buz, & univerfis, qui attonfi funt in comam: 24. Et cunctis regibus Arabiæ,
& cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deferto: 25. Et cunctis regibus Zam-
bri, & cunctis regibus Elam, & cunctis regibus Medorum: 26. Cunctis quoque re-
gibus Aquilonis de prope, & de longe, unicuique contra fratrem fuum: & omnibus
regnis

regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt: & rex Sesach bibet post eos. 27. Et di-
ces ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite, & inebriamini, &
vomite: & cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. 28.
Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, ut bibant, dices ad eos: Hæc di-
cit Dominus exercituum: Bibentes bibetis: 29. Quia ecce in civitate, in qua invo-
catum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes, & immu-
nes eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco super omnes habitatores ter-
ræ, dicit Dominus exercituum. 30. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, &
dices ad illos: Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem
suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma quasi calcantium concinetur ad-
versus omnes habitatores terræ. 31. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ, quia
judicium Domino cum gentibus: judicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gla-
dio, dicit Dominus. 32. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur
a summitatibus terræ. 33. Et erunt interfecti Domini in die illa, a summo terræ
usque ad summum ejus: non plangentur, & non colligentur, neque sepelientur: in
sterquilinium super faciem terræ jacebunt. 34. Ululate pastores, & clamate: & as-
pergite vos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies vestri, ut interficiami-
ni; & dissipationes vestræ, & cadetis quasi vasa pretiosa. 35. Et peribit fuga a
pastoribus, & salvatio ab optimatibus gregis. 36. Vox clamoris pastorum, & ulu-
latus optimatum gregis: quia vastavit Dominus pascua eorum. 37. Et contice-
runt arva pacis a facie iræ furoris Domini. 38. Dereliquit quasi leo umbraculum
suum, quia facta est terra in eorum desolationem a facie iræ columbæ, & a facie
iræ furoris Domini.

℣. 1. IN ANNO QUARTO JOACHIM, IPSE EST ANNUS PRIMUS NABUCHODONOSOR. Geminus hic annus concurrit; primus Nabuchodonosoris in Chaldæos, & Joachimi quartus in Judam; uterque vero congruit cum anno Mundi 3397. & Julianæ periodi, 4107. Primus hic Nabuchodonosoris annus is non est, quo ipse post Nabopolassari parentis obitum imperio absolute potitus est; at is, quo in Regni societatem accitus fuit (1), tertio ante Nabopolassari mortem anno. Idem hic primus Nabuchodonosoris annus apud Danielem notatur (2), velut in tertium Joakimi annum competens; quamobrem Daniel cum iis quæ hic leguntur, pugnare videtur: at Daniel tertium Joakimi annum inchoatum spectat; Jeremias quartum Nabuchodonosoris annum inceptum. Quartus hic Joakimi annus (3) feralis Jerosolymæ fuit, Nabuchodonosore in Judæam veniente, qui urbem & Joakimum cepit, vinctum illum Babylonem missurus; at mutato deinde consilio, ipsum in Regno reliquit, gravissimis conditionibus oneratum; plurima Templi vasa rapuisse, ingentemque captivorum numerum tum e populo, tum e Regia familia, inter quos Daniel, Ananias, Misael, & Azarias erant, abduxisse contentus. Hinc Usserius periodum ducit septuaginta annorum celeberrimæ captivitatis (4), quæ in primum Cyri annum, Mundi 3468. competit. Nova hic oratio instituitur, alia plane ab ea, quæ Capite præcedenti & consequenti recitatur. Vaticinium, quod hic expendimus, vetustius est altero Capitis XXIV. & recentius eo, quod Capite XXVI. narratur. Jeremias sub ipsa Nabuchodonosoris exordia prædicit mala, quibus hic non Judam modo, verum etiam finitimos omnes oppressurus est (5): *Ecce ego mittam & assumam universas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum, & adducam eos super terram istam, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt.* En ultorem, justitiæ meæ administrum, Regem electum, ut nominis mei terrorem ubique ferat.

℣. 3. A TERTIO DECIMO ANNO JOSIÆ USQUE AD DIEM HANC, ISTE EST TERTIUS ET VIGESIMUS ANNUS. Diu antea minitatus est Deus, quam supplicium inferat. Totis ab hinc tribus & viginti annis palam loqui, vestraque flagitia arguere incepi. Nihil prætermisi, ut vos ad officium revocarem: diu noctuque, ut ita dicam, laboravi, *De nocte consurgens*: at non audistis. Decem & novem annis sub Josia, quatuor vero sub Joakimo vaticinatus est Jeremias. Joachaz, qui inter utrumque regnavit, trimestre Regnum obtinuit.

℣. 4. MISIT AD VOS OMNES SUOS PROPHETAS. Quam multi in Juda Prophetæ, a Davidis ætate? Imo quam multi post Josiæ initia? Quamquam non omnes recenset Scriptura, sub Josia tamen hos novimus, Joelem, Habacucum, Sophoniam (6), & Holdam Prophetidem.

℣. 9. MITTAM, ET ASSUMAM OMNES COGNATIONES AQUILONIS, ET NABUCHODONOSOR SERVUM MEUM. Se ipsum sub absoluti Regis imagine exhibet Deus, ad populos jussa mittentis, jubentisque arma capere, atque sub electo a se Duce proficisci. Hoc locutionum genere, Prophetis maxime familiari, suprema Omnipotentis authoritas eximie demonstratur. Nunc, se sibilante, populos statim obtemperaturos ac profecturos ait (7); nunc, erecto a se signo (8), gentes undique sua sub Vexilla conventuras; nunc missurum se legatos; ac denique sua ipsius voce appellaturum (9). Hæc demum omnia illud tantummodo significant, Deum naturali populorum habitudine, viribus, ambitione, cupiditatibus usurum, ut æterna mentis suæ consilia expleat, seu præmium seu supplicium inferre velit. Hoc sensu Nabuchodonosor *Dei servus* dicitur. Flagellum est, quo perduellem popu-

[1] Vide Usser. ad an. M. 3397. & 3398. [2] Dan. I. 1. collatum cum Jerem. XXV. 1. [3] Anno Mundi 3398. Vide Usser. [4] Jerem. XXV. 11. [5] Jerem. XXV. 9. [6] Vide Præfationem in Prophetas minores. [7] Vide Isai. V. 26. *Sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Et Isai. VII. 18. *Sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti.* Zach. X. 8. *Sibilabo eis, & congregabo illos.* [8] Isai. V. 26. *Elevabit signum in nationibus.* Jerem. L. 2. & 27. [9] Abdias 1. *Auditum audivi a Domino, & legatum ad gentes misit.* Et Isai. XVIII. 2. *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam, &c.*

populum ferit, ac gentes, quę ipsios iram provocavere. Is victoriis tumet, cęreris hominibus se multo superiorem credit; sese Deo amicum esse arbitratur, quamquam fallitur; illum enim Deus odiosissimo ac turpissimo munere occupat; quippe qui ceu virga fit, qua pater filium ferit, igni daturus, ubi ea usus fuerit.

IN STUPOREM ET IN SIBILUM; hominum fabula & ludibrium. Locutio est Jeremię familiaris, proverbio similis, Sibilare gestus est irridentis & insultantis (1).

℣. 10. VOCEM SPONSI, &c. Vide *Jerem.* VII. 34. XVI. 9. XXXIII. 11. *Baruch* II. 23.

VOCEM MOLÆ, nęnias puellarum molam torquentium. Ante aquaria & pneumatica, pistrinis manuariis utebantur; quem in usum plerumque ancillę adhibebantur, teste Homero (2). Apud Evangelia (3). *Duæ molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur.* Animadvertendum vero est, Christum uti ancillarum molam torquentium apologo, cum de eadem re, ac Jeremias, ageret, de extremo Jerosolymę per Romanos excidio; cujus sub imagine supremum Judicium describit. Servi ancillęque molestissimo huic operi addicti, cantionibus interdum laborem fallebant (4); id vero Propheta nuncupat *vocem* molę; cujusmodi recitat Plutarchus (5): *Mole, mola, mole; etenim Pittacus molis, magnæ qui rex est Mitylenæ.* Similem recitat Homerus (6).

ET LUMEN LUCERNÆ. Posthac nuspiam Jerosolymis cernentur nocturni ignes, quibus ędes illustrabantur, & ornabantur urbs nobilissima, cujus situs pulcherrimo lucernarum intra ędes micantium spectaculo magnopere serviebat. Extraordinarias fortasse solemnitates spectat Jeremias, quę ingenti lucernarum pompa celebrabantur. Holofernes a coronatis civibus inter faces excipitur (7); & Antiochus Epiphanes inter innumeros ignes facesque Jerosolymam ingreditur (8). Iudęi veteres ineunte Sabbato lucernam accendebant (9); quem morem adhuc servant (10). Cum natales Regum suorum dies celebrarent, ingentes lucernas floribus ornatas in fenestris disponebant (11):

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, &c.

℣. 11. SERVIENT OMNES GENTES ISTÆ REGI BABYLONIS SEPTUAGINTA ANNIS. Septuaginta hujusmodi annorum initium a primo Nabuchodonosoris anno ducetur, Ioachimi quarto (12). Porro hęc annorum periodus nedum Iudęos spectabat, verum etiam cęteros, qui in consequentibus narrantur. Servient omnes Nabuchodonosori ejusque successoribus Evilmerodacho & Balthasari, annis septuaginta; quibus elapsis, Divina ultio in Chaldęorum Imperium sęviet; quo per Darium Medum & deinde Cyrum everso, libertas non Iudęis modo & Israelitis, verum etiam gentibus mox recensendis restituetur. Vide hæc fusius in Dissertatione, quam de hac re dedimus. Inferius etiam (13) habet Ieremias annos septuaginta; at postremis hisce Ierosolymę ac Templi eversio spectatur. Hi vero initium ducentes ab anno Mundi 3414. desinunt in annum 3485. qui secundus est Darii Hystaspis. Vide Zachariam I. 12. Ita rem digerit Usserius.

Hæc tamen annorum distributio difficultate non caret; hujus enim loci verba multo aptius cum annis septuaginta excidii Templi conveniunt, quam ea quæ Capite XXIX, recitantur. Ita hic Jeremias; *Erit universa terra hæc in solitudinem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* At capite XXIX. 10 *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum.* Judæi & Vatablus (14) ajunt, annos septuaginta, quorum meminit Jeremias capite XXV. in secundo Darii Hystaspis anno desinere; atque hanc nos sententiam amplexi sumus in Zachariam I. 12.

Operæ pretium est, annos septuaginta captivitatis in Jeremia descriptos luculenter explicare. Ac primum animadverte, annorum numerum bis a Propheta distingui. *Jerem.* XXV. 11. *Erit universa terra hæc in solitudinem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Capite XXIX. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.*

Usserius, quem plerumque in temporum ordine sequimur, exordium annorum septuaginta captivitatis, quorum meminit Caput XXV. 11. a primo Nabuchodonosoris anno, Mundi 3398. ducit, exitum vero in anno Mundi 3468. collocat, quem annum censet esse primum Cyri in universum Orientis Imperium, quod denique obtinuit mortuis Cambyse patre suo, Persarum Rege, & Cyaxare socero, Rege Medorum, tribus annis postquam Babylonem cepit. Integrum tunc erat Cyro fateri (15): *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, &c.* Ante id tempus, ita gloriari non poterat; nondum enim locupletissima Imperia collegerat, quibus superatis, totius Asiæ dominus fuit. Hæc Usserius.

At cum in numero annorum Cyri alteram calculorum rationem secuti simus, & Usserium in distribuendis Cyri annis reliquerimus, exitum septuaginta annorum captivitatis, ab Jeremia prædictæ Capite XXV. 11. statuimus anno Mundi 3485. atque adeo illorum initium anno 3415. qui annus prior est Jerosolymitano excidio per Nabuchodonosorem. Scio, plerosque Interpretes captivitatis exitum cum primo Cyri Babylone regnantis anno componere. Non inficior, id præsertim asserente Esdra (16), eo anno Cyrum Hebræos in patriam remisisse; at illud nonnisi initium libertatis fuit; quæ tunc demum absoluta est, cum Darius Hystaspis filius ea omnia removit, quibus gentis adversarii Jerosolymæ instaurationem prohibere conabantur (17). Eodem hoc tempore claudi putamus annos septuaginta, quorum idem meminit Jeremias XXIX. 10. Qua etiam in re Usserium relinquimus; qui septuaginta captivitatis annos, ut vidimus, ab annis septuaginta excidii & ruinæ Templi distinguit; quam animadversionem prorsus inutilem arbitramur. Vide nos in Zachariam I. 12. Initium annorum septuaginta excidii Templi statuit anno 3414. & exitum anno 3485.

℣. 12. VISITABO SUPER REGEM BABYLONIS, armis Cyri, qui Babylonios bello aggressus, Chaldæorum imperium evertit, Minitatur Deus: *Ponam Babylonem in solitudines sempiternas*; at hujusmodi minarum fides nonnisi diuturno post tempore expleta est. Multis tamen ab hinc sæculis adeo eversa jacet Babylon, ut ipse illius situs ignoretur. Isaias (18) frequenter Babylonem tristibus vaticiniis insectatur.

℣. 14. QUIA SERVIERUNT EIS, CUM ESSENT GENTES MULTÆ; ET REGES MAGNI. Cur id crimini illis datur? Nonne coacti cessere, cum resistere Chal-

(1) Vide supra XVIII, 16. XIX. 8. & passim. (2) Homer. Odyss. XX. (3) Matt. XXIV, 41. (4) Athenæ. lib. 14. c. 1. (5) Plut. Sympos. Vide & Ælian. Var. hist. lib. 7. cap. 4. (6) Homer. Iliad. XX. (7) Judith III. 10. (8) 2. Macc. IV. 22. (9) Senec. ep. XCV. *Sabbathis lucernam accendere.* (10) Buxtorf. Synagog. Judaic. c. 10. (11) Persius Satyr. 5. v. 180. (12) Anno M. 3398. (13) Jerem. XXIX. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni visitabo vos.* (14) Vide Vatab. ad Aggæ. I. 2. (15) 1. Esdr. I. 2. (16) 1. Esdr. I. 1. 2. 3. 4. &c. (17) 1. Esdr. V. 6. (15) Isai. XIII, XIV. XXI.

Chaldæis non possent? Tametsi vero sponte se subjecerint, oonne illis per Jeremiam imperaverat Deus, ut colla submitterent, extremis calamitatibus obruendi, nisi obtemperarent (1)? *Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste, visitabo super gentem illam.*

Ut vaticinii hujus scofum probe assequamur, tempora sedulo distinguenda sunt. Gentes Judæis finitimæ, ineunte regnum Sedecia, legatos ad Sedeciam misere (2), postulatum, ut initis una consiliis armisque, Nabuchodonosori occurrerent, ejusque victoriarum impetum coercerent. Monuit tunc illos Dei nomine Jeremias, ut colla Nabuchodonosori subderent, pœnas mox recitatas minitatus. At minime territi, fœdus una inivere, invito Deo, mutuam sibi opem polliciti. Aliquot post annos, cum Nabuchodonosor de Sedeciæ fide dubitaret, illumque secreto fœdere cum Ægyptiis junctum esse intelligeret, ingenti cum exercitu in Judæam veniens, Jerosolymam aggressus est. Statim vero Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ vires cum illo junxere in Sedeciam, spretis promissionibus ac fide, quibus sese erga Sedeciam obstrinxeraot (3).

Hanc illis perfidiam exprobrat hic Jeremias. Nabuchodonosori, quamquam validissimo, & gentibus innumeris stipato, serviistis; vel, arma cum Nabuchodonosore junxistis, in Judæ perniciem, cum illius impetum coercere possetis, quippe gentes opibus & oumero florentissimæ, modo vires una conjungere placeret.

Certissime novimus ex Scriptura (4), Idumæos ad Nabuchodonosoris copias accessisse: id æque certum de Ammonitis & Moabitis est (5). Arguit Ezechiel (6) Tyrios & Sidonios, quod Jerosolymæ expugnatione & excidio gavisi fuerint. Denique Ægyptii nonnihil moverunt, ut suppetias ad Sedeciam afferrent. Innuere videtur Ezechiel xxx, 21. aliquam cum Ægyptiis pugnam, qua inferior Ægyptius fuit: *Brachium Pharaonis confregi, & ecce non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas.*

Recentiores Interpretes Hebræum aliter reddunt (7): *Quoniam* Chaldæi *ad servitutem adegerunt* populos Regesque plurimos, *illos etiam* subjicient servituti *gentes multæ, & Reges magni* (8). Ad verbum: *Quoniam usi sunt illis, ita illos gentes multæ & Reges magni.* Quamquam demonstrare non possumus, gentes a Chaldæis superatas, præsertim eas hic recensitas, Ægyptios, Phœnices, Idumæos, Moabitas, Ammonitas ulla ætate imperium in Chaldæos exercuisse; id certe a Prophetis omnibus prædici, fatendum est. Scribit Isaias fore (9), ut Reges Jerosolymæ serviant, eamque restituant: gentes vero alienæ coram illa procumbant, ac pedum illius pulverem lambant. Alibi ait (10) futurum, ut Israelitæ sibi eos subjiciant, quibus ipsi olim obnoxii fuere, sævisque dominis imperent: *Erunt capientes eos, qui se ceperant, & subjicient exactores suos.* Everso Chaldæorum Imperio, hi hostibus suis summo in contemptu fuerunt; quamobrem Jeremiæ oraculum satis expletur. Si Versionem Vulgatæ servare placeat, quacum conveniunt Aquila & Theodotion, conciliari cum Hebræo potest, si vertatur: *Quoniam etiam gentes numero florentes, & Reges locupletissimi servierunt inter eos*, vel, sub eis. Sive: Quia hæ gentes, quamquam florentissimæ, & Reges opulentissimi *servierunt cum eis*, sub eis, in eorum exercitu,

Sua jam oracula pronunciaverat Jeremias, quemadmodum ex versiculi superioris fine videtur, nedum in Chaldæos, verum etiam in cæteros; quamquam in Jeremiæ libro leguntur Capite XLVI. XLVII. & sequentibus. Quamobrem consignanda sunt ante quartum Joachimi annum, in quem competunt ea quæ Capite XXV. narrantur. In Romana Septuaginta Interpretum Editione ℣℣. 14. & consequentes hic non leguntur; loco moti, atque post sex Capita inserti, scilicet capite XXXII. ejusdem Editionis. Aliqui tamen Codices illos hic ferunt, minime transpositos, veluti Complutensis, Nobilii, & variæ lectiones Polyglottorum Londinensium, in 4. (11). Legit hos versus Theodoretus, sive emendatiori Codice usus sit, quam S. Hieronymus, sive ex alia versione subdiderit; vel etiam ex Hebræo & Syro, quos ille hic recitat, ℣. 25.

℣. 15. SUME CALICEM VINI FURORIS. Sub imagine calicis, variis gentibus a Deo propinati, gravissima furoris illius documenta intelligenda sunt. Utitur passim hac locutione Scriptura (12). Disputant Interpretes, utrum Deus calicem Jeremiæ revera exhibuerit, an Jeremias hæc vaticinia populis mox recensendis ounciaverit. Sanctius (13) rem ita gestam esse putat, uti fert verborum sonus; Prophetam singulis iis gentibus calicem propinasse; ac fieri potuisse, ut ipse Propheta suis singulas in regionibus convenerit: quamquam non inficiatur, Jeremiæ commodum fuisse, munere suo intra ipsa Jerosolymæ mœnia fungi, oblato extraneis calice, cum illi negotiationis caussa ad maxima Judæorum Festa convenirent. Plerique tamen arbitrantur (14), hæc nonnisi mente spectasse Jeremiam, ac deinde spectata narrasse; quæ pariter & scripto tradere, & ad gentes, quas mitteri jusserat Deus, mittere potuit.

℣. 18. UT DAREM EOS IN SOLITUDINEM, SICUT EST DIES ISTA. Postrema hæc verba non leve negotium hic pariunt; procul dubio enim est, quarto Joachimi anno ditionem Juda nondum fuisse vastatam, cum infortunium illud subierit quarto & decimo demum post anno, quo Nabuchodonosor expugnata urbe populum in servitutem redegit. Ut hanc objectionem diluant, ajunt nonnulli, miseram adeo jam tum fuisse regionis faciem; aliamque a pristina, cum res florerent, antequam supremorum Regum calamitatibus obrueretur, ut solitudinis loco haberi posset. Censent alii, hæc scripsisse Jeremiam aliquibus post annis, cum Judæa jam ferme vastata squalleret, regnante Jechonia (15). Sunt qui asserant, Jeremiam aliumve hæc verba addidisse, post Jerosolymæ expugnationem, totiusque regionis excidium (16). Quamobrem ait, Jerosolymam fuere *in maledictionem, sicut est dies hæc*, dirarum argumentum, quemadmodum impræsentiarum cernitur; scilicet, nemo majus alicui loco malum imprecari poterit, quam ubi dixerit: Fias Jerosolymæ similis, qualis hodie est.

℣. 19. PHARAONEM REGEM ÆGYPTI, Pharaoni *Hophræ*, vel *Apriæ*, uti nominat Herodotus (17). Hic fœdere inito cum Sedecia in Nabuchodonosorem (18), Chaldæorum exercitu ad Jerosolymæ obsidionem proficiscente, ipse cum copiis occurrit, suppetias Sedeciæ laturus (19); in quem Nabuchodonosor arma convertit. Expeditionis exitum ignoramus: at illud constat, pulsis Ægyptiis, Nabuchodonosorem ad Jerosolymæ obsidionem atque expugnationem rediisse. Capta Tyro, Nabuchodonosor in Ægyptum irrupit; ejusque co- … piæ,

(1) Jerem. xxvii. 8. (2) Jerem. xxvii. 3. (3) Vide Hieron. hic, Raban. Dionys. Hugo, Sanct. (4) Psalm. cxxxvi. 7. Abdias 11. 12. 13. 14. Jerem. xlix. 6. xlix. 7. Thren. iv. 21. 22. Ezech. xxv. 12. (5) Ezech. xxv. 3. 8. 9. (6) Ezech. xxvi. 2. (7) כי עבדו בם גם המה גוים רבים ומלכים גדלים (8) Ita Chald. Pag. Vat. Grot. alii plures. (9) Isai. lx. 10. 12. 14. xlix. 23. (10) Isai. xiv. 2. Vide & Jerem. xxx. 16. (11) Vide Notas Nobilii, & Polyglottorum Londinensium in hunc locum. (12) Psalm. x. 7. & lxxiv. 9. & Isai. li. 17. Jerem. xlix. 12. Thren. iv. 21. & passim. (13) Sanct. hic, num. 34. 35. 38. (14) Thom. Dionys. Hugo, Tir. Grot. (15) Vide 4. Reg. xxiv. 11. 14. & sequ. (16) Vatab. Piscat. (17) Herodot. l. 2. c. 161. 162. Vide Jerem. xliv. 30. (18) Ezech. xvii. 15. 16. 17. (19) Jerem. xxxvii. 4. 6.

giæ, quæ ad Tyrum frustra laboraverant, laborum fructum in Ægypto retulere. Testatur Deus apud Ezechielem (1), uberrimam eam regionem a se illis relinqui, ut præmium laborum sit. Tunc certe Pharao magnis haustibus Divini furoris calicem bibit.

℣. 20. UNIVERSIS GENERALITER: REGIBUS TERRÆ AUSITIDIS, Hebræus (2): *Omni misturæ, & cunctis Regibus terræ Hus*. Hæc jungenda sunt cum præcedentibus: Calicem Pharaoni universoque illius populo, *& peregrinis ana mistis*, vulgo e variis Ægypti plagis collecto, propinavi. Hebræus eamdem vocem fert, quæ in Exodo redditur (3) *vulgus promiscuum*, collecta undique gens, quæ Israelitas Ægypto egredientes sequuta est, nomine carens & patria. Reddunt nonnulli (4): *Ad omnes Arabes*, quos statim recensent. Chaldæus: *Omnes vicinos ejus*: Syrus: *Omnes finitimos*, alii: *Populos Occidentales*.

Regionem *Hus*, vel *Ausitidem* plerique in Idumæa collocant. Luculentissime favere huic sententiæ videtur Jeremias (5), ubi ait: *Gaude & lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus*. Utrum vero hic Idumæam significet Jeremias, ex eo dubitamus, quod ℣. 21. Idumæam, veluti aliam plane a terra Huz, nominet. Quamobrem nomine terræ Huz intelligo Ausitidem, Jobi sedem, in Arabia deserta, Palmyrenem versus. Vide quæ diximus in Job I. 1. Cæterum nullus dubio locus est; quin omnia, quæ Jeremias gentibus hisce vaticinatus est, post Jerosolymæ expugnationem & a Chaldæis expleta fuerint: at neque a profanis neque a sacris narrantur; eaque nonnisi ex Prophetis novimus. Paucis tantummodo Josephus (6) tradit, Nabuchodonosorem, quinto ab Jerosolymæ expugnatione anno, invasisse Cœlen Syriam, eaque superata, bellum intulisse Ammonitis ac Moabitis, ac deinde arma in Ægyptios convertisse. Idumæos & Arabiæ desertæ populos penitus silet: at minime dubitamus, quin is vicinas adeo gentes eodem tempore sibi subjecerit:

CUNCTIS REGIBUS TERRÆ PHILISTHIIM, Ascalonis, Gazæ, Accaronis. Sui fortasse adhuc singulis hisce urbibus reges erant. Malorum, quibus ex horum vaticiniorum fide obruti sunt Philisthini, tempus & adjuncta non satis novimus. Docet Jeremias (7), aquarum alluvionem in Philisthinorum fines ruituram, inundaturumque torrentem, quo Tyrus & Sidon evertentur; Philisthinorum enim cæterarumque reliquiarum ex Insula Caphtor exitium a Deo esse decretum. Gazam eo malorum devenisse, ut crines vellat. Torrens ab aquilone inundans procul dubio est Nabuchodonosor, qui Tyro & Sidone captis, Ægyptum versus iter faciens, quicquid sibi apud Philisthinos in vix resisteret, expugnavit. Philisthinos primo domuerant Ægyptii. Psammitichus Azotum ceperat, post novem & viginti annorum obsidionem (8); quamobrem hic a Propheta *reliquiæ Azoti* nominantur. Gazam expugnaverat Pharao, teste eodem Propheta (9). Quamobrem Philisthini intra paucorum annorum curriculum Ægyptiorum præda & Chaldæorum fuerunt.

℣. 21. ET IDUMÆÆ, ET MOAB, ET FILIIS AMMON. Hi legatos ad Sedeciam, eo Regnum ineunte (10), tribus vel quatuor post hoc Jeremiæ vaticinium annis, misere. Illud autem potissimum voluisse ea legatione creduntur, ut fœdus cum Sedecia adversus Nabuchonosorem jungerent. Cum vero hic ad Jerosolymæ obsidionem accessit, ii nedum suppetias non attulere, verum etiam junctis cum hoste armis (11) Jerosolymæ calamitatibus insultaverunt. Perfidiæ hujus causa, illos Deus in Nabuchodonosoris potestate dedit, qui illorum quinto post Jerosolymæ expugnationem anno potitus est, teste Josepho. Has Nabuchodonosoris expeditiones fuse describunt Jeremias Capite XLVIII. & XLIX. & Ezechiel a Capite XXV. usque ad XXXIV. Abdias, & Sophonias.

℣. 22. CUNCTIS REGIBUS TYRI. Unicus erat apud Tyrios Rex, at multi fortasse urbium Tyro subjectarum administratores, Regia appellatione donati. Tyri obsidionem ita ferme luculenter describit Ezechiel (12), ut Historiam narrare videatur. Hanc Nabuchodonosor obsidione cinxit post Jerosolymam, ac tertio decimo obsidionis anno expugnavit. *Ithobaal* ea ætate regnabat, testibus priscis Phœnicum Scriptoribus apud Josephum (13).

UNIVERSIS REGIBUS SIDONIS; Regi Sidone imperanti, & iis, qui Regio nomine in urbibus Sidoni subditis distinguebantur. Menander ex Annalibus Tyriorum tradit, *Sidonem & Acem*, quæ deinde Ptolemais dicta est, veterem Tyrum, aliasque Urbes plures a Tyriis defecisse, ut Salmanasarum Regem Assyriorum sequerentur (14). Arguit Sidonem Isaias quod tranquillo animo ac ferme hilari, Tyri finitimæ ac rivalis lapsum viderit (15). Sidonii igitur per hoc bellum cum Chaldæis fœderati fuisse videntur. Tradit nihilominus Ezechiel (16), Nabuchodonosorem, Tyro excisa, in Sidonem arma vertisse, quæ post famis cæterarumque ærumnarum, quæ ex diuturna obsidione oriuntur, labores, vi expugnata est. Fortasse Chaldæorum Rex pœnas de Sidone sumere voluit, ob secretum cum Sedecia fœdus, quod illa sub Sedeciæ exordia, Regum Tyri, Edomi, Moabi, & Ammonis exemplo, cum illo inierat (17).

ET REGIBUS TERRÆ INSULARUM, QUI SUNT TRANS MARE. Narrat hic S. Hieronymus, Babylonios Cyprum, Rhodum, & Cycladas Mediterranei insulas occupasse. Jeremias (18) *Arphad* ceu locum a Nabuchodonosore expugnatum recenset. Is vero *Aradus* Insula esse putatur. Compertum ex Megasthene est (19), Nabuchodonosorem arma trans Gades, usque in Iberiam, intulisse, discimusque ex Ezechiele, illum classes in Mediterraneo instruxisse (20).

℣. 23. DEDAN ET THEMA, ET BUZ, gentibus Palæstinæ orientalibus in Arabia deserta, quos Græci penitus ignorant, at frequentissime nominat Scriptura. Hi sub Arabum Scenitarum, vel Saracenorum appellatione comprehenduntur; eosque Jeremias (21) nomine *Cedar* complectitur. *Themaa* Idumæa gens erat, quemadmodum plures Prophetarum loci probant (22), alia plane a *Thema*, de qua hic. *Thema* Ismaelis filius erat (23), & Eliphazi filius *Themaa* (24), nepos Esau. *Buz* fratrem habebat *Huz*, patrem Nachorem Syrum (25). *Dedan* plerumque cum Idumæis (26) seu Cedarenis jungitur. Certa illorum sedes ægre constituitur.

UNIVERSI QUI ATTONSI SUNT IN COMAM, in rotundum; vel potius (27), *universis amputatis* an-

(1) Ezech. XXIX. 18. 19. (2) ואת כל הערב ואת כל מלכי ארץ העוץ (3) Exod. XII. 38. & Num. XI. 4. Septuag. hic: πλέονας τὸν συμμικτον αὐτ. (4) Grotius. (5) Thren. IV. 21. (6) Joseph. Antiq. lib. X. cap. 11. (7) Jerem. XLVII. 2. *Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, & erunt quasi torrens inundans . . . Vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus, & Sidon . . . Depopulatus est enim Dominus Palæstinos reliquias insulæ Cappadociæ, venit calvitium super Gazam, &c.* (8) Herodot. lib. 2. cap. 157. (9) Jerem. XLVII. 1. *Verbum Domini contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam.* (10) Jerem. XXVII. 3. (11) Jerem. XII. 6. (12) Ezech. XXVI. XXVII. XXVIII. (13) Joseph. lib. 1. contra Appion. & Antiq. lib. 10. cap. 11. (14) Apud Joseph. Antiq. lib. IX. c. ult. (15) Isai. XXIII. 14. (16) Ezech. XXVIII. 22. (17) Jerem. XXVII. (18) Jerem. XLIX. 23. (19) Megasthen. apud Joseph. lib. X. Antiq. cap. 11. & lib. 1. contra Appion. (20) Ezech. XXX. 9. (21) Jerem. XLIX. 28. (22) Jerem. XLIX. 7. 20. Amos I. 12. Job II. 11. (23) Genes. XXV. 15. (24) Genes. XXXVI. 11. (25) Genes. XXII. 20. (26) Vide Ezech. XXV. 13. Isai. XXI. 13. (27) ואת כל קצוצי פאה

angulum, vel capillorum extremitatem. Hac periphrasi significantur Arabes, qui extremas capillorum partes amputant, & capillos quibus tempora teguntur (1). Septuaginte (2): *Omnem circumradentem circa faciem suam.*

℣. 24. CUNCTIS REGIBUS ARABIÆ ET CUNCTIS REGIBUS OCCIDENTIS, QUI HABITANT IN DESERTO. Vocem *Arab*, qua & *Arabia* & *Occident* significatur, bis legit hoc loco Hebræus (3). Easdam literas superius (4) legimus, quibus promiscuum vulgus ex advenis collectum in Ægypto significabatur. Hic ite usurpari potest, quasi ante dicta summis capitibus reperat: Denique, calicem Arabibus universis propinabo, cunctis Arabiæ desertæ regibus, qui tentoria pro domiciliis habent, inter Euphratem & Montes Galaad; populis ad Euphratis Occidentem constitutis, quos & Chaldæi & Mesopotamiæ populi *Arabas* sive Occidentales nominant. Chaldæus: *Cunctis Regibus Arabiæ, & cunctis Regibus Arabum, qui habitant in tentoriis in deserto.* Priori versiculi parte Arabiam felicem, altera Arabiam desertam innuit. Septuaginta (5): *Omnes Reges Arabiæ, & omnes mistos habitantes in solitudine.*

℣. 25. CUNCTIS REGIBUS ZAMBRI. Innuere creditur (6) filios Zamrani, filii Cethuræ (7), Abrahami Concubinæ. Horum sedes Arabia fuit: at locus ignoratur. Persicam gentem esse, censuit S. Hieronymus. Zamarenos inter Arabiæ populos recenset Plinius (8). Singulos hosce profligavit Nabuchodonosor.

CUNCTIS REGIBUS ELAM, vel Elymaidis. His, quemadmodum universis Medorum Regibus, de quibus hic Jeremias, divini furoris calicem propinasse Alexandrum Magnum, putat S. Hieronymus. Id nos Cyro damus, qui Medorum Imperium evertens, hujus vaticinii fidem implevit. Quo enim tempore Nabuchodonosor imperii sui fines ab occidente, Mediterraneum versus prorogabat, Astyages Medorum Rex ingenti imperio, boream & occidentem versus potiebatur in Provinciis, quæ vetustis olim Assyriæ Regibus paruerunt, quorum regna, capta Ninive inter Cyaxarem Astyagis patrem, & Nabopolassarum patrem Nabuchodonosoris divisa sunt. Utroque imperio iterum juncto, Cyrus Persicum instituit.

℣. 26. CUNCTIS REGIBUS AQUILONIS, qui Medis obtemperabant; Regibus Armeniæ, Colchidis, Mesopotamiæ, Assyriæ, Adiabenes, &c. Omnes hosce profligavit Cyrus, ac diu postea Alexander Magnus.

UNICUIQUE CONTRA FRATREM SUUM. Hi vicissim alter alteri calicem propinabunt, et tradent, more convivarum. Unusquisque bibet, & bibendum alteri porriget. Singularum ejus regionis gentium bella ignoramus; ac solummodo ex Herodoto discimus (9), Dejocem, Medorum Imperii conditorem, populos universos, quibus florentissima ea gens componebatur, profligasse; Persas a Phraorte Dejocis filio superatos; auctum vero a Cyaxare, hujus filio, imperium, ac Ninivem expugnatam. Huic successisse Astyagem, Nabuchodonosori coætaneum, & Cyri avum. Quamobrem quæ hic legimus vaticinia solummodo ad expeditiones Persarum in Medos, libertatem Cyro duce sibi vindicantium, pertinent.

ET REX SESACH BIBET POST EOS. Regem Sesach hoc loco pro Babylonis Rege usurpari, satis constat. Cur vero Jeremias hujus nomen dissimulat? *Arbitror*, inquit hic S. Hieronymus, *a sancto Propheta prudenter esse celatam, ne aperte coram contra se insaniam provocaret, qui obsidebant Jerosolymam* (10). Ita S. Paulus de Tiberio loquens (11), alieno illum nomine designavit, leonem nuncupans. Et S. Petrus Romam Babylonis appellatione significat (12). Jeremias Nabuchodonosoris nomen scripsit occultis notis, ex quadam literarum apta conjunctione ortas, quas optime norant Discipuli. At aliquid negotii ex eo creatur, quod alibi nuspiam quidquam tale veritus sit Jeremias; quippe qui indiscriminatim quemlibet Regem arguit, apertisque ac luculentissimis verbis de nomine innuit, neque ipsum Nabuchodonosorem præterit. Fateor, Nabuchodonosoris nomen aperte a Propheta non exprimi; at passim occurrunt *Babylon & Rex Babylonis* (13). Quamobrem *Sesach* nomen est alicujus Babyloniorum Numinis, cujus appellatione ipsam urbem significat Jeremias. Id porro luculentissime inferius colligitur (14): *Quomodo capta est Sesach?... Quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?* Et paulo post (15): *Visitabo super Bel in Babylone.* Et (16): *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.* Bel, Merodach, Sesach Numina ejus gentis erant, veteres fortasse Chaldæorum Reges, aris donati.

Quædam apud Babylonios Festa narrantur, *Sacææ* appellata (17), quæ in honorem Sesach instituta esse creduntur, Romanorum Saturnalibus simillima; per quorum dies servi dominis imperant, & ex servis unus quidam præest ædibus, vestem indutus Regiæ similem. Addit Dio Chrysostomus (18), reum aliquem morte damnatum Regio in solio collocari, ibique fas esse quodlibet voluptatum genus exercere, nemine repugnante; absolutis vero festi diebus, illum vestibus exui, virgis cædi & suspendi. Hæc *Sesachi* festa, ex Historicorum fide. Aliter describit Strabo (19), qui Festi originem Cyro tribuit, seu Persis. Hi, relata de Sacis, Scythica gente, victoria, festum *Sacæa* instituere, *Anaidi* sacrum, celeberrimo patriæ Numini, quæ apud Persas eadem erat ac Luna, vel apud Græcos Diana.

Quamvis prima hujus festi origo fabulam non parum sapit, has saltem inter tenebras duo procul dubio posita & certissima videntur. I. quædam apud Persas & Babylonios festa fuisse, libidinis plena, *Sacæa*, vel *Sesacæa* nomine; II. ea sacra fuisse Anaidi seu Lunæ. Quamobrem hinc colligas, Sesach ipsam fuisse Anaidem vel Dianam, Deam trans Euphratem, & in Cappadocia, finitimisque regionibus celeberrimam. Id vero ex eo confirmatur, quod veteres Persæ (20) Festum *Sada*, vel *Sadak* idem facile ac *Sacæa*, longissima totius anni nocte agerent, ignibus rogisque super colles & per agros accensis, quasi Lunam, noctis Reginam, venerarentur. Communis autem plebis & optimatum, ipsorumque Regum ludus erat, aridas accensasque herbas feris avibusque alligare, ut ignem in agros & nemora circum undique inferrent.

Has Jeremiæ minas in Sesach tunc proprie atque ex integro expletas credimus, cum Cyrus Babylonem expugnavit. Hic, profligatis Medis, Elam, & Regibus aquilonis, Babylonem aggressus est, quemadmodum vaticinatur Jeremias: *Et Rex Sesach post eos.* Narrat Berosus (21), Cyrum Asia universa superata, in Babylonem arma vertisse; obvium illi egressum Nabonidum, tunc Babylone

[1] Vide supra 12. 26. [2] Πάντα περικεκαρμένον τὰ πρόσωπον αὐτοῦ. [3] את כל מלכי ערב ואת כל מלכי הערב השכנים במדבר [4] ℣. 20. ואת כל הערב [5] Septuag. Πάντας τοὺς βασιλέας τῆς Ἀραβίας, καὶ πάντας τοὺς συμμίκτους τοὺς κατοικοῦντας ἐν τῇ ἐρήμῳ. [6] Syr. & Heb. apud Theodoret. hic, Grot. Anglic. [7] Genes. xxv. 1. [8] Plin. lib. 6. c. 28. [9] Herodot. lib. 1. c. 98. usque ad 107. [10] Vide & Jarchi hic, & Kimchi. [11] 2. Timot. iv. 17. *Liberatus sum de ore leonis.* [12] 1. Petr. v. 13. [13] Jerem. xlii. 2. passim. [14] Jerem. li. 41. [15] Ibidem ℣. 44. [16] Cap. l. 2. [17] Athen. lib. xiv. cap. 10. ex Beroso, & Ctesia. [18] Dio Chrysost. orat. 4. de regno. [19] Strabo lib. 11. p. 352. & 355. [20] Vide histor. Relig. Veter. Persar. c. 19. p. 255. [21] Beros. apud Joseph. contra Appion. lib. 1.

regnantem, commisso prælio, fractum, collectis copiarum reliquiis Borsippum fugisse: Cyrum interim Babylone occupata, eversaque exteriore mœnium lorica, quæ validissima erat, copias duxisse Borsippum, ubi Nabonidus latebat; captaque urbe, Nabonido vitam dedisse, ipsumque misisse in Carmaniam, ubi is felicissime diem clausit. Luculentissime scribit Strabo (1): *Borsippa, sacra urbs est Dianæ & Apollini*; scilicet *Anaidi & Amano*; vel Lunæ & Soli; *Sesaro & Belo*. Habes igitur genuinum Regem *Sesach*, quem Cyrus Divini furoris calice, post cæteros aquilonis Reges, proluit. Si Babylonem ipsam nomine *Sesach* significari velis, nihilo negotiosior erit explicatio, cum par esset Babylone & Borsippi Deæ Sesach religio & cultus.

℣. 29. ECCE IN CIVITATE, IN QUA INVOCATUM EST NOMEN MEUM, EGO INCIPIAM AFFLIGERE; ET VOS QUASI INNOCENTES ERITIS, & supplicii immunes? Vel (2): *Ecce in urbem, quæ de meo nomine dicitur*, urbs sancta, *Dei civitas* appellatur, quam ego & elegi & consecravi, *animadversurus sum*: si hæc urbs furoris mei calicem haustura est, an vos immunes supplicii fore speratis? Ad verbum: *Et vos insontes eritis*? Certe Deus ab ipsa domo sua ultionem exercere cœpit; primosque Nabuchodonosoris impetus passa est Jerosolyma.

℣. 30. RUGIENS RUGIET SUPER DECOREM SUUM, Templum suum, ubi tam multa virium suarum argumenta exhibuit, atque ipse ceu Regiis in ædibus imperavit, omnique gloriæ ab hominibus in terra sibi exhibitæ apparatu, ut ita dicam, fulsit. Septuaginta & Hebræus (3): *Rugiet super locum suum*,

CELEUSMA QUASI CALCANTIUM UVAS. Vindemiæ tempore lætis omnia clamoribus insonare, nemo ignorat. Ultionis suæ tempus frequenter Deus cum vindemia comparat (4). Vindemiatores & calcantes sunt populi, quibus ille in ultionis suæ ministerium utitur. Oppressæ Regiones gentesque, vites sunt quæ uvis exuuntur, & uvæ prælo pressæ. Vindemiatorum celeusma clamores exercituum, militumque tumultum, invicem sese ad prælium cædemque hortantium, significat. Ferunt Septuaginta (5), Deum a sedis suæ fastigio vocem editurum; hostesque, ceu vindemiatores, adversus omnes terræ incolas, illi responsuros.

℣. 31. JUDICIUM DOMINO CUM GENTIBUS. Hebræus (6): *lis Domino adversus gentes*. Judicio nobiscum certare vult Deus, atque apertissime ostendere, æquissima esse supplicia, quibus est in nos animadversurus, antequam ea inferat. Miram hanc omnipotentis clementiam passim commendat Scriptura (7). Suprema certe Judicii die impii, quamquam rabie & desperatione acti, fateri cogentur, æquissimas esse Dei vias, ac sese iniquissime illius legibus non obtemperasse. Cumque sese jure æquissimo damnari viderint, probro, æternaque rabie & desperatione obruentur.

℣. 32. AFFLICTIO EGREDIETUR DE GENTE IN GENTAM. Nabuchodonosor Jerosolymam primo (8), deinde Tyrum ac Sidonem; tum Syriam & Damascum; Arabiam desertam, Moabum, Ammonem, Idumæam; denique Ægyptum invadet. Cyrus etiam, Persarum exercitu stipatus, Medos bello franget, tum in Asiam minorem profectus, illius provincias expugnabit; deinde Babylonem aggredietur, &c. Procellæ similis, quæ ab extremis terræ finibus oriens, in provincias ruit: *Turbo magnus egredietur a summitatibus terræ*.

℣. 34. ULULATE PASTORES .... OPTIMATES GREGIS. Reges ac Principes alloquitur, quos *Pastores & Arietes* appellant Septuaginta (9).

CADETIS QUASI VASA PRETIOSA, sed fragilia, quorum pretium omne ex forma modoque & venustate est, statim pereuntibus, si cadat vas & frangatur. Septuaginta (10): *Cadetis velut arietes electi*, Pinguissimi semper & pulcherrimi arietes mactantur: ita vos, Optimates Juda, Deus, ceu victimas saginatas, absque misericordia interficiet.

℣. 37. CONTICUERUNT ARVA PACIS. Agri pacis tempore eximie culti, tristi in silentio squallent. Pergit metaphora pastoris & gregis. Arva, quo olim pacis tempore hilari tranquilloque animo greges agebatis, nunc sterilia incultaque, tristi solitudine, mœstoque silentio opprimuntur. Verti Hebræus potest (11): *Habitationes pacis*, vel septa, pascua pacis, *conticuerunt*. Loca, in quibus jucunde adeo greges pascebatis, deserta jacent; Septuaginta (12): *Pulcritudo pacis*, vel bona pacis.

℣. 38. DERELIQUIT TAMQUAM LEO UMBRACULUM SUUM. Quis enim accedat, si ipse custodiat (13)? Quod Jerosolyma, Templum, Judæa in Chaldæorum potestate sint, causa est ipse custos, qui aversatus ea dereliquit.

FACTA EST TERRA EORUM IN DESOLATIONEM A FACIE IRÆ COLUMBÆ. Comparari cum columba potest Deus, clementiæ & lenitatis causa, & viribus cum leone. Israel lenitatem sprevit, misericordiam irritavit. Quamobrem Deus e columba rugiens leo effectus est, qui hæreditate neglecta, illam feris diripiendam relinquit, quæ olim feræ ne accedere quidem audebant. Hanc explicationem nonnulli Interpretes sequuntur (14). Vertunt Hebræum alii (15): *Vastata est terra ob iram raptoris* (16), hostis, vastatoris, latronis, violenti, &c. scilicet Nabuchodonosoris, quem misit Deus, ut ignem & arma in universam regionem inferat. Legunt alii (17): Ob gladium, vel *iram hostis irritati & vino pleni*. Denique Interpretes quidam docti (18), servato columbæ nomine, certant, ea sub appellatione intelligi posse Nabuchodonosorem (19). Dicuntur Chaldæi, Semiramidis causa, columbam in vexillis pictam gestasse, quemadmodum Romani & Persæ aquilam. Columba sacra avis erat inter Syros, & Veneri dicata. Semiramis in columbam conversa esse tradebatur. *Semiramidem* ita appellatam censent Diodorus Siculus a columbæ gemitu (20).

Omnia tamen incertissima sunt (21); at esto vera sint, quid inde colligas? in aliis Jeremiæ locis vox *Joanah* legitur, redditurque *columba*; at magnopere dubito, utrum ullo in loco satis bene de columba vera, aut in vexillis picta explicari queat. Ita, Capite XLVI. 16. *Cecidit vir ad proximum suum, & dicent; Surge; & revertamur ad* popu-

(1) Strabo lib. 16. (2) בעיר אשר נקרא שמי עליה אנכי מחל להרע ואתם הנקה תנקו (3) שאג ישאג על נוהו Septuag. Χρηματιεῖ ἀπὸ τοῦ τόπου αὐτοῦ. (4) Psal. LXXIX. 13. Thren. 1. 15. Apoc. XIV. 18. 19. & passim (5) Χρηματιεῖ ἀπὸ τοῦ τόπου αὐτοῦ, καὶ [illegible] ὥσπερ τρυγῶντες ἀποκριθήσονται, ἐπὶ τοὺς καθημένους ἐπὶ τὴν γῆν. (6) כי ריב ליהוה בגוים (7) Isai. XLI. 21. & L. 8. Jerem. II. 9. Osee IV. 1. XII. 3. Mich. VI. 2. &c. (8) Hieronym. hic: *Intelligamus hæc facta juxta historiam, quando a Rege Babylonis cunctæ nationes in circuitu subjugatæ sunt, & imperium ejus senserc crudele*. (9) אדירי הצאן ... הרעים Septuag. Ἀλαλάξατε ποιμένες ... οἱ κριοὶ τῶν προβάτων. (10) Πεσεῖσθε ὥσπερ οἱ κριοὶ οἱ ἐκλεκτοί. Hebr. ונפלתם ככלי חמדה Legunt Septuaginta ככרי חמדה (11) נאות השלום (12) Παύσεται τὰ κάλλη τῆς εἰρήνης. (13) Hieronym. hic: *Leone enim custode, & præsido, nullus ad eamdem audet accedere*. (14) Vide Gregor. Mag. lib. 12. moral. cap. 6. Thom. & Hugon. &c. (15) Pagn. Vatab. Tigur. Clar. Mont. Jun. Tremel. Pisc. &c. (16) כי היתה ארצם לשמה מפני חרון היונה (17) Ita Chald. & Rab. Salom. Ducto יונה ex יין *Vinum*. (18) Vide Boch. de animal. tom. 2. lib. 1. cap. 1. Capella, Castr. Tirin. Maldonat. alii apud Sanct. hic n. 81. (19) Hieron. *Non mirabitur columbam Domini intelligi Nabuchodonosor, qui supra eum vocari servum Domini legerit*. Vide & ad Ezech. XIX. pag. 909. nov. edit. (20) Diodor. lib. 2. Bibliot. p. 66. (21) Vide Sanct. ad cap. XLVI. n. 37. & Grot. hic.

populum nostrum, a facie gladii columbæ. Quam apte gladius columbæ tribuitur? Capite L. 16. *Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient.* Præstat igitur eo nomine hostem, vastatorem intelligere, denique Nabuchodonosorem, quemadmodum S. Hieronymo placuit, totumque versiculum ita vertere: Nabuchodonosor *dereliquit quasi leo specum suum; & facta est terra Juda in desolationem a facie iræ inimici sævissimi, a facie furoris illius inexorabilis.* Septuaginta (1): *Dereliquit ceu leo latibulum suum, quia facta est terra eorum in solitudinem a facie gladii magni.* Confer hunc locum cum Capite IV. 7. *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium* (2) *se levavit; egressus est de loco suo, ut ponat terram in solitudinem, &c.* Utroque in loco de Nabuchodonosore agitur: & in utroque cum leone comparatur specum relinquente, & cum latrone e latibulis prodeunte, ut latrocinia circum exerceat. Græci (3) frequenter verbum *Jonah* reddiderunt, evertere, opprimere, affligere; itemque Chaldæus (4).

[1] Ἐγκατέλιπεν ὥσπερ λέων κατάλυμα αὐτοῦ, ὅτι ἐγενήθη ἡ γῆ αὐτῶν εἰς ἄβατον ἀπὸ προσώπου μαχαίρας τῆς μεγάλης. [2] משחית גוים [3] Vide Septuag. in Exod. XXII. 21. Οὐδὲ θλίψετε. Ita Levit. XIX. 33. XXV. 14. Deut. XXIII. 16. Isai. XLIX. 26. Jerem. XXII. 3 &c. [4] Chald. ad XLVI. 16. & L. 16. infra.

CAPUT XXVI.

Jeremias Jerosolymæ excidium prædicens, capitur atque ad Judices rapitur, morte damnandus. At optimatum & populi seniorum opera liber dimittitur. Exemplum Michææ, qui sub Ezechia vaticinia æque tristia impune pronunciabat; & Uriæ a Joachimo interfecti.

ỷ. 1. IN principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud a
Domino dicens: 2. Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini: & loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt, ut adorent in domo Domini,
universos sermones, quos ego mandavi tibi, ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, 3. Si forte audiant, & convertantur unusquisque a via sua mala: & pœniteat
me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. 4. Et dices ad
eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam
dedi vobis, 5. Ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi
ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis: 6. Dabo domum istam
sicut Silo, & urbem hanc dabo in benedictionem cunctis gentibus terræ. 7. Et audierunt sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, Jeremiam loquentem verba hæc
in domo Domini. 8. Cumque complesset Jeremias, loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. 9. Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam
in domo Domini. 10. Et audierunt principes Juda verba hæc; & ascenderunt de
domo regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini novæ.
11. Et locuti sunt sacerdotes, & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes: judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris. 12. Et ait Jeremias ad omnes principes, & ad universum populum, dicens: Dominus misit me, ut prophetarem ad domum istam, & ad
civitatem hanc omnia verba, quæ audistis. 13. Nunc ergo bonas facite vias vestras,
& studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dominum mali,
quod locutus est adversum vos. 14. Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite
mihi, quod bonum, & rectum est in oculis vestris: 15. Verumtamen scitote, &
cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos,
& contra civitatem istam, & habitatores ejus; in veritate enim misit me Dominus
ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. 16. Et dixerunt principes, & omnis populus, ad sacerdotes, & ad prophetas: Non est viro huic judicium
mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. 17. Surrexerunt ergo
viri de senioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes: 18. Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, & ait ad omnem populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur: & Jerusalem in acervum lapidum erit: & mons domus in excelsa sylvarum. 19. Numquid

quid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, & omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. 20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim: & prophetavit adversus civitatem istam, & adversus terram hanc, juxta omnia verba Jeremiæ: 21. Et audivit rex Joakim, & omnes potentes, & principes ejus, verba hæc: & quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias, & timuit, fugitque, & ingressus est Ægyptum. 22. Et misit rex Joakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum. 23. Et eduxerunt Uriam de Ægypto: & adduxerunt eum ad regem Joakim, & percussit eum gladio; & projecit cadaver ejus in sepulchris vulgi ignobilis. 24. Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit cum Jeremia, ut non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

℣. 1. IN PRINCIPIO REGNI JOACHIM. Vetustius est hoc vaticinium altero, quod superiori Capite recitatur, cum illud ad quartum Joachimi annum (1), hoc ad illius exordia pertineat, ad primos videlicet Regni annos, eum, teste ℣. 21. hujus Capitis, ab aliquo jam tempore Joachim regnaret.

℣. 2. STA IN ATRIO DOMUS DOMINI. Frequenter Jeremias in Templo verba faciebat (2), ob ingentem populi frequentiam, quæ eo loci confluebat; ac facile dies maxime solemnes in eam rem seligebat.

NOLI SUBTRAHERE VERBUM, Quæ ego dixero, omnia eloquere, ne uno quidem verbo neglecto: constanti animo atque intrepido effare; neque te metus, gratia, spes, aliudve quid cogere ad silentium valeant. Tales esse decet Divini Verbi præcones: Dei causam agere ac veritatem tueri eo animi robore & constantia debent, ut neque vi neque discrimine terreantur.

℣. 3. SI FORTE AUDIANT. Hoc non eo dicit Deus, quod incertus de illorum voluntate sit, aut ignoret, quid post Prophetæ legationem sit eventurum. *Nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium; ne ex præscientia ejus, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. In nostra ergo positum est potestate, vel facere quid, vel non facere; ita dumtaxat, ut quidquid boni operis volumus, cupimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui, juxta Apostolum, dedit nobis & velle & perficere* (3).

℣. 6. DABO DOMUM ISTAM SICUT SILO; deseram, quemadmodum deserui Silo. Vide nos supra VII. 12.

℣. 8. COMPREHENDERUNT EUM SACERDOTES ET PROPHETÆ, ET OMNIS POPULUS. Ingenti semper numero fuere falsi Prophetæ (4), verorum simioli. Gravissimas hi simultates adversus Jeremiam animo fovebant, quod ipsos, ac Sacerdotes ipsorum fautores, constanter argueret (5). Sacerdotes igitur falsique Prophetæ turbas in populo concivere, impuleruntque, ut junctis una consiliis animisque Jeremiam caperent. Causa probabilis esse videbatur, cum Jeremias prædiceret excidium Templi, quo omnis Judæorum spes inanisque superbia nitebatur. Idem vaticinium olim tulerat, iisdem ferme verbis, eodemque loco: *Ite*, ajebat (6), *ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo.* Cum hæc audirent, tunc siluere: nunc vero reum mortis esse vociferantur: *Morte moriatur*. Cur vero? Quia evertendum prædixit Templum, quod Divina promissio æternum fore pollicebatur (7): *Sanctificavi Domum istam, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum.* Falsus igitur Propheta & deceptor est Jeremias; cujusmodi hominum genus Mosaica sanctione morte damnatur (8). Simili de causa Sacerdotes ac Pharisæi plebem in Christum Jesum concitavere, compuleruntque, ut illum ad Crucem postularent (9): *Hic dixit: Ego dissolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.*

Ea quæ ad falsos Prophetas, vel ad cætera Religionis capita pertinebant, magni Sanhedrii judicio relinquebantur. Quamobrem Sacerdotes, quibus Ecclesiasticus Senatus componebatur, & Prophetæ, Scribæ scilicet, inquit Chaldæus (10), quorum munus erat sacras literas docere, captum Jeremiam, apud sese causam dicere jusserunt. Principes Juda, qui hujus Senatus partes fuisse dicuntur, e Regiis ædibus in Templum venerunt (11), ut suo quisque loco in auditorio considerent, in conclavi secus januam atrii Sacerdotum sito (12). Horum Judicum authoritatem agnoscit Jeremias, ac debito Magistratibus a Deo constitutis obsequio respondet. Hac tamen in causa satis luculenter non videmus, Judicum munere functos esse Prophetas ac Sacerdotes. Accusant Sacerdotes; Principes sententiam ferunt. Illi morte dignum esse clamant; hi innoxium pronunciant; accedit Seniorum populi suffragium, quo Principum sententia, recitatis argumentis firmata, confirmatur. Dices fortasse, Jeremiam idcirco esse absolutum, quod discrepantibus Judicum sententiis, Principum pars, utpote validior, accedente Seniorum Juda & populi suffragio, superior fuerit. Sententiam de rebus Religionis ferre, procul dubio Sacerdotum erat (13). Cum vero hic Jeremiæ adversarii & accusatores essent, non satis constat, utrum sententiam tulerint.

℣. 13. PŒNITEBIT DOMINUM MALI, QUOD ADVERSUM VOS LOCUTUS EST. More hominum loquitur. Fieri non potest, ut rei cujuslibet Deum pœniteat; potest tamen mala, quæ hominibus minitatus est, non inferre, quod homines ab iis flagitiis recedant, quorum causa iratus eas minas effuderat Deus. Immensa est Dei erga homines clementia; nosque ipse nonnisi invitus affligit. Veterum effatum erat, irrita esse amantium sacramenta.

℣. 15. IN VERITATE MISIT ME DOMINUS AD VOS. Ita sese purgat Jeremias, omnia causæ suæ capita eo redigens, ut sese a Deo missum esse demonstret; quamobrem nullus est adversariis locus repugnandi. Si me misit Deus, nihil est cur me argua-

(1) Jerem. XXV. 1. (2) Jerem. VII. 2. XIX. 14. XXVIII. 1. XXXV. 2. XXXVI. 6. & seq. (3) Hieronym. hic. (4) Septuag. hic: Ψευδο-Προφῆται. Ita Syr. & Arab. (5) Vide sup. II. 26 V. 13. VI. 13. VIII. 10. XIV. 14. 18. XXIII. 11 & sequ. (6) Supra cap. VII. 4. . . . . 12. 14. (7) 3. Reg. IX. 3. (8) Deut. XVIII. 20. *Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, interficiatur.* (9) Marc. XIV. 58. Matt. XXVI. 61. (10) כהניא וספריא (11) Infra ℣. 10. (12) Ezech. VIII. 7. 11. (13) Vide infra XXIX. 26.

arguatis. Hujus argumenti vis illum pronunciari innoxium cogit: *Non est viro huic judicium mortis.*

℣. 17. VIRI DE SENIORIBUS TERRÆ. Qui reliquis totius cœtus hominibus senectutis honore præstabant, non ex Judicum numero; qui vatera noverant (14), quos cæteri senectutis & experientiæ causa venerabantur. Exemplum centum annis vetustius, optime senes decet. Eosdem esse, qui superius ℣. 10. *Principes Juda* dicuntur, putant Sanctius & Grotius; nos minime probamus. Cur enim, si iidem homines sunt, eodem hic nomine, ac ℣. 10. non donantur? Adde, illos id hoc loco agere, quod oratorum potius est, quam judicum.

℣. 18. MICHÆAS DE MORASTHI, qui sub Ezechia florebat, futurum prædixerat, ut Sion instar agri araretur. Cum vero populus resipisceret, ac pœnitentiam ageret, prorogata est & cohibita hujusmodi minarum expletio, ac nonnisi post diuturnum tempus absoluta. Michæas porro is est, cujus vaticinia in censu duodecim minorum Prophetarum sunt, apud quem adhuc leguntur verba, quæ seniores illi recitavere (15). Victores interdum in expugnatas eversasque urbes aratrum inducebant (16);

Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

℣. 20. FUIT QUOQUE VIR PROPHETANS URIAS, FILIUS SEMEI, regnante Joachimo, qui in Ægyptum elapsus, jubente Rege raptus Jerosolymam, ibique interfectus est. Uriæ exemplum contrarium Jeremiæ est; putantque plurimi (17) productum esse ab adversariis, ut illud, exemplo Michææ, quo Jeremias defendebatur, opponerent. Nullas vaticinii pœnas sub Ezechia tulit Michæas: omnino, at contrarium plane exemplum ac recentius, atque hujus Regni objicimus: alius nunc est rerum ac temporum status quam sub Ezechia. Censent alii (18), hoc Uriæ exemplum ab ipso Jeremia recitati, quo luculentius doceat, quam gravibus periculis sub Joachimo Rege ipse esset obnoxius, cum alius Propheta raptus ab alterius Regni asylo, Jerosolymæ necatus fuerit. Alii denique asserunt (19), ipsos Jeremiæ patronos hoc exemplo usos esse; atque ut Ezechiam, cujus memoria celebris in populo adhuc clarebat, opponerent Joachimo, quem populus maximopere oderat, Michææ exemplum cum exemplo Uriæ contulisse, ut inde colligerent, satius multo esse, Ezechiæ clementiam & pietatem, quam Joachimi furorem & impietatem in præsenti re imitari.

℣. 22. MISIT REX JOACHIM .... ELNATHAN FILIUM ACHOBOR, ET VIROS CUM EO IN ÆGYPTUM. Septuaginta e Complutensi Editione (20) legunt: *Eliacim filium Achobor, & viros cum eo.* At Romana Editio, & S. Hieronymus hæc verba prætereunt, feruntque tantummodo, missos ab Joachimo in Ægyptum viros, ut Uriam reducerent. Facile Joachimo fuit, utpote Pharaonis vectigali, atque ab eo ad Regnum evecto, impetrare, ut e suis unus, quem & seditiosum & rerum novarum sectatorem certe descripsit, sibi restitueretur.

℣. 24. MANUS AHICAM, FILII SAPHAN, FUIT CUM JEREMIA. Ahicam vetus erat Princeps Juda, nobili munere functus sub Josia (21). Hujus Ahicami filius erat Godolias (22), quem Nabuzardan populi reliquiis, eversa Jerosolyma, præfecit. Is Jeremiam non minori, quam pater, obsequio prosequebatur (23).

(14) Hieron. hic: *Senes, quorum proprie erat nosse vetera.* (15) Mich. III. 12. (16) Ovid. Epist. I. Heroid. (17) Ita Rabb. Salom. & David, & ita fere Lyr. Dionys. Vat. Clar. Menoch. Munst. (18) Grotius hic. (19) Theodoret. Thom. Sanct. Maldon. alii plerique. (20) Ita Theodor. & Complut. Ἐλιακὶμ υἱὸν Ἀχοβὼρ, καὶ ἄνδρας μετ' αὐτοῦ εἰς Αἴγυπτον. (21) Vide 4. Reg. XXII. 12. 14. & 2. Par. XXXIV. 20. (22) 4. Reg. XXV. 22. (23) Vide Jerem. XXXIX. 14. XL. 5.

CAPUT XXVII.

Jeremias vincula multos ad Reges mittit, monens eo indicio futurum, ut Babylonis Regi subjiciantur. Falsi Prophetæ contrarias plane vices prædicunt. Templi vasa non statim Babylone remittentur: at quæ Jerosolymis remansere, in Chaldæam transferentur.

℣. 1. IN principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula,
& catenas: & pones eas in collo tuo. 3. Et mittes eas ad regem Edom, & ad regem
Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis, in manu nuntiorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda. 4. Et præcipies eis,
ut ad dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad dominos vestros: 5. Ego feci terram, & homines, & jumenta, quæ sunt super
faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei,
qui placuit in oculis meis. 6. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei: insuper & bestias agri dedi ei, ut serviant illi.
7. Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus; donec veniat tempus terræ ejus & ipsius: & servient ei gentes multæ, & reges magni. 8. Gens autem, &
regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus. 9. Vos
ergo nolite audire prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis. 10. Quia mendacium prophetant

vobis: ut longe vos faciant de terra vestra, & ejiciant vos, & pereatis. 11. Porro gens, quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, & servierit ei; dimittam eam in terra sua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea. 12. Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens: Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivetis. 13. Quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ servire noluerit regi Babylonis. 14. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis. 15. Quia non misi eos, ait Dominus: & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut ejiciant vos, & pereatis tam vos, quam prophetæ, qui vaticinantur vobis. 16. Et ad sacerdotes, & ad populum istum locutus sum, dicens: Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito, mendacium enim prophetant vobis. 17. Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis. Quare datur hæc civitas in solitudinem? 18. Et si prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis: occurrant Domino exercituum, ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo regis Juda, & in Jerusalem, in Babylonem. 19. Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, & ad mare, & ad bases, & ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac: 20. Quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cum transferret Jechoniam filium Joakim regem Juda de Jerusalem in Babylonem, & omnes optimates Juda, & Jerusalem. 21. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad vasa, quæ derelicta sunt in domo Domini, & in domo regis Juda, & Jerusalem: 22. In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, & afferri faciam ea, & restitui in loco isto.

℣. 1. IN PRINCIPIO REGNI JOAKIM . . FACTUM EST VERBUM ISTUD AD JEREMIAM A DOMINO, DICENS. Qui fieri potest, ut hæc oratio ad exordia Regni Joakimi pertineat, cum Jeremias Sedeciam (1), finitimorumque Regum Legatos (2), Jerosolymam sub Joakimi initia profectos, alloquitur? Joakimo certe successit Jechonias, & huic Sedecias. Quamobrem legendum videtur: *In principio regni Sedeciæ*, non Joakimi. Syrus & Arabs legunt hic Sedeciam, & Interpretes nonnulli suffragantur (3). Ajunt alii (4) hæc verba ad superioris Capitis, quod de Regno Joakimi est, finem pertinere. At si res ita sese habet, quorsum hæc versiculi conclusio: *Factum est verbum istud ad Jeremiam, dicens?* Hæc certe verba orationis exordium, non finem significant. Sunt (5) qui arbitrentur, Dei vocem Jeremiæ auribus insonuisse ab ipso Joakimi exordio, jussumque esse Prophetam vincula collo ferre, eaque tulisse, intermissis saltem temporibus, ab initio Regni Joakimi, usque ad Sedeciam; ac tunc solummodo iis jussionibus obtemperasse, quas sex vel septem annis antea intellexerat. Hæc sententia difficultate non caret. Luculenter satis docere videtur Scriptura, Prophetam acceptis Dei vocibus statim paruisse; neque istorum sex septemve annorum meminit, quibus vincula collo gestaverit. Res erat certe minime silentio premenda. Primum hunc versiculum omittunt Septuaginta, sed habet Theodoretus.

Tituli, quos ad quorumdam vaticiniorum capita legimus, aliena manu post rem additi fuisse videntur; cujusmodi in Isaia male appositum animadvertimus (6). Nonnulli etiam tituli Psalmorum sunt fidei incertæ. Quem hic legimus ad Caput xxv. is difficultate non caret, cum certum omnino sit, minime novum fuisse in Regno Joakimum, quo tempore raptus est ad necem Urias. Titulus tamen fert, vaticinium ad illius Regni exordium pertinere. Vide & ℣. 1. Capitis xxviii. de quo disputatur. Cur igitur dubitare non liceat, priora hujus Capitis verba similem esse titulum, post rem inscriptum?

℣. 2. FAC TIBI VINCULA ET CATENAS. Hebræus (7): *Fac tibi juga & temones*. Prior vox proprie significat jugum, seu vectem, capiti seu collo bovis impositum. Altera lignum oblongum, seu temonem, qui cum jugo conjungitur. Chaldæus (8): *Torques & lora*, vincula, funes. Septuaginta (9): *Vincula & torques*. Putat S. Hieronymus, altera Hebraica voce significari *furcas ligneas* (10), quales damnatis imponi solebant. Furca erat lignea, quæ collo reorum alligabatur, vinctis etiam hinc inde ad furcam brachiis. Frequens illud erat servorum supplicium (11). Quamobrem Jeremias eo jugo onustus futuram gentium servitutem sub Nabuchodonosore graphice exhibebat.

℣. 3. MITTES EAS AD REGEM EDOM, ad Regem Moab, atque ad cæteros Reges, quorum oratores Jerosolymam venere. Munus suum Prophetæ gentium exercet hic Jeremias (12). Ii porro Jerosolymam venerant, quasi novum imperium Sedeciæ gratulaturi, revera tamen, ut occultum cum illo fœdus adversus Nabuchodonosorem sancirent (13). Id innuitur ℣. 9.

℣. 5. EGO FECI TERRAM ET HOMINES . . . ET DEDI EAM EI QUI PLACUIT IN OCULIS MEIS. Quam nobilem exhibent hæc verba Divinæ potestatis imaginem! quam sublimem! quam ingentem! Ii solummodo Reges sunt, quod ego esse volui; talesque dominos habent populi, quales ego aut miserius aut iratus dedi. Unius Dei ejusque Prophetarum est, Reges constanter atque ex authoritate alloqui.

℣. 6.

(1) Jerem. xxvii. 12. (2) Ibid. ℣. 3. Vide & xxviii. 1. 13. (3) Munst. Pisc. (4) Hieron. Raban. Dionys. Hugo, Maldon. Sa, Sanct. (5) Hebræi, Lyran. Vat. Clar. Tir. (6) Isai. xxi. 11. (7) עשה לך מוסרות ומוטות (8) חנקין ונירין (9) Ποίησον σεαυτῷ δεσμοὺς, & κλοιούς. (10) מוטות Sermone vulgari Bojas vocant. Et infra: Ut catenas, sive furcas ligneas. Et cap. xxv. 11. 13. Catenas ligneas. Isidor. lib. 5. Etymolog. Bojæ, torques damnatorum, quasi jugum bovum. (11) Vide Lips. de Cruce. (12) Jerem. 1. 5. Prophetam in gentibus dedi te. (13) Grot. Menoch. Sanct.

℣. 6. DEDI TERRAS ISTAS IN MANU NABUCHODONOSOR. Id quantocius re impletum est. Hic Jerosolyma potitus est, anno Sedeciæ undecimo. Tyrum deinde invasit, occupavit Syriam, Philisthinos & Arabes, Ægyptum denique domuit. Ita Prophetæ Græcique Scriptores (1), qui Assyriorum res tradiderunt.

BESTIAS AGRI DEDI EI. Hæc ex ipso verborum sono intelligi queunt; cum enim hominem Nabuchodonosori dederit, cætera etiam quæ homini pareat & serviunt, tradidit (2). Vel, bestias agri, barbaras nationes dicit (3); denique provincias, regiones, agros, in quibus & feræ sunt & cicures bestiæ. Vide Danielem ii. 37. & Baruchum iii. 17.

℣. 7. SERVIENT EI OMNES GENTES, ET FILIO EJUS, ET FILIO FILII EJUS. Gentes omnes ℣. 3. recitatæ, aliæque quamplures Nabuchodonosori, Evilmerodacho illius filio, & Balthasari nepoti servient (4). Alii aliter: Nabuchodonosori, Evilmerodacho, & Laborosoarchodo, filio filiæ Nabuchodonosoris, inquit Grotius. Theodoretus (5) recenset Nabuchodonosorem, Balthasarem, Darium Medum, quem Balthasaris filium facit.

DONEC VENIAT TEMPUS TERRÆ EJUS ET IPSIUS. Donec mala, quæ imminent Nabuchodonosori, ejusque filiis & imperio, eveniant. Docet Jeremias futurum, ut Reges hi, eorumque imperium non diu stent; Deumque calicis, quem populis omnibus propinat, partem illis servare; Chaldæos ex eo bibituros, & usque ad fæcem hausturos. Hoc plerumque præmio supremus Judex eos afficit, quibus ultionis suæ ministris utitur (6).

℣. 9. VOS ERGO NOLITE AUDIRE PROPHETAS VESTROS ET DIVINOS, &c. Sedeciam alloquitur, & cæterorum Regum legatos, de quibus egimus. Arioli, somniorum interpretes, aruspices, Magi Ethnicis illud erant, quod Judæis Prophetæ. Monet Sedeciam Jeremias, ne falsis Prophetis credat; cæterorumque Regum Legatos hortatur, ne ab Ariolorum, Magorumque & Aruspicum, felicissimos rerum exitus pollicentium, fraudibus decipi sese patiantur; ii enim nonnisi mendacia vaticinantur; eorumque vaticinia vos in extremam perniciem trahent. Hebræa vox (7) *Honenecem*, quæ reddita est *augures*, oritur e radice, quæ nubes significat; fortasse *Astrologos judiciarios*. Ea vero, quæ reddita est *Maleficos*, authore Grotio, Necromantas significat, vel Manium evocatores, humano sanguine effuso.

℣. 10. UT LONGE FACIANT VOS (vos patria expellant) ET PEREATIS. Quamquam id certe non volunt, procul dubio eveniet, si falsa eorum vaticinia sequamini. Hebræus (8): *Ut longe faciam vos a patria, & pereatis.*

℣. 11. GENS QUÆ SUBJECERIT CERVICEM SUAM SUB JUGO REGIS BABYLONIS. Tranquillam in patria vitam aget: Nemo eorum, quos alloquitur Jeremias, sese sponte imperio Chaldæorum subjecere, omnesque vi cepit Nabuchodonosor. Idumæi profecto, Ammonitæ & Moabitæ socia Chaldæis adversus Hebræos arma junxerunt (9), at sive deinde desciverunt, sive aliquam ex eis offensionem tulit Nabuchodonosor. Illud certo constat, habitos ab eo esse hostium loco, & bello sævissimo afflictos.

℣. 12. ET AD SEDECIAM LOCUTUS SUM. Hoc igitur eo regnante gestum est. Vide ℣℣. 2. & 3. & caput proxime sequens, 1. 11. 12.

℣. 16. VASA DOMINI REVERTENTUR DE BABYLONE NUNC CITO. Blandiebantur Sacerdotibus falsi Prophetæ, futurum ut sacra vasa, quæ Nabuchodonosor a templo rapuerat primum anno Joakimi quarto (10), iterum quo tempore Jechonias captivus Babylonem raptus est (11), quantocius referantur: at hæc vaticinia irrita prorsus cecidisse novimus. Ea remittere neglexit omnino Nabuchodonosor; & Sedecias quarto Regni anno Saraiam Babylonem misit (12), ut sacra vasa a Nabuchodonosor impetraret. Annuit porro Nabuchodonosor (13), at quinto demum anno postquam rapta fuere, & alia prorsus ratione, quam ii Prophetæ, ac præsertim Hananias (14), prædixerant, pollicebantur enim fore, ut Babylonis Rex illa sponte remitteret, & brevissimum quidem post tempus, duos scilicet post annos (15), cum id nonnisi quatuor post annos, ac solemnem Sedeciæ legationem contigerit. Ex Græco Baruchi (16) discere videmur, Nabuchodonosorem argentea tantummodo vasa reddidisse, quæ vasa Sedecias conflaverat, alia plane ab aureis, sub Jechonia raptis.

℣. 18. SI PROPHETÆ SUNT OCCURRANT DOMINO, iratam illius manum coerceant, ac medii stent Deum inter & populum, ut Deum ad clementiam flectant, ubi is furoris sui pondere illos sit obruturus. Veri Prophetæ habeantur illi, ego deceptor, nisi mala, quæ ego minitor, evenerint, aut illorum viribus averti potuerint. Si veri Prophetæ sunt, prohibeant jam, ne sacra vasa, quæ in Templo, & locuples supellex, quæ in Regiis Juda ædibus, & Jerosolymæ supersunt, Babylonem transferantur; ea enim omnia raptum iri a Chaldæis prædico.

℣. 21. HÆC DICIT DOMINUS AD VASA. Minime ineptum est, quod Jeremias vasa Templi alloquatur (17). Quam sæpe enim Prophetæ verba ad res anima carentes faciunt? Passim illi Urbes, agros, Templum, terram, elementa, rupes, montes alloquuntur. Hebræus fert (18): *Hæc dicit Dominus super vasis, quæ relicta sunt in domo Domini.*

---

(1) Hieron. in Isai. lib. v. c. 23. *Legimus Græcorum historias, & maxime eorum, qui Assyriæ gentis bella describunt, ibique reperiemus post captivitatem Jerusalem, Palæstinos, & Arabas, ac Damascenos, ac deinceps Ægyptios fuisse subversos.* (2) Hieron. hic: *Vel simpliciter omne genus animalium intelligere debemus: cum homine enim, & ea traduntur quæ ei subdita sunt: vel certe bestias, feras gentes intelligamus.* (3) Theodoret. Θηρία τοῦ ἀγροῦ, τὰ βάρβαρα ἔθνη λέγει. (4) Ita Hieron. D. Thom. Rupert. Lyr. Sanct. Vat. alii. (5) Theodoret. in Dan. vi. initio. (6) Vide Theodoret. hic. (7) אל עננכם ואל כשפיכם Septuag. Οἰωνισμάτων. (8) והדחתי אתכם ואבדתם Septuag. Ἵνα ἐξώσω ὑμᾶς, καὶ ἀπολεῖσθε. (9) Vide supra xii. 6. & xxv. 14. (10) Vide Dan. i. 2. & 2. Par. xxxvi. 7. (11) 4. Reg. xxiv. 13. 2. Paral. xxxvi. 10. (12) Vide Jerem. li. 59. (13) Baruc i. 8. (14) Jerem. xxviii. 6. (15) Jerem. xxviii. 3. (16) Baruc 1. 8. Σκεύη ἀργυρᾶ, ἃ ἐποίησε Σεδεκίας υἱὸς Ἰωσία βασιλεὺς Ἰούδα, μετὰ τὸ ἀποικίσαι Ναβουχοδονόσορ τὸν Ἰεχονίαν. (17) Hieron. hic. (18) כה אמר יהוה על הכלים הנותרים בבית יהוה Septuag. Τάδε λέγει κύριος, τῶν σκευῶν τῶν καταλειφθέντων. Ita Chald. & alii.

CAPUT XXVIII.

Mendax Hananiæ vaticinium de reditu Jechoniæ, sacrorumque vasorum libertate. Jeremias contraria vaticinatur. Verorum falsorumque vaticiniorum discrimina. Hananias intra annum moritur, ex minis Jeremiæ.

℣. 1. ET factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Juda, in anno
quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de
Gabaon, in domo Domini, coram sacerdotibus, & omni populo, dicens: 2. Hæc
dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contrivi jugum regis Babylonis. 3. Adhuc
duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini,
quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem:
4. Et Jechoniam filium Joakim regem Juda, & omnem transmigrationem Juda, quia
ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus: conteram
enim jugum regis Babylonis. 5. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophe-
tam, in oculis sacerdotum, & in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini,
6. Et ait Jeremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet Dominus verba tua,
quæ prophetasti: ut referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Ba-
bylone ad locum istum. 7. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in au-
ribus tuis, & in auribus universi populi. 8. Prophetæ, qui fuerunt ante me, &
ante te ab initio, & prophetaverunt super terras multas, & super regna magna, de
prælio, & de afflictione, & de fame. 9. Propheta, qui vaticinatus est pacem: cum
venerit verbum ejus, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate. 10. Et tu-
lit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, & confregit eam. 11. Et
ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam
jugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gen-
tium. 12. Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini
ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ pro-
phetæ, dicens: 13. Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas
contrivisti: & facies pro eis catenas ferreas. 14. Quia hæc dicit Dominus exerci-
tuum Deus Israel: Jugum ferreum posui super collum cunctarum Gentium istarum,
ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, & servient ei: insuper & bestias ter-
ræ dedi ei. 15. Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam; Audi, Ha-
nania: non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio.
16. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terræ: hoc anno mo-
rieris: adversus enim Dominum locutus es. 17. Et mortuus est Hananias propheta
in anno illo, mense septimo.

℣. 1. ET FACTUM EST IN ANNO ILLO, IN PRINCIPIO REGNI SEDECIÆ, IN ANNO QUARTO, IN MENSE QUINTO. In primo limine hæremus. Quartus Sedeciæ annus, cum is undecim tantummodo annis Regnum obtinuerit, quam vere initium illius Regni dicitur, cum ferme dimidium sit? Ut hæc difficultas solvatur, Septuaginta silent ea verba: *In principio regni Sedeciæ*. Sunt (1) qui censeant, quartum hunc Sedeciæ annum non ab initio Regni Sedeciæ; sed a supremo anno Sabbathico, quatuor ante annis celebrato, duci. Tertio deinde ab hinc anno, tertio scilicet Sedeciæ, alter sabbathicus rediit; iterumque anno undecimo Sedeciæ. Postremus hic sabbathicus, cujus meminit Scriptura (2), loco argumenti est, quo superiores duo confirmantur. Hanc sententiam æquo ingeniosiorem arbitramur, cum nullum Scripturæ exemplum suppetat, quo doceamur, annorum notas ab annis Sabbathicis duci consuevisse. Ajunt alii (3), Sedeciam quarto Regni anno profectum Babylonem (4), atque a Nabuchodonosore donatum imperio in Reges Tyri, Edomi, Moabi, & Ammonis, de quibus Capite superiori (5), tunc vere primum Regis nomen usurpasse, atque annos Regni ab eo tempore numerare cœpisse. Hæc tamen sententia rebus vel incertissimis, vel omnino falsis nititur. Sedeciam quarto Regni anno Babylonem esse profectum, res incerta est: at penitus falsa, Reges, de quibus actum est, illi unquam obnoxios fuisse.

Usurpant nonnulli (6) hoc loco *principium* latiori sensu, ut significet quidquid temporis ante dimidium Sedeciæ Regnum fluxit. Sanctius prioris hujus ℣. verba dividit, ut horum pars ad præcedens, pars ad hoc ipsum caput pertineant. *Et factum est in anno illo, in principio Regni Sedeciæ Regis Juda*, hæc, inquit, finis sunt Capitis XXVII. *In anno quarto, in mense quinto*, hæc tempus exarati hujus Capitis indicant. At vix textum ipsum legas, statim vides hujus sententiæ levitatem: *Et factum est in anno illo, in principio Regni Sedeciæ, in anno quarto, in mense quinto.* Particula conjungens *Et*, periodi hujus initio inscripta, atque harum temporis notarum nexus, satis

(1) Hebræi, Vat. Grot. Anglic. (2) 2. Paralip. XXXVI. 21. Jerem. XXXIV. 8. 9. 14. (3) Rabb.
(4) Jerem. 51. 59. *Verbum quod præcepit Jeremias Saraiæ, cum pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem,*
(5) Cap. XXVII. 3. (6) Mariana, Menoch.

satis docent, minime esse sejungendas. Capitis superioris initio jam animadvertimus, nonnullos vaticiniorum titulos incertæ fidei a nobis existimari, atque additos Prophetarum Textui re peracta videri. Quamobrem τὸ *in quarto anno*, ex hujusmodi additionibus aliqua haberi potest; atque his potissimum rationibus fretus id conjicio. I. Caput hoc procul dubio pars superioris est. Reprehenderat Jeremias, Capite XXVII. falsos Prophetas, eosque præsertim, qui Jechoniam, cæterosque captivos cum sacris vasis, Jerosolymam delatis, quantocius reversuros pollicebantur. Idem ligneis jugis onustus incesserat, ut Regum legatos, qui tunc ad Sedeciam convenerant, suo singulos jugo donaret. Hæc superiori Capite narrantur. Hic Hananias, e falsis Prophetis unus, offensus Jeremiæ constantia, qua ipsum tacito nomine objurgaverat, ea quæ de Jechoniæ sacrorumque vasorum reditu ipse prædixerat, iterum urget, iterumque insanum vaticinium repetit, effertque intra duorum annorum spatium, sexto scilicet Sedeciæ anno sacra vasa restitutum iri, Jeremiam invadit; fractoque ligneo jugo, quod ille gerebat, effricta fronte vaticinatur, fractum esse a Deo e populorum cervicibus jugum Nabuchodonosoris. Hæc omnia continuam rerum seriem exhibere, nemo non videt. Cum igitur alienorum Legatorum adventus, falsæ Hananiæ vaticinia, Jeremiæ juga ad primum Sedeciæ annum, paulo post Jechoniæ sacrorumque vasorum captivitatem, procul dubio pertineant; colligendum est, totum hoc caput, & ea quæ ipso recitantur, primo Sedeciæ anno contigisse. II. Superius docuimus (7), Saraiam missum esse a Sedecia quarto Regni ipsius anno, ut sacra vasa a Nabuchodonosore reposceret; eaque eodem anno reddita fuisse. Hoc porro multo luculentius ostendit, hujus Capitis ætatem esse ipsa initia Sedeciæ; si enim Rex Legatum misisset Babylonem, quo tempore vaticinabatur Hananias, scilicet, ex fide tituli hujus Capitis, quarto Regni anno, adeone insanus fuisset Hananias, ut sacra vasa nonnisi duos post annos, sexto Sedeciæ, redditum iri vaticinaretur? Breviorem certe moram prædixisset, vel tantummodo asseruisset, brevi reversura, vel futura Jerosolymæ, antequam biennii curriculum absolveretur. At certum biennii tempus confidenter assignat, hominis instar temere casuque loquentis.

℣. 2. Contrivi jugum Regis Babylonis. Ita vaticinabatur Hananias, ut sua opponeret vaticiniis Jeremiæ, futurum asserentis, ut omnes earum regionum Principes Nabuchodonosoris jugo coercerentur: *Cap.* XXVII. ℣. 7. *Servient ei omnes gentes, &c.* Animadverte, Hananiam Prophetæ nomine a Scriptura ubique donari; a Septuaginta vero, *Pseudo-propheta*.

℣. 3. Adhuc duo anni dierum. Falsum qualibet ex parte vaticinium. Si ea quæ hoc Capite narrantur, ad primum Sedeciæ annum pertinent, id quod omnino probabile videtur, falsum certe est, sacra vasa post duos annos delata esse Jerosolymam, cum quarto demum Sedeciæ anno redierint. Quod si ad quartum Sedeciæ annum spectant, nihilo verius est vaticinium, cum eodem anno Saraias Sacra vasa iterum a Nabuchodonosore impetraverit.

℣. 6. Ait Jeremias: Amen: sic faciat Dominus. Minime ignorabat Jeremias, falsum prorsus esse vaticinium; idque illius responsio satis docet: illud solummodo ostendit, sese non iræ aut invidiæ causa calamitates patriæ prædicere, aut falsorum Prophetarum oraculis repugnare. Utinam verus Propheta sis, meaque vaticinia irrita ventis ferantur. Mala quæ ego nuncio, a patria atque a populi mei Principibus avertat Deus. Hebræus alio sensu reddi potest (8): *Omnino: ita faciet Deus*, ut dicis; *excitabit verba tua*; promissiones tuas explebit; [illegible]; at interim *audi verbum Domini*: res ipsa docebit, ego ne an tu falsa prædixerimus, &c ℣℣. 7. 8. 9.

℣. 8. Prophetæ qui fuerunt ante me et ante te. Prophetam nominat Hananiam ad tempus brevissimum, quin veritati noceat. Neque tu neque ego primi in terris Prophetæ apparuimus: alii ante nos floruerunt; atque omnes norunt, quo discrimine veri a falsis Prophetis agniti fuerint: res ipsa probavit: is habitus est verus Propheta, cujus verba res sequutæ sunt: deceptorem oraculorum inanitas ipsa demonstravit: quamobrem ex eventu homines de re nostra existiment. Ais, Jechoniam & Sacra vasa intra biennium restitutum iri: ego te intra menses duos moriturum ajo. Uter vere, statim ostendetur. Veritas pro Jeremia stetit; Hananias enim septimo mense obiit (9), cum vaticinium editum sit quinto (10).

℣. 9. Cum venerit verbum ejus, tunc scietur Propheta, quem misit Dominus. Duo veri Prophetæ indicia tradidit Moyses: I. eventum (11): *Propheta qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non est locutus.* Alterum, ubi Propheta populum in flagitia & idololatriam impellere voluerit (12): *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis; non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non. Propheta autem ille interficietur.* Cum in præsenti te minime videretur Hananias populum in idololatriam impellere, primum tantummodo veritatis indicium, a Lege præscriptum, eventum scilicet, persequitur.

℣. 10. Tulit Hananias catenam de collo Jeremiæ, et confregit eam. Jugo seu furca lignea cervicem oneraverat Jeremias, quemadmodum superius animadvertimus (13), ut servitutem exprimeret, qua exteri Principes sub Nabuchodonosore opprimendi erant. Quod hic S. Hieronymus *catenam* reddit, proprie *jugum ligneum* significat. Hoc fregit Hananias, ut eorum Principum libertatem, quam ipse falsu prædicebat, indicaret.

℣. 11. Abiit Jeremias in viam suam, patienter ferens injuriam sibi ab Hanania illatam. Nihil ille statim respondit, cum nihil sibi Dei Spiritus inspiraverit (14). At vix abeuntem Deus confestim docuit, quid respondendum esset Hananiæ.

℣. 13. Catenas ligneas contrivisti, vel juga, furcas, iis similes, quibus servi supplicio damnati afficiuntur: et Deus pro jugo ligneo, ferreum imponet cervicibus Regum, quos ego illius nomine alloquutus sum. Nova minime sunt apud Scripturam juga ferrea, cum Moyses (15) Dei nomine Judæis minitetur fore, ut in ejusmodi hostium potestate relinquendi sint, a quibus jugo ferreo opprimantur.

℣. 17. Mortuus est Hananias in anno illo, mense septimo. Solet Jeremias menses ex ordine anni sancti numerare (16). Septimus mensis in Augustum & Septembrem competit. Septuaginta legunt solummodo (17): *Mortuus est mense septimo*, secundo post Jeremiæ oraculum (18).

(7) Cap. XXVI. 16. Vide Baruc 1. 8. & Jerem. LI. 59. (8) אמן כן יעשה יהוה יקם יהוה את דבריך (9) Infra ℣. 17. (10) Sup. ℣. 1. (11) Deut. XVIII. 20. 22. (12) Deut. XIII. 1. 2. 3. (13) Cap. XXVII. 2. 3. (14) Hieron. hic, Sanct. (15) Deut. XXVIII. 48. *Ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.* (16) Vide Jerem. XXXVI. 22. (17) Καὶ ἀπέθανεν ἐν τῷ μηνὶ τῷ ἑβδόμῳ. (18) Sup. ℣. 1. *Factum est in anno quarto, in mense quinto.*

CAPUT XXIX.

Jeremiæ epistola ad Judæos Babylone captivos, abductos cum Jechonia. Captivitatis exitus post annos septuaginta. Minæ in Achabum & Sedeciam, falsos Prophetas. Semeiæ literæ ad Sophoniam adversus Jeremiam. Jeremiæ literæ ad epistolam Semææ, & in illum minæ.

℣. 1. ET hæc sunt verba libri, quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem: 2. Postquam egressus est Jechonias rex, & domina, & eunuchi, & principes Juda, & Jerusalem, & faber, & inclusor, de Jerusalem: 3. In manu Elasa filii Saphan, & Gamariæ filii Helciæ, quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Babylonis, dicens: 4. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem: 5. Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos; & comedite fructum eorum. 6. Accipite uxores, & generate filios, & filias: & date filiis vestris uxores: & filias vestras date viris, & pariant filios, & filias: & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero. 7. Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis. 8. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & divini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: 9. Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: & non misi eos, dicit Dominus. 10. Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. 11. Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis finem, & patientiam. 12. Et invocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos. 13. Quæretis me, & invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro. 14. Et inveniar a vobis, ait Dominus: & reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. 15. Quia dixistis: Suscitavit nobis Dominus Prophetas in Babylone. 16. Quia hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, & ad omnem populum habitatorem urbis hujus, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. 17. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, & famem, & pestem: & ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt; eo quod pessimæ sint. 18. Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in vexationem universis regnis terræ: in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis Gentibus, ad quas ego ejeci eos: 19. Eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quæ misi ad eos per servos meos prophetas, de nocte consurgens, & mittens: & non audistis, dicit Dominus. 20. Vos ergo audite verbum Domini, omnis transmigratio, quam emisi de Jerusalem in Babylonem. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris. 22. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne: 23. Pro eo, quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in uxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: ego sum Judex, & testis, dicit Dominus. 24. Et ad Semejam Nehelamiten, dices: 25. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo, quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem, & ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem: & ad universos sacerdotes, dicens: 26. Dominus dedit te sacerdotem pro Jojade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium, & prophetantem, ut mittas eum in nervum, & in carcerem. 27. Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis? 28. Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens: Longum

gum est: ædificate domos, & habitate: & plantate hortos; & comedite fructus eo-
rum: 29. Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiæ prophe-
tæ. 30. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 31. Mitte ad om-
nem transmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semejam Nehelamiten: Pro
eo, quod prophetavit vobis Semejas, & ego non misi eum: & fecit vos confidere in
mendacio: 32. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semejam Nehe-
lamiten, & super semen ejus: non erit ei vir sedens in medio populi hujus, & non
videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia prævaricationem
locutus est adversus Dominum.

℣. 1. VERBA LIBRI, QUEM MISIT JEREMIAS ... AD OMNEM POPULUM, QUAM TRADUXERAT NABUCHODONOSOR. Hujus legationis Sedeciæ ad Nabuchodonosoram & tempus & occasio ignoratur: creditur vero ad regni illius exordia pertinere. Cum Judæa omnis vectigalis esset Chaldæis, Regnum Juda res conjunctissimæ cum Babyloniis erant. Nondum ea ætate Dei Spiritus Ezechielem invaserat (1). Quamobrem necesse fuit, ut res Judæorum Babylone captivorum Jeremias curaret. Cautos primum facit adversus falsos Prophetas, qui falsa proximæ libertatis spe illos fallebant. Saniora illis suadet Jeremias. Hæc porro epistola plane alia est ab ea, quam detulit Baruch (2). Hæc data est ad Judæos omnes captivos, qui Babylonem a Nabuchodonosore, regnantibus Joakimo (3) & Jechonia, translati fuere.

AD SACERDOTES ET AD PROPHETAS. Captivi tunc erant Ezechiel & Daniel, hic Babylone, ille in Mesopotamia, ad amnem Chobar. Prophetico munere fungi cœpit Ezechiel anno quinto postquam captivus actus est Jechonias (4): at Daniel Divini Spiritus specimina jam dederat, explicato Nabuchodonosoris somnio, anno Mundi 3402. qui secundus erat Nabuchodonosoris Babylone, & septimus Joakimi in Juda (5). Alii fortasse Prophetæ inter captivos erant, cum ad eos epistolam det Jeremias. Profecto non omnes Judæ Prophetas novimus; neque mirum est, si Propheta ceteros Prophetas docet ac monitis instituit. Davidem monuit Nathan (6); tradit vero S. Petrus (7), Prophetas veterum vatum scripta versare consuevisse. Daniel certe Jeremiam assidue evolvebat (8). Chaldæus sub *Prophetarum* nomine *Scribas* intelligit, sive Legis Doctores. Septuaginta reddunt Hebræum (9) *Pseudo-prophetas*. Chaldæi interpretatio hic magis placet.

ET DOMINA (10), Regina, fortasse *Nohesta*, Jechoniæ Regis mater (11), cujus nomen in Regum Libris & Paralipomenis legitur.

EUNUCHI. Hebræa vox (12) eunuchos vere tales significat. Chaldæus (13): *Optimates*, nobilissimi apud Regem ministri. Nullum e gente sua eunuchum habebant Hebræi (14): at ex alienis alere eunuchos licebat. Eunuchi appellatio apud Scripturam frequenter ambigua est.

FABER ET INCLUSOR. Architectus, & machinarum artifex; vel fabri ferrarii & materiarii, vel armorum & serarum fabri; &c. Vide Caput XXIV. 2.

℣. 3. IN MANU ELASÆ FILII SAPHAN. Elasam hunc, ejusque socium Gamariam penitus ignoramus. Gamariam Saphani filium, regnante Sedecia celebrem, novimus, at alium plane a Gamaria Helciæ filio, de quo hic agitur.

℣. 5. ÆDIFICATE DOMOS ET HABITATE. Babylone domicilia, longam veluti moram acturi, statuite. Ea vobis patriæ loco sit, non hospitii. Ut moneret Judæos Deus, futurum ut quantocius extra patriam transferrentur, Jeremiæ imperavit; ne uxorem duceret, neve liberos in patria procrearet (15). Jonadab, Rechabi filius (16), Discipulis lata lege præcepit, ne domos conderent, aut agros colerent, sed vitam omnem sub tentoriis agerent, veluti humanarum rerum contemptum indicaturi. Jubet S. Paulus in mundo esse ceu peregrinos, quamobrem ita rebus potiri, quasi minime potiamur (17); illud autem eo imperat, quod brevior sit vita, quam ut illam magnopere amemus. Hic vero contrariam plane ob rationem, jubentur Judæi domos condere, hæreditates adire, uxores ducere, denique familiam Babylone statuere, quo luculentius intelligant, exilium fore diuturnum.

℣. 7. QUÆRITE PACEM CIVITATIS, AD QUAM TRANSMIGRARE VOS FECI. Deum flagitate, ut Reges vestros bonis cumulet, pacemque Babyloni, ubi captivi vivitis, largiatur; quippe e Babylonis felicitate & pace pax vestra & felicitas pendent. Ita animo comparatis vivendum est sub alienorum Principum potestate, iique colendi sunt, quos Providentia Duces ac Præfectos dedit. Hæc edocti ab Jeremia captivi (18), fratres Jerosolymis superstites datis literis monebant: *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram; & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor & filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum*. S. Paulus eodem spiritu afflatus (19) jubet *fieri obsecrationes pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate*.

℣. 8. NON VOS SEDUCANT PROPHETÆ VESTRI. Pseudo-prophetæ; cujusmodi plures Babylone fuisse, inferius dicemus (20). Eamdem rem videas in Ezechiele. XIII. & XIV.

NE ATTENDATIS AD SOMNIA VESTRA. Vos, pseudo-prophetæ, insani somniorum observatores, sectatoresque spectrorum, nullam somniorum rationem ne habeatis; nihil enim divinum habent, meraque sunt vacuæ & emotæ mentis deliria. Aliter: Ne somnia servatote, viri Juda, neque illorum interpretationem a conjectoribus exquirite. Nihil denique præter somnia sunt, eorumque interpretationes commenta sunt fallacissima.

℣. 10. CUM CŒPERINT IMPLERI IN BABYLONE SEPTUAGINTA ANNI, VISITABO VOS. Hic annorum numerus non ab hoc anno, vel ab hac Elasæ & Gamariæ legatione, sed ab anno quarto Joakimi, Mundi 3398. incipit, & in primum Cyri Babylone regnantis, Mundi 3468. desinit. Tunc Deus os ad populum convertit, ipsumque in patriam reduxit.

℣. 11. UT DEM VOBIS FINEM ET PATIENTIAM. He-

(1) Hieron. hic. (2) Baruc 1. Vide & Jerem. LI. 59. 60. (3) Dan. 1. 3. 7. & Jerem. LII. 28. (4) Ezech. 1. 2. (5) Dan. II. 1. ... 49. (6) 2. Reg. VII. 5. 9. &c. (7) 1. Petr. 1. 11. (8) Dan. IX. 2. (9) Heb. הנביאים Chald. כמריא Septuag. Ψευδοπροφῆται. (10) Heb. גבירה Chald. מלכתא Septuag. Βασιλίσσης. (11) 4. Reg. XXIV. 8. 12. 15. (12) Heb. הסריסים Septuag. Εὐνοῦχοι. (13) Chald. רברביא (14) Deut. XXIII. 1. *Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini.* (15) Jerem. XVI. 2. (16) Jerem. XXXV. 7. (17) 1. Cor. VII. 29. 30. 31. (18) Baruc 1. 11. 12. (19) 1. Timot. II. 1. 2. (20) Infra ℣. 21. & 24.

Hebræus (1): *Ut dem vobis finem, & spem*; vel, *posteritatem, & spem*; Sive, præmium & expectationem; denique, votorum expletionem, & malorum finem, quem tamdiu præstolamini. Septuaginta (2): *Ut dem vobis hæc*, Interpretes hi paucis complectuntur ea, quæ hinc usque ad ℣. 15. leguntur; & a ℣. 14. usque ad 21. penitus omittunt in Romana Editione & apud S. Hieronymum; at minime in Complutensi, & apud Theoduretum.

℣. 12. INVOCABITIS ME, ET IBITIS, in patriam revertemini; in terram Juda vos reducam. Ad verbum (3): *Vocabitis me, & ibitis*; vel, *invocabitis me, & accedetis me deprecaturi, & ego exaudiam vos*, Chaldæus: *me deprecabimini, & suscipiam orationem vestram; & quæretis a facie mea, & faciam deprecationem vestram*. Septuaginta ferunt solummodo (4): *Precamini me, & exaudiam vos*.

℣. 15. SUSCITAVIT DOMINUS SUPER NOS PROPHETAS IN BABYLONE. Duplex hujus loci interpretatio est. Qui hunc cum superiori versiculo jungunt, bonam in partem interpretantur. Cum spem in Domino collocaveritis, quippe qui vos ab eo minime destitutos in ipso captivitatis vestræ loco, missosque ad vos Prophetas videretis, is vobis futurum pollicetur, ut vos aliquando Babylone reducat. Qui vero cum consequenti conjungunt, ita usurpant, veluti initium sit & argumentum minarum, quas illis, falsisque illorum Prophetis indicit Jeremias: Cum gloriabundi dicatis, datos denique vobis esse a Deo Prophetas, quasi cæteri, quos Jerosolymis habuistis, meri deceptores fuerint; Faciam, ut ii quibus gloriamini, aureisque tam faciles præbetis, deceptores ac simulatores esse experiamini. I. Enim vestram illi conditionem multo infeliciorem vobis exhibent, quam cæterorum, qui in Juda superfuere; ac reditum quantocius pollicentur: at ego ajo, Regem Judam, ejusque subditos, in Palæstina relictos, obrutum iri malis omnibus, quæ ex bello, peste & fame. II. Pseudo-prophetas vestros, Achabum, Sedeciam, & Semeiam, quorum mores nihilo meliores animo sunt, perdet Deus, eaque severitate puniat, ut apud posteros exempla execrationis habeantur. Hæc interpretatio probabilior est, & magis cum consequentibus nexa.

℣. 16. AD REGEM QUI SEDET SUPER SOLIUM DAVID; Sedeciam pro Jechonia regnantem.

℣. 17. PONAM EOS QUASI FICUS MALAS. Judæos in Palæstina relictos superius comparavit cum malis ficubus; cum bonis vero cæteros cum Jechonia captivos (5); ut ostenderet, quam ingens discrimen inter utrosque poneret Deus; quantoque melior eorum, quorum captivitas lugebatur, foret conditio, quam eorum, qui in patria felices existimabantur. Hebræus (6) redditur, *abominandas*, turpes, hispidas, acres, amaras. Scribit Theodoretus (7), Hebræam vocem *suarem*, quam Græcus servavit, proprie significare ficus sylvestres, quæ in sepibus & in agro sponte proveniunt. S. Hieronymus legit ficus *sudrim*, pro *suarim*, in Theodotione. Symmachus, sicut novissimas; Secunda Aquilæ editio, *pessimas*. Hoc in septuaginta Interpretibus non legi, jam animadvertimus. Theodoretus fortasse ex Theodotione derivaverit.

℣. 21. HÆC DICIT DOMINUS AD ACHAB ET AD SEDECIAM, binos Pseudo-prophetas, qui Judæos Babylone captivos decipiebant. Rabbinorum, aliorumque quorumdam Interpretum (8) sententia, iidem hi sunt, qui Susannæ insidias posuere, versi deinde in accusatores. Quod hic inferius ℣. 23. legitur, *quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt uxores amicorum suorum*; atque illud quod Daniel (9) duobus Senioribus, Susannam accusantibus, exprobrat, ipsos scilicet filias Israelis ad stuprum sollicitare, easque metu coactus assentiri; optime profecto duobus hisce Pseudoprophetis convenit. At supplicii, quo affecti sunt, discrimen, hanc sententiam penitus evertit. Illos apud Danielem populus lapidibus obruit; hos in ferventi oleo torreri jussit Nabuchodonosor.

℣. 22. QUOS FRIXIT REX BABYLONIS IN IGNE. Hoc supplicii genere passim Christianæ Legis Martyres torti sunt. Intra lebetem oleo fervente plenum, ope trochleæ supra lebetem appensæ, paulatim mergebantur, quo diuturnius atque atrius supplicium esset. Dicitur S. Joannes Evangelista simili e lebete vividior alacriorque, quam mersus fuerat, emersisse. Epiphanes Antiochus septem Macchabæos fratres eo supplicio cruciavit (10). Interdum tamen tosti fuisse videntur in arida ignitaque sartagine; ferme uti Phalaris miseros homines in æneo tauro candente claudebat.

℣. 23. EO QUOD FECERINT STULTITIAM IN ISRAEL. Stultitia frequenter in Scripturis pro scelere usurpatur. Senex hospes Levitæ, cujus uxore Gabaitæ indignissime abusi sunt, cives hortabatur (11): *Cessate ab hac stultitia*. Thamar, cum Amnonem suadere conaretur, ne sibi stuprum inferret, ajebat (12): *Noli facere stultitiam hanc*. Sapiens plerumque insaniam optimo vivendi instituto opponit. Isaias simulationem & flagitia sub insaniæ nomine Hebræis exprobrat (13): *Omnis hypocrita est & nequam, & universum os locutum est stultitiam*. Se peccasse fatetur David, habito populi censu, inquiens (14): *Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi*.

EGO SUM JUDEX ET TESTIS, DICIT DOMINUS. Iniquum non est, Deum & judicis & accusatoris partes agere. Is ubi injurias Majestati suæ irrogatas ulciscitur, iracundia aut sævitia non agitur. Ipsa est veritas æquitasque; neque illum unquam homo arguere iniquitatis aut sævitiæ potest. Nemo damnatorum est, qui æquissimo jure sese damnatum esse non sentiat. Clauditur hic Jeremiæ Epistola ad Judæos Babylonicos.

℣. 24. ET AD SEMEIAM NEHELAMITEN DICES. Nullus noscitur locus, *Nehelam* appellatus. Putant nonnulli, expressam data opera hic esse ab Jeremia hanc appellationem, quæ *somniatorem*, delirum, amentem significat. Quæ hic narrantur, gesta sunt Jerosolymis, reversis Sedeciæ Legatis, qui epistolam Jeremiæ Babylonem detulerant. Semeias Nehelamites, e Babylonicis captivis unus, offensus Jeremiæ libertate, qua in literas ad Captivos in Chaldæa morantes dederat, hortatusque fuerat, ut liberos Babylone crearent, certasque ibi sedes constituerent; literas & ipse ad Sophoniam Templi Præfectum dedit; illud damnans, quod Jeremiam ceu furiosum, & prophetici nominis simulatorem vinculis non coercuerit. Semeiæ epistolam Sophonias Jeremia audiente perlegit; atque hæc statim Jeremias falso isti Prophetæ respondit.

℣. 25. AD SOPHONIAM SACERDOTEM, non Pontificem, quemadmodum nonnullis visum est, sed *Sacerdotem secundum* (15), Pontificis Vicarium, in secunda Templi dignitate constitutum, Domus Dei Præfectum. Vide supra XXI. 1. quæ de Phassur dicta sunt.

℣. 26. DOMINUS DEDIT TE SACERDOTEM PRO JOIADA.

[1] לתת לכם אחרית ותקוה [2] Τοῦ δοῦναι ὑμῖν ταῦτα. [3] וקראתם אתי והלכתם והתפללתם אלי ושמעתי אליכם [4] Προσεύξασθε πρός με, καὶ εἰσακούσομαι ὑμῶν. [5] Jerem. XXIV. 2. 8. [6] כתאנים השערים אשר לא תאכלנה מרע [7] Theodoret. hic: Vox Σουαρεὶμ est ex Theodotione. Symm. Ἔσχατα, ultimas. [8] Vide Hieron. hic. Raban. Thom. Hugo, Salian. [9] Dan. XIII. 57. [10] Vide 2. Macc. VII. 5. *Iratus itaque Rex jussit sartagines, & ollas æneas succendi*. Vide & Joseph. de Macc. c. 8. & sequ. [11] Judic. XIX. 23. [12] 2. Reg. XIII. 12. [13] Isai. IX. 17. [14] 1. Par. XXI. 8. [15] 4. Reg. XXV. 18. *Tulit princeps militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum*.

na. Jojadam Pontificem sub Joas floruisse, nemo ignorat. Is, pulsa intesfectaque Athalia, quæ regnum usurpaverat, Regem Joas in solio constituit. Eo Pontifice, Joas Jojadæ consilio omnia superstitionis vestigia, a Majoribus relicta, delevit; ac Sacerdotes falsosque Prophetas Baalis neci dedit (16). Cur eadem non præstas, Sophonia, cum Jojadæ locum obtineas? cur Jeremiam insanum, & Propheticam personam simulantem, vinculis non coerces? Nonne tui muneris est, in hujusmodi homines animadvertere? Jojadæ igitur animum ac fervorem indue. Cur vero Jojadam potius quam alterum nominat, cum Jojada tam longa ætate præcesserit? Cur Sophoniam Jojadæ successorem appellat, cum Jojada Pontifex esset, & Sophonias secundus Templi Sacerdos? Respondeo, Jojadam inter cæteros electum esse a Semeia, ut Sophoniæ blandiretur; is enim acriori studio, quam cæteri, & firmiori constantia exarserat: & quamvis Pontificatum minime gereret Sophonias, gloriosum illi erat cum Jojada comparari, & heres illius constantiæ dici. Censent nonnulli, *Jojadam* hunc sive *Jojaden*, alterum esse ab hujus nominis Pontifice: at alterum hunc Jojaden novit nemo; ejusque nomen sub nullo e præcedentibus Regibus, a Joas usque ad Sedeciam, legitur.

UT SIS DUX IN DOMO DOMINI. Hebræus (17) plurali numero fert: *Ut fitis Inspectores in Domo Domini*, Præfecti, Duces, Oeconomi. Quibus verbis nonnulli Sophoniam cæterosque Sacerdotes, ad quos datæ sunt literæ (18), innui putant. Chaldæus (19): *Ut sis princeps Sacerdotum*. Notissima est in Novo Testamento *Principis Sacerdotum* dignitas; pluresque eodem tempore hoc nomine distinguebantur.

SUPER OMNEM VIRUM ARREPTITIUM ET PROPHETANTEM, UT MITTAS EUM IN NERVUM. Hebræus (20): *Super omnem virum vatidico furore correptum*, vel malo Spiritu agitatum, *& prophetantem*, simulantem Divinum furorem, *ut eum in carcerem*, seu compedes, *conjicias* (21). Falsi Prophetæ agniti convictique, morte damnabuntur, ex Lege (22): at antequam ferretur sententia, in vincula dabantur, quo luculentius vaticiniorum veritas aut falsitas expenderetur. Hujusmodi autem homines capere, Principum Sacerdotum erat. Vide supra xx. 1. 2. Romanæ Leges fustibus virgisque damnabant eos, *qui se Deo plenos simularent* (23). Quamobrem Christiani fustibus virgisque frequenter cæsi sunt, quod rerum Christianarum initio plures essent veri Prophetæ, & Spiritu Sancto pleni.

℣. 31. MITTE AD OMNEM TRANSMIGRATIONEM. Altera est Jeremiæ epistola, aliquo tempore post priorem scripta.

℣. 32. NON VIDEBIT BONUM QUOD EGO FACIAM POPULO MEO. Ante captivitatis exitum, supremum diem claudet; eadem fortuna non utetur qua ceteri, qui captivitatem inuiti, illius finem videbunt (24). Ferietur a Deo Semeias, *& non erit ei, ex ejus posteris, vir sedens in medio populi hujus*; prole carens morietur; vel, illius liberi nullo nomine & dignitate a vulgo non secernentur.

[16] 4. Reg. xi. 17. 18. [17] להיות פקידים בית יהוה Γενέσθαι ἐπιστάτην ἐν οἴκῳ κυρίου. [18] Vide ℣. 25. *Ad Sophoniam, & ad universos Sacerdotes.* [19] סגן כהניא [20] לכל איש משגע ומתנבא ונתתה אותו אל המהפכת [21] Vide Jerem. xx. 2. Syr. *in carcerem.* [22] Deut. xviii. 10. [23] Paul. lib. 5. Sent. iii. 21. de vaticin. [24] Vide 1. Esdr. iii. 12.

CAPUT XXX.

Reditus e captivitate Babylonica. Formidabilis dies præcedet. Israelitarum felicitas post libertatem. Qui Judæos oppresserint, delebuntur. Princeps e Davidis sobole oriturus, ut Dei populum regat.

℣. 1. HOc verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Hæc
dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus
sum ad te, in libro. 3. Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: & convertam
conversionem populi mei Israel, & Juda, ait Dominus: & convertam eos ad terram,
quam dedi patribus eorum: & possidebunt eam. 4. Et hæc verba, quæ locutus est
Dominus ad Israel, & ad Judam: 5. Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris
audivimus: formido, & non est pax. 6. Interrogate, & videte, si generat masculus:
quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, &
conversæ sunt universæ facies in auruginem? 7. Væ, quia magna dies illa, nec est
similis ejus: tempusque tribulationis est Jacob, & ex ipso salvabitur. 8. Et erit in
die illa, ait Dominus exercituum; conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus
dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni: 9. Sed servient Domino Deo
suo, & David regi suo, quem suscitabo eis. 10. Tu ergo ne timeas, serve meus
Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua,
& semen tuum de terra captivitatis eorum, & revertetur Jacob, & quiescet,
& cunctis affluet bonis, & non erit, qui formidet. 11. Quoniam tecum ego sum,
ait Dominus, ut salvem te, faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in
quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in judicio,
ut non videaris tibi innoxius. 12. Quia hæc dicit Dominus: insanabilis fractura
tua, pessima plaga tua. 13. Non est, qui judicet judicium tuum ad alligandum:
curationum utilitas non est tibi. 14. Omnes amatores tui obliti sunt tui, te-

quæ non quærent: plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multi-
tudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. 15. Quid clamas super contri-
tione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & pro-
pter dura peccata tua feci hæc tibi. 16. Propterea omnes, qui comedunt te, de-
vorabuntur, & universi hostes tui in captivitatem ducentur; & qui te vastant, va-
stabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam. 17. Obducam enim cicatri-
cem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia ejectam vocaverunt
te Sion: Hæc est, quæ non habebat requirentem. 18. Hæc dicit Dominus: Ecce
ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, & tectis ejus miserebor, & ædi-
ficabitur civitas in excelso suo, & templum juxta ordinem suum fundabitur. 19. Et
egredietur de eis laus, voxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur,
& glorificabo eos, & non attenuabuntur. 20. Et erunt filii ejus sicut a principio,
& cœtus ejus coram me permanebit: & visitabo adversum omnes, qui tribulant eum.
21. Et erit dux ejus ex eo, & princeps de medio ejus producetur; & applicabo
eum, & accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropin-
quet mihi, ait Dominus? 22. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.
23. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum con-
quiescet. 24. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat, & compleat
cogitationem cordis sui: in novissimo dierum intelligetis ea.

℣. 2. SCRIBE TIBI OMNIA VERBA QUÆ LOCUTUS SUM AD TE, IN LIBRO; vel *quæ loquor*, sive, *locuturus sum* (1); non enim hoc tempore vaticinia sua scripto tradere cœpit Jeremias. Hoc illi imperaverat Deus anno Joakimi quarto (2); atque hoc vaticinium ad Sedeciæ regnum pertinere creditur. Imperabat Prophetis Deus, ut quædam vaticinia majoris momenti in volumine scriberent, vulgarent, & populo audiente perlegerent; quo certius cum rebus gestis conferri possent, ubi explendorum tempus advenisset; constaretque, illa post rem gestam conficta non fuisse, aut aliquibus additis demptisve concinnata.

℣. 3. ECCE DIES VENIUNT, ET CONVERTAM CONVERSIONEM POPULI MEI ISRAEL ET JUDA. Interpretes nonnulli ajunt (3), hoc vaticinio, quod per totum hoc & sequens Caput producitur, sæculorum finem spectari, quo tempore Israel universus, omnesque terrarum populi ad Christi notitiam ac fidem convertentur; cum, inquiunt, omnia quæ hic dicuntur, neque de captivitatis reditu, neque de Judæorum gentiumque conversione, Apostolis Christum prædicantibus, futura explicari ad verbum queant. At alii (4) asserunt, hujusmodi promissa Servatoris adventum, & Christianæ Ecclesiæ institutionem proprie spectare. Plerique tamen (5), medium tenentes, docent, historico sensu multa his verbis contineri, Babylonico reditu expleta; multa vero, quæ adeo uni Jesu Christo ejusque Ecclesiæ conveniunt, ut alteri ad verbum aptari penitus nequeant; & ea quibus luculentissime Babylonica libertas innui videtur, in Jesum Christum ejusque asseclas aptissime competere. Hoc nobis maxime probatur.

℣. 4. QUÆ LOCUTUS EST AD ISRAEL ET AD JUDAM, vel (6) *de Israele & Juda*. Universum Abrahami genus hoc vaticinio colligitur. Post Babylonicam libertatem, odiosa Israelis & Juda nomina & discrimina cessavere. Qui e decem Tribubus homines in patriam rediere, omnes cum Juda & Beniamino conjuncti sunt, & in unam gentem unumque Imperium coaluerunt.

℣. 5. HÆC DICIT DOMINUS: VOCEM TERRORIS AUDIVIMUS. Hæc non Dei verba sunt, sed Jeremiæ, qui Dei spiritu plenus, captivorum sententias & verba recitat. Judæos exhibet Propheta territos horribili subitaque voce, qua ipsorum aures feriuntur. Quæ vero illa? Sonus ruentis Jerosolymæ, ajunt aliqui, & Regni Juda eversi. Aliis vero est bellum Medorum Persarumque in Babylonios, exitiumque amplissimi istius Imperii, cujus sub ruinis conterendi Hebræi, æternamque in servitutem redigendi videbantur. Fragor, tumultus, bellum, vulnera, quibus Chaldæi & Persæ invicem feriuntur, Hebræos terrent: at ea felicitatem illis minime expectatam pariunt, Cyrus enim, superata Babylone, illos in libertatem vindicat. Postrema hæc interpretatio eo probabilior nobis videtur, quod Jeremias tota hac oratione ita loquatur, quasi Templum & Jerosolyma jam perierint, & populus Israelis ac Juda in captivitate detineatur.

℣. 6. INTERROGATE ET VIDETE SI GENERAT MASCULUS, utrum mares parturiant. Igitur ne marium est parere, & parturire? Cur Chaldæos & Babylonios parturientium habitu video? Hæc tropus sunt, quo Babyloniorum terror, & consternatio significatur, ubi sese omnibus Persarum Medorumque viribus obrutos viderint. Solet Scriptura improvisos acutosque cruciatus, partus doloribus significare.

℣. 7. VÆ QUIA MAGNA DIES ILLA! Horribilis Babyloniis dies, qua sese ex improviso visuri sunt sub alieni Principis imperio, excidium mœnibus minitantis (7), nobilissimis iis mœnibus, quibus adeo Babylon gloriatur! At eadem illa dies felicitatis tuæ, Israel, initium futura est: *Et ex ipsa salvabitur Jacob*; erit hæc constituta tuæ libertati dies. Cyrus a primo regni inter Babylonios anno potestatem Judæis fecit, ut in patriam reverterentur (8).

℣. 8. NON DOMINABUNTUR AMPLIUS EI ALIENI, scilicet *Idola*, inquit Theodoretus. Ignotos alienosque Deos deinceps non colent. Post captivitatem Judæa gens Ethnicam superstitionem nunquam amplexa est. Plerique de libertate, Christi nece nobis comparata (9), interpretantur. Profecto nemo vere dixerit, post Babylonicam captivitatem, Judæos absoluta libertate esse gavisos. Persis usque ad Alexandrum paruerunt; deinde modo Syriæ Regibus, modo Ægyptiis. Libertatem aliquam tenuere a Joanne Hircano usque ad Pom-

(1) כתב לך את כל הדברים אשר דברתי אליך (2) Jerem. xxxvi. 1. 2. (3) Hebræi, & Hebraizantes apud Hieron. præfat. in lib. 6. Comment. in Jerem. (4) Hieron. Raban. Dionys. Hugo, Est. Tir. (5) Theodoret. Thom. Sanct. (6) Septuag. Ἐπὶ Ἰσραὴλ, καὶ Ἰούδα. Heb. אל ישראל ואל יהודה (7) Berosi apud Joseph. contra Appion. l. 1. p. 1045. (8) 1. Esdr. I. 1. (9) Joan. VIII. 31. 34. Galat. IV. 31. V. 13.

Pompejum, a quo Judæa in provinciam redacta est. Judæi, ait Tacitus (1), *dum Assyrios penes, Medosque & Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium fuere. Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (& Romani procul aberant) sibi ipsi Reges imposuere.*

℣. 9. Servient Domino Deo suo, et David Regi suo. Christiani, Dæmonis servitute liberati, unum Regem Dominumque agnoscunt Deum, ejusque Messiam Christum Jesum. Terrenis idcirco Principibus parent, quod illos ceu Dei imagines, ejusque authoritate instructos venerentur. Deum in ipsis colunt; atque ita dum Principi serviunt, Deo verissime obtemperant. Christum Jesum Jeremias hic Davidis nomine innuit, quod Christus e Davidis sobole satus, atque ipse David luculentissima Servatoris imago fuerit. Iisdem ferme phrasibus utitur Ezechiel xxxvii. 24. *Et servus meus David Rex super eos.* Et capite xxxiv. 23. *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David.* Oseæ iii. 5. *Post hæc, revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum.* Arbitratur Theodoretus, hoc oraculum partim ac per figuram, & imperfecte impletum esse sub Zorobabele, absolute vero sub Jesu Christo. Grotius nonnullique Judæi ad unum Zorobabelem pertinere ajunt; refragantibus tamen priscis Judæis (2), omnibusque Interpretibus Christianis (3). Regio nomine, absolutoque gentis Imperio nunquam usus est Zorobabel.

℣. 10. Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob. Jacobi nomen usurpat, ut innuat, Tribus universas e captivitate reversuras, libertatemque ipsis concedendam non uni Judæ profuturam. Versiculos 10. & 11. non habent septuaginta Interpretes ex Editione Romana; at ferunt in Complutensi & apud Theodoretum.

℣. 11. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus: te autem non faciam in consummationem. Aliter plane atque cum cæteris tecum ago. Ubi gentibus aliis irascor, severissime in illas animadverto: at ubi te punio, severitatem clementia & modus temperant. Illas immitibus extremisque suppliciis afficio; et in te ita animadverto, ut certum ad tempus pœnam feras. Patres ferio, posteris parco. Israelem in deserto cecidi; at filios in promissam regionem induxi. Exules vos esse jussi; at soboles vestra in patriam revertetur.

Sed castigabo te in judicio, ut tibi non videaris innoxius. Punire ex æquitatis lege, non semper opponitur τῷ punire ex misericordia. Similem vidimus locum in Jeremia x. 24. *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas.* *Castigare* igitur *in judicio* sive juste, usurpatur pro, miti animadversione punire; instar patris, qui sedato animo ac ratione duce carissimum filium punit, ut meliorem efficiat. Hebræus (4) verti potest: *Castigabo te in judicio, neque te eo innoxium habebo.* Septuaginta (5): *Erudiam*, sive *puniam te in judicio; at purgans non purgabo te.* Scio contumaciori vulnere te affici, quam ut meis animadversionibus curari queas; acrioribus multo remediis opus est, ut morbus pervicacissimus pellatur. Chaldæus: *Ut doceam te in judicio misericordiæ, & perdendo non te perdam.* Explicatio hæc doctis Interpretibus nonnullis placet (6). Quædam est superioris membri repetitio. Cæteras gentes immiti lege ferio; penitus deleo: te vero non ita perdam, ut spes nulla supersit. *Castigo te ex æquitate*, nefas enim est, scelus impune esse; *at æterno exitio te non perdam.* Hæc genuina videtur loci sententia. Simillimam huic locutionem vide infra xlvi. 28.

℣. 12. Insanabilis fractura tua; pessima plaga tua. (℣. 13.) Non est qui judicet judicium tuum, ad alligandum: curationum utilitas non est tibi (7). Reddi potest Hebræus (8): *Doloris plena est fractura tua: periculosa est contritio tua.* (℣. 13.) *Non est qui judicet causam tuam, ut exprimat ulcus tuum*, saniem educturus: *Nemo tibi est, qui malagma imponat, & curet.* Duplicem eodem loco metaphoram usurpat Jeremias, alteram Judicis, alteram Medici; insontis vi oppressi, cujus causam judex nullus agit; & ægroti, vulneribus pleni, medico carentis, qui & ulcera purget, & remedia ulceribus admoveat.

℣. 14. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærunt. Ad repudiatam fœminam, a nemine expetitam, alludit; vel ad fœminam, quæ, acta inter libidines vita, ab amatoribus relinquitur atque contemnitur (9). Ea porro erat Judaicæ gentis conditio penes populos, quos ipsa olim amicitiis irretiverat, quorum & libidini obnoxiam se exhibuerat, Deos illorum sequens.

Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Hebræus (10): *Castigatione crudelis.* In te ita animadverti, ut in hostes soleo. Hoc ipsum est, quod dicitur ℣. 11. *castigare in judicio.* Populum gravi supplicio cædit: at necessario gravibus adeo morbis remedio (11). (℣. 15.) *Propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

℣. 16. Omnes qui comedunt te devorabuntur. Chaldæi, Assyrii, Ægyptii, Idumæi, cæterique qui te afflixere osores tui atque oppressores, te e calamitatibus emergente, vocabuntur, in exitium ruent. Hæc superius dictorum confirmatio est, Deum scilicet in extraneos voluntati suæ inimicos durissime animadvertere; at in populum ea quidem severitate uti, quam criminum natura & gravitas postulant, sed ita ut penitus non deleat. Hæc variis temporibus expleta luculentissime apparuere. Assyrios, infestissimos Israelis & Judæ tyrannos, Babylonii & Medi adeo oppressere, ut vel ipsum Imperii illorum nomen perierit. Chaldæorum Regnum ita a Persis eversum est, ut nunquam emerserit. Ægyptios & Persas abolevit Alexander. Judaica gens, quæ in exilio ferme extincta ac destructa videbatur, statim in lucem redit, suisque, ut ita dicam, e cineribus reparatur, ut in pristinam gloriam & opulentiam restituatur. Minas, quas hic legimus, Prophetæ passim in eas gentes pronunciavere (12).

℣. 17. Obducam cicatricem tibi. Hebræus (13): *Obducam cicatricem tuam*; vel, admovebo medicinam tibi. Septuaginta (14): *Subducam remedium a plaga tua*, quemadmodum malagma ab obducto ulcere removetur.

℣. 19. Laus vocque ludentium, canentium. Ad verbum (15): *Laus & risus*; vel, hilaris clamor, lætaque carmina, & hymni. Vide Cap. xxxi. 4.

℣. 21. Erit dux ejus ex eo. His verbis certe spectatur Christus Jesus, ex Judæis natus. Hoc sensu explicant Chaldæus, Rabbini (16), Interpretes veteres recentioresque. Qui de Zorobabele interpretantur, hunc seu Messiæ figuram spectant;

[1] Tacit. hist. lib. 5. [2] Chald. Berachoth; Jerosolym. Talmud tit. Sanhedr. Kimchi, Abarbenel. [3] Vide Calov. & Cornvig. Messific. c. 5. Interpp. passim, tam antiqui, quam recentiores. [4] ויסרתיך למשפט ונקה לא אנקך [5] Παιδεύσω σε ἐν κρίσει, καὶ καθαρίζων οὐ καθαριῶ σε. [6] Vatab. Ludov. de Dieu, Pagn. Grot. alii. [7] Quid. legunt: *Ad colligandum curationem tuam, & utilitas*, &c. [8] אנוש לשברך נחלה מכתך (13.) אין דן דינך למזור רפאות תעלה אין לך [9] Vide infra ℣. 17. [10] מכת אויב הכיתיך מוסר אכזרי [11] Hieron. hic: *Non ira voluntate, sed medicina ratione cogente.* [12] Vide Jerem. xxv. 14. Isai. xiv. 2. xxix. 19. Zach. xi. 8. Sophon. ii. [13] כי אעלה ארכה לך [14] Ἀνάξω τὸ ἴαμα σου ἀπὸ πληγῆς ὀδυνηρᾶς. [15] תודה וקול משחקים [16] Ita Chald. hic; Thalmud, Midrash Thillim in Psalm. xx. Vide Calov.

atque ita spectato nonnulla oracula, uni Jesu Christo proprie convenientia (1), aptantur.

QUIS IPSE EST, QUI APPLICET COR SUUM, UT APPROPINQUET MIHI? [℣. 22.] ET ERITIS MIHI IN POPULUM, ET EGO ERO VOBIS IN DEUM. Ubi sunt Israelitæ, qui bona voluntate instructi, fœdus meum constanter servare decreverunt? Redeant jam in patriam, quo ego illos reducam, & beneficiis cumulabo: ipsi populus mihi, ego Deus illis ero. Hoc partim expletum est reducta captivitate; at absolute completum est, ubi gentes Christo nomen dederunt (2). Hebræus (3): *Quis est hic, oppignerans cor suum, ut redeat ad me. Et ero vobis Deus, uti vos eritis mihi in populum?* Cyrus in lege pro reditu Judæorum lata, huc spectasse videtur (4): *Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso: Ascendat in Jerusalem.*

℣. 23. ECCE TURBO DOMINI . . . IN CAPITE IMPIORUM REQUIESCET; Impiorum scilicet, qui Jerosolymis erant, & flagitiis cumulum quotidie addebant; vel in Chaldæos, quorum exitium non longe aberat; sive in Judæos impios, qui Majorum flagitia auxere, cruce damnato Justo & Insonte, qui libertatem vitamque illi comparaturus advenerat (5).

---

[1] Theodoret. hic, Grot. [2] Hieron. hic: *Opere completum ex parte in Israel; ex toto, in gentium multitudine.* [3] כי הוא זה ערב את לבו לגשת אלי והיתם לי לעם [4] 1. Esdr. 1. 3.
[5] Vide Hieron. hic, & alios.

CAPUT XXXI.

Vaticinium de reditu captivorum. Israel, seu decem Tribus, non secus ac Juda, ab exilio revertentur. Flagitia sua fatetur Ephraim; ipsumque Deus ceu filium natu maximum excipit. Israelitarum felicitas post reditum. Novum fœdus. Jerosolyma restituitur.

℣. 1. IN tempore illo, dicit Dominus; Ero Deus universis cognationibus Israel, &
ipsi erunt mihi in populum. 2. Hæc dicit Dominus: Invenit gratiam in de-
serto populus, qui remanserat a gladio: vadet ad requiem suam Israel. 3. Longe
Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, mise-
rans. 4. Rursumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel, adhuc ornaberis tym-
panis tuis, & egredieris in choro ludentium. 5. Adhuc plantabis vineas in monti-
tibus Samariæ; plantabunt plantantes, & donec tempus veniat, non vindemiabunt:
6. Quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, & ascen-
damus in Sion ad Dominum Deum nostrum. 7. Quia hæc dicit Dominus: Exultate
in lætitia Jacob, & hinnite contra caput Gentium, personate, & canite, & dicite:
Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. 8. Ecce ego adducam eos de ter-
ra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus, & clau-
dus, prægnans, & pariens simul, cœtus magnus revertentium huc. 9. In fletu ve-
nient, & in misericordia reducam eos, & adducam eos per torrentes aquarum in via
recta, & non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primoge-
nitus meus est. 10. Audite verbum Domini Gentes, & annuntiate in insulis, quæ
procul sunt, & dicite: Qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum sicut
pastor gregem suum. 11. Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu
potentioris. 12. Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Do-
mini super frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum: eritque
anima eorum quasi hortus irriguus, & ultra non esurient. 13. Tunc lætabitur vir-
go in choro, juvenes, & senes simul, & convertam luctum eorum in gaudium, &
consolabor eos, & lætificabo a dolore suo. 14. Et inebriabo animam sacerdotum
pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. 15. Hæc di-
cit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plo-
rantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt. 16. Hæc dicit Do-
minus: Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi
tuo, ait Dominus; & revertentur de terra inimici. 17. Et est spes novissimis tuis,
ait Dominus, & revertentur filii ad terminos suos. 18. Audiens audivi Ephraim
transmigrantem: Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus converte
me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. 19. Postquam enim convertisti
me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus
sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. 20. Si filius hono-
rabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc re-
corda-

cordabor ejus : Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum , miserans miserebor ejus , ait Dominus. 21. Statue tibi speluncam , pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti : revertere, virgo Israel, revertere, ad civitates tuas istas. 22. Usquequo delitiis dissolveris , filia vaga ? quia creavit Dominus novum super Terram : Femina circumdabit virum . 23. Hæc dicit Domin· exercituum Deus Israel : Adhuc dicent verbum istud in terra Juda , & in urbibus ejus , cum convertero captivitatem eorum : Benedicat tibi Dominus , pulchritudo justitiæ mons sanctus:. 24. Et habitabunt in eo Judas , & omnes civitates ejus simul , agricolæ , & minantes greges. 25. Quia inebriavi animam lassam , & omnem animam esurientem saturavi. 26. Ideo quasi de somno suscitatus sum , & vidi , & somnus meus dulcis mihi. 27. Ecce dies veniunt , dicit Dominus , & seminabo domum Israel , & domum Juda semine hominum , & semine jumentorum. 28. Et sicut vigilavi super eos, ut evellerem , & demolirer , & dissiparem, & dispergerem, & affligerem: sic vigilabo super eos, ut ædificem, & plantem , ait Dominus. 29. In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. 30. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur : omnis homo , qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus : & feriam domui Israel , & domui Juda fœdus novum: 32. Non secundum pactum , quod pepigi cum patribus eorum , in die , qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Ægypti , pactum , quod irritum fecerunt , & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. 33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum , & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum . 34. Et non docebit ultra vir proximum suum , & vir fratrem suum , dicens : Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me , a minimo eorum usque ad maximum , ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum , & peccati eorum non memorabor amplius. 35. Hæc dicit Dominus , qui dat solem in lumine diei , ordinem lunæ , & stellarum in lumine noctis : qui turbat mare , & sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen illi. 36. Si defecerint leges istæ coram me , dicit Dominus: tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. 37. Hæc dicit Dominus: Si mensurari potuerint cœli sursum , & investigari fundamenta terræ deorsum, & ego abjiciam universum semen Israel, propter omnia, quæ fecernnt, dicit Dominus. 38. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli. 39. Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb, & circuibit Goatha, 40. Et omnem vallem cadaverum, & cineris, & universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, & usque ad angulum portæ equorum Orientalis, Sanctum Domini: non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.

℣. 1. IN ILLO TEMPORE, ERO DEUS UNIVERSIS COGNATIONIBUS ISRAEL. Pergit oratio , Capite xxx. instituta . Altera hæc orationis pars reditum decem Tribuum potissimum spectat . Scripta Dissertatione docuimus , non modo Judam Beniaminum & Levi , verum etiam decem Tribus in patriam rediisse . Nihil ea re luculentius in Prophetis traditur ; eamque Jeremias hic disertissime pollicetur.

℣. 2. INVENIT GRATIAM IN DESERTO POPULUS QUI REMANSERAT A GLADIO : VADET AD REQUIEM SUAM ISRAEL . Decem Tribuum reliquiæ , gladiis Assyriorum superstites, atque a Theglathphalassaro & Salmanasaro translatæ *in desertum*, scilicet in vastatas regiones , & priscis habitatoribus viduatas (1). Crimen suum fassus est Israel , veniam poposcit, impetravit, illique pollicetur Deus fore ut in patriam restituatur : *Vadet ad requiem suam*.

Nonnulli (2) hunc locum ita interpretantur : Quemadmodum gens mea , gladio Ægyptiorum subducta, meam in solitudine amicitiam nacta est, eamque in promissam regionem induxi, quamquam hostes & inviderent, & resisterent: ita Israelem e captivitate revocabo , & in patriam iterum inducam. Babylonicam libertatem interdum Prophetæ (3) sub eadem imagine atque Ægyptiacam exhibent . Prior tamen explicatio magis ad verborum sonum accedere videtur.

Septuaginta (4) multo aliter ferunt : *Inveni calidum in deserto cum perditis* , interfectis , *gladio . Pergite , & ne perditote Israelem* . Israelem in deserto mox necatum , & adhuc calidum in cadaverum congerie inveni : at ipsius adversarios removi, ac vetui ne penitus Israelem perderent . Vetus Latina Versio (5), ignorans quid esset, *Inveni calidum in deserta* , reddiderat , *Inveni lupinos*

(1) Vide 4. Regum xvii. 6. 24. & Dissertationem de regione in quam translatæ sunt decem Tribus.
(2) Sanct. Grot. Angl. (3) Isai. xi. 19. *Erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die illa, quando ascendit de terra Ægypti.* (4) Εὗρον θερμὸν ἐν ἐρήμῳ μετὰ ὀλωλότων ἐν μαχαίρᾳ. Βαδίζετε, καὶ μὴ ὀλέσητε τὸν Ἰσραήλ. (5) Hieron. hic. *Ridicule latini codices in hoc loco ambiguitate verbi græci, pro calido, lupinos interpretati sunt. Græcum enim θερμὸς, utrumque significat. Quod & ipsum non habetur in Hebræo , est enim scriptum hen, quod Aquila , Symmachus , & Theodotio χάριν , hoc est gratiam, interpretati sunt.*

nos in deserto. At Hebræus (6), Chaldæus, Syrus, Græcæ Versiones antiquæ cum Vulgata legebant: *Invenit gratiam in deserto populus*.

℣. 3. LONGE DOMINUS APPARUIT MIHI: ET IN CHARITATE PERPETUA DILEXI TE. Quereris, Ephraim, te a me negligi, meque a te recessisse (7); at nonne æterno te amore prosecutus sum? nonne assidua & constantissima benevolentiæ argumenta tibi exhibui? Hebræus (8): *A longe Dominus visus est mihi*, a longo tempore; sese majoribus meis, Patriarchis videndum præbuit; tum Moysi cæterisque patribus in deserto: qualibet ætate beneficiis me affecit: Certe, *charitate perpetua dilexi te*, ait Dominus: paterna semper benevolentia te prosecutus sum: quamobrem te educere e captivitate decrevi: *Ideo attraxi te miserans*; maro misericordiæ beneficio te liberavi. Reddi potest Hebræus (9): *Constanti amicitia te prosecutus sum; quamobrem pergam misereri*, beneficia tibi largiri, vel, misericordiam meam in te prorogabo. Vide Psalmum CVIII. 11. & XXXV. 11. Chaldæus: *Olim Deus revelatus est Patribus nostris. Propheta dic eis: Charitate perpetua dilexi vos, ideo duxi vos in benignitate*. Septuaginta (10): *Dominus procul apparuit ei: charitate sempiterna dilexi te: propterea induxi te in miserationem*.

℣. 4. ADHUC ORNABERIS TYMPANIS TUIS, cymbalis, quodam tympani genere, quod puellæ festis diebus pulsabant (11). Soluta captivitate, iterum, ut olim, in Israele celebrabuntur dies festi, ludi, choreæ, & musica instrumenta pulsabuntur.

℣. 5. ADHUC PLANTABIS VINEAS IN MONTIBUS SAMARIÆ, virgo Israel. In regionem tuam reverteris, tuosque agros coles, quemadmodum olim consueveras. Samariæ montes vini præstantia nobiles erant, teste Abimelechi historia (12); idque docent Prophetæ, dum nimiam vini licentiam passim Ephraimo exprobrant (13). Accedunt Josephus (14) & Itineraria.

PLANTABUNT PLANTANTES, ET DONEC VENIAT TEMPUS, NON VINDEMIABUNT. Hebræus ad verbum (15): *Plantabunt secure, & profanabunt*. Postrema hæc vox apud Hebræos, ubi de arboribus agitur, significat: Fructus arboris post tertium denique annum carpent, ex Legis sanctione (16): ante id tempus, fructus censebantur impuri. In patrium solum revertimini, illud coletis, atque adeo profunda ingentique ubertate ibi fruemini, ut vitibus arboribusque fructiferis commodum crescendi tempus relicturi sitis, antequam fructu utamini.

℣. 6. CLAMABUNT CUSTODES IN MONTE EPHRAIM: SURGITE, ET ASCENDAMUS IN SION. Ephraimitæ, atque e cæteris Tribubus homines ad Templum Jerosolymitanum, quemadmodum olim ante Jeroboami seditionem, confluent. Catervatim proficiscentur, atque e montium fastigiis ad imas urbes pagosque clamabunt: Sionem eamus. Excubiæ in montium jugis fuisse videntur, quæ festos dies nunciarent. Docent Judæi, post solutam captivitatem excubitores in montibus constitui consuevisse, qui visa statim nascente luna, neomeniam seu mensis initium editis vocibus clamarent.

℣. 7. HINNITE CONTRA CAPUT GENTIUM, coram gentibus, media in Babylone, cæterisque in regionibus, quo abducti estis captivi. Altis clamoribus dicite (17): *Serva, Domine, populum tuum*; vel ex Septuaginta (18): *Servavit Dominus populum suum*. In Hebræo legitur *hosa*, cui vocabulo interdum additur *na*, *hosa-na*, serva, quæso. Consueta Hebræis exclamandi forma, inter Christianas preces numerata.

℣. 8. INTER QUOS ERUNT CÆCUS ET CLAUDUS, PRÆGNANS ET PARIENS SIMUL. Certatim redibunt, nullo vel corporis vel itineris incommodo territi. Israelitarum, Babylone revertentium, studium similibus ferme verbis exhibet Isaias (19). Aliter: Vias redeuntibus adeo faciles sternam, ut cæci, claudi, gravidæque mulieres, & quæ pueros gerunt, eas nullo negotio peragrare queant.

℣. 9. IN FLETU VENIENT, ET IN MISERICORDIA REDUCAM EOS. Hoc de Judæis Babylone reversuris explicatur. Reddi potest Hebræus (20): *In fletu venerunt, & in misericordiis*, vel in *consolatione*, uti ferunt Septuaginta (21), *reducam eos*. Hanc explicationem quamplures probant (22), eaque maxime simplex videtur. Ita Psalmus CXXV. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Isaias, LXVI. 20. *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis & in quadrigis & in lecticis & in mulis & in carrucis*, &c. Baruc. V. 6. *Exierunt abs te*, Jerusalem, *pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore, sicut filios Regni*.

ADDUCAM EOS PER TORRENTES IN VIA RECTA. Vel (23). *Adducam ad torrentes aquarum, per viam rectam*. Illos in solitudine ducam, nullo erroris periculo; uberrimasque illis aquas exhibebo, ne æstus noceat: torrentes invenient, quibus sitim expleant. Eadem prædixerat Isaias (24) nobiliori verborum apparatu. Hæc, quæ ex parte solummodo in Judæis impleta sunt, absolutissimum exitum sortita sunt in iis, quos Deus ad Christi Ecclesiam prodigiis, Apostolorum exhortationibus, gratiæ suæ illecebris, & gratuito prorsus gratiæ suæ beneficio traxit.

EPHRAIM PRIMOGENITUS MEUS EST. Satis animadversum est, his promissionibus Israelem a Juda secretum, decem scilicet Tribus, spectari. Israelem ceu filium, Ephraimum loco filii natu majoris habeo. Ea benevolentia eoque amore illum prosequar, quo amantissimum ac nunquam perduellem prosequerer; ut nihilo carior Judas ipse visurus sit. *Primogenitus* pro *carissimo* usurpatur (25).

℣. 10. QUI DISPERSIT ISRAEL, CONGREGABIT EUM. Hic locus apertissime ad decem Tribus pertinet. Hac de re vide nostram Dissertationem.

℣. 12. VENIENT, ET LAUDABUNT IN MONTE SION. Nulla jam inter illos seditio aut superstitio futura est. Israel cum Juda junctus Jerosolymam confluet: uterque in Domini Templo coibunt, ut Deum laudibus celebrent & colant.

ET ULTRA NON ESURIENT. Hæc ad verbum explicari nequeunt. Quam frequens enim post captivitatem, quemadmodum olim, calamitas, inopia, fames, sterilitas? Hoc igitur vult Jeremias, Deum ea sollicitudine populo consulturum, dum is constans in fide sit, ut rebus omnibus vitæ necessariis abundet. Hebræus (26), *Nec ultra dolebunt*. Chaldæus: *Non addent ut ultra sint solliciti*.

℣. 14. INEBRIABO ANIMAM SACERDOTUM PINGUEDINE. Populus bonis affluens, atque in data Deo fide constans, religiose adeo primitias, decimas, oblationes ad Templum feret, ut Sacerdotibus abunde futurum sit, quo ipsi se & familiam alant.

(6) מצא חן במדבר עם שרידי חרב Septuag. legerunt חן סוף תם (7) Hieronym. & alii plerique. (8) מרחוק יהוה נראה לי ואהבת עולם אהבתיך (9) על כן משכתיך חסד (10) Κύριος πόῤῥωθεν ὤφθη αὐτῷ· ἀγάπησιν αἰωνίαν ἠγάπησά σε. Διὰ τοῦτο εἵλκυσά σε εἰς οἰκτίρημα. (11) Exod. XV. 20. Judic. X. 34. Judith III. 10. 1. Macc. IX. 39. (12) Judic. IX. 27. (13) Isai. XXVIII. 1. Osee X. 1. & seq. (14) Joseph. de Bello lib. 5. cap. 2. (15) נטעו נטעים וחללו (16) Levit. XIX. 23. & Deut. XX. 6. (17) הושע יהוה את עמך (18) Ἔσωσε Κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ. Ita & Chald. (19) Isai. XXXV. 5. 6. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet quasi cervus claudus*, &c. (20) בבכי יבאו ובתחנונים אובילם (21) Ἐν κλαυθμῷ ἐξῆλθον, καὶ ἐν παρακλήσει ἀνάξω αὐτούς. (22) Chald. Grot. Vat. Theodor. (23) אוליכם אל נחלי מים בדרך ישר (24) Isai. XXXV. 7. XLI. 18. XLIX. 10. (25) Chald. Grot. Vat. Menoch. (26) ולא יוסיפו לדאבה עוד

alant. Servatis Dei Legibus, Sacerdotum conditio nedum nobilissima & honestissima, verum etiam opulentissima & suavissima omnium erat. Gens nulla Sacerdotes habebat numero frequentiores, quam Hebræi, aut locupletiores, aut pluris æstimatos, vel authoritate opibusque florentiores, eodemque tempore minus populo graves, Legislatoris sapientia, qui nullo patrimonio illis dato, censum tum certum tum fortuitum illis tribuebat, dantibus minime molestum, at accipientibus amplissimum.

℣. 15. VOX IN EXCELSIS AUDITA EST . . . RACHEL PLORANTIS FILIOS SUOS, ET NOLENTIS CONSOLARI SUPER EIS, QUIA NON SUNT. Rachel Josephum & Beniaminum peperit; gemini fuere Josepho filii, Ephraim & Manasses, qui a Jacobo adoptati, & filiorum loco habiti, æquam cum cæteris promissæ regionis partem sortiti sunt. Ephraim, sive Joseph frequenter pro decem Tribubus usurpantur. Rachel igitur filiorum jacturam flevit, cum decem Tribus captivæ abducerentur. Quoddam hic prosopopœjæ genus agit Propheta, matrem exhibens, filiorum jactura mœstissimam, quæ in loca editissima ascendens, in questus & clamores erumpit. Quæ sequuntur, huic explicationi favent. Rachelem, mœrentem matrem, solatur Deus, ac flere vetat; filios denique ex hostili regione reversuros ℣℣. 16. & 17. Hæc luculentissime ad decem Tribus pertinent; atque hunc locum legenti hæc statim explicatio occurrit. Hanc doctissimi Interpretes secuti sunt (27).

Alii (28) de Beniamino, qui alter filius Rachelis est, interpretantur. Illum Nabuzardan, unus e Nabuchodonosoris Ducibus, una cum Juda Babylonem duxit; ac diserte animadvertit Scriptura (29), captivos *Rama* ductos esse, parva Benjamitarum urbe (30), cum ex ea remissus sit Jeremias. Adde, quod Rachel prope Betbleem, in Tribu Juda, non longe a Rama, sepulta esset. Rachelem igitur exhibet Jeremias plorantem *in Rama*, sive in locis editissimis. Benjaminum in alienas regiones translatum queritur.

At nullam hic Beniamini, sed Ephraimi mentionem fieri, nullo negotio agnoscitur. Plures erant hujus nominis urbes, tum in Ephraimo, tum in Juda, non secus atque in Beniamino. Cur vero Rachelem *Ramæ* potius quam alibi flentem inducit? Idcirco, inquiunt, quod Nabuzardan, captivos Babylonem agens, *Rama* transierit; quasi nullus, præter Ramam Beniamin, locus Rama nomine transitum illi dare potuerit. An non illi patebat *Ramah* seu *Ramatha* in montibus Ephraim, patria Samuelis? Quis præterea docuit, Hebraicam vocem *Ramah* nonnisi pro urbis nomine posse usurpari? Si Hieronymus aliique innumeri pro appellativo, editum locum significante, usurpavere.

Censuere nonnulli (31), Rachelem filios lugere in bello adversus Beniamitas gesto, ob stuprum uxori Levitæ a Gabaitis illato (32). Qui vero nexus vaticiniis de reditu Ephraimi e captivitate, cum expeditione in Beniamitas? Aptius certe Rachelis questus ad suprema bella, sive ad Beniamini vel Ephraimi captivitatem referuntur. Recitat S. Hieronymus quorumdam Judæorum opinionem, qui de captivis in suprema per Romanos Jerosolymæ obsidione actis interpretantur; sive de Adriani persecutione in Judæos, per quam in nundinis Terebinthi, ad Hebronem, innumeri Judæi venumdati fuere. Hæ tamen sententiæ parum firmitatis habent, ut eas quis amplectatur. De re gesta hic agere videtur Jeremias; quamobrem de captivitate decem Tribuum sub Salmanasaro intelligendus est.

Hunc locum S. Matthæus (33) de cæde infantium, Herodis jussu in oppido Bethleem ejusque finibus patrata explicat. Quamobrem Interpretum multi hanc explicationem amplexi sunt (34); eamque summo obsequio non prosequi, nefas ducendum est. At minime idcirco vetamur, historicum aliud ac literale argumentum in iisdem Jeremiæ verbis intueri. Idem enim vaticinium, eadem narratio, res, verba duplicem explicationem admittunt, variisque rebus aptari queunt (35). Rachelis dolor ob filiorum captivitatem sub Assyriis, quæ captivitas ceu res elapsa ab Jeremia spectatur, in Beniamini captivitate, & supremo Judæorum per Romanos excidio, atque antea in puerorum cæde recruduit. S. vero Matthæus, cum Jeremiæ oraculum ea cæde impletum esse ait, illud solummodo vult, eo scelere exhibitam esse ejus rei imaginem, quam Jeremias descripsit, eamque cædem spectatam fuisse potissimum ab Jeremia, Prophetæ verba ita moderante Spiritu Sancto, ut rem sub Herode gestam describeret.

NOLUIT CONSOLARI, QUIA NON SUNT. Filiorum exilium loco necis habet; eosque ita deflet, quasi æterna sibi sit illorum jactura. Videas passim in Prophetis similes huic locutiones, quibus infortunia, captivitas, morbus nomine mortis, sepulcri, exitii, interitus significantur.

℣. 16. EST MERCES OPERI TUO. Tuis denique lacrymis tuoque mœrore flectitur Deus: filios tibi restituet. Reddi Hebræus potest (36): *est merces operi tuo*, vel labori tuo, quemadmodum operis merces sua singulis diebus reddi solebat, Lege ita sanciente (37). Rachelem igitur monet Deus: Desine jam flere: laboris tui finis venit, tuaque jam merces tibi reddenda quamprimum est. Neque diu cessatura sunt quæ tibi polliceor: adsunt, uti merces operæ, quæ statim nullaque mora exhibetur. Annorum seu dierum mercenariæ operæ frequenter meminit Scriptura, ut certum tempus, anxie expectatum, significet (38). De captivitatis exitu agens, his verbis utitur bis Isaias (39): *Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.*

℣. 18. AUDIENS AUDIVI EPHRAIM TRANSMIGRANTEM: CASTIGASTI ME, DOMINE, ajebat, ET ERUDITUS SUM. Decem Tribus, diu spretis Dei minis monitisque, denique resipuerunt, ubi durissimam captivitatem expertæ sunt. Relicta tunc superbia, in luctus mœroremque abjerunt: *Castigasti me, Domine*, malis, quibus obruor; tuisque monitis denique aures præbui: diu minitatus es; at aliquando tandem me domuisti, meque jugo subdidisti, ceu taurum juventa viribusque ferocientem, & vicinos cornu ferientem. Chaldæus negantem particulam addit: *Induxisti super nos correptiones, nec edocti sumus, quasi juvenculus indomitus; nunc autem converte nos ad cultum tuum, & convertemur.* S. Chrysostomus (40) ac Theodoretus eodem modo legunt apud Septuaginta: Hebræus tamen, ipsique septuaginta Interpretes in nostris Editionibus ea particula carent. Confer cum his Osee VI. 1. 2. 3. 4. XIV. 3. 4. 5. ubi questus Israelis captivi leguntur.

CONVERTE ME, ET CONVERTAR. Possum quidem me

(27) Hieron. hic: *Cum perspicue de decem tribubus scriptum sit, quarum princeps non fuit Ephrata, & nequaquam sit in tribu Ephraim, sed in tribu Juda.* Vide Raban. Castr. Mald. Vatab. Muis, prolog. in Psal. LXXVIII.
(28) Chald. Grot. Castal. Sanct. Tir. alii.
(29) Jerem. XL. 1.
(30) Josue XVIII. 25.
(31) Origen. homil. 3. in diversos; Author quæst. novi, & veter. Testam. qu. 62. Hugo hic.
(32) Judic. XX.
(33) Matt. II. 18. *Vox in Rama audita est, &c.*
(34) Theodoret. Lyr. Sanct. Cornel. alii.
(35) Vide Sanctium in hunc locum, n. 36. & Maldon. & Salmeron. prolog. 15. Regula 50.
(36) כי יש שכר לפעלתך
(37) Levit. XIX. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Tob. IV. 15. *Merces mercenarii tui apud te omnino non permaneat.*
(38) Vide Job VII. 1. 2. & XIV. 2. *Sicut mercenarii dies ejus.* Isai. XVI. 14.
(39) Isai. XL. 10. LXII. 11.
(40) Chrysost. tom 6. Sermone, eumdem esse Deum vet. & nov. Testam. Et Theodoret. hic: Ἐπαίδευσάς με, κύριε, καὶ οὐκ ἐπαιδεύθην. Ὥσπερ μόσχος οὐκ ἐδιδάχθην.

me in exitium impellere, errare possum, absque te, o Deus: at nisi gratia tua prævenerit, meæque infirmitati ac libertati opem ferat, converti atque ad te redire non possum (41). Aliter (42): *Revoca me*, Deus, e captivitate, *& revertar* (43). Unus tu nostris nos ærumnis liberare potes. Ubi durissima hac servitute me liberaveris, serio resipiscam: (℣. 19.) *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*. Vel ex Septuaginta (44): *Post captivitatem meam, pœnitentiam egi* flagitiorum. Idem hoc dixit superiori versiculo, Ephraimum scilicet ad meliorem frugem rediisse, suaque flagitia fassum, ubi datus est in hostium potestatem. Aptissima literæ videtur hæc interpretatio, eamque admittit Hebræus (45). Quæ vulgo probatur, ea etiam nobilissima & solidissima est: *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam*. Servatoris enim gratia voluntatem parat, facitque, ut libere ac sponte ad Deum feratur (46). Nihil illa nobis reluctantibus agere potest; at nos illius ope destituti nihil æterna vita dignum præstare possumus: opus est, assiduis precibus Deum sollicitare, ut ipsum velle ac bene agere largiatur, juvet auxilio, ut optime decernamus, & ea quæ Ipse imperat, expleamus (47): *Da quod jubes, & jube quod vis.*

℣. 19. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, subita trepidatione ac dolore occupatus. Is hominis gestus est, improviso infortunio affecti. Imperat Ezechieli Deus, ut populi calamitatem lugeat, & *plaudat super femur* (48). Achilles ignem Græcorum navibus injectum intuens, percusso femore Patroclum urget, ut statim ad opem Græcis ferendam advolet (49). Cyrus, intellecta Abradati nece, femur percutit, conscensoque statim equo ad illius funus proficiscitur (50). Narrat Philo in Flaccum scribens, hunc, ubi in Insulam Andion, locum exilii, venit, questum egisse, femore percutientem. Hoc doloris indicium Cicero inter ea numerat, quæ minime sibi probantur (51): *Sunt varia & detestabilia genera lugendi, pædores, mulieribus lacerationes genarum, pectoris, femorum, capitis percussiones*. Ovidius (52):

. . . : *Femur mœrenti plangere dextra.*

Sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, juventutis meę flagitia, superstitionem, in quam meę seditionis initio me impulit Jeroboam, quo tempore ego roboris plenus tibi obtemperare, tuisque, o Deus, legibus collum subdere detrectabam.

℣. 20. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Nonne carissimus mihi filius Ephraim? Nunquam illius obliviscar. Adeo effuse illum amo & colo, ut de eo loqui desinere nequeam: illum frequenter oratione usurpo, cum semper illum mente & animo feram. Hebręus (53): *Nonne pretiosus mihi* filius *Ephraim*? nonne carissimus? *nonne filius deliciarum*, quem in deliciis habeo? *Quoniam postquam verbum meum in ea est*, illum alloquor, neque is audit, *recordabor semper illius*: Vel: Quamvis severissimis illum suppliciis subjecerim, at omnem illius memoriam non abjeci. Inter maxima illius flagitia, ipsaque in captivitate, summa illum benevolentia & amore semper prosequutus sum.

℣. 21. Statue tibi speculam; pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam. Sententia est obscurissima. Triplex vero explicatio illi aptatur. Jeremias Israelitas decem Tribuum alloquitur, sub puellę imagine: *Revertere, virgo Israel*; jubet *editum monumentum* in montium jugis sibi statuere, ut elapsa crimina ibi fleat, pane *amaritudinis* vesci, more eorum, qui pœnitentiam & luctum agunt; serio resipiscere, animum *rectum facere*, atque *in vias rectas* reducere, quas vias olim sequebatur, antequam a Juda desciscerет, ac gentium Deos sequeretur. Flagitiis ita expiatis, in urbes tuas reverteris: *Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas*.

Altera interpretatio est: *Statue monumenta in editis locis*, ut ibi signa pones, quę iter in desertis indicent: *annonam para in itineris usus* (54): *revoca memoriam viæ, quam olim tenuisti*, cum in captivitatem rapereris, ut eamdem revertens teneas: *revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas*. Priorem magis probo. Hebręus reddi ad verbum potest (55): *Statue tibi sepulcra* (56), virgo Israel; *luctum amarum age* (57); *vias olim a te frequentatas serio meditare*: tum *revertere, virgo Israel, revertere in civitates tuas*. Pristina scelera tua lacrymis dele; sepulcra tuis amatoribus pone, atque in patriam revertere; sive, luctum adeo amarum age, quasi aliquis e familia tua obierit, struendoque illi tumulo occupetis.

Denique vertitur (58): *Statue tibi tumulos* ex humo seu lapidibus in via; *pone tibi altos cumulos* (59): *animo evolve viam, quam olim secuta es*; futurum enim est, ut tibi dicam: *Revertere in civitates tuas*. Vide ut bene memineris vię, per quam ducta es; eamdem enim sequi opus erit, cum in patriam redieris.

℣. 22. Quousque deliciis dissolveris, filia vaga! Quousque reverti cessabis? cur ea omnia, quibus in exilii loco detineris, non relinquis? Statim in patriam redi. Hebræus (60): *Usquequo te vertes huc & illuc, filia rebellis*? Vel: *Quousque vagaberis, filia* vaga & refractaria? An nondum tempus est, ut ad Deum redeas? Quamquam repetendæ patriæ potestas facta a Cyro Judæis fuerat, non iis modo qui ex Juda erant, sed qui ex Israele; pauci tamen, præsertim e decem Tribubus, fuere, qui statim iter susciperent. Cæteri lentius, ac per varias turmas variis temporibus profecti sunt. Hos igitur cessantes arguit Jeremias. Imperat, ut mortuos humi condant, ingens iis funus agant, ac discedant, scilicet, malas animi cupiditates, & quicquid in ea regione carissimum habent, penitus abjiciant, in patriam atque in Dei sui Templum certatim convolaturi.

Quia creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum. Patres & Christiani Interpretes vulgo de Christi Incarnatione hunc locum explicant. Maria Deipara, divinitus fœcunda ac prodigio parens, nullo prius aut deinceps exemplo, *circumdat virum*, Christum scilicet, qui pueri sub forma, Patris virtus & sapientia est, *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ* (61). Nonnulli etiam Judæi (62) hanc locutionem, *Femina cir-*

---

(41) Aug. Sanct. Titin. (42) השיבני ואשובה [18.] כי אחרי שובי נחמתי (43) Theodoret Grot. Castel. Pisc. (44) Ὅτι ὕστερον αἰχμαλωσίας μου, μετενόησα. (41) Sumpta שבי, pro שבי *captivitas*, ex שבה (46) Hieronym. hic: *Vide quantum sit auxilium Dei, & quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, nequaquam implere valeamus.* (47) Augustin. Confess. lib x. c. 19. & cap. 31. & cap. 37. (48) Ezech xxi. 12. (49) Homer. Iliad. a. seu xvi. (50) Xenophon, Cyropæd. lib. 7. (51) Cicero Tuscul. quæst. lib. 3. Vide eumd. in Bruto. (52) Ovid. xi. Metamorph. (53) הבן יקיר לי אפרים אם ילד שעשועים כי מדי דברי בו זכר אזכרנו עוד (54) Heb. שמי לך תמרורים Symm. *Pone tibi transmutationes*, quasi ex מרה *Mutavit*. (55) הציבי לך ציונים שמי לך תמרורים שתי לבך למסלה דרך הלכתי : שובי בתולה ישראל שובי אל עריך אלה (56) ציון est sepulcrum 4. Reg. xxiii. 17. & Ezech. xxxix. 15. (57) Jerem. vi. 26. מספד תמרורים Jerem. xxxi. 15. בכי תמרורים (55) Grot. Vatab. Mont. Pagn. (59) Vide Dan. viii. 7. xi. 11. התמרמר pro *Elevari*. (60) עד מתי תתחמקין הבת השובבה Septuag. Ἕως πότε ἀποστρέψεις θυγάτηρ ἠτιμωμένη. (61) Heb. i. 3. (62) Vide Grot. hic; Galat. lib. 7. cap. 14. Castr.

circumdabit virum, de Messia interpretantur: at recentiores Interpretes (63) quamplures aliter explicant: *Novam rem facturus est Deus: Ambibit femina virum* in matrimonium. Idque cum superioribus jungendum est: Quousque vagaberis, filia sefractaria? *Revertere in civitates tuas*, tua e gente viris nubito, Israelitis: teque illis uxorem exhibere ne verearis. Insolitam novamque rem in Judæa gesturus est Deus: feminæ viros ambient & quærent, Ferme uti Ruth Boozum (64), & illæ, quarum meminit Isaias IV. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum*, dicentque: vestimenta cibosque nobis ipsæ comparabimus, illud solummodo postulamus, ut uxores tuæ dicamur: aufer sterilitatis & cælibatus probrum. Denique, veluti Sponsa in Canticis VIII. 1. 2. obvium cupit amatum, ut ipsum in conclave inducat: *Apprehendam eum, & ducam in domum matris meæ*. Reversis in Judæam captivis, non pudebit feminam, neque probrosum erit, si ea virum quærat. Nulla inter feminas futura est, quæ felicissima ea ætate matris nomen non optet, novosque Deo servos, cives Reipublicæ, liberos viro, familiæ hæredes edere non cupiat; quæ certe ætas alia futura est, quam ea, qua matres inter infortunia & captivitatis ærumnas fœcunditate mœrebant, ac sese captivorum servorumque, aut miserrimorum hominum, gladio, fame aut peste coram parentibus voratorum, matres esse querebantur. Jam non, ut olim, viri uxores ambient atque ement: ipsæ ultro uxores sese offerent, nullis muneribus nulloque pretio sollicitatæ. His autem locutionibus id, quod vulgo fit, significatur; commodissima scilicet futura esse conjugia, neque viros feminasque deinceps innuptas fore, quemadmodum inter Judææ calamitates usuveniebat, cum tumultus, infortunia, captivitas populum undique terrerent. Porro in ea regione ac gente, quæ plures uxores patiebatur, uxoresque ferme uti ancillas emebat, neque mirum neque probrosum, uti apud nos, erat, si qua mulier sese viro alicui uxorem exhiberet.

Censent nonnulli (65), feminam, quæ circumdat virum, Synagogam esse, quæ Deum quærit, atque ad ipsum post diuturnos errores revertitur. Quæ præcessere, magnopere huic explicationi favent: *Quousque vagaberis, filia rebellis?* Chaldæus: *Quousque te obfirmas, ne redeas, cœtus cujus aversiones sunt multæ? Creavit Dominus prodigium super terram: populus domus Israel incumbet Legi*. Septuaginta (66): *Quoniam creavit Dominus salutem in plantatione nova: in salute circuibunt homines*. Theodoretus de Apostolis interpretatur, omnes terrarum plagas peragrantibus, ut salutis verbum ad Ethnicos ferrent; ad novum plantarium, quod in Christiana Ecclesia conseverunt. S. Athanasius (67) ad Christi Incarnationem refert. Aquila (68): *Creavit Dominus novum in femina*. Theodotio: *Creavit Dominus salutem novam: in salute circuibit homo*. Hæc verba obscurissimam sententiam reddunt.

℣. 23. BENEDICAT TIBI DOMINUS, PULCRITUDO JUSTITIÆ, MONS SANCTUS. Israelitæ ad Jerosolymitanum Templum confluent, sanctamque urbem ac Templum restitutum intuentes, mille lætitiæ vocibus dicent: Beata esto, sedes Dei justitiæ: amicus tibi arrideat Deus, mons sancte.

℣. 24. JUDAS, ET OMNES CIVITATES EJUS ad montem sanctum confluent; vel, Juda Tribus universa, urbes omnes civesque Jerosolymam convenient. Ampla adeo hæc futura est, ut sufficiens universis Tribubus per solemnes dies domicilium præbeat.

℣. 26. IDEO QUASI DE SOMNO SUSCITATUS SUM. Propheta somno experrectus, suavissimum animo solatium ex jucundissimis promissionibus cepit (69). Hic superioris orationis est finis.

℣. 29. NON DICENT ULTRA: PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM, &c. Filius paterni sceleris pœnas non luet, sed suum unusquisque. Hoc frequenter querebantur Judæi, ac proverbii loco usurpabant. Vide quæ diximus in *Ezech.* XVIII. 22. *Thren.* V. 7. Nunquam in posterum majorum, qui ante captivitatem vixere, crimina vobis objiciam, neque superstitionis Achabi, Achaz, Manassis, Amonis, aliorumque, pœna vos iterum obruam. Hæc jam antiquata sunt; vestraque flagitia captivitate, ceu diluvio, mersa sunt.

℣. 31. FERIAM DOMUI ISRAEL, ET DOMUI JUDA FOEDUS NOVUM. Peribit seditio, qua decem Tribus ab Juda secernebantur, omnes in unum conciliabo, ut non duæ imposterum, sed una gens sint. Rem eamdem vidit Ezechiel (70), sub duplicis ligni in unum conflati imagine exhibitam. Promissionem hanc Apostolus (71) ad primum servatoris adventum, novumque Fœdus cum hominibus initum, ipsiusque cruore signatum, refert. Recitatis enim versiculis 31. 32 33. 34. hujus Capitis, ex fide Septuaginta subdit: *Dicendo autem Novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est*. Ex iis quæ sequentur, deinceps constabit, hoc unum esse, quod vult Propheta; omniumque harum promissionum amplitudinem intra unum captivitatis exitum minime claudi; fœdus enim eum reductis e captivitate Judæis a Deo initum, neque novum erat neque æternum; ac miserrima conditio, sub qua tam multis ab hinc sæculis Judæi gemunt, cum amplissimis hujus loci promissionibus minime convenit. Harum igitur fides in Christiana Ecclesia Novoque Testamento quærenda est.

℣. 32. ET EGO DOMINATUS SUM EORUM: illos heri severissimi more excruciavi. Meo in illos jure usus sum, atque ceu in rebelles servos animadverti. Hebræus reddi potest (72): *inutile effecerunt* seu profanavere *fœdus meum*, quod cum ipsis feci, *& ego maritus eorum mansi*. Quamvis illos quodammodo uxorum loco habuerim, summaque benevolentia prosecutus fuerim, me tamen dereliquere. Septuaginta & S. Paulus (73): *Non manserunt in testamento meo, & ego neglexi eos*.

℣. 33. DABO LEGEM MEAM IN VISCERIBUS EORUM. Dociliores, modestiores constantioresque in Dei obsequio fuere post captivitatem Judæi, quam antea fuerint; neque enim deinceps, uti olim, superstitio, Numinum cultus & impietas grassatæ sunt. At vere ne Dei Lex in illorum animis scripta fuisse dici potest? Nonne lapideo semper animo fuere, quemadmodum adhuc sunt; Legemque in lapide scriptam, servilem fidem, obsequium ad utilitatis leges temperatum prætulere? quam pravi apud illos mores, perversaque Legis explicatio, cum inter Judæos Christus fuit? Fatendum igitur est, omnem vaticinii fidem sub novo Fœdere fuisse completam, quod Fœdus veros in spiritu & veritate cultores instituit.

℣. 34. NON DOCEBIT ULTRA VIR PROXIMUM SUUM. Unusquisque lapso cœlitus Spiritu docebitur. Deus ipse illos instituet (74): *Erunt omnes docibiles Dei*. Id in Apostolis luculentissime patuit, qui nulla magistrorum ac studii ope, tam sublimia didicere. Quotidiana etiam docet Ecclesiæ experientia, apud quam humiles ac fideles ita luculenter Spiritu Sancto implentur.

℣. 36.

(63) Grot. Castal. Vide & Sanct. num. 67. & Oleast. Proœm. Genes. Can. 4. (64) Ruth. III. 9. (65) Sanct. & Oleast. loc. sup. citat. (66) Ὅτι ἔκτισε κύριος σωτηρίαν εἰς καταφύτευσιν καινὴν, ἐν σωτηρίᾳ περιελεύσονται ἄνθρωποι. (67) Athanas. exposit. fidei, & orat. 2. contra Arianos. (68) Aqu. apud Athanas. exposit. fidei num. 3. (69) Chald. Vat. Grot. Menoch. alii. (70) Ezech. XXXVII. 16. 17. (71) Heb. VIII. 8. 9. & seq. (72) אשר המה הפרו את בריתי ואנכי בעלתי בם (73) Ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, & ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. Legunt געלתי pro בעלתי (74) Joan. VI. 45. Isai. LIV. 13. Vide S. August. de Spiritu, & litera, cap. 19.

℣. 36. SI DEFECERINT LEGES ISTÆ CORAM ME, DICIT DOMINUS, TUNC ET SEMEN ISRAEL DEFICIET. Quemadmodum fieri nequit, ut hæ leges apud me deficiant, ita Israelis sobolem populus esse nunquam cessabit. Deficieat prius solis ac lunæ cursus, & motus astrorum ac maris, quam Israelitica gens ad earum gentium, quæ periere, conditionem redigatur; quales sunt Chananæi, Hevæi, Amorrhæi, quorum vel ipsum nomen interiit. Minitatus fuerat Ephraimo Deus ante captivitatem fore, *ut desineret esse populus* (75). Id expletum tamdiu est, quamdiu decem Tribus in Assyriorum Imperio dissipatæ erravere. Illos Deus immensarum virium suarum prodigio colligit, atque in patriam restituit; gentemque & numero & opibus florentissimam reddit, ac pollicetur futurum, ut temporum ordo & cursus astrorum potius invertatur, quam ipsi intereant: ipsos tamen ab annis mille & septingentis adeo dissipatos cernimus, ut ipsorum gens existere, aut sedem certo aliquo in loco habere, dici nequeat. Hæc igitur promissa ad Judæos minime pertinent; aliamque gentem spectabant, Judæis substitutam, eorumque dignitatis ac promissionum hæredem; Christi scilicet Ecclesiam, in lapide inconcusso conditam, æternaque diuturnitate fruituram.

℣. 37. SI MENSURARI POTERUNT CÆLI SURSUM, ET INVESTIGARI FUNDAMENTA TERRÆ DEORSUM, EGO ABJICIAM UNIVERSUM SEMEN ISRAEL. Fieri prius poterit, ut mortales cœli sublimitatem, ac terræ altitudinem metiantur, quam universam Israelis sobolem ego deseram. Duo hæc ponit Jeremias, velut ea quæ vires hominum superant, cœli sublimitatem metiri, ac terræ altitudinem rimari; quamquam nostra ætate Mathematici utrumque & audent & se explent. Aliud tamen est, posita re aliqua, ceu principio, numeros inde colligere; aliud certo atque ab experientia nosse. Hoc profecto humanas vires in utraque hac re omnino superat; atque hoc ipsum est, quod vult Jeremias. Hujus enim ætate ignotissima prorsus erant studia Philosophiæ, Geometriæ, ac Mathematicæ disciplinæ. Ait futurum, ut universam Israelis gentem minime abjiciat: partem igitur abjecturus est. Multi revera ex Judæis, datis Christo nominibus, Evangelium amplexi sunt: multo plurimi sub sæculorum exitum, gentium plenitudine intra Ecclesiam admissa (76), resipiscent: ceteri omnes abjiciuntur. Septuaginta (77): *Si elevatum fuerit cælum in sublime, & si humiliatum fuerit pavimentum terræ deorsum, & ego non reprobabo genus Israelis*. Quemadmodum fieri non potest, ut Cœlum in sublimiorem locum feratur, ac tellus in humiliorem, ita nihil me impellet, ut Israelem destituam (78).

℣. 38. A TURRE HANANEEL, USQUE AD PORTAM ANGULI. Turris Hananeelis a porta gregis centum cubitis aberat (79). Hanc jacuisse putamus circa angulum septemtrionalem muri ad occidentem procurrentis, non longe a porta piscium. Porta anguli in opposita parte ad meridiem patebat.

℣. 39. SUPER COLLEM GAREB, ET CIRCUIBIT GOATHA. Gareb & Goatha loca sunt circa Jerosolymam, ignoti situs.

℣. 40. OMNEM VALLEM CADAVERUM, scilicet vallem Hinnom seu Ennom, quæ post supremam Jerosolymæ obsidionem, vel fortasse postquam a Josia profanata est, injectis rebus impuris, *vallis cadaverum* appellata est. Bis prædixerat Jeremias (80), eam vallem in posterum minime appellandam fore Topheth, seu vallem Ennom, sed *occisionis*. Revera jam ante captivitatem conversa fuisse videtur in totius urbis cloacam (81).

ET CINERIS, ET UNIVERSAM REGIONEM MORTIS, USQUE AD TORRENTEM CEDRON. Eamdem vallem *Ennom* variis sub nominibus describit. *Vallis cadaverum*; quo morticina projiciebantur; *vallis cineris*, quod inutiles cineres, & urbis sordes eo inferrentur, æternusque, ut ajunt, ignis, cremandis cadaveribus rebusque immundissimis ac fœtidis, aleretur; denique *regio mortis*, quod in ea valle vilissimum vulgus & advenæ conderentur (82). Hæc secus torrentem Cedron porrigebatur. Prædicit Jeremias, omnia ea loca post captivitatem domibus incolisque frequentatum iri; pluresque post annos eamdem rem vaticinatus est Zacharias (83). Auctam narrat Josephus variis accessionibus ex ea parte Jerosolymam, sub Macchabæis (84). Pro *regione mortis*, Hebræus legit *asurmoth*, vel *asermoth* (85); Chaldæus, *aquæductus*; Aquila, *vallem suburbanorum*, sive arvorum circa urbem.

SANCTUM DOMINI NON EVELLETUR. Templum non destruetur, quemadmodum sub Nabuchodonosore contigit. Cum Templi excidium sub Romanis viderimus, ubi hujus oraculi fides? Necesse igitur est Christi Ecclesiam hoc loco spectari, quam a portis inferi minime superanda fore, pollicitus est Christus (86), atque invitis diaboli, Principum, hæreticorum, impiorumque conatibus, elapsa jam decem & septem sæculorum series æternam immutabilemque firmitatem promittit.

---

(75) Isai. VII. 8. (76) Rom. XI. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* (77) Ἐὰν ὑψωθῇ ὁ οὐρανὸς εἰς τὸ μετέωρον, καὶ ἐὰν ταπεινωθῇ τὸ ἔδαφος τῆς γῆς κάτω, καὶ ἐγὼ οὐκ ἀποδοκιμῶ τὸ γένος Ἰσραήλ. (78) Ita Theodoret. (79) 2. Esdr. III. 1. & XII. 38. Is portam Emath collocat inter turrim Hananeelis, & portam gregis. (80) Jerem. XIX. 6. *Non vocabitur amplius locus iste Thophet, & vallis filii Ennom, sed vallis occisionis*. Ita & c. VII. 32. (81) Vide 4. Reg. XXIII. 8. 10. & Jerem. XIX. 11. 12. 13. (82) Vide 4. Reg. XXIII. 6. (83) Zach. XIV. 4. &c. (84) Joseph. de Bello lib. 6. c. 6. p. 918. (85) השרמות Ita & Septuag. Ἀσαρημώθ. Aqu. Προάστειον. (86) Matt. XVI. 18.

CAPUT XXXII.

Jerosolymæ obsidio. Jeremias in carceris vestibulo detentus, agrum hominis sanguine propinqui emit: tabulas scribit, ac Barucho tradit custodiendas; ut innueret, eam regionem olim in libertatem vindicatum iri, ac populum e captivitate reversurum. Populi sui peccata fatetur Jeremias. Jerosolymæ excidium, novumque fœdus cum Israele feriendum prædicit Deus.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, in anno decimo Sedeciæ
regis Juda: ipse est annus decimus octavus Nabuchodonosor. 2. Tunc
exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem, & Jeremias propheta erat clausus in
atrio

atrio carceris, qui erat in domo regis Juda. 3. Clauserat enim eum Sedecias rex Juda, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis, & capiet eam? 4. Et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum, sed tradetur in manus regis Babylonis, & loquetur os ejus cum ore illius, & oculi ejus oculos illius videbunt. 5. Et in Babylonem ducet Sedeciam, & ibi erit, donec visitem eum, ait Dominus; si autem dimicaveritis adversum Chaldæos, nihil prosperum habebitis. 6. Et dixit Jeremias: Factum est verbum Domini ad me dicens: 7. Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate, ut emas. 8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, & ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in Terra Benjamin, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, ut possideas. Intellexi autem, quod verbum Domini esset. 9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth, & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos. 10. Et scripsi in libro, & signavi, & adhibui testes, & appendi argentum in statera. 11. Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus. 12. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Naasiæ, in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Judæorum, qui sedebant in atrio carceris. 13. Et præcepi Baruch coram eis dicens. 14. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis. 15. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista. 16. Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens: 17. Heu, heu, heu, Domine Deus; ecce tu fecisti cœlum, & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum. 18. Qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. 19. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum ejus. 20. Qui posuisti signa, & portenta in Terra Ægypti usque ad diem hanc, & in Israel, & in hominibus, & fecisti tibi nomen, sicut est dies hæc. 21. Et eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, & in portentis, & in manu robusta, & in brachio extento, & in terrore magno. 22. Et dedisti eis terram hanc, quam jurasti patribus eorum, ut dares eis terram fluentem lacte, & melle. 23. Et ingressi sunt, & possederunt eam, & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt; omnia, quæ mandasti eis, ut facerent, non fecerunt, & evenerunt eis omnia mala hæc. 24. Ecce munitiones extructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur, & urbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur adversus eam, a facie gladii, & famis, & pestilentiæ, & quæcumque locutus es, acciderunt, ut tu ipse cernis. 25. Et tu dicis mihi, Domine Deus: Eme agrum argento, & adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldæorum? 26. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 27. Ecce ego Dominus Deus universæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum? 28. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus Regis Babylonis, & capient eam. 29. Et venient Chaldæi præliantes adversum urbem hanc, & succendent eam igni, & comburent eam, & domos, in quarum domatibus sacrificabant Baal, & libabant diis alienis libamina ad irritandum me. 30. Erant enim filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua, filii Israel, qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus. 31. Quia in furore, & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, à die qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo. 32. Propter malitiam filiorum Israel, & filiorum Juda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi, & reges eorum, principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, viri Juda, & habitatores Jerusalem: 33. Et verterunt ad me terga, & non facies, cum docerem eos diluculo, & erudirem: & nollent audire, ut acciperent disciplinam. 34. Et posuerunt

idola

idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut pollucrent eam. 35. Et ædificaverunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos, & filias suas Moloch, quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc, & in peccatum deducerent Judam. 36. Et nunc propter ista, hæc dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis, quod tradetur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peste. 37. Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi, & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter. 38. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. 39. Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus, & bene sit eis, & filiis eorum post eos. 40. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. 41. Et lætabor super eis, cum bene eis fecero: & plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo, & in tota anima mea. 42. Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos. 43. Et possidebuntur agri in terra ista, de qua vos dicitis, quod deserta sit, eo quod non remanserit homo, & jumentum, et data sit in manus Chaldæorum. 44. Agri ementur pecunia, & scribentur in libro: & imprimetur signum, & testis adhibebitur: in Terra Benjamin, & in circuitu Jerusalem, in civitatibus Juda, & in civitatibus montanis, & in civitatibus campestribus, & in civitatibus, quæ ad Austrum sunt: quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

℣. 1. IN ANNO DECIMO SEDECIÆ . . . [℣. 2.] TUNC EXERCITUS REGIS BABYLONIS OBSIDEBAT JERUSALEM. Nulla est hujus Capitis cum superioribus nexio. Jerosolymæ obsidionem decimo die mensis decimi, nono Sedeciæ anno, Nabuchodonosor iniit (1). Ab ipso obsidionis exordio Jeremias Sedeciæ prædixerat, urbem captum iri, Regemque Babylone captivum, ibi moriturum (2). Rex Prophetæ libertate provocatus, illum in vincula dedit, vel saltem in carceris Palatii atrio claudi jussit. Quæ hic legimus, eo loco gesta sunt. Decimus Sedeciæ annus fluebat, atque integro jam circiter anno urbs obsidione cingebatur.

℣. 2. JEREMIAS ERAT CLAUSUS IN ATRIO CARCERIS, QUI ERAT IN DOMO REGIS JUDA. In atrio, vel area carceris tantummodo detinebatur, nullis seu catenis seu compedibus, de quibus supra, xx. 2. constrictus. Quæ sequuntur, liberum satis fuisse Prophetam, docent, & carceris atrium locum fuisse unicuique publice patentem, multisque frequentatum (3). Ibi custodiebatur Jeremias, negato egressu. Nonnulli (4) vertunt (5), *In carcere atrii*, pro, *In atrio carceris*. At luculentissime distinguitur *domus carceris*, ab atrio sive area carceris, inferius, XXXVII: 15. *Ingressus est Jeremias in domum laci, & in ergastulum*; eumque inde eductum in vestibulo sese continere jussit: ℣. 20. *Præcepit ergo Rex Sedecias, ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris*. Et capite XXXVIII. 6. cum Jeremias demissus fuisset in carcerem, qui cisterna quædam erat aqua carens, sed cœno fœda, ope Abimelechi, Regii ministri, eductus est, atque in carceris atrio relictus: ℣. 13. *Extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu. Mansit autem Jeremias in vestibulo carceris.*

℣. 3. QUARE VATICINARIS: ECCE EGO DABO CIVITATEM ISTAM, &c. Vide caput XXXIII. 1. . . 7. ubi hæc vaticinia suo loco recitantur; hic enim quasi per summa capita colliguntur. Repetit hic Jeremias causam, cur datus fuerit in vincula. Hæc sub obsidionis initium gesta sunt; & id, quod mox dicetur, post annum circiter obsidionis contigit.

℣. 4. OCULI EJUS OCULOS ILLIUS VIDEBUNT. Sedecias coram Nabuchodonosore ceu Judice sistetur. *Gravior enim terror est videre quem timeas, quam pœnarum sustinere cruciatum*, inquit S. Hieronymus.

℣. 5. DONEC VISITEM EUM. Captus a Chaldæis Sedecias, Reblatam ductus est ad Nabuchodonosorem, qui oculis illi erutis, ipsum Babylonem misit, ubi is in vinculis obiit (6); quod idem est, *donec eum visitavit Deus* (7). Aliqua illius misericordia motus fuisse videtur sub finem Nabuchodonosor, quippe quem a populo Babylone captivo lugeri passus est, eoque funere efferri, quod misera illorum conditio permittebat (8).

℣. 6. FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME [℣. 7.] ECCE HANAMEEL PATRUELIS TUUS VENIET AD TE. Postquam Jeremias casu narravit, cur ipse eo tempore in atrio carceris detineretur, ad propositum redit, ac sese monitum a Deo esse per somnium, seu propheticam visionem ait, venire Hanameelem, ut agrum, quem ipse venundare cupiebat, Jeremiæ offerret; cum enim cæterorum esset proximus Jeremias, alteri venumdari non poterat, nisi monito postulatoque Jeremia. Jure suo cedere, is poterat, atque Hanameeli respondere, sibi satis pecuniarum non esse, ut emeret; at ex iis, quæ Deus sibi aperuerat, intelligens, id decretum esse a Deo, ejusque consiliis servire, *Intellexi autem quod verbum Domini esset*: agrum emit eo modo, quo inferius narratur.

℣. 7. EME AGRUM MEUM; TIBI ENIM COMPETIT EX PROPINQUITATE UT EMAS. Minime imperabat Lex, ut is, qui agrum venderet, prius sanguine proximum postularet; neque ut proximum emeret: illud solummodo sanciebat, ut proximi agrum, alteri venditum, redimere unicuique fas esset (9), ut singularum Tribuum ager intra ipsas servaretur.

(1) 4. Reg. XXV. 1. Jerem. XXXIX. 1. LII. 4. (2) Jerem. XXXIV. 1. . . 7. (3) Vide infra XXXVIII. 1. 2. (4) Kimchi, Vat. Mald. (5) בחצר המטרה Septuag. Ἐν τῇ αὐλῇ τῆς φυλακῆς. (6) Jerem. XXXIX. 4. & 4. Reg. XXV. 6. (7) Jerem. LII. 11. *Adduxit eum Rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in carcerem usque ad diem mortis ejus.* (8) Jerem. XXXIV. 5. *Secundum combustionem patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te; & væ Domine! plangent te.* (9) Levit. XXV. 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat.*

tur, atque ad alias non migraret. Hujus facultatis causa raro agri ab hominibus alienæ familiæ emebantur; ortaque fuerat consuetudo, ut ante cæteros, res venum exposita proximo ex propinquis offerretur. Eo recusante, tuoque jure se cedere testante, facilius emptor inveniebatur; nullus enim tunc locus timori erat, ne ager amitteretur, ante annum Jubilæum (10), quo bona ad suos singula dominos redire jubebantur. Hac lege Israelitæ omnes tenebantur; aliquo tantum circa Sacerdotes discrimine.

Certa ac secreta non erat in Israelitico solo hæreditas Sacerdotibus ac Levitis (11); & ager circa urbes ipsorum domicilio datus (12) nonnisi suæ familiæ hominibus venire poterat (13); secus vero cæteri Israelitæ, quibus vendere licebat cui videretur. Sacerdotes erant Jeremias & Hanameel; ullaque ipsis erant patrimonia, præter domos, aut parvos circa urbem agros, hortos scilicet, aut arva in usum gregum. Hujusmodi aliquam hæreditatem vendebat Hanameel. Jeremiam primum convenit, ut illi emendam offerat. Hic Legis sanctione in alterius commodum cedere poterat, at jussus a Deo est, ublatam ab Hanameele emptionem prosequi. Plures causæ succurrere poterant Jeremiæ, quibus ab emptione deterreretur. Jerosolymæ obsidio, integro jam anno perseverans, fames, pestis, cædes, quibus miserrima urbs vallabatur (14), suus ipsius carcer, ac nunquam intermissa a pluribus annis vaticinia, Jerosolymam fore Nabuchodonosori tradendam, evertendam urbem, populum in captivitatem abducendum, Regionemque vastandam; hæc omnia certe ab emptione deterrebant in eo rerum articulo, ubi nonnisi mortis, captivitatis, assiduorumque malorum imagines oculis undique obversabantur. Emit tamen Jeremias, ut doceat, tot inter mala, quorum exitus remotissimus erat, sese certo sperare, ac populo persuadere vehementer vella, Israelem e captivitate rediturum, atque iterum futuros olim in Judæa quietos bonorum suorum possessores.

Romanarum Rerum Scriptores narrant (15), obsessa per Annibalem Roma, agrum quem Annibal castris insederat, venalem Romæ fuisse, hastæque subjectum, invenisse emptorem, pretio nihilo minori, quam si Carthaginensium exercitus minime adesset, ac Roma pace tranquillissima frueretur. Hæc Romanorum fiducia spem omnem Carthaginensibus abstulit. Voluit Annibal fiduciam imitari; subjecitque argentarias urbis tabernas: at nullus inventus est emptor, ac demum ipse copias ab urbe reducere coactus est. Hic vero aliter plane sese habet res. Jeremias agrum emit, quem eo tempore hostes occupabant, nunquam illo fruiturus, quem norat fore ut diu desertus squalleret; emit tamen, certe futurum credens, ut gens sua ex captivitate, sub qua nondum gemit, liberetur. Res promissorum fidem ostendit. His vaticiniis si quod unquam vel levissimum veritatis & Divinitatis indicium deesse quis putet, nihil divinum & natura majus ubivis inveniat; ac Religionem, quam luculenta adeo argumenta tuentur, siqua veritatis nota carere arbitreris, nullam omnino reperies, quæ undique certissima existimetur. Ea erat Judaicæ Religionis veritas, eademque nostræ est, quæ iisdem ac multo majoribus prodigiis nititur.

℣. 8. Venit ad me Hanameel, in carceris vestibulum. Qui fieri potuit, ut Hanameel ex Anathoth veniret, urbe ita ab hostibus obsessa, ut nulli rei aditus exitusve daretur; cum ejus rei causa Chaldæi urbem circum undique fossis & aggeribus clauserint (16)? At non hoc dicit Jeremias, ex Anathoth venisse Hanameelem. Forte is intra urbis mœnia claudebatur, ut alii plurimi, qui eo confluxerant obsidionis initio, vel ut urbem defenderent, vel ut ipsi in tutum ab hostibus locum sese reciperent. Inopia & fames illum fortasse coegerunt agrum vendere ad Anathoth; atque omnium primo Jeremiæ obtulit, quamvis ille minime empturus esse videretur. Adde, quod invitis Chaldæorum excubiis operibusque urbem vallantibus, furtim noctis beneficio in urbem ingredi potuerit. Priorem tamen responsionem maxime probamus.

℣. 9. Appendi ei argentum, septem stateres, et decem argenteos; vel siclos decem & septem, qui libras septem & viginti, solidos undecim, denariolum unum reddunt. Argentum statera appendit, quod pecuniæ cusæ mos ea ætate non obtineret. *Stater*, quem hic S. Hieronymus usurpavit, idem est ac siclus (17). *Septem stateres, & decem argenteos*, pleonasmus est, pro *septem & decem argenteis*.

℣. 10. Scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes. Nullus Scripturæ locus docet, publicus fuisse Hebræis forenses scribas; eam artem exercentes, quibus præsentibus emptiones venditionesque, atque aliarum rerum tabulæ conficerentur. Illud tantummodo studiose cavebant, ut testes adhiberent. Tradit Demosthenes, ingentem testium numerum adhiberi consuevisse, cum alicui pecunia traderetur (18).

℣. 11. Et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus, ad ndi Baruch. Duplices in his rebus tabulæ scribebantur, quarum alteræ pro autographis habebantur; annuloque signatæ & clausæ amico alicui, probatæ fidei viro custodiendæ tradebantur, statim reddendæ, ubi res posceret; quemadmodum nostris moribus archetypum scriptum penes forensem Scribam servatur. Alteræ patentes apud privatos remanebant, ut pro data opportunitate iis uterentur. Archetypæ hujus emptionis tabulæ, annulo signatæ, traditæ sunt Barucho. Eumdem morem observat apud Græcos Demosthenes (19), eumque vulgo sua ætate obtinuisse, tradit S. Hieronymus (20). Hebræus (21): *Accepi librum* [tabulas] *emptionis signatum, præceptum, ritus, & volumen*. Hæc omnia unam eamdemque rem significant. Vulgates sunt tabularum forensium formulæ, quemadmodum apud nos fit, qui voces plures synonimas in tabulis congerimus, ut captiosa effugia, malasque hominum fraudes occupemus.

Vatablus ita rem explicat: Primum, inquit, conscribebatur instrumentum, in quo exprimebatur pretium rei venditæ; deinde testes contractus exhibebantur, qui instrumento nomina sua adhibebant. Tertio loco instrumentum obsignabatur publico annulo; atque ita hoc antographi loco habebatur. Alterum eodem tempore instrumenti exemplum scribebatur, annuli sigillo carens; quamobtem nullus huic locus apud Judices erat, atque alterum publico annulo obsignatum spectabatur.

(10) Levit. xxv. 28. *Habebit emptor usque ad annum Jubilæum; in ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad possessorem pristinum.* (11) Num. xviii. 20. *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos.* (12) Levit. xxv. 34. *Suburbana autem eorum non væneant, quia possessio sempiterna est.* (13) Hieronym. hic. *Suburbana Sacerdotum nulli alii poterant venundari, usque ad annum remissionis, nisi ei quem propinquitas sanguinis capiebat.* (14) Vide infra ℣. 24. (15) Tit. Liv. lib. 26. Valer. Max. lib. 3. c. 7. Flor. lib. 2. cap. 6. (16) Infra ℣. 24. *Ecce munitiones extructa sunt adversus civitatem, ut capiatur.* (17) שקלה לו את הכסף שבעה שקלים ועשרה הכסף (18) Demosth. contra Phormion. (19) Demosth. advers. Apaturium pag. 583. & advers. Pantænet. ad finem. (20) Hieron. hic. *Unum signatum, alterum apertum; quæ emptionum consuetudo hucusque servatur: ut quod intrinsecus clausum signaculo continent, hoc legere cupientibus apertum volumen exhibeat.*
(21) ואקח את ספר המקנה את החתום המצוה והחקים ואת הגלוי

batur. At Scaliger (22) putat, testium nomina in reflexa libri ora scribi consuevisse, quibus audientibus instrumenti exemplum legebatur, non autographum, ubi sacratæ conditiones apponebantur; de quibus emptor venditorque convenerant, & quas latere testes volebant, quo tutius vitarentur fraudes eorum, quibus hæreditates redimere, legis sanctione dabatur. Ita apud Romanos, quamvis testamenta coram testibus scriberentur, heredis nomen minime exprimebatur. Tria hic instrumenta, seu tres tabulas videre sibi videtur Ludovicus de Dieu (23); Primum (24), quo res ipsa, & emptionis conditiones exprimebantur; alterum (25), quo ipsa emptio, seu pretium signabatur; tertium denique (26), quod publicarum tabularum genus erat, quo venditio confirmabatur. Ceteri tamen interpretes duo tantum instrumenta hic vident, apertissime significata ℣. 14. *Sume libros istos; librum emptionis hunc signatum, & librum hunc qui apertus est.*

℣. 14. Pones illos in vasa fictili, ut ab igne, & humore defendas. Vide nostram Dissertationem de forma librorum apud veteres &c. Scripta vulgo in fictilibus doliis servari solebant. Quamdam scripturę versionem in dolio fictili conditam invenit Origenes ad Jerichuntem.

℣. 15. Adhuc possidebuntur domus et agri in terra ista. Eveniet olim, ut Regio hęc, post diuturnam solitudinem, iterum frequentetur, suasque hereditates unusquisque in ea quęrat, novasque sibi comparet. Reditum e captivitate significat, quem passim prędixerat.

℣. 17. Heu, heu, heu, Domine! Hebræus (27) semel tantum habet *Heu!* Septuaginta (28): *O qui es, Domine Deus.*

Non erit tibi difficile omne verbum. Hebræus (29): *Non est absconditum* (30), sive *admirabile*, vel *impossibile*, seu *difficile omnem verbum a te*. Pindarus (31): *Diis facientibus, nihil esse videtur incredibile.*

℣. 18. Qui facis misericordiam in millibus. Minitatur Deus, sese *redditurum iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progentem*; at simul *custodit misericordiam in millia* (32). Misericordiam ubique suam supra justitiam magnopere commendat.

℣. 20. Qui posuisti prodigia in terra Ægypti usque in diem hanc. Prodigiis clarere in Ægypto cœpisti, tum in omnem ętatum seriem ad hanc usque diem non desiisti supremæ potestatis argumenta exhibere. Vel: Ea in Ægypto prodigia patrasti, ut adhuc illorum memoria terreamur.

℣. 29. Quarum in domatibus sacrificabant Baal. Vide supra xix. 13. Sophoniam 1. 5. 4. *Reg.* xxiii. 12. Altaria in tectorum areis Soli ac lunæ erigebantur.

℣. 30. Jugiter facientes malum, Verti Hebręus potest (33). *At faciebant malum*. Sive: *Tantummodo faciebant malum*. Septuaginta (34): *Soli facientes malum.*

℣. 31. In indignatione mea facta est mihi civitas hæc, a die, qua ædificaverunt eam. Jerosolymam Jebusæi flagitiis profanaverant, antequam Judæi Chananæitidem occuparent. Capta a Davide atque aucta, usque ad supremum ex Nabuchodonosore excidium, an toto saltem Regis unius tempore pietatem coluit, ita ut Deum flagitiis non irritaret? Ipse David scelere non caruit; Absalomum, Ammonem, Adoniam nonnisi flagitia commendavere. Salomon fana Diis dedicavit (35). Qui successere Salomoni, quęlibet libidinum monstra sectati sunt. Ezechiam & Josiam excipe; &, si velis, Joas & Josaphatum. Quę vero fuit horum ętate Jerosolyma? Josię & Ezechię regna quam atris coloribus Jeremias cęterique describunt? Quamobrem verissime dicitur Jerosolyma ab ipso exordio Deum sceleribus irritavisse.

℣. 34. Posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, in Templo: Id regnantibus Achazo (36), Manasse (37), atque ultimis fortasse Regibus Juda (38), spectatum est.

℣. 35. Ut initiarent filios suos Moloch. Hebræus (39), *Ut transire facerent filios suos Moloch*; molochi honore per ignem traducerent (40).

Quod non mandavi eis, imo disertis verbis vetui (41). Hinc videtur cęca & superstitiosa ea gens putasse, aliquid Deo gratissimum se prestare, ubi liberos immolarent, Abrahami exemplo, qui ad filii sacrificium sese paraverat. Eadem phrasis animadvertitur superius xxix. 5. & vii. 31. in eamdem rem.

℣. 37. Congregabo eos de universis terris, &c. Hoc & sequentibus versiculis, usque ad 42. reditus e captivitate Babylonica ita spectatur, ut simul de Evangelio in omnes terrarum plagas prorogato, Messia inter homines exhibito, Novo fœdere, & Ecclesiæ institutione intelligendi sint. Certe dici nequeunt Judęi *habitasse confidenter*, absoluta in patrio solo securitate gavisi, ℣. 37. *unum omnibus fuisse cor & unam viam*, ℣. 39. *æterno fœdere* cum Deo conjunctis, ℣. 40. &c. Vide caput xxxi. ℣. 31. 32. 33. 34.

℣. 41. Lætabor super eis, cum bene eis fecero: Vel, Jucundum mihi erit, benefacere illis: illos gaudio & voluptate complebo. Sive (42): Libentissime illos videbo, & beneficiis cumulabo.

Plantabo eos in veritate, in fidelitate, firmiter stabiliterque (43). In tempus æternum ibi statuentur, nunquam inde evellendi. Metaphoram ducit ex arbore optimis radicibus firmata, quæ nulla vi quati seu velli potest.

℣. 44. In civitatibus montanis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum, Explicat hic seu distribuit illud, quod mox generice dixit, civitates Juda. Tribus hæc complectebatur agrum Jerosolymę ejusque viciniam: *In circuitu Jerusalem*, urbes montanas, circa Hebronem; urbes campestres, vel *sephala* (44), circa Eleutheropolim, Gazam versus; denique urbe meridianas (45) ulterius positas, Arabiam petręam versus & Idumęam. Commentarium in Jeremiam huc usque produxit S. Hieronymus; quem deinceps nobis deesse magnopere dolemus, cum presertim apud Latinos Interpretum omnium corypheus habeatur, nosque religioni ubique duxerimus, illum docentem summo obsequio excipere, ejusque sententias ferme nunquam repudiare.

(22) Scaliger, Elench. trihæres. (23) Ludovic. de Dieu, hic, ad ℣. 11. (24) ספר המקנה Liber acquisitionis. (25) המצוה Præceptum. (26) החקים Statuta. (27) אהה אדני יהוה (28) Ὦ ὢν Κύριε Θεέ. (29) לא יפלא ממך כל דבר (30) Οὐ μὴ ἀποκρυβῇ ἀπὸ σοῦ. (31) Pindar. Pythic. Od. x. (32) Exod. xxxiv. 7. (33) אך עשים הרע (34) Μόνοι ποιοῦντες τὸ πονηρόν. Ita & Theodot. sed Sym. 1. edit. & 2. edit. Διόλου. Jugiter. Aq. Πλὴν, Cæterum. (35) 3. Reg. xi. 7. & 4 Reg. xxiii. 13. (36) 4. Reg. xvi. 12. & 2. Par. xxviii. 24. (37) 4. Reg. xxi. 4. & xxiii. 4 . . . 10 . . . (38) Ezech. viii. 9. 10. 11. (39) להעביר את בניהם למלך Septuag. Τῷ ἄρχοντι. Ita & Theodot. sed Aqu. & Sym. Traducerent. (40) Vide 4. Reg. xxi. 6. Ezech. xx. 31. Jerem. xiv. 5. (41) Levit. xviii. 21. (42) ששתי עליהם להטיב אותם (43) באמת 70. Ἐν πίστει. (44) ובערי השפלה Ἐν πόλεσι τῆς σεφηλά. (45) בערי הנגב Septuag. Ἐν πόλεσι τῆς ναγέβ.

C A-

CAPUT XXXIII.

Reditus e captivitate prædicitur. Novus e Davidis sobole surculus. Fœdus novum cum Davidis & Jacobi posteris.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens: 2. Hæc dicit Dominus qui facturus est, & formaturus illud, & paraturus, Dominus nomen ejus. 3. Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis. 4. Quia hæc dicit Dominus, Deus Israel ad domos urbis hujus, & ad domos Regis Juda, quæ destructæ sunt, & ad munitiones, & ad gladium. 5. Venientium, ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo, & in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum. 6. Ecce ego obducam eis cicatricem, & sanitatem, & curabo eos, & revelabo illis deprecationem pacis, & veritatis. 7. Et convertam conversionem Juda, & conversionem Jerusalem: ædificabo eos sicut a principio. 8. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me. 9. Et erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis; & pavebunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis. 10. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo, nec jumentum in civitatibus Juda, & foris Jerusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, & absque habitatore, & absque pecore) 11. Vox gaudii, & vox lætitiæ, vox sponsi, & vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus, & portantium vota in domum Domini: reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus. 12. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, & absque jumento, & in cunctis civitatibus ejus, habitaculum pastorum accubantium gregum. 13. In civitatibus montuosis, & in civitatibus campestribus, & in civitatibus, quæ ad Austrum sunt, & in Terra Beniamin, & in circuitu Jerusalem, & in civitatibus Juda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus. 14. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo verbum bonum: quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Juda. 15. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ, & faciet judicium, & justitiam in terra. 16. In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. 17. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel. 18. Et de sacerdotibus, & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium: & cædat victimas omnibus diebus: 19. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 20. Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies, & nox in tempore suo: 21. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ, & Sacerdotes ministri mei. 22. Sicuti enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos. 23. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 24. Numquid non vidisti, quid populus hic locutus sit, dicens: Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abjectæ sunt, & populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis? 25. Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem, & noctem, & leges cœlo, & terræ non posui. 26. Equidem & semen Jacob, et David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, Isaac, et Jacob; reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.

℣. 1. FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JEREMIAM SECUNDO, cum is adhuc in carceris vestibulo detineretur. Hoc vaticinium posterius est superiore. Certum illius tempus latet; magnopere tamen a superiore abesse nequit, cum Nabuchodonosor copias ab Jerosolyma reduxit, ut obviam Ægyptiis fieret, eodem anno Sedeciæ decimo, quem capite superiore innuit; tum in consequenti aliquid narret, quod post reductas a Nabuchodonosore copias, anno Sedeciæ undecimo, contigit. Hoc quod his vaticiniis prædicitur perseverante adhuc obsidione gestum est ℣℣. 4. 5.

Ỳ. 2. Qui facturus est illud et paraturus. Hebræus fœmineo genere fert (1): *Qui facit eam rem, ut stabiliat eam.* Tellurem hic significari, putavere Septuaginta (2): *Faciens terram, ad erigendum eam.* At Hebræi fœmineo genere pro neutro plerumque utuntur. Jeremiæ mentem ad magna, quæ indicaturus est, parat Deus, ac testatur incredibilia videri, nisi ipse facturus sit.

Ỳ. 3. Clama ad me, et annuntiabo tibi grandia. Prophetas plerumque vatidicus spiritus præveniebat, atque ita occupabat, ut illius vim effugere non possent: interdum vero orabant, atque Spiritum, ubi vult flantem, postulabant. Daniel earum ipsarum rerum, quæ sibi exhibitæ sunt, poscit explicationem (3).

Ỳ. 4. Hæc dicit Dominus ad domos hujus urbis, vel, *de domibus hujus urbis.* Hoc illis pollicetur: *Obducam eis cicatricem*; parietes restituam, ruinas restaurabo.

Ỳ. 5. Ad gladium venientium ut dimicent cum Chaldæis, et impleant eas cadaveribus. Judæis minitatur, qui inani conatu Chaldæos provocabant, extremaque mala in Jerosolymam accersere gaudebant, cum eam urbem invito Deo defenderent. Miseros insanosque! quicquid conamini, eo desinet, ut Jerosolymam cadaverum vestrorum, vestrarumque uxorum ac liberorum sepulcrum efficiam.

Ỳ. 6. Obducam eis cicatricem, vel *ei*, Jerosolymæ, ruinas restaurabo (4). Hæc verba ad Ỳ. 4. referuntur: *Hæc dicit Dominus ad domos hujus urbis.* Ita Hebræus & Septuaginta (5).

Revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. Pacem quam postulant, mearumque promissionum veritatem expectantur, efficiam. Vel: Illos me precari docebo, constantemque ac firmam pacem flagitare. Sive: *Revelabo illis*, ostendam, largiar constantissimam eam felicitatem, quam tantopere cupiunt.

Ỳ. 8. Emundabo illos ab omni iniquitate sua. Ipsorum iniquitatis ac pateræ penitus obliviscar; elapsa flagitia pro expiatis ac remissis habebo. Captivitas, & ærumnæ; quas tulerint, instar baptismi ipsis erunt, quo abluantur (6).

Ỳ. 9. Pavebunt, et turbabuntur in universis bonis, &c. Gentem Deo charissimam ac nobilissimam lacessere deinceps jam verebuntur: ingentem adeo bonorum copiam mirati, Numinis potentissimi, atque Judæia amicissimi metu quatientur.

Ỳ. 11. Portantium vota in Domo Domini, dona (7), munera, victimas quas voverint. Hebræus (8). *Portantium laudem in domum Domini.* Obsequia Deo in Templo persolvent, illius laudes dicent, vel etiam pacificas gratiarum actionis & laudis victimas mactabunt, quibus supremum illius imperium agnoscant.

Ỳ. 13. In civitatibus montuosis, in montibus Juda, meridiem versus. Vide Caput xxxii. in fine.

Transibunt greges ad manum numerantis. *Quæ transeunt sub pastoris virga*, inquit Moyses (9) Tranquillissime pacis beneficio, amplissimi greges pastum ire ac redire conspicientur; eosque singillatim herus in ovilia veniens, otiose numerabit. Virgilius (10):

Est mihi namque domi pater, est injusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus; alter & hædos.

Chaldæus de Messia interpretatur: *Adhuc discet populus per manum Messiæ.*

Ỳ. 15. In diebus illis, et in tempore illo, germinare faciam (τῷ) David germen justum, Messiam scilicet, uti sæpe diximus; qui *germen*, *surculus*, vel ex aliis versionibus, *oriens* apud Prophetas passim appellatur (11). Ea huic nomina tribuuntur; quæ nulli, præterquam Dei Filio, Jesu Davidis nepoti, & Patris Primogenito, conveniunt. Exempli gratia: *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justitia nostra* Ỳ. 16. *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel* Ỳ. 17. Davidis soboli nunquam deerit, qui in Israeliticæ domus solio regnet. *Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir a facie mea* [non deerit], *qui offerat holocautomata omnibus diebus* Ỳ. 18. Singula hæc uni Jesu Christi Regno, Ecclesiæ, æterno Sacerdotio conveniunt. Messiæ imago erat Zorobabel (12); illique aptari possunt quædam, quæ inter Messiæ propria, ac nemini convenientia occurrunt; omnia tamen de Zorobabele interpretari, est ineptissimum. Plura a Zorobabele abjudicari possunt, nulla a Jesu Christo. Ea ipsa quæ Zorobabeli conveniunt, in Jesum Christum competunt: non autem contra. Ipsimet Judæi (13) locum hunc ad Messiam spectare docuerunt.

Ỳ. 16. Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster. Hebræus (14): *Et hoc est quod appellabunt eam*, Jerosolymam [Hebræus fœmineum genus habet] *Jehovah justitia nostra.* At simili in loco Jeremias xxiii. 6. fert: *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter; & hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justitia nostra.* Quæ verba certe referri apte non posse videntur, nisi ad Davidis Germen, de quo mox actum est. At admissa, qualis in Hebræo est, hujus loci versione, ipsoque oraculo de Jerosolyma explicato, minime tamen vaticinium amittimus, atque aptissime explicamus de Messia, Principe & conditore Ecclesiæ Christianæ, novæ Jerosolymæ, cujus nomen est: *Dominus justitia nostra*; quicquid enim virtutis, gratiæ, justitiæ in illa est, id omne acceptum Messiæ illa refert, ac libentissime hoc nomine gloriatur: *Dominus justitia mea*, Septuaginta masculino genere legunt (15): *Hoc est nomen, quo vocabunt eum*, Messiam, *Dominus justus noster*, justitia nostra.

Ỳ. 17. Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israel. Israelis solium ab aliquo semper e Davidis posteris occupabitur. At quo pacto post captivitatem Babylonicam hujus vaticinii fides stetit? 1. enim, si *thronus* pro regno, Regia & absoluta authoritate usurpetur, quis nescit, Judæos alieno semper sub imperio fuisse usque ad Joannem Hircanum, vel Judam Aristobulum, qui Hircano successit? 11. si Israelis Regnum, qualecumque illud fuerit, absolutum ne, an Regibus Persarum, Ægyptiorum, aut Syriæ obnoxium, ab aliquo semper ex Davidis nepotibus verissime fuisse administratum asseras, nihilo levior futura est difficultas, cum post Zorobabelem ac Nehemiam gentis administratio penes Pontifices fuisse tradatur, usque ad Macchabæos, ad quos & Sacerdotium & Imperium transiit, tunc denique amissum, cum Herodes, gente Idumæus, Regnum Judææ a Romanis obtinuit. 111. Neque satis est, si dicas (16), Regiam Davidis sobolem cum Sacerdotali in As-

mo-

[1] יוצר אותה להכינה [2] Ποιῶν γῆν, καὶ πλάσσων αὐτὴν τοῦ ἀνορθῶσαι αὐτήν. [3] Dan. 12. 8. 1. 4. x. 3 31. [4] Vide 2. Par. xxiv. 13. Esdr. iv. 7. [5] Ἀνάγω αὐτῇ συμούλωσιν. Hebræus הנני מעלה לה ארכה [6] Vide supra xxxi. 29. 30. [7] Septuag. Εἰσοίσουσι δῶρα εἰς οἶκον κυρίου. [8] מבאים תודה בית יהוה [9] Levit. xxvii. 32. [10] Virgil. Eclog. 3. Vide & Oppian lib. 4. Halieut. [11] Isai. iv. 2. Jerem. xxxiii. 5. Ezech. xxxiv. 29. Item sub nomine orientis. Hebr. צמח Zach. iii. 8. vi. 12. Item Isai. xi. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet* [12] Theodoret. hic: Τυπικῶς μὲν φησὶ ὁ Ζοροβάβελ οὗτος τετύχηκε κηρύγματος, ἀληθῶς δὲ τὴν τῆς προφητείας ἀλήθειαν ὁ δεσπότης ἡμῶν ἐδέξατο. [13] Vide Bereschith Rab. ad Genes. xav. 5. & xli. 44. Echa Rabathi in Thren. 1. 16. Vide Calov. [14] וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו [15] Τοῦτο ἐστὶ τὸ ὄνομα ὃ καλέσουσιν αὐτὸν, κύριος δίκαιος ἡμῶν. Ita Chald. Syr. [16] Theodoret. hic, & alii.

moneis fuisse conjunctam: id enim minime compertum: at esto; vere ne idcirco Israelis solium Davidis nepotes semper tenuisse dicentur? Quis nesciat, familiarum series ex patre, non ex matre, duci consuevisse?

Fatendum est igitur, Jeremiæ oraculum, simillimum alteri, quod Jacob protulit (17), *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, spectare Jesu Christi Regnum in Ecclesiam, hæredem promissionum, quæ Judæ & Israeli datæ sunt (18), eorumque in dignitates ac numina æquissimo jure substitutam. Quamobrem ipsa verus Israel Dei est (19), verum Judæ genus, vera Jerusalem, veraque circumcisio, non carne, sed spiritu (20). Vel, si aliquid cupis hæc promissa ceu figura explens, antequam eorum fidea penitus ac verissime in Christo Jesu impleretur; dicito, gentis principatum usque ad Jesu Christi adventum, penes Judam fuisse; atque inter Judæ familias Davidicam semper claruisse, ceu maxime omnium illustrem ac dignissimam, primo inter suos loco semper habitam, quamvis plerumque imperio carentem, aut absoluta potestate.

℣. 18. Et de Sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata; scilicet, Sacerdotium in familia Levi æternum fore, ejusque exercitia in Templo minime cessatura. Cum vero Aaronicum Sacerdotium interierit, atque a decem & septem sæculis tum Jerosolymis, tum in cæteris terrarum plagis cessaverit, fit, ut his promissis unum Jesu Christi Sacerdotium, quod æternum est, & ab ipso, cæterisque ab exordio in Ecclesia Catholica ipsius Ministris gestum, atque ad finem usque sæculorum perseveraturum, spectetur.

℣℣. 20. 21. Si irritum potest fieri pactum meum cum die ... et pactum meum irritum esse poterit cum David. Nihil hac promissione aut luculentius aut solemnius esse potest, futurum ut e Davidis sobole Messias oriatur, in Israele regnaturus, animosque Hebræorum felicissima spe confirmaturus. Quatientur prius Cœlum ac Terra, astrorumque cursus turbabitur, quam a data fide unquam recedam. Nulla huic promissioni conditio additur, quæ dubiam rei fidem faciat. Omnia hic certissima sunt, fixa, irrevocabilia. Nullum cum die ac nocte fœdus vere sancire potest Deus, cum utraque intelligendi facultate ac ratione careant, ut fœderis conditiones intelligant, videant, atque uti decet exequantur. Tropicæ locutiones.

℣. 24. Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abjectæ sunt. Deum inconstantiæ fractæque fidei clam arguebant Judæi, cum duo Judæ & Israelis Regna, quibus tota Abrahami & Jacobi soboles conflabatur, quæque æterna fore ipse promiserat, abjecerit ac destituerit (21). Vel, Duæ hujusmodi soboles sunt Davidica & Levitica (22), quæ ceu dignissimæ inter Abrahami posteros habebantur. Utraque proxime exitio fuere, cum Jerosolyma, totaque Judæ regio vastaretur. Quamobrem unusquisque flagitabat: Ubi divinarum promissionum fides? At jurejurando, simili mox recitato, respondet, temporum ordinem, astrorumque cursum prius cessaturum, quam data populo fides, futurum ut Jacobi & Davidis soboles minime intereant.

[17] Genes. XLIX. 10. [18] Rom. IV. 16. IX. 8. 9. Galat. III. 22. [19] Rom. IX. 6. *Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ.* Galat. VI. 16. *Et super Israel Dei.* [20] Philipp. III. 3. *Nos enim sumus circumcisio.* [21] Thom. Raban. Hugo, Ludov. de Dieu Pisc. [22] Grot. Munst. Cestal Kimchi, Rab. Salom. Maldon. Castr. Sanct.

C A P U T XXXIV.

Sedecias una cum populo in Chaldæorum potestatem traditur, violatæ fidei causa, atque ob revocatos in servitutem servos, quos populus ex lege anni Sabbathici libertate donaverat.

℣. 1. VErbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus ejus, universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus ejus, & omnes populi bellabant contra Jerusalem, & contra omnes urbes ejus, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vade, & loquere ad Sedeciam regem Juda, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, & succendet eam igni. 3. Et tu non effugies de manu ejus, sed comprehensione capieris, & in manu ejus traderis, & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis. 4. Attamen audi verbum Domini, Sedecia rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio. 5. Sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te; & væ, Domine, plangent te, quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. 6. Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba hæc in Jerusalem. 7. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem, & contra omnes civitates Juda, quæ reliquæ erant, contra Lachis, & contra Azecha, hæ enim supererant de civitatibus Juda, urbes munitæ. 8. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem, prædicans: 9. Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum, & Hebræam liberos, & nequaquam dominarentur eis, id est, in Judæo, & fratre suo. 10. Audierunt ergo omnes prin-

principes, & universus populus, qui inierant pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam liberos, & ultra non dominarentur eis: audierunt igitur, & dimiserunt. 11. Et conversi sunt deinceps, & retraxerunt servos, & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subjugaverunt in famulos, & famulas. 12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens: 13. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo servitutis, dicens: 14. Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis, & dimittes eum a te liberum: & non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. 15. Et conversi estis vos hodie, & fecistis, quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem, unusquisque ad amicum suum, & inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam. 16. Et reversi estis, & commaculastis nomen meum, & reduxistis unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis, ut essent liberi, & suæ potestatis, & subjugastis eos, ut sint vobis servi, & ancillæ. 17. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, & unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus ad gladium, ad pestem, ad famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. 18. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones ejus: 19. Principes Juda, & principes Jerusalem, eunuchi, & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli: 20. Et dabo eos in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum, & erit morticinum eorum in escam volatilibus cœli, & bestiis terræ. 21. Et Sedeciam regem Juda, & principes ejus, dabo in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manu exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. 22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et præliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni; et civitates Juda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

℣. 1. VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM; quo tempore, ignoratur: certe tamen anno Sedeciæ undecimo, & eo temporis spatio, quod a reductis per Nabuchodonosorem ab Jerosolyma copiis (1) usque ad restauratam ab ipso obsidionem fluxit, pulsis Ægyptiis qui ex Ægypto suppetias ad Sedeciam ferre tentabant. Liber erat eo tempore Jeremias (2); at statim arctiorem, quam antea, in custodiam datus est (3).

BELLABANT CONTRA JERUSALEM, ET CONTRA OMNES URBES EJUS, cæteras urbes Juda, quæ nondum cesserant; puta *Lachis & Azecham*, quas infra ℣. 7. adhuc contumaces narrat.

℣. 3. OCULI TUI OCULOS EJUS VIDEBUNT. Te vivum capiat Nabuchodonosor; coram Nabuchodonosore sisteris. Vide supra XXXII. 4.

BABYLONEM INTROIBIS, at minime videbis, ex Ezechielis oraculo (4), erutis nempe a Nabuchodonosore oculis, antequam in locum captivitatis ducaris. Ita duplex oraculum, specie pugnans, conciliatur.

℣. 5. IN PACE MORIERIS, ET SECUNDUM COMBUSTIONES PATRUM TUORUM, SIC COMBURENT TE. Minime docet Scriptura, Regum Judæorum cadavera comburi consuevisse. Unum legimus Asam (5), in rogo aromatibus nobilissimis pleno crematum. Interpretum plurimi (6) ajunt, neque Asæ neque Sedeciæ cadavera tradita flammis fuisse; at ingentem solummodo aromatum vim secus illa crematam; tum illa prius unguentis condita, tradita esse sepulcro. Morem comburendi rogo cadavera, ignotum Hebræis fuisse contendunt. At morem, quem ipsi ultro afferunt, aromatum secus cadavera cremandorum, ex quo Scripturæ Libro hauserunt? Nullum illis argumentum favet, præter eos ipsos locos, quibus nos combustionem cadaverum innui arbitramur, nostramque sententiam fulciri censemus (7); atque ad contrariam flecti non posse, nisi violenta interpretatione torqueantur. Hæc tamen fusius alibi expendimus. Permisit igitur Nabuchodonosor (8), ut Judæi Babylone captivi Sedeciam Regio funere justisque solemnibus, seu Regem, prosequerentur, quo honore caruit Joakimus, qui Sedeciæ præcesserat.

Diem clausit Sedecias in carcere Babylonico, quemadmodum discimus ex Capite LII. 11. *Nabuchodonosor posuit eum in domo carceris, usque ad diem mortis ejus.* Historiæ scholasticæ Scriptor, qui aniles Rabbinorum fabulas, sacræ narrationi additas, simul omnes studiose congessit, tradit, Sedeciam cæcum in solemne convivium, quod Nabuchodonosor cum suis agebat, ipsius jussu esse accersitum; atque ut spectaculum convivis exhiberet, medicatam illi potionem traditam, qua venter laxaretur: agente potionis vi, Sedeciam omnium ludibrio expositum, eo pudore obrutum fuisse, ut non multo post tempore in carcere obierit. Postremam hujus fabulæ partem rejicit Tostatus, addens, sibi magis probabile esse quod ajunt Rabbini in ea verba Habacuci (9): *Væ qui potum*

(1) Vide Jerem. XXXVII. 4. (2) Ibid. ℣. 4. (3) Ibid. ℣. 14. 15 (4) Ezech. XII. 13. *Abducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur.* (5) 2. Paral. XVI. 14. *Posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus . . . & combusserunt super eum ambitione nimia.* (6) Sanct. hic, fuse; Vatab. Pagn. Jun. Tremel. Pisc.
(7) Heb. hic. כמשרפות אבותיך המלכים הראשנים כן ישרפו לך Vide & 2. Reg. ult. & 2. Par. XVI. 14 Vide sup. & 2. Par. XXI. 19. *Mortuus est Joram in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* (8) Jerem. XXXI. 18. (9) Habacuc II. 15.

potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus; Sedeciam scilicet vino cæterisque potionibus turbatum, indigna Rege patrasse, ac turpissimas partes corporis coram convivis nudasse, uti olim Noemo contigerat (10); cujus deinde rei adeo illum puduit, ut ex acerrimo dolore interierit. Addunt, in Sedeciæ funere iteratum esse lugubre illud carmen (11): *Væ, obiit Rex Sedecias, qui omnium ætatum fæcem bibit*; scilicet omnia majorum flagitia expiavit.

℣. 7. Lachis et Azecha, urbes in meridiana Judæ plaga sitas. Notior est Lachis, quam Azecha, cujus situs ignoratur: at Lachis inter Hebronem & Jerosolymam jacebat. Cum amplissimum traheret exercitum Nabuchodonosor, varias in partes sectus est, quibus reliquæ urbes, pristinam adhuc Sedeciæ fidem servantes, expugnarentur.

℣. 9. Ut dimitteret unusquisque servum suum, anni sabbathici causa, in novum Sedeciæ annum competentis (12); quo anno Jerosolymæ obsidio incepta est. Jubebat Lex (13), Hebræos servos anno Sabbathico manumitti. Sedecias hostem accedere videns, aliquod Religionis indicium exhibuit, jussitque singulos Legi obtemperare, servis in libertatem vindicatis. At Nabuchodonosore, copias ab Jerosolyma reducere coacto, ut Pharaonem Ægyptiorum Regem, suppetias Sedeciæ afferentem, coerceret; Jerosolymitani, cum sese discrimine liberos esse censerent, optimo proposito neglecto, manumissos antea servos unusquisque revocavere. Flagitium hoc arguit hoc loco Jeremias. Eo tempore is in carcere non tenebatur, sed urbis compita liber percurrebat. Metu hostium minime terretur, quin consueta loquendi constantia utatur.

℣. 14. Cum completi fuerint septem anni; vel, *septimo anno veniente*; septimi enim anni initio servi libertate donandi erant. Innumeras passim in Scriptura videas hujusmodi locutiones, quibus absolutum jam aliquod tempus dicitur, cum vix inceperit. Ita (14): *Cum compleretur dies Pentecostes*; vel, ante diei Pentecostes exitum, tertia ejus diei hora, sub finem quinquagesimæ, a Paschate ad Pentecosten. Et (15): *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*; accedente circumcisionis die, post ortum octavo. Hebræus hic ad verbum fert (16): *In fine septem annorum*; quæ verba Interpretes nonnulli (17) de termino ex quo incipiunt, non in quem desinunt septem anni interpretantur.

℣. 16. Ut essent liberi, et suæ potestatis. Hebræus (18): *Dimisisti eos liberos animæ suæ*, nemini obnoxios, ut voluntatis suæ placita sequi liceret.

Commaculastis nomen meum, quo datam manumittendorum servorum fidem confirmastis. Septuaginta (19): *Profanastis fœdus meum*. Aliter: Nomen meum violastis; causam præbuistis, ut male de meis Legibus meaque justitia existimaretur. Male de me obtrectatum est, cum vos in data fide inconstantissimos, meamque Legem a vobis spretam cæteri viderent.

℣. 17. Ecce ego prædico vobis libertatem, ad gladium, ad pestem, et ad famem. Cum libertatem servis, ex Legum mearum sanctione, largiri nolueritis, ipse ego vobis patronus esse, vosque servorum loco habere nolo: at ita vos dimitto, ut in dominos longe sævissimos incidatis: vos pestis, gladius, fames occupabunt, ac penitus destruent. Hebræus (20): *Prædicaturus sum vobis libertatem, gladio, pesti & fami*. Hæc ego mala vinculis quodammodo coercebam: at jam dimitto; eaque vos subjugabunt, omnemque in vos sævitiam exercebunt.

℣. 18. Dabo viros qui prævaricantur fœdus meum . . . vitulum quem conciderunt in duas partes. In solemni fœderum ritu victima duas in partes scindebatur, iisque super duplex altare utrinque positis, medii transibant ii, qui fœdus faciebant. Eo indicio innui volebant, optare se, ut si fœderi deessent, id sibi contingeret, quod victimæ acciderat, ac duas in partes scinderentur. Servatus legitur hic ritus in Genesi (21), cum Deus cum Abrahamo fœdus iniret. Secta in duas partes hostia, Abraham medius transiit; ingens deinde ignis, quo Deus significabatur. Simile quid hac in re gessisse videtur Sedecias, angustisque adeo in rebus Jerosolymæ, Divinam opem implorasse, renovato fœdere, quod majores cum Deo sanciverant. Promisso igitur, intermissa jurisjurandi fide, Legis obsequio, mactatisque victimis, duasque in partes divisis, Rex Proceresque inter hostiarum partes medii transivere: vindicati in libertatem servi; decretumque, ut anni Sabbathici religio sancte servaretur: at elapso discrimine, omnium religio excidit. Hoc narrat Jeremias, Judæos fractæ jurisjurandi religionis arguens: ℣. 16. *Commaculastis nomen meum*; minitansque fore ut illud iis accidat, quod vitulo in duas partes cæso, cum fœdus feriretur! *Dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, vitulum quem conciderunt.*

℣. 19. Eunuchi et Sacerdotes. Eunuchos in Procerum Juda & Sacerdotum censu numerat, quod revera inter nobilissimos Sedeciæ Ministros censerentur. Eunuchum exercitui præfecerat Sedecias (22). Is fortasse non erat vere eunuchus; at ex Orientalium more, familiares Regum Ministri eo nomine donabantur.

℣. 21. In manus exercituum Regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. Nabuchodonosoris exercituum plurali numero meminit, quod fortasse plures in partes distinguerentur. Alii enim urbem Lachis obsidebant, alii Azecham: maxima tamen pars circa Jerosolymam erat. Cum vero in arma in Ægyptium verteret, omnes undique copias collegit, easque, pulsis Ægyptiis, in Jerosolymam duxit exitu felicissimo, cum Deus illi Sedeciam urbemque tradiderit.

---

[10] Genes. IX. 21. [11] Vide in Seder-Olam cap. 28. [12] User. ad an. M. 3414. [13] Exod. XXI. 2. & Deut. XV. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa; & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum.* Vide & Jerem. XXXIV. 14. [14] Act. II. 1. Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέρας, &c. [15] Luc. II. 21. [16] מקץ שבע שנים [17] Vide Vat. Sanct. Rabb. Glass. Gramm. lib. 3. cap. 6. [18] שלחתם חפשים לנפשם Ἐλευθέρους τῇ ψυχῇ αὐτῶν. [19] Ἐβεβηλώσατε τὴν διαθήκην μου. [20] הנני קרא לכם דרור אל החרב ואל הדבר ואל הרעב [21] Genes. XV. 9. 10. . . . 17. [22] 4. Reg. XXV. 19.

CA-

C A P U T XXXV.

Rechabitarum religio erga majorum sanctiones. Judæi Divinis Legibus refractarii. Nobilissima Rechabitis promissa. Minæ in Judæos perduelles.

℣. 1. Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens: 2. Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in dumum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. 3. Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Habsaniæ, & fratres ejus, & omnes filios ejus, & universam domum Rechabitarum: 4. Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filii Jegedeliæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli. 5. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: Bibite vinum. 6. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usque in sempiternum: 7. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ: in qua vos peregrinamini. 8. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filii, & filiæ nostræ. 9. Et non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam, & agrum, & sementem non habuimus: 10. Sed habitavimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, juxta omnia, quæ præcepit nobis Jonadab pater noster. 11. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, & a facie exercitus Syriæ, & mansimus in Jerusalem. 12. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 13. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vade, & dic viris Juda, & habitatoribus Jerusalem: Numquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis? dicit Dominus 14. Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum, & non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi. 15. Misique ad vos omnes servos meos prophetas consurgens diluculo, mittensque, & dicens: Convertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra, & nolite sequi deos alienos, neque colatis eos, & habitabitis in terra, quam dedi vobis, & patribus vestris: & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. 16. Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. 17. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Juda, & super omnes habitatores Jerusalem, universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos: eo quod locutus sum ad illos, & non audierunt, vocavi illos, & non responderunt mihi. 18. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis. 19. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

℣. 1. In diebus Joakim. Quæ hic narrantur, diu ante contigerunt quam ea quæ capitibus xxxiii. & xxxiv. referuntur. Jerosolymam bis obsidione cinxit Nabuchodonosor, regnante Joakimo: primum, quarto illius anno; iterum, tribus vel quatuor post annis. De altera hic agi ab Jeremia putamus (1). Eo tempore Rechabitæ, ne in hostium manus inciderent, intra Jerosolymam secessere, tentoriis gregibusque relictis, quæ census loco illis omnino erant, cum domo, agris, vineis & patrimonio carerent. Vide Dictionarium nostrum V. Ioakim, & correctiones meas 4. Reg. 24.

℣. 2. Vade ad domum Rechabitarum, ubi Rechabitæ intra Ierosolymam sedes habent. Hi fortasse tentoria in aliquo urbis foro, aut privatorum ædium area erexerant, ne paternas sanctiones violarent, quibus solidarum certarumque domorum usu prohibito, tentoriis solummodo ac pastoritiis casis uti jubebantur.

In

(1) Vide infra ℣. 11.

In unam exedram thesaurorum. Hebræus (2): *In unum e cubiculis*; ex iis fortasse cellis, ubi vinum servabatur in usum libationum. Jeremiæ, utpote Sacerdoti, liberior aditus, quam alteri, in penuarias Templi cellas patebat. Septuaginta (3): *In unam aularum* S. Hieronymus reddidit, *In unam exedram thesaurorum*, sumpta vage ac generica thesaurorum appellatione pro loco, ubi quidlibet servatur, sive aurum sit, sive argentum, æs, vestes, vinum, oleum, frumenta, &c. Eodem sensu intelligendum est ℣. 4. *gazophylacium filiorum Hanan, gazophylacium Principum super thesaurum Maasiæ*. His enim nominibus solummodo significantur Templi conclavia, vel ea pars conclavium atrii, ubi Hanan & Maasia sedes habebant; vel etiam annona, illorum custodiæ credita in iis conclavibus, quibus atria ambiebantur.

℣. 4. Hanan filii Jegedeliæ, hominis Dei. Hic Propheta fuisse creditur; *hominis* enim *Dei* appellatio iis solummodo tribuitur, qui veridico spiritu afflantur (4). Hæc tantum sanctissimi hominis memoria superest.

Juxta gazophylacium Principum. Censent nonnulli (5), servari in iis conclavibus consuevisse munera, a Regibus in Templum delata; alii vero (6) ajunt, conclavia fuisse, ubi Sacerdotum Principes morabantur & cibum capiebant; vel etiam aulam, quo Principes Juda quibusdam temporibus, quale illud est quod superius vidimus xxvi. 10. coibant.

Supra thesaurum Maasiæ, qui erat custos vestibuli. Reddi potest Hebræus (7): *Supra exedram Maasiæ, custodis vestibuli*. Maasia Levita erat, cæterorum cujusdam Templi portæ custodum Princeps; habebatque domicilium ipsi portæ proximum; Principes vero, supra & ulterius, vel in secunda ejusdem ordinis contignatione. Horum principum munus fixum erat certumque, neque ad sex tantummodo menses, quemadmodum cæteris Levitis imperabatur (8).

℣. 7. Ut vivatis diebus multis. Hac mercede sese prosecuturum eos pollicetur Deus, qui parentes coluerint (9), iisque sese morigeros præbuerint. Eximiam in Rechabitis figuram habes novæ legis monachorum, qui ut majorem morum Sanctitatem, ac religiosius divinarum legum obsequium, virtutumque evangelicarum exercitationem assequantur, leges amplexi sunt, ab homine scriptas, quem Dei Spiritus afflavit, & sanctionibus quibusdam sese subdiderunt, quæ ceu legis sepes, prohibent, ne facile præcepta legis violentur, atque ad ea servanda adminiculum præbent (10).

℣. 11. Ingrediamur in Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, et a facie exercitus Syriæ. Cum Joakim a Nabuchodonosore defecisset (11), Chaldæos, Syros, Moabitas, & Ammonitas in illum armavit Deus, a quibus regio vastata est. Capta Jerosolyma, Joakim interfectus projectusque est, nullo sepulcri honore. Eo tempore, ne in hostium regionem depopulantium potestatem inciderent, Rechabitæ in urbem secessere. Ibi capti fuisse creduntur, atque inter primos in captivitatem abducti. Psalmus lxx. inscribitur: *Filiorum Jonadab, & priorum captivorum*. Simile quid sentire videtur S. Hieronymus (12). Si Rechabitas inter primos e captivis Juda fuisse putas, & ad primum e septuaginta captivitatis annis pertinere, referenda hæc sunt ad primam Jerosolymæ obsidionem per Nabuchodonosorem anno mundi 3398. Nobis vero idcirco placet, locum hunc de altera Jerosolymæ obsidione interpretari, quod tum hic, tum in libris Regum Syri cum Chaldæis conjungantur. In altera hac obsidione, qua interfectus est Joakim, Chaldæi captivos duxere Babylonem Judæos termille ac tres & viginti (13); inter quos fortasse & Rechabitas.

℣. 19. Non deficiet de stirpe Jonadab, stans in conspectu meo; qui mysterium coram me exhibeant, sive coram me stent, uti coram hero solent servi. Stare coram Principe, illi adesse, ejusque faciem intueri, apud Scripturam phrases sunt, quibus ministerium Principi exhibitum significatur. Alieni erant Rechabitæ a Sacerdotum genere ac Levitarum; in agro hactenus vixerant, ab urbibus, omnibusque Reipublicæ ac templi negotiis semoti. At deinceps ad templi ministerium admoti fuisse videntur. Posteri Chamath Patris Rechab in Paralipomenis (14) leguntur, eorumque sedes in Jabes fuisse dicitur, munus vero canendi in templo, ac templi fores custodiendi illis tribuitur. Hi Chamath posteri in Jabes commorantes, floruisse videntur post captivitatem, & cantorum janitorumque officio fungebantur. Neque enim necesse erat genus e Levi ducere, ut quis ejusmodi muneribus par esset, Samuel enim quamvis Ephraimita, ministerium in templo exhibuit; itemque Gabannitæ & Nathinæi. Adde quod explicata per Jeremiam Dei voluntas satis superque erat, ut ad id muneris Rechabitæ vocarentur.

(2) אל אחת הלשכות (3) Septuag. Εἰς μίαν τῶν αὐλῶν. (4) Vide 4. Reg. iv. 7. 25. & vi. 2. & Josue xiv. 7. & 1. Reg. ix. 7. (5) Hugo, Lyr. Cornel. (6) Grotius. (7) ממעל ללשכת מעשיהו שמר הסף (8) Vide 1. Par. ix. 19. 34. (9) Exod. xx. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* (10) Grot. hic: *Si hoc præcipere progenitor posteris suis potuit, & laudem ab eo habent qui id observarunt: cur non Ecclesiæ Patres præcipere quædam potuerunt, non per se necessaria, sed pro ratione temporum locorumque utilia, aut ad vitandas mali occasiones, aut ad virtutem adminicula?* (11) 4. Reg. xxiv. 2. *Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ. Et immisit eos in Judam ut disperderet eum.* (12) Hieronym. ep. ad Paulin. (13) Jerem. lii. 28. (14) 1. Par. ii. 55. *Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi qui venerunt de calore domus patris Rechab.* Vide Text. Hebræum.

CAPUT XXXVI.

Baruch, jubente Jeremia, librum coram populo perlegit, minarum atque objurgationis plenum; quem cum Joakim cremaverit, Jeremiam & Baruchum capi jubet: qui Dei ope non inveniuntur. Alterum volumen Barucho dictat Jeremias; & Joakimi, ejusque sobolis, ac Jerosolymæ exitium prædicit.

℣. 1. ET factum est in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens: 2. Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel, & Judam, & adversum

sum omnes gentes, a die, qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usque ad diem hanc: 3. Si forte audiente domo Juda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima, & propitius ero iniquitati, & peccato eorum. 4. Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. 5. Et præcepit Jeremias Baruch, dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. 6. Ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in domo Domini, in die jejunii: insuper & audiente universo Juda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis: 7. Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, & revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor, & indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc. 8. Et fecit Baruch filius Neriæ, juxta omnia, quæ præceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. 9. Factum est autem in anno quinto Joakim filii Josiæ regis Juda, in mense nono: prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, & universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem. 10. Legitque Baruch ex volumine sermonis Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo. 11. Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro: 12. Descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ, & ecce ibi omnes principes sedebant: Elisama scriba, & Dalaias filius Semejæ, & Elnathan filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & universi principes. 13. Et nuntiavit eis Michæas omnia verba, quæ audivit legente Baruch ex volumine in auribus populi. 14. Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Judi filium Nathaniæ filii Selemiæ, filii Chusi, dicentes: Volumen, ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, & venit ad eos. 15. Et dixerunt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus eorum. 16. Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt, unusquisque ad proximum suum, & dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos. 17. Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis, quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus. 18. Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento. 19. Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, & abscondere tu, & Jeremias, & nemo sciat, ubi sitis. 20. Et ingressi sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ, & nuntiaverunt audiente rege omnes sermones. 21. Misitque rex Judi, ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit audiente rege, & universis principibus, qui stabant circa regem. 22. Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram eo plena prunis. 23. Cumque legisset Judi tres pagellas, vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, & projecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex, & omnis servi ejus, qui audierunt universos sermones istos. 25. Verumtamen Elnathan, & Dalajas, & Gamarias, contradixerunt regi, ne combureret librum, & non audivit eos. 26. Et præcepit rex Jeremiel filio Amelech, & Sarajæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, & Jeremiam prophetam: abscondit autem eos Dominus. 27. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, & sermones, quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens: 28. Rursum tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda. 29. Et ad Joakim regem Juda, dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem, & jumentum? 30. Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim regem Juda: Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, & cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. 31. Et visitabo contra eum, & contra semen ejus, & contra servos ejus, iniquitates suas, & adducam super eos, & super habitatores Jerusalem, & super viros Juda omne malum,

lum, quod locutus sum ad eos, & non audierant. 32. Jeremias autem tulit volumen alìud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: & insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.

℣. 1. IN ANNO QUARTO JOAKIM. Incertum est, utrum ea quæ hic recitantur tunc contigerint, cum Jerosolymam Nabuchodonosor obsideret; ea enim obsidio in quartum Joakimi annum incidit (1); an post obsidionem, & elapso e Nabuchodonosoris potestate Joakimo. Quæ sequuntur, innuere videntur id sub quarti anni exitum contigisse (2): quamobrem conjectare possumus, eo tempore copias jam reduxisse Nabuchodonosorem. Certe obsidionis non meminit Jeremias, & Barucho imperat, ut vaticinia sua coram populi cœtu, *de civitatibus suis* undique Jerosolymam confluentis, legat. Id profecto pacis ac festi diei tempus significat, ℣. 6.

℣. 2. TOLLE VOLUMEN LIBRI (3), ET SCRIBE IN EO OMNIA VERBA, QUÆ LOCUTUS SUM TIBI. Hactenus Propheta palam verba fecit, populoque nunciavit ea, quæ sibi Deus aperuerat: nihil injussus scribit. Ab anno Josiæ decimotertio, quo anno Jeremias vaticinari cœpit, ad annum Joakimi quartum, anni fluxere duo & viginti. Post quartum Joakimi, non semel Deus Jeremiæ præcepit (4), ut scriberet ea quæ Deo docente intelligeret. Ita jubet Prophetam scribere, Jechoniam moriturum uti hominem liberis & hærede carentem (5): & Sedecia regnante (6) imperat, ut libro tradat omnia, quæ de reditu e captivitate significavit. Peculiari etiam libro tradita reliquit mala omnia, Babylonem occupatura; eumque librum, Babylonem missum per Saraiam, jussit prius publice perlectum, in Euphratem projici (7). Hoc tamen sub Sedecia etiam gestum est.

℣. 3. SI FORTE AUDIENTE DOMO JUDA. Hactenus Jeremias nihil populum celaverat ex iis, quæ sibi Deus significaverat. Invitis civium odiis & ærumnis quas passus fuerat, nunquam arguere, clamare & minitari cessaverat. Denique in supremum benevolentiæ indicium Deus, ut durissimos animos, piisque clementiæ suæ conatibus nunquam non resistentes, frangat, mala, quæ suis ipsorum flagitiis in se provocant, expandi ante oculos jubet, ut saltem simul congesta illos validius terreant.

℣. 4. BARUCH, Jeremiæ a commentariis, & inter discipulos præcipuum. Quid de Barucho ejusque libro sentiamus, diximus in Prolegomeno ad ejus vaticinia.

SCRIPSIT EX ORE JEREMIÆ. Memoriter dictabat Jeremias, quasi librum legens, inquit Baruch, infra ℣. 18. Sua illum oracula dictasse non credimus eo ordine, quo apud nos leguntur; & ea quæ ad nos pervenere, illa non esse putamus, quæ nunc primum Barucho dictavit, sed quæ scribere illum jussit postquam primus hic liber a Joakimo laceratus crematusque est. Præter naturalem memoriæ vim, qua usus est Jeremias, ut oracula ab annis duobus & viginti pronunciata colligeret, peculiare omnino adminiculum divinitus concessum illi fuisse dicendum est, cujus ope & dicenda intelligeret, & nullo confusionis & oblivionis errorisque periculo scribenda dictaret. Quis enim alioquin certo asserat, Jeremiæ Libros, quos habemus, Spiritu Sanctu afflante esse conscriptos?

℣. 5. EGO CLAUSUS SUM, neque ad Templum accedere valeo. Prophetam in carcere detentum tunc fuisse, putavere nonnulli (8): at multo probabilius arbitramur, ipsum tunc latuisse (9), prodire verentem, cum Regis in se simultates optime nosset. Censet Grotius, jussum fuisse a Rege Prophetam domi se continere, palam verba non facere, atque ad Templum non accedere. At si vel in carcere vel domi continebatur Jeremias, laborandum ne Regi erat, ut illum quæreret, aut is Regiorum satellitum solertia effugere potuisset? Vide ℣. 26.

℣. 6. LEGE DE VOLUMINE IN DOMO DOMINI, IN DIE JEJUNII. Sunt (10) qui censeant, hunc diem sacrum fuisse jejunio & solemni expiationi, quæ anni civilis initio agebatur, die decima Tizri (11), qui mensis in Septembrem & Octobrem competit. Docent alii (12), lectum a Barucho esse hoc volumen eo jejunii die, cujus meminit ℣. 9. nono mense, anno Joakimi octavo. Jejunium hoc vel ipse Rex, vel Sacerdotes, ob aliquam regionis universæ calamitatem, extra ordinem indixerant; nullum enim nono mense jejunium Lege præscribitur.

℣. 7. SI FORTE CADAT ORATIO EORUM IN CONSPECTU DOMINI (13), humillimis precibus Deo supplicent. Preces apud Prophetas ceu anima instructæ, supplicum, pauperum ac dejectarum habitu exhibentur. Eadem est apud Homerum precum descriptio (14): *Preces sunt Jovis magni filiæ, claudæ rugosæque, strabæque oculis*: quibus rebus ea animi præparatio describitur, qua accedere ad omnipotentem decet. Septuaginta (15): *Forte cadet misericordia eorum coram facie Domini*: jucunda & accepta coram Deo erit oratio. Jeremias, quamquam latens, loquitur, & populo utilis esse non desinit. Ita S. Paulus in carcere detentus docere non cessabat, cum diceret (16): *Verbum Dei non est alligatum*. S. Joannes, in vinculis habitus, Discipulos ad Christum mittit.

℣. 9. IN ANNO QUINTO JOAKIM, IN MENSE NONO (17), PRÆDICAVERUNT JEJUNIUM, insolitæ alicujus rei causa; jejunia enim Lege imperata, minime prædicabantur. Jejunii hujus causa ignoratur. Censent nonnulli, gestum id esse, ejus infortunii causa, quod superiore anno contigit, quo Nabuchodonosor Jerosolymam cepit, ac minimum abfuit, quin Regem atque Optimates abduceret, sacrorumque Templi vasorum partem Babylonem rapuit (18). Post ultimas hasce Judæ calamitates, varia instituerunt jejunia Judæi, quibus illarum memoria servaretur. Quarti deinde, quinti, septimi ac decimi mensis jejunia invexerunt; post captivitatem vero Zachariam consuluere, utrum ne in iis perseverandum esset (19).

UNIVERSÆ MULTITUDINI QUÆ CONFLUXERAT EX URBIBUS JUDA JEROSOLYMAM. In jejuniis suprema authoritate præscriptis, gens universa Jerosolymam confluebat. Hinc disce, urbis aditum unicuique pa-

(1) 4. Reg. xxiv. 1. 2. Par. xxxv. 1. 6. (2) ℣. 9. *Factum est in anno quinto Joakim, in mense nono, prædicaverunt jejunium*. (3) קח לך מגלת ספר Septuag. Λάβε σεαυτῷ χαρτίον βιβλίου. (4) Jerem. 1. 2. (5) Jerem. xxii. 30. *Scribe virum istum sterilem, &c.* (6) Jerem. xxx. 2. *Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te, &c.* (7) Jerem. L. 59. 60. (8) Theodoret. Thom. Raban. Lyran. Dionys. Vat. Tirin. (9) Sanct. Menoch. (10) Usser. ad an. 3398. Sanct. (11) Levit. xxiii. 27. (12) Grot. Jun. Piscat. Tir. Lyran. (13) אולי תפול תחנתם לפני יהוה (14) Homer. Iliad. 12.
Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο
Χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ.
(15) Septuag. Ἴσως πεσεῖται ἔλεος αὐτῶν κατὰ πρόσωπον Κυρίου. (16) 2. Timot. ii. 9. (17) Septuaginta in Romana Editione ferunt annum octavum; in aliis quintum. (18) Vide Dan. 1. 2. & Usser. ad an. 3398. & Sanct. hic. (19) Vide Zach. vii. 3. 5. & viii. 19.

patuisse, liberum hostium metu; Nabuchodonosor enim aliquot antea mensibus copias ab urbe reduxerat.

℣. 10. In gazophylacio Gamariæ scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ. Unus e Templi Ducibus Gamarias erat, domicilium stationemque ad novam Templi portam habens, cerro Levitarum numero, excubias portæ agentium, præfectus; eo enim more Templum custodiebatur, quo ædes Regiæ. *Vestibulum superius* omnino esse videtur atrium Sacerdotum; quamobrem porta nova, quæ Gamariæ custodiæ credita erat, eadem fortasse fuit porta orientalis ejus atrii, quod atrium novum sub Josaphato appellatur (20). In aula igitur huic portæ proxima Baruch primo librum Jeremiæ perlegit. Jam laris animadvertimus, *gazophylacii*, seu thesaurorum conclavis appellatione aulam generice significari. Gamariam nominat Jeremias *Scribam*, seu Legis Doctorem, Commentariensem, Curatorem; propria enim vocis Hebraicæ *Sopher* significatio ignoratur.

℣. 12. Descendit in domum Regis ad gazophylacium scribæ. Cum Michæas Jeremiæ oracula in Gamariæ aula intellexisset, rem gestam ad Regiæ domus Optimates detulit, vel sponte, vel missus a Gamaria. *Gazophylacium* sive aula *Scribæ* seu Commentariensis, ad palatii fores erat, quo gentis universæ Optimates conveniebant, æquum jus reddituri. Duplicem hic Gamariam lego, utrumque Saphani filium; alterum Scribam Domus Domini, ℣. 10. alterum Principem Juda, ℣. 12. Quamobrem utrius filius esset Michæas, incertum est.

℣. 18. Et ego scribebam in volumine atramento, arundinis ope, quemadmodum ejus ætatis mos ferebat, cum in volumine scriberer. Vulgo urebantur stilo, cum in tabulis cera illitis scribendum esset. Atramenti conficiendi apud Veteres artem, aliam plane a nostra, describit Vitruvius (21). *Fuligo*, inquit, *collecta circa parietem, & cameræ curvaturam, componitur ex gummi subacto, ad usum atramenti librarii*. Liquidum igitur ac fluens minus nostro erat, ac typographico simillimum.

℣. 19. Abscondere tu et Jeremias. Facere non possumus, quin Regi rem nunciemus: at cum sævissimum hominis ingenium sit, monemus ne hic moreris, dum is te dari in vincula jubeat. Animadverte Principum Juda exemplum, qui ea quę Deo, justitiæ, humanitati, charitati debent, cum debita Principibus obsequio jungunt.

℣. 21. Legit audiente Rege. Tertio jam lectus est liber (22). Pugnas hasce in librum contingere passus est Deus, quo luculentior fieret veritas, acriusque animos feriret, necui excusationis locus superesset. Inutile porro erat, librum tam sæpe lectum expensumque, & coram nobilissimis ac sapientissimis hominibus exagitatum, cremare.

℣. 22. Rex sedebat in domo hiemali, in mense nono, et posita erat coram eo arula plena prunis. Ædificiorum magnificentia maximopere delectabatur Joakim, quemadmodum acriter illum arguit, initio illius Regni, Jeremias (23). Suæ illi erant partes domus in hiemis & in æstatis usum destinatæ, ex regionis consuetudine (24). Nonus anni sancti mensis, cujus anni initium a mense Nisan ducebatur, in Novembrem competebat. Nunquam magnopere in Judæa riget hiems: at elapso Septembri, cum imbres incipiunt, opportunus est ignis. Nullus tamen apud illos est, uti apud nos, caminorum usus, sed ignitabulorum focorumque prunis flagrantium; quibus imponuntur olivarum nuclei (25), & minuta interdum ligna & fasces. Alexander magnus (26), *cum apud unum ex amicis per hiemem & frigus invitatus cœnaret, allato parvo ignitabulo, minimoque igne, vel ligna vel thus deferri jussit*; ligna ut in foco cremarentur; thus ut in eo adoleretur: in hiemalibus enim domi partibus & coquinis foci adhibebantur, ingenti igne ferventes, ubi opus ferret; at nulli nostro more camini. Fumus per fores vel fenestras transmittebatur (27), sive per foramina, in summo cubiculi culmine patentia; quæ ab antiquis caminus dicebantur. Narrat Suetonius (28), Vitellii triclinium arsisse, igne flatim caminum, seu focum corripiente; caminus enim passim pro foco usurpatur. *Luculento camino utendum censeo*, inquit Cicero ad Atticum; igne ingenti. Jubet Horatius (29): *Dissolve frigus, ligna super foco large reponens*. Idem alibi hoc ipsum demonstrat, quod mox diximus, nullum camini genus in culinis adhiberi consuevisse; atque ait (30):

*Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.*

Nullam usquam caminorum mentionem agit Vitruvius (31) in libro de Architectura: qua ex re discito, nullum tunc fuisse caminorum usum in culinis. In veterum Monasteriorum culinis caminus in medio fornicis culmine surgit; in quibusdam tamen frequentissima sunt fornicis foramina; nullam tamen continuo ductu fumum a foco ferens; quamobrem nullo metu excitari ubique ignis poterat. Hoc paulo fusius agitandum erat; plerique enim falluntur, dum *caminum* Latinam vocem pro communibus nostræ ætatis caminis usurpant.

℣. 23. Cumque legisset Judi tres pagellas aut quatuor, scidit illud scalpello scribæ, et projecit in ignem. Hebræus (32): *Tres portas aut quatuor*. Humano more loquitur Scriptura, dum hanc formulam trium vel quatuor usurpat; quasi paginarum perlectarum numerum adamussim recitare nequiverit. Similibus formis ubique scatet (33). Non facile dixeris, quid hæ sint tres quatuorve pagellæ seu portæ a Barucho perlectæ; vetustis enim in codicibus nullum est paginarum discrimen, cum ampla tantummodo sint volumina, ex altera parte, continua scriptione exarata: at fortasse pagellam nominat eam Scriptionis partem, qua exarabatur unumquodque quadratum papyri, ex quibus ad capita junctis volumen componebatur; vel sectiones & capita, in quæ liber totus distribuebatur; nulla enim unquam ætas fuit, qua notas divisionis aliquas Libri non habuerint, quibus & argumenta & res distinguerentur. Vetusti Bibliorum Codices in Synagogarum usum in varias sectiones hoc modo tribuuntur.

℣. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, quemadmodum egerat Josias, perlecto Legis Libro, quem ipsius ætate in Templo invenerunt (34). Malorum hujusmodi lectionem, minime territi, constantique animo audierunt, ac Numinis iram sibi imminentem nihil veriti, aut flagitia, quæ Jeremias acriter adeo argue-

(20) 2. Par. xx. 5. (21) Vitruv. lib. 7. cap. 10. (22) Vide ℣. 10. & 15. (23) Jerem. xxii. 13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio, &c.* (24) Amos iii. 15. Vide nostram Dissertationem de ædibus Hebræorum. (25) Vide not. Baruch vi. 42. (26) Plut. in Alexand. Ἐν χειμῶνι δὲ ψύχει τῶν φίλων τινὸς ἑστιῶντος αὐτὸν, ἐσχάραν δὲ μικρὰν, καὶ πῦρ ὀλίγον εἰσενεγκαμένου, ἢ ξύλα, ἢ λιβανωτὸν εἰσενεγκεῖν ἐκέλευσε. (27) Vide Ald. Manut. lib. 7. ep. 10. (28) Sueton. in Vitellio. *Nec ante in prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini.* (29) Horat. l. 1. od. 9. (30) Horat. Sermon. lib. 1. Satyr. 5. (31) Vide Notas Perraltii in Vitruvium lib. 2. cap. 8. pag. 209. (32) כקרוא יהודי שלש דלתות וארבעה Τρεῖς σελίδας καὶ τέσσαρας. (33) Luc. iii. 23. *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Jo. vi. 10. *Viri quasi quinque millia*. Act. i. 15. *Turba hominum fere centum viginti, &c.* (34) 2. Par. xxxiv. 19. & 4. Reg. xxii. 11.

arguebat, abominati : In eam devenerant cæcitatem Joakim atque Optimates, suarumque rerum contemptum, ut nedum flagitia non detestarentur, verum etiam Jeremiam Dei ore non loqui censerent. Septuaginta in Romana Editione legunt (35): *Non quæsiverunt* Dominum, *neque sciderunt* vestes. Codices alii: *Non admirati sunt*. Videbatur Ioakim sententiam quodammodo in eum Librum ferre, cum igne damnaret. Vide infra ℣. 29.

℣. 25. Dalaias et Gamarias contradixerunt Regi. Gamarias fortasse est Saphani filius ℣. 12. alius a Gamaria ejusdem nominis ℣. 10. Duo hi Principes Dalaias & Gamarias Joakimi flagitium detestati sunt, ac Regem prohibere conati sunt, ne Propheticum librum cremaret.

℣. 26. Abscondit autem eos Dominus. Passus non est, illos in eorum potestatem cadere, a quibus, Rege jubente, quærebantur (36): qua in re luculentissimum Dei patrocinium patuit, cum nemo illos aut metu, aut nequitia, aut lucri cupiditate indicaverit.

℣. 30. Non erit ex eo qui sedeat super solium David. Jechonias Ioakimi filius solium Iuda occupavit, imperio tamen adeo brevi, ut nullum penitus esse dicatur (37). Tribus hic mensibus regnum gessit (38), Chaldæis obnoxius, sceptrumque ad filium non transmisit; ac successorem habuit patruum Sedeciam. Iechonias a Chaldæis captus, ac Babylonem una cum ministris raptus, diutissime ibi captivus fuit.

Cadaver ejus projicietur ad æstum prioiam. Hæc verba illud ipsum sonant, quod alibi dicitur (39): *sepultura asini sepelietur*. Id vero ad amussim contigit, altero vel tertio post oraculum anno.

℣. 32. Additi sunt sermones multo plures quam antea. Hebræus (40): *Et adhuc addita sunt super hæc verba multa, sicut illa*, similia. Quid additum fuerit, definire non possumus, cum priori autographo careamus. Rabbi Salomon docet, crematum a Ioachimo Lamentationum Librum; quem deinde iterum dictans Ieremias, quartum illi Caput addidit, cum antea tribus tantummodo Capitibus constaret. Id porro hallucinari est: cur enim te scire illud simulas, quod prorsus nosse non potes (41)?

(35) Septuag. Οὐκ ἐξήτησαν. Quidam addunt τὸν κύριον. Alii: οὐκ ἐξέστησαν. (36) Sanct. Menoch. Vat. Grot. (37) Theodoret. Sanct. Grot. Vatab. (38) 4. Reg. xxiv. 8. (39) Jerem. xxii. 18. 19 (40) ועוד נוסף עליהם דברים רבים כהמה (41) Vide Sanct. hic, & Sixt. Sen. lib. 1.

CAPUT XXXVII.

Sedecias Jechoniam excipit. Jeremiæ precibus sese Regnumque commendat. Nabuchodonosor copias ab Jerosolyma reducit, ut Ægyptios coerceat. Prædicit Jeremias fore, ut iterum Nabuchodonosor Jerosolymam obsidione cingat. Propheta in Anathoth contendens, capitur, & in carcerem datur; ex quo, Sedecia jubente, educitur, relinquiturque in carceris vestibulo, suppeditata illi annona.

℣. 1. ET regnavit rex Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joakim, quem con-
stituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda. 2. Et non obe-
divit ipse, & servi ejus, & populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in ma-
nu Jeremiæ prophetæ. 3. Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ, & Sopho-
niam filium Maasiæ sacerdotem, ad Jeremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Do-
minum Deum nostrum. 4. Jeremias autem libere ambulabat in medio populi: non
enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de
Ægypto, & audientes Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem, hujuscemodi nuntium, re-
cesserunt ab Jerusalem. 5. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam,
dicens: 6. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad
me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, re-
vertetur in terram suam in Ægyptum. 7. Et redient Chaldæi, & bellabunt contra
civitatem hanc, & capient eam, & succendent eam igni. 8. Hæc dicit Dominus:
Nolite decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt, & recedent a nobis Chal-
dæi: quia non abibunt. 9. Sed & si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum,
qui præliantur adversum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de
tentorio suo consurgent, & incendent civitatem hanc igni. 10. Ergo cum recessisset
exercitus Chaldæorum, ab Jerusalem propter exercitus Pharaonis, 11. Egressus est
Jeremias de Jerusalem, ut iret in terram Beniamin, & divideret ibi possessionem in
conspectu civium. 12. Cumque pervenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos por-
tæ per vices, nomen Jerias, filius Selemiæ, filii Hananiæ, & apprehendit Jeremiam
prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis? 13. Et respondit Jeremias: Falsum est,
non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum: sed comprehendit Jerias Jeremiam, &
adduxit eum ad principes. 14. Quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæ-
sum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribæ: Ipse enim præ-
positus erat super carcerem. 15. Itaque ingressus est Jeremias in domum laci, &

in ergastulum, & sedit ibi Jeremias diebus multis. 16. Mittens autem Sedecias rex tulit eum, & interrogavit eum in domo sua abscondite, & dixit: Putasne est sermo a Domino? Et dixit Jeremias: Est. Et ait: in manus regis Babylonis traderis. 17. Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, & servis tuis, & populo tuo, quia misisti me in domum carceris? 18. Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant: Non veniet rex Babylonis super vos, & super terram hanc? 19. Nunc ergo audi, obsecro, domine mi rex, valeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi. 20. Præcepit ergo Rex Sedecias, ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris, & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate, & mansit Jeremias in vestibulo carceris.

℣. 1. ET REGNAVIT REX SEDECIAS pro Jechonia nepote suo, Joakimi filio. Sedecias geminos antecessores scelere non æquavit: at animo parum firmo & constanti fuit, levi apud populum existimatione, Religione modica, qui neque virtutem in Regno firmare, neque flagitia pellere unquam valuit.

℣. 3. MISIT AD JEREMIAM. Sedecias præsenti discrimine liber, relicta ab hostibus Jerosolyma, Jeremiam de belli exitu consultum misit; ipsa enim Prophetæ responsio docet (1), majus aliquid Regem postulasse, quam meras preces. Rogabat porro Sedecias, reversurus ne ad urbem Nabuchodonosor; an futurus victor Ægyptius; illum denique trahere conatur, ut præsentem futurumque rerum statum explicet.

℣. 4. JEREMIAS AUTEM LIBERE AMBULABAT IN MEDIO POPULI. Eductus e carceris atrio (2), plenamque in libertatem datus, non diu liber fuit; conquisitis iterum causis, confictisque criminibus, ut in carcerem ærumnasque multo graviores conjiceretur.

℣. 6. EXERCITUS PHARAONIS EGRESSUS EST DE ÆGYPTO. Pharao Ægyptiorum Rex secretum cum Sedecia fœdus inierat in Chaldæos (3). Tum omnibus Nabuchodonosoris viribus in Jerosolymam & Judam versis, cæteri Judæis fœderati, armis in communem hostem minime junctis, quievere, quinimo ex iis nonnulli ad Chaldæos accedentes, Sedeciam toto anno obsessum reliquerunt. At ratus Pharao, expugnata Jerosolyma, quæ primus quodammodo aggar Ægypti arat, Chaldæos in Ægyptum ruituros, tandem aliquando instructo exercitu, suppetias ad Sedeciam ferre decrevit. Nabuchodonosor, collectis copiis, adversus Ægyptium profectus est. Commissum fuisse prælium, fractosque Ægyptios, luculenter satis docet Ezechiel (4). Idem innuit Jeremias infra XLVI. 15. 26. At nulla est apud Historicos ejus prælii mentio. Illud certe constat, pulsum a Chaldæis Ægyptium, armis iterum tentare Chaldæos non ausum. Ingentes non fuisse Ægyptiorum copias, tradit Ezechiel XVII. 17. *Non in exercitu grandi, neque in populo multo, faciet contra eum Pharao prælium.* Pharaonem hunc esse putamus *Septiem* Herodoti (5), in Scriptura Hophram vel Ephræum (6). Is Psammi successit, postquam Ægyptus annis undecim Rege caruit.

℣. 9. SINGULI DE TENTORIO SUO CONSURGENT, ET INCENDENT CIVITATEM HANC IGNI. Divinus furor in te adeo exarsit, ut etiamsi universas Nabuchodonosoris copias fugare aut cædere valeas, ac modicus vulneratorum numerus supersit; satis virium atque animi daturus sit illis Deus, ut urbem tuam capiant, & incendio vastent.

℣. 11. EGRESSUS EST UT IRET IN TERRAM BENIAMIN, ET DIVIDERET IBI POSSESSIONEM. In Anathoth, urbem Beniamiticam, patriam suam (7), proficisci voluit Jeremias, ut aliquot hæreditatis suæ bona ibi divideret. Quę vero ea bona, & quę dividendi causa? Id porro non leve dissidium sententiarum parit. Nulli Sacerdotibus fundi erant, pręter domos aliquot agrosque circa urbes, in illorum sedem destinatas (8). Quamobrem non magni negotii res esse poterat horum bonorum divisio. Uxore & liberis caruit Jeremias (9): quamobrem non idcirco Jerosolymis discedebat, ut bona inter filios divideret; id quod visum est Chaldęo. Censuere quamplures (10), illum idcirco iter illud instituisse, ut agrum ex Hanameele emptum, quo tempore is in carceris vestibulo detinebatur (11), inviseret; ortum fortasse dissidium de agri divisione, cui finem impositurus, discederet Jeremias. Alii tamen ajunt, nondum emptum fuisse agrum ab Jeremia, cum Chaldęi copias ab urbis obsidione reduxerunt. Alias suppeditat Hebręus (12) explicationes; ferens, Jeremiam Jerosolymis discessisse, *ut iret in terram Beniamin, ut segregaret se inde*, Jerosolymis, *in medio populi*; ut Jerosolymis fugiens, in Anathoth secederet, inter cives suos. Optime norat pessimam Optimatum voluntatem, infirmum Regis animum, imminens urbi malum: hinc ceu e navi naufraga fugit. Reddunt quidam: Jerosolymis egredi tentavit (13), *ut elaberetur illinc in medio populi*; subduceret sese raptim, admistus turbę ultro citroque venienti, quo difficilius agnosceretur: fecit tamen Deus, ut inter cæteros caperetur. Hebraicæ vocis vis significat, lubricum esse, instar anguis, sive pinguis humi & aqua dilutæ. Septuaginta (14). *Egressus est de Jerusalem, ut proficisceretur in terram Beniamin, ut emeret ibi in medio populi, panem*, inquit Theodoretus (15), in usum vitæ, rarus enim carusque Jerosolymis erat. Recentiorum Interpretum versio ex Hebræo (16) incommoda omnia subducit. Conabatur Jeremias sese Jerosolymis, atque hostium odiis subducere.

℣. 14. CÆSUM EUM MISERUNT IN CARCEREM, QUI ERAT IN DOMO JONATHAN; privatum in carcerem.

(1) Vide ℣℣. 6. 7. & 8. (2) Vide sup. XXXII. 1. & seqq. XXXIV. 1. & sequ. (3) Vide Ezech. XVII. 15. *Qui recedens ab eo* [Nabuchodonosor] *misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, & populum multum, numquid prosperabitur?* (4) Ezech. XXX. 21. 22. *Fili hominis, brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi; & ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas . . . Comminuam brachium ejus forte, & confractum, & dejiciam gladium de manu ejus.* (5) Herodot. lib. 2. cap. 16. (6) Jerem. XLIV. 30. (7) Josue XXI. 18 Jerem 1. 1. (8) Levit. XXV. 33. 34. Num. XXXV. 20. (9) Vide sup. XVI. 2. *Non erunt tibi filii, & filiæ in loco isto.* (10) Thom. Dionys. Lyr. (11) Supra Jerem. XXXII. (12) יצא ללכת ארץ בנימן להלק משם בתוך העם : (13) Mont. Vat. Pisc. (14) Ἐξῆλθεν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, τοῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν Βενιαμὶν τοῦ ἀγοράσαι ἐκεῖθεν ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ. Quidam Codices addunt post ἀγοράσαι, ἄρτον, vel ἄρτο. (15) Theodoret. hic: Ἀντὶ τοῦ ... ἐξαλήλυθε ... ἄρτον βουλόμενος. (16) Jun. Tremel. Glos. Mont. Vat. Tig. Munst. alii.

cerem, inquit Theodoretus; publicum enim plenus vinctis erat. Hoc non tradit Scriptura, neque causam aliquam affert, cur Jonathani carcer electus potissimum fuerit. Illud solum narrat, angustissimum fuisse & altissimum; Regique supplicasse Jeremiam, ne sese iterum eo mitteret, certe interiturum: ¥. 19. *Ne remittas me in domum Jonathæ, ne moriar ibi*. Antequam in vincula daretur, cæsus fuisse videtur virgis, ceu fugitivus, & patriæ proditor.

¥. 15. INGRESSUS EST IN DOMUM LACI, ET IN ERGASTULUM (17), in scrobem, in subterraneam cisternam, *& in cellulas*, in ergastulum. In subterraneum carcerem conjectus est, fornice clausum, plures in cellulas distinctum, neque vinctis mutua consuetudo permitteretur. Nihilo immitius agi in Jeremiam potuit, ubi reum cædis aut proditionis patriæ invenirent. Ea nimirum Dei amicorum sors est, odia publica, injuriæ, carcer: his Deus beneficiis suos prosequitur, uti cujusque vires ac virtus ferunt. Latina vox *ergastulum* proprie locum significat, ubi servi *vincti*, alii a *solutis*, singulis noctibus claudebantur. *Optime solutis servis cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient: vinctis quam saluberrimum ergastulum plurimis; sitque id angustis illustratum fenestris, atque a terra sic editis, ne manu contingi possint*, inquit Columella (18). *Domus laci* (19) proprie cisterna est, vel subterranea cella, ubi vinum servabatur, non intra dolia vel amphoras, sed in ipsa cisterna fusum, uti apud nos aqua. Vide intra XLVIII.

¥. 18. UBI SUNT PROPHETÆ VESTRI? Jeremiæ animus his injuriis minime labefactatur. In ipso carcere constantissime Regem alloquitur: *In manus Regis Babylonis traderis*: simulatis vero Prophetis, hostium infestissimis, veluti insultans, *Ubi sunt*, inquit, *Prophetæ vestri*, qui Chaldæos minime reversuros polliciti sunt? Quid nobilissimis pollicitationibus contigit? Jam videtis, quæ fides habenda iis sit. Eo tempore fortasse nunciatum est, & Pharaonem prælio cecidisse, & Nabuchodonosorem copias Jerosolymam reducere. Vide proximum Caput, ubi urbs iterum obsessa cernitur.

¥. 19. VALEAT DEPRECATIO MEA IN CONSPECTU TUO; preces meas bonus excipe. Hebræus (20): *Cadat oratio mea ad faciem tuam*; patere, ut ea coram te procumbat. Vide similem formulam supra XXXVI. 7. *Jucunda sit tibi oratio mea*, inquit Chaldæus.

¥. 20. UT TRADERETUR JEREMIAS IN VESTIBULO CARCERIS, ubi antea fuerat, quam Chaldæi ab obsidione recederent. Vide supra XXXII. 1. 2. XXXIV. 1... 7.

ET DABATUR EI TORTA PANIS QUOTIDIE, EXCEPTO PULMENTO; præter ea quæ ipse e privato penu haberet; fortasse enim vincti, qui in carceris vestibulo tenebantur, cum satis libertatis haberent, cibos sibi comparabant. At cum rarissimus eo tempore panis in urbe esset (21), jussit Rex singulos panes singulis diebus Jeremiæ exhiberi. Latina vox *torta* proprie significat frustulum conspersionis vel panis oblongum. Sequioribus Latinitatis temporibus usurpata est torta pro parvo pane, qui in unam unicuique diem sufficit. Hebræus (22): *Et datum est ei Kikkar*, frustum, talentum *panis in diem, e via pistorum*; e consueto pane, qualis apud pistores habetur (23). Septuaginta (24): *Dederunt ei panem unum in diem, extra ubi coquunt panem*, ex eo pane, qui publicitus paratur. Hæc verba cum Hebræo congruunt.

(17) אל בית הבור ואל החניות (18) Columel. lib. 1. cap. 6. de re Rust. (19) בית הבור
(20) תפל נא תחנתי לפניך Septuag. Πεσάτω ἔλεός μου κατὰ πρόσωπόν σου. (21) Infra cap. XXXVIII. 9.
(22) ונתן לו ככר לחם ליום מחוץ האפים (23) Ita Chald. Rabb. Jun. &c. (24) Ἐδίδοσαν αὐτῷ ἄρτον ἕνα τῆς ἡμέρας, ἔξωθεν ὃ πέσσουσι.

CAPUT XXXVIII.

Jeremias in altam scrobem demittitur luto plenam. Impetrat Abdemelech, ut inde educatur. Monet Sedeciam Jeremias, ut sese Chaldais dedat. Cur Jeremiæ consilio non obtemperaverit Sedecias. Silentio premit Jeremias ea, quæ cum Rege locutus est.

¥. 1. AUdivit autem Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phassur, & Juchal filius Selemiæ; & Phassur filius Melchiæ, sermones, quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus: Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste; qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima ejus sospes, & vivens. 3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam. 4. Et dixerunt principes regi: Rogamus, ut occidatur homo iste; de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, & manus universi populi, loquens ad eos juxta verba hæc, siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. 5. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est; nec enim fas est regem vobis quidquam negare. 6. Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris, & submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum; descendit itaque Jeremias in cœnum. 7. Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Jeremiam in lacum, porro rex sedebat in porta Beniamin. 8. Et egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens: 9. Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame, non sunt enim panes ultra in civitate.

vitate. 10. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Jeremiam prophetam de lacu, antequam moriatur. 11. Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario: & tulit inde veteres pannos, & antiqua, quæ computruerant, & submisit eâ ad Jeremiam in lacum per funiculos. 12. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida, sub cubitu manuum tuarum, & super funes: fecit ergo Jeremias sic. 13. Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu: mansit autem Jeremias in vestibulo carceris. 14. Et misit rex Sedecias, & tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini: & dixit rex ad Jeremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. 15. Dixit autem Jeremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me? & si consilium dedero tibi, non me audies. 16. Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, & si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam. 17. Et dixit Jeremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni, & salvus eris tu, & domus tua. 18. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum. 19. Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam: Solicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi. 20. Respondit autem Jeremias: Non te tradent; audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & vivet anima tua. 21. Quod si nolueris egredi; iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus: 22. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis, & ipsæ dicent: Seduxerunt te, & prævaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno, & lubrico pedes tuos, & recesserunt a te. 23. Et omnes uxores tuæ, & filii tui educentur ad Chaldæos, & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris: & civitatem hanc comburet igni. 24. Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam: Nullus sciat verba hæc, & non morieris; 25. Si autem audierint principes, quia locutus sum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi; Indica nobis, quid locutus sis cum rege, ne celes nos, & non te interficiemus, & quid locutus est tecum rex: 26. Dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, & ibi morerer. 27. Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam, & interrogaverunt eum, & locutus est eis juxta omnia verba, quæ præceperat ei rex, & cessaverunt ab eo: nihil enim fuerat auditum. 28. Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Jerusalem, & factum est, ut caperetur Jerusalem.

℣. 1. PHASSUR FILIUS MELCHIÆ; idem qui Capite xx. 1. Sacerdos, immitis animo, & Jeremiæ inimicus.

SERMONES QUOS LOCUTUS EST AD OMNEM POPULUM. Quamquam in carceris vestibulo detentus, negato prorsus egressu, populum tamen ad sese confluentem, cooftantiflime arguebat; nemini enim ingredi volenti, carceris vestibulum claudebatur.

℣. 2. ERIT ANIMA EJUS SOSPES; vitam servabit, extremamque calamitatem effugiet. Hebræus (1): *Erit illi anima ejus in exuvias*, ceu præda ex hoste per ignes cædesque reportata. Nisi sese ultro dediderit, hostis in potestatem tradetur. Septuaginta (2): *Erit anima ipsius in lucrum*, ceu illud quod alea comparatur; vel, *quod invenitur* præter spem in itinere.

℣. 5. NEC ENIM FAS EST REGEM VOBIS QUIDQUAM NEGARE. Lene verborum officium, quo Sedecias testatur, nolle se Optimatibus hoc aut quidpiam simile postulantibus negare. Aliter: *Nefas Regi est, vobis aliquid rogantibus, detrectare*; quasi clam queratur, omnem ab illis authoritatem usurpari, unumque Regis nomen sibi relinqui. Hebræus (3): *Quoniam nihil Rex poterit ad vos*, vel *adversum vos*. Detrectare non licet, etiamsi velim. Septuaginta (4): *Quoniam non poterat* quidquam *Rex adversum eos*. Sive ipse per se illos allocutus fuerit, quemadmodum innuit Scriptura, vel tantummodo illis dixerit, *Ecce ipse in manibus vestris est*, cæteris a Scriptore additis, illud certum ex hoc loco videtur, Jeremiæ carcerem molestissimum Sedeciæ fuisse, quem a sese prohiberi non posse intelligeret.

℣. 6. PROJECERUNT EUM IN LACUM MELCHIÆ FILII AMELECH, QUI ERAT IN VESTIBULO CARCERIS. Nonnulli vertunt (5): *In lacum Melchiæ filii Regis*. Amelech vel Regem significare potest, vel hujus nominis virum. Quorsum vero hæc animadversio, *Amelech, qui erat in vestibulo carceris*? Mihi placet, referenda esse ad Jeremiam hæc verba, vertendumque (6): *Et tulerunt Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Helciæ filii Regis*, vel filii Amelech; *qui lacus aquam non habebat, sed cœnum*. Eductus est Jeremias e vestibulo carceris, ut in cisternam quamdam cœnosam demitteretur. Simplex maxime videtur explicatio. Tradit Josephus (7), Jeremiam demissum esse in cisternam cœoo plenam, ubi ad collum usque cœno merge-ba-

(1) והיתה לו נפשו לשלל Similem locutionem vide supra xxi. 9. (2) Καὶ ἔσται ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς εὕρεμα. (3) כי אין המלך יוכל אתכם דבר (4) Ὅτι οὐκ ἠδύνατο ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτούς. (5) Ita Septuag. Chald Jun. Pisc. (6) ויקחו את ירמיהו וישליכו אתו אל הבור מלכיהו בן המלך [אשר בחצר המטרה] (7) Joseph. Antiq. lib. x. cap. 10.

gebatur, apertissimo vitæ discrimine, nisi quamprimum educeretur.

℣. 7. Abdemelech Æthiops, vir eunuchus, inter Regia Ministros. Nomen *Cuschi* vel *Æthiopis* virum hunc alieno genere fuisse innuit, non vero ex ea omnino regione, quam Æthiopiam nominamus. *Chus* regio circa septemtrionalem Erythræi angulum, Ægyptum versus, jacebat. Deus ipse, qui Abdemelechum obsequio & misericordia erga Jeremiam impleverat, illum deinde præmio donavit, immunem morte servans, in Jerosolymæ expugnatione (8).

℣. 9. Mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame: non sunt enim panes ultra in civitate. Hebræus (9): *Quem miserunt in carcerem, & morietur ibi fame: quoniam non est panis ultra in civitate.* Aliter: *Mortuus fuisset per se fame, quoniam non est ultra panis in civitate.* Frustra novum hoc flagitium prioribus addimus: nonne quamprimum & ipse fame interibit? Septuaginta (10): *Male fecisti quæ fecisti, interficiendo hominem Dei a facie famis; quoniam non sunt ultra panes in civitate.* Reddunt alii: Jeremiam fame necare vis in carcere, quasi nullus ultra panis in urbe supersit.

℣. 10. Tolle tecum triginta viros, quibus cæterorum injuriam repellas, siquis repugnet. Interpretum quidam arbitrantur, Abdemelechum militibus triginta præfuisse, inter Prætorianos. Hebræus (11): *Tolle in manu tua*, sub tuo imperio, *hinc triginta viros.*

℣. 11. Ingressus est domum Regis, quæ erat sub cellario, quo veteres sarcinæ projiciebantur. Hebræus (12): *Venit in domum Regis, sub thesauro, & tulit veteres pannos laceratos & usu detritos.* Septuaginta (13): Venit *in locum subterraneum, & accepit ibi vetustas vestes laceras, & vetustos funiculos.*

℣. 12. Sub cubito manuum tuarum, sub alas. Nudus fuisse videtur Jeremias (14).

℣. 13. Mansit in vestibulo carceris, jam tertio: primo, jubente Sedecia, antequam Jerosolyma obsidione solveretur; tum fugæ causa, quam inimici objecerant; denique Regis jussu, e carcere eductus.

Eduxerunt eum de lacu. Septuaginta (15) apud Theodoretum, *e fossa chereth*: alibi tamen nuspiam.

℣. 14. Ad ostium tertium, quod erat in domo Domini. Nihil satis aptum apud Interpretes in hunc locum legitur. Neminem latet, januis quatuor instructum fuisse atrium Israelis, at Sacerdotale tribus. Quis vero doceat, utrum hæc una e præcipuis Templi foribus, an altera fuerit? Regiæ Domus januam fuisse puto, qua Reges in Templum veniebant. Hebræus reddi potest (16): *Ad ostium tertium, quod Templum versus erat*; vel, *ad ostium Præfectorum, quod in Templo erat.* Hebræa vox *schalisch*, seu *schalischi* significat vel *tertium*, vel Ducem, militumque Prætorianorum Præfectum. Illud ego fuisse puto, quod e Regiis ædibus in Templum deferebat, alibi appellatum (17) *portam scutariorum*, excubitorum scilicet clypeis instructorum. Aliis etiam sub appellationibus alibi legitur (18). Minime dubito, quin hic locus ita omnino explicandus sit, sive fores Regiarum ædium accipias, per quas aditus in Templum patebat, sive Templi portam, qua in Regias ædes ingrediebantur. Hebraicum vocabulum servavere Septuaginta (19), leguntque *Aselisel.*

℣. 17. Si exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua. Præsens obsidioni non aderat Nabuchodonosor, sed Reblatæ in Syria morabatur, tradito Ducibus exercitu. Monet igitur Sedeciam Jeremias, ut ad hos Chaldæorum Imperatores ultro progrediatur. Cur vero? Nonne iniquissima vi Nabuchodonosor illud imperium usurpabat, ut proinde optimo jure Sedecias illi obtemperare detrectaret? Quamquam Nabuchodonosoris causam agere, aut expeditionum illius æquitatem defendere non instituimus, illud tamen fateri necesse est, jus aliquod in Jerosolymam ac Regnum Juda Nabuchodonosori non defuisse. His enim ab eo expugnatis sub Joakimo Josiæ filio, hic Nabuchodonosori vectigalis deinceps fuit. Creato Judæorum Rege Sedecia, hic fidei sacramentum illi exhibuit, ac Regnum ea conditione accepit, ut sibi vectigalis in posterum foret. Violata fide a Sedecia, detrectatoque tributo, perduellionem probare non potuit Deus. Quamobrem nonnisi æquissima monebat Jeremias.

℣. 19. Sollicitus sum propter Judæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne in illorum potestatem traditus, injuriis afficiar. Rebelles, patriæque & Regis proditores hi fuisse videntur; homines ex urbe elapsi, fortasse ob violentum Sedeciæ imperium; meri enim transfugæ Regis præsentiam vereri debebant, non illos Rex.

℣. 22. Seduxerunt te pacifici tui. Ii, quorum consiliis usus es, falsi Prophetæ, assentatores te fefellere, atque in cœnum impulerunt, miserrime periturum. Usurpare videtur Jeremias hanc loquendi formam, *Demerserunt in cœno*, ut ad suam ipsius conditionem alludat, qui paulo antea in carcerem cœno plenum detrusus fuerat. *Pacificos* (20) intellige Regis amicos & familiares. Similes locutiones vide *Ps.* xl. 10. *Homo pacis meæ*; *Abd.* ℣. 7. *Omnis viri fœderis tui*; *Jerem.* xv. 10. *Qui erant pacifici mei*; *Eccli.* vi. 6. *Multi pacifici sint tibi*, &c.

℣. 27. Locutus est eis juxta omnia verba, quæ præceperat ei Rex. Regem exorasse videtur Jeremias, ne in pristinum carcerem se conjici pateretur, egeratque fortasse gratias redditæ ex eo loco libertatis: mendacio enim non careret, ubi diceret: *Prostravi ego preces meas coram Rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, & ibi morerer.* Licet profecto res tuas nemini aperire, veritatemque verbis abscondere; nefas est falsum loqui, aut veris falsa miscere, vel negata altera veritatis parte, alteram affirmare. His enim rationibus læditur veritas, neque immunis crimine esse potes.

---

[8] Jerem. xxxix. 15. 16, 17.
[9] את אשר השליכו אל הבור וימת תחתיו מפני הרעב כי אין הלחם עוד בעיר
[10] Ἐπονηρεύσω ἃ ἐποίησας τοῦ ἀποκτεῖναι τὸν ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ ἀπὸ προσώπου τοῦ λιμοῦ, ὅτι οὐκ εἰσὶν ἔτι ἄρτοι ἐν τῇ πόλει. Ita & Theodoret.
[11] קח בידך מזה שלשים אנשים
[12] ויבא בית המלך אל תחת האוצר ויקח משם בלוי הסחבות ובלוי מלחים
[13] Εἰς τὴν ὑπόγαιον, καὶ ἔλαβεν ἐκεῖθεν παλαιὰ ῥάκη, καὶ παλαιὰ σχοινία.
[14] Sanct. Grot.
[15] Ἐκ τοῦ λάκκου χειρέθ.
[16] אל מבוא השלישי אשר בבית יהוה
[17] 4. Reg. xi. 19. Vide & 3. Reg. xiv. 28.
[18] Vide 1. Par. xxvi. 16. 2. Par. ix. 11.
[19] Εἰς οἰκίαν ἀσελεισὶλ τὴν ἐν οἴκῳ κυρίου. Cæteri, τὴν τρίτην. Ita & Syr. apud Theodoret.
[20] אנשי שלמך Septuag. Ἄνδρες εἰρηνικοί σου.

CAPUT XXXIX.

Jerosolyma capitur, universaque cum Templo crematur & evertitur. Sedecias oculis orbatus, Babylonem rapitur. Liber dimittitur Jeremias. Populi pars Babylonem ducta. Vaticinium pro Abdemelecho.

℣. 1. ANno nono Sedeciæ Regis Juda, mense decimo, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & omnis exercitus ejus ad Jerusalem, & obsidebant eam; 2. Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis aperta est civitas; 3. Et ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, & sederunt in porta media: Neregel, Serefer, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Serefer, Rebmag, & omnes reliqui Principes Regis Babylonis. 4. Cumque vidisset eos Sedecias Rex Juda, & omnes viri bellatores, fugerunt, & egressi sunt nocte de civitate per viam horti Regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti. 5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichuntinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor Regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: & locutus est ad eum judicia. 6. Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus: & omnes nobiles Juda occidit Rex Babylonis. 7. Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. 8. Domum quoque Regis, & domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, & murum Jerusalem subverterunt. 9. Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem. 10. Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Juda: & dedit eis vineas, & cisternas in die illa. 11. Præceperat autem Nabuchodonosor Rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens: 12. Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed, ut voluerit, sic facias ei. 13. Misit ergo Nabuzardan Princeps militiæ, & Nabusezban, & Rabsaces, & Neregel, & Serefer, & Rebmag, & omnes optimates Regis Babylonis, 14. Miserunt, & tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, & habitaret in populo. 15. Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens: 16. Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, & non in bonum; & erunt in conspectu tuo in die illa. 17. Et liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas; 18. Sed eruens liberabo te, & gladio non cades; sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

℣. 1. ANno nono Sedeciæ, venit Nabuchodonosor . . . [℣ 2.] Undecimo autem anno, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas. Jerosolymæ obsidio cœpit anno Sedeciæ nono, Mundi 3414. ex Usserio, die Jovis, tertio Kalendas Februarii: capta est urbs anno Sedeciæ undecimo, Mundi 3416. die Mercurii, sexto Kalendas Augusti. Solemnia duo quotannis jejunia servant adhuc Judæi; alterum, incœptæ obsidionis causa; alterum ob urbem captam (1), seu potius ob Templi incendium, mense quinto (2). Quamobrem urbs toto mensium unius & triginta spatio obsessa est; quo ex numero deme tempus, quo Nabuchodonosor copias in Ægyptium, suppetias Sedeciæ ferentas, convertit; quod quam diuturnum fuerit, ignoratur: brevissimum certe; quippe & Pharao facile pulsus est, & loca non magnopere inter se distant. Innuere videtur Ezechiel (3), prælium cum Ægyptiis contigisse decimaquinta tertii mensis die, trecentis & nonaginta diebus, antequam urbs caperetur.

Pro *mense quarto, quinta mensis*, Hebræus fert (4): *Quarto mense, nona mensis*. Consentiunt Chaldæus, Septuaginta, Versiones cæteræ, & Latini etiam Codices nonnulli, tum hic, tum in Regum Libris (5), & inferius (6). Quamobrem ex Librarii errore ita ferre videtur Vulgata. Ut varias hasce temporum notas concilient, ajunt nonnulli (7), captam quidem esse urbem quinta die mensis quarti, ex fide Vulgatæ; at dum expilatur urbs, ingentesque illius opes coguntur, ac Nabuchodonosoris, tunc Reblatæ commorantis, decreta expectantur, elapsum esse mensem; quo absoluto, urbem Templumque injecto igne conflagrasse, die septima mensis quinti (8), ex quarto Regum Libro, vel decima ejusdem mensis die,

[1] Vide Zach. VIII. 19. [2] Zach. VII. 3. 5. & VIII. 19. [3] Ezech. XX. 5. 8. [4] בחדש הרביעי בתשעה לחדש Τῷ μηνὶ τῷ τετάρτῳ ἐννάτῃ τοῦ μηνός. [5] 4. Reg. XXV. 3. *Clausa est civitas usque ad undecimum annum, nona die mensis, &c.* [6] Jerem. LII. 6. *Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem, &c.* [7] Sanct. hic, n. 2. & 9. Cornel. [8] 4. Reg. XXIV. 8. *Mense quinto, septima die mensis.*

die, ex Jeremia (9). At frustra dissidentes temporum notas hasce conciliare conaris, quæ nihil commune habent cum ea, qua capta est Jerosolyma. Capta est urbs die nona mensis quarti, ex Hebræo hujus loci, quarto Regum Libro, & Capite LII. Jeremiæ. Ingressus urbem est, Nabuchodonosoris jussu, Nabuzardan, die septima mensis quinti, ex quarto Regum Libro: duos vel tres dies direptioni urbis dedit; denique decima ejusdem mensis quinti die, urbem Templumque cremavit. Ita optimi apud nostros Chronologi rem digerunt (10).

℣. 3. SEDERUNT IN PORTA MEDIA; fortasse in area, quæ ante portam alterius loricæ porrigebatur: plures enim mœnium loricæ Jerosolymam cingebant. Vide Tabulam. Ita fides sua iis vaticiniis stetit (11): *Convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem.* Et (12): *Erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta.*

NERGEL, ET SERESER bis hoc loco leguntur, fortasse Librarii errore. *Neregel* nomen est Numinis apud Assyrios, cujus religio apud Cuthæos, a Salmanasaro, vel Assaradone in Samaritidem missos, celebris erat (13).

SERESER, scilicet ærarii custos, seu Princeps.

SEMEGAR-NABU, Præfectus, Custos Templi Nabo, Babyloniorum Numinis (14).

SAR-SACHIM, Princeps Sacharum; gentis apud Orientales notissimæ. Scythas omnes Persæ *Sacas* nominant, inquit Herodotus (15).

RABSARES, Eunuchorum, vel Regiæ domus Præfectorum Princeps. Eunuchi apud Orientales dicebantur ministri quilibet, qui familiare ministerium Regi exhiberent (16). Alterum *Rabsaris* vidimus apud Sennacheribum (17).

REB-MAG, Princeps Magorum. Magos in ea gente Sapientes regionis fuisse, compertum est. Nonnulli (18) Tribunum militum, castra metantem, atque ordinem profectionis moderantem, interpretantur.

℣. 4. EGRESSI SUNT PER PORTAM, QUÆ ERAT INTER DUOS MUROS; ex altera e portis, quas nondum hostis occupaverat, ex porta occulta. Si Jerosolymæ situs probe teneretur, accuratius de portis hisce agi posset. Nocturnam hanc, & præcipitem Sedeciæ fugam mirifice expresserat Ezechiel (19), jussus a Deo sarcinas in fascem colligere, iter facientis more, qui alienas sedes quærit; domus parietem fodere, atque in tenebris hominum humeris deferri, fugienti ac territo similis. Rabbinicam fabulam hic præterimus, qua dicitur, ex Regis Jerosolymæ ædibus subterraneo itinere via patuisse ad agrum Jerichontis; Sedeciam vero elabi eo itinere conantem, cerva indicasse, quæ superius in agro eandem viam tenebat, quam sub terras Sedecias; quamobrem, inquiunt, Chaldæi, qui Regem quærebant, cervam insequentes, ad subterranei itineris ostium, eodem tempore pervenerunt, quo Sedecias egrediebatur.

℣. 5. IN CAMPO SOLITUDINIS JERICHONTINÆ; In agro inculto, gregibusque relicto, circa Jerichontem. Hebræus (20): *In Araboth Jericho*; quæ vox pro agris incultis, & interdum pro occidente usurpatur. Septuaginta in Romana editione omittunt ℣℣. 4. 5. & cæteros usque ad 14. At legunt Theodoretus, & editio Complutensis. Duodecim hi ℣℣. ducti videntur ex quarto Regum, XXV. 4. 5. usque ad 12.

IN REBLATHA, QUÆ EST IN TERRA EMATH. Ignota prorsus est in nostra ætate Reblatha. At vivente Theodoreto adhuc stabat circa Emesam; quamobrem Theodoretus urbem Emath ipsam esse Emesam Syriæ colligit: id quod nobis etiam placuit.

LOCUTUS EST AD EUM JUDICIA. Accusatus damnatusque est perduellionis, fraudis, perjurii, fracta fide, quam domino suo exhibuerat, Regi scilicet, ex quo & Regnum & bona omnia acceperat; violatique Sacramenti, quo sub Regni initium constantem Chaldæis fidem promiserat. Necati eo præsente sunt, ceu criminis socii, omnes Regni Optimates, & Regis liberi. Babyloniorum Reges nihil nisi consultis Optimatibus ac Satrapis agebant (21).

℣. 7. OCULOS SEDECIÆ ERUIT, carissimis quibusque prius eo vidente trucidatis. Ita Ezechielis vaticinium expletum est (22): *Adducam eum in Babylonem & ipsam non videbit, ibique morietur.* Solemne adhuc jejunium celebrant Judæi, ob Sedeciæ supplicium.

℣. 8. DOMUM VULGI SUCCENDERUNT (23); Populi universi domos, totamque Jerosolymam. Vel, uti quibusdam placet (24), domum publicam, qua celebrabantur publici ludi, nuptiæ, jaculationes &c. sive, ex aliorum sententia, Domum Senatus, vel Synagogam, ubi jus dicebatur, seu Religio, & legis lectio exercebatur.

℣. 9. RELIQUIAS POPULI, QUÆ REMANSERANT IN CIVITATE, ex omnibus urbis calamitatibus, gladio, peste, fame relictæ; vel quibus pepercerat Nabuchodonosor, capta urbe sub Joakimo, & Jechonia.

NABUZARDAN MAGISTER MILITUM. Hebræus (25): *Nabuzardan Princeps coquorum, sive lanionum*, vel custodum Regis; ad verbum, *Interfectorum*. Vide quæ de hoc munere diximus in Genesim (26).

℣. 10. DE PLEBE PAUPERUM DIMISIT IN TERRA JUDA; eos ex quibus nullus est timoris locus; qui cum fortunas omnes illi deberent, constantiori erga ipsum fide futuri erant. His vero *dedit vineas & cisternas*; vel potius (27) *vineas & agros*, uti habet Hebræus, & innuit quartus Regum liber XXV. 12. (28); *Reliquit vinitores & agricolas.*

℣. 12. TOLLE ILLUM ET PONE SUPER EUM OCULOS TUOS, scilicet studiosissime illum tuere. Ea locutio benevolentiam, amicitiam, favorem significat (29). Intellexerat fortasse ex transfugis Nabuchodonosor omnia quæ dixerat feceratve, aut passus in obsidione fuerat Jeremias; ipsumque semper cives monuisse, ut sese Chaldæis dederent. Hæc imperasse Nabuchodonosor videtur aliquo tempore post urbis expugnationem; ipse enim Jeremias cum cæteris captivis in vincula datus, & Ramam usque ductus est. Infra, XL. 1.

℣. 13. NABU-SEZBAN. Nabu idem esse videtur ac *Semgar-nabu*, ℣. 3. *Sezban* Regii alterius Ministri nomen est; vel idem fortasse erit ac *Sarsachim*; utroque enim in hoc versiculo idem supremorum sex Tribunorum numerus exhibetur. Quatuor cæteris eadem est appellatio: duorum tantummodo nomen discrepat.

℣. 14. TRADIDERUNT EUM GODOLIÆ, Præfecto reliquiis populi, in patrio solo relictis (30). Censent

[9] Jerem. LII. 12. *In mense quinto, decima mensis, venit Nabuzardan in Jerusalem.* [10] Torniell. Salian. Usser. [11] Jerem. I. 15. [12] Isai. XXII. 7. [13] 4. Reg. XVII. 30. *Viri Cuthæi fecerunt Nergel.* [14] Isai. XLVI. 1. *Contritus est Nabo.* [15] Herodot. lib. 3. cap. 93. Strabo lib. XI. p. 352. Ptolem. lib. 6. c. 13. [16] Herodot. lib. 7. c. 83. [17] 4. Reg. XVIII. 17. (18) Jun. Tremel. Angl. (19) Ezech. XII. 4. & sequ. (20) בערבות ירחו (21) Dan. VI. 7. 8. 15. 17. (22) Ezech. XII. 13. (23) את בית העם Septuag. Τὰς οἰκίας τοῦ λαοῦ. (24) Sanct. Menoch. Vide Adrichom. in Jerusal. n. 45. (25) נבוזראדן רב טבחים (26) Genes. XXXVII. 36. & XXXIX. 1. *Putiphar Eunuchus Princeps exercitus.* (27) ויתן להם כרמים ויגבים Septuag. Ἀμπελῶνας & ὑδρεῖα. (28) לכרמים וליגבים (29) Vide Jerem. XXIV. 6. *Ponam oculos meos super eos ad placandum.* Psal. XXXIII. 16. Oculi Domini super justos. Genes. XLIV 21. *Ponam oculos meos super eum. &c.* (30) Jerem. XL. 5. 4. Reg. XXV. 22. & sequ.

sent Judæi, Godoliam ex iis unum fuisse, qui ad Chaldæos transfugerunt ante urbis expugnationem, Chaldæis in obsidione utilissimum.

Ỳ. 15. AD JEREMIAM FACTUS FUERAT SERMO DOMINI, cum in adhuc in carceris vestibulo esset, futurum ut Abdemelech, Sedeciæ minister, cujus ope Jeremias e cœnoso carcere eductus est (31), extremo Jerosolymæ discrimine immunis esset, vitamque servaret: Ỳ. 18. *Erit tibi anima tua in salutem*; vel ex Hebræo: Erit tibi anima tua *in spolium*; ceu exuviæ bello captæ. Vide supra, XXI. 9. & XXXVIII. 2. Ita Deus præmium rebus pie justeque gestis largitur, ac beneficii loco accipit id, quod in minimum e suis collatum est (32).

[31] Sup. XXXVIII. 7. 8. & seq. [32] Matt. XXV. 40.

CAPUT XL.

Libera fit Jeremiæ potestas ubique commorandi. Is ad Godoliam Judææ Præfectum venit. Baalis Ammonitarum Rex Ismaelem Nathaniæ filium mittit, ut Godoliam interficiat. Monitus ea de re Godolias, monentibus non credit.

Ỳ. 1. SErmo, qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rhama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Jerusalem, & de Juda, & ducebantur in Babylonem. 2. Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum, 3. Et adduxit: & fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, & non audistis vocem ejus, & factus est vobis sermo hic. 4. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis; si placet tibi, ut venias mecum Babylonem, veni, & ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum Babylonem, reside: ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, & quod placuerit tibi, ut vadas, illuc perge. 5. Et mecum noli venire: sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda: habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit tibi, ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, & munuscula, & dimisit eum. 6. Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, & habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra. 7. Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi, & socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, & quod commendasset ei viros, & mulieres, & parvulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem: 8. Venerunt ad Godoliam in Masphath: & Ismahel filius Nathaniæ, & Johanan, & Jonathan filii Caree, & Sareas filius Thanehumeth, & filii Ophni, qui erant de Netophati, & Jezonias filius Maachathi, ipsi, & viri eorum. 9. Et juravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, & comitibus eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis, habitate in terra, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis. 10. Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris, & manete in urbibus vestris, quas tenetis. 11. Sed & omnes Judæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in universis regionibus, audito, quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa, & quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan. 12. Reversi sunt, inquam, omnes Judæi de universis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in terram Juda ad Godoliam in Masphath: & collegerunt vinum, & messem multam nimis. 13. Johanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath. 14. Et dixerunt ei: Scito, quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. 15. Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens: Ibo, & percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, & dissipentur omnes Judæi, qui congregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Juda. 16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree: Noli facere verbum hoc; falsum enim tu loqueris de Ismahel.

Ỳ. 1. SER-

℣. 1. SERMO QUI FACTUS EST AD JEREMIAM, POSTQUAM DIMISSUS EST A NABUZARDAN. Interpretum nonnulli (1) ajunt, *sermonem* hic pro *re* usurpari. Hæc Jeremiæ contingerunt, postquam in libertatem vindicatus est. Alii (2) hunc locum ceu superioris orationis finem accipiunt; nemo probabiliter. Postquam dixit Jeremias, sese Chaldæorum potestate liberatum, Dei voces audisse, rem altius repetit; recuperatæ libertatis modum narrat; Godoliæ vices; decretam a populo fugam in Ægyptum; denique ea exponit, quę sibi Deus aperuit. Hæc usque ad caput XLII. ℣. 4. seu 9. producuntur. Tandem postquam Propheta Lectorem probe monuit quid hic agatur, ea quæ sibi Deus aperuit, narrat.

POSTQUAM DIMISSUS EST DE RAMA. Captivos omnes Nabuzardan Ramam coegerat, Babylonem ducendos, ut ex Capite XXXI. 15. Ramam Benjamin intellige, inter Bethel & Gabaam (3).

QUANDO TULIT EUM VINCTUM CATENIS IN MEDIO OMNIUM. Jeremiam cum cæteris captivis Nabuzardan vinculis oneraverat, cum nondum Regis voluntatem, in urbe Rama primum fortasse auditam, intellexisset. Vide supra, XXXIX. 12.

℣. 3. FECIT DOMINUS SICUT LOCUTUS EST, QUIA PECCASTIS DOMINO. Ea explevit Deus, quæ tam sæpe vaticinatus es; gens enim tua Deum provocavit. Animadverte, ultricem Dei manum in omnibus Jerosolymæ casibus a Nabuzardano agnosci. Id frequenter nunciaverant Prophetæ, supremum Judicem in Judæos severe adeo animadversurum, ut vel extranei miraturi sint, ac dicturi, ubi Jerosolyma pertransierint: En urbem Domino nunquam non contumacem (4).

℣. 4 OMNIS TERRA IN CONSPECTU TUO EST. Elige quem volueris domicilii tui locum: optionem tibi do: per me licet, Ita sonat hæc locutio: *Omnis terra in conspectu tuo est*. Ita ad Lothum Abraham (5): *Universa terra coram te est: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*. Abimelech Abrahamum alloquens (6): *Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit, habita*. Bathuel ad Eliezerum Abrahami œconomum (7): *En Rebecca coram te est: tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii domini tui*.

℣. 5. ET MECUM NOLI VENIRE, SED HABITA APUD GODOLIAM. Vel: At si mecum esse nolueris, cum Godolia esto. Aliter: at cum optime sentiam, minime tibi placere me sequi, ad Godoliam perge, cum eoque commorare. Optionem primum dederat, manendi ne, an Babylonem proficiscendi: *Si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni: Sin autem displicet tibi venire, reside*. At molestum illi fore Babylonis iter intelligens, subjecit: Moneo ut hic esse pergas, atque ad Godoliam proficiscaris. Hebræus (8): *Et cum ille non revertetur, revertere ad Godoliam*. Cum nunquam remittendi esse videantur captivi, ubi semel Babylone fuerint, moneo ne Babylonem venias; fortasse enim nunquam es egressurus: quamobrem esto cum Godolia. Aliter: Cum Godolias huc venturus non sit, Maspham ad illum perge. Denique: *Adhuc eo non respondente, ait: revertere ad Godoliam*. Non expectata Prophetæ sententia, Nabozardan monuit: Mihi crede; ad Godoliam redi. Simplex maxime videtur hæc interpretatio. Verti cum Chaldæo ita potest: *Si habitare non vis mecum, revertere ad Godoliam*. Septuaginta breviore sententia (9): ℣. 4. *Quo bonum & jucundum oculis tuis fuerit ire, illuc ito.* (℣. 5.) *& revertere ad Godoliam*. Alii codices nihil tale habent in ℣. 5.

DEDIT EI CIBARIA, ET MUNUSCULA. Hebræus vertitur (10): *Dedit ei munera & donum*. Plerique tamen cum Vulgata consentientes, de commeatu Jeremiæ dato explicant, aliisque muneribus, veluti vestibus, aut pecunia; his enim exutus, atque in vincula datus fuerat, non secus atque captivorum vilissimus.

℣. 6. VENIT AD GODOLIAM IN MASPHATH. Cur hic potius quam alibi sedem fixerit Godolias, non satis constat. Fortasse eum locum elegit, quod & proximus Jerosolymæ esset, & veteri apud incolas religione celebraretur. Quamobrem opportunissimum esse censuit, quo dissipatam gentem cogeret.

℣. 7. OMNES PRINCIPES EXERCITUS, QUI DISPERSI FUERANT. Narrat Josephus (11), capto a Chaldæis in fuga Sedecia, illum amici ac Ministri deserentes, fugerunt quo unusquisque potuit, Iidem igitur hi *Principes exercitus* fortasse fuerunt, qui prius metu territi, ad Godoliam deinde in Masphath convenerunt.

℣. 9. ET JURAVIT EIS GODOLIAS, DICENS: NOLITE TIMERE SERVIRE CHALDÆIS. Animos Judæorum confirmavit, jurejurando pollicitus, se nihil illis injuriæ illaturum, Chaldæos neminem ex iis qui elapsi fuerant, quæsituros; se vero tranquillissimam illis securitatem promittere. Principes hi, qui Jerosolymam adversus Nabuchodonosoris arma defenderant, vereri poterant, ne in sua regione agniti, ad cæteros captivos rapi juberentur. Suspectus etiam erat Godolias, utpote Chaldæis amicus. Quamobrem illos jurejurando confirmat, nullum esse timori locum.

℣. 10. HABITO IN MASPHATH, UT RESPONDEAM PRÆCEPTO CHALDÆORUM, QUI MITTUNTUR AD NOS. Mei muneris est, quicquid in regione agitur, Chaldæos monere, eorumque res agere. Loco Chaldæorum sum, eorumque nomine certiores facio, licere otiosis in regione esse, modo turbas non exciteris. Siquid contigerit, ad me veniendum est; ac polliceor futurum, ut mei causa nihil mali patiamini. Hebræus (12): *Ecce ego habito in Maspha, ut stem coram Chaldæis*, ut iis serviam, eorumque imperiis obtemperem: quamobrem ita mihi, uti Chaldæis ipsis, fidem habetote; quippe qui sciam quid illis placeat. Vel; Nullam apud vos mei invidiam creare potest Magistratus, quem gero: servus Chaldæorum sum, hic constitutus, ut rerum hic gestarum rationem reddam, eosque hic excipiam, ubi venerint.

℣. 11. SED ET OMNES JUDÆI, QUI ERANT IN MOAB, cum Chaldæos discessisse intelligerent, ad Godoliam rediere. Jeremias in Lamentationibus (13) scribit, Hebræorum plures, cum durissimam servitutem, & tributa, quibus regio universa opprimebatur, ferre non possent, apud alienos confugisse; at minime invenisse quietem, quam quærebant: *Habitavit inter gentes, nec invenit requiem*. Quamobrem in patriam reversi sunt, statim ac quietos ibi sese futuros putavere.

℣. 13. JOHANAN, ET OMNES PRINCIPES EXERCITUS VENERUNT AD GODOLIAM. Dixerat jam ℣. 8. copiarum Duces ad Godoliam venisse: quorsum repetit? Eo fortasse, quod iterum venerint, postquam semel discessere. Vel, collecta per summa capita nar-

(1) Raban. Hugo, Tigur. (2) Sanct. hic, (3) Josue XVIII. 25. Judic. XIX. 12. 13. (4) Jerem XVIII. 16. *Ut fieret terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum; omnis qui præterierit per eam, obstupescet, & movebit caput suum*. Vide & XIX. 8. & XLIX. 13. & L. 13. & Thren. II. 15. (5) Genes. XIII. 9. (6) Genes. XX. 15. (7) Genes. XXIV. 51. (8) ועודנו לא ישוב ושבה אל גדליה
(9) Complut. Εἰς καλὸν καὶ εἰς ἀρεστὸν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς σου τοῦ πορευθῆναι, ἐκεῖ πορεύου, [5.] καὶ ἀνάστρεψον πρὸς Γοδολίαν. Edit. Rom. nihil tale habet in ℣. 5. (10) ארחה ומשאת Septuag. Ἐπισιτισμὸν καὶ δῶρα. Edit. Rom. Δῶρα ixneum. Chald. מתנן ונבזבן (11) Joseph. Antiq. lib. X. c. 11.
(12) הנני ישב במצפה לעמוד לפני הכשדים אשר יבואו אלינו (13) Jerem. Thren. I. 3. *Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis*, &c.

narratione: Johanan igitur, ceterique inter Regios Ministros nobilissimi, qui ad Godoliam venerant, ipsum monuere, Ismaelem Nathaniæ filium missum esse, ut ipsi necem inferret. Ismaelis consilium fortasse initio non intellexerant, at deinde agnoverant, eum ad Godoliam accessissent.

℣. 14. Baalis Rex filiorum Ammon, misit Ismael filium Nathaniæ, percutere animam tuam. Ismael ad Regium Juda genus pertinebat (14). Odium Godoliæ & regnandi ambitio, additis ab Ammonitarum Rege promissis ac premiis, illum facile in flagitium impulere. At nihil profecto esse videtur, cur Baalis in teterrimum illud scelus descenderet, nisi fortasse vetus Ammonitarum simultas in Hebræos; qua suadente, rem confecturum sese putabat, malaque omnia ulturum, quibus Ammonitæ a Judæis affecti fuerant, si extincta ferme Judæorum gente, Godoliam necaret, ac misertimas populi in Masphath collecti reliquias dissiparet. Græci Codices quidam legunt (15): *An nosti, missum esse ad te Ismaelem a Regina Regis filiorum Ammon* matre? Alii: *Belissam Regem, filium Ammon, &c.* Putat Grotius, commune apud Ammonitas Reginæ nomen *Belissa*, uti apud Judæos *Gebirah*.

℣. 16. Noli facere verbum hoc; falsum enim tu loqueris. Optime Godolias cavit, ne Johanan Ismaelem clam necaret. Licet a proditore cavere, illum undique circumspicere, sese adversus ipsum tueri, vim etiam vi repellere, dum justa sui defensio vim moderetur: at proditorem occupare, & eum qui fraudem molitur, fraude capere nefas est. Simplici, æquabili, rectoque animo vir erat Godolias; at credulus, qui otis specie facile deciperetur. Hunc Grotius cum Eumene comparat. Incaute nimis & domi excepit, & convivam adhibuit Ismaelem.

(14) Jerem. xli. 1. (15) Γνώσει γινώσκεις, ὅτι Βααλεὶς βασιλεὺς υἱῶν Ἀμμὼν ἀπέστειλε πρὸς σὲ Ἰσμαήλ. Ita Complut. sed Edit. Rom. Ὅτι Βελισσὰ βασιλεὺς υἱῶν Ἀμμών

C A P U T XLI.

Ismael Godoliam necat & Judæos qui una erant. Johanan Ismaelem insectatur, cogitque captivos, quos abducebat, relinquere. Populi reliquiæ secedere in Ægyptum decernunt.

℣. 1. ET factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama
de semine regali, & optimates Regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam
filium Ahicam in Masphath: & comederunt ibi panes simul in Masphath. 2. Sur-
rexit autem Ismahel filius Nathaniæ, & decem viri, qui cum eo erant, & percusse-
runt Godoliam filium Ahicam, filii Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præ-
fecerat rex Babylonis terræ. 3. Omnes quoque Judæos, qui erant cum Godolia in
Masphath, & Chaldæos, qui reperti sunt ibi, & viros bellatores percussit Ismahel.
4. Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente. 5. Vene-
runt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri, rasi barba, & scissis
vestibus, & squallentes: & munera, & thus habebant in manu, ut offerrent in do-
mo Domini. 6. Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Mas-
phath, incedens, & plorans ibat: cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite
ad Godoliam filium Ahicam. 7. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit
eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipse, & viri, qui erant cum eo. 8.
Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere
nos: quia habemus thesauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et
cessavit, & non interfecit eos cum fratribus suis. 9. Lacus autem, in quem proje-
cerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est,
quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel: ipsum replevit Ismahel filius Natha-
niæ occisis. 10. Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in
Masphath: filias regis, & universum populum, qui remanserat in Masphath: quos
commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Is-
mahel filius Nathaniæ, & abiit, ut transiret ad filios Ammon. 11. Audivit autem
Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne ma-
lum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ. 12. Et assumptis universis viris profecti
sunt, ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ, & invenerunt eum ad aquas
multas, quæ sunt in Gabaon. 13. Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum
Ismahel, Johanan filium Caree, & universos principes bellatorum, qui erant cum eo,
lætati sunt. 14. Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel in Masphath:
reversusque abiit ad Johanan filium Caree. 15. Ismahel autem filius Nathaniæ fugit
cum octo viris a facie Johanan, & abiit ad filios Ammon. 16. Tulit ergo Johanan
filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias
vulgi,

vulgi, quos reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Abicam; fortes viros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos, quos reduxerat de Gabaon. 17. Et abierunt, & sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem, ut pergerent, & introirent Ægyptum 18. A facie Chaldæorum; timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Abicam, quem proposuerat rex Babylonis in terra Juda.

℣. 1. MENSE SECUNDO VENIT ISMAEL DE SEMINE REGALI, septimo anni sancti mense, altero post Jerosolymæ exitium (1): paulo post quam Godolias sedem in Masphath collocaverat. Septimus hic mensis est *Tizri* apud Hebræos, & in Septembre competit (2). Tertia Tizri die Judæi jejunium quotannis servant, ob Godoliæ necem. Ismael Judæus gente, Regio Davidis genere, cum paucis venit e Sedeciæ familiaribus, qui capto Rege fuga elapsi fuerant. Decem insuper viri ad illum accesserant, ab Ammonitarum Rege corrupti, ut in Godoliæ cædem conspirarent. Universa familia in somnium resoluta, dormientem aggressi sunt, post lautam vinosamque cum perfidis convivis cœnam (3). Arduum certe non fuit armatis undecim ac facinorosis, sopitos, inermes, ac *vino* resolutos in tenebris jugulare.

℣. 3. OMNES QUOQUE JUDÆOS ET CHALDÆOS. Nocturnis tenebris ac tumultu, nece priorum parto, usus, obvios quoslibet, nullo Judæorum Chaldæorumve discrimine, trucidavit. Urbem etiam expilavit, acto ingenti captivorum numero, uti mox narrabitur. Porro minime dubitamus, quin hæc Regis Ammonitarum fraus Nabuchodonosorem provocarit ad bellum, quo statim is eam gentem oppressit.

℣. 4. SECUNDO AUTEM DIE, POSTQUAM OCCIDERAT GODOLIAM, NULLO ADHUC SCIENTE. Ea cædes tota nocte perpetrata est; cum rei fama orto die, vel *altera die*, uti habet Textus, nondum percrebuisset, inculta nimirum regione, relictisque ab Ismaele iis solummodo, quos captivos egerat. Sedulo autem animadvertit, rem adhuc omnibus ignotam fuisse, ut lectoris animum ad ea, quæ mox narraturus est, paret.

℣. 5. VENERUNT VIRI DE SICHEM, ET DE SILO, ET DE SAMARIA. Quamvis tam dira cædes elapsa nocte perpetrata fuisset, octoginta hi viri securo animo in Masphath profecti sunt, Godoliam cæterasque populi reliquias ibi se pacifice inventuros arbitrati. Hi ex urbibus *Sichem*, *Silo* & *Samaria* proficiscebantur, scilicet e Samaritida; Samariam enim Salmanasar everterat. Nonnulla fortasse ædificia ex urbis ruderibus excitaverant, quæ tunc temporis incolebantur. Silo urbs notissima est. Septuaginta ferunt *Salem* pro Silo (4).

RASI BARBA, ET SCISSIS VESTIBUS, ET SQUALLENTES. Omnia luctus indicia hi præseferebant, utpote qui patriæ excidium, Divinæque Domus incendium ac violationem flerent. Pro *squallentes*, Hebræus fert (5), *Incisi*, unguibus lacerati, ob doloris vim. Has doloris notas damnabat Lex (6), cum superstitionis aut Numinis alicujus causa fierent; minime vero, ubi communem consuetumque luctum significarent (7).

MUNERA ET THUS HABEBANT IN MANU, UT OFFERRENT IN DOMO DOMINI. Hebræus (8): *Et oblatio* panis, vini, seu similæ, aut olei, *& thus in manu eorum, ferenda in Domum Domini*. Quam vero, cum Templum jaceret? Quod si ad Templi rudera veniebant, ipsi ex urbibus Sichem, Silo, & Samaria profecti, quæ urbes ad aquilonem Jerosolymæ sunt, quorsum in Masphath, trans Jerosolymam & in meridie positam, contendebant? Qui peregrinos hosce Jerosolymam profectos esse ajunt, ut munera in eo loco collocarent, ubi olim Altare Holocaustorum fuerat, idcirco in Masphath illo ivisse ajunt, ut aliquem sibi Sacerdotem quærerent, una Jerosolymam ducendum, ut sua ipsorum munera rite sisteret. At qui illos in Masphath, ceu ad locum religione celeberrimum (9), profectos asserunt, necesse est ii putent, Godoliam, authoribus potissimum Jeremia & reliquis Sacerdotibus, decrevisse Tabernaculum aliquod aut altare in Masphath dedicare, quo convenientes Judæi, Religionis suæ officiis fungerentur, sacra & munera deferrent, dum Jerosolymitanum restitueretur: hoc porro Tabernaculum & Altare hic appellari *Domum Domini*. Hanc explicationem maximopere probo. Certe non semel Judaicæ Tribus coivere *ad Dominum in Masphath*. Eo loci Tribus undecim de injuria uxori Levitæ a Gabaitis illata deliberaverunt (10): *Congregati sunt, quasi vir unus, ad Dominum in Masphath*. Reducta Arca, quam ceperant Philisthæi, populum omnem collegit Samuel (11) *ad Dominum in Masphath*. Saul in Masphath Rex a populo creatus est (12); & Samuel sacrum fecit atque Altare dedicavit (13). Sub Machabæis, similibusque præsentium temporum vicibus, cum scilicet Altari ac Templo carerent, ad Masphath coacti, Religionem, quantum ex Lege fas erat, exercebant; *quia* inquit Scriptura (14), *locus orationis erat in Masphath, ante in Israel*.

℣. 6. INCEDENS ET PLORANS IBAT. Fortasse ab excubiis, ad portas constitutis, Ismael octoginta horum hominum adventum didicerat; quamobtem ut illos intra urbem atque in insidias traheret, illis occurrens, patriæ excidium communibus lacrymis sese prosequi simulavit. Ferunt Septuaginta (15), homines hosce lacrymis madidos in urbem subiisse; at Hebræus & Vulgata Ismaelem lacrymas simulasse significant.

℣. 7. INTERFECIT EOS CIRCA MEDIUM LACI, vel [illegible]æ, ex Hebræo. Lacum ne censeas aquis plenum, sed specum in rupe olim effossum ab Asa Rege Juda, uti narrat ℣. 9. Jugulatos huc deinde præcipites dedit.

℣. 8. HABEMUS THESAUROS IN AGRO. Thesaurum appellant, ex consueta Scripturæ locutione, quidquid conditur aut servatur; sive aurum, argentumve, triticum, vinum, oleum, vestes, aliudve. Solent toto Oriente agricolæ messem annonamque profundis in scrobibus condere, quas ea arte operiunt, ut humus minime eversa esse videatur; quamobrem ab ipsis solummodo agnoscuntur (16). Hunc morem hic & in aliis quibusdam Scripturæ Libris vides.

℣. 9. LACUS AUTEM IPSE EST, QUEM FECIT REX ASA,

(1) Capta est Jerosolyma quarto mense, & quinto conflagravit. 4. Reg. xxv. 2. 3. 4. & Jerem. xxxix. 2. 3. 8. & lii. 7. . . . 13. (2) Vide Usser. ad an. 3417. Sanct. alios. (3) Vide Joseph. lib. x. c. xi. (4) Edit. Rom. & Theodoret. Σελήμ. Complut. Συλώμ. (5) מתגדדים Septuag. Κοπτόμενοι. (6) Levit. xix. 28. *Super mortuo non incidetis carnem vestram.* (7) Jerem. xvi. 6. *Morientur grandes, & parvi in terra ista: non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, &c.* (8) ומנחה ולבונה בידם להביא בית יהוה (9) Vide Judic. xx. 1. xxi. 1. & 2. Reg. x. 17. & 2. Macc. iii. 48. (10) Judic. xx. 1. & xxi. 8. (11) 1. Reg. vii. 5. 6. (12) 1. Reg. x. 17. (13) 1. Reg. vii. 6. 9. 10. (14) 1. Macc. iii. 46. (15) Αὐτοὶ ἐπορεύοντο καὶ ἔκλαιον. Heb. ויצא לקראתם מן המצפה הלך הלך ובכה (16) Chardin, Voyage de Perse pag. 68. tom. 5.

Asa, propter Baasa. Hoc in Regum Libris non legitur; id solum ferentibus (17): Cum Baasa Israelis Rex Ramam munire adversus Asam Regem Juda aggressus esset, hic probe intelligens, quanti futura ea res esset, ope Benadadi Regis Syriæ postulata, ipsum impulit, ut armis intra Regnum Israeliticum illatis, Baasam ab ædificio revocaret. Res pro voto cecidit; relictisque a Baasa circa Ramam operibus, Asa populum misit, ut ablatis lapidibus cæmentisque, in Ramæ munitionem paratis, urbes Gabaam Benjamiticam, & Masphath munitionibus cingeret. Hæc agens Asa, cisternam, de qua hic locus, paravit, servandis aquis destinatam, ubi obsidionis necessitas postularet.

℣. 10. Captivas duxit filias Regis; Sedeciæ, uti videtur, quæ ex Jerosolymæ excidio elapsæ, vel in eo tumultu, quo captus est in agro Jerichuntis Sedecias, raptæ fuerant.

℣. 11. Audivit autem Johanan, et omnes Principes. Aberant hi, cum hæc in urbe Masphath gererentur. Modicæ quædam his copiæ superant, quibus Ismaelem insectati sunt.

℣. 12. Ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon; ad lacum seu stagnum, prope Gabaonem. Notissimum apud Historicos est hujus stagni nomen, ex prælio inter Davidis copias, sub Joabo, & Isbolethi exercitum, sub Abnero Imperatoribus, gesto (18).

℣. 14. Reversus est omnis populus. Ismael Johananum videns cum exercitu accedentem, relictis captivis, octo solummodo viris sequentibus fugit. Is porro cum decem sociis venerat, ℣℣. 1. 2.

℣. 16. Eunuchos, Sedeciæ familiares, qui capto Rege fugerant, atque ad Godoliam venerant.

℣. 17. Sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem. Uno ex hoc loco novimus Chamaam prope Bethlehem. Locum hunc Chaldæus docet Regionem fuisse, quam David Chamaamo, Berzellai Galaaditæ filio, largitus est (19). Hebræus (20): *Consederunt in habitatione*, vel publico diversorio *Chamaami, prope Bethlehem*. Eusebius Cæsareensis (21) docet, publico in diversorio natum esse Christum Jesum, prope mœnia Bethlehem; quod fortasse idem fuit cum hoc Jeremiæ. Porro Chamaami nomen ferebat, fortasse ex conditore. Plerique voces Hebraicas servant: *Consederunt in Geruth Chamaam*. Septuaginta (22): *Sederunt in terra Beroth Chamaam*, Editio Romana, *Gaban Chamaa*.

Ut fugerent in Ægyptum a facie Chaldæorum, ex quibus supplicium timebant, ob necem Godoliæ Chaldæorumque una interfectorum. Miserrime Judæorum reliquiæ, quas Dei manus ubique exagitabat, verentur, ne sibi detur crimini flagitium, quod ipsæ non patraverant, & privati criminis pœna ex omnibus exigeretur, quod commune haberent genus cum Ismaele.

(17) 3. Reg. xv. 20. 21. 22. (18) 2. Reg. ii. 13. *Occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon*. (19) 2. Reg. xix. 37. (20) וישבו בגרות כמהם אשר אצל בית לחם (21) Euseb. lib. 7. Demonst. c. 4. Justin. Dial. p. 304. (22) Ἐκάθισαν ἐν γῇ Βηρὼθ Χαμαὰμ τὴν πρὸς Βηθλεέμ. Edit. Rom. Ἐν Γαβηρωχαμαά.

CAPUT XLII.

Judæi Jeremiam consulunt, manendum ne in Judæa sit, an fuga in Ægyptum capienda. Dei opem certo pollicetur Propheta, si in Judæa manserint; secus, bellum, pestem, & famem. Monitis Jeremiæ non obtemperant.

℣. 1. ET accesserunt omnes principes bellatorum, & Johanan filius Caree, & Jezonias filius Osaiæ, & reliquum vulgus a parvo usque ad magnum: 2. Di-
xeruntque ad Jeremiam prophetam: Cadat oratio nostra in conspectu tuo: & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis: quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur: 3. Et annuntiet nobis Dominus
Deus tuus viam, per quam pergamus, & verbum, quod faciamus. 4. Dixit au-
tem ad eos Jeremias propheta: Audivi: ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra: omne verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo vo-
bis: nec celabo vos quidquam. 5. Et illi dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis, & fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. 6. Sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus: ut bene sit nobis, cum audierimus vocem Domini Dei nostri. 7. Cum autem completi essent decem dies, factum
est verbum Domini ad Jeremiam. 8. Vocavitque Johanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & universum populum, a minimo, usque
ad magnum. 9. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus. 10. Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam; plantabo, & non evellam: jam enim placatus sum super malo, quod feci vobis. 11. Nolite timere a facie regis
Babylonis, quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, & eruam de manu ejus. 12. Et dabo
vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra. 13.
Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini
Dei nostri. 14. Dicentes: Nequaquam, sed ad terram Ægypti pergemus: ubi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus:

& ibi

& ibi habitabimus. 15. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Juda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Ægyptum, & intraveritis, ut ibi habitetis: 16. Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti: & fames, pro qua estis soliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini. 17. Omnesque viri, qui posuerunt faciem suam, ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos. 18. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sicut conflatus est furor meus, & indignatio mea super habitatores Jerusalem: sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum, & eritis in jusjurandum, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium: & nequaquam ultra videbitis locum istum. 19. Verbum Domini super vos reliquiæ Juda: Nolite intrare Ægyptum: scientes scietis, quia obtestatus sum vos hodie, 20. Quia decepistis animas vestras: vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, & juxta omnia, quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, & faciemus. 21. Et annuntiavi vobis hodie, & non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis, pro quibus misit me ad vos. 22. Nunc ergo scientes scietis, quia gladio, & fame, & peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare, ut habitaretis ibi.

℣. 2. CADAT ORATIO NOSTRA IN CONSPECTU TUO: Preces nostras bonus excipe. Septuaginta (1): *Cadat, quæso, misericordia nostri coram facie tua:* Te nostri misereat.

DERELICTI SUMUS PAUCI DE PLURIBUS. Præsentem suorum numerum cum opulentissima olim sub Regibus ante supremas Judæ calamitates, & florentissima gente comparant. Quamquam, cum e finitimis undique Regionibus omnes convenissent (2), satis ingens numerus erant, si cum ipsismet iisdem statim post Jerosolymæ expugnationem conferantur. Tres fere menses ab urbis expugnatione, & incendio fluxerant.

℣. 5. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS. Assuetus Judæorum inconstantiæ Jeremias postulat, ut certissima obedientiæ pignora sibi exhibeant. At ea gens sese obtemperaturam pollicetur; statimque datam fidem violat eadem animi levitate, qua dedit. Eandem ubique in populo vides superstitionem, impietatem, inconstantiam, quarum a Prophetis passim arguebantur. Optant, ut Deus libidini suæ morem gerat, suisque oraculis confirmet ea, quæ ipsi decreverunt. Ubi is aliter loquitur, ipsi obtemperare desierunt.

℣. 7. CUM COMPLETI ESSENT DECEM DIES, FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JEREMIAM. Decem totis diebus Jeremias Deo supplicavit, ut id, quod placitum sibi esset, significaret. Vatidico afflatu non instruuntur Prophetæ pro arbitrio: itque reditque Spiritus, & ubi vult spirat, & per intervalla sese hominibus largitur. Vaticinium hic recitat, quod Capitis xl. initio innuit, & hactenus intermisit, ut Lectorem moneret ea quæ antea gesta sunt, & cum oraculo conjunguntur. Diebus decem Jeremias a cæterorum consuetudine secretus oransque perseveravit: minime tamen alio secessit, sed ibi fuit, ubi populus steterat.

℣. 10. JAM ENIM PLACATUS SUM SUPER MALO QUOD FECI VOBIS. Iram meam longius non promoveo. Hebræus (3): *Consolatus sum*, (vel ultus sum) *malo quod feci vobis*. Septuaginta (4): *Quievi, contentus sum, super malis quæ decrevi facere vobis*. Oblitus sum præteritorum.

℣. 12. DABO VOBIS MISERICORDIAM, ET MISEREBOR VESTRI. Hebræus (5): *Dabo vobis misericordiam, & miserebitur vestri*. Faciam ut Nabuchodonosoris amicitia fruamini, atque is vestri misereatur.

HABITARE VOS FACIAM IN TERRA VESTRA. Septuaginta (6): *Convertam vos in terram vestram*. Aptior est hic Vulgatæ sententia.

℣. 15. SI POSUERITIS FACIEM VESTRAM; si decreveritis, vel, si in sententia proficiscendi in Ægyptum perseveraveritis. *Ponere faciem suam ad aliquid*, Hebræorum phrasi, est, aliquid obstinata mente persequi (7).

℣. 18. SICUT CONFLATUS EST FUROR MEUS SUPER JERUSALEM. Hebræus (8): *Sicut stillavit*, instar pluviæ, *furor meus super habitatores Jerusalem*. *Stillare* vulgatis est apud Prophetas locutio, ubi de malis agunt, quibus populi obruuntur (9).

ERITIS IN JUSJURANDUM (10), in execrationem. Jurisjurandi formula vulgo ita concipitur: Hoc mihi male contingat, nisi illud egero: Mala me perdat Deus, si fidei defuero. Qui deinceps simili sacramento se obstrinxerint, dicent: Si datam fidem violavero, ita miser sim, ut Judæi in Ægyptum elapsi. Futuri estis vindictæ meæ & furoris exemplum. Septuaginta (11) *Eritis in desertum*, inaccesso loco similes.

℣. 20. QUIA DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS. Vos ipsi fefellistis, cum Deum consulere me juberetis. Putastis nimirum, me vobis assentaturum, confictumque oraculum, quale vestra libido postulabat, aut Deum vestris cupiditatibus morem gesturum; vel denique me aut metu aut cupiditate impulsum iri, ut ex Deo audita dissimularem. Hæc falso reputantes, fidem jurejurando obstrinxistis, vos mihi monenti obtemperaturos; quamquam certa sedebat animo sententia, vos nihil acturos præter id quod videretur. Hebræus (12): *Quia vos decepistis in animabus vestris, cum me mitteretis, &c.* Vel: vestro vos malo ipsi fefellistis (13). Septuaginta (14): *Male fecistis in animabus vestris:* fallax erat animi vestri propositum, cum Dominum consuleretis.

[1] Πεσέτω δὴ τὸ ἔλεος ὑμῶν κατὰ πρόσωπόν σου. Heb. תפול נא תחנתנו לפניך Vide sup. xxxvi. 7. [2] Vide infra xliii. 5. [3] כי נחמתי אל הרעה אשר עשיתי לכם [4] Ὅτι ἀναπέπαυμαι ἐπὶ τοῖς κακοῖς οἷς ἐποίησα ὑμῖν. [5] ואתן לכם רחמים ורחם אתכם [6] Ἐπιστρέψω ὑμᾶς εἰς τὴν γῆν ὑμῶν. Heb והשיב אתכם אל אדמתכם [7] Vide infra ℣. 17. & xliv. 12. [8] כאשר נתך אפי וחמתי על יושבי ירושלם Septuag. Καθὼς ἔσταξεν ὁ θυμός μου. [9] Ezech. xx. 46. *Stilla ad Africum*. xxi. 2. *Stilla ad Sanctuaria*. Amos vii. 16. *Non stillabis super domum idoli, &c.* 2. Par. xii. 7. *Non stillabit furor meus super Jerusalem, &c.* [10] והייתם לאלה [11] Ἔσεσθε εἰς ἄβατον. [12] כי התעתים בנפשותיכם כי אתם שלחתם אותי [13] Munst. Grot. [14] Ἐπονηρεύσασθε ἐν ψυχαῖς ὑμῶν.

CAPUT XLIII.

Judæorum reliquiæ, invito Jeremia, in Ægyptum proficiscuntur, eoque Jeremiam & Baruchum rapiunt. Vaticinium in Ægyptum, a Nabuchodonosore occupandam.

℣. 1. FActum est autem, cum complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc: 2. Dixit Azarias filius Osaiæ, & Johanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum, ut habitetis illic. 3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem. 4. Et non audivit Johanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & universus populus vocem Domini, ut manerent in terra Juda. 5. Sed tollens Johanan filius Caree, & universi principes bellatorum universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda: 6. Viros, & mulieres, & parvulos, & filias regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filii Saphan, & Jeremiam prophetam, & Baruch filium Neriæ: 7. Et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini, & venerunt usque ad Taphnis, dicens: 8. Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens: 9. Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis, 10. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego mittam, & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: & ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos. 11. Veniensque percutiet terram Ægypti, quos in mortem, in mortem; & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium. 12. Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo: & egredietur inde in pace. 13. Et conteret statuas domus Solis, quæ sunt in terra Ægypti; & delubra deorum Ægypti comburet igni.

℣. 2. DIXIT AZARIAS, ET OMNES VIRI SUPERBI, DICENTES. Hebræa hujus loci vox (1) superbiam, arrogantiam, temeritatem, proterviam significat. Hoc animo erant plerique ex agmine, cui Johanan præerat. Nullibi sibi contrarii sunt: ubique malum animum vides, quo sub ipsum exordium agebantur. Ne sententia cedant, Jeremiam mendacii, Baruchum amicitiæ cum Chaldæis & fraudis accusant.

℣. 3. BARUCH FILIUS NERIÆ INCITAT TE ADVERSUM NOS, ut obnoxios iræ Chaldæorum efficiat. Secreto cum Chaldæis fœdere junctus, te submovet, ut ex animi sui sententia loquaris. Quæ fuerit insanissimæ criminationis, levissimæque suspicionis in Baruchum causa, non video. Minime sperandum erat, ut cæca multitudo æqua sentiret. Baruch libertatem ex Chaldæis, una cum Jeremia, obtinuerat: Babylonem interdum profectus fuerat (2): juncta cum Jeremia sententia, credendum esse Nabuchodonosori existimaverat; mitiora quam cæteri ex Judæis, in Nabuchodonosorem loquebatur. Hæc satis erant multitudini concitatæ, ut Baruchum accusarent conspirationis initæ cum Chaldæis in suæ gentis perniciem.

℣. 5. TOLLENS UNIVERSOS RELIQUIARUM JUDA, QUI REVERSI FUERANT DE CUNTIS GENTIBUS, Tertio mense, & aliquanto fortasse amplius, post Jerosolymæ expugnationem, plerique eorum qui in finitimas regiones elapsi fuerant, in Judæam rediere. Vide supra XL. 11, 12.

℣. 6. ET JEREMIAM ET BARUCH; coegeruntque sese in Ægyptum fugientes, cum populi reliquiis, Deo invito, sequi. *Cap.* XLII. 19. 20.

℣. 7. VENERUNT USQUE AD TAPHNIS, quam urbem esse credimus *Daphnas Pelusias* (3), primum Ægypti oppidum, ex Judæa proficiscentibus. Ea porro arx ceu Ægypti porta erat illius aditu ex ea parte prohibens; urbs Regia Jeremiæ ætate & Isaiæ, si Hanes Isaiæ (4) eadem est ac Taphnis, id quod verisimillimum videtur. Daphnæ Pelusiæ XVI. M. passuum aberant a Pelusio, meridiem versus, ex Itinerario Antonini. Psammitichi ætate, qui Nechao præcessit, præsidium Ægyptiorum in ea urbe erat adversus Syros & Arabes (5).

℣. 9. SUME TIBI LAPIDES GRANDES, ET ABSCONDES EOS IN CRYPTA, QUÆ EST IN MURO LATERICIO, IN PORTA DOMUS PHARAONIS IN TAPHNIS. Nullam hic locus difficultatem habet, si seorsum inspiciatur: at cum consequentibus comparatus, aliqua difficultate impeditur. Lapides humi condit Jeremias, ut perspicuo veluti indicio significet, Regem Babylonis in Ægyptum esse venturum, captaque Taphnis, solium vel Tribunal super eos lapides ceu super basim collocaturum. Quid autem veri simile est, ut Regis Tribunal in eo loco statuatur, quem occupat murus super cryptam constitutus? At etiamsi everso muro id fieret, fieri ne poterat, ut lapides sub fornice conditi basim Tribunali præberent super fornicem constituto? Hebræus reddi potest (6): *Accipe in manu*

[1] כל אנשים הזדים [2] Baruch 1. 1. 3. [3] Vide Grotium hic; Bochart. Cellar. l. 4. c. 1. p. 18.
[4] Isai. XXX. 4. [5] Herodot. lib. 2. cap. 30. Καὶ ἐν Δάφνῃσι τῇσι Πηλουσίῃσι ἄλλη, πρὸς Ἀραβίων τε, καὶ Ἀσσυρίων. [6] קח בידך אבנים גדלות וטמנתם במלט במלבן אשר בפתח בית פרעה

nu tua lapides grandes, & abde illos in atrio (7), in egressu, in area Regiæ, *in pavimento* (8), *ante fores domus Pharaonis*, vel in officina lateraria, quæ ante regias ædes ast.

Orientalium Reges ipsi per se jus populo dicebant; quamobrem Tribunal in regiarum ædium vastibulo plerumque surgebat. Solium nobilissimum a Scriptura descriptum (9), Salomon in priori domus atrio medium constituit, columnata porticu superbe protectum. Ita Nabuchodonosor Tribunal in Pharaonis atrio erat positurus; idque ut luculentius indicet Jeremias, ipsum illius locum describit, & fundamanta jacit. Chaldæus (10): *Sume lapides grandes, & conde eos in angulo ædificii, in ostio domus Pharaonis*. Septuaginta (11): *Sume lapides grandes & absconde eos in vestibulis; in porta domus Pharaonis*. Recentiores interpretes vertunt Hebræum: *Sume lapides grandes, & abde illos in luto*, vel in cæmanto, *in lateritia officina, quæ est ad ostium Domus Pharaonis*.

℣. 10. Assumam Nabuchodonosor servum meum. Hoc nomine Nabuchodonosorem frequenter appellat (12), ut innuat, ipsum divinæ voluntatis administrum esse, ac Dei aercituum ducem; Deo ipsum ejusque incepta regente ac modarante. Nemo Deum nobilius loquentem induxit, quam Prophetæ; Ipsi enim uni novere, quid Reges opulentissimi sint, cum suprema Dei Majestate comparati. Nabuchodonosor exercitu stipatus, nihil majus Dei servo est. Ubi victor hostes profligat, viribus suis ceu instrumento omnipotenti famulatur.

Statuet solium suum super eos. Hebræa vox (13) *Schaphrur* ex recentiorum santentia, *regium tentorium* significat. Septuaginta (14): *Elevabit arma sua super eos*; Ensem, hastam, clypeum ceu tropheum ibi statuet. Chaldæus (15): *Extendet Tentoriam suum super eos*. De captivitata Ægypti vide Maillet p. 30. Descript. Ægyypti ex Arabibus scriptoribus.

℣. 11. Quos in mortem in mortem. Pergit methaphora servi a Domino missi. Nabuchodonosorem in Ægyptum mittam, atque is meis imperiis obtemperabit. Ferro aecabit eos, quos hoc mortis genere damnavi, &c.

℣. 12. Succendet ignem in delubris deorum Ægypti. Hebræus (16): *Conflagrare faciam*. Nabuchodonosor Ægypti delubra, val domos Optimatem, me jubente, succendet; *& captivos ducet illos*. Captivi olim ducebantur homines, Reges, subditi, Dii. Minitatur Isaias Babyloniorum Diis, futurum ut in exilium vehantur (17). Jeremias easdem viaes prædicit Chamos Moabitarum Numini (18), & Molocho Ammonitarum (19); & Osee (20) aureis Samariæ vitulis. Tertullianus in Apologetico: *Tot de diis, quot de gentibus triumphi: tot Manubiæ, quot adhuc manent simulacra captivorum Deorum*. Hic tamen potius de Principum ædibus, quam de templis loqui videtur, cum versiculo sequenti crematurum se minitetur Ægypti fana, facta prius de illorum simulacris, vel obeliscis mentione.

Et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo, et egredietur inde in pace. Nabuchodonosor Ægyptum upibus exuet, ejusque incolas ita facile tollet, uti pallium Pastor. Illam sibi vindicabit atque acquiret tam brevi tempora, quam Pastor vestibus suis amicitur. Aliter: Ægyptum militibus ita operiet (21), uti Pastor per hiemen vesta operitur. Septuaginta (22). *Perpurgabit Ægyptum sicut Pastor abollam suam pediculis purgat*. Opulentissimam hanc regionem otiose, & accurarissime spoliabit. Bochartus putat reddidisse Septuaginta (23): *Perdet Ægyptum, uti corrumpit pastor vestem suam*; solent anim pastores vilissimis vestibus uti.

℣. 13. Conteret statuas domus solis. Hebræus & Septuaginta reddi queunt: *Comminuet columnas*, vel obeliscos *Templi Solis*. Celeberrimos Ægypti obeliscos, nobilissima Templorum urbiumque ejus regionis ornamenta, nemo ignorat, editissimas nimirum columnas, vel obeliscos, ex uno lapide, hieroglyphicis plerumque sculpturis prorsus plenos, quos Ægyptii Soli dedicabant: atque inter nobilissima totius provinciæ prodigia Ægyptus universa mirabatur. Pauci aliquot temporis voracitatem effugerunt, a Romanis Imperatoribus Romam aliasqua in urbes delati. Ait igitur Jeremias, Nabuchodonosorem superba hæc Ægyptiacæ ambitionis ac superstitionis monumenta everturum. Quorumdam obeliscorum in Minervæ Templo meminit Herodotus (24); at nobilissimi in Templo Solis visebantur, centum cubitis editi, octo crassi (25). *Hos Pheron*, Sesostris successor, dedicavit. *Obeles*, quo nomine illud columnarum genus donatum est, veru significat, cum eæ in cuspidem desinant. Putantur Ægyptii, ea columnarum forma innuere Solis radios voluisse. Reddunt Septuaginta (26): *Conteret columnas Heliopoleos*, vel urbis Solis. Hanc fortasse hic explicationem idcirco sequuti sunt, quod nobilissimum ac celeberrimum Solis Templum Heliopoli surgeret. Ea urbs ab Hebræis *On* appellata fuisse creditur (27). Neque ad Nilum omnino, neque procul a Nilo aberat. Vulgo in extremo *Deltæ* angulo collocatur, Nilum inter & Erythræum.

Delubra deorum Ægypti comburet igni. Idem incendium minitatus est superius ℣. 12. nisi is locus de Optimatum ædibus explicetur. Ægyptiorum monumenta a Nabuchodonosore eversa, simulacra confracta, Templaque cremata fuisse non legimus: at sævities, qua ipse in Jerosolymitanum, ejusqua successores in Ægypti Templa debacchati sunt, majorem, quam opus ast, fidem minis Jeremiæ vindicat. Quis gesta Xerxis & Ochi, aut illorum convicia, irrisiones, injurias, sævitiam in Ægyptiorum Deos non audiit?

---

[7] מלט *Evasit, erupit, ereptus est*. Septuag. hic: Ἐν προθύροις. [8] מלבן significare mihi videtur pavimentum, Exod. xxiv. 12. Alibi, aream, ubi miscetur lutum, in usum conficiendorum laterum ac regularum. [9] Vide 3. Reg. x. 18. [10] ותטמרינון בטפל בבינא דבתרע בית פרעה [11] Κατάκρυψον αὐτοὺς ἐν προθύροις, ἐν πύλῃ τῆς οἰκίας Φαραώ. [12] Vide sup. xxv. 9. & xxvii. 6. [13] ונטה את שפרורו עליהם [14] Καὶ ἀρεῖ τὰ ὅπλα αὐτοῦ ἐπ' αὐτούς. [15] ויגור ית פפרניה עליהון [16] והצתי אש בבתי אלהי מצרים [17] Isai. xlvi. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestiis, & jumentis onera vestra*. [18] Jerem. xlviii. 7. *Ibit Chamos in captivitatem*. [19] Idem xlix. 3. *Melchom in transmigrationem ducetur*. [20] Osee viii. 5. *Projectus est vitulus tuus, Samaria*. Et x. 6. *Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus Regi ultori*. [21] Chald. Dionys. Lyran. Boch. de anim. sacr. par. 1. lib. 2. cap. 44. [22] Καὶ φθειριεῖ γῆν Αἴγυπτον ὡς φθειρίζει ὁ ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. Legunt עטה, quæ voa interdum sonat purgare. [23] Καὶ φθερεῖ γῆν Αἴγυπτον, ὡς φθειρεῖ ὁ ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. [24] Herodot. lib. 2. cap. 170. [25] Idem lib. 2. cap. 111. [26] Καὶ συντρίψει τοὺς στύλους Ἡλιουπόλεως. [27] Genes. xli. 45. 50. xlvi. 20. Vide & lxx. in Exod. i. 11. Ὤν ἥ ἐστιν Ἡλιούπολις.

CAPUT XLIV.

Judaos in Ægypto morantes Jeremias idololatriæ arguit. Arrogans illorum responsio. Absoluta horum pernicies prædicitur. Pharao Ephræus in hostium potestatem tradendus est.

℣. 1. VErbum, quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in terra Phatures, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Jerusalem, & super omnes urbes Juda: & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator. 3. Propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent, & irent, ut sacrificarent, & colerent Deos alienos, quos nesciebant & illi, & vos, & patres vestri. 4. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque, & dicens: Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi. 5. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur a malis suis, & non sacrificarent diis alienis. 6. Et conflata est indignatio mea, & furor meus, & succensa est in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem, & versæ sunt in solitudinem, & vastitatem, secundum diem hanc. 7. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir, & mulier, parvulus, & lactens de medio Judæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum? 8. Provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Ægypti, in quam ingressi estis, ut habitetis ibi: & dispereatis, & sitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ? 9. Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, & mala regum Juda, & mala uxorum ejus, & mala vestra, & mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Juda, & in regionibus Jerusalem? 10. Non sunt mundati usque ad diem hanc, & non timuerunt, & non ambulaverunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis, & coram patribus vestris. 11. Ideo hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: & disperdam omnem Judam. 12. Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas, ut ingrederentur in terram Ægypti, & habitarent ibi: & consumentur omnes in terra Ægypti: & cadent in gladio, & in fame: & consumentur a minimo usque ad maximum, in gladio, & in fame morientur; & erunt in jusjurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium. 13. Et visitabo super habitatores terræ Ægypti, sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, & fame, & peste. 14. Et non erit, qui effugiat, & sit residuus de reliquiis Judæorum, qui vadunt, ut peregrinentur in terra Ægypti; & revertantur in terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas, ut revertantur, & habitent ibi: non revertentur, nisi qui fugerint. 15. Responderunt autem Jeremiæ omnes viri, scientes, quod sacrificarent uxores eorum diis alienis, & universæ mulieres, quarum stabat multitudo grandis, & omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes: 16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: 17. Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginæ Cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri, in urbibus Juda, & in plateis Jerusalem: & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. 18. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. 19. Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, & libamus ei libamina: numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina? 20. Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, & adversum mulieres, & adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens: 21. Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem, vos, & patres vestri, reges vestri, & principes vestri, & populus terræ, horum recordatus est Dominus, & ascendit super cor ejus? 22. Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes, quas fecistis: & facta est

est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc. 23. Propterea quod sacrificaveritis idolis, & peccaveritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis, & in testimoniis ejus non ambulaveritis: idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc. 24. Dixit autem Jeremias ad omnem populum, & ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Juda, qui estis in terra Ægypti. 25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israel, dicens: Vos, & uxores vestræ, locuti estis ore vestro, & manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina: implestis vota vestra, & opere perpetrastis ea. 26. Ideo audite verbum Domini omnis Juda, qui habitatis in terra Ægypti: Ecce ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi, dicentis: Vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti. 27. Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum: & consumentur omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti, gladio, & fame, donec penitus consumantur. 28. Et qui fugerunt gladium, revertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci: & scient omnes reliquiæ Juda, ingredientium terram Ægypti, ut habitent ibi, cujus sermo compleatur, meus, an illorum. 29. Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis, quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. 30. Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius: sicut tradidi Sedeciam Regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam ejus.

℣. 1. HABITANTES IN MAGDALO, ET IN TAPHNIS, ET IN MEMPHIS, ET IN TERRA PHATURES. Supremum inter Jeremiæ vaticinia, quæ supersunt, diu postea, quam Judæi in Ægyptum venere, pronunciatum. Quæ Capitibus consequentibus, usque ad Libri finem, prædicta leguntur, multo hoc vetustiora sunt. Dei nomine Jeremias ad Judæos, in nobilissimis Ægypti urbibus morantes, mittitur, ut pertinacem illorum animum in cultu Numinum arguat. Utrum ipse urbes singulas peragraverit, incertum est; cum satis fuerit, ut e Discipulis aliquem cum literis mitteret.

Magdalum sonat turrim. *Magdol* apud Moysem (1) legitur, e regione *Beel sephon*, circa vadum Israelitarum in Erythræo: dubio tamen est locus, utrum ea turri seu *Magdalo*, hujus loci Magdalom significetur; alterum enim in Ægypto inferiore jacebat, XII. millibus passuum a Pelusio, teste Itinerario Antonini. Jeremias (2) de Ægypti pernicie agens, Magdali, ceu nobilia in ea regione urbis, meminit: *Annunciate Ægypto, & auditum facite in Magdalo, &c.*

Taphnis. De hac satis Capite superiori ℣. 6.

Memphis, apud Profanos notissima; Regia Ægypti urbs, & in sui nominis Nomo princeps. Supra Deltam jacet, nonnihil a Nilo distans, ad ripam occidentalem. Circa Memphim pyramides celeberrimæ visebantur; quarum vestigia, diruta etiam urbe, adhuc supersunt.

Phatures, regio hujus nominis in Ægypto (3), cujus nomen ab urbe, de qua hic Jeremias. Non magnopere celebres aut urbs ipsa aut Nomus fuere: at in superiori Ægypto, uti creditur, continebantur (4). Terra *Phatures* apud Ezechielem etiam legitur (5); cujus ruinam ac deinde restaurationem ipse prædicit. In ea regione *Phetrusim*, posteri Mizraim, de quibus Moyses (6), sedes habebant.

℣. 2. NON EST IN EIS HABITATOR. Jam ipsi intuemini expletam oraculorum fidem, quibus Judæ exitium, ejusque urbium vastatio prædicebantur. Cave tamen credas, adeo vastatam fuisse regionem, ut ne unus quidem habitator superfuerit. Rari adeo erant, ut pro nullis haberentur.

℣. 6. CONFLATA EST INDIGNATIO MEA. Hebræus (7): *Effusa est ira mea*, ut imber; Fluxit, stillavit. Vide supra XLII. 18.

℣. 8. SACRIFICANDO DIIS ALIENIS IN TERRA ÆGYPTI. Mirum est quam cœca obstinataque mente Judæi in scelere perseveraverint. Severissimas Divini furoris animadversiones in sua ipsorum Patria nuper senserant, Horum malorum minas persæpe intellexerant; audierantque, illa ob firmatum in superstitione animum sibi imminere. His tamen neglectis, propheticorum oraculorum veritatem intueri detrectant; insanæ mentis ludibria & mendacia esse ajunt; præteritorum ita obliviscuntur, ut ea non sentire omnino videantur. Scelus & superstitionem sectantur; atque ut supremum insaniæ & contumaciæ fastigium addant, mala, quibus obruti sunt, ex intermisso Numinum cultu oriri arbitrantur. ℣. 18. *Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.* Hujusmodi contumaciæ par esse quale supplicium poterit?

℣. 10. NON SUNT MUNDATI USQUE AD DIEM HANC. Quamvis tam multa fecerim, ut ipsi tandem aliquando flagitia sua expiarent, in suis adhuc flagitiis perseverant; ac nedum purgentur, verum etiam majoribus in dies maculis polluuntur. Ipsos misturæ e ferro & ære comparat Jeremias VI. 29. Frustra illos fornace probas; minime enim fecerunt aut purgari volunt. Eamdem comparationem frequenter usurpavere Ezechiel & Isaias (8).

℣. 11. PONAM FACIEM MEAM IN VOBIS IN MALUM. Ponere faciem suam erga aliquem apud Prophetas malam ubique in partem accipitur; significatque, ita exitium alicujus decernere, ut illum oculis animoque insectari quis non desinat, nisi ille penitus interierit. Hac locutione passim usi sunt Prophetæ (9).

(1) Exod. XIV. 2. & Num. XXXIII. 7. (2) Jerem. XLVI. 14. (3) Plin. l. 6. cap. 29. Ptolom. V. Phtursis, Plin. l. 5. c. 17. Phathurites Nomos. (4) Vide Cellar. lib. 4. c. 1. p. 39. (5) Ezech. XXIX. 14. & XXX. 14. (6) Genes. X. 14. (7) ותתך חמתי 70. Καὶ ἔσταξεν ὁ θυμός μου. (8) Ezech. XXII. 18. XXIV. 6. & Isai. I. 22. 23. 24. 25. (9) Ezech. XV. 3. VI. 2. XIII. 17. XV. 7. & XX. 35. &c.

℣. 12. Erunt in jusjurandum, execrationis argumentum. Vide supra xlii. 18.

℣. 14. Non erit qui sit residuus de reliquiis Judæorum, et revertatur in terram Juda, ad quam ipsi elevant animam suam . . . , nisi qui fugerint. Dixit ℣. 22. eos ex Judæis, qui in Ægyptum elabi contenderint, ibi fame & gladio, nullo ætatis aut conditionis discrimine, omnino interituros; futuros vero ejus mali immunes eos, qui ab Ægypto fugerint. Eadem hic repetit ℣℣. 26. 27. 28. Hæc verba, *In terram ad quam ipsi elevant animas suas, ut revertantur*, innuere videntur, Judæos in Ægyptum non evasisse, ut sedes ibi figerent, sed opportunius Patriæ, quam assiduis votis exoptabant, repetendæ tempus ibi præstolarentur. Sperabant aliquando futurum, ut Chaldæi discederent, liberamque Regionem relinquerent: at spe inanissima pascebantur. Certissimo jam decreto sancitum erat, ut Nabuchodonosor Tyrum obsideret, finitimas Judeæ gentes depopularetur, ac denique occuparet Ægyptum, unaque cum Judæis Ægyptios gladio & fame necaret, antequam trans Euphratem reverteretur. Quamobrem ii, qui ante Nabuchodonosoris expeditionem ex Ægypto fugere neglexerunt, miserrime iis calamitatibus obvoluti interiere. Hanc locutionem (10), *Ad quam ipsi elevant animas suas*, alibi explicavimus, eaque significari diximus anxium rei optatissimæ desiderium & expectationem (11).

℣. 17. Faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginæ Cœli. Ea quæ Deæ polliciti sumus, explebimus; nostra illi vota integra fide reddemus (12), & sacrificabimus. Discis hinc Judæos præpostera Religione actos, solemni sacramento Reginæ Cœli promisisse, intermissum ipsius cultum restauraturos (13), & sacra libationesque suo tempore ab ipsius Sacrificulis impetrato, qualia ab ejus cultoribus exhiberi solebant, integra fide reddituros. De *Regina Cœli*, alibi (14) disputavimus; eamque minime dubitamus Lunam esse, Dianam, seu Venerem cœlestem (15), vel Isidem.

℣. 18. Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ cœli, indigemus omnibus. Neglectas Dei leges, cultum omnino spretum, omissa sacrificia & ritus sacros, insanissimam superstitionem, flagitia turpissima, pulsos affectosque injuriis Prophetas, Dei fœdus pedibus proculcatum, scelera satis gravia non esse arbitrantur. Hæ malorum, quibus obruimus, origines esse nequeunt; eaque ex omisso Reginæ cœli cultu certe oriuntur. Fieri ne potest, ut libido, animi cœcitas & contumacia ultra hos fines ferantur? Disce, quæ in scelera homo contumax ruat, suæ ipsius potestati relictus. Similem huic locum vide in 1. *Macchab.* 1. 12.

℣. 19. Nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas? Deæ cœlestis religionem fœminæ contumacius quam viri sequebantur; quamobrem hic acrius quam illi in Prophetam armantur. At, inquiunt, solæ ne Reginam cœli veneramur? Nonne viri probant, & authoritate confirmant? Dixerat olim Jeremias (16): *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cœli.* Eumdem fortasse in Ægypto morem servabant. Varie admodum hujus loci Hebræus redditur (17): *Numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad lætificandum eam* (18), sive ad colendum eam. Alii, *ad affligendum eam*, vel usque ad ejus fastidium; sive, *ad effingendum eam* (19), vel, *fecimus ei placentas, idolo inquam* (20), simulacro?

Inter cæteras eam versionem probo, quæ fert: *Num absque maritis nostris fecimus ei placentas ad effingendum eam*, in quibus illa exhiberetur? Duplicem hic morem in cultu Deæ Cœli usitatum innuunt hic fœminæ; alterum scilicet, libidines quæ in lucis huic Deæ sactis exercebantur, ritibusque nocturnis, quos fœminæ absque viris frequentabant. Objiciunt igitur mulieres Jeremiæ, nihil in ea re esse, cujus ab illo arguantur, nihil enim se facere ajunt, nisi inter familiares, videntibus viris atque assentientibus: alterum, placentas Deæ Cœli oblatas dimidiæ Lunæ imagine notari. Placentarum, quæ *Lunæ* dicebantur, forma cornuta, seu tereti, additis dimidiæ lunæ, impressorumque siderum imaginibus, veteres meminere (21). Alterum placentæ genus apud Eustathium legitur (22), bovis appellatione distinctum, cornuum causa. Sex primum placentæ conficiebantur teretes, quæ *Lunæ* dicebantur, septima, cornibus instructa, bos appellata. Septem hisce placentis totidem planetas fortasse venerabantur; quarum maxima Lunæ sacra erat. Narrat Athenæus (23), familiare Priscis fuisse quoddam placentarum genus, quarum alias notabant siderum imaginibus, alias *Lunas* appellabant. Porro eæ offerebantur Diis, cum facti tripodes dedicarentur. Hos super tripodes sacra Hecatæ in triviis tectorumque areis, ac prope privatas ædes fiebant: quamobrem domesticorum mobiliumque altarium loco habebantur. Minime dubito, quin festi ignes, qui veris initio, primisque duabus Quadragesimæ Dominicis incenduntur, & placentæ quæ in cornuum formam eo tempore, in pagis præsertim & agro, conficiuntur, veteris sint superstitionis vestigia, quæ festos ignes, lunasque e pane, Cœlesti Veneri, seu Deæ Cœli dedicabat. Christianæ Ecclesiæ Pastores pro viribus conati sunt malam consuetudinem emendare, piam in causam torquentes, quasi iis ignibus Christi victoria de Diabolo; & placentis in lunæ formam confectis, prodigium multiplicatum in deserto quinque panum celebretur. At vetustior multo res est; atque ex Ethnicis ducenda illius origo.

℣. 21. Sacrificium quod sacrificastis . . . recordatus est Dominus, et ascendit super cor ejus? Nonne justissime succenset, ob impia flagitia, quibus patriam implevistis, cremato Numinibus thure? Ita proprie sonat Hebræus (24); respondetque iis, quæ illi dixerant, sese scilicet post intermissa Lunæ sacrificia, in omnia genera ruisse; quasi Deus vetera flagitia vestra oblitus sit, nihilque jam expiandum vobis supersit.

℣. 26. Nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi in terra Ægypti: ita funditus illos perdam, ut nemo jam nomen meum in Ægypto sit usurpaturus. Qui in Ægypto manere voluerit, interibunt. Vide supra ℣. 14. Quamvis Judæi Numina colerent, Deum tamen agnoscere, ejusque nomine sacramenta nuncupare non cessabant. Bellalem cum Domino, diem cum nocte conjungere conabantur. Impurissima & superstitiosa hæc mistio æque odiosa erat Deo atque ipse Numinum cultus.

℣. 28. Qui fugerint gladium, revertentur de terra Ægypti in terram Juda, pauci numero: vel, qui ante Ægyptiacam Nabuchodonosoris expeditionem ex Ægypto elapsi fuerint. Ita expli-

(10) אשר המה מנשאים את נפשם (11) Deut. xxiv. 15. Jerem. xxii. 27. (12) Confer ℣. 25. Deut. xxiii. 23 Judic. xi. 36. Thren. iii. 18. Esth. vii. 5. (13) Vide infra ℣. 18. (14) Vide Jerem. vii. 18 & Dissertationem de Numinibus Phœnicum. (15) Theodoret. hic. (16) Jerem. vii. 15. (17) המבלעדי אנשינו עשינו לה כונים להעצבה (18) Kimchi, Pagn. (19) Montan. Tigur. Pisc. (20) Chald. Munst. Junius, & Tremel. (21) Hesychius, voce Σελῆναι. Vide & Suidam. (22) Eustath in Hom. t. p. 1065. Vide & Suidam t. 1. p. 255. (23) Athen. lib. xi. Vide, si lubet, & Aristoph. Pluto p. 71. (24) הלא את הקטר אשר קטרתם . . . . זכר יהוה ותעלה על לבו Septuag. Οὐχὶ τοῦ θυμιάματος ὃ ἐθυμιάσατε, &c.

plicandus est hic locus, ut cum ℣.℣. 54. & 26. concilietur.

℟. 30. Tradam Pharaonem Ephree in manu inimicorum ejus. Quis hic Ephree, vel *Apries*, Ægypti Rex, docet Herodotus (25). Is filius Psammis erat, nepos Nechai seu Nechao, qui Josiam Judæorum Regem bello lacessiverat. Apries quinque & viginti annorum regno potitus est, habitusque diu ceu Regum felicissimus. Bellum cum Tyriis & Sidoniis gessit, exitu semper prospero. At parata in Cyrenæos classe, navibusque ferme omnibus amissis, Ægyptii casum ægerrime ferentes, seditiose in illum conjuravere; copias illum suas Cyrenæis idcirco objecisse criminantes, ut deleto subditorum flore, cæteris satius imperaret. Misso ad seditiosos Amasi, cum hic populum hortaretur, ut sese iterum Regi subjicerent, quidam e concione, Regio diademate circa illius galeam injecto, Regem salutavit; cæterisque plaudentibus, Amasis minime reluctatus est. Quamobrem accepto seditiosorum imperio, exercitum movit in Apriem, qui collectis triginta millibus ex Caribus, Jonibusque, parvaque Ægyptiorum manu, pugnam prope Memphim conseruit, ac victus prælio est, captusque, ac Saim, olim Regni sui sedem, ductus. Apriem mitissime habuit Amasis; at Ægyptii illum postulantes, ab Amasi impetratum, faucibus elisis necavere. Hæc Apriæ mors ex Herodoto.

Nabuchodonosoris expeditionem in Ægyptum is penitus silet: at cum Ægypti historiam ignoraret, præter ea, quæ ea Ægyptiis Sacerdotibus didicerat, mirum non est illum quamplura nescisse, fabulasque plures narrationi miscuisse. Illam luculentissime tradunt Ezechiel (26), Jeremias (27), & Berosus (28). Josephus Historicus (29) narrat, quinto post Jerosolymæ expugnationem anno Nabuchodonosorem, superatis Syris, Ammonitis & Moabitis, arma movisse in Ægyptum, occupataque regione, neci tradidisse Regem eo tempore imperantem, altero Rege Ægyptiis dato; captivosque duxisse Babylonem Judæos, quos in Ægypto superstites invenit. Chaldæorum sævitiam in Ægypto iis verbis describit Ezechiel, ut ex iis miserrimum Ægyptiorum statum optime intelligas. Nulli aut vivo aut mortuo pepercere, atque omnia cæde complentes, ipsa sepulcra evertere, & Deorum fana expilare veriti non sunt. Ægypsius viribus & exercitu carens profligatus est, atque in avium ferarumque prædam relictus. Pharaonem Ephree necatum esse, non asserit hic Jeremias, at in hostium potestatem devenisse, quemadmodum Sedeciam cepit Nabuchodonosor. Hæc commode explicantur de prælio, quo victus ab Amasi est, cujus cædis causa sese hosti dedit. Putat Usserius (30), accersitum esse ab Amasi Nabuchodonosorem in Ægyptum, ut sibi arma in Apriem moventi opem ferret; Aprie in superiorem Ægyptum pulso, Amasim Ægypti Regnum occupasse; Nabuchodonosore autem Babylonem reverso, Apriem iterum copiis in Amasim ductis, prælio superatum fuisse, uti narrat Herodotus. Attamen ut sua stet Prophetis fides, dicendus videtur Apries pulsus a Nabuchodonosore, captus, ac neci datus; quæ certe cum Herodoti narratione pugnare videntur; nisi asseras, ea quæ Rex Nabuchodonosori vectigalis, & Ægyptum ejus nomine regens, gessit, ipsi Nabuchodonosori a Prophetis adscribi.

CAPUT XLV.

Queritur Baruch, quod sese tam multis obnoxium malis sentiat. Illum confirmat Jeremias, ac Dei nomine pollicetur, ipsum mala hæc omnia evasurum.

℣. 1. VErbum, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum
scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii
Josiæ regis Juda, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch. 3. Di-
xisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in
gemitu meo, & requiem non inveni. 4. Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum:
Ecce quos ædificavi, ego destruo: & quos plantavi, ego evello, & universam ter-
ram hanc. 5. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam ma-
lum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem, in
omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

℣. 1. VErbum quod locutus est Jeremias ad Baruch, cum scripsisset verba hæc in libro, anno quarto Joakim. Legimus cap. xxxvi. jussum a Deo Jeremiam oracula sua scripto tradere, quarto Joakimi Regis Judæ anno; lectaque coram Rege libri parte, quem Baruch Jeremia dictante scripserat, Regis jussu laceratum esse volumen atque igni traditum, quæsitosque Jeremiam & Baruchum, ut necarentur: at prohibente Deo, ne in Regis potestatem ii venirent, Jeremias iterum oracula sua Barucho dictavit. Incertum est, utrum hoc tempore ea questus sit Baruch, quæ hic leguntur, an descripto primum libro, cum latere una cum Jeremia coactus est, innumerisque ærumnis fatigatus, animo afflictus est ac dejectus. Hæc sententia nobis maxime probatur.

℣. 4. Ecce quos ædificavi, ego destruo. Electam olim a me gentem everto: Judam dissipo & perdo, quem hactenus colui atque institui: cur ergo te malis a me afflictum quereris? Unus ne tu melior, quam omnes tuæ gentis reliquiæ? an Juda & Israele universo mihi charior? An futurum speras, ut communium malorum expers unus sis, unaque cum fratribus pati ærumnas renuis?

℣. 5. Et tu quæris tibi grandia? An optas multo plurimi, quam cæteros fratres, fieri atque illustri discrimine a turba secerni? Nonnulli ex Rabbinis putant, veram Barucho querelarum causam fuisse, quod tam diu Jeremiam secutus, vatidico spiritu donatus a Deo non fuerit, cum cæteros Eliæ, Moysis, Josue, Elisæi discipulos eo munere decorarit. At spretis hujusmodi fabulis, nonne

[25] Herodot. lib. 2. cap. 161. 162. 169. [26] Ezech. xxix. xxx. xxxi. xxxii. [27] Jerem. xliii. 11. 12. & xliv. xlvi. [28] Berof. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. p. 1044. [29] Joseph. Antiq. lib. 10. cap. 11. [30] Usser. ad an. M. 3433.

nonne satis ingens beneficium postulabat, calamitatum immunitatem, cum universa gens ipsaque patria inter mala extrema opprimerentur?

Adducam malum super omnem carnem, et dabo tibi animam tuam in salutem, teque incolumem servabo. Satis tibi esto, si nemini parcens, vitam tibi immunem servo. Certe docent Prophetæ, nullam e finitimis Judææ gentibus relictam fuisse, quia Divini furoris calice per Nabuchodonosorem proluceretur. At in Jeremiam & Baruchum ubique luculentissimum Dei patrocinium claruit. His, Nabuchodonosoris jussu, libertate donatis, libera ubique sedes permissa est (1). Baruch quidem non meminit Scriptura, ubi datam Jeremiæ libertatem narrat; minime tamen dubium est, quin eodem atque Jeremias beneficio gavisus sit: *Dabo tibi animam tuam in salutem*; Hebræus (2), *in spolium* ex hoste relatum. Apud Septuaginta præsens Caput a superiore non distinguitur.

(1) Jerem. xl. 1. 2. 3. (2) נתתי לך את נפשך לשלל Septuag. Τὴν ψυχήν σου εἰς εὕρημα.

C A P U T XLVI.

Vaticinium in exercitum Nechai Ægyptiorum Regis, in Charcamis commorantis. Ægyptii vincentur. Nabuchodonosor Ægyptum ingressus, expugnabit. Judæorum libertas reditusque prædicitur.

ℽ. 1. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Gentes,
2. Ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti,
qui erat juxta fluvium Euphratem in Charcamis, quem percussit Nabu-
chodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filii Josiæ regis Juda. 3. Præpa-
rate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum. 4. Jungite equos, & ascendite
equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. 5. Quid igitur? vidi ip-
sos pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexe-
runt: terror undique, ait Dominus. 6. Non fugiat velox, nec salvari se putet for-
tis. Ad Aquilonem juxta flumen Euphratem victi sunt, & ruerunt. 7. Quis est
iste, qui quasi flumen ascendit: & veluti fluviorum intumescunt gurgites ejus? 8. Æ-
gyptus fluminis instar ascendit, & velut flumina movebuntur fluctus ejus, & dicet:
Ascendens operiam terram: perdam civitatem, & habitatores ejus. 9. Ascendite
equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Æthiopia, & Lybies tenentes
scutum, & Lydii arripientes, & jacientes sagittas. 10. Dies autem ille Domini Dei
exercituum dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis: devorabit gladius, &
saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in
Terra Aquilonis juxta flumen Euphraten. 11. Ascende in Galaad, & tolle resinam:
virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. 12. Au-
dierunt gentes ignominiam tuam, & ululatus tuus replevit terram: quia fortis impe-
git in fortem, & ambo pariter conciderunt. 13. Verbum, quod locutus est Domi-
nus ad Jeremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Ba-
bylonis, & percussurus terram Ægypti. 14. Annuntiate Ægypto, & auditum faci-
te in Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta, & præpara te:
quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt. 15. Quare computruit for-
tis tuus? non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. 16. Multiplicavit ruentes,
ceciditque vir ad proximum suum, & dicent: Surge, & revertamur ad populum no-
strum, & ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii columbæ. 17. Vocate nomen
Pharaonis regis Ægypti, tumultum adduxit tempus. 18. Vivo ego (inquit rex,
Dominus exercituum nomen ejus) quoniam sicut Thabor in montibus, & sicut Car-
melus in mari, veniet. 19. Vasa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Ægypti:
quia Memphis in solitudinem erit, & deseretur, & inhabitabilis erit. 20. Vitula ele-
gans, atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. 21. Mercenarii
quoque ejus, qui versabantur in medio, quasi vituli saginati versi sunt & fugerunt
simul, nec stare potuerunt: quasi dies interfectionis eorum venit super eos, tempus
visitationis eorum. 22. Vox ejus quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu prope-
rabunt, & cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna. 23. Succiderunt saltum
ejus, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, & non
est eis numerus. 24. Confusa est filia Ægypti, & tradita in manus populi aquilonis.
25. Dixit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo super tumultum Ale-
xan-

xandriæ, & super Pharaonem, & super Ægyptum, & super deos ejus, & super re-
ges ejus, & super Pharaonem, & super eos, qui confidunt in eo. 26. Et dabo
eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Ba-
bylonis, & in manus servorum ejus: & post hæc habitabitur sicut diebus pristinis,
ait Dominus. 27. Et tu ne timeas, serve meus Jacob, & ne paveas Israel: quia
ecce salvum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captivitatis tuæ: &
revertetur Jacob, & requiescet, & prosperabitur; & non erit, qui exterreat eum.
28. Et tu noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus: quia tecum ego sum,
quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te vero non consumam, sed
castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

℣. 1. VERBUM DOMINI AD JEREMIAM CONTRA GENTES. Hoc illi Deus aperuit, cum ad sui ministerium vocaret (1): *Prophetam in gentibus dedi te*. Reliquæ Libri partes, uno hoc Capite excepto, in alienas gentes pronunciatæ sunt. Hæc oracula hic extra locum jacent. At fortasse iis, qui Jeremiæ scripta unum in Librum collegere, visum est, neglecto temporum ordine, omnia hæc vaticinia, quibus Judæorum res minus spectantur, hunc in locum congerere. At Septuaginta, ne nimium hæc oracula a tempore, quo pronunciata sunt, removeant, statim post Caput XXV. collocavere, qui locus certe nonnullorum aptissimus esse videtur; scilicet circa annum Joakimi quartum, quo Nabuchodonosor Regis nomen, & Imperii societatem a Nabopolassaro obtinuit. Sunt inter ea, quæ aliis temporibus debeantur. Vide XLVII. 1. & XLIX. 34.

℣. 2. ADVERSUS EXERCITUM PHARAONIS NECHAO, QUI ERAT JUXTA EUPHRATEM IN CHARCAMIS. Pharao Nechao, Ægyptiorum Rex, arma movit in Charcamis, urbem ad Euphratem (2), primo & trigesimo Josiæ Regis Judæ anno: Regem Judæ, profectioni suæ sese objicere conantem, profligavit; superatisque omnibus ab Ægypto ad Euphratem usque populis, relicto in Charcamis præsidio, in Ægyptum rediit. Quatuor deinde post annos, quarto scilicet Joakimi anno (3), Nabopolassar Babylonis Rex filium Nabuchodonosorem, Regis nomine & dignitate instructum, atque in partem Imperii accitum, misit, jubens urbem Charcamis, Ægyptiorum præsidio munitam, expugnare, ac Phœniciæ Satrapam, qui seditionem moverat, subjicere (4). Nabuchodonosor, accepto exercitu profectus, omnia domuit Euphratem inter & Nilum: quamobrem Pharao intra Regni sui fines clausus, ulterius egredi ausus non fuit (5). Postremum hoc facinus vaticinatur hic Jeremias, paulo post necem Josiæ Regis Juda; scilicet cum adhuc Nechao bello ad Euphratem occuparetur. Ægyptiorum profectiones & sævitiam describit ℣℣. 7. 8. 9. eorumque exercitus, seu potius præsidii in Charcamis relicti, sive auxiliarium copiarum, illuc a Nechao missarum, cædem prædicit ℣℣. 3. 4. 5. 6. 10. 11. 12.

℣. 3. PRÆPARATE SCUTUM ET BELLUM. Reddi potest Hebræus (6): *Instruite clypeum & hastam*; Septuaginta (7): *arma & clypeos*. Ægyptios alloquitur, in Charcamis præsidio relictos, & Nechai copias, suppetias huic urbi ferentes: Prælium parate: adest hostis.

℣. 4. JUNGITE EQUOS, ET ASCENDITE, EQUITES. Equites non nostro more significat, singulis in equis singulos, sed currum & aurigam, militem e curru pugnantem, & eum qui currum agitabat (8). Septuaginta de singulis equitibus interpretantur (9): *Sternite equos, ascendite, equites*.

℣. 5. QUID IGITUR? VIDI IPSOS PAVIDOS. Accedente Nabuchodonosore, Ægyptiorum copiæ terrentur, metuque consternatæ effusis habenis fugiunt, atque alter alterum in fuga impellit.

℣. 6. NON FUGIAT VELOX, NEC SALVARI SE PUTET FORTIS. Frustra in fugam ruitis: mortem nemo vitabit: ii, qui cæteros pernicitate superant, satis veloces non erunt, ut a nece elabantur; ac validissimi satis virium non habebunt, ut resistant, ac sese discrimini subducant.

AD AQUILONEM, JUXTA FLUMEN EUPHRATEM, DICTI SUNT. Rem futuram, ceu præteritam, narrat. Charcamis urbs ad Euphratem erat, Judææ & Ægypto borealis. Scribit Josephus (10), Nechao, cum inita a Nabuchodonosore capiendæ Charcamis consilia intellexisset, cum valida manu suppetias huic urbi ferre non cessavit. Commisso prælio, victus est, atque in Ægyptum evadere coactus, relicta Nabuchodonosori regione, quæ Euphratem inter & Ægyptum est, præter unam Judæam. Hic Josephi locus optimum hisce verbis Commentarium est. Allatas a Nechao suppetias aperte in iis non legimus; at satis innuit Jeremiæ oratio ad Ægyptiorum copias, jubentis arma parare, clypeos, equos, equitesque.

℣. 7. QUIS EST ISTE, QUI QUASI FLUMEN ASCENDIT? Nechaum significat, ac bellicum apparatum, quem is in Charcamis opem instruxerat. Futurum sperabat, ut Nabuchodunosorem pelleret, nihilque viribus suis par esse arbitrabatur. Illum Jeremias cum amne aggeres superante comparat, videturque alluviones Nili spectare, quibus Ægyptus universa multarum hebdomadum spatio inundatur. Ingentes exercitus frequenter Scriptura sub magnarum alluvionum imagine exhibet (11).

℣. 8. PERDAM CIVITATEM, ET HABITATORES EJUS. Babylonem cum incolis perdam. Vel: Nulla mihi arx aut urbs resistet.

℣. 9. PROCEDANT FORTES ÆTHIOPIÆ, Hebræus (12): *Egrediantur fortes*, milites, viri *Chus*, Regio Chus in inferiori Ægypto erat, atque extremum versus Erythræi angulum porrigebatur (13). Ea Nechao parebat; qui ejus regionis hominibus bellicæ professionis professionem imperat. Ægyptii enim varias in classes distribuebantur (14), quarum nobilissima milites erant.

LIBYES TENENTES SCUTUM. Hebræus (15): *Et Phuth muniti clypeis*. Septuaginta (16): *Libyes onusti armis*. *Phuth* inter filios Cham filii Noe legitur (17). Is vero frater Chus erat, de quo paulo ante, & Mizraim patris Ægyptiorum. Varia nominis

(1) Jerem. I. 5. (2) 4. Reg. XXIII. 29. & 2. Par. XXXV. 20. (3) Vide Usser. ad an. 3397. & confer Jerem. XXV. 1. & Dan. I. 1. (4) Beros. rerum Chald. lib. 3. apud Joseph. lib. X. Antiq. c. 11. & ipse Joseph. ibid. cap. 7. (5) 4. Reg. XXIV. 7. *Et ultra non addidit Rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim Rex Babylonis a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphratem, omnia quæ fuerant Regis Ægypti.* (6) ערכו מגן וצנה (7) Septuag. Ὅπλα καὶ ἀσπίδας. (8) אסרו הסוסים ועלו הפרשים (9) Septuag. Ἐπισάξατε τοὺς ἵππους, ἐπίβητε οἱ ἱππεῖς. (10) Joseph. Antiq. lib. X. cap. 7. (11) Isai. VIII. 8. *Ibit per Judam inundans.* XVII. 12. 13. XXVIII. 2. 15. 17. 18. Dan. 11. 10. *Veniet properans, & inundans*; Jerem. XLVII. 2. *Aquæ ascendunt ab aquilone.* (12) יצאו הגבורים כוש (13) Vide ad Isai. XVIII. 1. (14) Herodot. lib. 2. cap. 164. (15) ופוט תפשי מגן (16) Septuag. Καὶ Λίβυες καθωπλισμένοι ὅπλοις. (17) Genes. X. 6.

minis *Phuth* vestigia in Africa inveniuntur: at eos, de quibus hic, eosdem esse putamus, quorum meminere Ezechiel xxx. 5. & Nahum iii. 9. qui Nomos *Phtenuthu*, seu *Phtempha*, vel *Phtembuthi* in Ægypto inferiore incolebant (18).

Lydii arripientes, at jacientes sagittas. Hebræus (19): *Et Lydii, ferentes & jacentes arcum*; ad verbum, *conculcantes arcum*; pedibus enim utebantur, ut arcum tenderent. *Ludim*, Ægypto finitimorum regio, quæ esset, ignoratur. Varias hac de re conjecturas jam dedimus in Genesim x. 13. at nihil adhuc satis aptum occurrit. Lydios, utpote sibi subditos, arma capere, seque in expeditionem sequi jussit Nabuchodonosor.

℣. 10. Devorabit gladius, et saturabitur ... victima enim Domini in terra aquilonis, ad Euphratem, ad Charcamis. Ibi Ægyptii exercitus cædes futura est: ibi jugulanda est victima. Gestit jam Dei gladius futuris cædibus, quibus occidendo mactandoque, ac sanguinem hauriendo satiandus est. Tropicis hujusmodi locutionibus, quæ gladium *cæu* animâ instructum inducunt, magnopere ornatur oratio, animusque excitatur. Cæsi exercitus comparatio cum mactata victimis, & Dei gladio parata, familiaris est Scripturæ; eaque utuntur Ezechiel (20), cædem Gog ejusque copiarum describens; & Isaias (21), de Idumææ excidio agens.

℣. 11. Ascende in Galaad, at tolle resinam, virgo filia Ægypti. Urbes ac Provincias plerumque Scriptura sub appellatione fœminarum ac virginum exhibet. Filia Ægypti, Ægyptus ipsa est. Resinam Galaad sibi comparare jubetur, qua vulnus acceptum in Charcamis ad Euphratem curet. Celeberrima apud Scripturam est resina Galaad (22), credendumque est, Veteres ea magnopere usos esse in vulnerum curationibus, Aliis nunc medicamentis utimur.

Sanitas non erit tibi. Hebræus (23) redditur: *Emplastrum non est tibi*; vel, nullum vulneri tuo remedium admotum est: cruentum adhuc vulnus est, & inflammatione tumet. Septuaginta (24); *Utilitas non est tibi*: nemo tibi opem fert; vel, nullum in malis solatium experiris: nemo te recreat.

℣. 12. Fortis impegit in fortem: ambo pariter conciderunt. Quemadmodum usuvenire solet, cum alter miles hastam in alterum torquet, uterque enim feriente uterque simul cadunt; ita vos Ægyptii in Ægyptios sævitis, ac lethalia vulnera invicem fertis. His verbis innui videtur, ortam esse inter Ægyptios seditionem, fusoque Ægyptiorum exercitu, illos in mutuam cædem arma vertisse. Hebræus tamen rem aliter exprimit (25): *Fortis in fortem impegit*, ruerunt simul, *una ceciderunt ambo*. Homines duo in tenebris obviam procurrentes, rapideque gradientes, valide impingunt, ac simul ruunt. Ita Ægyptii qui e Charcamis fugiebant, & ii qui suppetias urbi ferebant, obvii simul facti, magno impetu alter in alterum offenderunt.

℣. 13. Verbum quod factum est ad Jeremiam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor. Alterum in Ægyptum vaticinium. Superiore oraculo bellum spectabatur alienum, extra Ægyptum sæviturum: hic varo bellum prædicitur in ipsa Ægypto gerendum, pugnante hinc Nabuchodonosore, hinc Aprie Ægyptiorum Rege, nepote Nechos vel Nechai, de quo mox actum est. Altera hæc Ægyptiaca expeditio quinque circiter ac triginta post primam annis (26), sexdecim post expugnationem Jerosolymæ facta est. Hanc luculentissime significavit supra xliv. 3. & fuse describit Ezechiel xxix. xxx. xxxi.

℣. 14. Devorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt. Septuaginta (27): *Devorabit gladius stirpem tuam*, seu *smilaca tuam*, herbam quæ plantas circum amplectitur, inquit Theodoretus (28), hederæ genus. At Hebræus, Syrus, Chaldæus, cæterique Interpretes legunt (29): *Quæ circa te sunt*. Præsto sis, Ægypte: tuus jam dies adest: omnibus undique circa te regionibus Dei gladio voratis, Phœnicia, Syria, Judæa, Idumæa, Moabitide, Ammonitide, jam ad te accedit. Ultimam profecto expeditionum Nabuchodonosor Ægyptiacam esse voluit (30).

℣. 15. Quare computruit fortis tuus? Spectare videtur Nechai cædem ad Charcamis, quo in prælio validissima Ægyptiorum juventus cecidit. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur: ℣. 16. *Multiplicavit ruentes, ceciditque vir in proximum suum, & dicent: Surge, revertamur ad populum nostrum, a facie gladii grassantis*. Vel dicito, innuere hic Jeremiam inanes Pharaonis Ægyptiorum Regis conatus, Ægypto egressi, ut Jerosolymæ per Nabuchodonosorem obsessæ suppetias ferret. Cælo enim exercitu, in Ægyptum fugere coactus est (31). Postrema hæc explicatio optima omnium videtur.

Septuaginta (32): *Cur fugit a te Apis? vitulus electus tuus non mansit* in loco suo? Compertissimum omnino est, Ægyptios taurum coluisse, multa religione selectum, quem *Apis* nuncupabant; atque is inter præcipuos erat Ægyptiorum Deos. Hebraica vox (33) *Abir*, quæ fortem significat, validum, optime convenit tauro, qualis præsertim erat *Apis*, inter totius Ægypti pulcherrimos electus. Sunt etiam, qui velint ipsum nomen *Apis* idem esse atque *Abir*, mutata r in s, pronunciationis causa. Ægyptios igitur Jeremias velut insultans rogat: Ubi Apis vester? Quo periit? Cur hoste veniente, ac minime expectato, fugit? Spernenda non est explicatio.

℣. 16. Multiplicavit ruentes: cecidit vir ad proximum suum. Id plane contigit, Nabuchodonosore arma movente in Apriem, Nechai nepotem, qui suppetias ferre Jerosolymæ ausus fuerat. Fractus fugatusque est exercitus, magna hominum cæde; & Ægyptii præcipiti fuga in suam unusquisque regionem elapsi sunt; ac singuli hortabantur: *Revertamur ad terram nativitatis nostræ*, &c.

A facie gladii columbæ, vel ex Hebræo (34), *a gladio grassantis*, Nabuchodonosoris, hoc nomine significati supra xxv. 38. ubi varias hujus loci explicationes vide. Septuaginta (35): *Fugite a facie gladii Græcorum*. Hebraicam vocem *Jonah* vel *Jonab* ita usurpant, quasi *Jonios*, seu *Græcos* significet.

℣. 17. Vocate nomen Pharaonis: Tumultum adduxit tempus. Hoc nomine appellabitur Pharao: Tempus vindictæ adest: omnia turbis & tumultu complentur. Varias admittit Hebræus interpretationes (36): Vocabitur Pharao: *Rex turbulentus reliquit locum suum*, pulsus loco est, quem acquisiverat, urbe Charcamis. Aliter: vocabitur, Tur-

(18) Vide Ptolem. lib. 4. cap. 5. & Cellar. lib. 4. In Tabula pag. 18. (19) ולודים תפשי דרכי קשת (20) Ezech. xxxix. 17. (21) Isai. xxxiv. 6. *Victima Domini in Bosra*. (22) Vide Jerem. viii. 22 & li. 8. & Genes. xxxvii. 25. (23) תעלה אין לך Vide Jerem. xxx. 13. (24) Ὠφέλεια οὐκ ἔστι σοι. (25) כי גבור בגבור כשלו יחדיו נפלו שניהם (26) Nabuchodonosoris expeditio in Charcamis pertinet ad annum Joakimi quartum, M. 1127. & Ægyptiaca ad annum post Tyri expugnationem. (27) Κατέφαγε μάχαιρα τὴν σμίλακά σου. (28) Theodoret. Chrysostom. apud Nobil. (29) כי אכלה חרב סביבך (30) Vide Joseph. lib. x. cap. 11. Antiq. & Ezech. xxix. 18. 19. 20. (31) Vide Jerem. xxxvii. 5. & Ezech. xxx. 21. 22. (32) Διότι ἔφυγεν ἀπὸ σοῦ ὁ Ἆπις; ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός σου οὐκ ἔμεινεν. Complut. non habet Ἆπις. (33) מדוע נסחף אביריך (34) מולדתנו מפני חרב היונה (35) Septuag. Ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς. (36) קראו שם פרעה מלך מצרים שאון העביר המועד

Turbulentus transire passus occasionem. Magna miscet, minatur, parat, ac denique nihil agit: coacto ingenti exercitu, opem pollicitus est Sedeciæ: copias eduxit, pompam sui fecit, ac re infecta discessit. Reddi etiam potest ex Syro (37) *Vocate nomen ejus: Perturbans & transferens tempora*, Ægyptum evertens, & e felici pulcherrimaque miserrimam universi Regionem faciens.

Septuaginta (38) Hebraicas voces servavere: *Vocate nomen Pharaonis Nechao Regis Ægypti, Saon Esbir Emoed*: at addunt τὸ *Nechao*, quod in Hebræo non legitur; cum res maxime incerta sit, utrum de Nechao hic agatur, an de Aprie, id quod nobis magis probatur. Quis vetat, versiculos 17. & 18. in hanc sententiam reddi? *Vocabitur Pharao Rex Ægypti, Altitudo quam turba dejecit*, ex uno in alterum locum migrare coegit: (ỹ. 18) *quemadmodum enim ego vivo, inquit Dominus, in mare ruet ceu Carmelus & Thabor*. Pharao mons est, in mare me jubente mox transferendus. Sit ille par sublimitate Thabori, firmitate & magnitudine Carmelo, illum omnino transferam ac dejiciam. Chaldæorum turba, exercitus, cœtus illum in mare deturbabit, Regnum illius evertet, ipsum exitio dabit (39).

ỹ. 18. SICUT THABOR IN MONTIBUS, ET SICUT CARMELUS IN MARI, VENIET. Ea est verborum minarumque mearum firmitas, uti immobiles sunt Carmelus & Thabor (40). Quemadmodum Thabor inter cæteros circa se montes hactenus excelluit, ac deinceps excellet, & Carmelus in Mediterranei litore sublimis erigitur, ita ea quæ ego pronunciavi, immobilia futura sunt, invitis temporum conversionibus hominumque conatibus.

ỹ. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS FAC TIBI. Sarcinas collige & para: Babylonem quamprimum capiteris. Ut proximæ captivitatis figuram Judæis exhiberet Ezechiel, jussus a Deo est, quemadmodum hic Ægyptus, sarcinas parare, veluti in alienam regionem migraturus (41): *Fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis... & efferes foras vasa tua, quasi vasa transmigrantis*. Ægyptios, non secus atque Judæos, Nabuchodonosor captivos abegit; at regnante Cyro, ingens illorum numerus rediit. Vide infra ỹ 26. & Ezechielem XXIX. 13. 14. & nostram Dissertationem de captivitate ac libertate finitimarum Judæis gentium.

ỹ. 20. VITULA ELEGANS ÆGYPTUS ... STIMULATOR AB AQUILONE VENIET EI. Bucula indomita est & recalcitrans; validum audacemque bubulcum mittam, qui & jugum ferre, & progredi stimulo coget; Nabuchodonosoram scilicet, Ægypti domitorem, qui ex Aquilone proficiscetur. Hoc indicio ubique in Scriptura significatur Nabuchodonosor.

ỹ. 21. MERCENARII EJUS, milites, quos illa conduxerat, non secus ac cæteri, fugere. Peregrinum militem alebat Apries Ægyptiorum Rex. Triginta circiter millia e Caribus & Jonibus habuit, cum bellum misceret in Amasim, prope Memphim (42); quibus fractis, ipse Apries captus est. Ita Herodotus, qui, uti diximus, Nabuchodonosoris historiam, ejusque expeditionem in Ægyptum plane ignorabat. Satis tamen nobis esto, Apriem peregrino milite usum esse. Ait Jeremias futurum, ut hi stare nequeant coram Nabuchodonosoris exercitu.

ỹ. 22. VOX EJUS QUASI ÆRIS SONABIT; Vox filiæ Ægypti (43). Acres adeo clamores emittet, uti acutum strident æs percussum. Septuaginta (44): *Vox ejus quasi anguis sibilantis*. Sonoros questus planctusque edere non audebit: sibilos potius quam clamores dabit. Iisdem ferme verbis Jerosolymæ gemitus describit Isaias XXIX. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit*. Michæas I. 8. *Faciam planctum quasi draconum*. At Hebræa vox alia est, ac dracones proprie dictos significare non creditur.

CUM SECURIBUS VENIENT EI, QUASI CÆDENTES LIGNA. Olim securibus in bello utebantur, iisque barbari nunquam ferme carebant. Chaldæi in Ægyptum venient, securibus armati, quasi lucum vastaturi: atque stirpitus, ceu magnas arbores, opulentissimos Reges ac Principes, milites validissimos, munitissimas arces, urbesque pulcherrimas, & florentissimas cædent. Exercitus cum agricolis, lucum cædentibus, comparatus, apud alios etiam Prophetas (45) legitur.

ỹ. 23. MULTIPLICATI SUNT SUPER LOCUSTAS. Chaldæorum exercitus similis erit locustarum nubi, quæ ubi steterunt, omnia populantur & vorant. Acerrima apud Orientales est hæc comparatio, apud quos frequentissimæ sunt locustarum nubes, quæ in regionem aliquam ruentes, eam illi cædem inferunt, ut incendio direpta esse videatur. Vide nos in Joelem. Solet Scriptura exercitus cum locustarum nubibus comparare (46).

ỹ. 25. VISITABO SUPER TUMULTUM ALEXANDRIÆ. Alexandriam nonnisi diu post Jeremiæ & Nabuchodonosoris ætatem stetisse compertum est. Quamobrem putasse videtur S. Hieronymus, eo in loco, ubi nunc Alexandria est, olim stetisse *No-Ammon*, de qua urbe hic Jeremias, cum ubique reddat Alexandriam: at docent Historici, Alexandriam conditam fuisse prope Rhacotin, ad portum (47). Vetus nomen *Rhacot* adhuc Alexandriæ ab Ægyptiis tribuitur. Quæ Urbs *No Ammon* fuerit, studiose quæsivimus in Nahum; ac *Diospolim*, sive Jovis Urbem, in Delta, inter Busirin ad meridiem, & Mendesum ad boream esse arbitrati sumus. Septuaginta (48): *Ecce ego ulciscar Ammon filium ejus super Ægyptum*. Maximus Ægyptiorum Deus, & Jupiter erat Ammon. Ægypti filium nuncupat Jeremias, quod numen esset ab Ægyptiis inventum, inquit Theodoretus. Profanam Ammonis Religionem in Ægyptiis ulciscitur Deus, cum Ammonem ipsum, qui nihil omnino est, ferire nequeat. Plerique tamen putant, Urbem *No-Ammon* hoc loco a Propheta significari. Hebræus ad verbum (49): *Ecce ego visito super Amon de No*. Quæ verba accipi queunt de Ammone Deo, cujus

(37) Syr. apud Theodoret. Καλέσατε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ταράττων, ἢ παράγων τοὺς καιρούς. (38) Septuag. apud Theodoret. Καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ Νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτου, Σαων Ἐσβεὶ Ἐμωήδ. Edit. Rom. Σαὼν Ἐσβεὲ Μωήδ. Complut. Σαὼν Ἐσβὶρ Μωήδ. Symmach. Καιρὸς παρηγέχθη, tempus præteriit. Aqu. Παρήγαγεν ὁ καιρός.
(39) Hebraicum שאון duci potest ex נשא *Tulit, elevavit*, ubi dicitur שאת *Elatio, sublimitas*. שאון usurpatur pro sublimi loco, superbia in Jerem. XLVIII. 45. collato cum Num. XXIV. 17. בני שאת Et 4. Regum XIX. 28. שאננך עלה בא זני *Superbia tua ascendit in aures meas*. Ita & Psalm. LXXIV. 23. Isai. V. 14. Amos II. 2. &c. מועד significat tempus locumque condictum, cœtum, agmen, catervam; at si accipiatur pro participio verbi יעד in hiphil, significare potest illum qui constituit, decrevit, condixit: quamobrem verti potest, uti nos reddidimus, *Altitudo, quam turba dejecit*, vel, *Altitudo eversa ab eo qui illam posuit*. Superbiam Pharaonis dejecit Deus; Imperium illius evertit, quod ipse instituerat. (40) Grot. Vat. Menoch. Tir. alii.
(41) Ezech. XII. 3. 4. 5. 6. 7. (42) Herodot. lib. 2. cap. 161. (43) קולה כנחש ילך (44) Φωνὴ αὐτῆς ὡς ὄφεως συρίζοντος. (45) Isai. XXXVII. 24. XLIV. 14. Zach. XI. 2. & maxime Ezech. XXXI. & seq.
(46) Judic. VI. 5. VII. 12. Judith II. 11. &c. (47) Strabo lib. 17. Et Plin. lib. 5. cap. 10. *Alexandria ... juxta Mareotim lacum, qui locus antea Rachotes nominabatur*. (48) Ἰδοὺ ἐγὼ ἐκδικῶ τὸν Ἀμμὼν τὸν υἱὸν αὐτῆς ἐπὶ Αἴγυπτον. Iidem Interpretes in Ezech. XXX. 14. 16. reddunt *No-Ammon*, *Diospolin*, & ỹ. 15. *Memphim*.
(49) הנני פקד אל אמון מנא

jus Religio in Urbe No florebat, vel de populo No; *Amon* enim populum, & multitudinem significat, vel denique de urbe Amon ad No sita. Vide quæ diximus in Nahaum III. 8. & in Ezechielem XXX. 15. & Bochartium, *Phaleg p.* 1. *l.* 1. *c.* 6.

Et super deos ejus, et super Reges ejus. Easdem alibi minas in Ægyptiorum Deos, & fana vidimus (50). Reges fortasse, de quibus hic Jeremias, Apriæ successores sunt, a Babyloniorum Regibus bellis posterioribus indignissime agendi. Apries a Nabuchodonosore necatus est, vel ab ipsismet Ægyptiis, si Herodoto credimus (51). Amasis cadaver, Apriæ successoris, Cambyses e sepulchro eruit; ac turpissime habitum, & virgis cæsum, quasi adhuc viveret, denique incendio damnavit, atque in cineres redegit (52). Psammenitus, qui Amasin exceperat, ab eodem Cambyse superatus, & catenis onustus, ceu captivorum vilissimus, suis ipse oculis filiam inter ancillas aquam haurire cum cæteris coactam vidit, ac primum e liberis fune circa collum vincto, inditoque ori fræno, ad supplicium una cum bis mille Ægyptiis rapi (53), ac demum ipse post aliquod tempus necem sibi consciscere, haustu tauri cruore coactus est. Ita vaticiniis Jeremiæ in Ægyptios Reges absolutissima undique fides stetit.

℣. 26. Post hæc habitabitur sicut diebus pristinis. Ægypti calamitatem annis quadraginta perseveraturam asserit Ezechiel (54). Quamobrem si annorum hujusmodi exordium a Nabuchodonosoris expeditione in Apriem ducatur, nonnisi quarto vel quinto Cyri Babylone regnantis anno claudi poterunt: sin ab expeditione Apriæ in Cyrenæos, & Ægyptiorum seditione in Apriem, quadraginta anni ab eo tempore usque ad primum Cyri Babylone imperantis annum commode numerantur (55).

℣. 27. Salvum te faciam de longinquo. Quantumvis absis a patria, tua te ex captivitate revocabo. Id primo Cyri anno contigit (56). Dum Ægypto pollicetur Deus, fore ut ipsam pristinas ad fortunas revocet, data opportunitate, de reditu Judæorum agit, quamvis vaticinium ad Ægyptum proprie, non ad Judæam pertineat.

℣. 28. Consumam omnes gentes ad quas ejeci te: te vero non consumam, sed castigabo te in judicio. Impunitum te non relinquam; puniam, ut æquitas postulat; at penitus non perdam, non delebo, non deseram, quemadmodum eos, inter quos exulas, Chaldæi, Assyrii, Babylonii omnino intercibunt: at te ego restituam. Similem locutionem vide supra XXX. 11.

CAPUT XLVII.

Vaticinium de Philisthinorum calamitatibus.

℣. 1. Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam. Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem ejus, urbem, & habitatores ejus: clamabunt homines, & ululabunt omnes habitatores terræ, 3. A strepitu pompæ armorum, & bellatorum ejus, a commotione quadrigarum ejus, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis. 4. Pro adventu diei, in quo vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus, & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis, depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ. 5. Venit calvitium super Gazam, conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum. Usquequo concideris? 6. O mucro Domini, usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. 7. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, & adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi?

℣. 1. Contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam. Gazæ expugnatio hic indicata tempus demonstrat, quo Deus allocutus est Jeremiam, non quo impleta est oraculi fides. Quo tempore Pharao Gazam ceperit, dissident Eruditi. Alii enim (1) captam a Nechao credunt vel ante vel post fractum Josiam Regem Juda. Is omnia ferme, quæ Nilum inter & Euphratem jacent, imperio suo addiderat. Ajunt alii (2), captam esse a Pharaone, cum suppetias Jerosolymæ a Nabuchodonosore obsessæ ferret, decimo Sedeciæ anno, vel cum reverteretur; res enim incerta est. Nullo etiam argumento novimus, eam urbem a Nechao aut obsessam unquam fuisse aut expugnatam. Fortasse etiam occupata est Gaza ab Aprie, Psammis successore. Certe tradit Herodotus, hunc arma movisse in Tyrios Sidoniosque (3): hos porro armis vexare non poterat, nisi Gaza cæterisque Philisthinorum urbibus occupatis. Etsi vero ita res habeat sese, certum adhuc hujus vaticinii tempus definire non licet, cum obscurum sit, quo tempore Apries arma in Tyrios moverit. Illud solummodo perspicuum est, inter Nechaum, Josiæ victorem, & Apriem, unicum Psammis regnum, sexennii spatio, intercedere.

Agunt de Chaldæorum expeditione in Philisthinos Ezechiel (4) & Sophonias (5); eamque jam innuerat Jeremias, XXV. 20. Isaias (6) & Amos (7) calamitatis cujusdam meminere, a Regibus aquilonis in eam regionem illatæ. Hos tamen spectare credimus Sennacheribi & Assaradonis

(50) Jerem. XLIII. 12. 13. Vide & Ezech. XXX. 13. (51) Herodot. lib. 2. cap. 169. (52) Idem lib. 3. cap. 16. (53) Idem lib. 3. 14. (54) Ezech. XXIX. 14. (55) Herodot. lib. 2. cap. 161. 162. & sequ. (56) 1. Esdr. 1. 5. (1) Grot. Anglic. (2) Rabb. David, & Salom. & Seder-Olam; Lyr. Dionys. Cast. Munst. Vat. Menoch. (3) Herodot. lib. 2. c. 161. (4) Ezech. XXV. 15. 16. (5) Sophon. II. 4. 5. (6) Isai. XIV. 29. (7) Amos 1. 8.

donis bella in Philiſtinos. Quoddam etiam in Philiſthinos bellum prædicit Zacharias (8): hoc tamen illud eſt, quo illos fregit Alexander. Inter cæteras vero Divinæ in eas gentes ultionis cauſas fuiſſe docet Ezechiel ſævitiam, qua Philiſthini Judæos inter ſupremas Regni illorum ærumnas vexavere (9). Nabuchodonoſor, qui Divinorum conſiliorum curam negligens, iræ ſuæ impetum ſequebatur, Philiſthinis idcirco bellum inferebat, quod Tyriis faverent (10): *Vaſtabuntur omnes Philiſthiim, & diſſipabitur Tyrus & Sidon, cum omnibus auxiliis ſuis*. In ipſa fortaſſe Tyri obſidione Nabuchodonoſor Philiſthinorum urbes expugnavit. Per eadem tempora, quinque nimirum vel ſex annis poſt Jeroſolymæ excidium, Syros aggreſſus eſt, Ammonitas, Moabitas & Idumæos (11). Tyri obſidio tredecim annorum labor fuit (12); at ita Nabuchodonoſorem non detinuit, ut aliis etiam expeditionibus par eſſe non poſſet.

℣. 2. Ecce aquæ ascendunt ab aquilone. Nabuchodonoſoris copiæ, alluvionis inſtar, omnem Philiſthinorum regionem obruent. Paſſim occurrunt exercitus cum alluvionibus comparati.

℣. 3. A strepitu pompæ armorum et bellatorum ejus. Solo illorum ſtrepitu ita homines terrebuntur, ut reſiſtere nequeant. Hebræus (13): *A ſonitu inceſſus ungularum fortium ejus*, equorum & curruum, &c. Septuaginta (14): *A voce impetus ejus, ab armis multis eorum*.

Non respexerunt Patres filios, manibus dissolutis. Suo unuſquiſque diſcrimine occupatus, de cæteris non cogitat. Confer hunc locum cum Michæa, vii. 5. 6. & Jeremia, ix. 4. & Matth. x. 35. 36. Interdum extremis in diſcriminibus amicorum optimi, & genere conjunctiſſimi amicos & propinquos deſerunt ac mactant, ne rebus ipſi ſuis ſibique conſulant. Extremorum malorum præſentia amorem extinguit, animum perturbat, omniumque officiorum oblivionem inducit.

℣. 4. Dissipabitur Tyrus, et Sidon, cum omnibus reliquis auxiliis suis; cum Philiſthinis fœderatis; hos enim fortaſſe Propheta ſignificat. De Tyri excidio vide Ezechielem xxvi. xxvii. xxviii. Jeremiam, xlvii. 4. Capta eſt Tyrus imperante Nabuchodonoſore, iiſque malis, quæ hic minitatur Ieremias, obruta eſt.

Sidoni fortaſſe pepercit Nabuchodonoſor, eaque Tyrum vicinam ac filiam graviſſimo in diſcrimine deſeruiſſet, ob ſecretam amplitudinis illius & opulentiæ invidiam. Id innuere videtur Iſaias iis verbis (15): *Erubeſce, Sidon, ait mare, fortitudo maris*, &c. At Dei furorem, juſtiſſime in ſe flagrantem, minime evaſit, cum in Judæos ærumnis obrutos iniquiſſime ſævierit (16). Hæc in Artaxerſem Ochum conſpiravit, Satraparum ab Artaxerſe miſſorum injuriis provocata (17). Sidonii acceerſito in conſpirationis partem Ægyptiorum Rege, Perſas, quorum injurias ipſi tulerant, indigniſſime tractavere. Quamobrem Ochus, coacto trecentorum millium peditum, & equitum triginta millium exercitu, arma in Sidonios movit. At Mentor, quem illi copiarum ſuarum Imperatorem creaverant, Sidonem prodidit, ac Sidonios Artaxerſi ſeſe proditorum promiſit; illique in proditionis ſocietatem Tennes Rex Sidoniorum acceſſit. Hic cum nobiliſſimis centum civibus urbe egreſſus illos, ceu ſeditionis authores, Perſarum telis objecit. Advenerant & ex urbe quingenti primores viri, ramis oleæ prætenſis ei ſupplicantes, pacemque poſtulantes; quos pariter telis confodi juſſit. At Sidonii, qui ante Regis adventum naves omnes ſuas incenderant, ne quitpiam navigatione ſaluti privatæ poſtea conſulere, poſtquam urbem & mœnia ingenti Perſarum multitudine viderunt oppleta, intra domos cum liberis & uxoribus incluſi appoſito igni ſe incenderunt, ut eorum & qui ſupplicantes interfecti ſunt, numerum quadraginta millium periiſſe traditum ſit. Tanta ea clade Sidoniis affectis, & urbe tota cum civibus abſumpta, locum ea incendio vaſtatum Rex talentis multis vendidit. Ob magnam enim oppidanorum opulentiam immenſa argenti & auri via per ignem conflata inventa eſt. Ita fides ſua oraculis Joelis (18), Jeremiæ (19), Ezechielis (20), & Iſaiæ (21) ſtetit.

Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ. Cappadociam inter Inſulas non recenſeri, ſatis compertum eſt. Imo ne ad maritimas quidem Provincias pertinet; quamobrem axioma, a pleriſque noſtris interpretibus univerſe conſtitutum, eas gentes, quarum litus mari alluitur, Inſularum nomine ab Hebræis cenſeri, Cappadociæ non convenit. Audacius alii (22) aſſerunt, populos a Palæſtina remotos interdum Inſularum appellatione ſignificari, At nobis certum ſedet; & luculentiſſime docuimus (23), perſpicuam maxime Inſularum notitiam Hebræis fuiſſe; eoque nomine Mediterranei Inſulas & oras ab iis diſtingui; atque in Mediterraneo Mari quærenda eſſe loca omnia, quæ apud Scripturam, Inſulæ nominantur. Hebræus legit hic *Inſulam Captor* (24), Cretam nimirum Inſulam, uti nobis videtur. Vide noſtram Diſſertationem de origine & Diis Phœnicum.

℣. 5. Venit calvitium super Gazam. Capillos vellit Gaza, ut in luctu maliique inſolitis fit (25). Reddi poteſt Hebræus (26): *Abſciſſam comam fert Gaza*; calva eſt, captiva, tonſo capite ancillarum more, ornamentis, & mundo muliebri exuta. Communior apud Interpretes eſt prior explicatio, quæ locum de luctu uſurpat. Ægyptii, Palæſtinæ finitimi, cum funebres quoſdam ritus agerent, caput omneſque corporis villos radebant.

Conticuit Ascalon: mœrore ac dolore obruitur; triſte ſilentium ſervat, probro, animi angore, & ſollicitudine oppreſſa. Silentium frequenter pro ſolitudine, ſeu captivitate, excidio uſurpatur. Hebræus reddi poteſt (27): *Excidetur Aſcalon*. Septuaginta (28): *Projecta eſt*, derelicta, deſtituta.

Et reliquiæ vallis earum, utriuſque ſcilicet urbis, Gazæ, & Aſcalonis, quæ & vicinæ, & in ampliſſima planitie, ad mediterraneum uſque porrecta, ſitæ erant. Vallis tota, unaque illius urbes, triſti ſilentio opprimuntur; omneſque illius incolas terror penitus fregit, ſtupidoſque & agendo impares ita effecit, ut immobiles inſtar rupium ſint. Vel: Vallis tota deſerta ac deſtituta eſt. Jungi hæc poſſunt cum conſequentibus: *Reliquiæ vallis* Gazæ & Aſcalonis, *quouſque vos incidetis?* Quod fieri ſolet in luctu, ut diximus (29). Aptiſſima omnium videtur hæc interpretatio. Ægyptii corpus lacerare ac cædere in luctu ſolebant (30). Septuaginta (31). *Reliquiæ Enakim quouſque vos incidetis?* Enakim, vel Enacim celeber-

(8) Zach. 12. 5. (9) Vide Ezech. xxv. 15. *Pro eo quod fecerunt Palæſtini vindictam, & ulti ſunt ſe toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres.* (10) Hic ℣. 4. (11) Joseph. Antiq. lib. 2. c. 11. & Hieron. in Iſai. xxiii. initio. (12) Vide Joſeph. lib. x. c. 11. Antiq. & lib. 1. contra Appion. Uſſer. ad an. M. 3419. (13) מקול שעטת פרסות אביריו (14) Α'πὸ φωνῆς ὁρμῆς αὐτοῦ, ἀπὸ τῶν ὅπλων τῶν πολλῶν αὐτῶν. (15) Iſai. xxiii. 4. (16) Joel iii. 4. 5. Ezech. xxviii. 24. (17) Diodor. An. 2. Olymp. 177. (18) Joel iii. 45. (19) Jerem. xxv. 22. xlvii. 4. (20) Ezech. xxviii. 21. 22. (21) Iſai. xxiii. 4. 12. (22) Sanct. hic. (23) Vide nos in Pſalmum lxxi. 10. (24) את פלשתים שארית אי כפתור (25) Vide Deut. xiv. 1. Iſai. iii. 24. xv. 23. xxii. 12. & Jerem. xlviii. 37. Ezech. vii. 18. &c. (26) באה קרחה אל עזה (27) נדמתה אשקלון (28) Α'πεῤῥίφη Α'σκάλων. (29) Deut. xiv. 1. Jerem. xli. 5. & xlviii. 37. (30) Herodot. lib. 2. c. 85. (31) Οἱ κατάλοιποι Ε'νακείμ, ἕως τίνος κόψεις; Theodoret. Τὰ λοιπὰ τῶν Ε'νακείμ.

celeberrimi gigantes erant in Chananitide (32), quorum sedes præsertim circa Hebronem erant (33), Gazæ & Ascaloni proxime. Fuere etiam in Philisthinis Gigantes, & plurimi oppido, regnantibus Saule & Davide. Id fortasse in causa fuit, cur hic de Philisthinis, veluti Enakim reliquiis, agi putaverint Septuaginta. At multo verisimillimum est, omnem hanc difficultatem ex mendo Librariorum oriri, Græcosque Interpretes in codice suo legisse *Enakim* (34), pro *Emekam*.

℣. 6. O MUCRO DOMINI, USQUEQUO NON QUIESCES? Dei gladius quodammodo erat Nabuchodonosor; ac simili exemplo alius quidam *Flagellum Dei* appellabatur. Formidabili hujus cædis aspectu, sibi a Spiritu Sancto exhibita, territus Jeremias, versa ad gladium oratione, ait: Numquam ne vorare ac populari cessabis? Statim vero respondet: *Heu qui fieri potest ut cesset, cum jussus a Deo sit cædere, illumque ipse docuerit, quid agendum sit?* ℣. 7. Reddi potest Hebræus (35): *Cum Dominus illi præceperit*, quæ fieri volebat, & *adjuraverit*, quodammodo coegerit sibi jurejurando polliceri, se omnino feriturum; vel denique, cum sævissimo huic muneri illum penitus addixerit.

(32) Num. xiii. 29. 34. (33) Josue xv. 13. 14. & xi. 21. 22. & xiv. 12. 15. (34) Heb. שארית עמקם Septuaginta legunt שארית ענקים (35) ויהוה צוה לה ... שם יעדה Septuag. Κύριος ἐνετείλατο αὐτῇ ... ἐπὶ τοὺς καταλοίπους ἐπεγερθῆναι.

C A P U T XLVIII.

In Moabum vaticinia. Is captivus ducetur, ejusque urbes evertentur, ac deserta squallebunt: at denique ab exilio aliquando revocabitur.

℣. 1. AD Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Væ super Nabo,
quoniam vastata est, & confusa: capta est Cariathaim: confusa est fortis,
& tremuit. 2. Non est ultra exultatio in Moab contra Hesebon: cogitaverunt ma-
lum: Venite, & disperdamus eam de gente: ergo silens conticesces, sequetur te gla-
dius. 3. Vox clamoris de Oronaim: vastitas, & contritio magna. 4. Contrita est
Moab: annuntiate clamorem parvulis ejus. 5. Per ascensum enim Luith plorans
ascendet in fletu; quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audie-
runt. 6. Fugite, salvate animas vestras: & eritis quasi myricæ in deserto. 7. Pro
eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque
capieris: & ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus, & principes ejus simul.
8. Et veniet prædo ad omnem urbem, & urbs nulla salvabitur, & peribunt valles,
& dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus: 9. Date florem Moab, quia
florens egredietur: & civitates ejus desertæ erunt, & inhabitabiles. 10. Maledictus,
qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium suum a san-
guine. 11. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis: nec
transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permansit
gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus. 12. Propterea ecce dies ve-
niunt, dicit Dominus: & mittam ei ordinatores, & stratores laguncularum, & ster-
nent eum, & vasa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident. 13. Et confun-
detur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fi-
duciam. 14. Quomodo dicitis: fortes sumus, & viri robusti ad præliandum? 15. Va-
stata est Moab, & civitates illius succiderunt: & electi juvenes ejus descenderunt in
occisionem: ait rex, Dominus exercituum nomen ejus. 16. Prope est interitus Moab
ut veniat: & malum ejus velociter accurret nimis. 17. Consolamini eum omnes,
qui estis in circuitu ejus, & universi, qui scitis nomen ejus, dicite: Quomodo con-
fracta est virga fortis, baculus gloriosus. 18. Descende de gloria, & sede in siti,
habitatio filiæ Dibon: quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones
tuas. 19. In via sta, & prospice habitatio Aroer: interroga fugientem: & ei, qui
evasit, dic: Quid accidit? 20. Confusus est Moab, quoniam victus est: ululate, &
clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab. 21. Et judicium venit
ad terram campestrem; super Helon, & super Jasa, & super Mephaath, 22. Et su-
per Dibon, & super Nabo, & super domum Deblathaim, 23. Et super Cariathaim,
& super Bethgamul, & super Bethmaon, 24. Et super Carioth, & super Bosra; &
super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, & quæ prope sunt. 25. Abscissum
est cornu Moab, & brachium ejus contritum est, ait Dominus. 26. Inebriate eum,
quoniam contra Dominum erectus est; & allidet manum Moab in vomitu suo, &
erit in derisum etiam ipse. 27. Fuit enim in derisum tibi, Israel, quasi inter fures

repe-

reperisses eum: propter verba ergo tua, quæ adversum illum locutus es, captivus duceris. 28. Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. 29. Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus. 30. Ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus: & quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat, conata sit facere. 31. Ideo super Moab ejulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes. 32. De planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama: propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Jazer pervenerunt: super messem tuam, & vindemiam tuam, prædo irruit. 33. Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli: Nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. 34. De clamore Hesebon usque Eleale, & Jasa, dederunt vocem suam, a Segor usque ad Oronaim vitula consternante: aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt. 35. Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, & sacrificantem diis ejus. 36. Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt. 37. Omne enim caput calvitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. 38. Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus, omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus. 39. Quomodo victa est, & ululaverunt? quomodo dejecit cervicem Moab, & confusus est? Eritque Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo. 40. Hæc dicit Dominus: Ecce quasi Aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab. 41. Capta est Carioth, & munitiones comprehensæ sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. 42. Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra Dominum gloriatus est. 43. Pavor, & fovea, & laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus. 44. Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam; & qui conscenderit de fovea, capietur laqueo, adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. 45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Seon, & devorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus. 46. Væ tibi, Moab, periisti popule Chamos: quia comprehensi sunt filii tui, et filiæ tuæ in captivitatem. 47. Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque judicia Moab.

℣. 1. AD MOAB. Fœdus cum Sedecia inierant Moabitæ in Nabuchodonosorem (1). At obsessa a Nabuchodonosore Jerosolyma, Moabitæ nedum Sedeciæ opem ferre neglexere, verum etiam Judæorum malis insultantes gestierunt, veluti si latro in persequentium manus incidat (2). Hujus sævitiæ causa Divinus furor exarsit, malisque mox describendis illos obruit. Nabuchodonosor, qui ad Jerosolymæ expugnationem usque simultatem in Moabum celavarat, tandem aliquando prodidit; magnaque exercitus parte ad Tyrum relicta, copiis in Ammonitas, Moabitas & Idumæos ductis, singulos depopulatus est. Harum expeditionum initium Josephus (3) tertio & vigesimo Nabuchodonosoris anno consignat, quinto ab Jerosolymæ expugnatione. Consentit S. Hieronymus (4), & nostri Interpretes libenter accedunt. Sua etiam in Moabum oracula edidere Ezechiel (5) & Sophonias (6), & bellum fuse ab Jeremia hic descriptum prædixere. Cujusdam Moabitarum calamitatis meminere Amos (7) & Isaias (8), quæ Ezechiæ ætate illos obruit, & ab ipso fortasse Ezechia, quam arma in Moabum & Idumæam movisse arbitramur. Ipsa interdum Isaiæ verba usurpat Jeremias (9), quamquam de bello agens alio plane a priori. Id tamen exemplo non caret; cum alter nonnunquam alterius Prophetæ verbis utatur (10).

VÆ SUPER NABO, QUONIAM VASTATA EST. Nabo seu Nebo urbs Moabitica est, ad montis hujus nominis radices. Olim a Moyse expugnata (11), diu Israelitis paruit: at labentibus Regis Israelitarum rebus, illam occupavere Moabitæ, donec pulsi sunt a Nabuchodonosor, atque in captivitatem ducti, eo bello, quod hic ab Jeremia describitur. Promissam regionem Moyses e vertice montis Nebo prospexit (12), ibique diem clausit (13). Isaias, in Moabum vaticinans, de excidio urbis Nabo agit (14). Hoc urbi nomen inditum est vel profani alicujus oraculi causa, vel ob cultum in ea urbe Deum Nabo, apud Babylonios celeberrimum (15).

CAPTA EST CARIATHAIM. Urbem hanc olim tenuere Israelitæ (16): at deinde occupavere Moabitæ, atque una plerasque trans Jordanem sitas, patria pullis a Theglathphalassaro Israelitis. Sita erat inter Elealen & Jordanem. De hac agit Ezechiel, Moabitarum male prædicens (17).

CONFUSA EST FORTIS, ET TREMUIT. Hebræus (18): *Confusa est Hammisgab, & expavit*. Arx

 fuisse

(1) Jerem. XXVII. 3. 9. 10. 11. (2) Jerem. XLVIII. 26. 27. (3) Joseph. Antiq. lib. x. c. 11. (4) Hieron. in Jerem. XXV. 32. & alibi. (5) Ezech. XXV. 8. (6) Sophon. II. 8. 9. (7) Amos I. 13. & II. 1. 2. (8) Isai. XV. XVI. (9) Confer Jerem. XLVIII. 1. 2. 3. 29. 31. 34 34. cum Isai. XV. 2. 3. & XVI. 6. 7. 8. Item Isai. XXIV. 17. & Jerem. XLVIII. 43. (10) Vide Mich. III. 1. 2. 3. collatum cum Isai. II. 2. 3. 4. (11) Num. XXXII. 3. & I. Par. V. 8. (12) Deut. XXXII. 49. (13) Deut. XXXIV. 5. (14) Isai. XV. 2. (15) Isai. XLVI. 1. Nabo duci potest ex Nabi נביא *Propheta* נבא *Vaticinari*. (16) Num. XXXII. 37. Josue XIII. 19. (17) Ezech. XXV. 9. (18) הבישה המשגב וחתה.

fuisse creditur *Hammisgab* (19). Fortasse etiam epitheton est urbis Cariathaim, *Capta est Cariathaim; confusa est; & expavit urbs munitissima*, & situ validissima.

℣. 2. NON EST ULTRA EXULTATIO IN MOAB. CONTRA HESEBON COGITAVERUNT MALUM hostes. Hesebon olim sedes Seonis Regis Amorrhæorum fuit (20). Primum Rubenitis tradita, deinde transiit ad Moabitas, veteres illius dominos, antequam a Sehone occuparetur. Inter nobilissimas ac munitissimas universæ regionis urbes erat, ad radices & boream Phasgæ montis sita.

DISPERDAMUS EAM (Hesebonem) DE GENTE. Vel de Moabo: Illum e gentium numero evellamus: nulla Moabi memoria relinquatur. Ad verbum (21): *Evellamus eam, ut non sit gens*. Vide infra, ℣. 42. & Isaiam, VII. 8. XVII. 1.

ERGO SILENS CONTICESCES, SEQUETURQUE TE GLADIUS. Reddi potest Hebræus (22): *Madmen, ad silentium redigeris: post te veniet gladius*. Medemena celebris est Moabitarum civitas. Hujus nomen cum Hebraico vocabulo silentium significante congruit. Quamobrem locus fuit lusui verborum ab Jeremia usurpato: *Madmen tidomi*; quasi diceret, Urbs silens, tacebis. Silere apud Prophetas frequenter significat dolorem, mœrorem, terrorem, vastationem. Vastata regio, inculta desertaque, urbs malis afflicta & desolata, tristi altoque silentio occupatur.

℣. 3. VOX CLAMORIS DE ORONAIM. Moabiticam urbem esse Oronaim, scimus; at illius situm ignoramus. Innuere videtur Isaias (23), illam circa Segor & Luith jacuisse; itemque Jeremias (24), cum ait, exauditum iri clamorem a *Segor* usque ad *Oronaim*.

℣. 4. ANNUNTIATE CLAMOREM PARVULIS EJUS. Chaldæus vertit (25): *Docete clamorem Principes ejus*, Principes inferioris ordinis, inquit Vatablus; *pauperes*, ait Syrus. At Isaiæ locus huic respondens, ita intelligendum esse suadet: Virga Moab lethali vulnere percussa est. Clamores illius in Segor audiuntur. (℣. 5.) *Per ascensum Luith plorans ascendit in fletu, &c.* Isaias XV. 5. *Cor meum vociferatur propter Moab*, malo Moabi tangitur: *fugitivi ejus ad Segor veniunt, vitulam trimam*, vel usque ad *Agelat & Salisa*. *Per clivum Luith cum fletu ascendit; ad Oronaim usque clamorem cladis edunt*. Ipsemet Jeremias, hic, ℣. 34. *Dederunt vocem usque ad Segor, Agelat, Salisa*, seu vitulam trimam.

℣. 5. PER ASCENSUM ENIM LUITH PLORANS ASCENDET: QUONIAM IN DESCENSUM ORONAIM HOSTES ULULATUM AUDIERUNT. Particula *enim* tum initio, tum in medio versiculi prorsus negligenda est, cum nihil sententiam juvet. Confer hunc locum cum Isaia, XV. 5. Moabitica gens eversa est: illius agrum hostis occupavit; Moabitæ in Idumæam fugere per clivum Luith, & per iter Oronaim, Segor versus. Fugitivæ ac territæ gentis clamores questusque hostis audit.

℣. 6. FUGITE: SALVATE ANIMAS VESTRAS: ET ERITIS QUASI MYRICÆ IN DESERTO. Incultis in locis, ceu myricæ, delitescetis: vobis deinceps una erit sedes, loca sterilissima, hominibus non apta, sed feris. Eamdem locutionem vide supra, XVII. 6. Hebræus legit (26): *Erunt ut Aroer in deserto*. Urbs Aroer nota est in Moabitide; at ea ætate minime inculta fuisse videtur, cum illius meminerit Jeremias, infra, ℣. 19. veluti opibus populoque florentissimæ. Nondum etiam ullum senserat infortunium Aroer, cum Jeremias oracula Capitis XVII. pronunciaret, ubi eadem locutione utitur. Quamobrem Aroer hoc loco pro myrica accipiendum est.

℣. 7. PRO EO QUOD HABUISTI FIDUCIAM IN MUNITIONIBUS TUIS .. TU QUOQUE CAPIERIS, quemadmodum Jerosolyma, Tyrus, Damascus, aliæque quamplurimæ, quas Nabochodonosor expugnavit. Hebræus (27): *Quoniam habuisti fiduciam in operibus tuis*; opibus, gregibus, vino, oleo, tritico, mercimoniis. Hæ porro erant ejus ætatis opes. Vide 1. *Reg.* XXV. 2. & 1. *Par.* XXIX. 6.

IBIT CHAMOS IN TRANSMIGRATIONEM: SACERDOTES EJUS ET PRINCIPES EJUS SIMUL. Chamos nobilissimus Moabitarum Deus. Captivitatem illi minitatur, ejusque Sacerdotibus ac Principibus Jeremias. Chamos universæ Regionis Princeps (28); Moabitarum Reges Numinis vicarii habebantur. Ita Diabolus, malus ubique Divinitatis æmulus, imitari conabatur constitutum apud Israelitas Reipublicæ ordinem, apud quos unus Populi Rex erat omnipotens Deus. Ii vero, qui populum moderabantur, Dei vices gerebant, illius arbitrio creati aut ejecti, cum omnia eo jubente fierent, sive proficiscendum esset, sive pugnandum, sive aliud quidpiam faciendum; præter infelicia ea tempora, quibus Judaica gens Dei imperium detrectare, suoque arbitrio regi voluit: quæ tamen libertas plurimi Israelitis stetit, cum gravissimis a Deo suppliciis idcirco affligerentur. Chamos igitur captivos cum suis adductus est; gentis enim suæ conditionem Profanorum Dii sequebantur, in triumpho interdum ducti, aut catenis vincti, aut fracti. Profanorum insaniam, falsorumque Numinum imbecillitatem frequenter irrident Prophetæ, dum servitutem, captivitatem illis prædicunt, aut minitantur fore illos victoris prædam, ejusque probris obnoxios (29). Deos Philisthinorum, in castris inventos, cremavit David (30); coronam Moloch Ammonitarum Numinis in sui ipsius usum convertit (31). Nabuchodonosor (32) & Cambyses (33) in Ægyptiorum, & Xerses (34) in Græcorum Deos sæviere.

℣. 8. VENIET PRÆDO AD OMNEM URBEM, scilicet Nabuchodonosor; hoc enim nomine Scriptura passim Nabuchodonosorem donat (35); optimo tamen jure, ob victoriarum illius sævitiam & iniquitatem.

℣. 9. DATE FLOREM MOAB, QUIA FLORENS EGREDIETUR. Quamtumvis floreat Moab, mediis in fortunis captiva rapietur. Alii hunc locum ad verbum explicant (36): Flore super Moabum, ceu super mortuum, spargite; inter flores enim, quibus operitur, ad sepulcrum efferetur. Mos, quibusdam adhuc in locis vigens, flores super feretra, & mortuorum sepulcra spargendi, apud veteres familiaris erat (37):

. . . *Manibus date lilia plenis*.
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis.

At minime probatur hæc explicatio, utpote æque exquisitior; easque cæteris præponimus, quæ maxime simplices esse videntur. Vulgo redditur Hebræus (38): *Date alam Moabo, quia volans fugiet*. Chaldæus: *Auferte coronam a Moab, quia transmigrando transmigrabit*. Septuaginta (39): *Date*

signa

(19) Heb. Vat. Mont. Pagn. (20) Num. XXI. 26. (21) נכריתנה מגוים
(22) גם מדמן תדמי אחריך תלך חרב (23) Isai. XV. 5. (24) Jerem. XLVIII. 34.
(25) השמיעו זעקה זעירוה Chald. שלטוני Ita & Rabb. quidam. Vide Matt. II. 2.
(26) והיינה כערוער במדבר (27) כי יען בטחך במעשיך . . . גם את תלכדי (28) Num. XXI. 29. Jerem. XLVIII. 46. *Væ tibi Moab; periisti, popule Chamos*. Vide & Judic. XI. 24. (29) Jerem. XLIII. 11. 12. XLVI. 25. XXIX. 3. Isai. XLVI. 1. Ezech. XXX. 13. (30) 1. Par. XIV. 12. (31) 1. Par. XX. 2.
(32) Jerem. XLIII. 11. 12. & XLVI. 25. (33) Herodot. l. 3. c. 29. & 37. (34) Herodot. l. 8. c. 109.
(35) Vide Jerem. IV. 7. *Prædo gentium se levavit*, LI. 48. *Ab aquilone venient ei prædones*. Isai. XXXIII. 1. &c.
(36) Menoch. lib. 8. cap. 5. de Rep. Judæorum. Alii apud Sanct. hic, Cast. a Lapide. (37) Virgil. Æneid. VI. (38) תנו ציץ למואב כי נצא תצא (39) Δότε σημεῖα τῇ Μωάβ, ὅτι ἁφῇ ἀναφθήσεται.

signa Moabo, quia plaga illius *inflammabitur*, mentibus crescit. Cum iter in desertis regionibus habetur, signanda est lapidibus via, ut a redeunte inveniatur (39). Miserrimus hic futurus est Moabitarum status. Optima omnium videtur versio ferens: *Date alam* Moabo (40). Quam celerrime fugiat, ut bostia furorem vitet: jam enim egreditur hostis, urbes illius vastans ac desolans.

℣. 10. MALEDICTUS QUI FACIT OPUS DOMINI FRAUDULENTER: ET MALEDICTUS QUI PROHIBET GLADIUM SUUM A SANGUINE. Quemadmodum execrabilis est servus, si cum fraude, & fide non integra hero serviat; ita is qui omni conatu Divinam in hostes ultionem non exercet, dignus est maledicto. Vel: Væ homini, qui Dei hostibus parcit, ubi armatus ab eo in illorum perniciem fuerit. Dei opus tunc est, necem inferre, jugulare, cædere, populari, nulla prorsus venia seu misericordia. Compertum est, quanti steterit Sauli nimia erga Regem Amalecitarum indulgentia (41); & Achabo Israelis Regi, libertas Benadabo Regi Syrorum data (42): contra vero, quam grata Deo fuerit Levitarum obedientia, cum fratres post aurei vituli cultum necarent (43); & Phineis ardor in eorum cæde, qui Beelphegor sacris sese immiscuere (44): Reddunt Septuaginta (45): *Maledictus qui facit opus Dei negligenter; & maledictus qui avertit gladium suum a cruore*. Locum hunc plures eodem modo reddunt & recitant (46): at plerique Vulgatam sequuntur, quæ cum Hebræo magis convenire videtur (47): Maledictus qui Dei jussa bona fide ac sincere studioseque non explet. Væ vobis, Chaldæi, si Moabitis pepercеritis, aut in illos penitus non sævieritis, cum illos Deus cædi destinaverit, vosque sententiæ illius ministri sitis.

℣. 11. FERTILIS FUIT MOAB AB ADOLESCENTIA SUA. Moab similis fœcundæ viti est. Ita explicari jubent ea quæ sequuntur; Moabitas enim Propheta cum vino comparat, nondum de vase in vas transfuso. Israelitas Prophetæ passim cum vite comparant. Hebræus (48): *Moab tranquillus fuit ab adolescentia sua: requievit in fæcibus suis*. Similis vino est confidenti, nondum turbato, aut in alterum vas transfuso. Nondum belli tumultum expertus est, quemadmodum Judæi, Israelitæ, Syri, Phœnices illorum finitimi. Opibus floret atque abundat, diuturna pace collectis: nunquam patriam relinquere coactus fuit, nunquam captivus, uti gentes tam multæ fuerunt. Regnante Ezechia (49) violentus turbo Moabitas agitavit; quos nimirum vel Assyriorum Rex, vel ipse Ezechias bello lacessivit: at belli detrimenta Moab nullo negotio separavit: jam olim hæc mala præterierant.

REQUIEVIT IN FÆCIBUS SUIS, NEC TRANSFUSUS EST DE VASE IN VAS ... IDCIRCO REMANSIT GUSTUS EJUS IN EO, ET ODOR EJUS NON EST IMMUTATUS: Pergit metaphora. Vinum nobilissimum est Moab, suis in fæcibus confidens, cui nihil adhuc generositatis, odoris aut acrimoniæ decessit. Operæ pretium esse videtur, artem describere, qua Hebræi vinum conficiebant servabantque, quo facilius Jeremiæ mentem assequamur. Ita porro alia loca explicabimus, quibus mores a nostris alieni spectantur.

Torcular in vinea erat, & vinum ex eo fluens excipiebatur subterraneo lacu, seu cisterna, eo loco effossa, quæ Hebræis *Jekeb* (50), Græcis *lenos*, vel *hyppolenion* dicebatur. In Novi Testamenti Libris (51) *laccos* legitur Græce, & Latine *lacus*, scrobs nimirum seu cisterna, forma quadrata seu rotunda, maltha probe oblita, ut vinum nullo effusionis periculo contineret (52). Lacus hujusmodi necessaria vineæ pars censebatur; venditaque vinea lacus etiam vino continendo vendebatur (53). Dum vinum in lacu erat, *vinum doliare* appellabatur apud Romanos; *diffusum* vero cum in doliis vel amphoris contineretur. Horatius (54): *Vina bibes Tauro* (consule) *diffusa*. Hæc luculenter in Scriptura, uti apud Profanos, leguntur. *Vinea facta est dilecto meo*, inquit Isaias (55): *ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea*. Apertius S. Matthæus (56): *Fodit in ea torcular*, seu cisternam vino continendo; & S. Marcus (57): *Fodit lacum*. Plenum est torcular, inquit Joel (58), lacus exundant. *Vindemiavit Angelus vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum*, inquit S. Joannes (59). Simul adhuc in Italia & Galliis lacus videntur. Pulcherrimi cernuntur Ambasiæ, prope Cæsaris horrea. Ait hic Jeremias, Moabum similem vino esse, quod adhuc in lacu est, nondum diffusum. Addit, *remansisse* Moabo *gustum suum & odorem*. Profecto vastis hisce in lacubus vini generositas melius servabatur: *Marmore enim & calce & gypso condita, quis non etiam validus expavescat?* inquit Plinius (60).

Vinum ex iis lacubus in ampla fictilia vasa fundebatur. Veteres hujusmodi amphoræ magno numero in Italia inveniuntur. Bernardus Montfaucon (61) in villa Ludovisiana quasdam vidit, quæ sextarios plusquam trecentos capiebant, aliasque plurimas, amplius tricenos continentes. Vir quidam, qui Palæstinam peragravit anno 1531. (62), dolia quædam ibi se vidisse asserit, quæ decem vel duodecim sesquiquadrantes nostrates caperent. Apud Syros vinum nostra adhuc ætate in testaceis doliis humi conditus servatur, & utribus transfertur (63). Putat Juvenalis (64), Diogenis Cynici dolium testaceum fuisse.

.... Dolia nudi
Non ardent Cynici. Si fregeris, altera fiet
Cras domus, atque eodem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem..

Narrat Vanslebius, dolia hujusmodi testacea, in vini servandi usum, humi condita in Ægypto inveniri. Hæc duplici ansa instructa sunt, & in parte inferiori in cuspidem desinunt, quo facilius humi deponerentur, vel minori negotio vinum ex iis educeretur. Apud Italos amphoræ vino plenæ vel humi conditæ, vel in cellis, vel in horreis servabantur, ut vini natura ferebat. Ait Plinius (65), mitioribus in plagis dolia tota humi defodi, vel tantum ex parte; quibusdam vero in locis sub dio relinqui; in aliis, servari in cellis: *Imbecilla vina demissis in terra doliis servanda, valida exposita*. Dolia eo ordine disponebantur, ut aliquo intervallo inter se distarent, *ne inter sese vitia serperent, contagione vini semper ocyssima*. Narrat Homerus (66), apud Ulyssem semper

dolia

(39) Ita Theodoret. (40) Rab. Salom. Kimchi, Vatab. Jun. Pisc. Belga, alii plerique. (41) 1. Reg. xv. 8. 9. 22. 23. (42) 3. Reg. xx 32. . . . 42. (43) Exod. xxxii. 27. 28. 29. (44) Num. xx. 8. 9. 10. (45) Ἐπικατάρατος ὁ ποιῶν τὰ ἔργα κυρίου ἀμελῶς, καὶ ἐπικατάρατος ὁ ἐξαίρων μάχαιραν αὐτοῦ ἀπ' αἵματος. (46) Gior. Munst. Vat. (47) [Chald. בנכלא] ארור עשה מלאכת יהוה רמיה (48) שאנן מואב מנעריו ושקט הוא אל שמריו (49) Vide Isai. xv. xvi. (50) יקב Græc. Ληνός, ὑπολήνιον. (51) Λάκκος, Lacus. Marc. xii. 1. Apoc. xiv. 20. (52) Suid. (53) Vulpian. L. in Instrum. 8. d. r. Vide Salmath not. in Pancitoli Rer. memorabil. l. 1. cap. de Cellis. (54) Horat. Epist. lib. 1. ep. 5. (55) Isai. v. 1. 2. (56) Matt. xxi. 33. (57) Marc. xii. 1. (58) Joel iii. 13. *Plenum est torcular* [גת] *Exuberant torcularia* יקבים Vide & Joel ii. 24. *Redundabunt torcularia vino, & oleo*. Et Prov. iii. 10. *Vino torcularia tua redundabunt*, Heb. *Vino novo torcularia rumpentur*. (59) Apoc. xiv. 19. 20. (60) Plin. lib. xxxvi. c. 1. (61) Diar. Ital. c. 9. p. 140. (62) Voyage manuscrit de D. Nicolas Lovan Religieux de S. Michiel. (63) Cotovic. Itin. Jerosol. c. 12. (64) Juvenal. Satyr. xiv. (65) Plin. l. 14. c. 21. (66) Homer. Odyss. B. Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο

dolia fuisse, vetere vino nobilissimo plena, longo ordine ad parietem superioris cœnaculi disposito. Hæc porro vasa pice, aliave re odore acri, ac tenacissima linebantur, cum id servandæ vini generositati prodesse crederent (67). Adde, quod cum ea ætate testacea vasa eo tectorii genere, quo nos utimur, non induerentur, necesse erat picem adhibere. Author est Tavernier (68) apud Persas vinum non in doliis ligneis, sed in amphoris contineri, intus tectorio indutis, & adipe ex arietum cauda illitis, quæ modii mensuram capiunt. Hæ in subterraneis vini cellis disponuntur, earumque os, pedis unius mensuram ex diametro habens, purpurea tela, undique operiente, obstruitur. Ait Chardinius, apud Colchos vinum in amplissimis testaceis vasis contineri, trecentarum ferme pintarum capacibus; eaque vel intra vel juxta domum in terram defodi. D. D'Arvieux monet pariter apud Arabes servari vinum in lagenis & plerumque turbidum manere, ex quo facile additur vino apud Hebræos adjectivum *Comer* turbidum.

De arte vini conficiendi servandique apud Orientales vide Tournefortium Itiner. to. 1. pag. 62. Ita porro, ait ille, vinum in toto Archipelago conficitur. Est privato cuique in sua vinea torcular, idest hians quædam fovea aptæ magnitudinis quadrata cum pavimento lateritio & probe vestita cœmento, ac patens & detecta; hic positæ uvæ prius tamen soli toto biduo expositæ calcantur superimposito onere magnorum lapidum complanatorum, expressumque eo pondere mustum per foramen defluit in vas inferius positum. Vas illud musti transfertur in urbem, replenturque eo musto dolia, seu lagenæ fictiles terræ infossæ usque ad labium. In iis vero vinum a crassiori fæce expurgatur. Tum in ea vasa injiciuntur tres quatuorve pugilli gypsi juxta eorum magnitudinem. Sæpe additur quarta pars aquæ dulcis vel salsæ prout præsto est. Ita satis curato vino dolium gypso madefacto occluditur.

Eumdem in Scriptura morem videmus. Minitatur Jeremias hic, ℣. 12. sese missurum ad Moabum *ordinatores* (69), operarios vinum e lacu in dolia transfundentes. Hi *vasa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident*. Hæc nimirum gens patria pelletur, atque hostibus dabitur, qui captis illius opibus, Moabitidis urbes pagosque vastabunt. Eumdem usum spectat Aggæus, II. 17. *Cum intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti*, Sponsa (70): *Introduxit me* (Sponsus) *in cellam vinariam ... fulcite me lagenis* (Vulgata, *floribus*) *stipate me malis*. Cella igitur vinaria locus non erat sordidus, luce carens, aut subterraneus, sed mundissimus, quippe cum Sponsa eo introducta fuerit. Nihil in Salomonis ædibus nisi magnificentissimum erat. Ulysses (71) vinum in eodem conclavi, in quo maritalem torum, servabat.

℣. 13. Confundetur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel. Summo ipsorum probro intelligent Moabitæ Chamos imbecillitatem, quemadmodum decem Tribuum Israelitæ senserunt, aureos vitulos, quos in Bethel colebant, infirmiores fuisse, quam ut sibi saluti essent. Spe sua se dejectos videbunt, ubi Chamos captivus fuerit, quemadmodum spem omnem amisere Israelitæ, cum raptos ab Assyriis aureos vitulos cernerent. *Osee*, VIII. 5. X. 6.

℣. 15. Vastata est Moab, et civitates ejus succiderunt. Ad verbum (72): *Vastata est Moab, & civitates ejus ascenderunt* in fumum, igne succensæ, ceu holocaustum: evanuere, dissipatæ sunt ceu flamma vel fumus. Reddunt alii: *Vastata est Moab & civitates ejus*: *ascendit* hostis super eam; vel illam hostis in pulverem convertit, dissipavit. Chaldæus: *Direpti sunt Moabitæ, & civitates ejus vastatæ*.

℣. 16. Prope est interitus Moab. Si hæc oracula in eas gentes quarto Joakimi anno ponas, tres circiter ac viginti anni fluxere, antequam complerentur: completa enim sunt quinto post expugnationem Jerosolymæ anno, quo Josephus bellum in Moabitas & Ammonitas constituit (73).

℣. 17. Universi qui scitis nomen ejus. Sive: Qui illum probe inter ceteros nostis, uti dicitur, de nomine & gente. Vide Moysem (74), ubi Deus illum alloquens ait: *Novi te ex nomine*. Duplex plerisque Orientalibus nomen esse dicitur, proprium alterum, quod perraro & paucissimis significant, magicorum carminum metu; alterum, quod cognomen est, omnibus notum. Quamobrem is tantummodo aliquem novit ex nomine, qui particeps arcanorum habetur.

Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? [illegible]. Incredibili profecto superbia & ambitione turgebant Israelitæ. Serio loquens Jeremias, ℣. 29. ait: Moabi superbiam & arrogantiam novimus: arrogantissimus certe est: at pares non sunt vires arrogantiæ.

℣. 18. Sede in siti, habitatio Dibon. Dibon Moabitica urbs est, aquis suavissimis clara (75). Vaticinatur Propheta futurum, ut in deserta, locaque arentia, sicca elabi cogatur.

℣. 19. In via sta, et prospice, habitatio Aroer. Sita erat Aroer ad Arnon, in meridionali Moabitidis extremo. Imperat huic Jeremias, ut fugientes ac prope transeuntes roget, quid mali in regionem intulerit hostis, & quo loco sedeat.

℣. 20. Annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab. Hoc a fugientibus respondetur, rogantibus Aroeritis, qui ad Arnon erant. Universa late in regione prædicate, perque omnes fluminis oras dicite, interiisse omnia; Moabum jam non existere, universamque regionem ab hoste occupari.

℣. 21. Helon, Jasa, Mephaath, Moabitidis urbes, quæ olim Rubenitarum erant, situs non ita cogniti. *Jasa* vel *Jessa* inter *Aroer* & *Helmon-Deblataim* jacebat.

℣. 22. Dibon, Nabo, Deblathaim; ejusdem provinciæ urbes, sub montibus Phasga. *Deblataim*, aliter *Helmon-Deblataim*, ad horum montium radices erat, uti Nebo, seu Nabo supra ℣. 1.

℣. 23. Cariathaim. Vide supra ℣. 1.

Beth Gamul, ignota. Forte *Maccala* Ptolemæi.

Beth-Maon; eadem fortasse ac *Beel-Meon*, ad Arnon, non longe a Rabbath-Ammon, seu Philadelphia.

℣. 24. Carioth, urbs in Moabiticis nota (76): eadem fortate, quæ *Kir Hares*, seu *Rabbath Moab*. Vide ℣. 35.

Bosra, celebris in ea provincia urbs, inter Jazer & Philadelphiam, orientem versus & Arabiam desertam (77). Aliam hanc esse putamus a *Bosra* Idumææ. Vide infra XLIX. 13.

℣. 25. Abscissum est cornu Moab, robur, gloria, imperium, quo fretus gloriabatur.

℣. 26. Inebriate eum. Vinum Divini furori bibat, ut ebrius fiat: tam multum hauriat, ut vomat.

Alli-

Ἕστασαν, ἄκρητον θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες,
Ἑξείης ποτὶ τοῖχον ἀρηρότες.

[67] Vide Crinn. c. 113. de re Rustic. Item. Columel. l. 12. c. 18. [68] Tavern. tom. 1. lib. 5. c. 5. p. 342. [69] שלחתי לו צעים וצעוהו וכליו יריקו ונבליהם ינפצו [70] Cantic. II. 4. [71] Odyss. B. v. 337. & seq. (72) שדד מואב ועריה עלה (73) Joseph. Antiq. lib. X. c. 11. (74) Exod. XXXIII. 12. 17. [75] Isai. XV. 9. *Aquæ Dibon repletæ sunt sanguine*. [76] Josue XV. 25. Amos II. 2. [77] Vide Josue XXI. 36. 1. Macc. V. 36.

Allidet manum Moab in vomitu suo, et erit in derisum etiam ipse. Cum Judæorum calamitati insultaverit Moab, ipsosque Divini furoris vino ebrios viderit; suus etiam illi dies veniet, ebrius efficietur, & vomet, hominumque irrisionibus & probris obnoxius fiet. Hebræus (78): *Volutabit sese in vomitu suo*, & cæterorum risus erit. Chaldæus: *Triturabuntur Moabitæ in loco suo, & erunt in derisum*. Verti etiam potest: Manibus plaudetur super Moab, cum ipse ebrius in vomitu suo volutabitur.

℣. 27. Fuit in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum. Hæc causa est, cur in se iratus sit Deus. Israelis calamitate lætatus es, quasi inter fures captum videris, cum illi in furto reprehenduntur. Hebræus reddi potest (79): *Nonne Israelem irrisisti? Nonne inter fures inventus es, postquam multa locutus es in eum, & commovisti te*, irridentis more, quatiens caput? Luculentior Vulgatæ explicatio, cui favet Chaldæus. Septuaginta (80): *Et ipse vobis in derisum erat Israel; quasi in furtis tuis inveneris eum, ita debellasti eum*. Vide Jerem. II. 26. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel . . . dicentes ligno: Pater meus es.*

℣. 28. Habitate in petra, habitatores Moab. Relictis urbibus, intra specus delitescite, ut hostium vires vitetis. Frequentissimi erant in Moabitarum montibus specus. Eo plerumque confugiebant, cum bellum ingrueret. Ibi estote ut columba in rupe nidificans; vel eo succedeos, ut accipitrem fugiat (81).

℣. 29. Audivimus superbiam Moab. Confer Isaiam XVI. 6. Minime ferenda erat Moabitarum arrogantia. Vide hic ℣. 17. Hos Moyses vocat (82) *filios superbiæ*.

℣. 30. Ego scio jactantiam ejus, quod non sit juxta eam virtus ejus; par non est superbiæ robur; nec juxta quod poterat, conata sit facere. Hebræus (83): *Ego novi iracundiam ejus: & non sic vectes ejus: non sic fecerunt*. Vectes hoc loco pro urbis viribus usurpantur: pares non sunt vires superbiæ: non ea virtute pugnarunt, qua gloriabantur. Alii reddunt: *Novi superbiam ejus; ut non firma est. Novi mendacia ejus*, jactantiam, ambitionem: *at nihil facturi sunt*. Sive: *Ego novi iracundiam ejus: nonne ita est? Novi mendacia ejus: nonne ita fecerunt?* An aliter faciunt, quam ego novi?

℣. 31. Ad viros muri fictilis lamentantes. Vel, ex Hebræo (84): *Super* mala *incolarum Kir-Heres plorabo*. S. Hieronymus reddidit in Isaia XVI. 7. *Super muros cocti lateris*. *Kir-hareseth*, seu *Kir Heres* eadem erat ac *Ar*, Moabitidis Princeps. Putat Grotius (85), *Kir Heres* solem significare, quod in ea urbe sol maxime coleretur. Ait Jeremias, sese super illos, vel cum illis ploraturum, ac lugubria carmina, a civibus incepta, prosecuturum. In funerum ritibus, ii qui funus prosequebantur, fletus suos communibus addebant, iterabantque ea, quæ a funeris præfectis præcinebantur (86).

℣. 32. De planctu Jazer, plorabo tibi, vinea Sabama. Ut hæ sententiæ explicentur, luculentissima opus est situs horum locorum notitia: id porro minime sperandum est, post diuturnam adeo temporum conversionem. Hebræus verti potest (87): *Majori fletu, quam quo flevi Jazer, te prosequar, vinea Sebama*. Jazer prope fontem torrentis ejusdem nominis jacebat: Sebama in meridiem magis versa XVIII. M. passuum intervallo.

Propagines tuæ transierunt mare; usque ad mare Jazer pervenerunt. Amnis fortasse aliquis Sebamam alluebat, in mare, seu lacum Jazer influens. Hostis, cæsis Sebamæ vineis, vites in amnem projecit; earumque propagines amnis in lacum Jazer usque pertraxit. Confer hunc locum cum Isaia XVI. 8. ferente: *Vineam Sebama Domini gentium exciderunt: flagella ejus*, propagines, *usque ad Jazer venerunt, &c.*

Super vindemiam tuam prædo irruit (88); vineas tuas prædo vastavit, Nabuchodonosor scilicet; qui eo nomine passim in Scriptura significatur (89).

℣. 33. Ablata est lætitia de Carmelo, et de terra Moab. Carmelus longissime a Moabitide aberat: quamobrem *Carmelus* hic universe pro fertili agro, eximiisque vinetis usurpatur.

Nequaquam calcator solitum celeuma cantabit. Hilares vindemiarum dies, festique clamores calcantium uvas, passim apud Sacros Scriptores occurrunt. Porro, uti animadvertimus, hæc in ipsa vinea, & prope vini lacum fiebant. Hebræus (90): *Vinum de torcularibus cessare feci*, vel potius e lacubus subterraneis, ubi vina servabantur: *non calcabitur* uva, *& clamans hedad*, non clamabit ulterius *hedad*. Hoc erat vindemiatorum *celeuma* (91).

℣. 34. De clamore Hesebon, usque Eleale et Jasa, dederunt vocem suam: a Segor usque Oronaim, vitulam conternantem, trimam. Pergit Jeremias miseras querulasque Moabitarum voces describere. Qui patriæ calamitates flent, ab Hesebone usque ad Elealen & Jasam audientur. Hesebon inter Jasam & Elealen jacebat, pari ferme intervallo, novem circiter utrimque passuum millibus. Segor circa meridionales maris mortui fines jacebat: Oronaim circa eamdem plagam. Oronaim porro *vitulam trimam* dici putant Interpretes, quod urbs esset munitissima, populo florens, indomita, arrogans, quæque trimæ instar buculæ, integra ætate ferocientis, jugum detrectat, seu violenter agitatur, cornu ferit eos, a quo vincitur, jugoque opprimitur. Mihi quidem maxime probatur, Hebræis vocibus *Agelah* & *Selisa* geminas urbes significari, in occidua Maris mortui ora sitas, pari ferme inter se spatio distitas, uti Segor & Oronaim. Cumque Mare mortuum eo loco XII. circiter passuum millibus tantummodo pateat, hoc vult Jeremias, voces civium Segor ex urbe Oronaim audiri; & *Aglæ* seu *Bethaglæ* clamores in urbe *Salisa*, vel *Baal Salisa* exaudiri. Nomina *Beth* & *Baal* in urbium nominibus facile omittuntur, uti nullo negotio ostendi potest. Confer hunc locum cum Isaia XV. 5.

Aquæ Nemrim pessimæ erunt. S. Hieronymus in Isaia XV. 6. easdem hasce Hebraicas voces (92) reddit: *Aquæ Nemrim desertæ erunt*. Reddi etiam potest: *Aquæ Nemrim desolabuntur*, deficient. Fortasse *Aquæ Nemrim* nomen urbis est, quemadmodum apud Latinos, *Aquæ Sextiæ*, *Aquisgranum*, *Aquæ Augustæ*, *Aquæ Regiæ*, aliaque; vel tantum prædicit Jeremias futurum, ut aquæ *Nemrim* penitus deficiant: certe aliquod post tempus pessimæ factæ sunt, teste S. Hieronymo in Isaiam: *Nemrim oppidum est super mare mortuum, salsis aquis, & ob hoc ipsum sterilibus*.

℣. 36. Cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit.

---

[78] וספק מואב בקיאו והיה לשחק גם הוא [79] ואם לוא השחק היה לך ישראל אם בגנבים נמצאה כי מדי דבריך בו תתנודד [80] Καὶ αὐτὸς, ἢ ὑμῖν εἰς γελοιασμὸν ἦν Ἰσραὴλ, εἰ ἐν κλοπαῖς σου εὑρέθη, ὅτι ἐπολέμεις αὐτόν. [81] Vide Cantic. II. 14. Homer. Iliad. XXI. [82] Numer. XXIV. 17. *Filios Seth*. Heb. *Filios Elationis*. [83] אני ידעתי עברתו ולא כן בדיו לא כן עשו [84] אל אנשי קיר חרש יהגה [85] Grot. in Jerem. XV. 1. [86] Luc. VII. 32. *Lamentavimus vobis, & non plorastis*. Herodot. lib. 4. cap. 85. [87] מבכי יעזר אבכה לך הגפן שבמה [88] על בצירך שדד נפל Septuag. Ἐπὶ τρυγητῷ σου ὄλεθρος ἔπεσε. [89] Vide supra hic ℣. 8. 21. 48. 56. XXX. 16. XXV. 38. XLVI. 16. L. 16. [90] ויין מיקבים השבתי לא ידרך הידד הידד לא הידד [91] Vide Septuag. & Syr. [92] מי נמרים למשמות יהיו

nabit. Isaias: *Venter meus, quasi cinnor, sonabit* (93), scilicet, ceu lyra, vel cithara. Hebræus (94) hic legit buccinas, vel tibias. His tum in funere luctuque, tum in festis lætisque rebus utebantur. Principis Synagogæ, cujus filiam Christus ad vitam revocavit, ædes plenæ tibicinum erant, expectantium, ut ad tumulum efferretur (95). Teste Servio (96), apud Romanos, majoris ætatis funera ad tubam perferri solebant; minoris vero, ad tibias. Fremitum viscerum, ubi vacua sunt, Galenus (97) comparat cum rauco & fusco tibiarum sono, quæ in funeribus adhibentur.

Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt. Moabitæ, ac præsertim cives *Kir-Heres*, vel urbis cocto latere, vel Solis, Moabiticæ regionis Principis, periere, quod Chaldæis resistere, suasque vires cum Asiæ totius victoribus conferre ausi fuerint. Hebræus (98): *Quia plus fecit quam debuit*; quia moderationis fines excessere, & calamitatibus Juda gavisi sunt, post Jerosolymæ expugnationem (1), *idcirco peribunt*. Vel (2): *Nam & qui reliqui facti sunt*, qui elapsi sunt e discrimine, *peribunt*. Aliter (3): *Bona quæ paravere, peribunt*.

℣. 37. In cunctis manibus colligatio, vulnerum causa, sive incisionum, quibus ipsi se laceraverint. Solebant in luctu capillos tondere & barbam, cilicio indui, sive lugubri veste, forma, colore, materiaque a cæteris plane diversa, & corpus lacerare. Hoc ipsum seacenties diximus (4). Hebræus habet *incisio* (5), non *colligatio*; & *saccus*, non *cilicium*.

℣. 38. Et super omnia tecta Moab, et in plateis ejus omnis planctus. Cum publica calamitas aliqua contingeret, domorum tecta, quæ in areæ formam strata erant, & fora publica a civibus obsidebantur, ut ibi luctum agerent, universæque regionis aut urbis mala quererentur. Id porro actum est in Moabi excidio per Chaldæos.

℣. 39. Quomodo dejecit cervicem Moab, et confusus est? Vel: Quam demisso velatoque capite prodiit Moab, probro ac mœrore obrutus oppressusque? Chaldæus & Septuaginta (6): *Quomodo convertit dorsum Moab? pudefactus est*, &c. Quam ridiculus hostem fugit? Probro obruitur, cummunibusque irrisionibus impetitur. Hoc proprie significat Hebræus.

℣. 40. Ecce quasi aquila volabit hostis in Moabum. Nabuchodonosor passim apud Prophetas (7) cum aquila comparatur. Septuaginta Interpretes non habent hunc ℣.

℣. 41. Capta est Carioth. Hanc urbem esse censemus *Kir*, seu *Kir hares*, de qua sæpe actum est.

℣. 42. Cessabit Moab esse populus. Captivus ducetur, Rege carens, Principe, Magistratu, iisque omnibus, quibus gens aliqua vel Respublica constituitur. Id vero nonnisi ad certum tempus erit, uti mox videbimus ℣. 47.

℣. 43. Pavor, et fovea, et laqueus super te. Formidine occupaberis, laqueo ab hostibus capieris, in scrobem exitio tuo paratam cades. Tropicæ locutiones, ex venatu ductæ. Cum ingens fera capienda est, veluti cervus, aper, ursus, saltus pars, ubi ea latet, cingitur partim validissimis retibus, quo fera impellitur; partim densiore filo, appensis identidem vario colore plumis, quæ vento agitatæ feram terreant, atque in retia impellant. Hujus moris passim veteres meminere. Virgilius, Georgicon III.

Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

Ovidius (8):

Nec formidatis cervos includere pennis.

Nemesianus:

Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces
Terrificant, linique vetant transcendere septum.

Hujusmodi machinas Latini *formidines* appellant, cum revera feras terrerent (9): *Cum maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido*. Ad hunc morem spectat S. Augustinus (10), ubi ait, eos qui vitiosum pudorem vitare conantur, in veram infamiam incidere, *Instar ferarum, quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia*. Et S. Hieronymus adversus Luciferianos: *Pavidorum more cervorum, dum pennarum vittatis volatus, fortissimis retibus impliceamini*. Putat Sanctius (11), fuisse Hebræis consuetum, quemadmodum Græcis deinde & Romanis fuit. Fatendum certe est, formidinis, retium & foveæ nomina, quæ in eodem Jeremiæ loco, & in Isaia XXIV. 17. leguntur, huic conjecturæ favere: neque aptius quidquam hac explicatione foret, si Hebræi hac venandi ratione usi fuisse ostenderentur.

℣. 45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, & Moabi partem voravit, &c. Moabitæ, qui primos hostium impetus evitavere, & elapsi sunt, secessere Hesebonem, veluti in arcem pugnæ aptissimam, qua hostium conatus frangantur: at *ignis egressus est de Hesebon, & devoravit partem Moab*. Mutuum inter ipsos bellum exarsit: in partes abierunt, atque intestina seditione ibi exitium pepercre. Ignis plerumque bellum significat apud Prophetas. Hæc verba, *Ignis egressus est de Hesebon, & flamma de medio Sehon*, & quæ sequuntur usque ad ℣. 47. ex Moyse ducta sunt (12). Vetus erat ab ipsa Moysis ætate proverbium, ex eo natum, quod Sehon Amorrhæorum Rex, cujus sedes Hesebon, bello Moabitas petierat, magnamque regionis illorum partem occupaverat, ab Hebræis deinde expugnatam. Hebræus fert (13): *In umbra Hesebon steterunt, qui ab hostium vi fugere*. Vel ex aliis: *In umbra Hesebon steterunt ii, quibus vires fugiendi non suppetebant*. Septuaginta (14): *In umbra Hesebon constiterunt qui ab exercitu, viso exercitu, fugiebant*.

Flamma de medio Sehon, oppidi; quam vocem addimus, ut sententiam compleat, cum præsertim in Moyse legatur (15). Hesebon fuit sedes Sehonis Amorrhæorum Regis.

Devorabit partem Moab; et verticem filiorum tumultus. Filii tumultus seu confusionis procul dubio sunt Moabitæ. Hujus tamen appellationis causam ignoramus. Moyses in loco qui huic respondet, ajebat: *Flamma devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon*. Quamobrem altero ex alterius loci comparatione explicato, dicendum est, hanc *Moabi partem*, quam belli ignis absumpsit, esse urbem *Ar*, Moabitarum Metropolim, in clivo sitam ad Arnon. Alio in lo-

co

---

(93) Isai. XVI. 11. מעי ככנור יהמה (94) לבי למואב בחלילים יהמה (95) Matth. IX. 23.
(96) Servius ad Æneid. V. in hæc verba: *Laudumque immensa cupido: majoris ætatis funera ad tubam solere perferri. Persius: Hinc tuba, candelæ. Minoris vero ad tibias; ut Statius, de archemoro: Tibia enim teneros solitum deducere manes.* (97) Galen. lib. 3. de symptomat. causis. (98) על כן יתרת עשה כברו
(1) Vide sup. XLVIII. 27. (2) Grot. hic. יתרת pro *residuis*. Isai. XV. 7. (3) Ita Cast. Pisc. Septuag. Διὰ τοῦτο ἃ περιεποιήσατο ἀπώλετο ἀπ' ἀνθρώπου. (4) Vide sup. XVI. 6. XLVII. 5. Isai. XV. 23. XVII. 12. (5) על כל ידים גדדות ועל מתנים שק Septuag. Πᾶσαι χεῖρες κόψονται. (6) Septuag. Πῶς ἀπέστρεψε νῶτον Μωάβ; ᾐσχύνθη, &c. Heb. אך הפנה ערף מואב בוש (7) Jerem. IV. 13. & XLIX. 22. Ezech. XVII. 3. (8) Ovid. Metamorph. lib. 15. Vide & Oppian. in Cynneget. (9) Senec. lib. 2. de Ira c. 12. (10) August. lib. 1. de nuptiis, & concupisc. (11) Sanct. hic, & in Isai. XXIV. 17.
(12) Num. XXI. 27. (13) בצל חשבון עמדו מכוח נסים. S. Hieronym. legit מפח A laqueo, pro מכוח
(14) Ἐν σκιᾷ Ἐσεβὼν ἔστησαν ἀπὸ δυνάμεως φυγόντες. (15) Num. XXI. 28. *Ignis egressus est de Hesebon, & flamma de oppido Sehon*.

co (16) Balaam Ariolus Moabitas addito nomine *filiorum Seth*, vel elationis, superbiæ, designat. Hebræa vox *Saon*, quæ hic redditur *tumultus*, eamdem interpretationem admittit. Quamobrem ita intelligi potest hic locus (17): *Flamma egressa est de medio Sebon*, vel de domo Sebon, & *devoravit angulum Moab*, & *verticem* capitis *filiorum superbiæ*, vel elationis. *Angulus Moab* usurpari potest vel pro Moabi Optimatibus, lapidibus angularibus (18), vel pro universa regione, ad utrosque fines (19). *Vertex filiorum superbiæ* sunt fortasse Moabitarum Principes, seu robur, urbes munitissimæ, ac præsertim urbs *Kir-Hares*, seu *Ar*, totius regionis princeps.

℣. 46. Peristi, populus Chamos, Moabitæ, Chamos cultores, subditi & servi. Profani hujus Numinis meminit superius (20), veluti unicus fuerit Moabi Rex. Moabitas *populum Chamos* Moyses etiam (21) nuncupat. Vide supra ℣. 7.

℣. 47. Convertam captivitatem Moab in novissimis diebus. Minime dubitamus, quin tota hujus oraculi fides expleta fuerit, ac Moabitæ, quos Nabucbodonosor Babylonem duxit, in patriam reversi sint, eodem ferme tempore, quo Judæi. Argumentum hoc integra Dissertatione expendimus.

---

(16) Num. xxiv. 17. *Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* (17) אש יצא מחשבון ולהבה מבין [sive מבית] מחון ותאכל פאת מואב וקדקד בני שאון (18) Ita Chald. & Vulg. Num. xxiv. 17. (19) Jun. Grot. Anglic. alii plerique. (20) Sup. ℣. 7. *Ibis Chamos in captivitatem; Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul.* (21) Num. xxi. 29.

CAPUT XLIX.

Vaticinia in Ammonitas, Idumæos, Syros, Damascenos, Cedarenos, populosque regnorum Asor & Elam.

℣. 1. AD filios Ammon: Hæc dicit Dominus: Numquid non filii sunt Israel? aut
hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom, Gad: & po-
pulus ejus in urbibus ejus habitavit? 2. Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus: &
auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, & erit in tumul-
tum dissipata, filiæque ejus igni succendentur, & possidebit Israel possessores suos,
ait Dominus. 3. Ulula Hesebon, quoniam vastata est Hai: clamate filiæ Rabbath,
accingite vos ciliciis: plangite, & circuite per sepes: quoniam Melchom in transmi-
grationem ducetur, sacerdotes ejus, & principes ejus simul. 4. Quid gloriaris in val-
libus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, & dicebas:
Quis veniet ad me? 5. Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus
exercituum, ab omnibus, qui sunt in circuitu tuo, & dispergemini singuli a conspe-
ctu vestro, nec erit, qui congreget fugientes. 6. Et post hæc reverti faciam capti-
vos filiorum Ammon, ait Dominus. 7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exerci-
tuum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? Periit consilium a filiis, inuti-
lis facta est sapientia eorum. 8. Fugite, & terga vertite, descendite in voragi-
nem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visi-
tationis ejus. 9. Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si
fures in nocte, rapuissent, quod sufficeret sibi. 10. Ego vero discooperui Esau, re-
velavi abscondita ejus, & celari non poterit: vastatum est semen ejus, & fratres ejus,
& vicini ejus, & non erit. 11. Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere: &
viduæ tuæ in me sperabunt. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat
judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris?
non eris innocens, sed bibens bibes. 13. Quia per memetipsum juravi, dicit Do-
minus, quod in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictio-
nem erit Bosra: & omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas. 14. Au-
ditum audivi a Domino, & legatus ad Gentes missus est: Congregamini, & venite
contra eam, & consurgamus in prælium. 15. Ecce enim parvulum dedi te in Gen-
tibus, contemptibilem inter homines. 16. Arrogantia tua decepit te, & superbia
cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis:
cum exultaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. 17.
Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam, stupebit, & sibilabit super
omnes plagas ejus. 18. Sicut subversa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ ejus,
ait Dominus: non habitabit vir, & non incolet eam filius hominis. 19. Ecce quasi
leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere
faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis enim similis
mei?

mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 20. Pro-
pterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom, & cogitationes ejus, quas co-
gitavit de habitatoribus Theman : Si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipa-
verint cum eis habitaculum eorum. 21. A voce ruinæ eorum commota est terra :
clamor in mari rubro auditus est vocis ejus. 22. Ecce quasi aquila ascendet, & avo-
labit : & expandet alas suas super Bosran : & erit cor fortium Idumææ in die illa,
quasi cor mulieris parturientis. 23. Ad Damascum : Confusa est Emath, & Arphad:
quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari : præ solicitudine quiescere
non potuit. 24. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit
eam : angustia, & dolores tenuerunt eam quasi parturientem. 25. Quomodo dereli-
querunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ! 26. Ideo cadent juvenes ejus in pla-
teis ejus : & omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum.
27. Et succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Benadad. 28. Ad
Cedar, & ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit
Dominus : Surgite, & ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis. 29 Taberna-
cula eorum, & greges eorum capient : pelles eorum, & omnia vasa eorum, & ca-
melos eorum tollent sibi; & vocabunt super eos formidinem in circuitu. 30. Fugi-
te; abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit
enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitavit adversum vos
cogitationes. 31. Consurgite, & ascendite ad gentem quietam, & habitantem confi-
denter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis; soli habitant. 32. Et erunt cameli
eorum in direptionem, & multitudo jumentorum in prædam : & dispergam eos in
omnem ventum, qui sunt attonsi in comam : & ex omni confinio eorum adducam
interitum super eos, ait Dominus. 33. Et erit Asor in habitaculum draconum, de-
serta usque in æternum : non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis. 34.
Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam, in prin-
cipio regni Sedeciæ regis Juda, dicens: 35. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce
ego confringam arcum Ælam, & summam fortitudinem eorum. 36. Et inducam su-
per Ælam quatuor ventos a quatuor plagis cœli : & ventilabo eos in omnes ventos
istos : & non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam. 37. Et pavere
faciam Ælam coram inimicis suis, & in conspectu quærentium animam eorum : &
adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus : & mittam post eos
gladium, donec consumam eos. 38. Et ponam solium meum in Ælam, & perdam
inde reges, & principes, ait Dominus. 39. In novissimis autem diebus reverti fa-
ciam captivos Ælam, dicit Dominus.

℣. 1. AD FILIOS AMMON. Fratres erant Ammonitæ & Moabitæ, ex Loth geminisque filiabus illius. Mala, quæ hic vaticinatur Jeremias, eodem tempore contigerunt, quo illa, quibus obrutus est Moab, descripta Capite superiore, quinque scilicet annis circiter post expugnatam a Nabuchodonosore Jerosolymam. Ammon plerumque cum Moabo conjungitur. Duplex ea gens genere, & rebus jungebantur, finitimasque inter se regiones habebant, communibus cum Israelitide finibus trans Jordanem, cum quibus assidua bella, vel saltem simultates fuere.

NUMQUID NON FILII SUNT ISRAEL, AUT HÆRES NON EST EI? CUR IGITUR HÆREDITATE POSSEDIT MELCHOM, GAD? Præcipuam hic narrat Jeremias causam, cur decreverit Deus Ammonitas in Nabuchodonosoris potestatem dare. Maxima Ammonitidis parte Gaditæ potiebantur. Hanc ex Amorrhæis ceperat Moyses, ac Deo jubente, in sortem Tribui Gad, & dimidiæ Manassis (1) dedit. Multis deinde post sæculis, Theglathphalassar Assyriorum Rex captivas abduxit Israelis Tribus, trans Jordanem sitas (2), quamobrem Gaditarum Regio deserta & vacua incolis squalluit. Itaque Ammonitæ in Israelitidem irrumpentes, eam regionem ceu debitam sibi olim hæreditatem occupavere. Hujus rei arguit illos Propheta. At istud ne tantum sceleris erat, ut populi totius excidio puniendum esset? Quid communius, quam terram, quæ deserta penitus creditur, occupare & cultu exercere? Minime ignorabant Moabitæ, eam regionem Israelitarum esse : gentem minime extinctam esse norant, imo & illi promisisse Deum, fore ut in patriam revocaretur. Ammon Graditicam terram veluti suam occupaverat, ac minimi faciebat vetus Dei judicium, quo tradita fuerat Israeli (3). *Melchom* Ammonitarum Deus & Rex erat. Queritur Deus, occupatam esse ab eo Numine regionem, quæ sui juris non esset. Populi iniquitatem in ipsorum Numen torquet. Ammonitas alloquitur ex ipsorum sententia, quippe qui Israelitarum regionem sibi a suo Numine traditam esse censerent. Quamobrem Deus, ut sese quibuscumqoe rebus infinito intervallo superiorem esse doceat, primum facinoris ipsorum iniquitatem ostendit, tum severissimum supplicium, captivitate claudendum, illis eorumque Numini Melchom minitatur.

Præter hæc, alia erant, quæ pœnam in Ammonitas provocarent. Erant in Nabuchodonosoris exercitu Moabitæ & Ammonitæ (4), cum is Judam Joakimo regnante aggrederetur. Narrat Sopho-

[1] Num. XXI. 24. 35. & XXXII. [2] 4. Reg. XV. 9. & 1. Par. V. 26. [3] Judic. XI. 12.
[4] 4. Reg. XXIV. 2. *Immisit ei Joakim latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon.*

phonias (5), Moabitas & Ammonitas, Judæorum calamitate gavisos esse, post Jerosolymæ excidium, & superbe occupasse Israelitarum regionem trans Jordanem. Eadem illis exprobrat Ezechiel (6): *Pro eo quod dixistis, Euge, euge, super Sanctuarium meum, quia pollutum est; & super terram Israel, quoniam desolata est; & super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem, &c.* Deniqun Ammonitarum Rex Ismaelem Nathaniæ filium corruperat (7), ut neci traderet Godoliam, quem Babylonis Rex reliquiis Judæorum in Judæa præfecerat. Hæc profecto satis superque fuerunt, ut Dei furor in Ammonitas arderet. Describit Amos I. 14. sævitiam, quam Ammonitæ in Galaaditas, vel Israelitas e Tribu Gad exercuerant: *Eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum* suum. Hæc omnia ante Jeremiæ vaticinia contigerant.

Nabuchodonosor porro bellum in Ammonitas forte suscepit, ut Godoliæ necem ulcisceretur, Baalis Ammonitarum Regis jussu consilioque trucidati; ac fortasse etiam fœdus, quod cum Sedecia inierant (8), quamquam fœderis conditiones evanuerint, & Moab atque Ammon nedum opem Judæorum Regi non attulerint, verum etiam arma cum illorum hostibus junxerint, eorumque calamitatibus insultarint. Ammonitarum cædem diu antea prædixerat Jeremias, quarto Joakimi anno (9), & sub exordia Sedeciæ (10). At si oracula, quæ hic legimus, ad quartum Joakimi annum pertinent (11), ea quæ sub initium Sedeciæ pronunciavit, veteres minæ sunt, iterum prolatæ aut renovatæ.

℣. 2. AUDITUM FACIAM SUPER RABBATH FILIORUM AMMON, FREMITUM PRÆLII. *Rabbath-Ammon*, seu magna urbs Ammon, Profanis nota sub *Philadelphiæ*, vel *Ammanæ*, sive *Astartes* appellatione (12) ad fontes torrentis Arnon jacebat, ac sedes erat Ammonitarum. Minitatur Deus futurum, ut illam armorum strepitu excutiet, illius otium turbet, validumque hostem in illam immittat. Is vero est Nabuchodonosor, uti diximus.

FILIÆ EJUS IGNE SUCCENDENTUR, urbes & oppida, quæ Philadelphiæ, seu Rabbath Ammon parent.

POSSIDEBIT ISRAEL POSSESSORES SUOS. Israelitæ, e captivitate reduces, suo jure regionem ab Ammonitis, captivis Babylonem ductis, desertam occupabunt. Cum Israelitæ & viribus & numero validiores essent, ac fortasse etiam ante Ammonitas ab exilio redierint, quicquid optimum in priscis sedibus, finitimisque locis nacti sunt, invasere. Adde, quod sub Macchabæis Israelitæ Ammonitas bello lacessivere, pluribusque præliis fregerunt (13). Joannes Hircanus Medabam, Samegam, aliasque Ammonitarum urbes expugnavit (14).

Hebræum (15) nonnulli reddunt: *Perdet Israel perditores suos*. Septuaginta (16): *Assumet Israel principatum suum*, Ammone ejusque imperio potiatur. Chaldæus: *Possidebit Israel hæreditatem possidentium eam*.

℣. 3. ULULA, HESEBON, QUONIAM VASTATA EST HAI. Hesebon inter nobilissimas urbes Moabitarum erat (17). Hanc jubet Jeremias flere, quod Hai ceciderit. Porro Hai eamdem esse urbem credimus, quæ *Je-abarim* apud Moysem dicitur (18); fortasse *Habara* in Tabulis Peuringerianis. Communes fuisse videntur Hesebon & Hai Moabitis & Ammonitis; utraque enim gens junctissimæ rebus erant, & ferme ubique in expeditionibus aliisque negotiis conjunctæ leguntur. Gaia & Aina in Ptolemæo leguntur; at in Arabia Felici, quam remotissimæ ab Ammonitide.

CLAMATE, FILIÆ RABBATH: PLANGITE ET CIRCUITE PER SEPES; vel circa muros, quibus oppida, pagi, hortique clauduntur; vel tantum, circa vallum e sudibus, quo patrimonia, cohortes, & ferarum vivaria clauduntur. Chaldæus (19): *Clamate, habitatores* domorum agrestium, sive, *villarum* circa Rebbath: *Congregamini in tumultu, in turmis*. Reddunt nonnulli: *Lacerate vos in cœtibus* funebribus. At fortasse *Gadaroth* urbis est nomen, eadem quæ Gadara, in Decapoli celebris, inter Ammoniticas.

MELCHOM IN TRANSMIGRATIONEM DUCETUR. Supra animadvertimus habitum esse Melchom seu Regem Ammonitarum, uti Moabitarum Chamos. Huic Numini, unaque illius Optimatibus ac Sacerdotibus, veluti homini e vulgo, minitatur Deus. Minus certe multo erat homine Melchom: at ita cum rudi gente, quales erant Ammonitæ, agendum fuit. Si ratione uti voluissent, nullo negotio colligere poterant, Deum igitur non esse Melchom, cui Deus alter exilium minitaretur; unumque Israelis Deum verum esse, quippe qui de futuris rebus decernat, easque prædicat, absolutamque in cæteros hominum Deos, ac mortalium nobilissimos, potestatem exerceat. Similes jam legimus minas in Numina Ægypti (20), & Moabitarum (21).

℣. 4. DEFLUXIT VALLIS TUA, FILIA DELICATA. Urbs Rabbath, quæ inter delicias vitam egisti, valliumque tuarum pulcritudine & fertilitate gloriabaris, audi: Valles tuæ instar aquarum fluxere. Omnis illorum elegantia evanuit; fructus direpti sunt, venustas languit, hoste omnia depopulante. Hebræus (22): *Cur gloriaris vallibus tuis? Dissipata est vallis tua, filia rebellis*, pervicax, temeraria, impudica. Septuaginta (23): *Quid lætata es in agris Enacim, filia temeraria?* Chananæam originem non referebant Philisthini. Id tamen minime prohibet, quin odiosa eo nomine interdum a Prophetis donentur (24).

QUÆ CONFIDEBAS IN THESAURIS TUIS, opum tuarum copia, vino, oleo, tritico, cæterisque bonorum omnium collectionibus. *Thesauri* appellatio apud Hebræos latius quam apud nos patet. Capite superiori eamdem sententiam expressit Jeremias, sub nomine *operum suorum* (25).

℣. 6. POST HÆC, REVERTI FACIAM CAPTIVOS FILIORUM AMMON. Tunc id impletum est, cum Ammonitæ Babylone redierunt, regnante Cyro, circa idem tempus, quo Israelitæ. Vide nostram hac de re Dissertationem.

℣. 7. AD IDUMÆAM. Hæc in Idumæam vaticinia eamdem ætatem spectant, quam superiora. Moabitas, Philisthinos, Idumæos & Syros eodem ferme tempore expugnavit Nabuchodonosor, tertio scilicet ac vigesimo Imperii sui anno, quinto post Jerosolymæ excidium. Hanc temporis notam perspicue expressam tradidit Josephus (26). Porro putamus, Nabuchodonosorem, cum intellexisset, omnes Judæorum finitimos fœdus olim adversus secum Ægyptiis & Phœnicibus iniisse (27), seditiosis adeo populis, qui opportunum solummo-

do

(5) Sophon. II. 8. *Andivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.* (6) Ezech. XXV. 3. (7) Jerem. XL. 14. XLI. 2. . . 15. (8) Jer. XXVII. 3. 7. 9. (9) Jer. XXV. 21. (10) Jer. XXVII. 3. (11) Vide nos in Jer. XLV. 1. (12) Stephan. Φιλαδέλφεια τῆς Συρίας πόλις, ἡ πρότερον Ἄμμανα, εἶτ' Ἀστάρτη, εἶτα Φιλαδέλφεια ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου. (13) I. Macc. V. 6. & 26. (14) Joseph. Antiq. l. XIII. c. 17. (15) וירש ישראל את יורשיו Vide Grot. (16) Οἱ. Παραλήψεται Ἰσραὴλ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ. (17) Jerem. XLVIII. 2. 34. (18) Vide Num. XXI. 11. (19) [illegible] Legisse videtur in Hebræo [illegible] (20) Jerem. XLVI. 25. (21) Jerem. XLVIII. 13. (22) מה תתהללי בעמקים זב עמקך הבת השובבה (23) Τί ἀγαλλιᾶσθε ἐν τοῖς πεδίοις Ἐνακείμ, θύγατερ ἰταμίας; Edit. Complut. Ὅτι ἠγαλλιάσω ἐν Ἐμακείμ, θύγατερ τῆς ἰταμίας. (24) Sophon. II. 5. (25) Vide Jerem. XLVIII. 7. (26) Antiq. lib. X. cap. 11. (27) Vide Jerem. XXVII. 3. . . 8.

do descifcendi tempus præstolarentur, sese fidere non posse, sapientissime censuisse.

Causam, cur Deus in Idumæos iratus fuerit, docet Abdias ℣. 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem: Tu quoque eras quasi unus ex eis. Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis* (exilii) *ejus, & non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum*, &c. Arguit etiam Idumęos Psalmista, quod in Jerosolymæ excidio ita Chaldęos hortati fuerint (28): *Evertite, & ipsa fundamenta eruite*. Legitur etiam apud Ezechielem (29) vaticinium in Edom. At primus omnium Jeremias in eam gentem vaticinatus est; quarto enim Joakimi anno minitari incipiens (30), sub Sedeciæ initium prosecutus est (31), ac denique in Lamentationibus (32). Vaticinium, quod interpretari mox aggredimur, nulla temporis nota signatur: at vetustius quarto Joakimi anno non esse arbitramur. Sua in Idumæam oracula edidit Abdias post Jeremiam, & Jerusolymæ excidium; ipsaque Jeremiæ verba sæpe describit, uti nos in Abdiæ præfatione docuimus.

Numquid non ultra est sapientia in Theman? Hæc celebris urbs erat in Idumæa xv. circiter passuum millibus a Petra, Arabiæ Petrææ Metropoli, ad boream. Ex verbis, quibus utitur hic Jeremias, & Abdias ℣. 8. facile oritur conjectura, Themanitas olim sapientię laude floruisse. Eliphaz, ex Jobi amicis unus, sapientia nobilis, Themanitarum Rex fuisse dicitur. Jeremias acri ironia sese mirari significat, quod Themanitæ in præsentibus rerum angustiis, ubi ipsorum causa agitur, consilio & sapientia destituantur. Hoste appropinquante, atque imminente totius Regionis excidio, cum libertas & vita in discrimen veniant, incerti quid rerum agant, inopes consilii sunt, adeo territi animoque dejecti, ut occupandi vel pellendi hostis artem non videant.

℣. 8. Descendite in voraginem, habitatores Dedan. Idumææ oppidum erat Dedan, non longe a Theman, in extremis mortui maris finibus ad meridiem. Hujus cives hortatur Jeremias, ut subterraneas sedes & antra in rupibus vallibusque profundissimis sibi parent, venientis jam in Regionem suam hostis injurias vitaturi. *Australis Regio Idumæorum*, inquit S. Hieronymus in Abdiam, *de Eleutheropoli usque Petram, & Hailam, in speluncis habitatiunculas habet, & propter nimios calores Solis, quia meridiana provincia est, subterraneis tuguriis utitur* (33). Hujus generis domicilia sibi parare Dedanitas jubet Jeremias.

℣. 9. Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum. Chaldæi, vindemiatorum more, irrumpent, ut vineam tuam vastent, universamque Regionem depopulentur: at ita vastabunt, ut ne unus quidem botrus ab iis relinquatur. Fures, qui furtim vineam invadunt, raro ita fructu spoliant, ut nihil penitus domino relinquant: at hi omnia diripient, ac studiose omnia scrutabuntur & colligent.

Si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi: at Chaldæi nihil relinquent, atque omnia opportuna sibi esse censebunt. Reddi potest totus versiculus, omissa particula *Si* (34): Venient vindemiatores, nullum relicturi racemum; & nocturni fures, omnia rapturi, quæ sibi apta fuerint: quidquid libido suaserit, auferent: pro arbitrio scrutabuntur, & deligent. Septuaginta (35): *Vindemiatores venient tibi, non relinquent tibi reliquias: quemadmodum nocturni fures, injicient manus suas*. Abdias ℣. 5. qui locus huic respondet, cum nota interrogationis legit: *Si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Nonne id abstulissent, quod sibi sufficeret; tu vero furem clamare cessasses? at Chaldæi prius e patria pellent, deinde omnia rapient, quæ apud te nacti fuerint.

℣. 10. Revelavi abscondita ejus. Subterraneos in specus fugerat Edom: Illum ego hostibus prodidi. Opes suas terræ infoderant, thesauros absconderant: Utraque e tenebris erui, ut hosti darem. Id a se fieri dicit Deus, quod fieri sinit. Passus sum, recessus tuos, tuaque subterranea latibula a Chaldæis quæri & inveniri.

Vastatum est semen ejus, et fratres ejus, et vicini ejus. Esau fratres Hebręi sunt; vicini, Moabitę, & Arabię petręę & desertę populi. Amissis filiis, fratribus ac vicinis, quę illi spes reliqua est, aut quid omnino superest? *Et non erit*, vel, *Et non est* (36). Periit Edum: in gentium numero esse desiit. Septuaginta (37): *Periere per manum fratris sui, & vicini sui, & non est relictus ex iis vel orphanus*, &c.

℣. 11. Relinque pupillos tuos, et ego faciam eos vivere. Hęc ironice dicta creduntur (38), cum nemo penitus ex Idumęis relinquendus esset, seu vidua seu pupillus; omnesque illius gentis homines, nullo ætatis aut conditionis discrimine, aut gladius maneret aut captivitas. Putant alii, Deum ipsi Esau polliceri, invito inimicorum furore servaturum se viduas aliquot pupillosque, e cęde virorum ac parentum, & patrię excidio elapsuros.

℣. 12. Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent; et tu quasi innocens relinqueris? Israelitę, quibus multo minor criminum numerus erat, quorum causa Divini furoris calicem haurire deberent, ita eo proluti sunt, ut ebrietatem retulerint: at tu futurus es immunis? Pii homines quamplures inter Hebręos erant, qui e communibus patrię malis servandi esse, ac regioni universę parcere me coacturi esse videbantur: at moveri me passus non sum. Jeremias, Baruch, Daniel, Ezechiel, Azarias, Misael, Tobias, Mardochęus, Rechabitę, aliique quamplurimi communibus infortuniis obvoluti sunt: tu, qui tam multa habes, quę iram odiumque erga te excitant, liberum te fore speras? Vide Jeremiam xxv. 28. 29. *Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis: Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes*.

℣. 13. In maledictionem erit Bosra, hominum execratio. Vel: Mei ipsius execratio futura est, cumque male urbi alicui imprecari homines voluerint, nihil gravius optare poterunt, quam Bosræ mala: Similis Bosræ fias. Bosra hæc Idumææ altera esse dicitur a Moabitica sive Ammonitica, de qua supra (39), quæque multo notior est, quam Idumæa (40), cujus situs ignoratur. At quamvis hæc ita sese habeant, adhuc anceps sum,

(28) Psal. cxxxvi. 7. *Memor esto, Domine filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* (29) Ezech. xxv. 12. 13. 14. (30) Jerem. xxv. 14. (31) Jerem. xxvii. 3. (32) Thren. iv. 21. 22. (33) Vide Theodoret. hic. (34) אם בצרים באו לך לא ישאירו עללות אם גנבים בלילה השחיתו דים (35) Septuag. Ὅτι τρυγηταὶ ἦλθόν σοι, οὐ καταλείψουσί σοι καταλείμματα. Ὡς κλέπται ἐν νυκτὶ ἐπιθήσουσι χεῖρας αὐτῶν. Legunt ירים pro דים (36) ואיננו (37) Ὤλετο διὰ χεῖρα ἀδελφοῦ αὐτοῦ, & γείτονός σου, καὶ οὐκ ἔστι ὑπολειπόμενος ὀρφανός σου. (38) Theodoret. Sanct. Grot. Vide Abdiam ℣. 18. *Non erunt reliquiæ domus Esau*. (39) Jerem. xlviii. 24. (40) Vide Cellar. lib. 3. c. 14. p. 424. ubi fuse de Bozra Arabiæ desertæ; quamquam ita de illa agit, quasi in Arabia Petræa fuerit. Adraæ vel Edrai propinquitas contrarium satis evincit. Vide Ifsi. lxiii. 1. & Amos i. 12.

sum, utrum duplex Bosra agnoscenda sit. Vetus Idumæa usque ad locum, ubi Bosra collocari solet in Arabia, porrigebatur. Quamobrem eadem urbs communis fortasse fuit Moabitis & Idumęis, ab utraque gente frequentata. Fieri ne unquam poterit, ut Bosra Idumææ, celeberrima & amplissima, æterna oblivione interierit?

℣. 14. AUDITUM AUDIVI A DOMINO, ET LEGATUS AD GENTES MISSUS EST. Imitatus hunc locum Abdias ℣. 1. iisdem verbis vaticinium exorditur. Frequenter Prophetæ Deum exhibent ceu Regem, gentibus imperantem (41), easque pro arbitrio colligentem, ut consiliis suis serviant. Ita vastissima ea Imperia; Provinciarum terror, Dei copiæ tantummodo erant, eo jubente collectæ. quibus servus Dei aliquis præest, jussa supremi exercituum Regis expleturus. Eadem adhuc sors nostra ætate vertitur. Deo imperante, moventur populi, atque in agmina colliguntur, ut sapientissima Omnipotentis consilia expleant; quamquam hominum cura in bis rebus ea est, ut rebus suis consulant, libidini satisfaciant, vindictam parent, suum jus persequantur, sibique gloriam acquirant.

Quæritur, quis hic Legatus sit a Deo missus, ut gentes adversus Idumæam cogat. Sunt qui putent, ipsum esse Jeremiam, cujus ex ore Divinas voluntates illæ intellexerint. At phrases, quibus utitur, satis indicant, alium significari. Missum censet Theodoretus a Deo Angelum, ut Nabuchodonosorem ad hoc facinus excitaret, certumque illi est, bonis Angelis Deum uti, ut iis ministeriis fungantur, ubi ultrix Dei justitia exercetur, eaque ministeria minime pugnare cum benevolentia, qua illi hominem prosequuntur. At quid necesse fuit, Legatum aliquem revera mittere, ut gentes adversus Idumæos colligerentur? Nonne satis erat, tacitum Dei impulsum spiritumque agnoscere, qui cæteros in Idumæorum perniciem moverent (42), aut meram permissionem, qua Deus in earum gentium exitium cæteros ferri sineret? Nabuchodonosoris ambitio, militum avaritia & sævities ipsos satis superque in eam rem impellebant, modo per Deum liceret. Prosopopœjæ genus sunt verba, quibus utitur Prophera; figura & fictio, in hujusmodi rebus omnino familiaris.

℣. 15. ECCE PARVULUM DEDI TE IN GENTIBUS. Nunquam magnæ gentis gloria floruere Idumæi; nullaque ferme illorum notitia apud Veteres fuit, præter quam e sacris Libris, vetustaque rerum conjunctione cum Judæis, quibuscum commune genus habebant. Reddunt hic nonnulli in futuro: *Ecce parvulum dabo te in gentibus*. Te ita minuam, & infirmum efficiam, ut nunquam surgas e lapsu, ac vilissima neglectaque gens in posterum habearis. Idumæos post captivitatem minimo numero fuisse, ac post Macchabæorum ætatem Judæis serviisse, circumcisione initiari, Legesque Mosaicas servare coactos (43), compertum est.

℣. 16. QUI HABITAS IN CAVERNIS PETRÆ, ET APPREHENDERE NITERIS ALTITUDINEM COLLIS. Hebræus (44) fœmineo genere legit: *Idumæa*, tua te ambitio fefellit; *quæ habitas in cavernis petræ, & tenes celsa collium*. Putabas, tutum ab hostibus te satis sedium tuarum situ fore, ac neminem ad rupium præruptorumque montium fastigium perventurum. Idumæam omnem specubus passim scatere, quo populus succederet, extremum regionis æstum vitaturus, ex S. Hieronymo didicimus. Ingens etiam antrorum numerus in montibus erat, quo veluti in arces munitissimas, belli aut hostilium invasionum tempore, elaberentur.

℣. 17. ERIT IDUMÆA DESERTA. Cum obvios quoslibet Idumęos aut necasset, aut captivos duxisset Nabuchodonosor, Idumęa ceu deserta squaluit. Paucissimi, qui illius vires effugere, Idumęi, neglectis avitis sedibus, regionem ad meridiem Juda occuparunt, ibique, vel reversis in patriam Idumęis, fuere: quamobrem expletum adamussim est Jeremię oraculum, futurum scilicet, ut Idumęa penitus deserta squaleret. Bosor, Theman & Dedan sua ętate penitus eversas jacuisse, author est Theodoretus. Nostris temporibus Idumęa pene universa ingens solitudo est, quemadmodum maximę Arabię petręę & desertę parti contigit.

℣. 19. ECCE QUASI LEO ASCENDET DE SUPERBIA JORDANIS, AD PULCRITUDINEM ROBUSTAM. Superbia Jordanis passim in Scriptura est ejus amnis inundatio (45). *Cum in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis*, cum is agrum inundaverit? Comparat Jeremias L. 44. eum qui Babylonem capturus eversurusque est, cum leone *ascendente de superbia Jordanis*, atque in amœnas munitasque sedes secedente. Jerosolymitanos Optimates, quos exilium ab Jerosolyma cruciat, Zacharias (46) exhibet ceu leones, ob vastatam direptamque Jordanis superbiam rugientes.

Reddi etiam potest in hanc sententiam: Nabuchodonosor (47) ex improviso Idumęam invadet, leonis instar, ex Jordanis ripa, lucisque illum circa ambientibus, egredientis; ceu immanis leo, qui gregem in septis aggreditur. Qui Palęstinam peragrarunt (48) narrant, duplicem quodammodo Jordani alveum esse; profundiorem alterum, quem is plerumque occupat, rapidissime fluens; alterum sublimiorem ampliorem que, quem in alluvionibus, ob nives Libani, tenet. Alter hic alveus lucis ac dumetis impeditur, & pro latibulo leonibus cęterisque feris est. Is porro in Scriptura dicitur *superbia Jordanis*, cum revera alter hic alveus tunc a Jordane occupetur, cum exundat & maxime tumet. Hinc plerumque prodeunt leones, & septa ovium terrent. Ad verbum (49): In septo, vel *in domo fortis*. Postrema hæc explicatio aptissima omnium videtur, & maxime congruens cum Zachariæ verbis, quæ recitavimus, Nabuchodonosor ex borea, quemadmodum Jordanis, veniebat; superataque Judęa, iis viribus, eaque sævitia proficiscebatur, ut leonem ferme ore exhiberet. Vide quæ scripsi ad Zachar. XI. 3. & Relandum Palæst. t. 1. l. 1. p. 274.

ET QUIS ERIT ELECTUS QUEM PRÆPONAM EI? Quis præsto mihi est, cui illius defensionem credam; quem hosti sævissimo, rugienti leoni, objiciam? Hebræus (50): *Et quis electus* miles, *quem recensebo pro ea*? Ullus ne in Idumæa miles, quam in illius præsidium eligam? Ullus ne tam constans erit, qui Nabuchodonosori, quem ego in illam effero, sese objiciat? Hæc interpretatio magnopere cum consequentibus congruit: *Quis enim similis mei? Quis sustinebit me*? Reddunt alii: *Quis est miles, quem conduco adversus eam*? Quas in Idumæam copias missurus sum? Bello nimirum & victoriis assuetas; duce Imperatore, quem victoria ubique sequitur: quis enim mihi similis, aut quis mihi resistat? Postrema hæc explicatio communior inter Interpretes est.

QUIS ISTE PASTOR? Pergit metaphora de leone, gregem intra septa invadente. Quis erit pastor ea virtute & constantia, ut sævissimo leoni, quem ego duco & effero, resistat?

℣. 20. SI NON DEJECERINT EOS PARVULI GREGIS. Nisi ii, qui ex grege meo maxime imbecilles sunt, pastores vestros profligaverint, ipsaque eo-

(41) Vide Isai. VII. 18. Zach. X. 8. Ezech. XVI. 37. Jerem. XII. 9. &c. (42) Vide Cyrill. Riber. Lyr. in Abdiam, Sanct. hic. (43) Vide Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 17. (44) שכני בחגוי הסלע תפשי מרום גבעה (45) Jerem. XII. 5. L. 44. Zach. XI. 3. (46) Zach. XI. 3. *Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis*. (47) Theodoret. Raban. Dionys. Hugo, Munst. Grot. Sanct. (48) Vide Maundrel, Voyage de Jerusalem. (49) הנה כאריה יעלה מגאון הירדן אל נוה איתן Septuag. Ὥσπερ λέων ἀναβήσεται ἐκ μέσου τοῦ Ἰορδάνου εἰς τόπον αἰθάμ. (50) ומי בחור אליה אפקד

eorum tuguria, & septorum claustra everterint. Hebræus (51): *Nisi minimi ex agnis meis dejecerint eos*, vel traxerint, *nisi posuerint super eos habitationes suas*. Minimi ex militibus meis illos trahent, ceu leo prædam, eorumque domos super ipsos demolientur. Suarum urbium ruinis opprimentur Idumæi. Chaldæus, contrario plane cæteris sensu, reddit (52): *Fortes populi*, optimates. Nonnulli Scripturæ loci sunt, in quibus Habraica vox *Zebir* significat magnum, fortem (53), &c. Septuaginta (54): *Si non comesta fuerint minima ovium: si non spinis plena sit habitatio eorum*.

℣. 21. CLAMOR IN MARI RUBRO AUDITUS EST, Idumæa usque ad Elaniticum sinum, rubri maris partem, porrigebatur. Idumæorum clamores eo usque pervenerunt.

℣. 22. ECCE QUASI AQUILA ASCENDET. Nabuchodonosor cum aquila alas expandente, atque in prædam ruente, passim comparatur (55).

℣. 23. AD DAMASCUM, in Damascum. Expletam hujus vaticinii fidem eodem tempore ponimus, ac superiorum, quinto nimirum circiter anno post Jerosolymæ expugnationem. Obsessa Tyro, cum magnam exercitus partem ibi otiosam esse animadverteret, quippe qui eam urbem fame expugnare decrevisset, Nabuchodonosor copias in Syriam cæterasque Provincias jam narratas duxit. Hanc Syriæ expeditionem, quam historici Scripturæ Libri non novere, luculentissime tradit Josephus (56). Nullum etiam Prophetam, præter Jeremiam, novimus, apud quem mentio illius fiat. Quæ enim Amos (57), & Isaias (58) in Damascum vaticinati sunt, ea sub Regibus Syriæ Salmanasaro, Theglathphalassaro & Sennacheribo contigere.

CONFUSA EST EMATH, ET ARPHAD. Non semel animadvertimus, *Emath* ipsam esse Emesam Syriæ, ad Orontem. *Arphad*, quibusdam Interpretibus est *Aradus*, Insula & Urbs ad Syriæ oras (59). Narrat Theodoretus, alios pro Raphanæa apud Syros, inter Emesam & Aradum sive Antaradum, pugnare. Nobis nihil satis validum favere videmus, quod in alterutram urbem, exclusa altera, animum impellat. Utraque in Syria est, utraque nomen habet cum Arphad congruens. Hæc sunt, quæ de hac re dici queunt. Libri etiam Regum (60), & Isaias (61) Arphadi meminere. Porro illud solummodo Raphanææ favet, quod propinquior Emesæ sit, & apud Scripturam Emath & Arphad ubique jungantur. Denique Aradus quibuscumque in locis legitur (62), plane aliter scribitur. Syrus legit hic *Rephad*.

TURBATI SUNT IN MARI PRÆ SOLLICITUDINE. Insularum incolæ, audito Emath & Arphad excidio, territi sunt. Favet hic locus iis, qui Arphadum pro *Arado* hic usurpari ajunt. Profecto res ipsa ferebat, ut insulæ Cypri, Cretæ, cæteræque Mediterranei, intellecto excidio Aradi urbis, in insula hujus nominis sitæ, formidarent. Hujus tamen argumenti vis ea non est, ut assensum extorqueat. Poterant quippe insulæ formidare, ubi intelligerent, Provincias, quæ sui e regione in continenti erant, bellicosi Principis viribus cessisse. Chaldæus: *Contriti sunt, timor & sollicitudo apprehendit eos. Ecce sicut descendentes in mare; non quiescunt, nec possunt fugere*. Septuaginta (63): *Obstupuerunt, irati sunt, requiescere non possunt*. Hebræus (64): *Dissoluti sunt animo: in mari sollicitudo: quietum reddere cor suum non possunt*. Syrus optimam sane sententiam reddit: *Consternati sunt, ex mari terror ejus: tuta esse non potest*. Emath & Arphad orientales Tyro & Mediterraneo erant. Familiari sibi prosopopœja narrat Jeremias, utramque hanc urbem ex Occidente, vel ex Mari Nabuchodonosoris advenientis famam intellexisse. Is quippe ex Tyri obsidione veniebat, totamque jam Phœniciam expugnaverat. Victoriarum illius fama ex mari advehebatur; quamobrem Syria universa metu consternata, nulla ratione confirmari poterat.

℣. 24. DAMASCUS VERSA EST IN FUGAM... (℣. 25.) QUOMODO DERELIQUERUNT CIVITATEM LAUDABILEM. Qui fieri potuit, ut Damasceni cives urbem pulcherrimam atque amœnissimam relinquerent? Cur a Nabuchodonosore fugerunt? Cur illius impetum constanti animo non excepere? Hebræus (65), Septuaginta (66), & Chaldæus negantem particulam addunt: *Cur dereliquerunt urbem laudatam?* Vel: *Cur non pepercerunt urbi*, eamque minime eversam non reliquerunt? Sive: Cur victori urbem non dediderunt, quin pervicacius defenderent, omnibusque bellicarum legum injuriis obnoxiam facerent? Quæ sequuntur, postremæ huic explicationi admodum favent.

℣. 26. OMNES VIRI PRÆLII CONTICESCENT; tristes, immobiles, viribus destituti, neque contra resistere, neque fugere, neque ullos edere questus ausi.

℣. 27. SUCCENDAM IGNEM IN MURO DAMASCI, ET DEVORABIT MOENIA BENADAD. Ignis bellum significat. Sinit Deus, Damascum Nabuchodonosori resistere, ut ea bellico igne absumatur. *Mœnia Benadad* mœnia Damasci sunt, nomine hinc desumpto, quod veteres Damasci Reges Benadad appellarentur, teste Scriptura (67), & Nicolao Damasceno (68). Hebræus (69): *Et devorabit ignis palatia Benadadi*. Septuaginta (70): *Devorabit bivia Benader*, vel *filii Ader*.

℣. 28. AD CEDAR, ET AD REGNA ASOR. Cedareni, orti ex Cedar Ismaelis filio (71), Arabiam desertam tenuere, inter Euphratem & montes Galaad. Aliqua in hos vaticinia jam fuderat Isaias XXI. 16. at ea de bello ab Assaradone Assyriorum Rege in illos gesto intelligenda esse, jam docuimus. *Regna Asor* minus nota sunt. Putat S. Hieronymus (72), Asor metropolim esse Cedarenorum, seu Saracenorum. Ait Theodoretus (73), esse ejus gentis castra, mobilem urbem, e tentoriis compositam; nullas enim illi aut urbes aut domos habent, ferme uti apud Tartaros *hordi*, Hebraica vox (74) *hasor* atrium significat. Rara apud Orientales res non est urbs mobilis, sedem subinde mutans. Æthiopum Rex æstatem omnem in agro agit, eumque metropolis sua sequitur; vel potius, metropolis sunt ipsius castra, quæ locum singulis annis relinquunt. Magni Mogolis castra, ubi ille egreditur, aut iter facit, ceu Regni metropolis habentur. Duplex urbs *Ausara* in Arabia felici apud Ptolemæum (75) legitur; utraque tamen remotior a Cedarenis est, quam ut explicationi fer-

(51) אם לא יסחבום צעירי הצאן אם לא ישים עליהם נוהם (52) אם יגררון ויקטלון תקיפי עמא (53) Vide Isaia XLVIII. 4. & Mich. V. 2. (54) Ἐὰν μὴ συμψησθῶσι τὰ ἐλάχιστα τῶν προβάτων, ἐὰν μὴ ἀβατωθῇ ἐπ' αὐτοὺς ἡ κατάλυσις αὐτῶν. (55) Jerem. XLVIII. 40. Item IV. 13. Ezech. XVII. 3. (56) Joseph. Antiq. l. X. c. 11. (57) Amos I. 3. 5. (58) Isai. VII. VIII. 4. XVII. (59) Vide Genes. X. 18. (60) 4 Reg. XVIII. 34. *Ubi est Deus Emath, & Arphad?* XIX. 13. *Rex Emath, & Rex Arphad*. (61) Isai. X. 9. *Ut Arphad, sic Emath*. XXXVI. 19. XXXVII. 13. (62) Genes. X. 18. 1. Par. I. 16. Ezech. XXVII. 8. 11. (63) Septuag. Ἐξέστησαν, ἐθυμώθησαν, ἀναπαύσασθαι οὐ μὴ δύνωνται. (64) ומוגו בים דאגה השקט לא יוכל (65) איך לא עזבה עיר תהלה (66) Πῶς οὐχὶ κατέλιπον πόλιν αἰνετήν. (67) 3. Reg. XV. 18. XX. 1. 4. Reg. VI. 24. &c. (68) Nicol. Damascen. apud Joseph. lib. 7. Antiq. cap. 6. (69) ואכלה ארמנות בן הדד (70) Καταφάγεται ἄμφοδα υἱοῦ Ἄδερ. (71) Genes. XXV. 13. (72) Hieronym. in Isai. XXI. (73) Theodoret. hic. Septuag. Βασιλίσσῃ τῆς αὐλῆς. Αὐλὴν δὲ καλεῖ ἅπασαν τὴν τῶν σκηνῶν φύσιν ἐπειδὴ νομάδες ὄντες ἐν σκηναῖς κατῴκησαν. (74) ולמלכות חצור (75) Vide Ptolem. pag. 153. & 155.

serviant. Quicquid sit de urbis *Asor* situ, ea certe in Arabia deserta erat; satisque innuit Propheta (76), urbem fuisse minime mobilem aut vagam. *Fugite*, inquit, habitatores Asor, *in voraginibus*, specubus, *sedete. Erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum*. Totius regionis hujusce metropolis videtur, quæ quamvis inculta, in multa minora Regna, appellata hic *Regna Asor*, dividebatur. Minas, hic a Jeremia in eam gentem pronunciatas, explevit Nabuchodonosor ℣. 28. *Quæ percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis*.

VASTATE FILIOS ORIENTIS, Cedarenos, incolas Asor, Saracenos, Arabes Scenitas seu Nomades, gentes quæ comam circum tondent ℣. 32. His porro phrasibus una eademque res significatur, Arabia deserta orientalis Palæstinæ est. Mesopotamiæ populi Cedarenos appellabant *Arabes*, populos nimirum occidentales, cum Arabia deserta illis occidentalis sit.

℣. 29 TABERNACULA EORUM, ET GREGES EORUM: PELLES EORUM, ET OMNIA VASA EORUM, supellex, vel arma: eæ quippe opes Cedarenorum sunt; tentoria e pellibus, greges, arma, cameli, carri, quibus supellectilem & filios ferunt, cum sedes mutanda est. *Pellium* nomine Septuaginta (77) vestes intellexere: cæteri tamen Interpretes tentoria, e pellibus conflata.

℣. 31. ASCENDITE AD GENTEM QUIETAM ... NON OSTIA, NEC VECTES EIS: SOLI HABITANT, nullo fœdere aut amicitia. Nihil difficultatis ea in expeditione occurret, nulla urbs obsidione cingenda, nullum penitus prælium cum illis vel illorum fœderatis miscendum. Nullum illis est cum cæteris fœdus: vagis sedibus habitant, neque in unam gentem collecti. Certam ad victoriam prædamque proficiscimini. Ita exercitum hortatur Nabuchodonosor: Nulla illis urbs, copiæ nullæ: *soli habitant* De Suevis, vetusta Germaniæ gente, tradit Cæsar (78): *Civitatibus maxima laus est, quam latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere. Simul se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Publice maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros. Hac re significari, magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse*. Saraceni tutos se satis agrorum sterilitate & solitudine existimabant.

℣. 32. DISPERGAM EOS IN OMNEM VENTUM, QUI SUNT ATTONSI IN COMAM. Arabes comam circum tondebant, Bacchi exemplo, inquit Herodotus (79). Vide supra IX. 26. XXV. 23. ubi ea gens propria hac illius nota indicatur.

℣. 33. ERIT ASOR IN HABITACULUM DRACONUM. Hebraica vox (80) magnos pisces significat, atque, uti creditur, magnos angues. Septuaginta (81): *Erit aula commoratio struthionum*. Aula significat vagas eas urbes, de quibus supra ℣. 28.

Hæc quæ Jeremias in Asor vaticinatur, adeo integra fide expleta sunt, ut vel nulla illius situs notitia nostra ætate supersit.

℣. 34. ADVERSUS ELAM, IN PRINCIPIO REGNI SEDECIÆ; primo scilicet, vel altero Sedeciæ anno. Jam quarto Joakimi anno minitatus fuerat Jeremias, fore ut Elamitæ Divini furoris calice proluerentur (82): minas acrius repetit sub exordia Sedeciæ. Hi porro ex iis fuerant, qui Jerosolymam sub Manasse obsidione cinxerunt (83). Parebant tunc Elamitæ Assyriis, quorum Imperium gerebat Assaradon. Hac ætate, de qua in præsenti agimus, nondum Chaldæis serviebant: at illos profligavit Nabuchodonosor, quemadmodum hic legimus. Susa, urbs Elamitarum Princeps, ad amnem Ulæum sita, Balthasari, Nabuchodonosoris nepoti & successori, parebat (84). Persis a Cyro in libertatem vindicatis, Elamitæ ad illius partes transiere. Fortasse etiam Elam Persas absolute significat; cum Persæ genus ex Elamitis trahant, authore Josepho (85). Cur, vel quo tempore Nabuchodonosor bellum Elamitis intulerit, ignoramus: at probabilissimum omnino videtur, hanc inter postremas Nabuchodonosoris expeditiones fuisse, cum in eos copias ex omnibus terrarum plagis duxerit ℣. 36. *Inducam super Elam quatuor ventos*.

℣. 35. CONFRINGAM ARCUM ELAM. Elamitæ, quemadmodum & Persæ, arcu potissimum utebantur, teste Scriptura (86), & Profanis.

℣. 36. VENTILABO EOS IN OMNES VENTOS. Elamitæ, seu Persæ, antequam a Cyro in libertatem vindicarentur, durissimæ servituti obnoxii erant, variasque per regiones dissipati, mala, quibus in patria opprimebantur, vitaturi. Herodotus (87), Trogus (88), aliique plures censent, Medos tunc Persarum dominos fuisse: at multo gravior est Scripturæ authoritas, quæ Chaldæos Nabuchodonosori & Balthasari subditos facit. Porro temere prorsus Profani asseruerunt, Medas Persis imperasse, quod illis maxime omnium vicini essent.

℣. 38. PONAM SOLIUM MEUM IN ELAM, ET PERDAM INDE REGES. Judicium exercebo, tribunal erigam in Elam, atque in populum Regesque animadvertam. Nullus in posterum futurus est Rex in Elamitide; eaque regio in Provinciam redigetur, ab externo Magistratu administratam. Is profecto Persarum status fuit, imperantibus Chaldæis (89). Daniel diu Susia moratus est, uti Persidis Administrator, vel saltem vectigalium Procurator (90).

℣. 39. IN NOVISSIMIS DIEBUS REVERTI FACIAM CAPTIVOS ELAM. Cum Deus Chaldæorum Imperium evertere decrevisset, Cyrum in magna ea molimina impulit, quę deinde is felicissime explevit. Fracto igitur patrię jugo, ac Persis seu Elamitis in libertatem vindicatis, finitimos omnes subjecit, Persarumque Imperium fundavit. Tunc Elamitę, quos preterita bella, & patrię mala in omnes terrarum plagas dissipaverant, ut vidimus ℣. 36. sub Cyro collecti, totius Orientis Imperium usurpavere.

(76) Jerem. ℣. 30. 33. (77) Septuag. Ἱμάτια αὐτῶν. Hebr. יריעותיהם (78) Jul. Cæsar, Comment. lib. 4. initio; & lib. 6. (79) Herodot. l. 3. c. 8. Κείρονται δὲ περιτρόχαλα, ὑποξυρῶντες τοὺς κροτάφους. (80) היתה חצור למעון תנים (81) Καὶ ἔσται ἡ αὐλὴ διατριβὴ στρουθῶν. (82) Jerem. XXV. 25. (83) Jerem. Isai. XXII. 6. (84) Dan. VIII. 2. (85) Antiq. lib. 1. cap. 7. (86) Vide Isai. XXII. 6. 7. *Elam sumpsit pharetram*. (87) Herodot. lib. 1. cap. 125. & seq. (88) Justin. lib. 1. (89) Vide Herodot. & Justin. loc. cit. (90) Dan. VIII. 2. 27. *Faciebam operam Regis*.

C A P U T L.

Vaticinium de Babylonis excidio, & Hebræorum libertate.

℣. 1. VErbum, quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ prophetæ. 2. Annuntiate in gentibus, & auditum facite:

cite: levate signum, prædicate, & nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel: victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum: 3. Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone, quæ punet terram ejus in solitudinem: & non erit, qui habitet in ea, ab homine usque ad pecus: & moti sunt, & abierunt. 4. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, venient filii Israel, ipsi, & filii Juda simul: ambulantes, & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent. 5. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum: venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur. 6. Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. 7. Omnes, qui invenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo, quod peccaverunt Domino decori justitiæ, & expectationi patrum eorum Domino. 8. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote quasi hœdi ante gregem. 9. Quoniam ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabuntur adversus eam, & inde capietur: sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua. 10. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. 11. Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis, sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri. 12. Confusa est mater vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in Gentibus, deserta, invia, & arens. 13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit super universis plagis ejus. 14. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes, qui tenditis arcum: debellate eam, non parcatis jaculis: quia Domino peccavit. 15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea: sicut fecit, facite ei. 16. Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient. 17. Grex dispersus Israel, leones ejecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor rex Babylonis. 18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram ejus, sicut visitavi regem Assur: 19. Et reducam Israel ad habitaculum suum: & pascetur Carmelum, & Basan, & in monte Ephraim, & Galaad saturabitur anima ejus. 20. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero. 21. Super terram dominantium ascende, & super habitatores ejus visita, dissipa, & interfice, quæ post eos sunt, ait Dominus, & fac juxta omnia, quæ præcepi tibi. 22. Vox belli in terra, & contritio magna. 23. Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ? Quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus? 24. Illaqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es, & apprehensa: quoniam Dominum provocasti. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituum, in terra Chaldæorum. 26. Venite ad eam ab extremis finibus, aperite, ut exeant, qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec sit quidquam reliquum. 27. Dissipate universos fortes ejus, descendant in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum. 28. Vox fugientium, & eorum, qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus. 29. Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus, qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: juxta omnia, quæ fecit, facite illi; quia contra Dominum erecta est, ad ersus Sanctum Israel. 30. Idcirco cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus. 31. Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. 32 Et cadet superbus, & corruet, & non erit, qui suscitet eum: & succendam ignem in urbibus ejus: & devorabit omnia in circuitu ejus. 33. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israel, & filii Juda simul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. 34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum

tuum nomen ejus, judicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & commoveat habitatores Babylonis, 35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes ejus. 36. Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt. 37. Gladius ad equos ejus, & ad currus ejus: & ad omne vulgus, quod est in medio ejus: & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros ejus, qui diripientur. 38. Siccitas super aquas ejus erit, & arescent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur. 39. Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis, & habitabunt in ea struthiones, & non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem, & generationem. 40. Sicut subvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, & vicinas ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. 41. Ecce populus venit ab aquilone, & gens magna, & reges multi consurgent a finibus terræ. 42. Arcum, & scutum apprehendent: crudeles sunt, & immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit: & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te, filia Babylon. 43. Audivit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus ejus: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem; & cogitationes ejus, quas cogitavit super terram Chaldæorum: Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. 46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter Gentes auditus est.

℣. 1. VERBUM DE BABYLONE, ET DE TERRA CHALDÆORUM. Postquam Ægyptiis, Philistinis, Idumæis, cæterisque gentibus mala nunciavit, quæ illos ex Nabuchodonosore manebant, denique ad Babylonem & Chaldæos redit Jeremias, eaque illis prædicit, quæ ex Cyro cæterisque illius successoribus imminebant; quorum armis & evertendum erat Nabuchodonosoris Imperium, & Babylon ad miserrimarum urbium conditionem redigenda. Mala enim, quæ Babyloni minitatur, non omnia eodem tempore illi contigerunt; quippe quæ post multa demum sæcula penitus eversa jacuerit.

Jeremias quarto jam Joakimi Judæ Regis anno extremam perniciem Babyloni minitatus fuerat (1); at fusius minas iteravit quarto Sedeciæ anno, ut infra animadvertitur (2). Collectis simul iis, quæ ab Babylonis excidium pertinebant, ea Babylonem misit per Saraiam & Baruchum, imperans, ut traditum sibi ejus vaticinii exemplum Judæis, qui ab elapsis Regibus ducti fuerant Babylonem captivi, coram præsentibus legerent, deinde in Euphratem projicerent. Id eodem statim anno gestum est. Superbæ urbis ruinam diu antea prædixeras Isaias (3); cujus verba aliquot Jeremias mutuatur. Atcum de remotissimo eventu ageret Jeremias, ac nondum tea illorum criminum esset Babylon, quæ deinde illius exitium peperere, neque adhuc in eam opulentiam, quam deinde assequuta est, devenisset; Propheta sub obscuris implicitisque phrasibus eam rem tradit: solent enim vaticinia eo luculentius tradi, quo vicinior exitus illorum est. Alia in Babylonem vaticinia apud Isaiam leguntur (4): ea tamen de Babylonis expugnatione per Assaradonem, tum per Darium Medum, explicavimus. Cætera ad Cyrum pertinent, & fortasse etiam ad Darium Hystaspis: minime enim censendum est, ea quæ hoc capite & sequenti dicuntur, eodem omnia tempore, eademque in re contigisse.

Vera Babylonici excidii causa, ipsa ejus urbis flagitia fuere, ad fastigium usque cumulata; superbia præsertim & sævitia. *Exultatis, & magna loquimini* (5), *diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri: confusa est mater vestra nimis.* Et ℣. 17. *Grex dispersus Israel; leones ejecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: novissimus exossavit eum Nabuchodonosor Rex Babylonis.* ℣. 23. *Quomodo confractus est & contritus malleus universæ terræ?* Et infra ℣. 29. *Reddite ei secundum opus suum: juxta omnia quæ fecit, facite illi.* Isaias XLVII. 6. &c. *Iratus sum per populum meum, contaminavi hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias: super senem aggravasti jugum tuum valde. Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi hæc, delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo vidua: & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas, & viduitas.*

℣. 2. LEVATE SIGNUM, PRÆDICATE, DICITE: CAPTA EST BABYLON. Magnificum orationis exordium. O qui sub diuturna Babylonis tyrannide gemitis: animos jam sumite, ac spe confirmamini: capta est Babylon: superba gentium domina eversa est, prostratæque illius vires jacent. Faustissimum hoc nuncium unusquisque studiosissime prædicet. Signa & vexilla in montibus expandite, quo citius remotissimæ gentes optatissimam hanc rem intelligant. Morem expandendi in montium jugis vexilla, quo celerius remotissima loca rem aliquam doceantur, passim animadvertimus (6).

CONFUSUS EST BEL. Profanorum Deos Prophetæ ubique eadem clade, qua ipsorum cultores, superatos exhibent. Res gestas idcirco tantum Sacri Scriptores tradunt, ut divino cultui, religioni bonisque moribus serviant. *Bel*, seu *Belus* nobilissimus erat Babyloniorum Deus; & Jupiter, vel Saturnus fuisse creditur (7). At neuter certe fuit.

(1) Jerem. xxv. 26. *Et Rex Sesac bibet post eos*, Confer cum Jerem. LI. 41. *Quomodo capta est Sesac.*
(2) Jerem. LI. 60. 61.
(3) Isai. XLV. XLVI. & XLVII.
(4) Isai. XIII. XIV. XXI.
(5) Jerem. hic, ℣. 11.
(6) Isai. v. 26. XI. 12. XIII. 2. XVIII. 3. XXX. 17. Jerem. IV. 6. LI. 27.
(7) Theodoret. hic. Hieron. in Isai. XLVI.

fuit. Babylonii divinos honores cuidam veterum Regum suorum deferebant: quamobrem cum Græci similitudinem aliquam inter sacra, quæ apud ipsos Saturno fiebant, & ea quæ Belo apud Babylonios, animadverterent, utrumque Saturnum esse consuerunt, quamvis nihil communa inter ipsos esset. Humanas virorum puerorumque victimas Belo mactari consuevisse ajunt; ejusque Templum, quod Babylone erat; magnificentissimum totius antiquitatis opus habebatur (8):

Victa est Merodach. Aliquis ne Rex adhuc vivens, an Babyloniorum Deus? Id porro ignoratur. Nemo certe est, qui Regem a Cyro superatum, Merodachum nominet: sunt tamen (9) qui censeant, hanc fuisse communem Babyloniis Regibus appellationem: ac plurimos certe animadvertimus, quorum nomina ex *Merodach* componuntur; velnti *Merodach Baladan* (10), *Evil-Merodach* (11); & in Canone Ptolemæi, *Mardocampadus*, *Mesessimordachus*. At hæc argumenta æque iis favent, qui Merodachum veterem fuisse ajunt ejus regionis Regem, a Babyloniis relatum in Deos (12), atque hanc sententiam maxime omnium probabilem existimamus. Isaias iisdem ferme verbis exorditur Caput XLVI. in Babylonem: *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis & jumentis onera*.

℣. 3. Ascendit contra eam gens ab aquilone. Gens hæc ab aquilone proficiscens in Babylonem, luculentissime in consequentibus demonstratur. Dicitur ℣. 9. exercitus e variis gentibus collectus arma Babyloni inferre ex aquilone, cujus lethalia spicula nunquam frustra torquentur. ℣. 41. prædicitur ventura ex aquilone, extremisque terræ finibus, gens validissima, unaque Reges plurimi. Sequenti Capite, ℣. 11. Deus Medorum Reges in Babylonis perniciem excitat. ℣.27. leguntur nomina Regum Ararat, Menni, Ascenez, Taphsar, & Mediæ. Quibus verbis innui videtur, de Babylonis expugnatione per Cyrum hic agi. At Cyrus gente Medus non erat, neque ab aquilone, sed ab oriente adversus Babylonem proficiscebatur, uti perspicue fert Isaias (13). Adde, quod Persidis, seu Elam nomen nusquam hic legitur. Igitur oraculum Dario Medo, Babylonis victori, & successori Balthasaris, uti fert Daniel (14), aptius convenire videtur. His tamen argumenta hæc reponi possunt: I. Cyrum matre Medum fuisse, ac Mediæ Dominum, cum Babylonem aggrederetur. II. ipsummet Isaiam (15), qui Cyrum ab Oriente venturum vaticinatur, hic dicere: *Suscitavi ab aquilone, & veniet ab ortu solis*. III. illud omnino suadere, ut hic locus de Cyro explicetur, quod deinde Jeremias Judæorum reditum ac libertatem promittat; quæ certe nonnisi sub Cyro contigerunt. IV. denique, Cyrus ab aquilone adversus Babylonem movit; absolutis enim in Lydiam & Asiam minorem, quæ Babyloni orientalis est, expeditionibus, aggressus est Babylonem. Communem igitur sententiam, quæ locum hunc de Cyro explicat, sequimur.

Ponet terram ejus in solitudinem. Cyri exercitus, tam multis gentium generibus conflatus, Babylonem evertit, atque ad desertæ sterilisque regionis conditionem redegit: at statim illa emersit. Herodotus, Xenophon, cæterique his recentiores, nullius in ea urbe excidii per Cyrum meminere. Ait Berosus (16), captam esse a Cyro Babylonem, quin obsidione uteretur, ac Nabonido, cum commisso prælio victus esset, Borsippum elapso, Cyrum Babylonis mœnia, nemine repugnante, subiisse. Addit tamen Berosus, Cyrum mira mœnium firmitate perterritum, ea everti jussisse. Majora intulit Darius Hystaspis, Cyri successor, mala (17): minime tamen fecit, quin ea diu & opibus & majestate floreret.

℣. 4. Venient filii Israel, et filii Juda simul ambulantes, et flentes properabunt. Decem Tribuum reditus, una cum Juda & Benjamino, luculentius certe prædici non potuit (18). In patriam revertentur, gaudio flentes, sinceraque animi lætitia simul & pœnitentia.

℣. 5. In Sion interrogabunt viam: huc facies eorum, ore animoque in patriam versis. Miro studio & alacritate regredientur. Curam omnem ac solicitudinem eo convertent (19): viam studiose quærent. Vivida hæc gentis descriptio, viam solicite rogantis, animum suavissime movet, ac certissimam faciunt rei venturæ fidem, cum ita perspicue significetur.

Apponentur ad Dominum fœdere sempiterno. Judæi Babylone reduces, fœdus cum Domino sub Nehemia solemni ritu renovarunt (20); ejusque fœderis conditiones majori post captivitatem religione, quam antea, servavere; quippe quas nunquam publice violaverint, uti passim sub Regibus contigerat. Hæc tamen satis non sunt, ut fœdus vere æternum inter Deum ac populum, nisi Christo Jesu inter homines nato, demonstrent. Fœdus hoc Divino Servatoris sanguine firmatum est; cujus ipse conciliator & author fuit: sanctum ipse sibi populum instituit, a quo illud in Ecclesia usque ad sæculorum exitum servandum est.

℣. 6. Pastores eorum seduxerunt eos. Omnia Judæ & Israelis mala, omnesque calamitates, deceptio, superstitio, ab ejus gentis pastoribus oriuntur. Regibus Dominum deserentibus, populus errantes duces sequutus est. Jeroboam in Israele, & in Juda Salomon, Achaz, Amon, Manasses, aliique, nedum vulgi gregem ad optima pascua impulere, id quod optimi pastoris erat; verum etiam data opera in errorem traxere, variosque in montes egere, ubi populus profana altaria statuerat, *obliti sunt cubilis sui*, Templi scilicet, quod unicum esse decebat illorum solatium, atque in malis asylum.

℣. 7. Hostes eorum dixerunt: Non peccavimus, cum illos malis opprimeremus. Grex sunt a pastore destitutus, oves contumaces: Deo obsequitur, qui illas punit (21) & capit. Adeo immania erant ac nota Judæorum flagitia, ut nemo illos affligere vereretur. At si miserrima ea gens rea Deo est, quid in vos, o Chaldæi, peccavit? Quos severissima justitiæ suæ animadversione affligere voluit Deus, quo jure opprimitis? Cur illorum malo gaudetis? cur calamitati insultatis? Cum vos elegerit Deus supplicii illorum ministros, cur sævitiam ultra modum exercetis, & scelus alio scelere vindicatis?

Peccaverunt Domino, decori justitiæ, et expectationi patrum eorum. Vel, ex Hebræo (22): *Peccaverunt Domino, habitationi justitiæ, & spei patrum eorum*. Vagæ oves errare, falsosque pastores sequi maluere, quam intra justitiæ septum, Legisque & paternæ Religionis exercitium se continere.

℣. 8. Recedite de medio Babylonis, et estote quasi hædi ante greges (23), ante capellas. Con-

(8) Vide Herodot. lib. 1. c. 181. (9) Sanct. hic. (10) Isai. XXXIX. 1. (11) 4. Reg. XXV. 27. (12) Theodoret. Grot. Pisc. (13) Isai. XLI. 2. *Quis suscitavit ab oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se?* Et XLVI. 11. *Vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*. (14) Dan. V. 31. *Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos*. (15) Isai. XLI. 25. (16) Beros. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. (17) Herodot. lib. 1. c. 150. 151. & seq. (18) Vide nos in Dissertatione de reditu decem Tribuum. (19) Luc. IX. 51. *Faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem*. Et ℣. 53. *Facies ejus erat euntis in Jerusalem*. Vide Jerem. XLII. 17. XLIV. 12. (20) 2. Esdr. IX. 38. & X. 1. 2. Vide & Ezech. XVI. 60. (21) Joan. XVI. 2. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*. (22) חטאו ליהוה נוה צדק ומקוה אבותיהם (23) כעתודים לפני צאן

Constanter, ac metu vacui proficiscimini. Babylonem alacri fronte relinquite. Hirci vel arietis gregem ducentis comparatio humilis minime est apud Judæos. Hac passim utuntur Prophetæ. Principes ab Isaia & Zacharia *hirci terræ* (24) nominantur, & apud Libros Regum (25) quoddam Tribunorum militarium genus *arietes* dicuntur. Heroas suos Homerus (26) frequenter comparat cum arietibus, tauris, hircis. Principes Juda, qui populum meum olim in errorem traxistis, atque in montibus errare coegistis (27), duces jam illius estote, illumque Babylone reducite. Hortatur Jeremias, ut Babylonem relinquant, antequam ea urbs obsidione cingatur, ne communi cum Babyloniis cæde obvolvantur. Utrum obtemperaverint, non constat.

℣. 9. ADDUCAM IN BABYLONEM CONGREGATIONEM GENTIUM MAGNARUM DE TERRA AQUILONIS. Cyri exercitus e superatis ab illo gentibus coaluerat, Persis, Medis, Assyriis, Armenis, aliisque. Hæ porro copiæ ex aquilone, atque Asia minori, ubi is bellum gesserat, proficiscebantur.

PRÆPARABUNTUR ADVERSUS EAM, ET INDE CAPIETUR. Hebræus (28): *Præparabunt* machinas *adversus eam*, vel aciem instruent coram illa, *& illinc capient*, ex improviso, inquit Grotius. Certe rem ita narrat Herodotus (29): Babylonii, producto exercitu, Cyrum præstolantes, ubi propius urbem ille promovit, cum eo conflixerunt, prælioque fugati, in oppidum compulsi fuerunt. Ii tamen, quia Cyrum jampridem animadverterant inquietum esse, videranteque omnes pariter gentes aggredientem, comportaverant permultorum annorum commeatus: ideoque tunc obsidionem nihili faciebant. Et Cyrus, quum jam longo tempore nihil admodum res ipsius proficerent, inops consilii erat. Tandem ita statuit faciendum: Fluvio in paludes, quæ supra Babylonem sunt, ducta fossa immisso, pristinum ejus alveum, fluvio abscedente, pervium reddidit. Quamobrem Persæ, qui ad hoc ipso a Cyro instructi erant, per alveum, unde fluvius Euphrates abscesserat, fortiter Babylonem introierunt, Babyloniis id minime agi existimantibus. Tantaque urbis erat magnitudo, ut quum capti essent qui media urbis incolebant, ii qui extremas urbis partes incolerent, id minime sentirent. Sed quod forte dies festus iis esset, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec plane hoc resciverunt, variis urbis partibus a Cyro occupatis. Quiddam narrat Aristoteles (30), quod fidem omnem superare videtur. *Babylon*, inquit, gentis potius, quam urbis aut civitatis circumscriptione continetur: qua tertium jam diem capta, partem quamdam urbis non sensisse dicunt. Reddunt alii: *Instruent aciem ante Babylonem, & illinc capient eam*, ex eadem parte, unde profecti sunt, ex aquilone. Profecto Persæ per alveum Euphratis, ab aquilone fluentis, spectato ejus urbis situ, urbem subierunt.

Si Berosi narrationem, ab Josepho recitatam (31), sequeris, nullo negotio locum hunc illi accommodabis: *Instruent exercitum coram Babylone, & inde capient eam*. Producto in aciem exercitu, commissoque prælio, fractus est a Cyro Nabonidus; eoque non intra Babylonis mœnia, sed Borsippum cum paucis fugiente, Cyrus Babylonem ingressus est; eversoque exteriori mœnium ambitu, copias Borsippum duxit, ut Nabonidum obsideret.

℣. 11. QUONIAM MAGNA LOQUIMINI, CAPIENTES HÆREDITATEM MEAM: QUONIAM EFFUSI ESTIS QUASI VITULI. Victoria abusi estis, Chaldæi. Intra ipsos populi mei fines, meam scilicet hæreditatem: insania lætitia efferebamini, extremamque sævitiam in gentem vobis minime noxiam, quasi animi causa, exercebatis. Pro iis, *Sicut vituli super herbam*, docti quidam Interpretes Hebræum reddunt (32): *Pingues facti estis, ut vitula triturans*. Lege sanciebatur (33): *Non ligabis os bovis triturantis in area fruges tuas*. Quamobrem, quamvis magnus terendi labor esset, levior tamen erat aratione; bovesque pro arbitrio frugibus implebantur. Nonnulla adversus hanc interpretationem attulimus in Michææ IV. 3.

℣. 12. CONFUSA EST MATER VESTRA, ET ADÆQUATA PULVERI, Babylon mater vestra, & patria Chaldæa suas etiam vices sentiet: dejicietur, probro obruetur, humi sedebit jacens mœrensque, ceu infelix mater, & supplicis habitu. *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis & tenera*, inquit Isaias, XLVII. 1. Hebræus hoc loco fert (34): *Confusa est magnopere mater vestra: erubuit quæ vos peperit*.

℣. 13. REDIGETUR TOTA IN SOLITUDINEM. Id nonnisi diu post Cyrum contigit. Everso Chaldæorum imperio, atque ad Medos per Cyrum delato, Babylonis splendor minui cœpit: Persarum enim Reges ornamenta omnia, quibus hactenus Babylon una gloriata fuerat, ad urbes Susa, Ecbatana, & Persepolin transtulerunt. Exteriorem mœnium ambitum evertit Cyrus (35): Darius Hystaspis filius portas murumque interiorem, quibus pepercerat Cyrus, demolitus est (36): Xerses celeberrimum Beli templum, quo Babylon gloriabatur, expilavit (37). Fanum restituere, ac Babylonem imperii sui sedem facere Alexander decreverat; at turbata ipsius morte molimina successores neglexere; atque urbs penitus spreta jacuit. Partem urbis everterant Persæ; cæteras tempus, addita Macedonum Alexandri successorum incuria; cum præsertim Seleucus Nicator, condita ad Tigrin Seleucia urbe, eo Regni sedem intulit. Seleuciæ quippe vicinitas Babyloni penitus exitio fuit. Vologesus supremam ruinæ manum imposuit (38); adeo ut Strabonis ætate nihil jam nisi ingens solitudo esset (39). Pausanias (40), qui sub Antoninis florebat, mœnia tantummodo Babylonis superesse scribit. Addit S. Hieronymus, ætate sua Babylonem ingens tantummodo fuisse ferarum septum, Principum venationi relictum.

℣. 14. OMNES QUI TENDITIS ARCUM, Persæ, Medi, Elamitæ, Cyri milites, spicula in illam nulla intermissione jaculamini: peccati rea Deo est: Omnipotentis vindictam exercete.

℣. 15. UBIQUE DEDIT MANUM; qui gestus est sese dedentis ac supplicis. *Ægypto dedimus manum & Assyriis, ut saturaremur pane* (41). Virgilius (42).

. . . . . Vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre. Tua est Lavinia conjux.

Septuaginta vertunt (43): *Dissolutæ sunt manus ejus*, adeo imbecillis est, ut manus ipsas sustinere nequeat. Alia locutio apud Scripturam familiaris. Isaias (44): *Confortate manus dissolutas*. Jeremias (45): *Dissolutæ sunt manus nostræ*. Priori explicationi favere potius videtur Hebræus (46).

Non-

(24) Isai. x. 13. & XIV. 9. כל עתודי ארץ Zach. x. 3. על העתודים אפקוד (25) 4. Reg. XI. 4. 19 את כרים ואת הרצים (26) Vide Iliad. B, &c. (27) Vide ℣. 6. (28) שרכו לה משם תלכד (29) Herodot. lib. 1. c. 191. (30) Politic. lib. 3. c. 3. (31) Joseph. contra Appion. lib. 1. p. 1045. (32) כי תפושי כעגלה דשה Vide Boch. de anim. sacr. Lud. de Dieu. Boot. Vat. Kimchi, Tig. &c. (33) Deut. XXV. 4. (34) בושה אמכם מאד חפרה ילדתכם Septuag. Ἠσχύνθη ἡ μήτηρ ὑμῶν σφόδρα, ἐντράπη ἡ τεκοῦσα ὑμᾶς. (35) Berof. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. (36) Herodot. lib. 3. c. 159. (37) Herodot. lib. 1. cap. 183. Strabo lib. 15. p. 508. (38) Plin. lib. VI. c. 26. (39) Strabo lib. 16. p. 508. (40) Pausan. Arcadic. (41) Thren. v. 6. (42) Æneid. XII. (43) Septuag. Παρελύθησαν αἱ χεῖρες αὐτῆς. (44) Isai. XXXV. 3. (45) Jerem. v. 24. (46) נתנה ידה

Nonnulli ita explicant (47) : *Fœdus cum Lydiis hostibus vestris, atque amicitias junxit, manum illis porrexit.*

Ceciderunt fundamenta ejus. Exteriorem Babylonis murum evertit Cyrus, ut ex Beroso docuimus. Vide ℣. 9.

℣. 16. Disperdite satorem de Babylone, et tenentem falcem. Universum Babylonis populum nullo discrimine mactate, a milite ad agricolam usque & messorem. Solent in bello agricolæ relinqui, iique tantummodo necari, qui arma intulerunt. Vetat hic Deus, ne parcatur : Ita in illam sævite, ut ipsa in cæteros sæviit. Obvium quidlibet hæc in Provinciis mactavit ; parem illi pœnam rependite. Ingens adeo terræ spatium intra Babylonis mœnia claudebatur, ut pars urbis sereretur. *Cætera colunt serantque*, ait Quintus Curtius (48), *ut si externa vis ingruat obsessis, alimenta ex ipsius urbis solo subministrent.* Quamobrem agricolæ ac messores intra urbem erant. Usurpari etiam potest Babylon pro Babylonia. Ea porro provincia frugibus abundabat (49), ejusque incolæ studiosissimi agriculturæ habebantur.

A facie gladii columbæ, vel, victoris, bellatoris, vastatoris, Cyri, cui nihil resistit. Vide quæ de hac locutione alibi diximus (50).

Unusquisque ad populum suum convertatur. Varia hæc gentium colluviea, quas superavere Chaldæi, & abegere captivas, in suas unaquæque sedes revertetur, concessa per Cyrum libertate. Patriæ repetendæ potestatem non unis tantummodo Judæis factam fuisse, alibi docuimus (51).

℣. 17. Primus comedit eum Rex Assur : iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor. Populum suum Deus cum grege comparat, quem aggressi leones dissipavere : ii porro sunt Assyriorum Reges & Chaldæorum, Ninives & Babylonis. Primi omnium sævitiam injuriasque exercuere Assyriorum Reges Theglathphalassar, Salmanasar, Sennacheribus, Assaradon; ac decem Tribus subinde captivas abduxere; & Judam invadentes, armis Jerosolymæ illatis, populum sibi minime noxium oppressere. His Chaldæorum seu Babylonis Reges successere. Arma iterum movit in Judam Nabuchodonosor, extremamque huic Regno perniciem peperit : captis Principibus, Jerosolymam incendio dedit, Templum profanavit evertitque, ac denique populum captivum abduxit.

℣. 18. Ego visitabo Regem Babylonis, sicut visitavi Regem Assur. Superbiæ & sævitiæ causa capta est Ninive & prostrata : Assyriorum Imperium a Nabopolassaro Nabuchodonosoris patre abolitum: Babylon nihilo melior Ninive est, & suppliciis nihilo levioribus afficietur. Illam Darius Medus, tum Cyrus capient ac depopulabuntur; Babylonios Reges mactabunt, amplissimumque istud Imperium, quod Nabuchodonosor artibus iniquissimis, atque innumerorum Regum, urbium, ac provinciarum cæde condidit, demolientur.

℣. 19. Reducam Israel ad habitaculum suum. Hic locus omnino ad decem Tribus pertinet, uti satis ex consequentibus discimus. Pollicetur Deus futurum, ut ipse Israelem ad Carmelum reducat, in Basanitidem trans Jordanem, in montes Ephraimiticos cis amnem, & Galaaditicos trans eumdem sitos. Singulis hisce provinciis Israeliticæ Tribus potiebantur, aliæ prorsus a Juda & Benjamino. Harum promissionum fides post Babylonicæ captivitatis exitum penitus expleta est.

℣. 20. In diebus illis, quæretur iniquitas Israel, et non erit. Omnia Israelitarum flagitia oblitus est Deus, eaque per diuturnam captivitatem qua oppressi sunt, expiavit. Nulla veteris illorum peccati memoria supererit, neque illis objicietur, aut in Israele parœmiæ loco usurpabitur (52): *Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Parentum flagitia Deus in filiis non vindicabit, tum quia præteritorum scelerum oblitus est, tum quia paterna crimina filii non imitabuntur. Nulla in posterum in Israele superstitio futura est. Profecto Israelitæ Babylone reversi sanctius vitæ institutum, quam ante captivitatem, servavere.

℣. 21. Super terram dominantium ascende; in Chaldæam, Babylonem, superbam Imperii omnium opulentissimi Metropolin, proficiscere. Cyre, in arrogantes hosce dominos move. Hebræus (53): *Ascende ad terram Marathaim.* Postremam hanc vocem plures (54) pro gentis nomine usurpant: Arma move in Mardos, quæ gens partim cis, partim trans Tigrin sedem habebat (55). Reddunt alii (56) : *In populos rebelles proficiscere*, qui Deum flagitiis & arrogantia irritare non cessant. Septuaginta (57) : *Amare ascende in illam*, terrorem ignemque infer: igne & cædibus omnia completo: in eam moveto, cujus furoris acrimoniam sae experiantur.

Interfice quæ post eos sunt, fœderatos, amicos. Hebræus (58) : *Anathemati devoveto posteros eorum* (59). Aliter : *Extermina eos, & persequere*, nulla requie aut intermissione.

℣. 23. Quomodo confractus est malleus universæ terræ? Chaldæis, Nabuchodonosori, ejusque filiis, Babyloni aptissime congruit appellatio mallei terræ, malorum causa, quibus universas terrarum gentes oppressere.

℣. 24. Illaqueavi te . . . et nesciebas. Retibus implicitum te ex improviso sentiisti, instar feræ, quæ in paratos sibi laqueos lapsa, expediri nequit. Miris profecto artibus capta est Babylon, si Herodoto est fides (60). Integra erant mœnia, urbs annona opibusque referta, populus gaudio festisque solatiis occupatus : statim nunciatur, hostem intra vallum esse, ceu e terra egressum, quippe per arentem, vel saltem magnopere diminutis aquis pervium Euphratis alveum, introductum.

℣. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, armamentarium, locum ubi furoris sui instrumenta condit, quibus in Babylonem animadvertat. Eo in thesauro condita servat bellum, pestem, famem, morbos, mortem, servitutem, probrum, malaque omnia, quibus hostes affligit. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* inquit Job (61).

Quoniam opus est Domino armis suis in Chaldæos. Reddi potest Hebræus (62). *Quoniam hoc est opus Domini.* Hunc in usum Deus uti vult armis: ea in Chaldæos servavit. Vel : *Hoc enim est opus Domini*, vindicta. Opus frequenter pro vindicta usurpatur (63).

℣. 26. Venite ad eam ab extremis finibus: aperite ut exeant, qui conculcent eam : tollite de via lapides. Alloquitur hic Persas Medosque, Cyro duce proficiscentes. Festinate adversus Babylonem. Copiis a Deo missis omnia pateant, ster-

(47) Theodoret. Menoch. Tir. &c. (48) Q. Curt. lib. 5. (49) Vide Plin. lib. 18. cap. 17. Herodot. lib. 1. cap. 5. (50) Vide supra Jerem. xxv. 38. xlvi. 16. (51) In Dissertatione de reditu nonnullarum gentium, quas Nabuchodonosor captivas abduxerat, ad Ezechielem. (52) Ezech. xviii. 2. Jerem. xxxi. 29. (53) על ארץ מרתים עלה (54) Jun. Pisc. Anglic. Grot. (55) Ptolem. lib. 5. c. 13. Solin. Mela. (56) Chald. Pagn. Mont. Syr. Munst. Aqu. Ἐπὶ γῆς παραπικραινόντων ἀνάβηθι ἐπ' αὐτήν. (57) Septuag. Πικρῶς ἐπίβηθι ἐπ' αὐτήν. (58) אחר החרם אחריהם (59) Chald. Grot. (60) Herodot. lib. 1. c. 191. (61) Job xxxviii. 22. 23. (62) כי מלאכה היא לאדני (63) Vide Jerem. xlviii. 10. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.* Isai. xxviii. 21. *Ut faciat opus suum : alienum opus ejus ab eo, &c.*

sternantur viæ : ut illorum iter nulla re impediatur. Hebræus ad verbum (64) : *Venite ad eam ab extremis finibus*, vel ex omnibus plagis ; vel, omnes simul proficiscantur (65) : *Aperite villas ejus : calcate eam, sicut acervos manipulorum*; vel, colligite uti manipulos : *quin ita eam delete, ut nihil supersit*. Ad manipulorum acervos alludit, qui in agro colliguntur, jumentorum pedibus terendi, ut triticum prodant. Colligite Babylonis cives, uti manipulos in aream, ac terite ceu triticum. Vide infra LI. 33. Septuaginta (66): *Quoniam venerunt tempora ejus; aperite apothecas ejus: scrutamini eam quasi speluncam ; funditus perdite eam, ne sit ex ea quidquam reliquum*. Chaldæus: *Ingredimini eam, aperite borrea ejus : absumite omnes facultates ejus, sicut absumuntur acervi tritici ; sic absumite eam, ut non sint reliquiæ*.

℣. 28. VOX FUGIENTIUM, QUI FUGERUNT DE TERRA BABYLONIS, UT ANNUNTIENT IN SION. Hilares jam audio Hebræorum clamores, e captivitate redeuntium, ac Babylone egressorum, ut in Domini Templo vindictam celebrent, quam Deus in Chaldæos exercuit, ac prodigiosam plane libertatis populo comparandæ rationem.

℣. 29. ANNUNTIATE IN BABYLONEM PLURIMIS, OMNIBUS QUI TENDUNT ARCUM. Hebræus (67): *Clamate in Babylonem: Jaculatores qui tenditis arcum, castrametamini circa eam : stationes ab omni parte ponite, nequis evadat*.

℣. 30. BELLATORES EJUS CONTICESCENT, ad mortis silentium adigentur. Sternentur, vita, motu & loquendi facultate spoliati. Hac phrasi passim utitur Jeremias. *Conticescere* frequenter usurpatur pro, dolore opprimi, formidare, ad sepulcrum adigi. His omnibus comes est triste altumque silentium.

℣. 31. ECCE EGO AD TE, SUPERBE. Nabuchodonosorem alloquitur, seu Regem tunc rerum Babylone potientem, cum arma Cyrus movit: nimirum sive Balthasarum, uti ajunt Josephus, & plerique Interpretum, qui Babylonis expugnationem per Darium Medum, ab altera per Cyrum non distinguunt; sive Nabonidum, ex Beroso; sive Nabonidum & Balthasarum non duos, sed unum eumdemque Regem fuisse censeas ; tam multæ siquidem hac in re ambages sunt, ut quam in partem inclinandum sit, ambigas. Nobis placet, Darium Babylone regnasse ante Cyrum, ejusque urbis imperium occupasse statim mortuo Balthasaro. Babylonii frequenter *Superborum* appellatione in Psalmis designantur.

℣. 33. CALUMNIAM SUSTINENT FILII ISRAEL, ET FILII JUDA SIMUL; domini enim, qui captivos detinent, dimittere illos renuunt. Israelitas Chaldæi durissima captivitate opprimebant ; sub qua Judæorum plurimi annos jam septuaginta tenebantur, crescentibus in dies malis. At denique libertatis illorum tempus accessit : Cyrus liberator venit, cujus opera e Chaldæorum, dominorum crudelium, potestate subducentur Judæi, at horum hostes in eum statum adigentur, quo Dei populum iniquissime coercuerunt. Septuaginta captivitatis annorum exordium a quarto Joakimi Regis Judæ anno ducitur, Anno mundi 3398. finis vero in primo Cyri, Babylone regnantis, anno, Mundi 3467. at decem Tribuum captivitas, si ab exitio Samariæ incipiatur, quatuor & octoginta annos ante Judæ captivitatem exorsa fuerat.

℣. 34. REDEMPTOR EORUM FORTIS : DOMINUS EXERCITUUM NOMEN EJUS. Is Cyrum armat, ut illos in libertatem vindicet. Omnibus ille viribus connitetur, ut Chaldæorum Imperium evertat, & vinculis coerceat eos, qui Israelem oppressere. Ita ob Electorum salutem Omnipotens Principes & Regna destruit atque restituit, hominumque ambitioni vanisque moliminibus illudit.

℣. 35. GLADIUS AD SAPIENTES EJUS. Babyloniorum Sapientes notissimi sunt apud Veteres. Ipsamet Chaldæorum appellatio celeberrimum quoddam Sapientum genus significabat. Narrat Strabo (68), Sapientibus hisce, qui Chaldæi dicebantur, separatim fuisse in urbe regionem, ubi ii sedem habebant. Astronomiæ vero potissimum operam dabant; erantque inter ipsos Genethliaci, qui futuras hominum vices, numeratis momentis nativitatis, prædicebant: hi tamen a cæteris Chaldæis minime probabantur. Cæterum hi Philosophi, qui potissimum Astronomiæ studebant, varias in sectas dividebantur. Celebres etiam inter illos Mathematici erant.

℣. 36. AD DIVINOS EJUS. Hebræus (69) : *Gladius ad impostores ejus*, ad mendaces, deceptores. Ita Babylonia Ariolos nuncupat. Hujusmodi generis hominibus Babylon tota scatebat, teste Daniele (70). Cum nulla inter homines gens esset aut superstitiosa magis aut credula, quam Babylonii, nullus erat locus, ubi major ariolorum numerus esset, aut honor. Nullum cuiquam somnium contingebat, de quo consulendus non esset ariolus: nemo in lucem edebatur, quin futura illius sors a Genethliacis quæreretur. Nihil denique alicujus momenti seu belli seu domi, publice privateque agebatur, in qua arioli non consulerentur. Orientales late omnes eadem adhuc superstitione tenentur.

℣. 38. SICCITAS SUPER AQUAS EJUS. Euphratem Cyrus, deductis fossis, minuit, atque a cursu avertit, ejusque aquas in solitudinem derivavit (71). Hac arte capta est Babylon, uti diximus. Inter paludes sita erat urbs, eamque mediam scindebat Euphrates; idque & opes & magnificentiam illi comparabat. Isaias (72) in Babylonem vaticinans, inscribit vaticinio: *Onus deserti maris*, vel planitiei maris ; Babylon quippe inter stagna jacebat. Ait Jeremias (73), Babylonem mari suo quodammodo obrutam esse, ac futurum, ut illius mare penitus arescat. Asserit Megasthenes (74), locum, ubi Babylon stabat, olim adeo obrutum fuisse aquis, ut maris nomine appellaretur.

TERRA SCULPTILIUM EST, ET IN PORTENTIS GLORIANTUR, seu terriculis (75); simulacris, quæ formidinem pueris faciunt. Numinum simulacra in Scriptura passim terricula nominantur. Babyloniorum Deos describens Baruch VI. 14. ait : *Sceptrum habet ut homo, sicut judex regionis : habet etiam in manu gladium & securim, se autem de bello, & a latronibus non liberat. Non ergo timueritis eos*.

℣. 39. PROPTEREA HABITABUNT DRACONES, CUM FAUNIS FICARIIS. Legunt nonnulli: *Cum faunis ficariis*, clam necem molientibus, crudelibus, sævis. Hebræus (76): *Propterea habitabunt ziim cum iim, & habitabunt ibi filiæ Janaah*. De his vocibus satis diximus in Commentario ad Isaiam XIII. 21. De faunis ficariis, non video cur ii hoc nomine appellentur ; cum nihil hac de re significent Hebræus & Septuaginta. Hanc tamen lectionem pas-

---

[64] באו לה מקץ פתחו מאבסיה סלוה כמו ערמים והחרימוה אל תהי לה שארית [65] Ludov. de Dieu. [66] Ὅτι ἐληλύθασιν οἱ καιροὶ αὐτῆς· ἀνοίξατε τὰς ἀποθήκας αὐτῆς, ἐρευνήσατε αὐτὴν ὡς σπήλαιον, καὶ ἐξολοθρεύσατε αὐτήν, μὴ γενέσθω αὐτῆς κατάλειμμα. [67] השמיעו אל בבל רבים כל דרכי קשת חנו עליה Vox רבים usurpatur pro jaculatoribus in Job XVI. 13. Et hoc sensu explicant hic Vatab. Pagn. Munst. Piscat. [68] Strabo lib. 16. [69] חרב אל הבדים Septuag. Ἐπὶ τοὺς μάντεις. [70] Vide Dan. I. 20. II. 2. & seq. [71] Herodot. lib. I. cap. 191. [72] Isai. XXI. 1. [73] Jerem. LI. 42. & 36. [74] Megasthen. apud Euseb. præpar. lib. IX. cap. 41. [75] כי ארץ פסלים היא ובאימים יתהללו [76] לכן ישבו ציים את איים וישבו בה בנות יענה

passim nostra Vulgata Editio admittit (77).

Non habitabitur usque in sempiternum. Pluribus jam a sæculis vetus Babylon adeo inculta est, ut vel illius situs ignoretur. At post ætatem Jeremiæ diu adhuc floruit, quamvis veteri majestate magnopere imminuta. Babylonis cujusdam adhuc exsistentis meminere Itineraria: at eodem loco, quo vetus erat, hanc sitam non esse, omnes fatentur. Quamobrem vaticinium, quod hic legimus, minime infirmatur.

℣. 41. Populus venit ab aquilone, et gens magna, et Reges multi. Cyrus cum Regibus plurimis, quos superaverat, exercitum e Persis, Medis, Armeniis, Cadusiis trahebat; ex aquilone profectus, vel ex Asia Minori adversus Babylonem. Vide hic ℣. 3.

℣. 42. Crudeles sunt et immisericordes. Nullam ætatis aut conditionis rationem habebunt; neque illorum precibus aut muneribus movebuntur. *Ecce ego suscitabo super eos Medos*, inquit Isaias XIII. 17. *qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur.*

℣. 43. Audivit Rex Babylonis, Balthasar, uti creditur: at Balthasaro successit Darius Medus (78). Berosus Babylonium Regem a Cyro superatum, Nabonidum appellat (79). Vide supra ℣. 31.

℣. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis. Jeremias Nabuchodonosorem, in Idumæam proficiscentem, supra comparat cum leone e latibulo, in superiore Jordanis ripa sito, egrediente: eadem comparatione hic utitur, Cyri profectionem in Babylonios describens. Cyrus constanter proficiscitur, ceu ferox leo, quem fames luco egredi cogit, ut septum ovibus plenum invadat. Vide nos in Jeremiam XLIX. 19.

℣. 45. Nisi detraxerint eos parvuli gregum. Militum vilissimi illos fugabunt. Vide supra XLIX. 20. apud Septuaginta.

℣. 45. A voce captivitatis Babylonis. Vel (80): *Tumultu expugnationis Babylonis, &c.*

(77) Veteres manuscripti Codices Versionis Hieronymianæ legunt: *Fatuis ficariis*; & Codices Commentariorum S. Hieronymi in Isaiam XIII. 21. constanter ferunt, *Sylvestres homines*, *quos nonnulli fatuos ficarios vocant*. Biblia impressa plurima, Complutensia, & Sixti V. ferunt *fatuis ficariis*. Alii, *faunis ficariis*. Maldonatus, *fauni ficariis*. At post Clementis VIII. emendationem vulgo legitur, *faunis ficariis*. (78) Dan. v. 31. (79) Beros. apud Joseph. l. 1. cont. Appion. (80) מקול נתפשה בבל 70. Ἀπὸ φωνῆς ἁλώσεως Βαβυλῶνος.

C A P U T LI.

Sequitur vaticinium in Babylonios.

℣. 1. HÆC dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem, & super habi-
tatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilen-
tem. 2. Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam, & demolientur
terram ejus: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus. 3. Non
tendat, qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus: nolite parcere juvenibus
ejus, interficite omnem militiam ejus. 4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum,
& vulnerati in regionibus ejus. 5. Quoniam non fuit viduatus Israel, & Juda a
Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel.
6. Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam: nolite tacere su-
per iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse re-
tribuet ei. 7. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de
vino ejus biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt. 8. Subito cecidit Babylon, &
contrita est: ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur. 9.
Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus, unusquis-
que in terram suam, quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus, & elevatum
est usque ad nubes. 10. Protulit Dominus justitias nostras: venite, & narremus in
Sion opus Domini Dei nostri. 11. Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Do-
minus spiritum regum Medorum: & contra Babylonem mens ejus est, ut perdat
eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. 12. Super muros Babylonis le-
vate signum, augete custodiam: levate custodes, præparate insidias; quia cogitavit
Dominus, & fecit quæcumque locutus est contra habitatores Babylonis. 13. Quæ
habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis
tuæ. 14. Juravit Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te ho-
minibus quasi brucho, & super te celeuma cantabitur. 15. Qui fecit terram in for-
titudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos.
16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo: qui levat nubes ab extremo ter-
ræ, fulgura in pluviam fecit, & produxit ventum de thesauris suis. 17. Stultus fa-
ctus est omnis homo a scientia: confusus est omnis conflator in sculptili, quia men-
dax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis. 18. Vana sunt opera, & risu di-
gna,

gna, in tempore visitationis suæ peribunt. 19. Non sicut hæc, pars Jacob: quia
qui fecit omnia, ipse est, & Israel sceptrum hæreditatis ejus: Dominus exercituum
nomen ejus. 20. Collidis tu mihi vasa belli, & ego collidam in te Gentes, & dis-
perdam in te regna: 21. Et collidam in te equum, & equitem ejus: & collidam
in te currum, & ascensorem ejus: 22. Et collidam in te virum, & mulierem: &
collidam in te senem, & puerum: & collidam in te juvenem, & virginem: 23. Et
collidam in te pastorem, & gregem ejus: & collidam in te agricolam, & jugales
ejus: & collidam in te duces, & magistratus. 24. Et reddam Babyloni, & cunctis
habitatoribus Chaldææ omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris,
ait Dominus. 25. Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis uni-
versam terram: & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, &
dabo te in montem combustionis. 26. Et non tollent de te lapidem in angulum,
& lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus. 27. Levate
signum in terra: clangite buccina in Gentibus, sanctificate super eam Gentes: annun-
tiate contra illam regibus Ararat, Menni, & Ascenez: numerate contra eam Taph-
sar, adducite equum quasi bruchum aculeatum. 28. Sanctificate contra eam gentes,
reges Mediæ, duces ejus, & universos magistratus ejus, cunctamque terram potesta-
tis ejus. 29. Et commovebitur terra, & conturbabitur: quia evigilabit contra Ba-
bylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam, & inhabitabilem.
30. Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præsidiis, devoratum est
robur eorum, & facti sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula ejus, contriti
sunt vectes ejus. 31. Currens obviam currenti veniet: & nuntius obvius nuntianti:
ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum.
32. Et vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt igni: & viri bellatores con-
turbati sunt. 33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Filia Babylo-
nis quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum, & veniet tempus messionis
ejus. 34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me
quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea,
& ejecit me. 35. Iniquitas adversum me, & caro mea super Babylonem, dicit ha-
bitatio Sion: & sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Jerusalem. 36. Pro-
pterea hæc dicit Dominus: Ecce ego judicabo causam tuam; & ulciscar ultionem
tuam, & desertum faciam mare ejus, & siccabo venam ejus. 37. Et erit Babylon
in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eo quod non sit habitator. 38.
Simul ut leones rugient, excutient comas velut catuli leonum. 39. In calore eorum
ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiter-
num, & non consurgant, dicit Dominus. 40. Deducam eos quasi agnos ad victi-
mam, & quasi arietes cum hœdis. 41. Quomodo capta est Sesach, & comprehensa
est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?
42. Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus operta est. 43. Fa-
ctæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis, & deserta, terra, in qua nul-
lus habitet, nec transeat per eam filius hominis. 44. Et visitabo super Bel in Ba-
bylone, & ejiciam, quod absorbuerat de ore ejus, & non confluent ad eum ultra
Gentes, siquidem & murus Babylonis corruet. 45. Egredimini de medio ejus po-
pulus meus: ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini. 46. Et ne
forte mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet
in anno auditio, & post hunc annum auditio: & iniquitas in terra, & dominator
super dominatorem. 47. Propterea ecce dies veniunt, & visitabo super sculptilia
Babylonis: & omnis terra ejus confundetur, & universi interfecti ejus cadent in me-
dio ejus. 48. Et laudabunt super Babylonem cœli, & terra, & omnia, quæ in eis
sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus. 49. Et quomodo fecit
Babylon, ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra.
50. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare; recordamini procul Domini, & Jeru-
salem ascendat super cor vestrum. 51. Confusi sumus, quoniam audivimus oppro-
brium: operuit ignominia facies nostras, quia venerunt alieni super sanctificationem
domus Domini. 52. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus, & visitabo super
sculptilia ejus, & in omni terra ejus mugiet vulneratus. 53. Si ascenderit Babylon
in cœlum, & firmaverit in excelso robur suum, a me venient vastatores ejus, ait

Domi-

Dominus: 54. Vox clamoris de Babylone, & contritio magna de terra Chaldæorum.
55. Quoniam vastavit Dominus Babylonem, & perdidit ex ea vocem magnam, &
sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum: 56. Quia ve-
nit super eam, idest, super Babylonem, prædo, & apprehensi sunt fortes ejus, &
emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet. 57. Et inebria-
bo principes ejus, & sapientes ejus, & duces ejus, & magistratus ejus, & fortes
ejus: & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait rex, Dominus
exercituum nomen ejus. 58. Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille
latissimus suffossione suffodietur, & portæ ejus excelsæ igni comburentur, & labores
populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt. 59. Verbum,
quod præcepit Jeremias propheta, Sarajæ filio Neriæ filii Maasiæ, cum pergeret cum
Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni ejus: Sarajas autem erat princeps
prophetiæ. 60. Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Baby-
lonem, in libro uno: omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem. 61.
Et dixit Jeremias ad Sarajam: Cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris
omnia verba hæc, 62. Dices: Domine, tu locutus es contra locum istum, ut dis-
perderes eum: ne sit, qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, & ut sit per-
petua solitudo. 63. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum la-
pidem, & projicies illum in medium Euphratem: 64. Et dices: Sic submergetur
Babylon, & non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dis-
solvetur. Hucusque verba Jeremiæ.

℣. 1. SUSCITABO SUPER BABYLONEM, ET SUPER HABITATORES EJUS, QUI COR SUUM LEVAVERUNT CONTRA ME, QUASI VENTUM PESTILENTEM. Pergit vaticinium in Babylonios. *Ventus pestilens*, a Deo in Babylonios excitatus, bellum est, quo Cyrus Babylonem invasit. Lethifer ventus fuit, pestem malaque omnia genti superbissimæ inferens; Chaldæis, qui animos in Deum extulerant, ejusque furorem irritaverant superbia & sævitia, quam in Hebræos cæterasque gentes exercuerant. Addit sequenti ℣. missurum se *ventilatores*, a quibus in aera, in ventum hunc pestilentem ac noxium projicientur, atque in omnes terrarum plagas dissipabuntur. Hebræus (1): *Ecce ego suscitaturus sum adversus Babel, & super habitatores cordis, & insurgentes contra me*. Vel: *Adversus Babel & habitatores ejus, qui insurgunt contra me*. Hebræas voces servant nonnulli (2): *Adversus Babel, & Leb kamai*, scilicet ex arcanis regulis componendi literas, *adversus Chaldæos*, quos, inquiunt, absque ambagibus nominare veritus est Jeremias, ne sævissimos inimicos provocaret: quasi non satis luculenter in reliquis vaticinii partibus designentur. Septuaginta (3): *Excitabo super Babylonem, & super habitatores Chaldæos ventum urentem & lethiferum*. Chaldæus: *Adducam super Babylonem & Chaldæos, populos interfectores, quorum cor elevatum est, & procerum corpus, quorum spiritus dissipat* omnia.

℣. 2. MITTAM IN BABYLONEM VENTILATORES. Hac ventilantium comparatione jam usus est, ut Persarum furias in Babylonem significet. Comparationes hujusmodi, ex agrorum cultu desumptæ, aptissimæ hoc loco sunt, cum opponantur insanis bellorum exercitiis. Ipsa porro ratio tritici in agro terendi, vel jumentorum pedibus, vel machinis ligneis ferro vel silice instructis; tum ventilabris jactandi, ut ablata vento palea triticum in aream caderet; aptissime populum exhibebat, hostibus suis relictum, & quodammodo illorum pedibus calcatum contritumque, in captivitatem actum, atque in varias terrarum plagas dissipatum. Septuaginta (4) legunt: *Emittam in Babylonem superbos* hostes, *& injuria afficient eos*.

℣. 3. NON TENDAT QUI TENDIT ARCUM, ET NON ASCENDAT LORICATUS. Obsidentium verba: Qui jaculatus fuerit, aut in armis steterit, interficietur: Nemo jaculari audeat. Syrus plane contrario sensu: *Non desistat qui jaculatur arcu, nec deponat loricam suam*. Septuaginta (5) eadem fere sententia: *Super eam tendat is qui tendit arcum suum, & circumponat cui sunt arma sua*: qui habet arma, iis induatur. Reddi potest Hebræus (6): *Non tendet is qui tendit arcum suum, & non induetur lorica sua* is qui loricam habet. Babylonii minime resistent: alacriter proficiscimini, Persæ; ne vereamini. Qui Massoretarum puncta sequuntur, vertunt: *Qui tenditis arcum, & qui fertis loricam, ne parcite* hosti. Vos levis, vosque gravis armaturæ milites, alloquor: Nulla cujusquam venia nulloque discrimine mactate.

℣. 5. NON FUIT VIDUATUS ISRAEL. Putavere Babylonii, populum a Deo destitutum esse, nullamque Omnipotenti esse gentis curam. Judaicam ille quidem gentem, veluti perfidam uxorem, abjecit; at fœdus cum illa initum minime abrupit. Se illius virum esse non obliviscitur, eosque, qui sponsam injuriis affecere, severissime puniet.

TERRA EORUM REPLETA EST DELICTO, A SANCTO ISRAEL. Sanctus Israel Chaldæorum terram flagitiorum suorum fructu cumulavit. Æquissime in illos animadvertit, ex magnitudine scelerum (7). *Delictum* frequenter usurpatur pro pœna delicti. Quamobrem ad verbum hæc locutio (8), *Terra eorum repleta est delicto*, significare potest, Chaldæam malis obrui. Nonnulli de Judæa interpretantur (9). Malis oppressa est Judæa a Sancto Israel, vel ob violatam Dei Israel sanctitatem. Judæ & Israelis terra hactenus ita habita est, ut immunda & profana: diuturna captivitate expiata est, ceu victima pro peccato.

℣. 6. NOLITE TACERE SUPER INIQUITATEM EJUS, QUO-

[1] הנני מעיר על בבל ואל ישבי לב קמי רוח משחית [2] Grot. Castal. Rab. Sal. & Kimch. Symm. Ασκκαδι. Seu Αὐϐαχαμι. Aqu. Καρδίαν ἐπεγειρόντων. [3] Ἐξεγερῶ ἐπὶ Βαϐυλῶνα, καὶ ἐπὶ τοὺς κατοικοῦντας Χαλδαίους, ἄνεμον καύσωνα διαφθείροντα. [4] Ἐξαποστελῶ εἰς Βαϐυλῶνα ὑϐριστὰς, καὶ καθυϐριοῦσιν αὐτήν. Legunt זרים pro זרים. [5] Ἐπ' αὐτὴν τεινέτω ὁ τείνων τόξον αὐτοῦ, καὶ περιθέσθω ᾧ ἐστιν ὅπλα αὐτοῦ. [6] אל ידרך הדרך קשתו ואל יתעל בסרינו [7] Ita Rab. Kimchi & Salom. Vatab. Lyr. Maldon. Sanct. Grot. Tir. Menoch. [8] כי ארצם מלאה אשם מקדש ישראל [9] Theodoret. Hugo Dionys. Cast. Piscat.

QUONIAM TEMPUS ULTIONIS EST. Qui Babylone vitam agitis, Hebræi, ex urbe discedite, ejusque flagitia & impietatem ubique prædicate, ut noverint omnes, justissima illam ira a Deo ultore exagitari. Hebræus (10): *Nolite cessare, ne illius exitio obvolvamini, quoniam tempus ultionis hoc est* (11). Hæc Jeremiæ verba mutuatus est S. Joannes (12): *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*.

℣. 7. CALIX AUREUS BABYLON IN MANU DOMINI, INEBRIANS OMNEM TERRAM. Babylonis ejusque Regum manu Deus iræ suæ calicem universis terræ populis propinavit (13). Ægyptum, Judæam, Phœniciem, Syriam, Idumæam, aliasque Provincias vino furoris Dei proluit Nabuchodonosor.

℣. 8. SUBITO CECIDIT BABYLON. Una statim die gloriam suam cadere sensit. Neque excidio præcessere motus aut concussiones, longe minitantes: e summo gloriæ fastigio statim lapsa est. Quæ dies Cyrum Babylonem ingredientem vidit, eadem Babylonem universo gloriæ suæ apparatu exutam conspexit. Princeps amplissimi Imperii civitas, opulentissimorum Orientis Regum sedes, statim omnibus hisce ornamentis caruit. Certe diu postea magnæ urbis nomen majestatemque servavit: at ea vix præteritorum umbra fuere.

TOLLITE RESINAM AD DOLOREM EJUS. Non semel animadvertimus (14), eas gentes resina in vulnerum medicamentum uti consuevisse. Galaaditicorum montium resina in eam rem plurimi æstimabatur.

℣. 9. CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA. Ita respondent ii, quibus supra imperatum est, ut resinam vulneribus Babylonis admoveant. Videntur autem custodes Angeli, vel Hebræi, aliique Chaldæorum subditi, & Babylone captivi dicere, nullo remedio deploratum urbis morbum posse curari. Prophetarum minæ; celeberrima prodigia pro Daniele patrata; supplicia, quibus Deus in Nabuchodonosorem animadvertit, ad feræ conditionem redactum; terribile monstrum, in sacrilego Balthasaris convivio visum; nihil omnino profuerant, neque Babyloniorum animos mentesque commoverant, neque a pristina superbia, sævitia, & superstitione deterruerant. Angeli ejus gentis patroni, populique hactenus illis subditi, nunciant, civitatis morbum medicinam plane omnem respuere, ac vulnus esse lethiferum. Quamobrem a civitate discedunt, eamque penitus relinquunt; Dei opus, justamque vindictam, quam Deus in illam exercuit, in Sion prædicaturi.

PERVENIT USQUE AD CÆLOS JUDICIUM EJUS. E supremo Cœlorum vertice judicium in illam exercet Deus. Vel: Flagitia, quibus illa implicita est, ad ipsum Dei solium pervenere. Criminibus suis cumulum addidit, eorumque mensuram explevit. Scelerum, fusique cruoris clamor ad Cœlum usque delatus est (15).

℣. 10. PROTULIT DOMINUS JUSTITIAS NOSTRAS: manifestam animi nostri innocentiam effecit, nosque coram universo terrarum orbe ultus est. Quamquam reus fuit Deo Israel, & mala, quibus obrutus est, illius flagitiis omnino debebantur; at innoxius Chaldæis erat. Immodicam Babyloniorum sævitiam, licentiam, ac superbiam, quam illi, Divinæ ultionis ministri, in bellis exercuerant, punit Deus.

℣. 11. ACUITE SAGITTAS. SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM REGUM MEDORUM. Babylonios alloquitur, & ἐιρωνικῶς hortatur: In prælium vosmet instruite, acuite spicula, pharetras implete, parate arma: validum in vos hostem impulit Deus, *Reges Medorum*; Cyrum, subditis Imperio suo Regibus stipatum (16). Is porro Medorum Rex dicitur, quod Medi nobilissima & celeberrima Imperii illius pars essent. Græci Scriptores (17) Medorum nomine subditos Regis Persarum passim donant. Ita etiam solet Scriptura. In utroque hoc capite L. LI. nulla Persarum mentio est, sed Medorum, qui Cyro parebant, ac maxima copiarum illius pars erant.

℣. 12. SUPER MUROS BABYLONIS LEVATE SIGNUM. Babylonii, validam defensionem parate; belli signum in mœnibus erigite, ut subditæ circum gentes, & populi, qui in agro sunt, opem ferant: *augete custodiam*, *levate* (ubique collocate) *custodes*, *præparate insidias*. Hæc nonnisi de Babyloniis apte explicantur (18). His porro insidiis occupabantur hostes, atque in fugam vertebantur, antequam ad urbem accederent. In urbium obsidionibus, atque in bello universe, frequenter insidiis utebantur, sive aggrederentur, sive defenderent. Insidiarum usus in Scriptura legitur sub Josue (19), Abimelecho (20), Saule (21), & passim in Homero. Selectissimi in insidiis collocabantur; certumque apud illos erat, in iis præsertim rebus militum audaciam & artem conspici.

℣. 13. QUÆ HABITAS SUPER AQUAS MULTAS, VENIT FINIS TUUS. Babylon ad Euphratem sita erat, non longe a Tigri. Mediam secabat Euphrates, ejusque fossas implebat. Veri etiam simillimum est, Euphratem plures in alveos scissum fuisse, urbis commodo, quæ cum in humillimo plane solo sederet, aptissima ducendis fossis fuisse videtur. Vide quæ animadvertimus in superius Caput ℣. 38.

VENIT FINIS TUUS, PEDALIS PRÆCISIONIS TUÆ, supremum excidium. Sunt (22), qui *pedalem præcisionem* usurpent, pro, funditus excindi, tamquam de arbore, cujus pes, seu truncus præscinditur: at Hebræus in aliam plane sententiam trahit (23): *Venit finis tuus, cubitus avaritiæ tuæ*. Flagitia tua ad supremum usque fastigium pervenere: cumulum sceleribus addidisti, complesti mensuram. Vel: *Venit finis tuus pro mensura iniquitatis tuæ*. Tibi redditurus est Deus, quæ factis meruisti (24): par erit flagitiis pœna. Septuaginta (25): *Venit finis tuus vere in viscera tua*. Chaldæus: *Pervenit dies interitus tui, tempus visitationis malitiæ tuæ*.

℣. 14. JURAVIT DOMINUS PER ANIMAM SUAM, per vitam suam, per se ipsum, inquiens: *Vivo ego in æternum*. Septuaginta (26): *Juravit Dominus per brachium suum*, per vires suas, vel, elata ad Cœlum manu.

REPLEBO TE HOMINIBUS QUASI BRUCHO. Hostes sui in agrum tuum ruent, illumque populabuntur, veluti cum locustarum nubes agrum aliquem invadit, quæ omnia vorant vastantque, arbores, stirpes, fruges, herbas. Vide ea quæ ab Itinerariis de earum regionum locustis traduntur, ut hujus comparationis vim sentias. Densis adeo nubibus locustæ interdum volant, ut solis radios impediant; easque sibi ingruentes incolæ ea formidine intuentur, qua exercitum hostium expectantes agros enim latius depopulantur, quam milites. Scriptura armatos exercitus cum locustis frequenter comparat (27).

℣. 16. DANTE EO VOCEM, AQUÆ MULTIPLICANTUR IN

---

[10] אל תדמו בעונה כי עת נקמה היא [11] Ita Chald. Syr. Pagn. Mont. Grot. alii plerique. Septuag. Μὴ ἀποῤῥιφῆτε ἐν τῇ ἀδικίᾳ αὐτῆς. [12] Apoc. XVIII. 4. [13] Theodoret. Vat. Sanct. Grot. alii. [14] Vide supra VIII. 22. XLVI. 11. [15] Vide Genes. XVIII. 25. Jonæ I. 2. Sanct. Grot. Mald. hic. [16] Sanct. Grot. Pisc. [17] Aristophan. Ornithes, & Scholiast. [18] Ita Theodoret. Hugo, Lyr. Dionys. Grot. Menoch. &c. [19] Josue VIII. & seq. [20] Judic. IX. 25. &c. [21] 1. Reg. XV. 5. Vide & 4. Reg. VI. 8. 9. &c. [22] Hugo, Lyran. Dionys. [23] בא קצך אמת בצעך [24] Clar. Delrio, Castr. Jun. &c. [25] Ἥκει τὸ πέρας σου ἀληθῶς εἰς τὰ σπλάγχνα σου. Legunt אמת Veritas, pro אמה cubitus. [26] Ὤμοσε Κύριος κατὰ τοῦ βραχίονος αὐτοῦ. Heb. נשבע יהוה צבאות בנפשו [27] Vide Joel. II. 4. 5. & seq. Nahum III. 15. Judic. VI. 5. VII. 12. Judith II. 11.

IN COELO. Dei vox tonitru est, ex Prophetis, Tonitru sonante, coguntur nubes, altera super alteram ruit, atque in imbrem solvuntur. Nubium lapsus tonitru parit, quod prius imbre est. Vulgus explorandis naturæ effectis minime assuetum, ea plerumque tribuit iis rebus, a quibus maxime afficitur, & causæ, quæ inter cæteras proxima videtur. Cum tonitru, seu Dei vocem imber statim fere consequatur, colligit vulgus, imbrem igitur ab eo effici; quamquam revera tonitru, cum merus sit fulgor sono junctus, causa imbris non est. Septuaginta (28): *Ad vocem sonitus sui posuit multitudinem aquæ in cælo*.

QUI LEVAT NUBES AB EXTREMO TERRÆ, &c. Iisdem verbis utuntur Jeremias supra x. 13. & Psalmus CXXXIV. 7. Nubes e mari plerumque nascuntur, atque ita ex ultimis mundi finibus veniunt, cum maris litora veluti extrema mundi habeantur. Fulgura, non secus ac tonitru, imbribus præcedunt; quamobrem colligit vulgus, pluviam a fulgure produci, ipsumque in imbrem solvi; vel potius, perspicue agnoscit, ea esse imbrium indicia. Denique Deus ventos e thesauris profert, quemadmodum Princeps arma ex armamentariis profert, ut hostes dejiciat dissiperque. Hinc Profani Æolum commenti sunt, ventus vastis in specubus coercentem (29):

Nimborumque facit, tempestatumque potentem.

℣. 17. STULTUS FACTUS EST OMNIS HOMO A SCIENTIA. Pictura & sculptura superstitioni maximopere servierunt (30). *Provexit ad horum culturam hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Multitudo hominum abducta per speciem operis; eum qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt*. Aliam tamen sententiam paritur Hebræus (31): *Stultus*, hebes ingenio, *factus est omnis homo, scientiæ defectu*. Imminentis mali metu adeo territi sunt Babylonii, ut ferme ignorarent ubi terrarum essent, aut quid consilii caperent.

℣. 20. COLLIDIS TU MIHI VASA BELLI. Tu malleus es, quo ego utar, ut spicula & arma comminuam. Hæc verba referri ad Cyrum queunt (32). Tu, Cyre, inquit Deus, malleus militaris futurus es mihi, quo capita hostium comminuam. Plerique tamen (33) de Chaldæis interpretantur: Babylon, tu mihi fuisti *malleus universæ terræ* (34): tu gentes ictibus fregisti, atque immani sub imperio oppressisti: tuæ jam vices ex ordine inceperunt: malleo & tu collideris: *Collidam in te gentes, disperdam in te Regna*. Cyrus ultionis meæ instrumentum est: is populos Regesque, qui hærent tibi, confringet. Septuaginta (35): *Dispergis tu mihi*, in me jacularis, in populum meum (36), *vasa belli*, arma. Syrus (37): *Para mihi vasa belli*. Chaldæus: *Dissipator tu es coram me, civitas, in qua sunt arma bellica*.

℣. 24. OMNE MALUM QUOD FECERUNT IN SION IN OCULIS VESTRIS. Sive: Intuentibus vobis, reddam Babyloni, &c.

℣. 25. ECCE EGO AD TE, MONS PESTIFER, Vel: Te hodie alloquor, in te minas torqueo, mons pestilens. His verbis Babylonem spectari, negat nemo; satisque omnes norunt, Babylonem in agro jacuisse. Cur *montem*, ac *pestiferum montem* nuncupat? Solemne Prophetis est, nomina rebus illorum naturæ contraria tribuere; at ita, ut ipsa orationis series rei veritatem aperiat. Ita Isaias XXII. 1. Jerosolymam nominat *vallem visionis*, pro *monte visionis*. Idem XX. 6. Judæam appellat *insulam*, veluti insulas remotam regionem profanam, quam negligis omnino Deus. Ipse idem XXI. 1. Babylonem *deserti maris* nomine donat, quamquam populo florentissimam, maximeque a mari remotam. At *maris* nomen aliqua illi ex parte conveniebat, aquarum, quibus cingebatur, multitudine; *deserti* vero appellatio ob solitudinem, ad quam olim redigenda erat. Ita interdum Prophetæ Judæos nuncupant *genus Chanaan* (38), & *Sodomæ* (39), flagitiorum causa. Judæos Jerosolymitanos alloquens Jeremias XXI. 13. nominat *habitatores vallis munitæ*. Quamobrem & dicendus est Propheta, per antiphrasim εἰρωνικῶς Babylonem dicere montem pestiferum; *montem*, quamquam in agro sitam; *pestiferum* ob flagitia, superstitionem, profanum cultum, quibus Imperium omne corrupit. Hebræus (40): *Mons perditionis*, ob cædem, ruinas, vastitatem, quas tam multis gentibus ac provinciis intulit. Septuaginta (41): *Mons corrupte, corrumpens universam terram*. Sunt qui censeant, hanc montis appellationem tribui Babyloni, vel ob Imperii magnitudinem & sublimitatem, vel ob ædium hortorumque pensilium, & fornicibus fultorum, magnificentiam; vel denique ob turrium mœniumque sublimitatem. At maxime omnium nobis probatur explicatio, primo loco dedimus.

EVOLVAM TE DE PETRIS, ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS. Tu neque inter montes, neque inter rupes numeraberis: deinceps neque arx, neque Metropolis appellaberis. Evellam te & evolvam ceu rupem e monte evulsam. Ignem in lucos tuos injiciam, in magnificas ædes, quibus gloriaris: atque montibus similis futura es, quos ignis exussit: nuda, sterilis, incendio absumpta, squalens. Hæc nonnisi diu post Cyrum contigere.

℣. 26. NON TOLLENT DE TE LAPIDEM IN ANGULUM, ET LAPIDEM IN FUNDAMENTA. Neque Regem neque Principem in pollarum ferea (42). Nullus jam Babylone Imperator, Rex aut absolutus Princeps egredietur. Profecto post Cyrum nemo deinde Babylonii Regis nomen usurpavit, ipsaque Babylon neque Persici neque Græci Imperii Princeps fuit. Illam Alexander Regni sedem sibi instaurare decreverat (43): præmatura tamen morte raptus, ea quæ meditatus fuerat, exsequi non potuit.

℣. 27. LEVATE SIGNUM IN TERRA . . . . SANCTIFICATE (parate) SUPER EAM GENTES (44); populos ad protectionem instruite, eligite. His verbis imperat Deus, ut ingens exercitus in Babylonem instruatur. Belli exordium a sacris, atque Religionis exercitationibus ducebatur: hinc *sanctificare bellum, sanctificare milites*.

ANNUNTIATE REGIBUS ARARAT. Arcam Noe sedisse legimus (45) *super montes Ararat*, quos S. Hieronymus reddidit, *montes Armeniæ*. Et in Commentario ad Isaiam XXXVII. ait, *Ararat* eam esse Armeniæ provinciam, quam Araxes mediam secat. Ajunt alii (46), montes Ararat montes esse Gordyæus; ac Reges Ararat esse Provinciam Carduenam, seu Gordyæam in Armenia. Apud Armenios urbs *Ariarath* invenitur.

MENNI, creditur Minyas provincia esse, ex qua nomen Armeniæ universæ. *Aram* Hebræis est homo Syrus, ex Aram ortus, cujus posteritas latissime porrecta est. *Aram Minai*, seu *Menai*, est Aramæus e *Menni*. Alii nomen Armeniæ ducunt ex *Har*, mons, & *Menai*, Syrus e Minyade. Minyados, provinciæ in Armenia, meminit Nicolaus Damascenus (47).

Asce-

[28] Εἰς φωνὴν ἔθετο πλῆθος ὕδατος ἐν οὐρανῷ. [29] Virgil. Æneid. 1. [30] Sap. XIV. 18. [31] נבער כל אדם מדעת [32] Grotius. [33] Sanct. Menoch. Tir. [34] Supra L. 23. [35] Διασκορπίζεις σύ μοι σκεύη πολέμου. [36] Ita Theodoret. [37] Syr. apud eumdem. Ἑτοίμασόν μοι σκεύη πολέμου. [38] Ezech. XVI. 3. [39] Isai. I. 10. Ezech. XVI. 46. & seq. [40] הנני אליך הר המשחית [41] Ὄρος τὸ διεφθαρμένον, τὸ διαφθεῖρον πᾶσαν τὴν γῆν. [42] Theodoret. hic, Chald. Grot. [43] Strabo lib. 15. [44] קדשו עליה גוים [45] Genes. VIII. 4. [46] Targum Jonath. in Genes. VIII. Beros. apud Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 4. Epiph. hæres. 18. &c. [47] Nicol. Damasc. apud Joseph. Antiq. lib. 1.

Ascanes, De hac regione satis fuse disputavimus in Commentariis ad Genesim x. 3. Post diuturna studia, denique colligi posse censemus, has gentes esse Ascanticos, circa Tanain (48).

Numerate contra eam Taphsar. Qui hoc nomine regionem sive provinciam significari ajunt, nihil adhuc certum de illius situ attulerunt. At plerisque nostrorum Interpretum (49) videtur eo nomine innui Princeps aliquis aut Satrapes; quo sensu legitur apud Nahum III. 17. Chaldæus: *Præparate contra eam populos bellatores*. Septuaginta (50): *Constituite contra eam jaculationes*, machinas. Syrus: *Accipite*, imparate, *contra eam exitium*.

Adducite equum quasi bruchum aculeatum, vel ex Hebræo (51): *Quasi locustam horripilantem*; vel, quasi formidabilem locustarum nubem. Aculeo quodam armatur locusta ad caudam, at innoxio. Sunt qui reddant *bruchum horripilantem*. At bruchus nihil habet, quod equitatus armati imaginem exhibeat: locustæ vero, in iis præsertim regionibus, ubi frequentes sunt, & confertæ in nubes volant, equitum turmam optime repræsentant. Septuaginta etiam Interpretes (52) immensam solummodo illarum multitudinem spectavere; idque ipsum a Propheta spectatum censeo.

℣. 28. Reges Mediæ. Cyrum toto hoc Capite passim sub nomine Regis Medorum designari, animadvertimus supra ℣. 11.

Duces ejus et universos Magistratus ejus. Priori nomine exercitus Duces & Præfecti forte significantur. Altera vox est *Sganim*, Magistratus nomen, apud Hebræos Scriptores, Imperio Assyriorum & Babyloniorum recentiores, veluti Esdram, Nehemiam, Danielem, Jeremiam, Ezechielem, notissimi. Ea voce utitur semel Isaias; nuspiam vero apud vetustiores legitur.

Contriti sunt vectes ejus, portarum Babylonis. Hostes primum per portas Babylonem non subiisse, sed per Euphratis alveum, jam diximus. Statim vero urbem ingressi, occupavere portas, earumque vectes confregere.

℣. 31. Currens obviam currenti veniet, et nuntius obvius nuntianti, Babylonis Regem moniturus, urbem captam esse universam. Ingens adeo erat Babylon, ut horas plures, postquam capta est, nondum satis vulgatum esset, hostem intra mœnia subiisse (53). Rex intra ædes clausus, cursores alterum post alterum mittebat, ut quid rei esset, disceret. Huc vult his verbis Jeremias. Qui Berosi narrationem sequuntur, ajunt, Nabonidum, cum Borsippum secessisset, cursores certatim misisse, ut certior fieret, quid rei ageret Cyrus. At ex Beroso minime videtur Babylon obsidentibus restitisse, fuso fugatoque Nabonido: statim Cyro cessit (54).

℣. 32. Vada præoccupata sunt, et paludes incensæ. Ita respondent cursores a Rege missi: Amnis vada seu alveum occupavit hostis, & urbem subiit. Qua arte id gestum fuerit, supra diximus: majorem aliquam difficultatem habent *paludes incensæ*. At statim nulloque negotio quivis intelligat, non paludis aquam, sed juncos & arundines in palude natas conflagrasse: quamobrem Hebræa vox (55) ab Interpretum plurimis redditur *Arundines*. Cum Cyri exercitus arentem pene Euphratem vidissent, arundinea, quibus ora vestiebatur, paludesque circa urbem implebantur, cremavere. Meminit hujus paludis Herodotus (56), eamque stadiis quadringentis & viginti in quadrum porrigi asserit. Narrat etiam fossas aquis plenas (57), quibus tota Urbs cingebatur. Ignis injectus est arundinibus, quo facilius exercitus ad mœnia accederet. Crematas arundines narrant Regi cursores, ut significent, omnes circa Babylonem aquas defecisse, nullaque jam arte Urbem ab hostium injuriis posse defendi. Cæterum hujusmodi arundines arborem æquasse magnitudine feruntur, atque invicti aggeris circa Urbem loco fuisse. Hordeum certe & frumentum in agro Babylonico adeo crescunt, ut folia ferant quatuor digitorum latitudine; & sesamum miliumque ad arborum proceritatem eriguntur (58). Hinc colligas, quam proceræ validæque ejusmodi arundines fuerint. Certe apud Indos arundines quædam ita ingentes esse narrantur, ut vix hominis unius amplexu cingi queant.

℣. 33. Filia Babylonis quasi area: tempus trituræ ejus. Redit ad familiarem sibi comparationem Jeremias. Ira interdum in hostes sæviebatur, ut frugibus in area similes haberentur, jumentorum pedibus, seu plaustris spinisve comminuti. Vide sævitiam, quam Gedeon in incolas Socoth exercuit (59), & David in Moabitas (60); & comparationis vim plane intelliges. Ab ea ætate, qua vaticinabatur Jeremias, usque ad captam a Cyro Babylonem, sex circiter & quinquaginta anni fluxere.

℣. 34. Absorbuit me quasi draco. Hebræa vox (61), quæ hic vertitur *Draco*, marinum monstrum, seu piscem fluvialem ingentem, ceu crocodilum, significat. Voracissimos pisces quosdam in lacubus ac fluviis esse, immani magnitudine, piscibus victitantes, satis constat, quorum aliqui vivos homines deglutiere. Pisces, contrario cæteris feris carnivoris more, prædam dentibus non terunt, sed integram vorant. Idem ferme de anguibus dicito. Cum vero angues piscium magnitudinem nunquam æquent, ita minorem prædam rapiunt; eorumque comparatio minus acriter exhibere videtur id quod vult Jeremias, scilicet Babylonis aviditatem, dum Israelem vorat.

℣. 35. Caro mea super Babylonem. Filiorum meorum cædes super Babylonem est. Hæc sunt Sionis verba. Jugulati atque oppressi cives vindictam in Babylonem rogant. Reddi Hebræus potest (62): *Furta*, vel *injuriæ*, *quas in me*, *meosque posteros exercuit*, *super Babylonem cadant*; *meusque sanguis super Chaldæos fluat*. Imprecandi formula est, aliari similis, quæ legitur in Psalmo CXXXVI. 8. *Filia Babylonis misera*, *beatus qui retribuet tibi retributionem*, *quam retribuisti nobis*.

℣. 36. Desertum faciam mare ejus, et siccabo venam ejus. Babylon in agro innumeris fossis diviso jacebat (63), inter aquas Euphratis, a quo media secabatur, & undique ambiebatur: inter Euphratis & Tigridis ramos, qui ex eo loco in plures fossas dispescebantur: atque hinc orta est maris appellatio, Babyloni passim data apud Scripturam (64). Idem ipse situs, in quo condita est Babylon, olim mare appellabatur, ob aquarum multitudinem (65). Cyrus deducto in fossas Euphrate ea arte, quam supra narravimus, omnem hujus vaticinii fidem explevit. Babylonis mare exaruit; multisque ab hinc sæculis Euphrates in paludes ac deserta influit; adeo ut in mare non devolvatur (66). Sunt qui Jeremiæ verba allegorice usurpent. *Mare ejus* incolarum multitudinem significat; *vena* Regem. Aliter, mare est Babylonis commercium: Omnia ego commercium abs te

(48) Plin. lib. 6. c. 7. (49) Pagn. Mont. Munst. Pisc. Jun. Castal. Vat. Grot. (50) Ἐπιστήσατε ἐπ' αὐτὴν βελοστάσεις. (51) העלו סוס כילק סמר (52) Ἀναβιβάσατε ἐπ' αὐτὴν ἵππους ὡς ἀκρίδων πλῆθος. (53) Herodot. lib. 1. c. 191. Aristot. lib. 3. Politic. lib. 3. cap. 3. Vide sup. ℣. 9. (54) Vide Joseph. lib. 1 contra Appion. (55) ואת האגמים שרפו (56) Herodot. lib. 1. c. 185. (57) Idem lib. 1. c. 178. (58) Idem lib. 1. c. 193. (59) Judic. VIII. 16. (60) 2. Reg. XII. 31. (61) בלעני כתנין (62) חמסי ושארי על בבל . . . ודמי אל ישבי כשדים (63) Herodot. lib. 1. c. 191. Vide & Psal. CXXXVI. 1. (64) Isai. XXI. 1. Jerem. LI. 42. (65) Abyden. apud Euseb. præp. l. 9. cap. 41. (66) Plin. lib. 7. cap. 27. Cellar. Geograph. Antiq. lib. 3. c. 16.

te cessare jubebo: opum tuatum fontem omnino arefaciam. Profecto derivato in paludes Euphrate, atque adeo imminuto, Babylonis commercium, navibus e Sinu Persico venientibus florens, prorsus desiit.

℣. 37. Erit Babylon in tumulos: habitatio draconum. Similes hisce locutiones supra explicatas vide, capite L. 39. & in Isaia XIII. 21. Sexcentis amplius supra millenos annis vetus Babylon suis sub ruinis jacet, ferarumque & anguium latibulum est.

℣. 38. Simul ut leones rugient. Babylonii rugitus ob furorem edent, instar leonum; irati comam hispidam facient, eamque superbiam & iram ore præferent, quam hactenus in populos omnes exhibuere. At quo tempore maxime superbia & furore sævierint, ac libidini & ebrietati operam dederint, sanguinem cædemque anhelantes; illos Deus furoris sui calice proluet, ebrios efficiet, æternoque somno sepeliet (℣. 39.) *Inebriabo eos, ut dormiant somnum sempiternum*. Narrat Daniel (67), eadem nocte interfectum esse Balthasarem, qua is libidini vinoque indulgebat: ac teste Herodoto (68), Babylon capta est, cum Babylonii festum diem agitarent, omnisque populus voluptatibus solatiisque studeret.

℣. 41. Quomodo capta est Sesac. Sesac perspicue hic Babylonem significat. Cur vero id nominis Babyloni? Fortasse ob Sesac Deam, quæ ibi colebatur. Alibi demonstrare conati sumus (69), Sesac Lunam esse vel Dianam, quæ sub eo nomine in urbe agroque Babylonio adorabatur. Ait hic Scriptura, captam esse Sesac, uti Nabo confractum esse, Bel probro obrutum, superatum Merodach, supra docuit (70). Singulis hisce nominibus una eademque Babylon innuitur, ex Numinum suorum nominibus significata.

℣. 42. Ascendit super Babylonem mare. Exercitus passim cum alluvionibus comparantur (71). Cyri copiæ in Babylonem ejusque agrum inundavere, ceu mare tellurem obruit. Usurpari etiam ad verbum potest: Babylon universa lacus & stagnum fier, Clausæ Euphratis aquæ, impedito illarum cursu, in agro subsidunt, eumque mari similem efficiunt. Ab ipsa Magni Alexandri ætate, ingentes erant prope Babylonem lacus, regionem latissime occupantes, quibus plura veterum Regum sepulcra obruebantur (72). Deserta Babylone, neglectaque fossarum Euphratis cura, longe majus excidium aquæ peperere: adeo ut minitetur Isaias (73) fore, ut Babylonis ager nautarum, & eorum qui lintres agunt, domicilium fiat, atque hi in ejus loci insulis sedes ponant.

℣. 44. Visitabo super Bel, et ejiciam quod absorbuerat, de ore ejus. Bel, uti neminem latet, præcipuus erat Babyloniorum Deus. Carnes paratæ coctæque illi quotidie exhiberi solebant, easque comesturus singulis noctibus in Templum descendere credebatur. Testis ejus rei Daniel (74). Addit Herodotus (75), mulierem unam, a Sacerdotibus veluti Deo jubente selectam, in secretissima Templi Beli parte singulis noctibus claudi, quasi Belo cum illa noctem acturo. Belum igitur alloquitur Jeremias ceu potu ciboque gaudentem, ac minitatur fore ut vomere illum cogat, populosque quodammodo voratos, durissimaque servitute intra Babylonem coercitos, dimittere. His verbis potissimum spectantur Israelitæ, uti ex ℣. sequenti: *Egredimini de medio ejus, populus meus, &c.* Romana LXX. Interpretum Editio omnia omittit a ℣. 44. usque ad 50.

℣. 46. Ne forte mollescat cor vestrum. Hebræos alloquitur. Ne terreamini tumultibus rerumque conversionibus, quæ Babyloni contingent. Imperium universum periturum fore videbitur, mitcenda esse omnia tumultu ac turbis, vestraque ipsorum conditio in deterius ruitura: nihil tamen vos terreat, hæc enim potius felicitatis ac libertatis vestræ signa & initia futura sunt. Balthasar, e Nabuchodonosoris familia supremus, in convivio interficietur (76), illumque Darius Medus excipiet. Eodem tempore Tyranoi plures Babylonem occupare conabuntur: Neriglissor, sororis Balthasari vir, qui Balthasarum neci dabit, tum Laborosoarchodus & Nabonidus (77). Hunc superabit & capiet Cyrus, a quo vetus Imperium Assyriorum, Medorum & Chaldæorum sub unam ipsius ditionem cogendum est. Cyrus porro vos in libertatem restituet.

Veniet in anno auditio (rumor), et post hunc annum auditio: et iniquitas in terra, et dominator super dominatorem. Luculentius certe describi non poterat tumultus rerumque turbatio, quæ Babylonem susdeque verterunt, Balthasaro interfecto. Superbus hic & libidinosus Princeps a Neriglissore, sororis viro interfectus est, post duos Regni annos (78): atque ipse Neriglissor vix quatuor annis Regnum tenuit, relicto hærede Laborosoarchodo adhuc puero, quem novem mensibus imperare passi sunt Babylonii: ardemum veriti ferox illius ingenium, quod puer præseferebat, illum sui necavere; junctisque animis & consiliis, Nabonidum Babylonium civem Regem creavere. Nabonido imperante, anno Regni illius decimo septimo, Cyrus arma in Baylonem movit. Hæc discimus ex Beroso. At Daniel Darium Medum Balthasaro successisse tradit; Darium Cyrus excepit. Hæc tamen procella, Imperio Chaldæorum imminens, diu expectata est, longoque tempore cives terruit: atque his rumores bellicosque apparatus spectat hoc loco Jeremias.

℣. 47. Visitabo super sculptilia Babylonis. Judicium in Belum, Sesacum, Merodachum, Nabo exercebo. Vide Jeremiam L. 2. LI. 44. 52. & Isaiam XLVI. 1. Lege etiam minas in Ægyptios, Moabiticos, & Ammoniticos Deos supra ab Jeremia pronunciatas. Addit Jeremias, omnes Babylonis filios in media urbe casuros, vulneribus confectos. Hebræus (79): *Omnes saltatores ejus in medio illius cadent*. Certe Babylon capta est, quo tempore populus choreis ludisque indulgebat.

℣. 48. Laudabunt super Babylonem Coeli et terra. Cum illius flagitia & scelera viderint; vindictam, quam in illam exercuero, hilares intuebuntur. Par erit vindicta flagitiis: quamobrem cum hæc publica sint & gravissima, formidabilis & perspicua futura est pœna.

Ab aquilone venient ei prædones, vel ex Hebræo (80), *vastatores*, destructores, Cyrum ejusque copias significat.

℣. 50. Qui fugistis gladium, venite: recordamini procul Domini. Israelitæ, qui e Chaldæorum injuriis, relicta Babylone, elapsi estis, fugam maturate: Sionem consulite, ut Dei vestri decora celebretis. Vel (81): Israelitæ, gentesque remotissimæ, quæ Babyloniorum furias vitastis, Sionem confugite, Deoque gratias agite ob libertatem. Vel denique; Dei, quem in diuturna captivitate obliti estis, reminiscimini.

℣. 53. Si ascenderit Babylon in Coelum... a me venient vastatores ejus. Frustra Babylon turres ac mœnia ad Cœlum usque producit: fru-

(67) Dan. v. 30. *Eadem nocte interfectus est Rex Balthasar*. (68) Herodot. lib. 1. cap. 191. Vide & Xenophon lib. 7. Cyropæd. (69) In Jerem. XXV. 26. (70) Vide Jerem. L. 2. LI. 44. Isai. XLVI. 1. (71) Vide Isai. VIII. 8. XVII. 13. XXVIII. 15. &c. (72) Strabo lib. 15. pag. 509. Appian. Syriac. (73) Isai. XIII. 21. Vide & Strab. lib. 15. pag. 509. (74) Dan. XIV. 2. & seq. (75) Herodot. lib. 1. cap. 181. (76) Dan. v. 30. (77) Berosus apud Joseph. lib. 1. contra Appion. pag. 1045. (78) Beros. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. p. 1045. (79) כל חלליה יפלו בתוכה (80) כי מצפון יבוא לה השודדים (81) Septuag. ἀνασῳζόμενοι ἀπὸ ῥομφαίας . . . , Μνήσθητε οἱ μακρόθεν τοῦ κυρίου. Hebræus זכרו מרחוק את יהוה

frustra fossis ac paludibus cingitur: hostes in illam mittet Deus, qui mœnia evertant, omnesque illius artes inanissimas efficiant, Similes locutiones vide in Idumæam (6) & Moabitas (7).

Ỳ. 55. PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM; confusas populi voces ex ea cessare jubebit; vel superba, atque arrogantia verba, & minarum plena; vel denique, lætos clamores, quales in festis lætisque conventibus usurpantur.

SONABUNT FLUCTUS EORUM QUASI AQUÆ MULTÆ. Vel: Pro lætis clamoribus, quibus olim omnia implebant, faciam ut triste sonent, ceu fluctus, cum ad scopulum alliduntur; tristi ingratoque fremitu, gemitibus magis simili, quam vocibus lætis. Septuaginta totum versiculum simul jungunt (8): *Perdidit ex ea vocem magnam, sonantem ut aquas multas.*

Ỳ. 57. INEBRIABO PRINCIPES EJUS. Furoris mei calicem illis propinabo. Vide supra Ỳ. 39. & XXV. 26.

Ỳ. 58. MURUS BABYLONIS ILLE LATISSIMUS SUFFOSSIONE SUFFODIETUR. Babylonis mœnia inter Universi prodigia recensebantur. Quamquam non satis constat inter Scriptores, quæ fuerit eorum mœnium sublimitas, latitudo & extensio, singuli tamen ea dicunt, quæ nobilem satis illorum imaginem animo exhibent. Mœnium circuitus stadia octoginta & quadringenta habebat, ex Herodoto (9), Apollonio, Plinio (10); scilicet, passuum millia septem & quinquaginta, & passus sexcentos, sive leucas tres & viginti, & passus centum, passibus bis mille & quingentis in singulas numeratis; Ctesias stadia tantummodo trecenta & sexaginta; Clitarchus (11) trecenta & sexaginta quinque; Q. Curtius (12) trecenta & sexaginta & octo; Strabo (13) trecenta octoginta & quinque; Dio Cassius quadringenta numerant. Crassitudine pedes duos & triginta æquabat, ex Strabone & Q. Curtio; quinquagenos illis pedes tribuit Plinius, addens, Babylonicum pedem tribus pollicibus pedem Romanum superare. Scribendum tamen erat, cubitum, non pedem, cum Herodoti verba describas, luculentissime ferentis hunc quinquaginta cubitorum numerum, addita animadversione, quam Plinius in Romanum pedem male contulit; Regium scilicet Babylonicum cubitum tribus pollicibus communi cubito esse majorem; constantem scilicet pollicibus viginti, aut uno amplius, Asserunt nonnulli, mœnium latitudinem adeo patuisse, ut sca una fronte currus commode incederent. Currus tres alii ferunt; alii duos (14). Cubitis ducentis in altum porrigebantur, authore Herodoto, vel ducentis pedibus, ex Plinio, Solino & Strabone. Hæc erant Babylonis mœnia. Exteriorem Babylonis murum dejecit Cyrus (15); triplici enim, ut ajunt, mœnium lorica ea urbs cingebantur (16). Darius Hystaspis filius omnes urbis portas dejecit, & muros evertit (17). Ita vaticinii Jeremiæ in Babylonem fides expleta est.

PORTÆ EJUS EXCELSÆ IGNI COMBURENTUR. Æreæ centum portæ Babyloni erant, æreis cardinibus liminibusque superioribus instructæ (18). Portas halce, uti diximus, Darius Hystaspis evertit.

LABORES POPULORUM AD NIHILUM. Nobilissima ea opera, quibus Babylon gloriabatur, gentium a Chaldæis devictarum labore structa fuere. Veteres quidam tradidere, ingenti adeo operarum numero Babylonis mœnia structa fuisse, ut *singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse, memoriæ proditum sit*, inquit Q. Curtius, libro v. Stadium passus centum viginti & quinque habet; operarum numerus ducenta millia æquabat; quamobrem totum opus uno paulo amplius anno absolutum est. Abydenus, qui triplicem mœnium loricam Babyloni tribuit, omnino præter fidem asserit, quindecim diebus mirificum plane opus surrexisse. Hujus narrationem explicare opus est ex Beroso, qui Regias Babylonis ædes quindecim dierum labore fuisse constructas narrat.

Ỳ. 59. VERBUM QUOD PRÆCEPIT JEREMIAS SARAIÆ ... CUM PERGERET CUM SEDECIA IN BABYLONEM. Docent Hebræi (19), Sedeciam quarto Regni anno Babylonem esse profectum, ut Nabuchodonosorem salutaret, ejusque amicitiam coleret. Sententiam hanc interpretes bene multi sequuntur, quamquam non satis certam, cum nihil hac de re alibi tradat Scriptura, atque hic locus commoda ex Hebræo reddi queat (20): *Verbum quod præcepit Jeremias Saraiæ, cum is proficisceretur a Sedecia Rege Juda* missus *Babylonem*. Ita explicant Septuaginta, Græci, Chaldæus, Grotius, Junius, aliique nonnulli. Itineris comitem fuisse censemus Baruchum Saraiæ fratrem, atque Jeremiæ literas detulisse ad Judæos in ea regione captivos, ipsorum solatio. Præcipua profectionis causa ea fuerat, ut sacra Templi vasa, tunc rapta, cum Jechonias ductus est captivus a Nabuchodonosore, postularent. Vide Baruch 1. 2. 3.

IN ANNO QUARTO REGNI EJUS. Quartus Regni Sedeciæ annus competit in initium anni quinti captivitatis Jechoniæ, qui Sedeciæ præcessit; cujus anni nota Baruch inscripsit literas, quas Judæorum captivorum nomine dedit, cum Babylone versaretur (21).

SARAIAS ERAT PRINCEPS PROPHETIÆ, Legationis, a Sedecia missæ, ut sacra vasa reposceret. Huic creditum erat negotium, verba Regis nomine faciendi. Hebræus (22): *Saraias Princeps Menuchah*. Hujus nominis provincia sive urbs apud Beniamitas erat (23). Sunt qui reddant (24): *Princeps quietis*; quasi Regii cubiculi seu lecti custodia commissa fuerit Saraiæ; cujus muneris meminere Cantica (25): *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel . . . Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*, Censent alii, Saraiam Regis amicitia magnopere usum esse, ac Regis solatio atque oblectationi servisse. Plerique vertunt (26): *Princeps munerum*, scilicet rerum sponte oblatarum; id quod variis modis explicatur. Quidam enim ferunt: Princeps, vel Procurator munerum, seu tributorum, quæ Regi deferebantur. Alii: *Comes sacrarum largitionum*. Denique: Princeps munerum, quæ Rex in Templum deferebat. Victimis præerat, cæterisque rebus, quas Rex in usum sacrificiorum suppeditabat. Hoc tamen loco multo aptius dici videtur, tradita fuisse Saraiæ a Sedecia munera & tributa, Nabuchodonosori offerenda; ipsiusque muneris fuisse, illa Nabuchodonosori exhibere, eaque opportunitate usum, sacra vasa reposcere. Hæc explicatio cum Vulgata convenit; *Princeps* enim *prophetiæ* hoc loco idem est ac Princeps legationis, Orator.

Mirum profecto est, cur Jeremias Baruchi non me-

(6) Abdias Ỳ. 4. Jerem. XLIX. 12. (7) Jerem. XLVIII. 7. 8. 18. (8) Ἀπώλεσεν ἐξ αὐτῆς φωνὴν μεγάλην, ἠχοῦσαν ὡς ὕδατα πολλά. (9) Herodot. l. 1. c. 178. (10) Plin. l. 2. c. 26. (11) Clitarch. & Ctesias apud Diodor. l. 2. Biblioth. (12) Quint. Curt. l. 5. (13) Strabo l. 16. (14) Vide Tzetzen, Chiliad. IX. v. Ctesias apud Diodor. lib. 2. (15) Beros. apud Joseph. contra Appion. lib. 1. pag. 1045. (16) Vide Q. Curt. lib. 5. (17) Herodot. lib. 3. cap. 156. (18) Herodot. lib. 1. cap. 179. (19) Ita Hebræi in Seder-Olam, Syr. Mont. Pagn. Vat. Munst. Castal. Anglic. Tigur. Maldonat. Castr. Sanct. (20) הדבר אשר צוה ירמיהו את שריה בלכתו את צדקיהו מלך יהודה בבל Particula את interdum ita usurpatur, quasi esset מאת. Vide Genes. IV. 1. XLIV. 4. XLIX. 25. Exod. IX. 29. &c. (21) Baruch 1. 2. (22) ושריה שר מנוחה (23) 1. Par. II. 52. 54. & VIII. 2. (24) Castal. quidam in Mariana. Syr. *Princeps militiæ*. (25) Cant. III. 8. (26) Ita Septuag. Καὶ Σαραίας ἄρχων δώρων. Chald. רב תוקרבה Quasi legant מנחה *Minche*, pro מנוחה *Menuchah*.

meminerit, quamquam in certe cum fratre Saraia Babylonicum iter suscepit (27). At fortasse proficiscendi cum Saraia facultas Barucho data est aliquo tempore, postquam Jeremias mandatis oneraverat Saraiam. Cæterum quod Saraias oneratus fuerit mandatis a Jeremia, id minime prohibet, quin alia Barucho dederit Jeremias. Duo hæc non pugnant. Fieri enim potuit, ut literæ Barucho datæ, Saraiæ legationis Principi commendarentur.

Ỳ. 63. CUMQUE COMPLEVERIS LEGERE LIBRUM ISTUM, LIGABIS EUM AD LAPIDEM, ET PROJICIES IN MEDIUM EUPHRATEM; quasi eo indicio demonstrares, Babylonem olim aquis obruendam fore, ac penitus ex hominum conspectu perituram, uti epistola in Euphratem projecta. In Apocalypsi, XVIII. 21. *Sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna, & ultra non invenietur.* Narrat Herodotus (28), Phocæenses, patria relicta, ut sedes in Cyrnum transferrent, terribili jurejurando sese obstrinxisse, nunquam se in relictas sedes reversuros; peractisque sacramentis & execrationibus, ignitum ferrum in mare mersisse, atque jurasse, ferrum illud e mari emersurum potius quam ipsi in Phocæam redirent.

Ỳ. 64. HUCUSQUE VERBA JEREMIÆ. Ita clauditur Jeremiæ Liber. Hæc verba addidere Vaticiniorum Jeremiæ Collectores, non ipse Jeremias. Vaticinium in Babylonem in Collectione Scriptorum Jeremiæ postremum est; minime tamen ex temporum ordine. Plura enim hoc recentiora esse, jam vidimus; cum hæc epistola ad quartum Sedeciæ annum pertineat; & Jeremias Oracula Jerosolymis fuderit usque ad urbis expugnationem; & expugnata etiam urbe, tum in Judæa, tum in Ægypto vaticinatus sit. Septuaginta Interpretum Codices, apud quos vaticiniorum ordo ex temporum serie servatus est, hunc finem non habent; hoc enim Caput apud illos vigesimum octavum est, non postremum.

(27) Vide Baruch 1. 1. & Jerem. XXXII. 12. ubi Scriptura eosdem Barucho parentes avosque tribuit ac Saraiæ; quamobrem fratres fuisse videntur. (28) Herodot. lib. 1. c. 165.

C A P U T LII.

Jerosolymæ obsidio & expugnatio. Urbs Templumque cremantur. Sedecias oculis orbatus, in vincula datur, Babylonem ducendus. Joachin, post septem & triginta carceris annos, in libertatem restituitur.

Ỳ. 1. Filius viginti, & unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpisset: & undecim
annis regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ de
Lobna. 2. Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia, quæ fecerat Joakim.
3. Quoniam furor Domini erat in Jerusalem, & in Juda, usquequo projiceret eos a
facie sua, & recessit Sedecias a rege Babylonis. 4. Factum est autem in anno nono
regni ejus, in mense decimo, decima mensis: Venit Nabuchodonosor rex Babylonis,
ipse, & omnis exercitus ejus, adversus Jerusalem, & obsederunt eam, & ædificaverunt
contra eam munitiones in circuitu. 5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum
annum regis Sedeciæ. 6. Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames
civitatem: & non erant alimenta populo terræ. 7. Et dirupta est civitas, & omnes
viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ, quæ est
inter duos muros, & ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro)
& abierunt per viam, quæ ducit in eremum. 8. Persecutus est autem Chaldæorum
exercitus regem: & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est juxta Jericho; &
omnis comitatus ejus diffugit ab eo. 9. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt
eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: & locutus est
ad eum judicia. 10. Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus: sed &
omnes principes Juda occidit in Reblatha. 11. Et oculos Sedeciæ eruit, & vinxit
eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in
domo carceris usque ad diem mortis ejus. 12. In mense autem quinto, decima
mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardan
princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem. 13. Et incendit
domum Domini, & domum regis, & omnes domos Jerusalem, & omnem domum
magnam igni combussit. 14. Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit
cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ. 15. De pauperibus
autem populi, & de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, & de perfugis,
qui transfugerant ad regem Babylonis, & cæteros de multitudine, transtulit
Nabuzardan princeps militiæ. 16. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan
princeps militiæ vinitores, & agricolas. 17. Columnas quoque æreas, quæ erant in
domo Domini, & bases, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt.

Chal-

Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem. 18. Et lebetes, & creagras,
& psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fue-
rant, tulerunt. 19. Et hydrias, & thymiamateria, & urceos, & pelves, & cande-
labra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea; & quotquot argentea, argen-
tea, tulit magister militiæ: 20. Et columnas duas, & mare unum, & vitulos duo-
decim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini:
non erat pondus æris omnium horum vasorum. 21. De columnis autem decem &
octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circui-
bat eam: porro grossitudo ejus quatuor digitorum, & intrinsecus cava erat. 22. Et
capitella super utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retia-
cula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ se-
cundæ, & malogranata. 23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: &
omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur. 24. Et tulit magister militiæ
Sarajam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres custodes
vestibuli. 25. Et de civitate tulit Eunuchum unum, qui erat præpositus super viros
bellatores: & septem viros de his, qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in ci-
vitate; & scribam principem militum, qui probabat tyrones: & septuaginta viros
de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis. 26. Tulit autem eos Nabu-
zardan magister militiæ, & duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha. 27. Et per-
cussit eos rex Babylonis; & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & transla-
tus est Juda de terra sua. 28. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor:
In anno septimo, Judæos tria millia, & viginti tres: 29. In anno octavodecimo
Nabuchodonosor de Jerusalem animas octingentas triginta duas: 30. In anno vige-
simo tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæo-
rum septingentas quadraginta quinque: omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ.
31. Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Joachim regis Juda,
duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis,
ipso anno regni sui, caput Joakim regis Juda, & eduxit eum de domo carceris.
32. Et locutus est cum eo bona, & posuit thronum ejus super thronos regum,
qui erant post se in Babylone. 33. Et mutavit vestimenta carceris ejus, & come-
debat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ: 34. Et cibaria ejus, ciba-
ria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem
mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

℣. 1. **F**ILIUS VIGINTI ET UNIUS ANNI ERAT SEDE-CIAS. Nihil ferme continet hoc Caput, nisi rerum gestarum narrationem, quæ in quarto Regum Libro deducta est, Capite xxiv. a ℣. 18. & Capite xxv. usque ad ℣. 25. Levia quædam tantummodo hic discrimina occurrunt, quæ frustra in Regum libris quæras. Hæc nos levi brachio percurremus, cum satis in Libris Regum expenderimus.

Merito ambigunt nonnulli (1), utrum Caput hoc alterum & quinquagesimum conscripserit Jeremias. Joakimi libertas (2), quæ sub initium Evilmerodachi contigit, omnino ignorari debuit a Jeremia, cum eo tempore jam vita functus esset. Certe si scripsisset Jeremias, iisdem ne verbis usus fuisset, quibus in quarto Regum Libro hæc narrantur? at si utrumque literis mandasset, hæc ne discrimina, quæ legimus, reliquisset? Multo igitur veri simillimum est, narrationem, quæ hic legitur, quæque vaticiniorum, ad Jerosolymæ ruinam pertinentium, explicatio est, & sequentium lamentationum procemium, ab Esdra, aliove Scriptorum Jeremiæ Collectore, adjectam esse. Quemadmodum ferme in Isaia addita sunt Capita xxxvi. xxxvii. & pars Capitis xxxviii. ex quarto Regum xviii. xix. quibus Isaiæ vaticinia in Sennacheribum explicantur.

℣. 3. RECESSIT (3). Cum integerrimam jurejurando promisisset Sedecias Nabuchodonosoris fidem ac servitutem, quamquam tantummodo perjurus, gravissimi tamen criminis reus Deo erat.

℣. 4. ÆDIFICAVERUNT CONTRA EAM MUNITIONES. Jerosolymam fossis mœnibusque lapideis circumdedit, ex Septuaginta (4). Solebant ea ætate obsessæ urbes fossis ac mœnibus cingi.

℣. 6. MENSE AUTEM QUARTO. Hæc temporis nota in quarto Regum Libro non legitur (5), sed tantum *nona die mensis*, omisso mensis nomine.

℣. 11. IN DOMO CARCERIS. Hebræus (6): *In domo visitationum*, vel *inquisitionum*, seu *magistratuum*. Chaldæus (7): *In domo vinctorum*. Septuaginta (8): *In domum pistrini*. In vincula dabantur servi, carcere clausi, ut molam torquerent. Ita sævitum est in Samsonem, erutis prius illi oculis (9). Hoc in quarto Regum omittitur (10).

℣. 12. IN MENSE QUINTO, DECIMA MENSIS, Nabuzardan Templum cremavit, &c. Quartus Regum (11) narrat, *septima die mensis decimi* Nabuzardanum venisse Jerosolymam, urbemque ac Templum cremasse. Ut hoc discrimen concilietur, ajunt, Nabuzardanum septima die mensis, Reblata discessisse, ac decima venisse Jerosolymam. Id tamen fieri nequit, ob locorum distantiam. Reblata abesse debuit ab Jerosolyma leucis sexa-

[1] Vide Grotium hic. [2] Hic, LII. ℣. 31. [3] Heb. וימרד Septuag. Ἀπέστη. [4] Ὠκοδόμησαν ἐπ' αὐτὴν περίτειχον πυλαῖς. Edit. Rom. Τετραπέδοις λίθοις κύκλῳ Heb. ויבנו עליה דיק סביב [5] 4. Reg. xxv. 3. [6] בבית הפקדות [7] Chald. בבית הסירי [8] Septuag. Εἰς οἰκίαν μύλωνος. [9] Judic. xvi. 21. [10] 4. Reg. xxv. 7. [11] 4. Reg. xxv. 8.

sexaginta, quarum singulæ unius horæ iter continerent. Aliis placet (12), illum Jerosolymam venisse die septima mensis decimi; at mandata non explevisse nisi decima die, postquam Templum domosque expilavit.

℣. 15. DE PAUPERIBUS POPULI, ET DE RELIQUO VULGO, &c. *Pauperum* non meminit Regum locus (13), his verbis respondens, eosque tantummodo nominat sequenti ℣. qui omnino similis est ℣. 16. hujus Capitis; Pugnare autem secum videtur, cum pauperes Babylonem ductos narrat ℣. 15. postquam relictos a Nabuzardano in Judæa pauperes asserit ℣. 16. ut agrum ac tellurem exercerent. Responde, duplex hic pauperum genus esse distinguendum; alterum agrestium, alterum urbanorum. Quicquid hominum nactus est in urbe, indiscriminatim rapuit Nabuzardan; relictis iis, quos in agris pagisque invenit, ne regio penitus deserta & inculta squalleret.

℣℣. 17. & 18. Vide quæ de harum vocum Hebræarum significatione diximus in 4. *Reg.* xxv. 14. 15.

℣. 20. VITULOS DUODECIM, QUI ERANT SUB BASIBUS maris ænei. Reddi potest Hebræus (14): *Vitulos duodecim qui erant bases*, vel fulcra maris ænei. Putant alii, supplendum esse aliquid: *Mare unum, & vitulos duodecim, qui erant sub mari, & bases* pollubrorum, *quas fecerat Salomon*.

℣. 21. DECEM ET OCTO CUBITI ALTITUDINIS ERANT IN COLUMNA UNA. Ajunt Paralipomena (15), quinque & triginta cubitos proceritate æquasse. Vide, quæ diximus in 4. *Reg.* xxv. 17. ut utrum, que locum conciliaremus.

GROSSITUDO EJUS QUATUOR DIGITORUM. Vacua intus erat columna; ipsum vero æs columnæ digitos quatuor æquabat.

℣. 23. FUERUNT MALOGRANATA NONAGINTA SEX DEPENDENTIA; ET OMNIA MALOGRANATA CENTUM. Si columnæ capitellum forma quadratum ponis, quatuor erant punica mala, singula in singulis angulis, minime pendentia, totique capitelli corpori hærentia: quamobrem totus simul omnium numerus centena referebat; at sex & nonaginta pendebant. Si vero teretem capitellorum formam fuisse putas, dicito, quatuor tantummodo punica mala inter columnam ac parietem latuisse, cæteris circa capitellum perspicuis.

℣. 24. SOPHONIAM SACERDOTEM SECUNDUM, Pontificis Vicarium, vel Sacerdotum Principem, sive Templi Præfectum, prima post Sacerdotem summum dignitate gaudentem.

℣. 25. SEPTEM VIROS DE EIS, QUI VIDEBANT FACIEM REGIS. Quinque solummodo in Libris Regum (16) numerantur. Emendatior tamen esse hic locus videtur, Septem virorum numerum. Regi semper præsentium, ex Chaldæorum Regibus imitati sunt, apud quos sacer erat septenorum numerus, ut Principes Regiæ Domus Eunuchos, significaret. Hos luculentissime descriptos legimus in Esther (17). Hunc Orientalium Regum morem spectat Angelus Raphael, ubi Tobiam (18) alloquens, sese unum esse ait e septem Principibus inter Angelos, qui Deo nullo non tempore adsunt.

SCRIBAM PRINCIPEM MILITUM, QUI PROBABAT TYRONES (19); qui tyrones docebat, penes quem census militum erat; denique, qui milites in professionem instruebat, ex Principis jussu. In quarto Regum (20) S. Hieronymus vertit: *Et Sopher Principem exercitus*, quasi *Sopher* hominis nomen fuerit, non muneris & Magistratus.

℣. 28. IN ANNO SEPTIMO Regni Nabuchodonosoris, qui supremus erat Joakimi Regis Juda, Nabuchodonosor Chaldeorum, Syrorum, Moabitarum, atque Ammonitarum copias in Joakimum misit, qui vastata Judæa, tres & viginti supra tria mille captivos abduxere. Vide 4. *Reg.* xxiv. 2. (21). Hunc duosque sequentes versiculos non habet quartus Regum; & Romana LXX. Interpretum editio hoc loco non fert: habet vero Complutensis Editio, legebatque in suis codicibus Theodoretus.

℣. 29. IN ANNO OCTAVO DECIMO NABUCHODONOSOR, vel initio deciminoni. Vide supra, ℣. 12. & 4. *Reg.* xxv. 8.

℣. 31. ELEVAVIT EVILMERODACH IPSO ANNO REGNI SUI, CAPUT JOAKIN. Creditur Evilmerodach amicitias iniisse cum Joakino, vel Jechonia; cum ipse Nabuchodonosoris jussu eodem, quo ille, carcere clauderetur. Carcerem subiit Jechonias septem & triginta annorum spatio; cumque annos natus decem & octo datus fuerit in vincula (22); necesse est, illum quinque & quinquaginta ætatis annos tunc numerasse. Hæc a Jeremia scribi non potuisse videntur, cum eo usque vitam producere non potuerit.

VIGESIMAQUINTA MENSIS. Regum Libri ferunt *vigesimamseptimam* (23). Fortasse Nabuchodonosor die vigesimaquinta obiit; statimque Evilmerodach Jechoniam in libertatem restituere decrevit; quamquam libertas dilata est ad diem vigesimam septimam.

℣. 32. SUPER THRONOS REGUM cæterorum, qui Evilmerodacho subditi, apud ipsum erant. Regum Orientalium ambitio eo potissimum gloriabatur, ut Reges plurimos superatos subditosque apud se haberent.

---

[12] Usser. ad an. M. 3416. [13] 4. Reg. xxv. 11.
[14] הבקר שנים עשר נחשת אשר תחת המכנות [15] 2. Paralip. iii. 15. [16] 4. Reg. xxv. 19.
[17] Esther 1. 10. [18] Tob. xii. 15. [19] את ספר שר הצבא [20] 4. Reg. xxv. 19.
[21] Usser. ad an. M. 3404. [22] 4. Reg. xxiv. 8. [23] 4. Reg. xxv. 27.

Finis Commentarii in Jeremiam.

IN

IN LAMENTATIONES JEREMIÆ PROLEGOMENON.



Olemne erat Hebræis, ut in funere amplissimorum virorum, Principum, & Heroum, quorum clarissimum erat in rebus bellicis nomen, funebria carmina pangerent; cujus generis quædam in Scriptura adhuc leguntur, uti Canticum in funere Abneri (1), alterum in funere Jonathæ (2). Quin & collectio funebrium carminum adornata apparet ex secundo Paralipomenon, xxxv. 25. *Ecce scriptum fertur in Lamentationibus*. Neque tantum luctus agebantur in funere amplissimorum virorum: quin & tetrico hoc carminum genere luxisse casum & vices Urbium, gentium, & Principum, etiam externorum, Prophetæ videntur. Ita funebri Cantico lugent Isaias (3), Jeremias (4), & Ezechiel (5) excidium Ægypti, Tyri, Sidonis, Babylonis, &c. Raro etiam contingit, ut eversionem magnæ alicujus gentis prænuncient, quin simul funebri aliquo Carmine luctum agant, eodem tempore ventura mala prænunciantes, & tanquam jam impleta lugentes.

Porro Jeremiæ Lamentationes fletus sunt viri sanctissimi, quo vices Jerosolymæ prosequitur. Cum vero multiplici malorum casu Urbs illa Jeremiæ ætate jactata fuerit, quo tempore, & qua potissimum occasione Lamentationes scriptæ sint, ambigimus. Sunt qui cum Josiæ obitu componant, cum scilicet Rex Ægypti arma in Judæam inferens, pii Regis Josiæ exercitum dissipavit, Regem ipsum occidit, ac deinde ab expeditione Carchemisiæ redux, Jerosolyma occupata, tum & Judæa universa subacta, vinctum Joachaz secum in Ægyptum duxit (6). Omnia hæc simul mala, inquiunt, scriptis hisce Lamentationibus luget Jeremias. Potissimam hujus opinionis suæ conjecturam ducunt ejus assertores ex secundo Paralipomenon, xxxv. 25. *Universus Juda & Jerusalem luxerunt Josiam. Jeremias maxime, cujus omnes Cantores atque Cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel*. Addunt his omnibus argumentum ex ipsis ductum Lamentationibus, in quibus elogium texitur Regis, nulli magis, quam Josiæ congruens. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus* (7).

Malunt alii (8), Prophetæ luctum versari in captivitate populi, ac vicibus tum Sedeciæ, cum sui ipsius; cujus opinionis argumenta ex omnibus Lamentationum Capitibus ducere se posse confidunt. Quin & Lucubrationis hujus Præfatio, vetustissima sane, id asserit luculenter. Nec magis obscure eadem innuit Ecclesiasticus, XLIX. 8. narrans, vias omnes Jerosolymam deducentes, desertas hostium injuria effectas esse, juxta Jeremiæ oraculum; quibus verbis spectatur illud (9): *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*. Nihil sane frequentius in eodem scripto, quam mentio Jerosolymæ, Templi, rerum eversionis, excidii, prostationis, ac vastitatis. Duo priora capita incommoda omnia obsidionis Urbis narrant; tertio deinde proxime sequente ærumnas suas luget Propheta; quarto deplorat casum & desolationem Urbis & Templi, Sedeciæ item vices. Tandem quinto Operis capite precandi formulam digerit Vates pro Judæis, in dispersione & captivitate agentibus: verso deinde stilo, sævitiam Idumæorum, excidium Urbis urgentium, insectatur, simul illis ultionis Divinæ flagellum imminere prænuncians. Porro hæc omnia alio plane, quam ad exitum Josiæ, spectant, quo tempore Urbs pariter & Templum stabant, sui erant in regione incolæ, nec adhuc ea acciderant captivitatis mala, quæ a Propheta deplorantur. Hæc nos in posteriorem hanc sententiam inclinarunt, utrum commode ad difficultates diluendas, viderint Lectores.

Scriptum est ergo Carmen post Jerosolymæ eversionem; quin & postremum Caput serius cæteris adjectum fuisse, ex eo intelligimus, quod deductum jam in captivitatem populum, ac partim in Ægyptum translatum (10), Templum in vulpium foveam redactum (11), constituit. Monstratur hodie usque circa Jerosolymam fovea, ubi scripta a Jeremia vaticinia sua ferunt; quo loco magnificum erexisse Templum Constantinum Imperatorem, fama est. Sed hisce popularibus traditionibus quis credat? Porro Jeremias, capta Urbe, in potestatem hostium una cum captivis cæteris venit, nec nisi in urbe Rama libertate donatus est, cum Nabuzardan direptam & vastatam incendio Jerosolymam reliquit. A capta urbe usque ad concessam Jeremiæ libertatem, inter-

(1) 2. Reg. III. 33. 34. (2) 2. Reg. I. 18. 19. (3) Isai. XIV. 4. &c. & XV. XVI. (4) Jerem. VII. 29. IX. 10. XLVIII. 32. (5) Ezechiel XIX. 1. XXVIII. 11. XXVI. 17. XXXII. 2. (6) Hieron. in Zach. XII. 11. *Super quo* [Josia] *Lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, & scripsisse eum Paralipomenon testatur liber*. Ita Chald. Interp. & Raban & Maldon. & Figuer. Thom. Bonavent. Hugo, Vat. jun. Vide Joseph. Antiq. l. 10. c. 6. (7) Thren. IV. 20. (8) Hieron. in Jerem. Præf. *Civitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto*. Ita Theodoret. Procop. Olympiodor. alii fere omnes. (9) Thren. I. 4. (10) Thren. V. 4. &c. (11) Ibid. ℣. 18.

intercessit xxxv. dierum circiter intervallum; quo temporis spatio commodum erat Jeremiæ lugubria hæc carmina solatio sociorum captivitatis scribere.

Inscribitur Opus a Græcis Θρῆνοι *Threni*, idest, Lamentationes, a Judæis איכה *Echa*, quod prima in Textu vox illa occurrat; vel קינות *Kinnoth*, fletus, lamentationes. Stilo utitur Author vivido, molli, ciendis animi motibus opportuno, qualem carminum hujusmodi genus exposcit. Elegantia certat cum nobilissimis tota antiquitate carminibus, & movendis lacrymis aptissimum est; quo scribendi genere excellebat Jeremias. Nec sane aliud unquam fuit argumentum lacrymis dignius, seu Vates fletibus aptior.

Quatuor priora capita acrostycho artificio digeruntur, quo scilicet vel singuli quique, vel bini recurrentes versus, ex una Alphabeti Hebraici litera ordine exordiuntur. Tertii capitis tres succedentes versus ex eadem litera ducuntur; sunt autem omnes simul LXVI. versus. Tandem quarto capite idem ordo, ac in primis duobus restituitur. Nihil singulare spectatur in quinto Operis capite. In vetustis quibusdam Mss. Latinis singuli recurrentes XXII. versus, præfixam habent Græci alphabeti literam (12). Acrostycho eodem cum cæteris ordine digestum esse postremum hoc caput, innuere videtur S. Hieronymus (13); sed nihil simile in Hebræo spectatur. Porro illud est in serie literarum elementarium notandum, quod in capitibus secundo, tertio, & quarto litera *Phe* præponitur literæ *Ain*; cum vicissim in priori capite posterior hæc illam præcedat; cujus rei causam quis norit? Amanuenses errorem hunc (errorem enim credebant) reparaturi, ut suum restituerent alphabeti ordinem literis, non semel Textum everterunt turbaruntque (14), invita licet & repugnante contextus & orationis serie. His tamen minime obstantibus, utrum Jeremias hunc eumdem ordinem, quem modo tenent, literis assignaverit, manet incertum. Facile ex ipso scripti Operis tempore varietas ista repetenda est.

De Præfatione Lamentationibus præfixa egimus in Commentario. Nuspiam sane illa sive in Hebræo, sive in Chaldæo, vel Syriaco legitur. Præter Græcam Versionem a Septuaginta adornatam, fragmenta Versionis Symmachi supersunt; rara vero aliorum Interpretum; quod scilicet Origenes Versiones Aquilæ & Theodotionis in Hexaplis servare neglexerit; an forte quod parum a Septuaginta discreparent? inde vero colligendum aliqui arbitrati sunt, nec Aquilam, nec Theodotionem vertendis Lamentationibus operam suam contulisse. Sed contrarium egregie demonstrat P. Montfaucon in Præfatione hujus Libri in Hexaplis.

Judæorum quidam contendunt, Lamentationes ipsissimum esse Opus, quod dictante Jeremia Baruch (15) scripto excipiebat, cultro deinde scissum, & igni injectum a Rege Joachimo (16). Sed nulla est hujus opinionis veritas, & solida conjectura.

---

(12) Vide nov. Edit. S. Hieron. tom. 1. (13) Hieron. Præfat. in Lib. Reg. *Jeremiæ Lamentationes & oratio ejus ejusdem numeri texuntur alphabeto*. Sed & in multis locis non loquitur nisi de quatuor alphabetis Lamentationum, e. g. in Præfatione ad Paulinum. *Quadruplex diversis metris nectit alphabetum*. Vide ad Paulam Urbicam. (14) Vide notas D. Joann. Martianay in cap. 2. Biblioth. S. Hieron. p. 643.
(15) Jerem. XXXVI. 4. 5. (16) Ibid. ℣. 22. 23.



COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN LAMENTATIONES
JEREMIÆ.

Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jerusalem, & amaro animo suspirans, & ejulans, dixit:

ET FACTUM EST POSTQUAM IN CAPTIVITATEM REDACTUS EST ISRAEL, &c. Breve hoc Proœmium in Hebræo, Chaldæo, Syro, ac vetustissimis optimisque Hieronymianæ Versionis Codicibus (1) non legitur. Illud e Canonicarum rerum censu rejiciunt S. Bonaventura, Lyranus, aliique quamplures (2), meramque esse ajunt additionem, quæ Græcis debeatur, ac nunquam in archetypis fuerit. Minore numero alii (3) certant, cum Latina Biblia, Summorum Pontificum jussu edita & emendata, Divinæ authoritatis sint, nihilque nisi Canonicum contineant, hanc igitur partem eodem obsequio excipiendam esse, quo totus Liber excipitur. At in promptu est quod respondeas; hanc nimirum Præfationem ita habendam esse, veluti titulus aut argumentum, non pars Libri sit. Id porro adeo verum est, ut hunc titulum, variæ Bibliorum Editiones non ferant, ejusque tituli obsequium Interpretes plurimos (4) veteres recentioresque minime deterruerit, quin carmen in obitu Josiæ scriptum esse crediderint; repugnante omnino Præfationis istius authoritate. In Sixtina Editione ad calcem Jeremiæ additur, quasi pars illius sit. In nova S. Hieronymi Editione penitus omittitur.

CAPUT PRIMUM.

Carmen lugubre de Jerosolymæ excidio. Præsentium malorum descriptio, cum veteri felicitate comparatorum.

℣. 1. ALeph. Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua do-
mina gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo. Beth. 2.
Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est, qui console-
tur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt
ei inimici. Ghimel. 3. Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem ser-
vitutis: habitavit inter Gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus ap-
prehenderunt eam inter angustias. Daleth. 4. Viæ Sion lugent, eo quod non
sint, qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ: sacerdotes ejus
gementes: virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. He. 5. Facti
sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est
super eam propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in capti-
vitatem ante faciem tribulantis. Vau. 6. Egressus est a filia Sion omnis decor ejus:
facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua: & abierunt absque for-
titudine ante faciem subsequentis. Zain. 7. Recordata est Jerusalem dierum afflictio-
nis suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus
antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt
eam hostes, & deriserunt sabbatha ejus. Heth. 8. Peccatum peccavit Jerusalem,
propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia
viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. Teth. 9. Sor-
des ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non
ha-

[1] Vide Not. in Threnos nov. Edit. S. Hieron. [2] Sanct. Castr. Franc. Lucas, Cornel. & quotquot Hebræos sequuntur. Usser. ad an. M 1194. [3] Gretser. t. 1. defens. Bellarm. l. 1. c. 14. [4] Vide nostram Præfationem in Lamentationes.

habens consolatorem: vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Jod. 10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam. Caph. 11. Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, & considera, quoniam facta sum vilis. Lamed. 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. Mem. 13. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. Nun. 14. Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. Samech. 15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. Ain. 16. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. Phe. 17. Expandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus: facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. Sade. 18. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: audite, obsecro, universi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem. Coph. 19. Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam. Res. 20. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, & domi mors similis est. Sin. 21. Audierunt, quia ingemisco ego, & non est, qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fient similes mei. Thau. 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

℣. 1. QUOMODO SEDET SOLA CIVITAS, PLENA POPULO? Qui fieri potuit, ut *sola sedeat*, luctum agenti similis, humi sedens, odiosasque exterorum consuetudines evitans, vel, uti qui solus mediis in ærumnis est, nemine solatium afferente? In Vespasiani nummis Judæa exhibetur in forma captivæ Mulieris humi sedentis plorantisque sub palma, arbore apud Palæstinos notissima.

FACTA EST QUASI VIDUA DOMINA GENTIUM. Jerosolyma, permultarum olim Provinciarum domina, quæ finitimos, regnantibus Davide, Salomone, aliisque nonnullis post illos Regibus, suo sub imperio coercuit, nunc viduæ similis squallet, viro carenti, filiis, præsidio, solatio. Hebræus (5): *Facta est quasi vidua magna in gentibus*. Principes cujuslibet Regionis Urbes Hebræi nuncupant Rabbath. Rabbath Moab, Rabbath-Ammon, Emath-Rabbath, aliæque similes, nomina sunt magnarum urbium, atque in Regione principum. *Magna in gentibus* dicitur Jerosolyma, utpote multarum gentium Provinciarumque princeps ac Metropolis. Jerosolyma omnium earum Provinciarum princeps diu habita est.

PRINCEPS PROVINCIARUM FACTA EST SUB TRIBUTO. Quæ olim tributa Provinciarum excipiebat, puta ex Idumæa, Syria, Arabia, Moabitide, & Ammonitide, tributa deinde Assyriis pendere ab Achazi Regno coacta est (6); tum aliquandiu Ægyptiis; ac demum Chaldæis, post Joakimum (7). Si locum hunc, aliosque nonnullos spectes, Jerosolyma flevisse adhuc videtur, cum Jeremias lugubria hæc carmina exararet. Alibi tamen ceu de eversa urbe agit: quid illa fuerit, hic narrat; alibi describit quid illa sit.

℣. 2. PLORANS PLORAVIT IN NOCTE. Nox apud Prophetas tempus est ærumnarum & calamitatis. Vallata Jerosolyma flere non cessat; vel, tota nocte in lacrymis funditur, cum palam flere coram hostibus non audeat. Denique: Tota nocte flet, postquam diem flendo consumpsit: nulla illi quies per noctem est, nunquam deficiente lacrymarum fonte.

LACRYMÆ EJUS IN MAXILLIS EJUS. Uberi adeo fletu perfunditur, ut illius genæ nunquam lacrymis careant. Vel: Tantopere dolet, ut lacrymas tergere negligat: Quamobrem ore pulveris nube fœdato, & lacrymis udo vel sævissimos ad misericordiam moveat.

OMNES AMICI EJUS SPREVERUNT EAM, ET FACTI SUNT EI INIMICI; Idumæi scilicet, Ammonitæ, Moabitæ, qui fœdus cum Sedecia inierant (8), mutuam opem adversus communem hostem laturi, ad Chaldæos conversi (9), in Jerosolymæ excidium infestissimis omnium odiis conjuravere (10). Obsessa per Nabuchodonosorem urbe, illius ruina gavisi sunt (11). Nonnihil moverunt Ægyptii, ut opem Sedeciæ ferrent: at horum conatus & amico inutiles, & ipsis perniciosi fuerunt. Tyrii & Sidonii, qui sese Judæis amicos esse simulaverant, inter cæteros primi insultavere, ejusque exitio lætati sunt (12).

℣. 3. MIGRAVIT JUDAS PROPTER AFFLICTIONEM ET MULTITUDINEM SERVITUTIS. Tributa & ærumnæ, qui-

(5) היתה כאלמנה רבתי בגוים (6) 4. Reg. xvi. 7. & 2. Par. xxviii. 20. (7) 4. Reg. xxiv. 1.
(8) Jerem. xxvii. 3. 7. (9) Jerem. xlviii. 26. 27. 42. xlix. 1. (10) Psal. cxxxvi. 7. Abdias ℣. 11.
(11) Sophon. ii. 8. Ezech. xxv. 3. Jerem. xlviii. 26. 27. Abdias ℣. 10. (12) Ezech. xxvi. 2.

quibus Chaldæi Judæam oppressere, adeo aucta sunt, ut ingens Judæorum numerus in alias Regiones migrare coacti fuerint, sævam adeo tyrannidem vitaturi. Capta Jerosolyma, ubi Chaldæos discessisse senserunt, Judæi quamplures ex Moabitide, Ammonitide, & Idumæa reversi sunt (13). Hebræus hoc loco fœmineum genus fert (14): Filia Juda sive Judæa, patriam reliquit, doloris causa quo agebatur, & servitutis, qua misere opprimebatur.

Apprehenderunt eam inter angustias. Infensi illius hostes ipsam veluti inter murorum angustias (15) occupavere, ubi neque progredi fas erat, neque recedere, aut in utramlibet partem elabi. Inter Chaldæos fuit; palam inimicos; finitimosque Chaldæis deteriores, cum ipsam per summam perfidiam invaserint, atque in exitium impulerint, quæ nihil ex ipsis metueret. Septuaginta (16): *Facti sunt ei in hostes.*

℣. 4. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Regione ab hostibus occupata, obsessaque Jerosolyma, omnia Judæorum festa in lugubres desertosque ritus conversa sunt, ingens ille populi concursus omnino periit, ac felix illa rerum omnium ubertas ac lætitia: Religiosa convivia & sacra penitus cessavere. Universa denique regio in luctu ac terrore squaluit. Jucundissimum profecto spectaculum erat, gens integra ter quotannis in magnam urbem confluens, ut omnipotenti Deo in Templo totius terrarum orbis magnificentissimo obsequium exhiberet. Eo quisque certatim, ut singulorum opes patiebantur, munera, sacra, primitias conferebat. Ibi fratres, necessarii, amici veteres amicitias instaurabant. Quo jucundior populo erat ejusmodi dierum hilaritas, eo gravior illorum privatio ac suppressio erat. Acrior multo dolor fuit, post Templi atque Urbis exeidium: quamobrem nihil misericordiæ aptius occurrere potuit Jeremiæ.

Virgines ejus squallidæ. Hebræus (17) *Virgines ejus dolore affectæ*, animo cruciatæ, gemunt, suspirant. Septuaginta (18): *Virgines ejus captivæ ductæ.*

℣. 5. Facti sunt hostes ejus in capite (19), illi dominantur, illamque opprimunt. *Si audieris mandata Domini Dei tui*, ait Moyses (20), *constituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & non subter.*

Inimici ejus locupletati sunt. Innumeras ex Jerosolyma Temploque opes collegere Chaldæi. Hebræus (21): *Hostes ejus in pace securi sunt.* Septuaginta (22): *Inimici ejus prospero successu utuntur:* quicquid moliuntur, prospere cedunt.

℣. 6. Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Domini Templum, Jerosolymæ decus: Sacerdotes, Palatia, ædes, arces, optimates, cives, opes, omnia in potestatem hostium devenere: nihil plane omnium illi superest, quibus olim gloriabatur, puellæ similis effecta est, quæ ablatis gemmis atque ornamentis, turpissime nuda relinquitur. Templum præcipue gloria & decor Israelis, Jerosolymæ ornamentum frequentissime appellatur. Hæc infra nominantur: *Omnia desiderabilia ejus*: quidquid optimum, pulcherrimum, atque optatissimum illi erat.

Facti sunt Principes ejus velut arietes, non invenientes pascua. Interpretum plurimi reddunt (23): *Facti sunt velut cervi, non invenientes pascua*: qui venatorem fugiunt, at lento adeo infirmoque cursu, ut elabi nequeant. Vel: Captivi Babylonem abducti sunt, ceu arietes male nutriti, atque infirmi, quos pastor agit.

℣. 7. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum. Melius videtur (24): diebus afflictionis suæ recordata est Jerusalem prævaricationis suæ, &c. At servato religiose Textu, explicari in hanc sententiam potest (25): Simul tempora felicitatis suæ suorumque flagitiorum cum his temporibus malorum atque calamitatis comparat, præteritorum reminiscitur, & mala, quæ flagitiis in se provocavit, in mentem revocat. Sunt qui reddant: *Recordata est dierum afflictionis suæ, & ablationis omnium desiderabilium suorum*, rerum pretiosissimarum. Septuaginta (26): *Recordata est dierum humiliationis suæ, & expulsionum suarum* (vel perduellionum) *omnium desiderabilium ejus, quæ erant a diebus antiquis.*

Deriserunt sabbatha ejus (27). Festos dies, quos Judæi communi appellatione *sabbatha* nuncupabant, quietis causa, quæ iis diebus servabatur; sabbathum enim quietem significat. Otium hoc atque inertiam ita enim appellabant, exprobrare solebant Judæis profani (28):

. . . . Cui septima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Senecam, teste S. Augustino (29), Judæos arguebat, quod septimam vitæ partem Sabbathi otio amitterent: *Inutiliter eos id facere affirmans, quod septimam ferme partem ætatis suæ perdant vacando, & multa in tempore urgentia non agendo, lædantur.* Nimirum quasi tempus Creatoris obsequio, laudibus, Legis studio, ejusque verbi auditione occupatum, amissum credatur. Quod sanctius aut laudabilius institutum, quam aliquam vitæ partem secernere, ut Deo vacet, ejusque obsequio, cæterisque officiis, quæ Omnipotenti debentur? Si cæterorum Legislatorum nullus piam adeo legem sancire neglexit, illud idcirco est, quod nullus Moysis sapientiam æquaverit; vel potius quod nullus effuso divinitus lumine, divinaque prudentia instructus fuerit. Religiosi cœtus ac dies Profanis erant: at pietate, solidis institutionibus, veraque Religione vacui. Nihil in illis, nisi superstitio, mores dissoluti, & licentia.

Reddi Hebræus potest (30): *Deriserunt cessationem ejus*, privationem, inopiam omnium rerum, quæ illius gloria, gaudium & lætitia erant. Nudam prorsus exutamque, ac destitutam irrisere. Septuaginta (31): *Riserunt super habitatione ejus*; Vel, ex aliis Codicibus, *super transmigratione ejus*. Exulem a patria discedere gestientes viderunt.

℣. 8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, errans, vaga. Patria e sedibus pulsa, atque in fugitivæ & exulis conditionem redacta. Hebræus (32): Idcirco ludibriis hostium, capitis nutu insultantium, obnoxia est. Alii (33): *Ut separata*, impura, menstrui causa. Optime.

Ipsa autem gemens, conversa est retrorsum. Probro obruta, coram prodire ausa non est,

(13) Jerem. XL. 7. *Cumque audissent omnes Principes exercitus qui dispersi fuerant per regiones, ipsi & socii eorum, quod præfecisset Rex Babylonis Godoliam terræ, venerunt ad Godoliam, &c.* ℣. 11. *Sed & omnes Judæi qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in universis regionibus . . reversi sunt.* (14) גלתה יהודה מעני ומרב עבודה (15) בין המצרים *Inter macerias.* Munst. Kimchi. Var. Angl. alii. (16) Ἐγένοντο αὐτῇ εἰς ἐχθρούς. (17) בתולותיה נוגות (18) Αἱ παρθένοι αὐτῆς αἰχμάλωτοι ἀγόμεναι. Quasi ex נהג Duxit. (19) היו צריה לראש (20) Deuter. XXVIII. 13. & 43. 44. (21) איביה שלו (22) Οἱ ἐχθροὶ αὐτῆς εὐθηνοῦσι. Forte εὐθυνοῦσι. (23) היו שריה כאילים לא מצאו מרעה (24) זכרה ימי עניה ומרודיה כל מחמדיה Ita Hebræi quidam, & alii apud Sanct. hic. (25) Theodoret. Grot. (26) Ἐμνήσθη Ἱερουσαλὴμ ἡμερῶν ταπεινώσεως αὐτῆς, καὶ ἀπωσμῶν αὐτῆς, πάντα ἐπιθυμήματα αὐτῆς ὅσα ἦν ἐξ ἡμερῶν ἀρχαίων. (27) שחקו על משבתה (28) Juvenal. Sat. 5. (29) August. lib. 6. de Civit. cap. 11. (30) שחקו על משבתה (31) Ἐγέλασαν ἐπὶ τῇ κατοικεσίᾳ αὐτῆς. Edit. Complut. Ἐπὶ τῇ μετοικεσίᾳ αὐτῆς. (32) על כן לנידה היתה *Facta est in commotione.* Suppl. capitis. (33) Jun. Tremel. Grot. נדה hoc sensu usurpatur Levit. XII. 2. 5. XV. 19. 20. 24. 25. & 1. Esdr. IX. 11. Ezech. XVIII. 6. XXII. 10. XXXVI. 17.

quia cæteri *viderunt ignominiam ejus*. Ut vim comparationis intelligas, animadverte, Judæas fœminas menstruorum tempore a viris, filiis, & familiaribus sejungi; quicquid vero ipsæ tangant, locus ubi sedent, seu cubant, impura censentur; suaque labe cæteros sese tangentes polluunt. Nefas eo tempore illis est in Synagogam venire (34), orare, Dei nomen efferre, Sacrum Librum tangere. Vetitum viris est, illarum os intueri, quidquam illis manu porrigere. Si quid vero illis exhibendum est, scamno vel mensæ imponitur; ut eo remoto, qui rem exhibuit, ne labem ille referat, misera mulier demque datam rem accipiat. Quamobrem nihil plane hominis prorsus destituti, ejecti, atque odio habiti imaginem acrius exhibet, quam ejusmodi mulieris comparatio.

℣. 9. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui. Pergit Sionem exhibere ceu fœminam menstruo laborantem. Nondum purgata est: impuritatum fons non desiit (35). Id quo impura sit, in ipsius pedibus apparet; vel, ex aliis (36), in ipsis vestium illius fimbriis; neque morbi finem videt, neque plane scit, quandonam sit visura: *Nec recordata est finis sui*. Vel: Cum res prospere cederent, nunquam cogitavit quid sibi eventurum esset: mala sibi imminentia non prævidit.

℣. 10. Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Quia* hoc loco particula causæ non est, sed conjunctio. Quicquid carissimum Sioni fuit, hostes abstulere; gentes enim, quæ a Domini cœtibus Legis sanctione excludebantur, in Templum induxit (37). Gentes Domini cœtu nunquam non interdictæ, sunt eunuchi, nothi, Moabitæ, Ammonitæ, quos in Templum ingredi, nisi post decimam ætatem, nefas erat (38). Omnibus denique advenis, incircumcisis, Ethnicis Templi aditus claudebatur. Post captivitatem, certum statutumque illis atrium fuit, ultra primam Templi loricam progredi prohibitis (39). Israelitæ rite expiati intra primum & secundum admittebantur: at unis Sacerdotibus Sanctum patebat; Pontificisque unius erat, thus quotannis semel in Sanctuarium inferre. At capta Jerosolyma, Chaldæus miles sacrilegas manus omnibus injecit, nullo vel Sancti, vel Sanctuarii obsequio: iratus in suos Deus, suum ipsius Templum, quod gens sua superstitione ac flagitiis indignissime violavit, in gentium potestatem venire passus est.

℣. 11. Dederunt pretiosa quæque pro cibo. Obsessa urbe, fames ad extremas usque angustias crevit. Censet Theodoretus, *pretiosa quæque* filios hoc loco significare, quorum carnibus vesci non horruerunt. Multo tamen verisimilius est, aurum, argentum, pretiosamque supellectilem exhibita esse a divitibus, ut inter gravissimas famis angustias aliquid compararent, quo mors arceretur.

Considera, quoniam facta sum vilis. Ab hostibus neglecta, finitimorum ludibriis atque irrisionibus exposita, ignominia & probro obruta, a Deo derelicta, omnium inops, quæ olim mihi decus, vires, solatium erant.

℣. 12. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte. Perspicuus adeo est locus, ut explicatione non egeat. At Interpretes, qui Massoretarum puncta & lectionem sequuntur, aliter reddunt (40): *Non ad vos* loquor, *qui transitis per viam*, quos malis meis minime moveri scio. At qua ratione hæc cum consequentibus jungunt: *Contemplamini, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus*. Alii (41): Ne ad vos, qui transitis per viam, *veniat quod accidit mihi!* Mala, quibus ego crucior, ne unquam experiamini! At longe luculentior est Vulgatæ sententia, quam doctissimi Interpretes, vel Hæretici (42), servant. Particula *lo* (43), quæ interdum *non*, seu *ne* significat, frequenter etiam pro optantis, exclamantis, orantis interjectione usurpatur.

Vindemiavit me Dominus in die furoris sui. Vindemiantis comparatione passim utuntur Prophetæ (44), ubi supremum regionis excidium significant. Septuaginta (45): *Humiliavit me Dominus*. Syrus (46): *Me texit Dominus*. Eamdem vocem reddit ℣. 22. *Afflixit*.

℣. 13. De excelso misit ignem in ossibus meis. Ignem voracissimum in ossa mea cœlitus immisit Deus, febrim qua tabesco, ardorem quo exhaurior. Ita loquitur Jerosolyma, uti homo, quem febris vorat. Theodoretus ossium nomine significari putat Judææ arces, & Jerosolymæ munitiones (47). Igne bellum significatur. Vide Caput 11. ℣℣. 3. 4. Permisit Deus, ut Chaldæi omnia igne & cruore complerent. Mala Jerosolymæ parata Deus exhibuit Ezechieli sub ollæ imagine, quam ingens ignis agit, carne ossibusque simul mistis plenam (48): *Congere ossa, quæ igne succendam: Consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent*.

Et erudivit me, castigavit. Hebræus (49): *Et dominatus est* ignis, Flamma divinitus in me immissa, singula ossa mea occupavit, & singulatim consumit. Septuaginta (50): *Et Dominus in ossa mea deduxit eum*. Ignem immisit, illumque, ut ita dicam, singulis corporis mei partibus admovit.

℣. 14. Vigilavit jugum iniquitatum mearum, me statim oppressit: In me ruere festinavit, meque invasit ferme uti taurum indomitum, cujus capiti & collo jugum celerrime injicitur. Hebræus (51): *Ligatum est jugum iniquitatum mearum manu ejus*. Idem ipse me jugo oppressit. Hebræa vox *Niskad* hic tantummodo legitur (52); ejusque significatio incerta omnium consensu est. Cur vero Massoretarum placitis cæco modo obtemperemus, ipsamque vocem *Niskad* non ducamus e *schakad*, *vigilavit*, quemadmodum Septuaginta, Vulgata, Syrus, ipsique Hebræi (53) usurpavere? Neque inepta est Hebraice metaphora, *Vigilavit jugum*, pro *festinavit*. In aliis Prophetarum locis (54) testatur Deus, sese *vigilare super iniquitatem populi sui*, in illam studiose animadvertere, neque aut erraturum, aut obdormiturum, ubi supplicia inferenda impiis fuerint.

In manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Flagitia mea ceu lora sunt & vincula, quæ jugum in collo ligant. Donec non pepercerit Deus, & vincula, quæ in manibus habet, non solverit, caput erigere non potero. Hæc vero ipsa vin-

(34) Vide Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 31. (35) Pedes pro partibus quas nudare verat pudor. שולה Jerem. XIII. 22 *Verecundiora tua*. Naum III. 5. *Pudenda tua*. (36) Munst. Pag. Mont. Tig. &c. Vide Exod. XXVIII. 33. 34. XXXIX. 24. 25. 26. (37) Deuter. XXXIII. 1. 2. 3. (38) Ezech. XLIV. 9. *Omnis alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur Sanctuarium meum; omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel*. (39) Joseph. lib. 2. de Bello c. 6. (40) Mont. Tig. Jun. Calvin. Pisc. (41) Vat. Mari. (42) Castal. Grot. Buxtorf. Vindiciæ lib. 2. cap 11. &c. (43) לו vel לוא Genes. XVII. 18. XXIII. 13. (44) Psal. LXXIX. 23. Jerem. Thren. 1. 22. 11. 20. Apoc. XIV. 15. (46) Hebr. עולל לי יהוה Septuag. Ἐπιφυλλίσατό με κύριος. (48) Apud Theodoret. Ἡ ψῦ μοι, ὁ σύρος ἡρμήνευσε. (47) Theodoret. hic. Sanct. Anglic. (48) Ezech. XXIV. 4. 10. Hebræus, & Septuaginta dicere videntur, ossa lignis imposita, ut sub olla ardorent. Vide Commentar. (49) וירדנה (50) Καὶ κατήγαγεν αὐτό. (51) נשקד על פשעי בידו Septuag. Ἐγρηγορήθη ἐπὶ τὰ ἀσεβήματά μου. (52) נשקד cum puncto in cornu sinistro. (53) Abenezra in Buxt. Heb. in Vat. vertunt: *Accceleratum est*.
(54) Jerem. 1. 12. *Vigilabo super verbum meum*. XXXI. 28. *Vigilabo super eos*. XLIV. 27. *Vigilavi super vos*. Daniel. IX. 14. *Vigilavit Dominus super malum*.

vincula dedit Nabuchodosori Deus, hosti sævissimo, ex quo nulla mihi libertas speranda est: *Dedit me in manu, de qua non potero surgere.*

℣. 15. Abstulit omnes magnificos meos de medio mei. Munifici appellatio Deo & Optimatibus apud Scripturam tribuitur (55). *Magnifici* sine addito sunt Optimates (56): *Et qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur.* Hebræus hoc loco habet (57): *Abstulit Dominus omnes fortes meos.*

Vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos. Tempus ceu aliquid animâ instructum hic revocat Jeremias, quod vocatum respondeat ac obtemperet. *Tempus* frequenter pro vindicta usurpatur. *Venit tempus illius*, nimirum, Deus in illum severe animadvertere incipit; instar creditoris, qui solvendi æris tempus expectat, antequam obæratum exagitet. Reddi potest Hebr. (58): *Vocavit adversum me cœtum, ut perderet electos meos*, militum meorum selectissimos. Chaldæos in me concitavit, ut illorum armis vindictam in exercitus mei milites exerceat. Vide infra ℣℣. 22.

Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ. Vindemiam egit ℣. 12. & 13. uvam calcavit, vinum expressit. Uva virginis filiæ Judæ sunt illius liberi, Judæi indigenæ. Bellum est prælum, quo calcati sunt, expresso cruore. Hæc vero ipsi Deo tribuuntur, ceu primæ omnium rerum gestarum causæ. Torcular frequenter vindictam significat (59).

℣. 16. Longe factus est a me consolator, convertens animam meam, me ad vitam revocans, animos confirmans, aut solatium adhibens, quo libentius feram. *Convertere animam*, seu in vitam revocare, hoc loco idem est ac solari, animia confirmare. Frequenter apud Prophetas legitur, interire, mori, ad sepulcrum adigi, pro, discrimine liberari, morbo aut captivitate solvi, &c.

℣. 17. Expandit Sion manus suas: non est qui consoletur eam. Frustra clamat Sion, gemitque, manibusque passis opem accedentium implorat: scilicet nemo audit, aut solatium affert. *Manus expandere* gestus est opem implorantis (60):

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens, &c.

David (61): *Expandi ad te manus meas.* Jeremias (62): *Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas, &c.*

Facta est Jerusalem quasi polluta menstruata inter eos. Jerosolymam describit ab hostibus obsessam, eorumque arte fossis aggeribusque clausam, nequis aut egrediatur, aut annonam opemve introferat. Id statim antea dixerat: *Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes.* Jerosolyma in extremis hisce rerum angustiis, impuræ mulieris loco, omnibus invisæ vitatæque, ab hostibus habita est (63). Illam fame atque inopia sævissime confici passi sunt. Obstructis ad illius gemitus auribus, negataque ad illius opem manu, ab omnibus destituta est: nemini enim illius salus curæ fuit, ejusque exitium omnino decretum erat.

℣. 18. Os ejus ad iracundiam provocavi. Ad verbum (64): *Ori ejus rebellavi*, vel, os ejus amaritudine implevi; vel denique, *os ejus exacerbavi*, Dei verbum & jussa: non obtemperavi, contempsi.

℣. 19. Vocavi amicos meos: ipsi deceperunt me. Jerosolyma opem ab Ægypto, Phœnicia, Idumæa, Regibus Moabitarum Ammonitarumque præstolabatur, quos secreto fœdere cum Sedecia junctos fuisse creditum est (65): at omnes illam, ubi res poscebat, destituere. Urbe vix obsessa, alii Chaldæis accessere, alii uni ipsorum saluti consuluerunt. Copias in Nabuchodonosorem movit Ægyptius: at fractis pulsisque Ægyptiis, cecidit Jerosolyma; & qui fœdus amicitiasque simulaverant, ante cæteros urbi insultavere.

Consumpti sunt, quia quæsierunt cibum, cum quærerent cibum. *Quia* hoc loco causæ particula non est, uti & ℣. 10. & alibi sæpe (66).

℣. 20. Suaversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Vehementi cordis palpitatione angor: sæva formidine occupor: opprimor amaritudine ac dolore. Hebræus (67) reddi potest: *Commotum est cor meum, quia contumaciter rebellavi* a Deo. Quæ perfidiæ ream me sentio, animum gero formidinis plenum.

Et domi mors similis est. Qui bello apti ætate sunt, consertis cum hoste manibus pereunt, & qui domi latent, nihil nisi mortis imaginem intuentur; ægros nimirum aut morientes, fame exhaustos, cadaveribus magis similes, quam hominibus. Hebræus (68): *Foris orbavit me gladius, & intus sicut mors.*

. . . . Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago (69).

℣. 21. Lætati sunt, quoniam tu fecisti. Malis, quæ te permittente patior, illudunt. Ex calamitatis meæ magnitudine me penitus a te destitutam esse existimavere; nullamque opis spem mihi ex te superesse. Me penitus perditam arbitrantur: id vero gaudii causa illis est. Finitimæ Judæis gentes gestiere, eversam Jerosolymam intuitæ. Testes ejus rei sunt Sophonias (70), Jeremias (71), Abdias (72), & Ezechiel (73). Statim vero lætitia in luctum versa; mutatis enim vicibus, furoris calicem longo haustu ebiberunt. Hoc innuit Jeremias iis vocibus: *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.* Ubi solatium mihi admovere volueris, illi mei similes efficientur. Hebræus (74): *Adduxisti diem nominatum*, destinatum, *& erunt sicut ego.* Minas in eas gentes vidimus a capite xlvi. usque ad li. easque integra fide expletas demonstrare conati sumus.

℣. 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te. Flagitiorum omnium, quæ ipsi patraverunt, reminiscere, ea in judicium revoca, ac parem illis pœnam infligito. Hostium mala prædicit Jeremias, non optat. Cupit ut Dei severitas in impium contumacem ac rebellem exerceatur. Mallet tamen illum resipiscere, sinceraque pœnitentia Deo satisfacere.

---

(55) Exod. xv. 11. Isai. xxii. 5. xxxiii. 21. Zach. xi. 2. &c. (56) Luc. xxii. 25. (57) סלה כל אבירי אדני Septuag. Ἐξῆρε πάντας τοὺς ἰσχυρούς μου. (58) קרא עלי מועד לשבר בחורי (59) Isai. lxiii. 2. 3. Apoc. xix. 15. (60) Virgil. Æneid. 12. de Turno. (61) Psal. lxxxvii. 10. & cxlii. 6. (62) Jerem. iv. 31. (63) Vide supra ℣. 22. (64) כי פיהו מריתי Septuag. Στόμα αὐτοῦ παρεπίκρανα. (65) Vide quæ diximus in ℣. 2. hujus Capitis. (66) Vide Jerem. xlviii. 45. & iv. 16. Thren. iv. 18. & Isai. lxvi. 20. & Sanct. in hæc loca. Euthym. in Psalm. ix. Salmeron. Prolegom. 12. pag. 454. (67) נהפך לבי בקרבי כי מרו מריתי (68) מחוץ שכלה חרב בבית כמות (69) Æneid. 2. (70) Sophon. ii. 8. (71) Jerem. xlviii. 26. 27. 42. xlix. 1. (72) Abdias ℣. 10. 11. (73) Ezech. xxv. 3. xxvi. 2. (74) הבאת יום קראת ויהיו כמוני Septuag. Ἐπήγαγες ἡμέραν, ἐκάλεσας καιρόν, ἐγένοντο ὅμοιοι μοι.

CAPUT II.

Pergit Jeremias mala Jerosolymæ deflere, cum florentissimis olim illius rebus comparans.

℣. 1. Aleph. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion! projecit de cœlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. Beth. 2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, & dejecit in terram: polluit regnum, & principes ejus. Ghimel. 3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: & succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. Daleth. 4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. He. 5. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Juda humiliatum, & humiliatam. Vau. 6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbatum, & in opprobrium, & in indignationem furoris sui regem, & sacerdotem. Zain. 7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni. Heth. 8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est. Teth. 9. Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit, & contrivit vectes ejus, regem ejus, & principes ejus in Gentibus: non est lex, & prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. Jod. 10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. Caph. 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi. Lamed. 12. Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum, & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Mem. 13. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Nun. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones. Samech. 15. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Phe. 16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus; en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus. Ain. 17. Fecit Dominus, quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum. Sade. 18. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Coph. 19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. Res. 20. Vide, Domine, & considera, quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & propheta? Sin. 21. Jacuerunt in terra foris puer, & senex: virgines meæ, & juvenes mei ciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. Thau. 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur: quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

℣. 1. QUOMODO OBTEXIT CALIGINE FILIAM SION? Caligo sunt mala, quibus Jerosolyma obruebatur. Passim occurrunt hujus locutionis exempla. Esse in tenebris, nocte, caligine, est obrui malis & ærumnis. Sol tenebris operitur, lucem negat Luna, stellæ radios con-

tra-

trahunt, Phrases sunt, illud significantes, quod simplicius dicimus, extremo mœrore oprimi.

PROJECIT DE CŒLO IN TERRAM INCLYTAM ISRAEL. Tropica locutio, qua lapsus gravissimus significatur. Sion astro similis erat, in cœlo mire fulgenti: Subjectionis suæ oblita est, Deumque irritavit, qui demum præcipitem illam dedit. Simili tropo Isaias Regem Babylonis alloquitur (1): *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Abdias ad Idumæos (2): *Si inter sidera posueris nidum suum, inde detraham te, dicit Dominus.*

NON EST RECORDATUS SCABELLI PEDUM SUORUM. Dei scabellum terra omnis est, Judæa præsertim, atque inter cætera, templum, & arca fœderis. Similes sunt in Scriptura locutiones, quibus hæ scabelli Domini explicationes confirmantur. *Cœlum mihi sedes est*, ait apud Isaiam Deus (3), *& terra scabellum pedum meorum.* Et Christus (4): *Non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus.* David de templo sive arca (5): *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus.* David, populum pro concione alloquens, ait (6): *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri.* Templum hic innuere videtur Jeremias; arcam enim in hostium potestatem venire passus non est Deus: at Sanctuarium illis dedit, quod expilatum profanatumque cremavere. Veteres viris inter cæteros illustribus, cum sederent, etiam in mensa scabellum pedibus supponebant. Testantur passim Homerus & Scriptura.

℣. 2. PRÆCIPITAVIT DOMINUS, NEC PEPERCIT, OMNIA SPECIOSA JACOB. Reddi Hebræus potest (7): *Deglutivit Dominus citra indulgentiam, omnes habitationes Jacob.* Exutiæ sunt urbea, a Chaldæis eversæ erutæque. Illas Deus ceu terræ sinu absorbuit: nullum ferme illarum vestigium relictum est.

POLLUIT REGNUM ET PRINCIPES EJUS; ceu profanas neglectasque res habuit, cum ea Chaldæis dederit: vel profanari passus est, negligi, in turba misceri, quasi nulla dignitate præstarent. Quam indigne despecti a Chaldæis fuerint Judæ Principes, neminem latet. Necatus Joakim, projectusque; Jechonias perpetuo carcere damnatus; Sedecias, erutis oculis, in vincula datus, in captivitatem raptus, atque in carcerem detrusus, exprobrata prius perduellione ac perfidia, cæsisque coram eo liberis. Ex Optimatibus Juda nonnulli, uti Daniel ac socii, ad servitutem, Eunuchorum conditione, redacti apud Nabuchodonosorem; alii in necem dati; alii extremas in rerum angustias duramque captivitatem impulsi. Id appellat Jeremias *polluere Regnum & Principes Judæ.* Septuaginta (8): *Profanavit Reges ejus, & principes ejus.*

℣. 3. CONFREGIT OMNE CORNU ISRAEL, vires, gloriam, amplitudinem, superbiam, robur; geminum Judæ & Israelis Regnum (9), vel Regiam dignitatem, Principes Israelis (10), vel denique, totius regionis arces urbesque (11).

AVERTIT RETRORSUM DEXTERAM SUAM A FACIE INIMICI. Venientibus Chaldæis, ac nos aggressis, suam a nobis dexteram contraxit Deus: opem præsidiumque abstulit: in rebus angustissimis nos destituit. Nedum validissimam brachii sui opem non exhibuit, verum etiam, ℣. 4. *tetendit arcum suum quasi inimicus*: *firmavit* super caput nostrum *dexteram suam quasi hostis*: hostibus nostris accessit, exhibitaque illis ope illorum libidini favit.

℣. 5. PRÆCIPITAVIT OMNIA MŒNIA EJUS. Hebræus (12): *Deglutiit omnia palatia ejus*; Septuaginta (13), *omnes turres ejus*, seu palatia. Hoc verbo deglutire, absorbere, frequenter utitur in Lamentationibus Jeremias, cum opportunissimum rei sit, atque ingens dolor sententiis utatur immodicis, hyperbolen sonantibus, veroque majoribus.

REPLEVIT IN FILIA SION HUMILIATUM ET HUMILIATAM. Viros fœminasque probro cumulavit: miseros miserasque in Juda & Jerosolyma confertim collegit: nulla hominum conditio libera malis est, quibus Juda obruitur. Hebræus (14): *Multiplicavit in filia Juda mœrorem & tristitiam.* Septuaginta (15): *Multiplicavit filiæ Juda humiliatum & humiliatam.* Innumeros esse in urbe miseros passus est. Ingentem filiarum Juda numerum depressit. Hæc locutio, *Humiliare filiam Juda*, interdum aliud quam ærumnas meras significat; cum pro stupro innuptis illato usurpetur. *Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda*, innuit Jeremias, infra, v. 11. Et ℣. 13. *Adolescentibus impudice abusi sunt.* Hæc explicationi serviunt Vulgatæ lectionis, Codicumque Græcorum, qui utrumque genus ferunt, *humiliatum & humiliatam.*

℣. 6. DISSIPAVIT QUASI HORTUM TENTORIUM SUUM, Templum suum, illudque a Chaldæis profanari & cremari passus est, quemadmodum relinqui solent atque everti in hortis tuguria, ob fructuum custodiam constructa; collectis enim fructibus, illa dejiciuntur. Templum suum militum injuriis & licentiæ dedit, veluti hortum, in quo, dissipatis sepibus, unusquisque pro libidine rapit, vellit, dissipat. Vel: Templum demolitus est, quemadmodum horti maceriæ dissipantur. Denique: Templi sui excidium permisit, quod unum deliciarum ac voluptatis locum sibi elegerat. Septuaginta (16): *Expandit sicut vineam Tabernaculum suum.* Eodem sensu Psalmista (17): *Ut quid destruxisti materiam ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de sylva.* Isaias (18): *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem: & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, &c.*

OBLIVIONI TRADIDIT DOMINUS IN SION FESTIVITATEM ET SABBATHUM. Dies festi, ut olim, in Templo non agentur. Judæi per captivitatem Sabbathum festosque dies corporis quiete celebrare non desierunt, quanquam sacra, cœtus, cæterique Templi ritus penitus cessavere.

DEDIT IN OPPROBRIUM REGEM ET SACERDOTEM. Sedecias Rex, ac Saraias Pontifex capti ductique Reblatam sunt ad Nabuchodonosorem, atque indignissime cruciati; Pontifex nimirum neci datus; Rex, jugulatis eo præsente liberis, ac domus suæ Optimatibus, oculis orbatus est, catenis oneratus, in perpetuum denique carcerem Babylone dandus (19).

℣. 7. MALEDIXIT SANCTIFICATIONI SUÆ. Profanato Dei Templo ab impiis Regibus Achazo, Manasse, Amone, dedicatis in eo simulacris, illud deinde Deus velut impurum locum, horrori habuit. Jam tum igitur Deus Templum gentium libidini permittere, ac perspicua furoris sui indicia populo exhibere decrevit. Templum abjecit

(1) Isai. xiv. 12. (2) Abdias ℣. 4. (3) Isai. lxvi. 1. Et Act. vii. 49. (4) Mat. v. 35. (5) Psal. xcviii. 5. (6) 1. Par. xxviii. 2. (7) בלע ארני לא חמל את כל נאות יעקב (8) Ἐβεβήλωσε βασιλεῖς αὐτῆς, καὶ ἄρχοντας αὐτῆς. Heb. חלל ממלכה ושריה (9) Paschas. Raban. Vat. (10) Origen. Theodoret. Bonavent. Hugo, Grot. (11) Castr. Sanct. (12) בלע כל ארמנותיה (13) Κατεπόθησε πάσας τὰς βάρεις αὐτῆς. (14) וירב בבת יהודה תאניה ואניה (15) Ἐπλήθυνε τῇ θυγατρὶ Ἰούδα ταπεινουμένην, καὶ τεταπεινωμένην. Complut. Ταπεινούμενον, καὶ τεταπεινωμένην. Ut Vulg. Ita & Theodoret. & Alexandri. (16) Διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Heb. ויחמס כגן שכו (17) Psal. lxxix. 13. (18) Isai. v. 5. (19) 4. Reg. xxv. 25. & Jerem. lii. 10. 11.

ceu rem execrabilem, cui maledixit. *Maledicere* apud Hebræos tum late porrigitur, quam contrarium *benedicere*. Porro cum *benedicere* usurpetur pro benefacere, aliquid alicui elargiri, bona omnia omnesque fortunas alteri optare; *maledicere* est, malum alteri cupere, imprecari, mulctare, supplicio afficere, odio, contemptui, horrori habere.

TRADIDIT IN MANU INIMICI MUROS TURRIUM EJUS; vel *muros et turres ejus*; vel *mœnia turribus munita*. Hebræus (20): *Clausit in manu inimici muros palatiarum ejus*. Palatia Regum Juda crematvit atque evertit hostis. Septuaginta hic & ℣. 5. utuntur voce *Baris*, palatium, ingens domus in turris formam. Quamobrem S. Hieronymus utroque loco *turres* pro *Palatiis* posuit.

VOCEM DEDERUNT IN DOMO DOMINI, SICUT IN DIE SOLEMNI. Lætis clamoribus in Templo insonuere Chaldæi, victoriæ causa, quemadmodum Judæi per dies maxime solemnes consueverant. At omnia tunc tibicinum, cantorumque & populi, Deum laudantium, vocibus perstrepebant: urbe expugnata, buccinarum bellicorumque clamorum fragor, gentis calamitatibus illudentium, Deumque conviciis obruentium, omnia implebat, Miram antithesin!

℣. 8. TETENDIT FUNICULUM SUUM, ut mœnia Jerosolymæ everteret, ac solo æquaret; ceu tugurium, quod funi æquatur ad libellam, ut nullum plane illius vestigium appareat. Iisdem ferme verbis Idumææ excidium prædicit Isaias (21): *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem*. Alibi (22) minitatur Deus: *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ*, ita miseram efficiam, uti Samariam. Putat Theodoretus, *tendere funiculum* hic usurpari pro, jus æquissimum reddere, omnia cum modo & justitia gerere.

LUXITQUE (fuit) ANTEMURALE, ET MURUS PARITER DISSIPATUS EST. Quicquid hic inducit Jeremias, ceu anima instructum exhibet. Urbs, Templum, regio, humus, mœnia, omnia loquendi facultate donantur & vita: vividis omnia & acerrimis coloribus picta conspiciuntur. Antemurale simplex erat murus, terreo aggere vacuus, ad fossæ oram, quo validior urbis murus protegebatur. Interdum erat fossa, vallo, terreo aggere, castello munita (23). *Erumpentibus recursus ad mœnia tutior* (24), *vallumque antemuranum cespitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat*. Ajunt (25), Alexandrum magnum in Hephestionis obitu, totius exercitus lacrymis non contentum, ipsos etiam equos, & urbis mœnia luctum trahere jussisse; cæsis equorum crinibus, eversisque mœnium pinnis. Jerosolymæ mœnia funus acerbissime agebant, versa nimirum, & humi jacentia.

℣. 9. DEFIXÆ SUNT IN TERRA PORTÆ EJUS; vel sub mœnium domorumque ruderibus quodammodo sepultæ (26). Narrant Rabbini, portas Templi divino prodigio hiscente humo absorptas fuisse, ne Chaldæorum avaritiæ ac libidini relinquerentur. Fabulæ.

REGEM EJUS ET PRINCIPES EJUS IN GENTIBUS. Duo Judæ Reges vincti Babylone erant, Sedecias nimirum & Jechonias. Nihilo melior erat Regiæ stirpis Principum, quam cæterorum e vulgo captivorum conditio. Alii enim apud Regem Aulæ ministeriis fungebantur; alii turbæ immisti, totum servitutis & exilii pondus ferebant.

NON EST LEX. Pleræque sacrorum rituum Leges negliguntur. Nullæ penitus aræ, nulla sacrificia, nulli cœtus religiosi in Templo: solemnia sacra, cultusque publicus ac solemnis cessavere. Gentis Principes, Judices ac Sacerdotes captivi, jura tradere ac moderari ex patriarum Legum morumque institutis nequeunt. Denique *non est Lex*, publica institutio, aut Legis explicatio in populi concionibus. Sunt qui ita interpretentur (27): Neglecta est lex, negatque Prophetia obedientia, &c. Nihil hic, quod magnopere probari nequeat.

PROPHETÆ EJUS NON INVENERUNT VISIONEM A DOMINO. Ficti Prophetæ, nonnulli explicant (28), qui Deo minime afflati, vaticinia veluti a Deo venditabant. Aptius tamen dicere videntur, qui ajunt, quod Deus, Judaicæ calamitatis cumulo, populum consuetis beneficiis ac solatiis spoliavit. Prophetas alloqui desiit, iracundum quoddam silentium servans. Jeremiam certe in miserrimo hoc rerum statu verba fecisse non legimus; aliquo post tempore, cæso Godolia, cum populus, in Ægyptum proficisci cupiens, Jeremiam rogaret quid ea de re decerneret Deus; Jeremias decem dierum spatio oravit, antequam responderet Deus, ac vaticinandi facultatem illi restitueret (29). Daniel & Ezechiel trans Euphratem erant, & Judæis terram Juda incolentibus ita inutiles, quasi divino Numine non afflatentur.

℣. 10. SEDERUNT IN TERRA, &c. Siluere, capitibus cinere conspersis, & ciliciis induti; quæ communia erant luctus indicia inter Judæos (30) cæterosque. Hæc multo magis movent, ubi senes ætate verendi dolore opprimi conspiciuntur; vel Judices, Magistratus, Senes, homines dignitate conspicui in pulvere sedent, lugubri veste velantur, canosque cinere conspersos gerunt (31):

Caniciem multo deformat pulvere.

ABJECERUNT IN TERRA SUA VIRGINES JERUSALEM, Capita in pulvere posuerunt, doloris vi. Septuaginta (32): *Deduxerunt in terram principes virgines in Jerusalem*.

℣. 11. EFFUSUM EST IN TERRA JECUR MEUM (33). Significare videtur vomitum, bilis copia partum. Dolor ex nimia bili, quam in stomachum effudit, vomitus causa esse potest. Septuaginta (34): *Effusa est in terram gloria mea*. Putat Grotius, jecore significari *desideria*; horum enim sedem Veteres in jecore constituebant. Aptior tamen videtur prima interpretatio (35). Simili locutione usus est Job (36), ut viscera vere effusa significaret: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea*. Hic tamen de iis agitur, quæ a vehementi cruciatu efficiuntur. Tota fortasse Jeremiæ sententia figura orationis est, qua significat, sese cor, viscera, stomachum habere mœrore lacerata; ferme uti Virgilius de invidia loquens (37).

.... *Invidia rumpantur, ut ilia Codro*:

℣. 13. MAGNA EST VELUT MARE CONTRITIO TUA; ut malorum oceanus, doloris inundatio, cruciatuum mare. Satis intelligitur, quid hæ locutiones significent; earumque vim quælibet explicatio infirmat.

℣. 14. PROPHETÆ TUI VIDERUNT TIBI FALSA ET VANA. Pseudo-Prophetæ inanibus vos vaticiniis fefellere, commentitiam felicitatem, proximamque libertatem polliciti. Hæc nimirum ex illorum

---

(20) הסגיר ביד אויב חומת ארמנותיה Septuag. Τεῖχος βάρεων αὐτῆς. (21) Isai. XXXIV. 11. (22) 4. Reg. XXI. 13. (23) Vide Isidor. Origin. (24) Ammian. lib. XXI. (25) Plutarch. in Pelopida; Ælian. Var. lib. 7. (26) Vide Jerem. XIV. 2. *Luxit Judæa, & portæ ejus obscuratæ sunt in terra*. (27) Theodoret. Bonav. Raban. Dionys. Vatab. Chaldæus. (28) Theodoret. hic, & alii sup. citati. Vide & ℣. 14. & Sanct. hic. (29) Jerem. XLII. 7. (30) Vide 3. Reg. XX. 27. Job XLII. 6. Jerem. VI. 26. & alibi passim. (31) Virgil. Æneid. X. Vide & Homer. Iliad. XVIII. &c. (32) Κατήγαγον εἰς γῆν ἀρχηγοὺς παρθένους ἐν Ἱερουσαλήμ. הורידו לארץ ראשן בתולות ירושלם (33) נשפך לארץ כבדי (34) Ἐξεχύθη εἰς γῆν ἡ δόξα μου. Legunt *Cobodi*, pro *Cobedi*. (35) Ita Jun. Pisc. Angl. Glassius. (36) Job XVI. 14. (37) Eclog. VII. Vide Sanct. hic.

rum promiſſionibus orta ſunt. Nihil illi niſi minas in hoſtium pernieiem loquebantur: *Viderunt aſſumptiones falſas, & ejectiones*: Onera & fugas; mala in hoſtes ruitura, vaticinia gravia & pernicioſa, quibus opprimendi eſſent Chaldæi. Ubi illos audires; fugandi erant ab Iſraelitis hoſtes. Hebræa vox *Maſſath* (38) plerumque pro vaticiniis minacibus gravibuſque uſurpatur; interdum vero abſolute pro vaticiniis. Ea vobis prædicebant Pſeudo-prophetæ, quæ in veſtrum a patria exilium, atque ab officio remotionem deſitura erant (39): *aſſumptiones & ejectiones*.

Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Hebræus (40) *Non aperiebant iniquitatem tuam, ut te ab exilio revocarent*, vel ut captivitatem tuam averterent; ut facerent quominus rueres in miſeram hanc rerum conditionem, ſub qua gemis. Si poſthabitis inanibus promiſſis, animi tui vulnera tibi detexiſſent, pœnitentiam egiſſes, tuoque ex capite procellam, qua denique obruta es, avertiſſes.

℣. 15. Plauserunt super te manibus. Eoſdem hos inſultantis ac irridentis geſtus frequenter uſurpat Jeremias (41); plaudere manibus, ſibilare, frendere dentibus, &c. Poſtremus tamen minas communis eſt apud Jeremiam; at in aliis (42) vulgo uſurpatur pro furentis, inſultantis, atque illudentis indicio. Moſchi enim aliquid admirantur caput agitant. Eſtat de la Ruſſie p. 93. Vide Job xvi. 4.

℣. 16. Aperuerunt super te os suum. Mala ſua ludibrio habuere, diducto per contemptum ore, exſertaque in te lingua, ut ii, de quibus Pſalmiſta (43): *Dilataverunt ſuper me os ſuum, dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi noſtri*. Impios arguit Iſaias (44), quod bonis illudant, diducto ore, exſertaque lingua, &c. *Super quem luſiſtis? Super quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam?* Aperire os interdum etiam ſignificat, ſuperbe & arroganter loqui.

Lugubre hoc Carmen acroſticho artificio exaratum eſſe, ac ſingulos verſus ſingulis ordine alphabetico literis exordiri in Præfatione notatum eſt: hic tamen animadverte, turbatum eſſe ordinem, & literam *Phe* ante *Ain*, repugnantibus Hebraici alphabeti legibus, collocari. Eamdem hanc ordinis inverſionem vide in Capitibus duobus quæ ſequuntur. Caſu ne, an data opera? Librarii oſcitantia, an myſterio? Id porro ægerrime intelligitur. Putat Grotius (45), Chaldæos alio uſos eſſe literarum ordine, quam Hebræos; ſicut & Arabes aliter digerunt literarum ordinem. Itaque, ſubdit ille, primo capite loquitur Jeremias ut Hebræus; ſequentibus, ut Chaldæorum ſubditus. Leviſſimam certe conjecturam firma argumenta quærenti. At quæ ratio afferri poterat ejus rei, quam fortuita litterarum turbatio, vel a librario, vel caſu parta, produxit? Cenſet Sanctius, olim ordinem literarum *Ain*, *Phe*, & *Tſade* incertum fuiſſe, adeo ut indiſcriminatim collocarentur. At hæc quoque conjectura infirmis ita fundamentis nititur, uti ſuperior. Meliora ex ingenioſioribus expectamus. An putas, has literarum turbas ortas eſſe ex Librariis, qui majori ſententiarum affinitate nexos eſſe exiſtimaverunt verſiculos *Samech & Phe*, quam *Samech & Ain*. Omnino major eſſe videtur inter priores connexio.

℣. 17. Implevit sermonem, quem præceperat diebus antiquis. Michæas Propheta, regnante adhuc Ezechia, prædixerat fore, ut Sion agri more coleretur (46). Holda Propheteſs, ſub Joſia iis quos Joſias ad eam conſulendam miſerat, reſpondit (47), Deum omnia ea mala, quæ is in Libro Legis, ſcilicet in Deuteronomio (48), legerat, in Jeroſolymam immiſſurum. Profecto Moyſes ſupremas Judæorum calamitates ſpectaſſe videtur; e. g. iis verbis (49): *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinqua, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu; cujus linguam intelligere non poſſis: gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur parvuli ... conterat in cunctis urbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua: Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus*, &c. Vide & *Levit.* xxvi. 14. 15. &c. ubi eadem fere minas legimus. Prætereo hic minas Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, utpote non æque vetuſtas.

℣. 18. Clamavit cor eorum ad Dominum, super muros filiæ Sion. Judæi voces ad Deum extulere, cum everſa Sionis mœnia intuerentur; ſeſeque mutuo hortati ſunt, ut inter patriæ ruinas animos coram Deo demitterent. Hebræus (50): *Clamavit cor eorum ad Dominum. O murus filiæ Sion, deduc quaſi torrentem lacrymas die ac nocte*. Hanc ſententiam ſequuntur Septuaginta (51). Vidimus ſupra, mœnia Jeroſolymæ ita induci ab Jeremia, veluti anima inſtruantur, eaque lacrymas edere ait, ſuiſque ruinis cruciari. Eadem hic hortatur, ut lacrymarum torrentes emittat: *Deduc quaſi torrentem lacrymas ... neque taceat pupilla oculi tui*. Lacrymas ex ima oculorum parte exprimi putat; repugnantibus plane rerum Anatomicarum peritis, qui lacrymas e glandulis quibuſdam, in oculi angulo poſitis, educi ajunt. At Prophetæ vulgaribus ſententiis plerumque connivent, ut ſeſe magis vulgo perſpicuos reddant. *Neque taceat pupilla oculi tui*, flere non ceſſet. Tacere interdum pro quieſcere uſurpatur.

℣. 19. Lauda in nocte in principio vigiliarum. Obſeſſam Jeroſolymam hortatur; illam enim Jeremias alloquitur, mox uti everſam vaſtatamque, ſtatim vero uti adhuc exiſtentem, maliſque & obſidionis diſcriminibus cinctam. Surge, Sion: Deum laudibus celebra, a vigiliarum nocturnarum initio, ad ſolem uſque matutinum: Judicem flectere, atque ad miſericordiam filiorum, fame languentium, atque in viarum capitibus miſerrime pereuntium, impellere ſtudeto: *Pro anima parvulorum tuorum, qui fame pereunt in capite omnium compitorum*.

℣. 20. Considera quem vindemiaveris ita, vaſtaveris. Vide ſupra, ℣. 12. & 22. *Pſal.* lxxix. 13. Jeroſolymæ orantis verba ſunt, ex iis orta, quæ verſiculo ſuperiore imperantur.

Ergone comedent mulieres fructum suum, filios a ſe editos? Nullane malorum, quibus obruimur, miſericordia moveberis? An vis, ſæva adeo fame laborare matres, ut liberorum carnibus veſcantur? Id revera contigit, ut infra videbimus (52), & Jeremias xix. 9. Ezechiel v. 10. & diu antea Moyſes in Deuteronomio xxviii. 53. prædixerant.

Parvulos ad mensuram palmæ. Sunt qui reddant Hebræum (53): *Parvulos qui educantur*, nondum e lacte pulſos. Septuaginta in Romana Edi-

(38) משאות שוא ומדוחים Septuag. Λήμματα μάταια & ἐξώσματα. (39) Sanct. n. 56. Strigel. Piſc. (40) לא גלו על עונך להשיב שבותך Septuag. Οὐκ ἀπεκάλυψαν ἐπὶ τὴν ἀδικίαν σου, τοῦ ἐπιστρέψαι τὴν αἰχμαλωσίαν σου. (41) Vide Jerem. xviii. 16. xix. 8. xxv. 9. 18. xxix. 18. 22. 37. (42) Job xvi. 10. Pſal. xxxiv. 16. cxi. 10. Act. vii. 54. (43) Pſal. xxxiv. 21. (44) Iſai. lvii. 4. (45) Grot. initio Comment. in Thren. Jerem. (46) Jerem. xxvi. 18. (47) 1. Par. xxxiv. 24. (48) Deut. xxviii. 15. 16. & ſeqq. (49) Ibid. ℣. 49. (50) צעק לבם אל אדני חומת בת ציון הורידי כנחל דמעה וגו (51) Ἐβόησεν καρδία αὐτῶν πρὸς κύριον. τείχη θυγατρὸς Σιὼν καταγάγετε ὡς χειμάῤῥους δάκρυα. Ἡμέρας & νυκτὸς, &c. (52) Thren. iv. 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum.* (53) עללי טפחים

Editione (54): *Vindemiam fecit cocus : occidentur pueri sugentes ubera*. Alterum tantummodo sententiæ membrum fert Complutensis Editio : *Occidentur pueri sugentes ubera*; Theodoretus primum. Eadem Hebræa vox, quæ *vindemiantes* significat, pro *pueris* etiam usurpatur. Aptior videtur Vulgatæ versio. Palmi mensura quasi proverbii loco passim in Scriptura ponitur pro parva re, minimæque magnitudinis. David (55): Domine, *Ecce palmares dedisti dies meos* : momento similis vita mihi est. Isaias (56): *Dextera Domini mensa est palmo cælos* : scilicet; Cœli nihilo ampliores sunt, quam dexteræ Dei palmus. Hic vero, ℣. 22. queritur Sion, pueros a se editos, palmo non majores, educatosque & enutritos, ab hostibus esse consumptos.

Si occiditur in Sanctuario Sacerdos et Propheta? Ita ne Jerosolymam Templumque hostium potestati relinques, ut Sacerdotes tui ac Prophetæ coram Altari tuo jugulentur? Tam multis igitur malis, rerumque sacrarum profanationibus ac sacrilegiis minime flecteris?

℣. 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me. Jerosolymam per solemnes dies ex omnibus terrarum plagis conveniebant. Quidquid ubique Judæorum erat, confluebant ad Templum, ut ibi sacra facerent, suaque munera Domino sisterent. Nunquam non ingens concursus hominum; ac rarissimi plane Reges opibus viribusque adeo florebant, ut æque ingentes exercitus cogere possent. Sion, doloris vi percita, numerum Chaldæorum sese obsidentium cum Religiosis hujusmodi cœtibus comparat.

Quos educavi et enutrivi, inimicus consumpsit eos. Hebræus (57): *Quos formavi*, vel peperi, *palmares*, *& educavi*, *& enutrivi*, *donec adolescerent*, *hostis consumpsit eos*. Liberos, quos ab infantia enutrivi, donec adolescerent, atque opem patriæ afferre possent, Chaldæi interfecere. Septuaginta (58): *Enutrivi*, *educavi*, *& multiplicavi*, *& hostis omnia consumpsit*.

(54) Septuag. Ἀποκτενεῖτε νήπια θηλάζοντα μαστούς. Theodoret. Ἐπὶ φυλλίδα ἐποίησε μάγειρος. Rom. Edit. utrumque habet: Ἐπιφυλλίδα ἐποίησε μάγειρος, ἀποκτενεῖτε νήπια θηλάζοντα μαστούς. Legunt טבחים pro טפחים
(55) Psal. xxxviii. 6. הנה טפחות נתת ימי (56) Isai. xlviii. 13. וימיני טפחה שמים
(57) אשר טפחתי ורביתי איבי כלם (58) Ἐξέθρεψα, ἐκραταίωσα, καὶ ἐπλήθυνα, καὶ ὁ ἐχθρός πάντα συνετέλεσε.

CAPUT III.

Sua ipsius mala & patriæ deflet Jeremias.

℣. 1. Aleph. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.
Aleph. 2. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. A-
leph. 3. Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die. Beth. 4. Ve-
tustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea. Beth. 5. Ædifi-
cavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore. Beth. 6. In tenebrosis col-
locavit me, quasi mortuos sempiternos. Ghimel. 7. Circumædificavit adversum me,
ut non egrediar: aggravavit compedem meum. Ghimel. 8. Sed cum clamavero, &
rogavero, exclusit orationem meam. Ghimel. 9. Conclusit vias meas lapidibus qua-
dris, semitas meas subvertit. Daleth. 10. Ursus insidians factus est mihi : leo in
absconditis. Daleth. 11. Semitas meas subvertit, & confregit me: posuit me deso-
latam. Daleth. 12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.
He. 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. He. 14. Factus sum in deri-
sum omni populo meo, canticum eorum tota die. He. 15. Replevit me amaritudi-
nibus: inebriavit me absinthio. Vau. 16. Et fregit ad numerum dentes meos, ci-
bavit me cinere. Vau. 17. Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bono-
rum. Vau. 18. Et dixi: Periit finis meus, & spes mea a Domino. Zain. 19. Re-
cordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis. Zain. 20. Memoria
memor ero, & tabescet in me anima mea. Zain. 21. Hæc recolens in corde meo,
ideo sperabo. Heth. 22. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti : quia
non defecerunt miserationes ejus. Heth. 23. Novi diluculo, multa est fides tua.
Heth. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Teth.
25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Teth. 26. Bo-
num est præstolari cum silentio salutare Dei. Teth. 27. Bonum est viro, cum por-
taverit jugum ab adolescentia sua. Jod. 28. Sedebit solitarius, & tacebit: quia le-
vavit super se. Jod. 29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Jod. 30. Da-
bit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Caph. 31. Quia non repellet
in sempiternum Dominus. Caph. 32. Quia si abjecit, & miserebitur secundum mul-
titudinem misericordiarum suarum. Caph. 33. Non enim humiliavit ex corde suo,
& abjecit filios hominum. Lamed. 34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vin-
ctos terræ. Lamed. 35. Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi.
Lamed. 36. Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit. Mem.

37. Quis

37. Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente? Mem. 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala, nec bona? Mem. 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Nun. 40. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Nun. 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nun. 42. Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es. Samech. 43. Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti. Samech. 44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Samech. 45. Eradicationem, & abjectionem posuisti me in medio populorum. Phe. 46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. Phe. 47. Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio. Phe. 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. Ain. 49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. Ain. 50. Donec respiceret, & videret Dominus de cœlis. Ain. 51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. Sade. 52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Sade. 53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Sade. 54. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii. Coph. 55. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Coph. 56. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus. Coph. 57. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas. Res. 58. Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. Res. 59. Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversus me, judica judicium meum. Res. 60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. Sin. 61. Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. Sin. 62. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die. Sin. 63. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. Tau. 64. Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. Tau. 65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Tau. 66. Persequeris in furore, & conteres eos sub cœlis, Domine.

℣. 1. EGO VIR VIDENS PAUPERTATEM MEAM, IN VIRGA INDIGNATIONIS EJUS. Caput hoc, uti præcedentia duo, acrosticho artificio exaratum est; ternis tamen versiculis ab eadem alphabeti litera incipientibus, cum præcedentia duo singulis versiculis singulas literas exhibeant. Suo hic nomine loquitur Jeremias, eaque narrat, quæ obsidionis tempore passus est, in carcere, & a civibus, ex quibus injurias & opprobria sustinuit. Iis vero sententiis hic utitur, quę Jesu Christo, cujus ipse absolutissima imago est, in iis præsertim quæ passus est, mire conveniunt. Scribit igitur (1), sese *virum esse, qui videat paupertatem suam*, cruciatus, angustias; vel, hominem qui pati sciat, malis assuetum, patientia exercitatum, ac diu Divinæ manus plagis obnoxium. Idem hoc dixerat David (2): *Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea*. Et Isaias (3): *Virum dolorum & scientem infirmitatem*. Hæc mirifice Jesu Christo conveniunt, ejusque Discipulis ceu propriæ illorum notæ.

℣. 2. ME MINAVIT IN TENEBRAS, ET NON IN LUCEM. Jungenda hæc sunt cum præcedentibus: *In virga indignationis ejus me minavit*, ceu gregem *& adduxit in tenebras*, in angustias, in mala, *& non in lucem*, in res prosperas. Populi sui pastor Deus est; suosque ipse servos virga duplici agit, uti habet Zacharias (4): virga utitur iræ, justitiæ, severitatis; & virga lenitatis & misericordiæ. Me porro altera severitatis virga egit; duxitque per mala, calamitates, &c. Toto hoc capite Jeremias carcerem, quem non semel subiit, variis loquendi modis significat.

℣. 3. TANTUM IN ME VERTIT ET CONVERTIT MANUM. Iteratis ictibus, nulla mora aut requie me cecidit. Hebræus (5): *Profecto reduxit & convertit manum suam tota die*. Manum qua me tuebatur, reduxit, meque penitus ope destitutum cecidit. Inter mala, quæ patiebar, me dereliquit. Sævitiam, qua cruciatus est Jeremias Jerosolymis, vidimus Capite XXXVIII. & Capite XX. Jeremiæ questus, narrantis injurias pugnasque, quibus ab Judæis petebatur. Neminem ex Prophetis novimus, qui paria Jeremiæ mala passus sit; nihilque vero majus toto hoc Capite narrari, asserere omnino licet.

℣. 4. VETUSTAM FECIT PELLEM MEAM. Ærumnę, labores, animi ægritudines canos capiti crines, ori rugas inducunt. Id quod suæ sibi ærumnæ peperere, Jeremias Deo tribuit, quippe qui Deum primam malorum suorum causam esse arbitratur. Quolibet illum discriminis genere probare voluit Deus, atque in Jeremiæ malis Christi sui cruciatuum imaginem exhibere.

℣. 5. ÆDIFICAVIT IN GYRO MEO. Ita me Jerosolymis clausit, ut egredi nequeam. Mœnium fossarumque loricam Chaldæi circa Jerosolymam duxere, ne quidquam in urbem inferretur, ac cives fame coacti urbem dederent (6). Hæc olim erat obsidionum disciplina, cum aperta vis inutilis erat, urbisque munitiones vi superari non poterant.

CIRCUMDEDIT ME FELLE ET LABORE; felle me proluit, ac malis oppressit. Diu antea minitatus fuerat Deus, fore ut Jerosolymitanis Judæis potum daret *aquam fellis* (7). Jerosolymitanorum civium

(1) אני הגבר ראה עני בשבט עברתו (2) Psal. XXXVII. 16. (3) Isai. LIII. 3. (4) Zach. XI. 7. *Assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum, & pavi gregem, &c.*
(5) אך בי ישב יהפך ידו כל היום (6) Vide infra ℣℣. 7. & 9. & Jerem. LII. 4. *Obsederunt eam, & ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu.* (7) Jerem. VIII. 14. & IX. 15. *Potum dabo eis aquam fellis.* Ita & XXIII. 15. & hic ℣. 19.

vium nomine & persona loquitur Jeremias. Septuaginta (8): *Circumdedit caput meum, & laboravi*. Chaldæus: *Avulsit caput populorum, & deficere fecit eos*. Vide Job XVI. 13. *Tenuit cervicem meam, confregit me, &c.*

℣. 6. IN TENEBROSIS COLLOCAVIT ME, QUASI MORTUOS SEMPITERNOS. Me ad sepulcrum adegit, ceu mortuum & sepultum. Carcerem innuit, quo coercitus ipse est, cum urbs obsideretur (9); is enim in veterem cisternam demissus est, ubi non aqua, sed lutum erat; certo exitio, nisi Abdemelech, assentiente Sedecia, eduxisset. *Mortui sempiterni* ii sunt, qui sepulcro conduntur, appellato apud Salomonem (10) *Domo æternitatis*. Agens de locupletibus Psalmista (11), ait, illorum opes cum ipsis in sepulcrum minime deventuras, æternamque illorum sedem sepulcrum fore: *Sepulcra illorum, domus eorum in æternum*. Alibi (12), ærumnas suas significans: *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi*.

℣. 7. CIRCUMÆDIFICAVIT ADVERSUM ME. Vide supra ℣. 5. & infra ℣. 9.

℣. 8. EXCLUSIT ORATIONEM MEAM. Non semel vetuerat Deus, ne Jeremias supplex pro Judæis accederet (13): *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*.

℣. 9. CONCLUSIT VIAS MEAS LAPIDIBUS QUADRIS: SEMITAS MEAS SUBVERTIT. Murum e quadratis lapidibus struxit, qua mihi eundum erat: quamobrem divertere opus fuit, atque iter alibi quærere; ceu cum peregrinus unicas viæ angustias, per quas iter sibi patebat, muro validissimo clausas videt, atque impeditum sibi ea re iter, & ea, quæ apud se constituerat, perturbata. Vide Job XIX. 8.

℣. 10. URSUS INSIDIANS FACTUS EST MIHI, LEO IN ABSCONDITIS. Peregrinus, qui obstructum sibi iter inveniat, novasque vias quærere cogatur, semitasque nullo advena frequentatas sequi, (℣. 9.) feris obnoxius est, atque innumeris cædis discriminibus. Non modo me coegit Deus a via deflectere; verum etiam ursos ac leones in me immisit, homines scilicet feritate ursis, sævitia leonibus pares. Hæc nullo negotio vel de Jeremia, vel de Judæorum gente explicantur.

℣. 12. POSUIT ME QUASI SIGNUM AD SAGITTAM. Apud Orientales, inter quos arcus & spiculorum usus adhuc viget, in singulis ferme urbibus murus quidam luteus est, ad quem spicula torquendo juventus exercetur. Jonatham, Saulis filium legimus (14), cum amicum Davidem de malo Saulis in ipsum animo admonere cuperet, egressum ex urbe, quasi jaculando exerceri vellet. Ait igitur Jeremias, sese veluti metam constitutum esse, quam Deus jaculis feriat. Semel feriisse non contentus, pluries jaculatus est, veluti in murum, excipiendis juvenum, exercitationis gratia jaculantium, ictibus destinatum. Eadem comparatione usus est Job (15): *Posuit me sibi quasi in signum; circumdedit me lanceis suis; convulneravit lumbos meos*, &c. Quæ verba iis similia sunt quæ sequuntur ℣. 13. *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, renes meos sagittis suis perfodit.

℣. 14. FACTUS SUM CANTICUM EORUM TOTA DIE. Innumeris ex populo injuriis obnoxii erant Prophetæ. Si qua tristia nunciarent, a Regibus ceu pacis publicæ perturbatores mulctabantur. Cum pleraque illorum vaticinia ad remotam longe ætatem spectarent, ipsi ceu falsi Prophetæ irridebantur, quod nihil tunc prodiret, quo vaticiniorum fides expleretur. Adde, quod ingens perversorum hominum numerus, falsa oracula venditantium, ac sese Divino numine afflatos esse simulantium, causa erant, ut homines vere Deo afflati innumeris injuriis atque irrisionibus obnoxii essent, cum boni a malis non satis secernerentur. Vide *Jerem.* XVII. 15. *Ezech.* XII 23. & *Isai.* XXVIII. 18.

℣. 15. REPLEVIT ME ABSYNTHIO, toxico, lethiferæ ac virulentæ herbæ succo. Vide *Deut.* XXIX. 18. *Jerem.* IX. 26. X. 15.

℣. 16. CONFREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS, nullo relicto, vel singulatim, *ad numerum*. Hebræus (16): *Conteri fecit in lapide dentes meos; obruit me pulvere*. Vehementer adeo me impulit, ut in lapidem cadens dentes confregerim; totusque pulvere & sordibus obrutus sim. Septuaginta (17): *Confregit lapillo dentes meos* (eo lapillorum genere, quibus suffragia in cœtibus reddebantur). Lapidosum adeo panem mihi exhibuit, ut dentes penitus fregerim. Reddi etiam ita potest cum Syro: *Confregit lapidibus dentes meos*. His omnibus locutionibus mala significantur, quibus Jeremias suo vaticinii sui tempore obnoxius fuit; & sublimiori sensu, ea quæ Christus inter homines versans ex Judæis tulit.

CIBAVIT ME CINERE, cinerem cibis meis immiscuit, eoque panem conspersit. Ita gemens Propheta (18) querebatur: *Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam*. Hæc tamen ex mero verborum sono accipienda non sunt.

℣. 18. PERIIT FINIS MEUS, ET SPES MEA A DOMINO. Actum est de me, & spes, quam in Deo collocaveram, penitus evanuit. Vel: Spes qua mihi blandiebar, futurum ut Deus malis meis finem imponeret, prorsus defecit. Hebræus (19): *Periit* fortitudo *mea & spes mea in Domino*. Septuaginta (20): *Periit victoria mea, & spes mea a Domino*.

℣. 19. RECORDARE PAUPERTATIS ET TRANSGRESSIONIS MEÆ, gravitatis malorum, quibus obruor. Vel (21): *Recordare afflictionis meæ, & ærumnarum, quas ob defectionem meam patior*. Defectio & transgressio pro illarum pœna usurpatur. Si unicam in Hebræo literam mutes, legi potest (22): *Recordare paupertatis & amaritudinis meæ*. Atque ita melior sententia redditur. Confer ℣. 15. Recordare fellis & absynthii, quibus me proluisti.

℣. 20. MEMORIA MEMOR ERO, ET TABESCET IN ME ANIMA MEA. Una horum malorum memoria me dolore ac mœrore obruit. Plures admittit Hebræus explicationes (23): *Memoria memor erit, & meditabitur super me anima mea*. Vel: *Recordando recordaberis, & confirmabitur anima mea*. Memento, Deus, malorum quæ passus sum; meusque animus aliquam denique ex malis quietem sentiet. Hæc explicatio cum iis quæ sequuntur, melius congruit; & Vulgata cum præcedentibus aptius nectitur. Septuaginta (24): *Memor ero, & meditabitur super me anima mea*: ℣. 21. *Hoc ponam in corde meo, propterea sustinebo*. Hujus rei recordatio animum meum confirmabit, ac solatio afficiet. Confer hunc locum cum Jeremia XX. 12. 13. 14.

℣. 22. MISERICORDIÆ DOMINI, QUIA NON SUMUS CONSUMPTI. Hebræus (25) jungi potest cum præcedentibus: Memor ero, meque consolabor, *quod misericordiæ Domini non defecerunt; neque consumptæ sunt miserationes ejus*.

℣. 23. NOVI DILUCULO. MULTA EST FIDES TUA.

Nova

(8) Ἐκύκλωσεν κεφαλήν μου, καὶ ἐμόχθησα. Heb. יקף ראש ותלאה Forte ולענה Vide Deut. XXIX. 18. & infra 15.
(9) Jerem. XXXVIII. 6. 7. (10) Eccle. XII. 5. *Ibit homo in domum æternitatis suæ*. (11) Psal. XLVIII. 12 (12) Psal. CXLII. 3. (13) Jerem. VII. 16. Ita & cap. XI. 14. & XIV. 11. (14) 1. Reg. XX. 36. 37. (15) Job XVI. 13. 14. (16) ויגרס בחצץ שני הכפישני באפר (17) Ἐξέβαλεν ψήφῳ ὀδόντας μου, ἐψώμισέν με σποδόν. (18) Psal. CI. 10. (19) אבד נצחי ותוחלתי מיהוה (20) Ἀπώλετο τὸ νῖκός μου, καὶ ἡ ἐλπίς μου ἀπὸ Κυρίου. (21) זכר עניי ומרודי
(22) Lego *Merori* מרורי, pro *Merudi* מרודי (23) זכור תזכור ותשוח עלי נפשי (24) Μνησθήσομαι, καὶ καταδολεσχήσει ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου. (25) חסדי יהוה כי לא תמנו כי לא תמו רחמיו

Nova singulis diebus beneficia experior. Quam constans est promissionum tuarum fides. Vel: Novæ in dies prodeunt miserationes tuæ: tua in promissis constantia, tuorumque verborum veritas nullo fine circumscribitur. Ita sonat Hebræus (26). *Novi* verbum non est, uti plures credidere, sed nomen adjectivum, ad alterum præcedans, scilicet ad *miserationes*, spectans. Quamobrem legendum erat: *Novæ diluculo*. Fides hoc loco pro veritate, fidelitate, servandæque fidei constantia usurpatur. Chaldæus: *Nova multa edit quotidie miracula* Deus: *magna est fides tua*, Domine.

℣. 27. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Utile homini est, aliquid a primis annis tulisse. Labores atque ærumnæ maxime utiles homini sunt; quippe superbiam coercent, animi robur & constantiam augent, ipsos probant, mansuetos, misericordes, lenes, sapientes, cautos efficiunt. Nemo est, cui non placeat, grave aliquod discrimen, aut inimicas fortunæ vices aliquando subiisse. At cum Dei causa pateris, testante conscientia, te innoxium erga homines esse; cum Dei jugum te ferre certo scis; tunc certe ærumnarum jugum splendidissima qualiber fortuna suavius multo est, illique anteferendum.

℣. 28. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se; jugum ex Dei manu accepit, sibique sponte imposuit. Ea est fidelis animi quies inter ærumnas: silet, quiescit, tranquilla est, turbam fugit, minime sollicita aut anxia, malorum finem & jugi remotionem inquieto studio non quærens. Quamdiu visum fuerit Deo, jugum fert æquo animo, & feret. Latini Codices plurimi ferunt: *Levavit se super se*: at solummodo legendum est (27): *Levavit super se* jugum, non ipsa se supra se extulit. Theodoretus & S. Ambrosius legunt: *Quia tulit super se jugum grave*.

℣. 29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Anceps hærensve de Divina erga se misericordia minime est; quæ enim hactenus dixit, contrarium prorsus docent. At qui Dei jugo onustus gemit, solus sedebit, silens, ore humi & in pulverem demisso; atque ita Dei ope omnino fretus, libertatem præstolabitur. *Ponere in pulvere os*, tropica locutio est, qua significatur, prorsus dejectum esse, in silentio mœrere, seu veluti ex ima tellure loqui (28). Vide Isaiam xxix. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris*, &c.

℣. 30. Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis. Hæc in Jesu Christo inter Passionis cruciatus posito (29), non in Jeremia expleta conspicimus.

℣. 33. Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum. Invitus reluctansque homines punit, rejicit; ac vix illorum criminibus coactus. Nunquam non molestum patri est, cum sævire in filios debet: coactus punit, atque ab hæreditate excludit: parcere semper paratus, ubi is sincero animo resipiscat. Quamvis irasci videatur, nunquam non amat (30). *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus? & non ut convertatur a viis suis, & vivat* (31)?

℣. 34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. Deus causa non est, ut Judæi captivi sint, atque opprimantur a Chaldæis & conculcentur: ipsi flagitiis meruere. Hæc locutio, *Ut contereret*, refertur ad præcedentia ℣. 33. *Non ex corde suo* ...., 34. *Ut contereret* ... 35. *Ut declinaret* .... 36. *Ut perverteret*, &c. Vel ad verbum *Ignoravit* ℣. 35. *Ignoravit ut contereret, ut declinaret, ut perverteret*. Hominis damnationem is minime probavit; neque ipse causa fuit, ut is damnaretur; neque ipse damnavit. Suis homo criminibus sibi exitium parit.

℣. 35. Ut declinaret judicium viri. Vel: Ipsius consilii non est, ut homo inique damnetur, quippe qui capax iniquitatis esse non potest. Si Omnipotentis sententia homo damnatur, ipse promeruit.

℣. 37. Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente? Quis aliquid fieri posse asserat, Deo fieri non jubente? Quis, præter Deum, in hæc me mala impellere potuit? Ullus ne tam insanus fuerit, ut casu id factum esse arbitretur? Hebræus ad verbum (32): *Quis est qui dicat: Hoc gestum est: Dominus non imperavit?*

℣. 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala? Vel junge cum præcedentibus: Quis dicere audeat, tum bona tum mala a Domino non imperari; quidquid vero fit, casu contingere, Deo nihil movente? Ingens semper, vel in Israele, fuit impiorum numerus, qui adscita Epicuræorum sententia, hominum res a Deo negligi asserebant. Vide Psalmos (33), & Prophetas (34).

℣. 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Cur de flagitiorum suorum suppliciis queritur? Peccatum passim pro pœna peccati usurpatur. Si nihil Deo non jubente fit, atque omnia ex æquitatis lege contingunt, cur querimur, siquid mali patiamur? Quid nobis injuriæ affert Deus? Cur in illius Providentiam murmuramus? Aliter explicari hic locus potest, junctus cum ℣. 38. Si vere omnia casu fiunt, Deo nihil agente; vel inevitabiles fati leges omnia sequuntur, cur ægre ferimus ea quæ contingunt? Sequenti versiculo hortatur, ut demissiore animo saniora cogitemus.

℣. 40. Scrutemur vias nostras, et revertamur ad Dominum. Serio expendamus, utrum nostra ipsorum flagitia causa eorum sit, quæ tulimus, atque a viis pessime institutis recedamus: animum & consilia mutemus. Septuaginta (35): *Investigata est via nostra, & examinata: revertamur usque ad Dominum*. Nostras nimirum vias scrutatus est Deus, & malas invenit. Quamobrem justam in nos sententiam feramus; agnitaque malorum nostrorum causa ex nostris sceleribus orta, ad Deum confugiamus, atque ad primam hanc omnium, quæ hic eveniunt, originem animum mentemque erigamus.

℣. 41. Levemus corda nostra cum manibus. Hebræi orantes ad cœlum manus plerumque tollebant. *Cum egressus fuero de urbe*, ajebat ad Pharaonem Moyses (36), *extendam palmas meas ad Dominum*, &c. Idem hic mos apud veteres Profanos passim cernitur, a Tertulliano (37) dictus: *Testimonium animæ naturaliter Christianæ*. Nullo studio aut arte manus oculique ad Cœlum eriguntur; unusquisque enim natura docetur, Divinitatis sedem ibi esse. Neque solum manus ad Cœlum tolli jubet Jeremias, verum etiam animum; studia, vota, desideria; vel ex S. Pauli præcepto

[26] חדשים לבקרים רבה אמונתך Septuag. Τὰ καινὰ εἰς τὰς πρωΐας. Πολλὴ ἡ πίστις σου. Edit. Rom. quædam habet admixta ex alienis Versionibus: Μὴ οὐκ εἰς τὰς πρωΐας ἐλέησον, κύριε, ὅτι οὐ συνεπλήσθημεν, ὅτι οὐ συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ. Καινὰ εἰς τὰς πρωΐας, πολλὴ ἡ πίστις σου. [27] ישב בדד וידום כי נטל עליו Septuag. Καθήσεται κατὰ μόνας, καὶ σιωπήσεται, ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτῷ. Theodoret. Ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτὸν ζυγὸν βαρύν. [28] Theodoret. Τοῦτ' ἐστι, ταπεινῶς, καὶ οἷον χαμόθεν τοὺς λόγους. [29] Matth. xxvi. 62. Marc. xiv. 65. [30] Theodoret. Ὀργιζομένου γὰρ τὸ σχῆμα, τὸ δὲ θέλημα φιλανθρωπίας μεστόν. [31] Ezech. xviii. 23. [32] מי זה אמר ותהי אדני לא צוה [33] Psal. xciii. 7. Dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob xiii. 2. liii. 3. [34] Ezech. viii. 12. & ix. 9. Dixerunt: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Isai. xxix. 15. Quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? [35] נחפשה דרכינו ונחקרה ונשובה עד יהוה Ἐξηρευνήθη ἡ ὁδὸς ἡμῶν, καὶ ἠτάσθη, καὶ ἐπιστρέψωμεν ἕως κυρίου. [36] Exod. ix. 29. Vide & 3. Par. vi. 13. [37] Tertull. Apologet.

pto (38): *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.*

℣. 42. IOBO TU INEXORABILIS ES, contumaciæ nostræ causa. Hebræus (39) & Septuaginta (40): *Et non es placatus*; vel, nos cædere non pepercisti.

℣. 43. OPERUISTI IN FURORE: iratus delituisti; longe a nobis absens, terga dedisti, cum maxime malis opprimeremur. Vel (41): *Os tuum abscondisti*, & cæcorum instar, ut ita dicam, nos cæcidisti, quasi veritus, ne nostra calamitate frangereris.

℣. 44. OPPOSUISTI NUBEM TIBI, NE TRANSEAT ORATIO. Oravimus, clamavimus: at invictis plene obstaculis nos a te removisti; densis nubibus oppositis, quas neque oratio neque clamor penetraret. Mira sane est hujusmodi locutionum vis & significatio. *Oratio humiliantis se penetrat nubes*, ait Ecclesiasticus (42), *& donec propinquet* ad Dei solium, *non consolabitur*, non cessabit. Isaias LIX. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.*

℣. 45. ERADICATIONEM ET ABJECTIONEM POSUISTI ME. Me inter populos posuisti ceu arborem, quam stirpitus evulsam abjeceris. Reddi potest Hebræus (43): *Ceu sordes quæ evertuntur, posuisti me.* Ita inter gentes habemur, quasi res horrore, contemptu, atque odio dignæ. Septuaginta (44): *Claudere oculos, & abjici me coegisti in medio populorum.* Chaldæus: Exules nos fecisti, ac derelictos in medio gentium.

℣. 46. APERUERUNT SUPER NOS OS SUUM. Vide supra II. 16.

℣. 47. LAQUEUS FACTA EST NOBIS VATICINATIO ET CONTRITIO. Interpretum nonnulli ajunt, *vastatio* legendum hic esse, non *vaticinatio*. Hebræus certe habet (45): *Formido & laqueus evenit nobis vastatio & contritio.* Post exitium ac ruinam, in mortis formidines, atque in captivitatis vincula incidimus. Septuaginta (46): *Formido & terror*, seu furor, *factus est nobis tumor & contritio.*

℣. 51. OCULUS MEUS DEPRÆDATUS EST ANIMAM MEAM, IN CUNCTIS FILIABUS URBIS MEÆ. Oculus meus, mala filiarum Jerosolymæ gemens, me ferme in necem impulit, ceu latro hostisque sævissimus insidias vitæ meæ posuit. Sermonis nostri natura hanc locutionem respuit; quæ tamen apud Hebræos elegantissima est. Hebræus legit (47): *Oculus meus vindemiavit animam meam*, vitam mihi abstulit. Reddunt alii: *Oculus meus afflixit animam meam, plusquam omnes filiæ urbis meæ.* Filiorum populi mei mala intuens, magis dolui, quam ipsæ doluerint: ea magis ego sensi, quam illæ. His verbis, *Oculus meus deprædatus est animam meam*, passim utuntur Patres & morales Theologi, ut doceant, sibi sensibusque exterioribus summopere cavendum esse, neque omnia indiscriminatim inspicienda. Incauta interdum & curiosa oculi evagatio incredibilem sæpe animo perniciem affert.

℣. 53. LAPSA EST IN LACUM VITA MEA: POSUERUNT LAPIDEM SUPER ME, ubi me lapsum videre, ne e scrobe, in quam me impulerant, egrederer. His verbis graphice exhibetur Jeremias in carcere, sive in cisterna, ubi non aqua sed cœnum erat (48); cujus ori admotus fuisse videtur lapis, quo clauderetur.

℣. 55. INVOCAVI NOMEN TUUM DE LACU NOVISSIMO, ex imo cisternæ alveo, de qua mox. Orationem, quam Jeremias in cisterna positus edidit, legimus Capite XX. 7. &c.

℣. 62. LABIA INSURGENTIUM MIHI. Junge cum precedentibus: *Audisti opprobrium eorum ... ℣. 55. Labia insurgentium*, insultantium. Labia pro verbis usurpantur. *Terra erat labii unius*, ait Moyses (49), una scilicet omnium erat oratio.

℣. 63. SESSIONEM ILLORUM, ET RESURRECTIONEM EORUM VIDE: EGO SUM PSALMUS EORUM. Sive quiescant, sive quidpiam agant, ego carminum illorum argumentum sum. Vita omnis inter actionem & otium distribuitur, eaque pro universa hominis vita usurpantur (50). Hos intuere a primo surgendi tempore usque dum cubent: sedeant ne an stent, otiosi sint, an aliquid agant, mihi illudere, & scommatibus famosisque carminibus me incessere nunquam desinunt. Vide ℣. 14. *Factus sum in derisum omni populo meo; canticum eorum tota die.*

℣. 65. DABIS EIS SCUTUM CORDIS LABOREM TUUM. Illorum animos, ceu clypeo, malis ac laboribus cingens. Contrario sensu Psalmista (51): *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.* Hic vero contra: Impiorum animos Deus omni malorum genere circumdabit, uti miles clypeo protegitur atque operitur. Amplissimum illud clypeorum genus significat, quibus totus homo cingitur (52), quosque Homerus cum turribus frequenter comparat. Virgilius (53):

. . . . *Clypeique sub orbe teguntur.*

Reddi potest Hebræus (54): *Dabis eis, ut operiant cor, execrationem tuam*; vel, ex aliis (55): quodlibet malorum genus; sive in animi duritiem & contumaciam labi patieris. Pro clypeo, quibus cor & pectus protegant, Divina execratione induentur. Invectus in impios Psalmista (56) imprecatur: *Induantur, sicut diploide, confusione sua.*

[38] 1. Timot. II. 8. [39] אתה לא סלחת [40] Καὶ οὐχ ἱλάσθης. [41] סכותה ותרדפנו [42] Eccli. XXXV. 21. [43] סחי ומאוס תשימני בקרב העמים [44] Καμμύσαι με, καὶ ἀπωσθῆναι ἔθηκας ἡμᾶς ἐν μέσῳ λαῶν. [45] פחד ופחת היה לנו השאת והשבר [46] Φόβος καὶ θυμὸς ἐγενήθη ἡμῖν, ἔπαρσις καὶ συντριβή. Edit. Rom. Φόβος καὶ θυμὸς, &c. [47] עיני עוללה לנפשי מכל בנות עירי Septuag. Ὁ ὀφθαλμός μου ἐπιφυλλιεῖ ἐπὶ τὴν ψυχήν μου, παρὰ πάσας θυγατέρας πόλεως. Origen. Ὅτι κατεπονήθη μου δυνάμεις. [48] Jerem. XXXVIII. 6. & seq. [49] Genes. XI. 1. [50] Psalm. CXXXIX. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* [51] Psal. V. 13. [52] Homer. Iliad. &c. [53] Virgil. Æneid. 2. [54] תתן להם מגנת לב תאלתך להם [55] Chald. Septuag. Vulg. Buxtorf. Rab. quidam, quasi esset תלאת, pro תאלת [56] Psalm. CVIII. 29.

CAPUT IV.

Jerosolymæ Templique excidium flet Jeremias. Extremæ famis descriptio. Judæorum flagitia. In Idumæos minæ. Hebræos solatur.

℣. 1. ALeph. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Beth. 2. Filii Sion
inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum
figuli? Ghimel. 3. Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia

lia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Daleth. 4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. He. 5. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Vau. 6. Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus. Zain. 7. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Heth. 8. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum. Teth. 9. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. Jod. 10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei. Caph. 11. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus. Lamed. 12. Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Jerusalem. Mem. 13. Propter peccata prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. Nun. 14. Erraverunt cœci in plateis, polluti sunt in sanguine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. Samech. 15. Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, & commoti: dixerunt inter gentes; Non addet ultra, ut habitet in eis. Phe. 16. Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. Ain. 17. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat. Sade. 18. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. Coph. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Res. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in umbra tua vivemus in Gentibus. Sin. 21. Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. Thau. 22. Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra, ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam, filia Edom, discooperuit peccata tua.

℣. 1. QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM, MUTATUS EST COLOR OPTIMUS? Hebræos comparat cum auro, quod cum purum ac pretiosum origine sit, deinde corrumpitur, vitiatur, obscuratur. Aurum purissimum Patriarchæ fuerunt; filii degeneres ab avita nobilitate excidere (1). Ajunt alii (2), auro Principes, Optimates, nobilissimos totius regionis homines significari. Qui fieri potuit, auro nitidiores, ita vitiati sint, ut nullo prisci nitoris radio fulgeant? Sunt (3) qui de auro, quo Dei Templum fulgebat, interpretentur. Tam multæ igitur opes, opera nobilissima, pretiosissima ornamenta, aurea vasa & argentea obscurata sunt? Hæc igitur ab hostibus profanari atque obtineri passus est Deus. Hebræus (4): *Quomodo contemptum est*, vel, obscuratum est, *aurum? mutatum est obrizum?* Septuaginta (5): *Quomodo obscurabitur aurum, mutabitur argentum bonum?* Hebrea vox *Kethem* aurum optimæ notæ significat. Cur Septuaginta argentum reddidarunt, non video.

DISPERSI SUNT LAPIDES SANCTUARII IN CAPITE OMNIUM PLATEARUM? Eadem hic sententiarum discrepantia occurrit, quæ in superiori membro versiculi. Sunt enim qui pro lapidibus Sanctuarii Sacerdotes ac Prophetas, a Chaldæis indigne tractatus, intelligant; vel absolute ipsos Sanctuarii lapides, profanatos, atque intra cætera urbis rudera projectos. Prior tamen explicatio multo melius cum sequenti versiculo constare videtur.

℣. 2. FILII SION INCLYTI, ET AMICTI AURO PRIMO, QUOMODO REPUTATI SUNT IN VASA TESTEA? Neglecti, fracti, ac dissipati sunt, ceu vasa lutea. Hebræus (6): *Filii Sion pretiosi, æquiparati auro phaz*, auro mundissimo ac pretiosissimo; ut nobis videtur, auro Phasidis, in Colchide. Vide *Genes.* 11. 11. Adolescentes, superbis olim vestibus induti, auro atque opibus fulgidi, luteis vasis similes effecti, ornamento, pretio, decore carentes. Narrat Josephus (7), Salomone regnante, juvenes illius aulicos consuevisse comas aureo pulvere inspergere, quo radiis solaribus percusso, velut astra fulgerent. Diu ante Jeremiam minitatus fuerat Judæis Isaias (8), fore, ut similes efficerentur luteo vasi ad terram alliso confractoque; ut ne ullum quidem fragmen superesset, carboni ferendo, aut aquæ pugillo continendo aptum.

℣. 3. SED ET LAMIÆ NUDAVERUNT MAMMAM .... FILIA POPULI MEI est CRUDELIS, QUASI STRUTHIO IN DESERTO. Plures sunt apud Latinos *Lamiæ* significationes. Tradit Diodorus Siculus (9), quamdam in Africa Reginam, *Lamiam* nomine, liberis omnibus statim orbatam, adeo in furorem exarsisse, ut cæterarum totius regionis fœminarum filios caperet necaretque. Cæca fingitur, & pue-

(1) Ita Theodoret. (2) Grot. Vatab. (3) Chald. Munst. Sanct. Pisc. (4) איכה יועם זהב ישנא הכתם הטוב (5) Πῶς ἀμαυρωθήσεται τὸ χρυσίον, ἀλλοιωθήσεται τὸ ἀργύριον τὸ ἀγαθόν. (6) בני ציון היקרים המסלאים בפז Septuag. Υἱοὶ Σιὼν οἱ τίμιοι οἱ ἐπηρμένοι ἐν χρυσίῳ. (7) Joseph. Antiq. lib. VIII. c. 7. (8) Isai. XXX. 13. 14. *Comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* (9) Diodor. Sicul. lib. XX. Bibliot.

pueros quærens; ut occidat; atque horribile spectrum esse dicebatur, nonnisi noctu vagans. His fabulis pueri terrebantur (10). Diu etiam creditum est, anus quasdam veneficas, *Lamias* appellatas, pueros ac mortuos vorare; atque hujus fortasse rei metu mortuis excubiæ noctu agebantur. Legibus Salicis sancitur (11), ut siqua venefica hominem vorasse convincatur, ducentis argenteis nummis mulctetur. Fabulosa fortasse hæc monstra spectavit S. Hieronymus, cum *Lamias* hic reddiderit. Sævissima etiam monstra lac & cibum catulis præbent: at populi mei filia, occisis liberis, illorum carnibus cibum sibi paravit.

Censent nonnulli, *Lamiam* hoc loco significare marinum monstrum ex cetorum genere, viviparum, & catulos lacte nutriens. Lamiæ, seu marini canes, sævissimi & voracissimi cæterorum piscium sunt; quorum in stomacho homines integri interdum inventi sunt, etiam casaphracti. Asserit Rondeletius, apud Santones quendam captum esse vastis adeo faucibus, ut magnum ac pinguem hominem commode caperent. Addit, si fauces illius hastę alicujus ope apertę teneantur, canes commode ingredi posse, & iis quę intra stomachum sunt, pasci. Probabile omnino est, piscem hunc sub Lamię nomine a S. Hieronymo significari. Hebræa vox (12) *thannim* proprie est monstrum marinum. Fabulosę Lamię catulos suos non alunt, sed alienos vorant: quamobrem hic locum non habent.

Struthionem, quem hic ceu sævitiæ exemplum Scriptura exhibet, avium omnium, quas novimus, maximam esse, nemo ignorat. Nunquam in aerem tollitur, alis tantummodo utens, quo pernicius currat, secundo præsertim vento, quem flantem alis excipit, ceu velo navis. Ita de struthione agit Job, ut cum hujus loci verbis congruat (13): *Penna struthionis similis est pennis herodii & accipitris. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, ut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, &c.* Narrant recentiora Itineraria, struthionem, ubi ova prope excludenda viderit, quatuor ex iis frangere, quæ cum putruerint, vermes pariunt, quibus pulli mox editi nutriuntur. Eamdem ferme sævitiam de struthione tradit Ælianus (14): Struthio, inquit, plura quidem ova parit, at non omnia excludit; sed infœcunda discernit, & fœcundis incubat: ex alteris vero pullos nutrit; ea enim neglecta his cibum parant. Hinc fortasse sævitiæ invidia in struthionem creata est. Hæc tamen incertissima esse, fatendum est. Struthionis sævitiam luculentissime tradit Job. At dubio locus est, utrum Hebræa vox, qua is utitur, revera struthionem significet (15). Vertunt plures *noctuam* (16); nos vero quædam argumenta produximus (17), ut cycnum esse probaremus. Notissima est cycni sævitia. Teste Æliano (18), Indi cycnum oderant, quod & ova frangat, & pullos voret. Chaldæus: *Filiæ Israel filiis populatum, qui similes sunt draconibus, nudabant mamillas suas, & pueri cœtus populi mei traditi sunt crudelibus, & matres eorum lamentantur super eis, sicut lamiæ in deserto* (19). Septuaginta (20): *Filiæ populi mei in incurabile* lapsæ sunt, *quasi struthia in deserto*. Theodoretus & Olympiodorus struthionis sævitiæ non meminere, sed sylvestrium illius sedium, volatusque humillimi & imperfecti. Nunquam non humi graditur struthio, quamquam alis pennisque instruatur. Tales Israelitæ sunt post Jerosolymæ excidium.

ỳ. 4. Non erat qui frangeret eis. Panis non scindebatur olim apud Hebræos cultro, sed manu frangebatur, teste passim Scriptura. Tenuis arensque erat illis panis, ferme uti offæ ac placentæ aridissimæ. Hujusmodi panis usus apud Orientales communis est.

ỳ. 5. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Qui color Latine croceus dicitur, aliter plane est ab eo, quem vox Hebræa (21) significat, purpureum nempe, seu erameinum. Qui olim purpura indui, in purpura sedere & cubare solebant, nunc in pulvere sordibusque jacere coguntur. Vel: Qui in deliciis luxuque & vestium splendore vitam agebant, jumentorum fimo, aliisque cibis, quos horret natura, nutriuntur. In Jerosolymitana per Nabuchodonosorem obsidione, qua ita sævit fames, ut matres liberorum carnibus vescerentur, mirum non est illud contigisse, quod Samariæ, cum ea regnante Achabo obsideretur. Porro narrat Scriptura (22), in iis rerum angustiis caput asini venundatum esse siclis octoginta, & quartam partem cabi stercoris columbarum, quinque siclis. Rabsaces Judæis minitatur fore, ut suis ipsorum excrementis vesci cogantur (23). Denique Moyses (24), ubi mala supremæ hujus obsidionis Jerosolymæ describere videtur, ait comesturos Judæos aliquid, quod magis adbuc horrori sit.

ỳ. 6. Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. Si flagitiorum gravitas ex pœnæ gravitate existimanda est. Jerosolymæ peccatum gravius Sodomitarum sceleribus est; Sodoma enim statim ex improviso cremata est, quin cives aut sentirent, aut suam ipsorum calamitatem intuerentur: at Jerosolyma diuturnis adhuc malis opprimitur, suisque calamitatibus superstes est. Beneficia, quibus Deus Jerosolymam prosecutus est; nominis Legumque suarum cognitio, qua illam instruxerant, ipsa illius electio, ut Religionis centrum, Divinæque gloriæ Templum esset; Jerosolymæ sceleribus ingentem adeo cumulum addebant, ut Sodomitarum flagitiis longe graviora existimarentur. Ingratum animum, inconstantiam, contemptum, derisionem addiderant Judęi profano Numinum cultui, iniquitati, superstitioni, libidini etiam turpissimæ, humanarum victimarum sacrificiis, profanationibus, innumerisque præterea criminibus, quæ illis exprobrant Prophetæ. Quamobrem verissime Jerosolymam arguebat Ezechiel (25): *Non fecit Sodoma soror tua, ipsa & filiæ ejus, sicut fecisti tu & filiæ tuæ. Vicisti sorores tuas, sceleratius agens ab eis: justificatæ sunt enim a te.* Tam multis te flagitiis implicuisti, ut Sodoma & Gomorrha, tibi comparatæ, innoxiæ esse videantur.

Quæ subversa est in momento, at non ceperunt in ea manus, nulla hominum ope; vel ex Hebræo (26), *Et non laboraverunt in ea manus*; nullo hominum labore, non ut Jerosolyma, quæ Chaldæorum laboribus eversa est. Sodomam cœlesti igne crematam periisse (27), nemo ignorat.

ỳ. 7. Candidiores Nazaræi ejus nive, antequam urbs obsideretur; at capta urbe, carbonibus

(10) Vide Ovid. Fast. lib. 6. Petron. Satyric. Apul. Metamorphos. lib. 1. Philostr. vit. Apollon. lib. 4. &c.
(11) Leges Salic. cap. 67. (12) גם תנין חלצי שד הניקו גורהן (13) Job xxxix. 14. 15. 16. &c.
(14) Ælian. lib. 4. de animal. cap. 37. (15) בת עמי לאכזר כיענים במדבר (16) Mont. Jun. Piscat. Angl. alii. (17) In Isai. xiii. 21. (18) Ælian. lib. xiv. cap. 3. (19) Chald. כנעמים במדבר (20) Θυγατέρες λαοῦ μου εἰς ἀνίατον ὡς στρουθίον ἐν ἐρήμῳ. (21) האמנים עלי תולע חבקו אשפתות (22) 4. Reg. vi. 24. (23) 4. Reg. xviii. 27. (24) Deut. xxviii. 54. 55. *Homo delicatus in te, & luxuriosus valde invidebit fratri suo, & uxori quæ cubat in sinu suo, ne det ei de carnibus filiorum suorum. 56. Tenera mulier, & delicata quæ super terram ingredi non valet propter mollitiem .... invidebit viro suo super filii, & filiæ carnibus, & illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio femorum suorum.*
(25) Ezech. xvi. 46. 47. & seq. (26) ולא חלו בה ידים Septuag. Καὶ οὐκ ἐπόνεσαν ἐν αὐτῇ χεῖρας. Sym. Οὐκ ἴσχυσαν, *Non valuerunt*. (27) Genes. xix. 24.

nibus nigriores effecti sunt ℣. 8. Nazaræos plurimi habebant Judæi, illis enim vel apud minime pios obsequium comparabat ipsa illorum consecratio, qua Domino devovebantur (28); sanctissimum atque innoxium vitæ institutum, meri cæterorumque liquorum ebrietatem inducentium abstinentia (29); purior, simplicior, modestiur cultus, quam quo cæteri uterentur. Beneficia, quibus Israelitas decem Tribuum distinxerat Deus, commendans Amos (30), ajebat, ipsum ex ipsorum adolescentibus sibi Nazaræos elegisse. Angelus qui Samsonis ortum prædixit (31), & qui Joannis Baptistæ (32), uterque nascituris pueris perpetui Nazaræatus leges indixere; atque ipse hominum Reparator Christus Nazaræi nomine distingui voluit (33). Denique Macchabæi profanato per Antiochum Templo, cum Maspham convenissent Deo supplicaturi, Nazaræos, tempore dedicationis suæ jam functos, in cœtum induxere (34), *& clamaverunt voce magna in Cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, & quo eos ducemus? Et Sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & Sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem.* Cæteris propemodum neglectis, illud solummodo queruntur, quod supremos Nazaræorum ritus explere non possent. Mirum igitur non est, si in longe miserrimo rerum statu, everso scilicet penitus Templo, Jeremias tristem necessitatem flevit, qua Nazaræi inter sordes, cruorem, cædem, hostesque vitam agere cogebantur.

Rubicundiores ebore antiquo. Ebur, ubi senuerit, colore quodam subflavo & ineleganti inficitur, quo non modo illius pretium non augetur, verum etiam minuitur; candor enim potissimum in ebore plurimi æstimatur (35). At Veteres arte quadam purpureum colorem nitidissimum ebori inducebant, quo illius pretium magnopere augebatur. Homerus Jeremia vetustior (36) hujus moris meminit. Equorum fræna hujusmodi ebore ornabantur. Ita describit Virgilius (37):

. . . . . Cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur.

Purpureum hunc eboris colorem innuere videntur Ovidius (38), Statius (39), Claudianus (40), aliique. Nazaræos igitur Jeremias cum ebore comparat purpureo colore imbuto, vel ob oris venustatem nitoremve, vel ob vestium colorem. Minime tamen censeo, Nazaræos purpureis vestibus usos esse; is enim color sacris in ritibus communiter non adhibebatur, sed albus.

Hebræus hoc loco aliter plane habet atque hic legimus (41): *Rubuere corpore*, seu nitidiores fuere, *præ margaritis*; Hebraice *peninim*. Hinc ortum est *pinnæ* nomen, quo nomine Græce & Latine significatur testaceus piscis, margaritas fe-

rens. At qui fieri poterat, ut Nazaræi, quos Propheta nive & lacte candidiores descripsit, margaritis rubicundiores essent? Primo enim margaritæ candidæ sunt, non purpureæ; tum albus & purpureus color magis inter se opponuntur, quam ut simul conjuncti inveniri queant. Respondeo, fieri optime posse, ut quis ore purpureo, vestibus albis induatur; vel purpureis indutus, ore candido sit; atque ita verissime dicitur nive candidior simulque purpureus. Adde, quod idem ipsum os candidum simul esse potest & purpureum, veluti de Canticorum Sponso dicitur (42): *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Moyses etiam (43), indicia elaphantiasis numerans, album colorem cum rubro rutilo miscet. *Si in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad Sacerdotem*, &c. Rubicundo colore, quem Jeremias margaritis tribuere videtur, significari puto roseum illum colorem, albo rutilo mistum, quo interior pars conchylii nitet. Subjecto enim albo colori miscetur ruber dilutus, suavem exhibens candidi oris colorem, rubro intermistum. Hebrea vox *peninim* non modo margaritam, verum etiam conchylium significat. Multo plus diceret, quam vellet Jeremias, si rubrum absolute dixisset: quamobrem cum conchylii colore comparans, nimis acrem verborum vim temperat. Denique eadem vox, quæ rubere sonat, de rutilo etiam & candido usurpatur (44).

Sapphiro pulchriores. Hebræus (45): *Ceu sapphirus pars polita eorum*. Sapphirus colore cæruleo est, duritie topazio æqualis: uterque primo post adamantem loco habiti. Sapphirus orientalis albus interdum est. Sapphiri durities ac soliditas eæ sunt, ut expoliri nihilo minus, quam cæteri durissimi lapides, queant. Huc spectat his verbis Jeremias, dum politum Nazaræorum os cum sapphiris comparat.

℣. 8. Denigrata est super carbones facies eorum. Nazaræorum os, olim adeo candidum, suave, roseum, politum, eversis Jerosolyma & Templo, atrum, plumbeum, macie confectum, turpe, pulvere vitiatum fuit. Colorem ac suavitatem abstulere famea, mœror, lacrymæ, captivitas. Hebræus (46): *Obscurata est plusquam nigredo, forma eorum*. Septuaginta (47): *Obscurata est super fuliginem venustas eorum*. Oris nigredo inter populos, quibus natura ipsa fuscum colorem dedit, laboris mœrorisque indicium est. Joel. gravissimam Israelitis famem minitatus, ait, omnia illorum ora colore similia ollis fore (48). Homines mœrore oppressos describens Isaias (49), ait: *Facies combustæ vultus eorum*. Jeremias (50): *Pellis nostra exusta est quasi clibanus, a facie tempestatum famis.*

℣. 9. Extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. Vel: Fame & inopia periere, caritatis

V 2 cau-

---

(28) Num. VI. 18. 19. (29) Judic. XIII. 5. Amos II. 12. (30) Amos II. 11. (31) Judic. XIII. 5. (32) Luc. I. 15. (33) Matt. II. 23. *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* (34) 1. Macc. III. 49. (35) Plin. lib. 3. cap. 8. *Dentium candore intelligitur juventa.* (36) Homer. Iliad. Δ.

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων.

(37) Virgil. Æneid. XII. (38) Ovid. 4. Metamorph. Idem lib. 2. amor. Eleg. 5.

Aut quod ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium fœmina tinxit ebur.

(39) Statius lib. 1. Achilleid. (40) Claudian. lib. 1. de rapto Proserp. (41) אדמו עצם מפנינים (42) Cant. V. 10. דודי צח ואדום (43) Levit. XIII. 12. או בהרת לבנה אדמדמת ita & ℣. 24. 42. 43. (44) Vide Boch. de animal. part. 1. lib. 5. c. 6. Horatius utitur verbo *candere*, albescere, rutilare, ut purpuræ nitorem significet, Horat. Sat. 6. lib. 2.

. . . . Rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Alibi cycnos purpureos nominat, lib. 4. Ode 1.

Tempestivius in domo
Paulli purpureis ales oloribus
Commissabere maximi.

(45) ספיר גזרתם (46) חשך משחור תארם (47) Ἐσκότασεν ὑπὲρ ἀσβόλην τὸ εἶδος αὐτῶν. (48) Joel. II. 6. *Omnes vultus redigentur ad ollam.* (49) Isai. XIII. 8. (50) Jerem. Thren. V. 10.

causa, qua regio universa vastabatur; atque hæc lenta mors, macies, languor, quæ vel fames, vel annonæ vitium peperit, multo molestiora & graviora esse nece statim illata, quæ in bello invenitur. Hebræus ad verbum (51): *Fluxerunt*, liquati sunt, cruore prorsus amisso exhausti sunt, ceu vulneribus confossi, *ob fructus terræ*, scilicet (52), ob inopiam fructuum agri.

℣. 10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos. Matres, quas natura docet liberos amare, ac misericordia prosequi, sæva adeo fame laboraverunt, ut liberorum carnes coxerint ac vorarint. Occidisse non dicit; at vulgo creduntur. Neque desunt Interpretes, qui misericordes illas appellari censeant insanæ misericordiæ causa, quod filios, celeri morte raptos, miserrimæ vitæ ac servituti subduxerint: eadem ferme persuasione, qua barbari nostra ætate infantes vivos vel mactant, vel humi condunt (53), nisi suppetat quo illos alant; atque ægros necant, si curare nequeant. Putant alii, matres *misericordes* a Propheta dici οἰκτιρμόνων, quo luculentior illarum sævitia fiat, dum sub misericordiæ nomine absconditur, quæ virtus plane opposita sævitiæ est, & matrum propria esse deberet. Multis antea sæculis Moyses (54) horribilem adeo sævitiam inter Hebræos futuram prædixerat; cujusque exempla non semel apud illos leguntur; veluti obsessa sub Achabo Samaria (55), & Jerosolyma per Romanos (56).

℣. 12. Non crediderunt Reges ... quoniam ingrederetur hostis per portas Jerusalem. Validis adeo mœnibus munita erat Jerosolyma, ut nulla vi superari posse crederetur. Cum adhuc Jebusæis pareret, tam validæ arcis loco habebatur, ut maximorum exercituum impetum coercere posset. Insultabant obsessi, atque Israeliticis agminibus illudebant, cum claudis solummodo cæcisque sibi opus esse dicerent, ut urbem tuerentur (57). Post Davidem, novis & incolarum & munitionum accessionibus aucta est. Illam Assyriorum Reges tentare ausi non fuerant. At maxime omnium Urbem tuebatur luculentissimum Dei patrocinium, sæpissime exploratum (58). Quis nescit quid Sennacheribo contigerit (59.), quid Holoferni (60)? si tamen Judithæ historia ante Captivitatem contigit; id quod difficultate non caret. Ipsi Judæorum hostes fatebantur, populo suo Deum innumeris favisse prodigiis. Norant optime, illum gravissima severissimaque ultione in populum animadvertisse, ubi in illos succensuit. Quis tamen futurum crederet, ut suum ipsius Templum, sacra vasa, Sacerdotes, ministros, electam gentem, sanctam urbem Ethnicis traderet? Id porro ipsimet Chaldæi ægerrime credidissent.

℣. 13. Propter peccata Prophetarum ..., et Sacerdotum, qui effuderunt in medio ejus sanguinem. Pseudo-Prophetæ plerumque cum Sacerdotibus junguntur (61); hi enim illis favebant, eosque tuebantur adversus veros Prophetas, qui neutris parcentes, illorum flagitia patefaciebant, ac simulationem arguebant. Hos accusat Jeremias fusi justorum sanguinis intra Jerosolymam, ob necem scilicet Prophetis piisque iniquissime illatam, prætexto divinæ Legis ac justitiæ studio; vel forte, quod Sacerdotes, quibus totius gentis judicia deferebantur, innoxios morte damnarent, vel lucro acti, vel iræ aut vindictæ libidine; seu denique, quod Sacerdotes falsique Prophetæ, junctis una consiliis, populi credulitate abusi, illis persuaserint, ut Jerosolymæ se continerent, atque arma in Chaldæos ferrent; id quod perinde erat ac illos necare, cum plerique vel hostium armis, vel fame & inopia perierint.

℣. 14. Erraverunt cæci in plateis; polluti sunt in sanguine, &c. Pessimi Sacerdotes falsique Prophetæ, qui Jerosolymam in hæc mala impulerunt, furentium & cæcorum instar in sanguine, quo Urbs tota inundabatur, eucurrerunt; ipsi cruore polluti sunt, atque oras vestium sanguine infecerunt. Parta a se mala intuentes, malis medicinam afferre non poterant. Septuaginta (62): *Mutaverunt vigiles ejus in exitibus, polluti sunt in sanguine, & cum non possent* prætergredi, *collegerunt vestes suas*. Alte adeo vias inundaverat cruor, ut aditus non pateret, nisi vestes colligenti. Symmachus (63): *Instabiles facti sunt*, & agitati, *ut cæci, in plateis*; conspersi sunt sanguine, ut non posset tangi vestimentum eorum. Theodoretus legebat (64): *Polluti sunt in sanguine; & cum aliter fieri non posset, projecti sunt cum vestimentis suis*. Vulgus in urbe moriens, e mœnibus cum vestimentis projiciebatur; humi enim condi hostium causa non poterat.

Vulgatam sequi possumus, aut ita reddere Hebræum (65): Pseudo-Prophetæ, & Sacerdotes, de quibus supra; vel etiam Jerosolymæ cives *erraverunt ut cæci in viis* Jerosolymæ: *polluti sunt in sanguine; cumque* aliter *non possent*, cruorem vestibus tetigerunt. Quantumvis studiose caverent, ne pollverentur, tam multo sanguine viæ natabant, ut saltem vestes corrumpi necesse esset. Molestum certe omnibus Israelitis erat cruore pollui; at longe molestius Sacerdotibus falsisque Prophetis, quibus exterior legis observatio maxime cordi erat: quamvis gravissima illius præcepta negligerent. Vertunt alii: *Polluti sunt in sanguine, adeo ut tangi illorum vestes non possent*, quin legalis macula referretur. Hæc explicatio optime congruit cum consequentibus; ℣. 15. *Recedite, polluti, clamaverunt eis: Recedite, nolite tangere*.

℣. 15. Recedite, polluti, clamaverunt eis: Recedite, nolite tangere: Jurgati quippe sunt et commoti &c. Sacerdotes falsique Prophetæ, quamquam maxime omnium polluti, impudentissime cæteros monebant: Recedite, impuri, ne tangite &c. Vel, populus, cum Sacerdotes sanguine pollutos videret, longe clamabat: Recedite, ne accedatis aut tangatis. Denique, ipsi Ethnici & Chaldæi, tam multi cruoris fusi horrore, Judæos ita a se arcebant: Recedite, ne tangaris, &c. Cruoris enim horror non unius gentis Judaicæ erat, sed aliarum etiam gentium, quæ cruore pollui metuebant. Malo Hebræum ita interpretari (66): *Recedite, impuri, ajebat populus: recedite, recedite, ne tangatis* cadavera, ne ad cruorem accedatis: *at meare stupidi sunt, & errant* ut cæci (℣. 14.). Monita non audierunt: polluti sunt, quin animadverterent. *Dixerunt gentes: Hujusmodi homines in hac regione non habitabant*. (℣. 16.) *Facies*, vel ira *Domini dissipabit eas*, ultra non respiciet.

℣. 16. Facies Sacerdotum non erubuerunt, neque

(51) יזבו מדקרים מתנובת שדי (52) Ita Pagn. Jun. Pisc. Angl. alii passim. Confer Genes. xviii. 28. Psal. cviii. 24. Jerem. 8. 14. (53) Vide Chardin, Description de la Colchide, ou Mingrelie. (54) Deut. xxviii. 55. 56. 57. (55) 4. Reg. vi. 28. 29. (56) Joseph. de Bello lib. 7. c. 8. in Lat. Ka in Græc. (57) 2 Reg. v. 6. 7. (58) Theodoret. hic. (59) 4. Reg. xix. 35. (60) Judith xiii. xiv. (61) Vide Jerem. ii. 26. vi. 9. v. 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia*, &c. (62) Septuag. Ἐσαλεύθησαν ἐγρήγοροι αὐτῆς ἐν ταῖς ἐξόδοις, ἐμολύνθησαν ἐν αἵματι, ἐν τῷ μὴ δύνασθαι αὐτοὺς ἥψαντο ἐνδυμάτων αὐτῶν. (63) Sym. Ἀνεστάτωσαν ἐγένοντο, τυφλοὶ ἐν ταῖς ἐξόδοις, ἐφύρησαν ἐν αἵματι, ὥστε μὴ δύνασθαι ἅψασθαι τοῦ ἐνδύματος αὐτῶν.
(64) Ἐμολύνθησαν ἐν αἵματι ἐν τῷ μὴ δύνασθαι αὐτοὺς, ἐῤῥίφησαν ἐν τοῖς ἐνδύμασιν αὐτῶν.
(65) נעו עורים בחוצות נגאלו בדם בלא יוכלו יגעו בלבשיהם
(66) סורו טמא קראו למו סורו סורו אל תגעו כי נצו גם נעו אמרו בגוים לא יוסיפו לגור [℣. 16.] פני יהוה חלקם לא יוסיף להביטם

NEQUE SENUM MISERTI SUNT. Hæc verba Ethnicis vulgo tribuuntur, quasi hi Judęos arguant nullius erga Sacerdotes senesque obsequii aut observantię; colligantque, impię adeo sęveque genti nullam Divinę opis spem superesse. Mihi magis probatur, Prophetam ipsum Ethnicis exprobrare, quod cum Sacerdotum falsorumque Prophetarum flagitia inter Judęos cernerent, collegerint, ipsos igitur a Deo esse destitutos, quamobrem & supremis injuriis affecerint. Non semel Scriptura Chaldęorum sęvitię meminit (67), iisdem ferme verbis, quibus hic Jeremias: Gens arrogans est & superba, nec seni parcens nec puero.

℣. 17. DEFECERUNT OCULI NOSTRI AD AUXILIUM NOSTRUM ..... AD GENTEM QUÆ SALVARE NOS NON POTERAT, Judæi, cum Jerosolyma obsidione premeretur, sibi blandiebantur spe suppetiarum, quas Ægyptii promiserant. At inani prorsus expectatione decepti sunt. Cum Pharao arma in Nabuchodonosorem movisset, exercitus Jerosolymam obsidens, soluta obsidione, occurrit Ægyptiis; quibus fusis fugatisque, Chaldæi Jerosolymam reversi, tam arcta obsidione urbem cinxere, ut demum cedere coacta sit (68). Chaldæus populum, cujus opem Judæi frustra expectavere, Idumæos interpretetur.

℣. 18. LUBRICAVERUNT VESTIGIA NOSTRA IN ITINERE PLATEARUM NOSTRARUM; adeo cruore natabant. Reddi etiam potest activo sensu: Hostes lubrica fecerunt vestigia nostra, nosque in viis nostris cadere coegerunt: in lubricas vias nos impulere, ut laberemur. Hebræus (69): *Insidias paravere vestigiis nostris*, venatorum more, *ne graderemur in plateis nostris*. Laqueis undique obsidebamur; hostes intus exteriusque occurrebant. Hinc disce, eadem tunc fuisse Jerosolymis discrimina, quæ deinde sub Romanis, teste Josepho. Urbs tota latrociniis ac rapinis infesta erat tum a militibus, tum a civibus. Septuaginta reddunt hic (70): *Venati sunt parvulos nostros, ne irent in plateis nostris*, adeo ut vias frequentare non possent.

℣. 19. VELOCIORES FUERUNT PERSECUTORES NOSTRI AQUILIS CŒLI. Nabuchodonosor ejusque milites passim cum aquilis comparantur, ob pernicitatem, & Chaldaici Imperii sublimitatem (71).

SUPER MONTES PERSECUTI SUNT NOS, & in desertis. Nullus plane locus est, quo aquilæ non ferantur. Nos intra urbes vicosque capere non contenti, intra montium specus, & desertorum antra scrutati sunt. Septuaginta (72): *Super montes evolaverunt*.

℣. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI CHRISTUS DOMINUS, CAPTUS EST IN PECCATIS NOSTRIS. Nihil aptius Jesu Christo convenit. Divinus nimirum hominum servator, vitæ nostræ fons, universi Dominus atque arbiter, omnium amor sponte criminum nostrorum causa sese inimicis dedit, nobisque moriens vitæ & sanguinis pretio, libertatem comparavit. Ita Patres & Interpretes plerique (73), æquissimo certe sensu & verissimo. Id tamen minime prohibet, quin locus ad verbum explicetur de Josia (74), vel Sedecia (75) Judæorum Regibus, atque adeo Christis Domini, quorum alter ob populi flagitia in Ægyptiorum, alter in Chaldæorum potestatem datus est: Josias enim piissimus Rex, cum optimis quibusque comparandus, æternoque dignus erat obsequio memoriaque. Minor pietate fuit Josia Sedecias; at majores impietate non æquabat, quorum exitus non æque miser atque illius fuit. De Sedecia nos explicanda hæc verba credimus: Animadverte populi amorem erga Sedeciam, quamvis impium atque infelicissimum. Verba quibus utitur Jeremias, aptissima certe sunt, ut misericordiam moveant: Rex, Christus Domini, quem ita amabamus, uti nos, scelerum nostrorum causa in hostium potestatem cecidit: Vel ex Hebræo (76), *in insidiis eorum*, hostium. Qua arte captus fit Sedecias, in agro Jerichuntino noctu fugiens, satis constat.

IN UMBRA TUA VIVEMUS IN GENTIBUS. Futurum sperabamus, ut te regnante tranquillam in Patria vitam ageremus inter gentes, quibus undique obsidemur, & sub Chaldæorum imperio, quibus parere nos jussit Deus: at aliter visum est Deo. Vel: Te regnante, tuisque consiliis res nostras restitutum iri, nosque libertatem recuperaturos, jugumque Chaldæorum excussuros putabamus. Id profecto moliebatur Sedecias, a Nabuchodonosore desciscens, ut scilicet libertatem recuperaret ac tueretur; & certe nisi consiliis defuisset fœderatorum inconstantia & perfidia; si Ægyptii, Idumæi, Philistini, Phœnices, Moabitæ, Ammonitæ validam opem, quam promiserant, attulissent, junctæ simul Judæorum ac fœderatorum vires nullo negotio Nabuchodonosorem coercuissent.

℣. 21. GAUDE, ET LÆTARE, FILIA EDOM, QUÆ HABITAS IN TERRA HUS. Acris in Idumæos ironia, qui arma junxerant cum Chaldæis in Jerosolymitana obsidione, & vetus in fratres odium ostenderant, Nabuchodonosorem hortati, ut Jerosolymam everteret, atque a fundamentis erueret. Docet id Abdias, ℣. 11. & Psalmus cxxxvi. 7. quorum prior ait: *In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portam ejus, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Alter: *Memor esto, Domine, filiorum Edom, qui dicunt: Exinanite exinanite usque ad fundamentum in ea.* Filiam Edom designat Jeremias per Regionem Hus, quam ipsa incolebat, in finibus Arabiæ desertæ, quæ Regio nomen ex aliquo e posteris Sehir Horræi duxisse creditur. Job Regionem Hus incolebat, in veteri Idumęa.

AD TE QUOQUE PERVENIET CALIX; INEBRIABERIS, ATQUE NUDABERIS. Vices tuæ convertentur: Divini furoris calix ad te deferretur, uti fit in convivio, in quo idem calix singulis convivis propinatur. Iræ Dei pondus senties. Ebria fies, nuda, captiva, inops, vastata squallebis. Hujusmodi minarum fides quinto circiter anno post Jerosolymæ expugnationem expleta est, uti fusius docuimus in caput XLIX. Jeremiæ, ℣. 7. &c. Septuaginta (77): *Inebriaberis, & vomes.*

℣. 22. COMPLETA EST INIQUITAS TUA, FILIA SION: NON ADDET ULTRA UT TRANSMIGRARE TE. Contentus est supplicio tuo Deus, filia Sion, spe bona esto: scelera tua oblivione deleta sunt: quæ debebas, absolvisti. Suprema Jerosolymæ calamitas igni purganti similis est, nullamque labem relinquenti. Similem huic sententiam vide apud Isaiam XL. 2. *Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius.* Et apud Jeremiam L. 20. *Quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur*, &c. Denique apud Ezechielem XVIII. 2. &c.

(67) Jerem. Thren. v. 12. *Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.* Baruch iv. 15. *Qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt.* Deut. xxviii. 50. *Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli.* (68) Vide Jerem. xxxiv. 8. & xxxvii. 10. (69) צדו צעדינו מלכת ברחבותינו (70) Ἐθηρεύσαμεν [Compl.] Ἐθηρεύσαντο μικροὺς ἡμῶν, τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν. Sym. Ἐθηράσαντο. (71) Jerem. iv. 13. xlviii. 40. xlix. 22. Ezech. xvii. 7. Habac. i. 8. Dan. vii. 4. (72) Ἐπὶ τὰ ὄρη ἐξήφθησαν. Quidam libri, Ἐξήφθησαν. S. Ambros. *Accensi sunt.* Ita & Complut. Heb. על ההרים דלקנו (73) Vide si placet, a Castro in hunc loc. & Chald. hic. (74) Ita Heb. Raban. Hugo, Vat. Lyran. Hieronym. in XII. Zach. Sanct. Munst. (75) Thom. Maldon. Sanct. Cornel. Pisc. Menoch Tir. alii. (76) רוח אפינו משיח יהוה נלכד בשחיתותם Septuag. Πνεῦμα προσώπου ἡμῶν χριστὸς κυρίου, συνελήφθη ἐν ταῖς διαφθοραῖς ἡμῶν. (77) תשכרי ותתערי Septuag. Μεθυσθήσῃ, καὶ ἀποχεεῖς. Ita Grot. & forte Chald. תרוי ותתרקני

DISCOOPERUIT PECCATA TUA. Peccatorum cumulus expletus est: Diu dissimulavit Deus: ac denique scrutabitur, exquiret, puniet. Ita Josephi fratres ajebant (78): *Deus invenit iniquitatem servorum tuorum*: & vidua Sareptana ad Eliam (79): *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Hujusmodi locutionum ac sententiarum genus ex rudi Hebræorum ingenio erant.

CAPUT V.

ORATIO JEREMIÆ.

Mala, quibus populus in captivitate affligitur, Deo narrat Jeremias, oratque ut illum revocet, atque in pristinas fortunas restituat.

℣. 1. RECordare, Domine, quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium
nostrum. 2. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad ex-
traneos. 3. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. 4. Aquam
nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus. 5. Cervicibus nostris
minabamur, lassis non dabatur requies. 6. Ægypto dedimus manum, & Assyriis,
ut saturaremur pane. 7. Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates
eorum portavimus. 8. Servi dominati sunt nostri: non fuit, qui redimeret de manu
eorum. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto.
10. Pellis nostra, quasi clibanus exusta a facie tempestatum famis. 11. Mulieres in
Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda. 12. Principes manu suspensi
sunt, facies senum non erubuerunt. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt: & pueri
in ligno corruerunt. 14. Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium.
15. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. 16. Cecidit
corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus. 17. Propterea mœstum factum est
cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. 18. Propter montem Sion quia dis-
periit, vulpes ambulaverunt in eo. 19. Tu autem, Domine, in æternum permane-
bis, solium tuum in generationem, & generationem. 20. Quare in perpetuum ob-
livisceris nobis? derelinques nos in longitudine dierum? 21. Converte nos, Domi-
ne, ad te, & convertemur; innova dies nostros, sicut a principio. 22. Sed proji-
ciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

℣. 1. RECORDARE, DOMINE, QUID ACCIDERIT NOBIS. Hujus Capitis inscriptio, *Oratio Jeremiæ*, in Hebræo, Chaldæo & Septuaginta Romanis non legitur. Pars Lamentationum est, at acrostycho artificio, uti superiora Capita, non exarata. Ætatem Jerosolymitana expugnatione recentiorem potissimum spectat; & quædam precandi formula est pro Judæis Babylone captivis, & iis qui in Ægyptum fugerant. Commentarios in hoc Caput non edidit Theodoretus, quasi alienum a Jeremia crediderit.

℣. 2. HÆREDITAS NOSTRA VERSA EST AD ALIENOS. Judæa Chaldæis data est; nostræ regionis partem Idumæi occupavere. Postquam Nabuzardan populum a Judæa abduxit, & reliqui sub Godoliam collecti, dissipati sunt, & in Ægyptum secessere, Judæam ferme vastatam unusquisque pro arbitrio occupavit. Idumæi meridionalem illius oram invasere ac diu tenuere.

℣. 3. PUPILLI FACTI SUMUS ABSQUE PATRE, Rege, Principe, præsidio: gens dissipata & infirma, quæ populus jam dici nequit.

℣. 4. AQUAM NOSTRAM PECUNIAM BIBIMUS, &c. In hac regione, quæ nostra esse desiit, inter alienos atque hostes, qui nulla nostri misericordia moventur, omnia emimus, ne libero quidem aquæ & lignorum usu.

℣. 5. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR. Cum Nabuzardan populum Jerosolyma abduceret, miseros vinculis, ceu belluas, oneravit: cum Babylonem duxit, veluti armentum, neglecto miserorum labore & imbecillitate. *Minare* verbum sequioris ævi est, quo nunc utimur, cum de pecudibus, quæ aguntur, sermo est. Hebræus (1): *Super collum nostrum persecutionem patimur*. Ab hoste urgemur, ense cervicibus imminente. Sævissimis injuriis laborare cogimur, nullaque nobis quies datur.

℣. 6. ÆGYPTO DEDIMUS MANUM ET ASSYRIIS, UT SATURAREMUR PANE. Nostram ipsi vitam Ægyptiis & Assyriis vendere aut locare cogimur, ut arctam nobis annonam comparemus. Judæos habebat Ægyptus & Assyria, seu Babylonia; hæc enim Assyriorum nomine significatur. *Dare manum* ferme est sese venum dare, cum altero transigere, pactum, fœdus, conventum facere, sese victum fateri. Hebræi Babylone captivi, cæterique qui in Ægyptum secesserant, cum in alienis iis regionibus neque agrum haberent, cujus cultura victum compararent, neque aliud, quo vendito alerentur, vel suam ipsi libertatem vendere, vel sese barbarorum arbitrio dedere cogebantur, solius cibi causa laboraturi. Quam misera fuerit eorum conditio, ex eo existimato, quod unius panis causa sese ultro darent.

℣. 7.

(78) Genes. XLIV. 16. (79) 3. Reg. XVII. 18. (1) על צוארנו נרדפנו Septuag. Ἐπὶ τὸν τράχηλον ἡμῶν ἐδιώχθημεν. Sym. Ζυγὸς κατὰ τοῦ τραχήλου. Alius eadem: Ζυγὸς ἡμῶν ἐν ὑπαγμῷ ἐλαστρούμεθα ἐπὶ τὸν τράχηλον ἡμῶν.

℣. 7. Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et nos iniquitates eorum portavimus. Hæc Judæorum querela jam occurrit, ac deinceps redibit. Proverbii genus apud Hebræos erat (2): *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* At nihil profecto iniquius his querelis est. Mala, quibus affligebantur, promeruerant, cum Deum flagitiis irritaverint, impios parentes omnino imitati, expletoque paternorum scelerum cumulo. Si qui innoxii justique homines communibus populi calamitatibus obvoluti sunt, illorum labores minime neglexit Deus; iique nedum adversæ fortunæ vices ægre non tulerunt, verum etiam spontaneo malorum sacrificio supremam Dei justitiam venerabantur, ipsumque in omnibus æquissimum esse, atque ex absolutissimæ æquitatis legibus supplicia inferre fatebantur (3).

℣. 8. Servi dominati sunt nostri. Heri sævissimi, quibus nos ipsi dedimus, nos servos, obnoxios effecere, quorum nutu imperioque ad laborem adigeremur. Is erat ingentium familiarum mos, ubi plurimi erant servi, ut ex his onus cæteris præficeretur, qui & imperaret, pensum distribueret, rationem cæterorum haberet, annonam divideret. Servorum hujusmodi meminit Evangelium (4): *Quis est fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Censent nonnulli, servorum nomine hic intelligendos esse Chaldæos, vel Ægyptios, gentes servorum loco a Regibus habitas, servituti aptiores quam imperio; ipsius Dei oraculo servitutis damnatas, quippe qui Chamum Semo serviturum prædixit Genes. ix. 26. Alii de Ammonitis, Moabitis, Idumæis (5), gentibus olim Judæorum servis, explicant.

℣. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii, in deserto. Vitæ discrimine cibos in solitudine quærebamus. Siquid in agro cibum quærere opus esset, vita periclitabamur, latronum causa, infestantium agros, nulla prorsus vagandi libertate relicta. Vel: Impune mactamur, si quis nos in desertis locis inveniat, quo fruticis herbasque quæsituri proficiscimur, ut vitam tueamur. Reddi Hebræus potest (6): *In animabus nostris quærebamus panem nobis, ob ariditatem deserti.* Ingratum ac sterile solum colimus, nihil ferens; quamobrem cibos alibi quærimus, vitæ periculo. Prima tamen explicatio multo optima est.

℣. 10. A facie tempestatum famis, ob famis angustias. Hebræus (7): *Ob horrores famis*, vel turbines famis. Fames horrida tempestatis instar in nos ruit, nosque exhausit atque arefecit: quamobrem cutis nostra ita aruit atque atra effecta est, ceu furnus mobilis, cujusmodi apud Orientales in usu esse solent; quorum aliqui fuso ferro constant, forma tintinnabulis similes, sub quibus poma coquuntur; alii lacubus lixiviis luteis similes sunt, ore inverso. Vide quæ diximus in Genes. xviii. 6.

℣. 11. Mulieres in Sion humiliaverunt. Hebræus (8): *Affixerunt*, injuria affecere, violaverunt. Quibuslibet vel indignissimis flagitiis Jerosolymæ sæviere Chaldæi, ubi urbem occupavere.

℣. 12. Principes manu suspensi sunt. Chaldæi, interfectis Principibus Juda, & capite diminutis, illorum cadavera manu suspenderunt, ut ab avibus vorarentur. Ita suspendendum erat cadaver Principis Pistorum Pharaonis (9): *Auferet Pharao caput tuum*, ajebat Josephus, *ac suspendet te in cruce.* Saulis corpus, cæso capite, atque in omnes Philisthinorum urbes misso, ut ab omnibus spectaretur, e mœnibus Bethsan suspensum est (10). Id commune apud Persas more servabatur (11). Cæso rei capite & manu, utrumque e furca suspendebatur; vel cæso tantum capite, truncum cadaver altera manu e cruce pendens relinquebatur. Ita sævitum a Persis est in Histiæum Milesium sub Dario (12), & Leonidam Lacedæmonum Regem sub Xerxe (13). Nostrorum Interpretum sane plures hoc loco significari ajunt, Chaldæos suis ipsos manibus Juda Principes suspendisse; atque Hebræum reddunt (14): *Principes manu eorum*, hostium, *suspensi sunt.* Alii asseruot, Principes Juda suis ipsorum manibus necem sibi laqueo conscivisse, rerum omnium desperatione. Has nimirum explicationes peperit prisci moris ignorantia, de quo egimus.

℣. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt. Hebræus (15): *Adolescentes* in ipso ætatis flore *ad molendum tulerunt*: ad miserrimam mancipiorum vitam adegerunt, in pistrinum scilicet, ad molam, ut triticum molerent teterrimis quibusdam in carceribus, quibus ceu belluæ coercebantur. Ita Philisthini in Samsonem (16), & Chaldæi in Sedeciam (17) gessere, ex versione Septuaginta Interpretum. Hæc quidem explicatio maxime simplex & prona videtur. Altera, quam S. Hieronymus sequutus est, Judæos forsitse authores habet, qui locum Judicum de Samsone eodem modo interpretantur. *Molere* interdum obscœno sensu usurpatur apud Scripturam (18), & Profanos (19). Nihil tamen jubet hic eam explicationem sequi.

Pueri in ligno corruerunt, gravissimis, quibus opprimebantur, oneribus succumbentes; vel sub fustibus Babyloniorum expiravere; vel denique, *in lignum impingentes ruerunt*, in lignum, quod Babylonii dolo malo in viis posuere, ut ruinæ occasio illis esset. Ita proprie sonat Hebræus (20). Si levissimum apicem in Hebræo mutes, legi potest (21): *Pueros in veru coxerunt*; ligneis verubus confixos voravere. Prorsus spernenda non est hæc versio, quam Interpretes nonnulli probant. Eadem voce utitur Jeremias, matrum sævitiam in Jerosolymæ obsidione describens, cum illæ coctas liberorum carnes in cibum adhibuerunt (22).

℣. 14. Senes defecerunt de portis. Nulli Judicum, Magistratuum, ac civitatis Senum cœtus ad urbium portas sedent, jus dicentes, & de publicis negotiis deliberantes. Judæis in varias terrarum plagas dissipatis, libero Legis & civilis administrationis exercitio publice uti non licuit. Danielis ætate, Judices e gente sua Babylone habuere Judæi (23): id tamen non statim ab initio constitutum est; in cæteris tamen regionibus illud æque permissum non est. Nulla Reipublicæ forma in Judæa relicta est.

Juve-

(2) Jerem. xxxi. 29. & Ezech. xviii. 2. (3) 1. Esdr. ix. 6. 7. *Iniquitates nostra multiplicata sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cælum, a diebus patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccavimus graviter.* 2. Esdr. i. 6. *Confiteor pro peccatis filiorum Israel quibus peccaverunt tibi, ego & domus patris mei peccavimus, &c.* ix. 29. 30. 31. Esther. xiv. 6. Psalm. cv. 6. Baruc ii. 12. Dan. iii. 29. 31. *Omnia qua induxisti super nos, & universa qua fecisti nobis, in vero judicio fecisti, &c.* (4) Matth. xxiv. 45. (5) Tyran. (6) בנפשנו נביא לחמנו מפני חרב המדבר Septuag. Ἐν ψυχαῖς ἡμῶν εἰσοίσομεν ἄρτον ἡμῶν ἀπὸ προσώπου ῥομφαίας τῆς ἐρήμου. (7) מפני זלעפות רעב (8) נשים בציון ענו (9) Genes. xl. 19. (10) 1. Reg. xxxi. 10. 12. (11) Vide Brisson. lib. 2. de Regno Persar. Grot. hic. (12) Herodot. lib. 6 cap. 30. de Histiæo Milesio. (13) Idem lib. vii. cap. 238. de Leonida Lacedæm. (14) שרים בידם נתלו (15) בחורים טחון נשאו (16) Judic. xvi. 21. (17) Jerem. lii. 11. Septuag. Καὶ ἤγαγεν αὐτὸν [Σεδεκίαν] εἰς Βαβυλῶνα, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν εἰς οἰκίαν μύλωνος, ἕως ἡμέρας ἧς ἀπέθανε. (18) Job xxxi. 10. *Scortum alterius sit uxor mea.* Heb. *Molat alteri uxor mea.* (19) Horat. l. 1. Sat. 2. *Alienas permolere uxores, &c.* (20) נערים בעץ כשלו (21) בעץ בשלו (22) Jerem. Lament. iv. 10. בשלו ילדיהן (23) Daniel. viii. 5. 6.

JUVENES DE CHORO PSALLENTIUM. Hebræam vocem *neghinoth* (24) pro musicis instrumentis plurimi usurpavere: at multo probabilius puto, multorum simul instrumentorum concentum, cœtusque hominum musica instrumenta pulsantium, festivaque carmina canentium, significare. Capta Jerosolyma, triste ac lugubre in universa regione silentium fuit.

℣. 16. CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI. Festis diebus, in nuptiis, conviviis, floreis corollis vulgo utebantur.

℣. 17. CONTENEBRATI SUNT OCULI NOSTRI. Mœror, fames, animi consternatio aciem oculorum magnopere minuunt: tuentur ac firmant hilaritas, ubertas, cibi. Id nos animadvertimus in Regum Libris (25), ubi de Jonatha, quo mel gustante, *illuminati sunt oculi ejus*.

℣. 18. VULPES AMBULAVERUNT IN EO. Frequentissimas esse in Palæstina vulpes, alibi docuimus (26). Vulpes cubilia ponunt in Templi ruinis ac Sionis ruderibus, ceu locis penitus desertis, ac latibulo aptissimis. Ita ferme Horatius (27):

Agros atque Lares patrios, habitandaque Fana
Apris relinquet, & edacibus lupis.

℣. 21. CONVERTE NOS, DOMINE, AD TE, ET CONVERTEMUR. Gratiam, o Deus, prævenientem largire: tuo nos lumine, divinisque illecebris illa præveniat, & sequemur. Nos errare ne patiaris: perge animos divina unctione proluere, ne unquam te sequi & quærere desinamus. Ad te converti nos jubes, teque deinde ad nos reversurum polliceris (28): *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Ita meæ me libertatis admones. At simul clamo (29): *Converte nos, Domine, & convertemur*. Infirmum me fateor, semperque egentem gratiæ tuæ, qua præveniat & confirmet.

At literalis hujus loci explicatio reditum e captivitate potius significat (30): Revoca nos, Domine, e captivitate, qua premimur: immensas vires tuas exere, ut in libertatem nos vindices; teque juvante egrediemur. Uno ex te libertatem, quam tantopere cupimus, expectare fas est. Hoc porro beneficium est, quod humanis viribus consequi non possumus.

INNOVA DIES NOSTROS, SICUT A PRINCIPIO. Restitue nos in veterem statum. Liceat aliquando tranquillam in patria vitam agere, constanti legum tuarum obsequio (31), uti nostris olim majoribus, antequam in illos irascereris.

℣. 22. SED PROJICIENS REPULISTI NOS: adeo omnia nobis inimica videntur. Malo Hebræum vertere, addita interrogatione (32): *An omnino nos abjecisti, & iratus es contra nos sine modo*, ut flecti nequeas? Inanis Judæorum superstitio superiorem versiculum hic repeti jubet, ne totus Liber mali ominis sententia, verbisque tristibus claudatur. Idem in fine Isaiæ & Malachiæ servant.

FINIS LAMENTATIONUM JEREMIÆ.

IN BARUCH
PROLEGOMENON.



CLaro ortus genere Baruch, linguæ Hebraicæ scientia excelluit (1). Patre genitus est Neria, & avo Maasia, viris in regione sua amplissimis: nec minus illustris fuit dignitate fratris Saraiæ, qui sub Sedecia inter viros Principes suum habebat locum (2). Porro Baruch a secretis fuit toto vitæ suæ tempore, & indivisus Jeremiæ ad obitum ipsius comes. Sub Joachimi Regno, omnia illius vaticinia scriptis redegit; & cum in Templum secum tulisset illorum volumen, coram frequenti Procerum & populi concione expandit legitque. Cum autem post hæc volumen coram Rege Joachimo delatum legeretur, offensus Princeps cultro discissum in ignem conjecit (3). Absumptum reparaturus Jeremias, novum ex integro, sed fusius, Amanuensi suo Barucho dictavit (4); dictavit autem quale nunc etiam superest.

Quæ erat Baruchum inter & Jeremiam rerum affinitas, gravia in Baruchum odia induxit; nihil enim malorum perferendum Jeremiæ fuit, quod item in Baruchum non caderet. Quare, ita Deo permittente, Baruch, cum forte die quadam, animis despondens, suam itemque Patriæ sortem lugeret (5), confirmandus fuit a Deo verbis Prophetæ, & ita confirmandus, ut deinceps ne levissime quidem nutaret.

Quarto Sedeciæ anno, Babylonem una cum Saraia fratre suo (6) missus est, postulatum a Rege Nabuchodonosore, ut vasa sacra Babylonem ab ipso delata, quo tempore Urbem simul & Regem Jechoniam ceperat, restitueret (7). Attulit una pariter Propheta Epistolam Jeremiæ (8) ad Judæos in captivitate detentos, quo ille scripto & imminentia omnia Babyloni mala exposuit, & libertatis spem miseris fecit. Jusserat autem Propheta lectam captivis epistolam projiei

---

(24) בחורים מנגינותם Septuag. Ἐκλεκτοὶ ἐκ ψαλμῶν αὐτῶν κατέπαυσαν. (25) 1. Reg. xiv. 27. *Intinxit virgam in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus.* (26) Judic. xv. 4. Comment. (27) Horat. Epod. Ode 16. (28) Zach. 1. 3. (29) Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. (30) Hugo, Lyran. Dionys. Sanct. Tir. Grot. alii. (31) Thom. Raban. Menoc. Sanct. (32) כי אם מאס מאסתנו קצפת עלינו עד מאד
(1) Joseph. Antiq. l. 10. c. 11. Ἦν αὐτῷ συμπολιτευόμενος τὸν μαθητὴν Βάρουχον, Νηρίου δὲ παῖδα, ἐξ ἐπισήμου σφόδρα τῆς οἰκίας ὄντα, καὶ τῇ πατρίῳ γλώττῃ διαφερόντως πεπαιδευμένος. (2) Jerem. li. 61. Princeps Menuchah שר מנוחה (3) Jerem. xxxvi. 1. 2. & 22. 23. &c.
(4) Ibid. ℣. 27. &c. (5) Jerem. xlv. 2. 3. (6) Jerem. li. 59. (7) Baruch 1. 2. &c.
(8) Continetur capitibus Jeremiæ l. & li.

jici in Euphratem (9); nihilque penitus a Barucho omissum est. Audita epistola Jechonias cæterique cum illo captivi (10) alte ingemuerunt, ac collatitiam pecuniæ summam Baruchi manibus commissam, in usum sacrificiorum Domini Jerosolymam transmiserunt.

Data insuper est a captivis prolixior ad fratres Jerosolymæ agentes epistola, in quinque prioribus Baruchi capitibus recitata (11). Porro hanc in tabulis exaratam esse ac delatam ab eodem Barucho, ne dubitamus quidem; & asserendum eadem fide censemus, divino illum Spiritu afflatum, authorem epistolæ fuisse, ut fratrum precibus morem gereret, eaque expressisse pios & religiosos sensus, quos in captivis Babyloniæ animadverterat. In ipso Epistolæ capite, precibus fratrum Jerosolymitanorum commendat Nabuchodonosorem ejusque familiam, quibus justum tenentibus imperium, pacatæ ditionis tranquilla quiete sese gavisuros esse confidebant. Precum autem exigendarum causa fuisse potuere beneficia, quæ ab eo Principe acceperant Judæi, quippe qui vasa sacra libens remiserat. Rogant autem fratres captivi, ut sua ipsorum epistola legatur in frequenti concione, cum populus diei festi solemnia in Templo celebraret. Nec dissimulant crimina sua, quorum merito justam Domini ultionem in suum caput provocarunt (12); veniam rogant ob commissa; tum & minas Prophetarum, quas olim contempserant, revocant in memoriam (13). Hæc in priori Epistolæ parte.

Secundæ partis exordium instituitur a capite III. 9. ductum ab eximiis Hebræorum supra cæteras gentes dignitatibus; cum Legem Domini, genuinam sapientiam, & veræ felicitatis fontem ac viam soli nossent (14). Monentur igitur Judæi, ut denique resipiscant, abjectisque criminibus, dignos se præbeant, qui promissa libertatis facta sibi spe tandem potiantur. Porro hæc futuræ libertatis promissio totum epistolæ epilogum occupat; variisque aptissimis phrasibus eamdem rem iterum atque iterum Author repetit. Innuimus jam, hujus epistolæ Authorem credi Baruchum, qui nunquam in ea non Prophetam agit, oracula ubique miscens de captivitate solvenda, & restituenda Urbe; ænigmatica simul phrasi, sed non obscura, Christi Regnum & Ecclesiæ institutionem exprimens (15).

Jerosolymam reversus Baruch, charum sibi Jeremiam convenit, communes cum illo vices subiturus. Ita copiis Nabuchodonosoris obsessa Urbe, cum Jeremias in carcerem conjectus esset, simili custodia detentus & Baruch. Capta Urbe, quo erat obsequio Nabuzardan in Jeremiam, eodem & Baruchum prosecutus est (16). Eductus ergo e carcere, quocumque voluntas ferret, libere abire permissus est. Cum reliquiæ populi secedere in Ægyptum decrevissent, invito licet ac pro viribus renitente Propheta (17), seditionem in Baruchum excitarunt, quod scilicet eo authore, consilia sua damnasse Jeremiam dicerent. Vicit tamen populi obstinatio, quibus, ne in effrænem licentiam, atque in Idololatriam prolaberentur, assentiendum uterque Propheta censuerunt. Mansit Baruch in Ægypto ad obitum usque Jeremiæ; quo fatis functo, recepit se Babylonem. Sunt qui contendant, epistolam Jeremiæ, postremo hujus Libri capite recitatam, ab eodem Barucho delatam fuisse; sed Græci textus authoritate in eam sententiam adducimur, ut traditam fuisse captivis mox Babylonem transferendis credamus, antequam ambo Prophetæ in Ægyptum proficiscerentur.

Quo loco obierit Baruch, ambigitur: Babylone anno captivitatis XII. ajunt Rabbini; alii in Ægypto malunt. Emortualem ejus diem ad XXVIII. Septembris, nullo, quod scimus, fundamento, Martylogia consignant. Sed quanto incertior est obitus illius dies, tanto certius constat, viri memoriam, apud Ecclesiam Judaicam, & Christianam, celebrem esse ac sanctissimam.

Exemplar hujus Libri Hebraicum periit; cujus locum tenet Versio Græca vetustissima, ex Hebræo sine controversia adornata, uti ex frequentibus Hebraismis intelligimus. Judæi, quibus sanctum est, Libros omnes non Hebraice scriptos e Canone Scripturarum expungere, Librum Baruchi excludunt. Gravius aliquanto in illum locutus S. Hieronymus, suspicionem facit, utrum Libri authoritatem satis agnoverit (18). Nihil de illo satis luculentum in vetustis Catalogis Sacrarum Scripturarum apud Patres & Concilia. Excidit e numero Sacrorum Librorum apud Protestantes, & Catholicos nonnullos (19). Epistola Jeremiæ in sexto Baruchi capite veluti spuria notari a S. Hieronymo videtur; omisit Theodoretus in suo Commentario; ac tandem in variis Græcis Exemplaribus desideratur. Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 5. cap. 18. tradit moris esse apud Judæos singulis recurrentibus annis die solemnis expiationis legi Threnos Jeremiæ cum libro Baruchi; verum S. Hieronymus contendit apud Hebræos librum Prophetæ hujus nec legi unquam, nec agnosci. Adstipulatur S. Epiphanius testatus abesse eundem librum a Canone Hebræorum. Accidisse tamen potuit ut ætate Auctoris Constitutionum Apostolicarum, quarto scilicet sæculo, Judæi Baruchum legerent. Quem librum nos Græce fortasse versum ex Hebræo habemus. Syriacus est alter in Polyglottis; sed hujus auctor adeo perspicuis verbis de extrema Judicii die pœnisque inferni loquitur, ut ambigi vix possit quin Christiano quodam auctore prodierit. Apud Josephum in antiquitatibus sermo incidit de Barucho Jeremiæ discipulo, homine claro genere sato, vernaculo eloquio satis docto, quem Nabuchodonosor rogatu Jeremiæ libertati restituit,

Sed

(9) Jerem. LI. 63. (10) Baruch I. 5. (11) A Cap. I. 10. usque ad totum c. V. (12) A Cap. I. 13. usque ad cap. II. 12. (13) A Cap. II. 21. 12. usque ad III. 9. (14) A Cap. III. 9. usque ad IV. 2. (15) Lege finem capitis IV. & caput V. totum. (16) Antiqu. lib. 10. cap. 11. (17) Jerem. XLIII. 2. &c. (18) Hieron. Præfat. in exposit. Jerem. *Libellum Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, & Pseudographam Epistolam Jeremiæ nequaquam censui disserendam.* Idem Præfat. in versione Jerem. *Librum autem Baruch Notarii ejus, qui apud Hebræos nec habetur, nec legitur, prætermisimus.* (19) Driedo lib. 1. de scripi. & dogm. Eccles. cap. ult. Lyran. Dionys. Carth.

Sed ad illam vicissim adludit non obscure Author secundi Macchabæorum (20); & statim post Lamentationes Jeremiæ exhibent plura Exemplaria, cum in aliis eumdem teneat ac in nostris Bibliis locum. Nihil in ea sane est ætati, moribus Jeremiæ, ac tandem reliquis temporum circumstantiis absonum. Idem & de reliquo Opere censendum est; cujus si apertior in sacris Catalogis mentio desideretur, ejus rei causa fuit, quod sub uno eodemque Jeremiæ nomine utrumque Opus comprehenderetur. Nec facile satis luculenter inter hæc duo distinctum fuisset in Conciliis Florentino (21) & Tridentino, Sessione IV. nisi silentium illud ad pravas quasdam consectiones deduci posse ab Hæreticis, Patres animadvertissent. Sub expresso Baruchi nomine Opus non semel Patres laudarunt (22), frequentius tamen sub Jeremiæ; & hodie usque in Ecclesia aliquid legitur Baruchi sub Jeremiæ nomine in officio Sabbathi Pentecostes Prophet. 6.

Nomine Baruchi inscripta, prolixa satis epistola apud Syrios extat; in qua ita de Angelis sermo fit, ut Christianum Authorem prodat. Monachum aliquem Syrum suspicatur Huetius, olim Episcopus Abrincensis. Alia est prorsus epistola, ac ea quæ recitatur in Græco & Latino nostrorum Bibliorum.

Nunquam Baruchi Opus Hebraice scriptum fuisse, certat Grotius Præfatione in Baruch, quare digestum credit a Judæo aliquo, ut se in Græca lingua exerceret. Porro Auctor Operis, ait Grotius, narrat, Baruchum anno quinto transmigrationis Jechoniæ Babylonem missum fuisse; idque recentior aliquis animadvertens, ratusque Baruchum nunquam re ipsa venisse Babylonem ante postremam captivitatem sub Sedecia, quædam in Textu adjecit, nulla cæteris connexione cohærentia. Addit autem Grotius, post ea tempora Christianos Amanuenses e suo aliqua pariter addidisse.

Debuit plane Grotius opinionis suæ conjecturas proferre. Sed ille rem tantum asseruisse contentus est, affirmans versum secundum Capitis primi, ubi de Jerosolyma incendio absumpta sermo est, additionem esse secundi illius Authoris, seu potius ejus, qui epistolam recensuit; non enim, ait, nisi sub Sedecia Urbs incendio vastata est. Observat pariter ℣. 38. cap. III. ubi post datam Jacobo Legem a Deo, factum legimus, ut Deus ipse *post hæc in terris visus sit, & cum hominibus conversatus sit*; observat, inquam, verba illa Christianum Authorem exprimere. Asserit tandem, epistolæ Authorem multa e Daniele in Oratione, quam recitat capitibus 1. & II. decerpsisse.

His Grotii objectionibus respondere in Commentario conati sumus. Quod oratio Baruchi simile aliquid cum altera Danielis præseferat, id alteram ab altera derivari non probat, communes enim erant orandi formulæ apud Judæos. Incendium aliquod Jerosolymæ sub Jechonia fuit, sed specimen tantum illius vastationis, quæ deinde sub Sedecia Urbem totam absumpsit. Quem tandem a Christiano quodam adjectum locum Grotius censuit, hunc respondere credimus alteri sententiæ ex Proverbiis VIII. 30. 31. & Ecclesiastico XXIV. 13. 14. ubi legimus, Sapientiam sedes suas in Israele fixisse, quippe quæ suas habeat delicias inter filios hominum; ac tandem respondet alteri e Sapientia IX. 10. 11. ubi Salomon mitti sibi a Deo postulat Sapientiam, opem, & consilium præstituram. Quis omnia simul hæc loca supposita esse arguat?

---

(20) Macchab. II. 2. *Invenitur in descriptionibus Jeremiæ Prophetæ: Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, & non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea & argentea, &c.* (21) In Decreto de Scriptur. Sacr. (22) Iren. lib. 5. cap. 35. contra hæres. Cyprian. lib. 2. contra Judæos; & Serm. de orat. Dominica; Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 10. & lib. 2. cap. 3. Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 19. & lib. 10. cap. 3. Ambr. lib. 1. de Fide cap. 2. Idem in Psalm. cxviii. serm. 12. Jul. Firmic. ad finem; August. lib. 18. de Civit. cap. 33. Chrysost. serm. de Trinit. & demonstr. advers. Gentil. quod Christus sit modo. Basil. lib. 4. advers. Eunom. Epiph. hæres. 3. advers. Ebioneos; Hildefons. lib. de Virgine Maria cap. 6. Vide Maldon. in hunc Librum; & Bellarm. lib. cap. 8. de Verbo Dei.



COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN BARUCH.

CAPUT PRIMUM.

Baruch, cum Babylone esset, Jeremiæ literas coram captivis legit. Babylonicorum Judæorum responsio ad Jerosolymitanos. Pecuniam mittunt, ut sacra pro se faciant, ac pro Nabuchodonosoris incolumitate orent. Judæorum oratio, criminumque confessio.

℣. 1. ET hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filii Maasiæ, filii
Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ, in Babylonia. 2. In anno quinto, in se-
ptimo die mensis, in tempore, quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, & succenderunt
eam igni. 3. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim re-
gis Juda, & ad aures universi populi venientis ad librum: 4. Et ad aures poten-
tium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, a minimo us-
que ad maximum, eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.
5. Qui audientes plorabant, & jejunabant, & orabant in conspectu Domini. 6. Et
collegerunt pecuniam, secundum quod potuit uniuscujusque manus, 7. Et miserunt
in Jerusalem ad Joakim filium Helciæ, filii Salom sacerdotem, & ad sacerdotes, &
ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem: 8. Cum acciperet va-
sa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Juda, decima
die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda. 9. Post-
quam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, & principes, & cunctos po-
tentes, & populum terræ ab Jerusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem. 10. Et
dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus,
& facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri. 11. Et orate
pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filii ejus, sint dies
eorum sicut dies cœli super terram. 12. Et ut det Dominus virtutem nobis, & il-
luminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, &
sub umbra Balthasar filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam
in conspectu eorum, 13. Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum:
quia peccavimus Domino Deo nostro, & non est aversus furor ejus a nobis usque in
hunc diem. 14. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo
Domini, in die solemni, & in die opportuno: 15. Et dicetis: Domino Deo nostro
justitia, nobis autem confusio faciei nostræ: sicut est dies hæc omni Juda, & habi-
tantibus in Jerusalem, 16 Regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus
nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris. 17. Peccavimus ante Dominum
Deum nostrum, & non credidimus, diffidentes in eum: 18. Et non fuimus subje-
ctibiles illi, & non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in man-
datis ejus, quæ dedit nobis. 19. A die, qua eduxit patres nostros de terra Ægy-
pti usque ad diem hanc eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: & dissipati
recessimus, ne audiremus vocem ipsius. 20. Et adhæserunt nobis multa mala, &
maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi servo suo: qui eduxit patres nostros de
terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac, & mel, sicut hodierna die. 21. Et
non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum, quos
misit ad nos: 22. Et abivimus unusquisque in sensu cordis nostri maligni, operari
diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

℣. 1. Et

℣. 1. ET HÆC VERBA LIBRI, QUÆ SCRIPSIT BARUCH . . . IN BABYLONIA. Babylonicum iter bis aggressus est Baruch: primum, quinto postquam captus est Jechonias anno, & quarto ab exordio Sedeciæ (1). Hoc ipsum iter primo hoc Capite significatur. Misso ad Nabuchodnnuforem Saraia, Baruchi fratre, postulaturo, ut Sacra vasa, in urbis expilatione rapta sub Jechonia (2), restituerentur, fratri comes hæsit Baruch, qui, fratre negotiis Regiis occupato, Jeremiæ vaticinia in Babylonem, certasque futuræ libertatis promissiones Captivis perlegit (3). Secundo Babylonem venit, mortuo in Ægypto Jeremia.

Quæ diximus, difficultate non carent; hic enim Jerosolyma incendio absumpta dicitur (4), atque ita malis oppressa, ut nunquam similes ærumnas tulerit; homines liberorum suorum carnibus vescerentur; populus extra patriam captivus abductus sit; sepulra Regum ossa e sepulcris ejecta; Jerosolyma viduæ similis, a viro deserta, ceu mater filiorum amissione & captivitate dolens. Hinc Interpretum plerique collegerunt (5), Baruchum nonnisi quinto post eapugoatam sub Sedecia urbem anno Babylonem venisse. At illud in contrariam sententiam, ab eruditissimis Interpretibus probatam (6), nos trahit, quod ex tota orationis serie cnlligitur, magnam adhuc populi partem Jerosolymis & in Judæa eo tempore fuisse (7), stetisse adhuc Altare & Pontificem, Sacrificia, festos dies, Reges, Sacerdotes ac Prophetas in urbe, regnasse adhuc Sedeciam, & argentea vasa in usum Templi confecisse, Saraiam a Rege missum, ut sacra vasa quinquennio ante rapta a Nabuchodonosore postularet. Quæ quidem in ætatem, incendio Jerosolymæ ac Templi prorsus inferiorem, non competunt.

℣. 2. IN ANNO QUINTO, IN SEPTIMO DIE MENSIS, IN TEMPORE (a tempore) QUO CEPERUNT CHALDÆI JERUSALEM. Quis ille mensis sit, aut quo ea tempore ducendus sit quintus hic annus, non tradit. Nobis, uti animadvertimus, id contigisse creditur quinto anno a translato Babylonem Jechonia, septima die ejus mensis, quo urbs capta fuerat sub Jechonia. *In anno*, scilicet *ab anno* (8).

ET SUCCENDERUNT EAM IGNI. Injectus ergo est urbi ignis sub Jechonia, at deinde oppressus (9); quo urbis pars conflagravit, non urbs tota vastata est, quemadmodum sub Sedecia. Incendium istud alibi frustra quæras.

℣. 3. LEGIT BARUCH VERBA LIBRI HUJUS AD AURES JECHONIÆ. *Librum* dicit Epistolam (10), Hebræorum more, qui quodlibet scriptum aliquanto fusius Librum nuncupant, puta Epistolam, Edictum. Captivus erat Babylone Jechonias, at ita, ut ab amicis salutatum venientibus non arceretur. Habitus est apud illum cœtus, ubi missæ a Jeremia per Baruchum literæ perlegerentur. Vide *Jeremiam* LI. 59. &c.

℣. 4. AD FLUMEN SODI. Nullus in Babylonia hujus nominis fluvius legitur. *Sodi* סוד, Hebraice est *superbia*; quo nomine significari potuit Euphrates. Hebræos certe ad Euphratem captivos fore, prædixit Jeremias LI. 63. Putat Bochartus (11), *Sodi* mendo Librarii irrepsisse pro *Sori*, vel *Suri*. *Sura* urbs ad Euphratem legitur. Ait Grotius, ramum fluminis esse, ubi urbs *Soita* inter Euphratem & Tigridem. Vide Ptolemæum.

℣. 7. MISERUNT AD JOAKIM FILIUM HELCIÆ, FILII SALOM, SACERDOTEM, sive *Pontificem*. *Joakimum* hunc ipsum esse arbitramur Eliacimum, sive Helciam, qui sub Manasse (12), & Josia (13) legitur, sub posterioribus fortasse Regibus adhuc florens. Vide nostram Dissertationem de Pontificibus Judæorum.

℣. 8. CUM ACCIPERET VASA TEMPLI DOMINI, QUÆ ABLATA FUERANT DE TEMPLO, REVOCARE (referenda) IN TERRAM JUDA. Saraias, Baruchi frater, missus a Sedecia est, quarto Regni ipsius anno (14), quinto scilicet post captum Joachinum, sive Jechoniam, sacra vasa, quæ ea Templo Domini ablata fuerant, postulatum. Comes fratri fuit in itinere Baruch; & die decima *Sivan*, qui mensis cum Majo convenit, sacra vasa restituta sunt. Eo tempore captivi pecuniam a se oblatam illis tradidere, datis etiam literis, quas statim legimus.

VASA ARGENTEA, QUÆ FECIT SEDECIAS. Vasa igitur a Saraia & Barucho postulata, vasa fuisse videntur argentea, quæ conflaverat Sedecias, rapta deinde ex Templo, post regni ipsius exordium (15): id quod nullo authore novimus. Græco Textu levissime mutato, ita redditur sententia (16): *Vasa argentea fecerat Sedecias filius Josiæ, Rex Juda, postquam translatus est a Nabuchodonosore Jechonias*: quæ verba animadversio Baruchi sunt. Vetera Templi vasa aurea postulavimus; capto enim Jechonia, Sedecias argentea conflavit.

℣. 9. CUNCTOS POTENTES. Græcus (17): *Captivos & fortes*, vel potentes. *Cunctos* pro *vinctos* Vulgata mendo librariorum habet.

℣. 10. DIXERUNT: ECCE MISIMUS AD VOS PECUNIAS. Ita respondent Judæis Jerosolymitanis Babylonii, de iis quæ Baruch ipsorum nomine nuntiaverat. Hæc epistola usque ad Caput VI. producitur.

FACITE MANNA, ET OFFERTE PRO PECCATO. *Manna* (18) ex Hebræa voce *mincha* seu *manicha* ducitur, quæ vox proprie oblationes panis, liquorum, tritici, farinæ, vini significat. Græcus non habet *pro peccato*.

℣. 11. ORATE PRO VITA NABUCHODONOSOR . . . . ET PRO VITA BALTHASAR FILII EJUS. Beneficium a Nabuchodonosore concessum, redditis sacris vasis, nova benevolentiæ causa erat, addita communi subditorum officio, quo jubentur unusquisque vota facere pro eorum Principum incolumitate, quibus parere illos voluit Deus. *Quærite* votis ac *precibus pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci*, monebat Babylonicos captivos Jeremias c. 29. 7. *& orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis*. Jubet S. Paulus 1. Timor. 2. 2. Christianos vota facere *pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus*. Evilmerodachi, qui filius Nabuchodonosoris natu major, proximusque successor fuit, non meminit Baruch, sed Balthasari, minoris filii, cum Evilmerodach, uti ajunt (19), a patre odio haberetur, omnesque Balthasarum ceu Regni hæredem observarent.

SICUT DIES CŒLI. Pari cum mundo vitæ diuturnitate gaudeant, *Rex in æternum vive* (20). Hæc Reges salutandi forma erat. *Dies Cœli* usurpantur pro mundi diuturnitate Psal. 80. 30. *Ponam thronum ejus sicut dies Cœli*.

℣. 12.

(1) Vide Jerem. LI. 59. (2) Infra ℣. 8. 9. (3) Vide Jerem. LI. 59. & seq. (4) Baruc II. 2. 3. 25. 24. & III. 8. IV. 10. 11. 14. 24. 37. V. 1. 5. (5) Theodoret. hic, Hugo, Lyran. Sixtus, Castr. Emm. Sa, Cornel. Sanct. Torniel. &c. (6) Maldon. Usser. ad an. 3409. Jun. Grot. (7) Baruch 3. 6. 7. 8. 10. 14. 15. (8) Præpositio Hebraica ב usurpatur passim pro מן Vide Levit. VIII. 32. Exod. XII. 43. & 2. Par. XVI. 6. (9) Jun. Usser. Anglo-Duacens. (10) Vide infra ℣. 14. (11) Boch. Phaleg. lib. 1. c. 8. Vide, si placet, Cellar. Geog. lib. 3. c. 16. p. 460. (12) Isai. XXII. 20. (13) 4. Reg. XXII. 4. 8. XXIII. 4. 24. 2. Par. XXXIV. 9. (14) Vide Jerem. LI. 59. (15) Vide Jerem. XXVII. 16. (16) Σκεύη ἀργυρᾶ, ἃ ἐποίησεν Σεδεκίας υἱὸς Ἰωσία βασιλεὺς Ἰούδα, (℣. 9.) Μετὰ τὸ ἀποικίσαι Ναβουχοδονόσορ τὸν Ἰεχονίαν. Deleo pronomen relativum ἃ inter ἀργυρᾶ, & ἐποίησεν, quo facillime trudi potuit. (17) Καὶ τοὺς δεσμώτας, καὶ τοὺς δυνατούς. (18) מנחה Septuag. Μάννα. Ita in Græco Jerem. XVII. 26. Dan. II. 46. (19) Vide Lyran. in ult. Jerem. & Abul. in 4. Reg. XXV. 9. 37. ex tradit. Hebræorum; Sanct. hic; & nos in Dan. Præfat. (20) Dan. II. 4. 30. III. 9. V. 10. VI. 6. & passim.

℣. 13. Illuminet oculos nostros: ærumnis, angustiis, infortuniis, quibus premimur, nos liberet (21). Tenebræ captivitatem ac mœrorem, lux hilaritatem, libertatem, vitam significant. Vel: Flagitia nostra agnoscamus atque execremur, efficiat.

℣. 14. Recitari in Templo Domini, in die solemni. Hinc perspicue intelligis, Templum ea ætate adhuc stetisse, Religiosis cœtibus, festisque diebus celebratum.

In tempora opportuno. Puto Græcum Interpretem in Hebræo legisse (22): *In diebus temporis* certi ac stati; quæ verba de festis etiam diebus, in solemnes cœtus destinatis, explicantur.

℣. 15. Omni Juda. Græcus (23): *Homini Juda, Omni pro homini*.

℣. 19. Dissipati recessimus, ne audiremus. Græcus (24): *Dissipati sumus, quod neglexerimus audire vocem ejus*. Vel: Minime studuimus audire vocem ejus. Sive: Inconsiderate egimus ac negligenter, nec audivimus vocem ejus. Confer *Dan.* ix. 7. 8. 9. & 2. *Esdr.* ix. 32.

℣. 20. Maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi. Diras, quas Deo jubente in Legis violatores Moyses pronuntiavit. Vide *Levit.* xxvi. *Deut.* xxviii. & *Dan.* ix. 11.

℣. 22. Operari Diis alienis; vel, ut victimas Diis mactarent (25). *Operari & facere* passim hoc sensu usurpantur (26). At multo verisimilius Hebræus ferebat (27) *habad*, *ministrare*, *operari*, obsequi, colere, adorare. Vide proximum Caput ℣℣. 21. 22. 24. ubi *operari* hoc ipsum significat.

(21) Badvell. hic; Grot. Vide Isai. lxi. 1.
(22) בימי מעד Gr. Ἐν ἡμέραις καιροῦ. Ita Badvell.
(23) Ἀνθρώπῳ Ἰούδα. Ita & infra cap. 2. ℣. 1.
(24) Ἐσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν. Grot. hic. Σχεδιάζειν *inconsulte aliquid agere*.
(25) Ἐργάζεσθαι θεοῖς ἑτέροις.
(26) Vide Sanct. hic. Tibull. *Tunc operata Deo pubes discumbet in herba*.
(27) עבד *Habad*, *Ministrare*, *operari*, frequentissime usurpatur pro cultu, qui Deo impenditur. Exod. v. 16. xx. 5. xxiii. 25. &c.

CAPUT II.

Pergit oratio captivorum Judæorum. Flagitia sua fatentur, Divinamque misericordiam flagitant.

℣. 1. PRopter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est
ad nos, & ad Judices nostros, qui judicaverunt Israel, & ad reges nostros,
& ad principes nostros, & ad omnem Israel, & Juda: 2. Ut adduceret Dominus
super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodum facta sunt in
Jerusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, 3. Ut manducaret homo car-
nes filii sui, & carnes filiæ suæ. 4. Et dedit eos sub manu regum omnium, qui
sunt in circuitu nostro, in improperium, & in desolationem in omnibus populis, in
quibus nos dispersit Dominus. 5. Et facti sumus subtus, & non supra: quia pec-
cavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius. 6. Domino Deo nostro
justitia: nobis autem, & patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc. 7. Quia
locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos. 8. Et
non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque a viis
nostris pessimis. 9. Et vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea super nos: quia
justus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis. 10. Et non au-
divimus vocem ipsius, ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem no-
stram. 11. Et nunc, Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra
Ægypti in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, &
in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste: 12. Peccavimus, impie
egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis. 13. Aver-
tatur ira tua a nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos.
14. Exaudi, Domine, preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te:
& da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt: 15. Ut sciat
omnis terra, quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen tuum invocatum est
super Israel, & super genus ipsius. 16. Respice, Domine, de domo sancta tua in
nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos. 17. Aperi oculos tuos, & vide: quia
non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, da-
bunt honorem, & justificationem Domino: 18. Sed anima, quæ tristis est super ma-
gnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens
dat tibi gloriam, & justitiam Domino. 19. Quia non secundum justitias patrum no-
strorum nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Do-
mine Deus noster: 20. Sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos,
sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens: 21. Sic dicit Do-
minus:

minus: Inclinate humerum vestrum, & cervicem vestram, & opera facite regi Babylonis: & sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris. 22. Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ: defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, & a foris Jerusalem. 23. Et auferam a vobis vocem jucunditatis, & vocem gaudii, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, & erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. 24. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: & statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo: 25. Et ecce projecta sunt in calore solis, & in gelu noctis: & mortui sunt in doloribus pessimis, & in fame, & in gladio, & in emissione. 26. Et posuisti templum, in quo vocatum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israel, & domus Juda. 27. Et fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundum omnem bonitatem tuam, & secundum miserationem tuam illam magnam: 28. Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel, 29. Dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, quo ego eos dispergam; 30. Quia scio, quod me non audiet populus: populus est enim dura cervice: & convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ: 31. Et scient, quia ego sum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient. 32. Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, & memores erunt nominis mei. 33. Et avertent se a dorso suo duro, & a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum, qui peccaverunt in me. 34. Et revocabo illos in terram, quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac, & Jacob, & dominabuntur eis: & multiplicabo eos, & non minorabuntur. 35. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non movebo amplius populum meum, filios Israel, a terra, quam dedi illis.

℣. 2. Mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo. Si mala, quibus Judæi post regnum Josiæ solummodo afflicti sunt, inspicias, ægre apud alios majora tam brevi tempore invenies. Nechao Ægypti Rex, fracto Josia, Judæam subegit, Joachazum Regno exuit, alterum creavit, ac partem populi captivam cum Rege in Ægyptum rapuit. Quatuor post annis, Nabuchodonosor Judæos sibi subditos ac vectigales fecit, ac triennio post primæ captivitatis exordium fuit. Joachim necatus, plurimique captivi Babylonem ducti. Jechonias tribus tantum mensibus ac diebus decem Regnum tenuit; ac demum captus ductusque est captivus, unaque ingens numerus subditorum. Quam multa octo vel novem annorum spatio mala, rerum vices, captivitates? quam multi Reges aut vita, aut Regno exuti? Oratio, quam hic legimus, populi est Babylone captivi cum Jechonia.

Secundum quæ scripta sunt in Lege Moysi, ℣. 3. Ut manducaret homo carnes filii sui. Revera Moyses (1) Hebræis Divini cultus desertoribus, ut Numina sequantur, minitatur fore, ut in ultimas angustias adigantur, & pater filii carnibus vesci cogatur. Hæc eo tempore, quo scriptus est Liber, jam contigisse, ex Historicis minime discimus: at plura sunt, quæ ab Historicis silentur. Quis in extremam hanc sævitiam deventum esse in extrema Jerosolymæ obsidione sub Sedecia doceret, nisi traderet in Lamentationibus Jeremias (2), silentibus Regum Libris & Paralipomenis? Simillima omnino est hujus loci oratio alteri Danielis, primo Assueri anno (3).

℣. 4. Dedit eos sub manu Regum omnium. Hostium omnium injurias & vim singulatim experti sunt Judæi, illorum sævitiæ identidem obnoxii. Syrorum atque Ægyptiorum Reges, Idumæi, Philisthini, Moabitæ, Ammonitæ arma in illos variis temporibus moverant. Denique Chaldæis patebant, finitimis omnibus contemptui habiti, cum gens opibus & authoritate spoliata, & misera veteris Reipublicæ, olim opulentissimæ ac formidabilis, rudera.

℣. 5. Facti sumus subtus, at non supra. Vulgaris apud Hebræos locutio, proverbii loco usurpata (4), significans: Obnoxii cæteris sumus, non imperamus.

℣. 9. Vigilavit Dominus in malis. Mos Scripturæ est, Dei iram vigilantiam nuncupare, somnum vero patientiam (5). Cum flagitia nostra oblivisci videtur Deus, statim expergiscitur, ac punit. Vide *Jerem.* xliv. 27. & *Daniel* ix. 14.

℣. 16. Respice de domo sancta tua, Templo (6); vel e summo Cœlorum vertice (7), ubi gloriosus sedes.

℣. 17. Non mortui qui sunt in inferno ..., dabunt honorem Domino. Si laudes ab hominibus delatas quicquam curas, Domine, si gloriæ studiosus es, quam nomini tuo exhibere homines queunt, has populi tui reliquias ne opprimito. Virium tuarum magnitudinem non celebrabunt ii qui mortem oppetiere: *Non infernus confitebitur tibi*, ajebat Isaias xxxviii. 18. *neque mors laudabit te: vivens, vivens ipse confitebitur tibi*. Eodem argumento utitur Psalmi Auctor (8), Deo persuasurus, ut viventibus parcat, eorumque miserea.

(1) Deut. xxviii. 52. 53. 55. (2) Thren. ii. 20. & iv. 10. (3) Dan. ix. 4 ... 12. 13. & sequ.
(4) Deut xxviii. 13. *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam; & eris supra, & non subter.*
(5) Theodor. hic: Ἐγρήγορσιν Θεοῦ τὴν τιμωρίαν καλεῖ. Τὴν δὲ μακροθυμίαν, ὕπνον ἔθος τῇ θείᾳ γραφῇ καλεῖν. Vide Jerem. i. 11. xxxi. 28. xliv. 25. Thren. i. 14. Dan. ix. 14. (6) Theod. Hugo. (7) Lyran. Dionys. (8) Psal. cxiii. 17. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui vivimus*, &c. Psal. xxix. 10. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* &c. Eccli. xvi. 24. 25.

reatur; gloriæ scilicet ac laudi ipsius profuturorum assereos, si illi serventur.

℣. 18. Sed anima quæ tristis est super magnitudine mali (quod peccando patravit), et incedit curva et infirma. Græcus in nostris Codicibus paulo aliter legit (9): *Sed anima quæ dolet super magnitudine, & incedit curva & infirma.* Theodoretus (10) ita legit: *Anima enim quæ dolet, super magnitudine erigitur:* siquam animam, o Deus, invisas, statim illa supremam Majestatem tuam laudibus prosequitur: *Spiritus curvus & infirmus, oculi exhausti, anima esuriens dat tibi gloriam, & justitiam Domino.*

Oculi deficientes, et anima esuriens: oculi flendo exhausti, & animus jejunio afflictus. Ita paratos esse decet, qui ad te vota facturi accedunt. Vide Psalmum lxviii. 3 & Threnos ii. 11.

℣. 19. Non secundum justitias patrum nostrorum fundimus preces, et petimus misericordiam. Græcus (11) & Syrus: *Non in justitiis patrum nostrorum & Regum nostrorum exponimus misericordiam nostram coram facie tua.* *Misericordiæ* nomine vel orationem intelligunt, vel calamitatis enarrationem, sive animi dejectionem, quæ dignos misericordia efficit. Theodoretus meliorem sententiam fert (12): *Non in paternis nostrisque justitiis confidentes, misericordiam aliquam quærimus.*

℣. 21. Opera facite Regi Babylonis (13); Regi Babylonis servite. Vide *Jerem.* xxv. 9. 10. 11. xxvii. 7. 8. 9. *&c.* xxviii. 14. ubi Judæorum finitimorumque servitutem Regi Babylonis prædicit, eosque hortatur, ut sese illius imperio subjiciant.

℣. 22. Defectionem vestram faciam de civitatibus Juda. Græcus (14): *Faciam ut deficiat ex urbibus Juda vox lætitiæ.* Vide *Jerem.* vii. 34. xxvi. 9. xxv. 10.

℣. 23. Erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. Deserta erit incultaque regio, nullo habitatore frequentata, cujus vias nemo teret. Ut incultam regionem significet, tradit Scriptura (15): *Dissipatæ sunt viæ: cessavit transiens per semitam.* Et (16): *Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem.* Græcus (17): *Et erit terra omnis in desertum*, locus inaccessus, *ab inhabitantes.*

℣. 24. Ut transverrerentur ossa Regum nostrorum ... de loco suo: et ecce projecta sunt in calore solis. Has injurias cineribus Regum Juda illatas prædixerat Jeremias (18): *Ejicient ossa Regum Juda, & ossa Principum ejus, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis; & expandent ea ad solem & lunam, & omnem militiam Cœli.* Chaldæi milites, spe thesauri alicujus, in sepulcris Regum & Principum conditi, sepulcra fregerant, ossaque soli & lunæ exposuerant, summoque contemptu projecerant. Joakimi Regis cadaver projectum fuerat, ex Jeremiæ vaticinio (19). Id porro miserrimum erat apud eas gentes, quæ sepulturæ honorem tanti faciebant, tantoque obsequio mortuorum tumulos prosequebantur.

℣. 25. In emissione, exilio, vel captivitate (20). Grotius: *In pestilentia a Deo immissa.*

℣. 26. Posuisti Templum ... sicut dies hæc. Templum, de numine tuo appellatum, in miserum hunc statum, in quo nunc est, redigi passus es; pretiosissimis ornamentis exutum; multo minus, quam olim, frequentatum, ob minimum populi numerum in regione relictum; multoque minori pompa & splendore celebratum. Capto Jechonia, Chaldæi pretiosissima Templi vasa abstulerunt (21). Vide supra *Baruch* i. 8.

℣. 29. Multitudo hæc magna: Græcus (22): *Examen hoc magnum*, instar apum fremens.

℣. 30. Convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ. Prædixerant frequenter Prophetæ, Israelem conversum *iri*, ubi in hostium potestatem veniret (23).

℣. 33. Avertent se a dorso duro (24); durissimam animi contumaciam exuent; inflexam duramque cervicem, impatientem jugi, relinquent. Vel: Dorsum durissimum, plagis immotum, non habebunt.

℣. 34. Dominabuntur eis. Græcus: *Dominabuntur ejus* regionis.

℣. 35. Statuam illis testamentum alterum sempiternum; fœdus, quod Deus cum natura hominum sanxit, dato Jesu Christo, novi Fœderis authore & sequestro, qui orbi universo salutem attulit (25). Veri hujus Fœderis figura fuit alterum fœdus, quod reducta captivitate Nehemias Dei nomine cum populo iniit (26). Græcus non habet τὸ *alterum*.

---

(9) Ἀλλὰ ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν. (10) Theodoret. hic: Ψυχὴ γὰρ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος βαδίζει. Πνεῦμα κύπτον, καὶ ἀσθενοῦν, καὶ ὀφθαλμοί, καὶ τὰ ἑξῆς.
(11) Οὐκ ἐπὶ τὰ δικαιώματα τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ τῶν βασιλέων ἡμῶν ἡμεῖς καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν κατὰ πρόσωπόν σου.
(12) Οὐκ ἐπὶ τοῖς τῶν πατέρων, οὔτε τοῖς ἡμετέροις δικαιώμασι θαῤῥοῦντες, ἐλέους τινὸς ἀντιβολοῦμεν τυχεῖν.
(13) Græci Codd. Κλίνατε τὸν νῶμον. Lege Τὸν ὦμον. (14) Ἐκλείψειν ποιήσω ἐκ πόλεων Ἰούδα ... φωνὴν εὐφροσύνης, &c. (15) Isai. xxxiii. 8. (16) Thren. i. 4. (17) Καὶ ἔσται πᾶσα ἡ γῆ εἰς ἄβατον ἀπὸ ἐνοικούντων. (18) Jerem. viii. 1. 2. (19) Jerem. xxii. 19. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Jerusalem.* Vide & Jerem. xxxvi. 30. & 2. Par. xxxvi. 8. (20) Ἐν ἀποστολῇ. Syr. & Theodoret. *in captivitate.* Confer Jerem. xxxii. 36. (21) 4. Reg. xxiv. 13. (22) Ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, ἡ πολλὴ αὕτη. (23) Osee ii. 7. iii. 5. v. 14. 15. vi. 1. 2. & seq. Jerem. xxiv. 7. xxxii. 30. (24) Ἀποστρέψουσιν ἀπὸ νώτου αὐτῶν τοῦ σκληροῦ. (25) Dionys. Hug. Lyr. Mald. Cast. Sanct.
(26) 2. Esdr. ix. 38. & x. 1. & seq. Vide & Jerem. xxxi. 31. 32.

CAPUT III.

Sequitur Judæorum Babylonicorum oratio. Monita ad Israelem. Horum præstantia supra cæteros, ob Divinæ Legis cognitionem.

℣. 1. Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te: 2. Audi, Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri: quia peccavimus ante te. 3. Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in ævum? 4. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te, & non audie-

audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala. 5. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore isto. 6. Quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te, Domine. 7. Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, & ut invocemus nomen tuum, & laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te. 8. Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, & in maledictum, & in peccatum, secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt a te, Domine Deus noster. 9. Audi, Israel, mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam. 10. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? 11. Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. 12. Dereliquisti fontem sapientiæ: 13. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. 14. Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ, & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax. 15. Quis invenit locum ejus? & quis intravit in thesauros ejus? 16. Ubi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? 17. Qui in avibus cœli ludunt, 18. Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum, qui argentum fabricant, & soliciti sunt, nec est inventio operum illorum? 19. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt. 20. Juvenes viderunt lumen, & habitaverunt super terram: viam autem disciplinæ ignoraverunt. 21. Neque intellexerunt semitas ejus, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est: 22. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. 23. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. 24. O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus! 25. Magnus est, & non habet finem: excelsus, & immensus. 26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. 27. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt; propterea perierunt. 28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. 29. Quis ascendit in cœlum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? 30. Quis transfretavit mare, & invenit illam? & attulit illam super aurum electum? 31. Non est, qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus. 32. Sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus, & quadrupedibus. 33. Qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore. 34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: 35. Vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. 36. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. 37. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. 38. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

℣. 3. TU SEDES IN SEMPITERNUM, ET NOS PERIBIMUS IN ÆVUM. Immortalis es tu, & immutabilis: nos morti malisque innumeris obnoxii (1). Ubi semel mortem oppetierimus, nulla nobis hujus vitæ cura superest. Nostris igitur precibus non flecteris? Itane ad finem usque ulciscendo sævies in homines infirmissimos? Homo, cujus vita in terris momento clauditur, æterno ne atque irrevocabili odio dignus fueris? Vide Psalmum CII. 13. & Job XIII. 25. 26. XIV. 1. 2. 3. &c.

℣. 4. AUDI ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL. populi malis oppressi, in captivitatem acti, veluti sepulcrum mortemque. Captivitatem mœroremque frequenter Scriptura mortis nomine significat (2). Sunt qui ita explicent: Audi, o Deus, Patriarcharum vota, Abrahami, Jacobi, Isaaci, ac cæterorum, qui tibi placuere. Hoc argumento frequenter utuntur Judæi, ut Deum placent (3).

℣. 5. MEMENTO MANUS TUÆ ET NOMINIS TUI. Nostris paternisque flagitiis posthabitis, memento nostrum te Deum esse, qui omnia potes: virium tuarum magnitudinem nostri gratia periclitare, ut nominis tui laus inde oriatur. Tui ipsius, non nostri causa, nos tuere. Nihil ipsi meremus: at nomini tuo exprobrare hostes tuos ne patiaris (4).

℣. 7. CONVERTIMUR AB INIQUITATE PATRUM NOSTRORUM. Græcus (5): *Convertimur super cor nostrum omnem iniquitatem patrum nostrorum*. Vel: Paterna flagitia sincero animi dolore detestamur, atque aversamur.

℣. 8. IN MALEDICTUM ET IN PECCATUM, ut simus maledicti argumentum, exemplumque suppliciorum

[1] Grot. Alii. [2] Vide infra ℣. 11. Ezech. XXXVII. 5. Dan. XII. 2. Thren. III. 6. [3] Exod. XXXII. 13. Levit. XXVI. 42. 48. Deut. IX. 27. Dan. III. 35. Joseph. AV. 8. [4] Josue VII. 9. 3. Reg. VIII. 41. Psal. XXII. 3. XXIV. 11. XLIII. 26. LXXVIII. 9. CXIII. 1. Ezech. XX. 14. 22. 44. XXXIX. 25.
[5] Ὅτι ἀπεστρέψαμεν ἐπὶ καρδίαν ἡμῶν πᾶσαν ἀδικίαν πατέρων ἡμῶν.

rum, quæ flagitiis debentur. Grecus (6): *In maledictum, & in debitum secandam omnes iniquitates patrum nostrorum*. Inter populos ceu gens maledicto obnoxia, atque in servitutem data, ob paterna debita, existimamur. Obæratorum liberos olim creditores capiebant; ac filii a parentibus vendebantur, ut æs alienum solverent (7). Deus in Lege minitatur fore, ut populum in eas rerum angustias redigat, ut pecunias fœnori ab hostibus accipere, sequ illis obnoxium facere cogatur. Deuter. 28. 44.

℣. 9. Audi, Israel, mandata vitæ. Altera pars Epistolæ a captivis Babylonicis datæ; populum instituens monensque, ac docens quæ vera sapientia sit, cæteris gentibus ignota, atque unu in Deo posita.

℣. 11. Coinquinatus es cum mortuis, quasi in sepulcro, atque inter sordes mortuorum sis. Populum in aliena regione captivum cum homine in sepulcro condito comparat (8). Aliter: Chaldæorum medius perpetuis in sordibus vivis, veluti qui in domo sunt, cadavere polluta (9).

℣. 13. Habitasses in pace sempiterna. Codices multi legunt *Super terram*, pro *sempiterna*; quæ postrema vox cum Græco convenit.

℣. 14. Ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Hæc servata Dei Lege comparari, perspicuum est. Ista nimirum diuturnam vitam, omnemque felicitatem religiosis sui observatoribus pollicetur. Hæc porro vera sapientia est, ac præstantissima salutis scientia. Qui Dei Legem deserit, vera nunquam vita fruetur, aut solidam in terris pacem experietur: in tenebris vitam aget, dolore ac metu obsitam. Græcus (10): *Ubi sit provecta ætas & vita*.

℣. 15. Quis invenit locum ejus? Quam rari sunt, qui secretas Divinæ Sapientiæ sedes ingrediuntur, ejusque Leges servant? Quem invenias, qui inventam a se hanc Sapientiam jure glorietur? Omnes orbis plagas atque hominum ætates percurre: populos opulentissimos, atque in cæteris rebus præstantissimos inspice: illos ne Deus eo beneficio donavit, quo Israelem, Lege scilicet, & sui nominis cognitione? Quam pie vero ac religiose hoc beneficio usus es? Hæc oratio toto hoc Capite continetur.

℣. 16. Ubi sunt Principes gentium, qui dominantur super bestias, qui in avibus cœli ludunt? Ubi opulentissimi illi Assyriorum Reges, ac celeberrimi Imperatores, nedum hominibus, verum etiam bestiis maxime feris atque avibus imperantes; qui ceu naturæ totius Domini, ætatem venatu agebant, ac belluis maxime indomitis, avibusque feris ceu ludibrio utebantur (11)? Regum imperium Scriptura passim in feras ac cicures belluas prorogat (12). Rerum initio Deus omnes terræ animantes homini subjecit. Judith Holofernem alloquens ait, non homines modo, verum etiam agri bestias Nabuchodonosori obtemperare (13). Apud Jeremiam (14) Deus Reges monet, sese decrevisse, ut non tantum Principes, sed & feræ Nabuchodonosori subjiciantur. Ezechiel 31. 5. Assyriorum Regem ceu proceram arborem exhibet, in quam Cœli aves confugient, & cujus sub umbra populi feræque requiescunt. Daniel, 11. 38. Nabuchodonosorem monet, tradita illi esse loca omnia, ab hominibus, atque a feris præterea avibusque frequentata.

℣. 20. Juvenes viderunt lumen..., viam autem disciplinæ ignoraverunt. Veterum Imperatorum successores, ii qui populos viribus ac robore formidandos excepere, simili majorum ignorantia oppressi sunt, in tenebris densissimis destituti.

℣. 22. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Veram Sapientiam, quæ in eo sita est, ut Deum noris & ames, & sacras illius leges studiose verses ac serves, Chananæi, seu Phœnices, populi artibus & antiquitate celeberrimi, non agnoverunt. Ignota inter Idumæos ac Themanitas fuit, quamvis illi a multis longe sæculis sapientia glorientur Jerem. 49. Theman metropolis cujusdam provinciæ in Idumæa erat, quam olim provinciam Theman filius Elyphazi, & Esau nepos tenuit.

℣. 23. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam. Ismaelitæ etiam sapientiæ laude florebant, testibus Barucho & Jobo.

Negotiatores Merrhæ. Non una est apud Arabes urbs, cujus nomen similis Merrhæ est, seu Marrhæ; veluti *Marana* ad Erythræum, *Mariaba* urbs nobilis in Arabia felici, Regem habens, agrumque amplissimum *Marace*, emporium; denique *Mareu* insula sinus Arabici. Cum vero Scriptor *Merrham* cum Theman jungat, locus conjecturæ est, Merrham in Arabia felici esse quemadmodum Theman. Est etiam in Phœnicia urbs *Maara*.

Fabulatores et exquisitores prudentiæ. Hæc nomina vel irridentis atque insultantis more posita, vel serio pro viris ænigmatum proponendorum solvendorumque peritis usurpata haberi possunt. Hoc profecto fuit olim earum gentium studium, quo potissimum gloriabantur. Celeberrimum ejus rei exemplum Regina Saba 3. Reg. 11. 1. Hanc docendi rationem per fabulas aut apologos, maxime probabant Orientales; ac genus orationis sententiosum, figuris & metaphoris scatens comparare laborabant.

℣. 24. O Israel, quam magna est Domus Dei! Quam amplum Imperium! quam ingens numerus subditorum! Terra omnis Regnum Dei est, universi homines subditi, nullo non tempore illius potestati obnoxii: at quam pauci arcana illius consilia pervadunt, ejusque sapientiæ participes fiunt!

℣. 26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi. Hi, non secus ac cæteri, sub absoluto supremi terrarum Regis Imperio continentur: at minime a Deo electi, quos sapientia instrueret: *Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt*. Noemum ejusque familiam, ante diluvium, longe plurimi fecit; deinde Israelem Rephaim, sive Palæstinis gigantibus, prætulit.

℣. 29. Quis ascendit ad Cœlum, et accepit eam? Ea non est, quæ humanis viribus comparari queat; Dei munus est; eamque unus Deus elargitur. *Non est qui possit scire vias ejus... sed qui scit universa, novit eam*, ℣℣. 31. 32. Deus unus novit, ubi sedes Sapientiæ sit: unus ipse illius dominus est & largitor. Vide *Deut.* xxx. 12.

℣. 32. Qui præparavit terram in æterno tempore, ut semper sit (15), vel immobilis stet. Terra ceu motuum omnium & conversionum cœlis inferiorum fundamentum habetur, ipsa immobilis, & mutationis expers. Surgunt Imperia & cadunt; obeunt homines, aliique morientibus succedunt; tempora temporibus excipiuntur, assiduasque vices sentiunt: tellus una stat eadem semper & immota: *Terra autem in æternum stat* Eccle. 1. 4.

℣. 33. Vocavit illud, et obedit illi cum tremore. Stare jubet solem; sol obtemperat, uti sub Josue *Josue* 11. 12. reverti, & revertitur, quemadmodum sub Ezechia 4. Reg. 20. 9. fulgere vetat, is radios contrahit, veluti Christo moriente Matth. 27.45. Vide *Job*, xxxvi. 30.

[6] Εἰς ἀρὰν, καὶ εἰς ἐλεγμόν. [7] Exod. xxi. 7. Deut. xv. 12. Isai. xlii. 19. Baruch iv. 6. Matt. xviii. 25. [8] Vide Psal. lxxxvii. 5. & cxlii. 5. 7. [9] Vide Levit. xi. 25. xxii. 4. v. 2. vi. 6. 9. Num. xix. 14. [10] Ποῦ ἐστι μακροβίωσις καὶ ζωή. [11] Theodoret. hic, Grot. [12] Genes. 1. 26. ix. 5. 10. [13] Judith 11. 5. [14] Jerem. xxvii. 6. & xxviii. 14. [15] Ὁ κατασκευάσας τὴν γῆν εἰς ἅπαντα χρόνον.

℣. 34. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, ceu milites in prælium parati, vel in excubiis positi. Stellas Scriptura (16) passim *militiam cæli* nuncupat. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*, canit Debora (17). Vide *Eccli.* xliii. 12.

℣. 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Postquam sese Deus Patriarchis exhibuit, Legemque Israeli dedit, quid jam reliquum esse poterat, præterquam quod ipse inter homines descenderet, mediusque versaretur? Id porro incredibili clementia gessit, humanæ carnis & naturæ exuviis indutus: *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Dei adventus, seu res elapsa, prædicitur, Prophetarum more, qui futuras res ceu præteritas memorant. Patres (18) & Interpretes (19) hunc locum vulgo de Incarnatione explicant; ac profecto luculentior atque aptior interpretatio adhiberi non potuit. Quamvis enim de Sapientia explicea (20), *Post hæc Sapientia in terris visa est, & cum hominibus conversata est*, res ad idem redit. Christus Jesus æterna est Sapientia, idcirco veniens, ut omnes homines illustraret (21): *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, &c.* Confer locum Proverbiorum (22), ubi Salomon Sapientiam inducit, ita gloriantem: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret... Cum eo* (Creatore) *eram cuncta componens... & deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Vide & Eccli. xxiv. 12. 13. 14. *Tunc dixit mihi Creator omnium: In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, &c.*

---

[16] Deut. xvii. 3. & 4. Reg. xvii. 16. xxiii. 4. & Isai. xxiv. 21. & passim. [17] Judic. v. 20.
[18] Vide Tertull. contra Praxeam c. 6. Cyprian. contra Jud. lib. 2. cap. 5. Euseb. Demonstr. lib. 6. cap. 19. Ambros. lib. 1. de fide c. 2. Hilar. de Trinit. lib. 5. Nazianz. orat. 4. de Theolog. Basil. l. 4. contra Eunom. Cyrill. Alex. lib. 2. contra Julian. August. lib. 18. de Civit. c. 33. Bernard. serm. 13. in Cantic. & alii.
[19] Hugo, Lyr. Dionys. Cornel. Sanct. Badvel. &c. [20] Græc. Μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη. [21] 1. Cor. 1. 30. [22] Prov. viii. 30. 31.

CAPUT IV.

Israelitarum præstantia supra cæteros. Populum Deus hostibus tradidit, flagitiorum causa; at demum liberabit, & hostes suppliciis afficiet.

℣. 1. HIC liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes, qui te-
nent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mor-
tem. 2. Convertere Jacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem
ejus contra lumen ejus. 3. Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti
alienæ. 4. Beati sumus Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. 5. Ani-
mæquior esto populus Dei, memorabilis Israel. 6. Venumdati estis Gentibus non in
perditionem: sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis
adversariis. 7. Exacerbastis enim eum, qui fecit vos, Deum æternum, immolantes
dæmoniis, & non Deo. 8. Oblitti enim estis Deum, qui nutrivit vos, & contrista-
stis nutricem vestram Jerusalem. 9. Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis,
& dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: 10. Vidi
enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam superduxit illis
Æternus. 11. Nutrivi enim illos cum jucunditate: dimisi autem illos cum fletu, &
luctu. 12. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam; a multis derelicta sum
propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei. 13. Justitias au-
tem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semi-
tas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt. 14. Veniant confines Sion, & memoren-
tur captivitatem filiorum, & filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus. 15.
Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius lin-
guæ: 16. Qui non sunt reveriti senem, neque puerorum misserti sunt, & abduxe-
runt dilectos viduæ, & a filiis unicam desolaverunt. 17. Ego autem quid possum
adjuvare vos? 18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus
inimicorum vestrorum. 19. Ambulate, filii, ambulate: ego enim derelicta sum sola.
20. Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altis-
simum in diebus meis. 21. Animæquiores estote filii, clamate ad Dominum, & eri-
piet vos de manu principum inimicorum. 22. Ego enim speravi in æternum salu-
tem vestram, & venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quæ veniet vobis
ab æterno salutari nostro. 23. Emisi enim vos cum luctu, & ploratu: reducet au-
tem vos mihi Dominus cum gaudio, & jucunditate in sempiternum. 24. Sicut enim
viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt & in celeritate salu-
tem vestram a Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno, & splendore æter-
no,

no. 25. Filii patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis: persecutus est enim te
inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius, & super cervices ipsius ascendes.
26. Delicati mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim, ut grex direptus ab
inimicis. 27. Animæquiores estote filii, & proclamate ad Dominum: erit enim me-
moria vestra ab eo, qui duxit vos. 28. Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis
a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum. 29. Qui enim induxit
vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.
30. Animæquior esto Jerusalem, exhortatur enim te, qui te nominavit. 31. Nocen-
tes peribunt, qui te vexaverunt: & qui gratulati sunt in tua ruina, punientur; 32.
Civitates, quibus servierunt filii tui, punientur; & quæ accepit filios tuos. 33. Sicut
enim gavisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desola-
tione. 34. Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium ejus erit in lu-
ctum. 35. Ignis enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus, & habitabitur
a dæmoniis in multitudine temporis. 36. Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, &
vide jucunditatem a Deo tibi venientem. 37. Ecce enim veniunt filii tui, quos
dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo San-
cti gaudentes in honorem Dei.

℣. 1. Hic Liber mandatorum Dei, in quo vera Sapientia sita est. Caput hoc pars est superioris. Babylonici Judæi, commendata gentis suæ supra ceteras dignitate, maximum Israelis decus hoc esse ajunt, quod Dei Legem penes sese habeant. Ea porro Israelis gloria est, felicitas, dignitas. Profecto (1) *quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, cæremonias, justaque judicia & universam legem*, quemadmodum Deus Israeli dedit?

Lex quæ est in æternum. Dei Lex non ex iis est, quæ ex hominum arbitrio & voluntate pendant: constans est, immutabilis, æterna (2): *Verbum Domini manet in æternum*. Et (3): *Justitia tua justitia in æternum*. Hanc Dei Filius non modo non delevit, sed numeris omnibus absolutam fecit, novoque illam meritorum fonte instruxit (4): *Non veni Legem solvere, sed adimplere*.

Omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam. Bona solummodo sensibus obnoxia, diuturnamque vitam Moyses Israelitis pollicetur (5): *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum ... Ut custodias mandata Domini, & vivas, atque Deus multiplicet te, benedicatque tibi ... Si autem aversum fuerit cor tuum, prædico tibi hodie quod pereas, & parvo tempore moreris in terra, ad quam ingrederis possidendam*. Israelitæ, qui Divinas Leges in spiritu & veritate pie sancteque servabant, procul dubio æterna post mortem vita fruebantur: at æterna hæc vita non satis luculenter in Lege promittebatur; atqui ipse Baruch, vel Babylonici Judæi, superiori Capite hæc loquuntur (6): *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum & pax*.

℣. 3. Ne tradas alteri gloriam tuam. Nequem rapere patiaris gloriam, qua gaudes, quippe populus es a Deo electus, quem amat Deus. Nobilissimum hoc decus studiosissime tuere. Cave ne flagitiorum causa dignitate cadas, qua frueris; ac time, ne Deus sceleribus tuis irritatus, in alteram gentem ea transferat, quæ omnem tibi gloriam comparant. Id revera contigit, ubi reprobatis Judæis, Ethnici vocati fuere. Hoc ipsum minitabatur Judæis per Moysem Dominus (7): *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*.

℣. 5. Memorabilis Israel. Qui relicti estis, ut Israelis memoriam servetis. Græcus ad verbum (8) *Monumentum Israel*, a Deo servatum, ut Israelis nomen ex oblivione vindicet; Jacobi reliquiæ, posteri, spes. Hac epistolæ parte solatur captivos.

℣. 6. Venundati estis gentibus, non in perditionem. Vos alienis atque hostibus dedit Deus (9): at minime in exitium impulit: finis erit captivitati: in patriam revertemini. *Vendi alicui* est in alicujus potestatem dari, ceu servum hero, illi subjici, ceu victum victori.

℣. 8. Obliti estis ejus qui nutrivit vos. Græcus (10): *Obliti estis eum qui genuit vos, Æternum*. Hæc ex Deuteronomio, xxxii. 15. 16. &c.

℣. 9. Confines Sion. Græcus (11): Urbes *coloniæ Sion*, filii, subditi Sionis. Diceret Hebræus: *Filiæ Sion*. Vide & ℣. 14. Judææ urbes, circa Jerosolymam.

℣. 12. A multis derelicta sum. Ingentem filiorum numerum, qui Jerosolymam abducti sunt, amisi.

℣. 13. Semitas veritatis. Græcus (12): *Semitas disciplinæ*.

℣. 15. Gentem improbam, et alterius linguæ. Græcus (13): *Gentem impudentem, & alterius linguæ*. Chaldæi hoc nomine apud Moysem (14), & Isaiam (15) designantur.

℣. 16. A filius unicam, ablatis liberis orbam. Ad verbum (16): *Solam & destitutam*. Liberos charissimos filiasque viduæ abstulerunt; ingentemque captivorum numerum cum Jechonia abduxere.

℣. 17. Ego autem quid possum adjuvare vos? Jerosolymæ verba, sese ceu viduam destitutam orbamque exhibentis.

℣. 20. Stola pacis, vestibus festis, quibus in felici rerum statu induebar. *Pax* pro felicitate ac prosperis rebus usurpatur.

Sacco obsecrationis; lugubri veste, qua induebantur rei, eos placaturi, quos ipsi læserant; qua in publicis calamitatibus Deo supplices sistebantur.

℣. 22.

(1) Deut. iv. 7. (2) Psal. cxvi. 2. (3) Psal. cxvi. 142. (4) Matt. v. 17. (5) Deut. xxx. 15. 16. 17. &c. (6) Baruch iii. 14. (7) Deut. xxxii. 21. Et Rom. x. 19. (8) Μνημόσυνον Ἰσραήλ. (9) Isai. l. 1. (10) Ἐπελάθεσθε δὲ τὸν θρέψαντα ὑμᾶς, τὸν αἰώνιον. (11) Αἱ πάροικοι Σιών, בְּנוֹת צִיּוֹן (12) Τρίβους παιδείας. (13) Ἔθνος ἀναιδὲς, καὶ ἀλλόγλωσσον. (14) Deut. xxviii. 49. 50. *Gentem cujus linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni*, &c. (15) Isai. xxxiii. 19. *Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis*. (16) Καὶ ἀπὸ τῶν θυγατέρων τὴν μόνην ἠρήμωσαν.

℣. 22. Speravi in Æternum, Salutem vestram. Author Epistolæ *Æternum* pro Deo passim usurpat. Ait, Hebr[illegible] *quamprimum* libertate donandos fore. *Quamprimum* Latinus non habet.

℣. 24. Cum honore magno et splendore æterno. Græcus (17): *Cum gloria magna, & splendore Æterni*. Babyloniicorum captivorum reditus prædicitur.

℣. 25. Super cervices ipsius ascendes. Hostes tui coram te reptabunt. Hoc adamussim expletum est sub Mardochæo & Esthere in urbe Susis; & Babylone, sub Daniele. Hi ad primos Imperii Magistratus evecti sunt, coactique Chaldæi sese illorum authoritati subjicere, & coram procumbere. Prædixerat diu antea Isaias c. 60. 14. *Venient ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum*. Horum vaticiniorum fides absolute expleta est sub Christo Jesu, quo tempore Ethnici ad Ecclesiam confluentes, coram illis, quos insectati fuerant, procubuere.

℣. 27. Ab eo qui duxit vos: apud eum qui vos captivos abduci passus est: apud Dominum, qui vestris flagitiis irritatus, vos in hostium potestatem dedit. Græcus (18): *Qui vos in hæc mala induxit, vestri recordabitur*.

℣. 28. Decies tantum iterum convertentes requiretis eum. Decies acriore studio ipsum quærite. Græcus (19): *Decuplate ut revertamini & quæratis eum*. Ex Græci sensu, exhortatio est; ex Vulgata, Vaticinium. Post captivitatem, Judæi multo studiosius Divinas Leges observavere, quam hactenus.

℣. 30. Exhortatur enim te, qui te nominavit. Is qui tibi nomen dedit, te exhortatur. Dominus, cujus sub imperio es, qui te *populum Dei* appellari patitur, teque hac appellatione donat, ceu servum herus, filium pater, vir uxorem. Verti Græcus potest (20): Gaude, Jerusalem; *consolabitur enim te is, qui tibi nomen dedit*.

℣. 31. Nocentes peribunt, qui te vexaverunt. Vel: Qui te afflixere, veluti impii scelestique peribunt. Græcus (21): *Miseri qui te vexaverunt*.

℣. 34. Gaudimonium ejus erit in luctum. Græcus (22). *Gloria ejus*, superbia; id quo sese jactabat, *causa luctus illi erit*. Vaticinia in Babylonem, tunc impleta, cum Chaldæorum Imperium ad Persas sub Cyro transiit.

℣. 35. Ignis superveniet ei. Bellum, seu vorax ignis, illam exuret. Vel: Numinis ira, veluti cœlestis ignis, seu fulmen, in illam ruet.

Habitabitur a Dæmoniis. Ad Jeremiæ (23) & Isaiæ (24) vaticinia alludit, Babylonem post illius excidium ita describentium, veluti urbs sit penitus destituta, Dæmoniorum, funebriumque ac perniciosarum belluarum sedes: sive revera larvis ac lemuribus infestata fuerit, quippe quæ loca ruinosa & ab hominibus deserta frequentant; sive ita esse putaverint Judæi, uti apud nos vulgus solet.

℣. 36. Circumspice ad orientem. Oculos ad Babylonem, Orientem versus, converte, filiosque e captivitate redeuntes intuere. Hi nedum ex ea; verum etiam ab occidua mundi plaga revertuntur: ex Insulis, quo ipsi secesserant, vel delati fuerant: *Veniunt collecti ab Oriente, usque ad Occidentem*. Vide *Isai.* xi. 11. *Zach.* viii. 7. *&c.*

CAPUT V.

Jerosolymam solatur. Hæc filios e captivitate revertentes, gloria & felicitate cumulatos, intuebitur.

℣. 1. EXue te, Jerusalem, stola luctus, & vexationis tuæ: & indue te decore, &
honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. 2. Circumdabit te
Deus diploide justitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni. 3. Deus enim osten-
det splendorem suum in te, omni, qui sub cœlo est. 4. Nominabitur enim tibi no-
men tuum a Deo in sempiternum: Pax justitiæ, & honor pietatis. 5. Exurge, Jeru-
salem, & sta in excelso: & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab
oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memoria. 6. Exie-
runt enim abs te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te porta-
tos in honore, sicut filios regni. 7. Constituit enim Deus humiliare omnem montem
excelsum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet
Israel diligenter in honorem Dei. 8. Obumbraverunt autem & sylvæ, & omne lignum
suavitatis Israel ex mandato Dei. 9. Adducet enim Deus Israel cum jucunditate in lu-
mine majestatis suæ, cum misericordia, & justitia, quæ est ex ipso.

℣. 2. DIploide Justitiæ. Ad verbum (1): *Indue diploidem justitiæ, quæ a Deo est*. Diplois stola matronalis erat, hoc nomine appellata, quod duplex esset farto. Omnino simile vero est, Græcum Interpretem usurpasse diploidem pro Hebraica voce (2) Mehil, quæ pallium, seu vestem superiorem, viris fœminisque communem, significat. Thamar, Davidis filia, pretioso pallio induebatur (3). *Diplois justitiæ* opponitur hic *sacco obsecrationis*, cujus meminit supra, iv. 20. Vestibus pretiosissimis indueris, quibus innocentia tua, tuaque justitia quodammodo indicabitur. Jerosolymam ubique seu viduam penitus destitutam exhibet. Lugubres vestes pene, saccum, cilicium, atrum colorem (4), &c.

Imponet mitram capiti tuo honoris æterni. Vel ex Græco (5): *Impone capiti tuo mitram gloriæ, ab Æterno collatam*. Mitra capitis ornamentum

(17) Μετὰ δόξης μεγάλης, καὶ λαμπρότητος τοῦ αἰωνίου. (18) Ἔσται γὰρ ὑμῶν ὑπὸ τοῦ ἐπάγοντος μνεία. (19) Δεκαπλασιάσατε ἐπιστραφέντες ζητῆσαι αὐτόν. (20) Παρακαλέσει σε ὁ ὀνομάσας σε. (21) Δείλαιοι οἱ σε κακώσαντες. (22) Καὶ τὸ γαυρίαμα αὐτῆς ἔσται εἰς πένθος. (23) Jerem. l. 39. *Habitabunt dracones cum faunis ficariis, & habitabunt in ea struthiones, &c.* (24) Isai. xxxiv. 14. *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris; & pilosus clamabit alter ad alterum &c.*
(1) Περιβαλοῦ τὴν διπλοΐδα τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνης. (2) מעיל *Pallium*. Vide Sanct. hic. (3) 2. Reg. xiii. 18. (4) Vide Genes. xxxviii. 19. Judith x. 2. (5) Ἐπίθου τὴν μίτραν ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου τῆς δόξης τοῦ αἰωνίου.

tum erat, fœminis proprium. Judith mitra nobilissima caput ornavit, cum Holofernem adiit (8). Simplex erat galericulus; at plerumque circa verticem stringebatur tenia fulgenti colore, margaritis, auro gemmisque distincta: *Et habent redimicula mitræ*. Æneid. 9.

℣. 3. Deus ostendet splendorem suum in te, omni qui sub Cœlo est. Græcus ad verbum (9): *Deus ostendes universæ quæ sub cœlo est, splendorem tuum*; terræ universæ, universo hominum generi. *Surge illuminare, Jerusalem*, inquit Isaias 60. 1. *quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Id in Christi Jesu, Solis Justitiæ, & mundi Lucis, adventu potissimum impletum est.

℣. 4. Pax justitiæ, et honor pietatis. Hoc nomine Jerosolymam donabit Deus, reversis e captivitate Babylonica Judæis. Pax, justitia, gloria, pietas Jerosolymis regnabunt. Judæorum justitia & pietas pacem, rerum prosperitatem & gloriam in universam regionem inducent. Reductis e captivitate Judæis, hujus oraculi fides impleri cœpit; absoluta denique in Christiana Ecclesia, felicissima præsertim ea ætate, qua hostium odia minui cœpere.

℣. 5. Exurge, Jerusalem, &c. Vide *Isai.* LI. 2. & supra, IV. 36.

In verbo Sancti, gaudentes Dei memoria (10), gaudio gestientes, cum beneficiorum Dei meminerint. Rerum a Deo sibi promissarum memoria, quas penitus expletas viderint, sincerum illis gaudium afferet.

℣. 6. Portatos in honore sicut filios Regni, ut Regum filios, Regio genere satos, Regno destinatos. Græcus (11): *Ceu thronum Regni*; eo obsequio, quo Regis solium observabatur. Judæos Babylone redeuntes triumphantium more, describit Isaias 66. 20. *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum*. Et 49. 22. *Levabo ad gentes manum meam & ad populos, exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias suas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ*. Equos, mulos, camelos, asinos, quibus Judæi Babylone delati fuere, numerat Esdras l. 1. c. 2. 66. Liber, qui tertius Esdræ dicitur, narrat (12), equites mille a Dario missos, ut Judæos sese permittente redeuntes, comitarentur. Horum reditus, assiduus ubique triumphus fuit; cum omnia festis vocibus, tibiis, ac tympanis personarent: *Cum musicis, & cum tympanis & tibiis*.

℣. 7. Humiliare omnem montem excelsum, et rupes perennes. Ea Isaiæ XL. 3. verba spectat: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas*. Animadverte hic epithetum *perennium*, sive æternarum, rupibus additum, quod alibi (13) Scriptores Sacri de montibus usurpant, ut immobilem illorum firmitatem statumque a sæculorum exordio constantissimum significent.

Ut ambulet diligenter, nullo itineris impedimento. Græcus (14): *Ut Israel tutum iter*, nullo periculo aut discrimine turbatum, *cum gloria Dei habeat*, Divinæ gloriæ fulgore illum comitante, quemadmodum fulgens columna Hebræos in deserto comitabatur. Is erit Judæorum reditus.

At vos, qua veniet, tumidi subsidite montes,
Et faciles curvis vallibus este viæ (15).

℣. 8. Obumbraverunt sylvæ. Poetica descriptio, reditus facilitatem narrans. Ferventer per desertam Arabiam arenæ vos ne terreant; ita facile & jucundum per eas iter habituri estis, ut in densissimo nemore, floridis arboribus, pomisque odoratis undique stipantibus suavi. Horum omnium instar futura est Dei protectio, ejusque Majestatis fulgor, quæ una proficiscentur.

(8) Judit x. 3. (9) Ὁ γὰρ Θεὸς δείξει τῇ ὑπ' οὐρανὸν πάσῃ τὴν σὴν λαμπρότητα. (10) Τῷ ῥήματι τοῦ ἁγίου χαίροντες τῇ τοῦ Θεοῦ μνείᾳ. (11) Ὡς θρόνον βασιλείας. (12) 3. Esdr. v. 2. Vide & Joseph. Antiq. lib. XI. c. 4. (13) Psal. LXXV. 5. Deut. XXXIII. 15. Abac. III. 6. (14) Ἵνα βαδίσῃ ἀσφαλῶς, τῇ τοῦ Θεοῦ δόξῃ. (15) Ovid. Amor. lib. 2. Eleg. 16.

CAPUT VI.

Jeremiæ epistola ad Judæos, mox Babylonem ducendos. Horum reditum prædicit, describitque ejus regionis Deos & profanam religionem; hortaturque ne illa sectentur.

EXemplar epistolæ, quam misit Jeremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illi secundum quod præceptum est illi a Deo. 1. PROPTER peccata, quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum. 2. Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, usque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace. 3. Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum Gentibus. 4. Videte ergo, ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metus vos capiat in ipsis. 5. Visa itaque turba de retro, & ab ante, adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari, Domine. 6. Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras. 7. Nam lingua ipsorum polita a fabro, ipsa etiam inaurata, & inargentata, falsæ sunt, & non possunt loqui. 8. Et sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt. 9. Coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum: unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum, & argentum, & erogant illud in semetipsos. 10. Dant autem & ex ipso prostitutis, & gen-

meretrices ornant: & iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. 11. Hi autem non liberantur ab ærugine, & tinea. 12. Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus, qui est plurimus inter eos. 13. Sceptrum autem habet ut homo, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit. 14. Habet etiam in manu gladium, & securim: se autem de bello, & a latronibus non liberat. Unde vobis notum sit, quia non sunt dii. 15. Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & dii illorum. 16. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium. 17. Et sicuti alicui, qui regem offendit, circumseptæ sunt januæ: aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum, ita turantur sacerdotes ostia clausuris, & seris, ne a latronibus expolientur. 18. Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo. 19. Corda vero eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt. 20. Nigræ fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit. 21. Supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aves etiam, similiter & cattæ. 22. Unde sciatis, quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos. 23. Aurum etiam, quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant. 24. Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis. 25. Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam, qui colunt ea. 26. Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. 27. Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt. 28. De sacrificiis eorum fœtæ, & menstruatæ contingunt. Scientes itaque ex his, quia non sunt dii, ne timeatis eos. 29. Unde enim vocantur dii? Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis: 30 Et in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt. 31. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui. 32. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt uxores suas, & filios suos. 33. Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre. 34. Similiter neque dare divitias possunt: neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit: neque hoc requirunt. 35. Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt. 36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt. 37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient. 38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur. 39. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos? 40. Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea, qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui: 41. Quasi possint sentire, qui non habent motum, & ipsi cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dii illorum. 42. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. 43. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit. 44. Omnia autem, quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum, aut dicendum est, illos esse deos? 45. A fabris autem, & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id, quod volunt esse sacerdotes. 46. Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dii? 47. Reliquerunt autem falsa, & opprobrium postea futuris. 48. Nam cum supervenerit illis prælium, & mala: cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis. 49. Quomodo ergo sentiri debeant, quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? 50. Nam cum sint lignea, inaurata, & inargentata, scietur postea, quia falsa sunt, ab universis Gentibus, & regibus: quæ manifesta sunt, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis. 51. Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est? 52. Regem

gem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. 53. Judicium quoque discernent, neque regiones liberabunt ab injuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli, & terræ. 54. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. 55. Regi autem, & bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum, quia dii sunt? 56. Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, & lapidei, & inaurati, & inargentati: quibus hi, qui fortiores sunt, 57. Aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent. 58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam, aut vas in domo utile, in quo gloriabitur, qui possidet illud, vel ostium in domo, quod custodit, quæ in ipsa sunt, quam falsi dii. 59. Sol quidem, & luna, ac sidera, cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt. 60. Similiter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est; idipsum autem & spiritus in omni regione spirat. 61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis. 62. Ignis etiam missus desuper, ut consumat montes & silvas, facit, quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt. 63. Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt, neque judicium judicare, neque quidquam facere hominibus. 64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. 65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent. 66. Signa etiam in cœlo Gentibus non ostendent, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. 67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi. 68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos. 69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dii illorum lignei, & argentei, & inaurati. 70. Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter & mortuo projecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei, & inaurati, & inargentati. 71. A purpura quoque, & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque, quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo comeduntur, & erunt opprobrium in regione. 72. Melior est homo justus, qui non habet simulacra: nam erit longe ab opprobriis.

1

EXEMPLAR EPISTOLÆ, QUAM MISIT JEREMIAS AD ABDUCENDOS CAPTIVOS. Latini Codices quidam habent (1): *Ad abductos captivos*. At Vulgata cum Græco convenit (2). Missa Reblatam est Epistola, Judæis mox Babylonem profecturis.

Epistolæ cujusdam, ab Jeremia ad Captivos Babylonem proficiscentes datæ, expugnata per Nabuchodonosorem Jerosolyma, meminere Macchabæi 2. Macc. 2. 2. qua monebantur captivi, quemadmodum in hac legitur, ne superstitionem Babyloniorum imitarentur. Aliquid tamen in ea legebatur, quod hic nuspiam est, quod scilicet Jeremias condi sacrum ignem jusserit, atque ipse Arcam ac Tabernaculum in montem remotissimum detulerit, ibique in loco penitus ignoto collocaverit. Hinc locus conjecturæ oritur, partem solummodum Epistolæ, tunc a Jeremia scriptæ, apud nos superesse. Data est Epistola anno Mundi 3416. quo capta est a Nabuchodonosore Jerosolyma sub Sedecia; eamque ad Judæos misit, in captivitatem cum Rege destinatos, antequam proficiscerentur. Hebraice nusquam est, atque hoc uno in loco legitur. In Græcis quibusdam Codicibus omnino desideratur.

℣. 2. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM. Certum *generationis* spatium Veteres non definivere; variæ enim sunt, quæ centenos, quæ quinquagenos, tres & triginta, tricenos, quindenos, denos, & quæ septem etiam annos complectuntur (3). Cum captivitatis tempus Scriptura septuaginta anois definire soleat (4), omnino videtur septem his generationibus captivitatis diuturnitas significari, & generatioois nomen pro decem annis poni. Septuaginta captivitatis annorum initium ab anno 3398. ducitur, atque in annum 3468. desinunt. Quamobrem cum hæc epistola data sit anno 3416. consequens est, ut octo & decem ex annis septuaginta jam tunc elapsi fuerint.

℣. 3. DEOS IN HUMERIS PORTARI, OSTENTANTES METUM GENTIBUS. Vetustissimus plane mos, solemni pompa Deos deferendi humeris hominum (5); ferme uti apud nos Divorum imagines circumferri solent. Nihil apud nos superstitiosum est aut perniciosum. Numinum superstitio, atque inanis terror, populis eo ritu incussus, a Propheta damnatur. Deos e Templis egredi, ut homines inviserent, eorumque cultum exciperent, Sacerdotes credulis suadebant: quamobrem ea Numina vulgus ceu viventia, formidanda & sævissima metuebat Lucretius:

Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, & esse homines: & sic isti omnia ficta
Vera putant: credunt signis cor inesse ahenis.

Ipsi quandoque Ethnici inanem hanc superstitionem, Deos solemni pompa deferendi, a Sacerdotum avaritia invectam, redarguere. *Nullus mihi placet ambulans extra* Templum *Deus cum anu, neque domos ingrediens cum tabula is qui stipem matri Deum colligit* (6).

℣. 5. FACTIS ALIENIS. Græcus: *Alienigenis*.

℣. 6.

[1] Edit. Complut. & Polyglott. Paris. & Hugo, Lyran. Non est in Edit. Rom. nec apud Theodoret. [2] Πρὸς τοὺς αἰχμαλώτους εἰς Βαβυλῶνα. [3] Vide Cornel. & Sanct. hic, & , si lubet, Not. Menag. in Laert. pag. 375. [4] Jerem. xxv. 11. 12. xxix. 10. Dan. ix. 1. [5] Vide Amos v. 26. Isai. xlvi. 1. Jerem. x. 5. Clem. Alex. Procop. p. 49. Apul. lib. 11. &c. [6] Menand. in Auriga, apud Clem. Alexand. in Protrept.

℣. 6. Angelus meus vobiscum est. Quamquam in gente profana & aliena, nunquam vos deseram; Angelus meus vos tuebitur ac ducet; Michael nimirum Archangelus, Hebræorum præses (7). Hic Hebræorum dux in solitudine fuit Exod. 33. 2. ipsiusque Dei personam in Veteris Testamenti visionibus exhibuit.

℣. 8. Sicut virgini amanti ornamenta. Quemadmodum puellæ ornamentorum studiosæ ornamenta conficiuntur; ita ex auro Idola confinxuntur. Hebræus cum sequenti versiculo jungit (8): *Quemadmodum puellæ ornatum amanti, accipientes aurum confiant coronas super capita Deorum suorum.* Numinum simulacra Regum seu Reginarum habitu ornabantur, uti singulorum conditio & sexus postulabat. Nihil acrius dici poterat, quo contemptus significaretur. Numina ut puellæ ornantur.

℣. 10. Dant ex ipso prostitutis . . . . . et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant Deos suos. Impudici ac libidinosi Sacerdotes, pretiosa ornamenta, quibus Deos induerant, auferunt, ut scortis & meretricibus largiantur, libidinum pretio; ac deinde scorta Sacerdotibus reddunt, a quibus iterum in simulacrorum ornatum conferuntur. Græcus a Vulgata discrepat (9): *Dabunt hæc ornamenta meretricibus, quæ sunt sub eodem tecto, & ornabunt ceu homines vestibus Deos argenteos, & aureos, & ligneos.*

℣. 11. Propter pulverem domus, pulveris causa qui in Templo a confluente populo excitatur; *A pedibus introeuntium* ℣. 16. *Non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes*, inquit Arnobius lib. 6. contra Gentes, *modo casibus stillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari; ut nidoribus atque fumo suffita ac decolorata nigrescant, quemadmodum sedulæ longioris incuria perdant situs, specie & rubigine convulnerentur exesa? Ita, inquam, non videtis sub istorum simulacrorum cavis stelliones, sorices, mures, blattasque lucifugas nidamenta ponere atque habitare?*

℣. 13. Sceptrum habet, sicut judex regionis. Diis plerumque sceptrum aut hasta dabatur. *Sceptrum symbolum justitiæ est*, inquit Eustathius in Iliad. 2. *& hasta roboris symbolum.* Apud Veteres, sceptrum Reges habebant, ceu potestatis & auctoritatis indicium (10). *Judex* universe pro Principe, Magistratu, Rege usurpatur.

℣. 14. Habet etiam in manu gladium et securim. Dii bello præsides, ac Viri factis illustres his armis instructi pingebantur. Ensis Marti, Palladi hasta & clypeus, clava Herculi, arcus Dianæ & Apollini tribuebantur. Quæ Numina a Chaldæis colerentur, non satis novimus; quamobrem ea ex armis, quæ hic numerantur, dignosci nequeunt. At hæc arma Deos hujusmodi a latronum militumque injuriis minime tuebantur.

℣. 15. Sicut vas hominis confractum, inutile efficitur (11). Vasa apud Hebræos appellantur arma, quibus homo instruitur. Telum quodlibet, ensis, arcus, si fracta fuerint, inutilia fiunt. *Vas hominis* generice pro qualibet re, ad hominem atque ad hominis usum pertinente, usurpatur.

℣. 17. Et sicut alicui qui offendit Regem, &c. Græcus (12): *Et sicut ei qui in Regem peccavit, velut homini in mortem acto, circumsepta sunt atria; ita Dii a Sacerdotibus intra Templa januis vectibusque clauduntur.* Deos ceu carcere coercitos habent.

℣. 18. Lucernas accendunt illis, et quidem multas. Græcus (13): *Lucernas accendunt plures quam sibi.* Lucernarum usus coram Diis ardentium, communis apud Ethnicos erat. Cujusdam apud Ægyptios Festi meminit Herodotus l. 2. c. 62. cui nomen ab accendendis lucernis fuit. Suæ pariter Israelis Deo erant in Templo lucernæ: quis tamen illum his indigere unquam credidit, quemadmodum Ethnici de Diis censuerunt?

℣. 19. Corda eorum dicunt elingere serpentes: ajunt, illorum corda ab anguibus corrodi; vel potius: Vermes cor rodunt ligni, ex quo constant simulacra. *Serpens* hic pro quolibet vermium seu reptilium genere usurpatur (14). Interior enim simulacri pars ab araneis insectisque occupatur.

℣. 26. Sed sicut mortuis munera illis apponuntur. Obsonia illis apponuntur exhibenturque, cum ipsi parare sibi, aut oblata capere nequeant. Teste Daniele c. 14. ubi de Belo & Dracone narrat, insana erat Chaldæorum persuasio, Numina cibis vesci. Mensas Diis appositas Jeremias comparat cum conviviis, quæ olim super mortuorum sepulcra parabantur (15). Errantes animæ illuc vocabantur, ac Dea viarum præses ad ea accedere putabatur; at revera pauperes noctu vagantes paratas super sepulcra dapes rapiebant (16).

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extractas munera ferre pyras.
Parva petunt manes.

Veterem superstitionem agitandi super mortuorum tumulos convivia, diuturnis magnisque laboribus in Africa delevit S. Augustinus (17).

Latini quidam Codices (18) pro, *Munera eis apponuntur*, legunt, *Humeri illis apponuntur*; Græco tamen minime repugnante (19); eadem enim Græca vox, quæ vulgo redditur *donum*, munus, sonat etiam fulcrum. Sustinendi sunt fulcris, ceu mortui, ne ruant.

℣. 27. Mulieres eorum decerpentes. Græcus (20): *Mulieres eorum sale condiunt* ac servant ea, quæ ex oblatis simulacro muneribus supersunt. *Neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt*, ne dolus sentiatur. Porro non obsequii aut religionis causa Sacerdotes ciborum hujusmodi reliquias alienis impertiri verentur, cum eas impuris fœminis, & mox partu liberatis exhibeant ℣. 28. *De sacrificiis eorum fœtæ & menstruatæ contingunt.* Ex hoc Jeremiæ, aliisque Veterum locis intelligimus, nefas fuisse fœminis a partu recentibus, seu menstrualibus, ad sacra accedere. Vide nos in Leviticum XII. 2. Latine *fœta* de gravida muliere, & mox partu liberata usurpatur (21). In Templo Domini ad sacrarum carnium, hostiarumque pacificarum conviviis pauperes, viduæ, & orphani vocabantur (22).

℣. 29. Unde enim vocantur Dii? Quia mulieres apponunt Diis argenteis. Cur Deorum appellatio simulacris hisce tribuitur? Quid in illis vident eo nomine dignum? Cum vita, viribus, sen-

[7] Dan. x. 13. 21. XII. 1. [8] Ὥσπερ παρθένῳ φιλοκόσμῳ λαμβάνοντες χρυσίον κατασκευάζουσι, (9) Στεφάνους ἐπὶ τὰς κεφαλὰς τῶν Θεῶν αὐτῶν. [9] Δώσουσι δ' ἀπ' αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις, κοσμοῦσί τε αὐτὰς ὡς ἀνθρώπους τοῖς ἱματίοις, Θεοὺς ἀργυροῦς, καὶ χρυσοῦς, καὶ ξυλίνους. [10] Justin. lib. XLIII. *Per ea adhuc tempora Reges, hastas pro diademate habebant, quas Græci Σκῆπτρα dixere.* [11] Ὥσπερ γὰρ σκεῦος ἀνθρώπου συντριβὲν ἀχρεῖον γίνεται. [12] Καὶ ὥσπερ τινὶ ἠδικηκότι βασιλέα, περιπεφραγμέναι εἰσὶν αἱ αὐλαὶ, ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένῳ, τὰς ὁδοὺς αὐτῶν ὀχυροῦσιν οἱ ἱερεῖς θυρώμασι. [13] Λύχνους καίουσι, καὶ πλείους ἢ ἑαυτοῖς. [14] Τὰς δὲ καρδίας αὐτῶν φασιν ἐκλείχειν τὰ ἀπὸ γῆς ἑρπετά. [15] Varro Meleagr. apud Non. Marcell. *Ad sepulchrum antiquo more silicernium confecimus, idest, περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii: Vale.* [16] Ovid. Fast. Vide Sophocl. in Oreste. [17] Vide Aug. ep. 22. & 29. nov. edit. & Not. in easdem. [18] Edit. Polyglott. Complut. & Paris. &c. [19] Ἀλλ' ὥσπερ νεκροῖς τὰ δῶρα παρατίθεται. Vide Hesych. in δῶρον; & Cornel. hic. [20] Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν ταριχεύουσαι. [21] Servius in Æneid. 1. *Sciendum est etiam fœtam dici, & gravidam, & partu liberatam. Ut, Fœtam & viridi fœtam Mavortis in antro.* [22] Deut. XIV. 28. 29. *Venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, &c.*

sensu, motu careant, qui fieri potest, ut aut amentur, aut metuantur? Dii igitur superstitione & errore muliercularum fiunt. Quales porro Dii, quos ignarum vulgus, hominesque corrupti & errantes faciunt? Martialis l. 8. epig. 24.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

℣. 30. IN DOMIBUS EORUM SACERDOTES SEDENT, HABENTES TUNICAS SCISSAS, ET CAPITA ET BARBAM RASAM, QUORUM CAPITA NUDA SUNT. His verbis hoc solummodo significatur, tonsis fuisse capitibus Sacerdotes. Vide *Levit.* XXI. 10. *Ezech.* XXIX. 18. *&c.* Cultum omnem lugentis mortuum præseferebant. Hæc funeri Adonidis conveniunt, non modo apud Ægyptios, Palæstinos, Phœnices, Syros celeberrimo, verum etiam apud Babylonios, ac Provincias trans Euphratem sitas. Adonidis festa funerum more celebrabant, ut Veneris amicæ vel uxoris Adonidis luctum imitarentur. Non satis sibi constant in hac re fabulæ. Adonidem Ægyptii sub Osiridis nomine colebant; Phryges Athin, Syri Adonidem nuncupabant:

Nunquam satis ploratus Adonis.

Contrariis plane moribus utebantur Hebræi; apud quos nefas erat, turpibus scissisque vestibus in Templo esse; vetitumque persæpe, ne Sacerdotes propinquorum funera ducerent (23).

℣. 31. RUGIUNT CLAMANTES CONTRA DEOS SUOS, TAMQUAM IN COENA MORTUI. Authore Luciano de Dea Syra, Bibli in Phœnicia, in solemnibus sacris Adonidis, ab apro interfecti, tracto dentibus femore, *singulis annis verberantur & lamentantur, ritusque sacros peragunt, magnique luctus per regionem ipsis indicuntur. Postquam verberandi & plorandi finis factus est, primum quidem Adonidi tamquam defuncto inferias agunt: postea vero altero die eum vivere fabulantur, & in aerem mittunt, & capita detondent, ut Ægyptii cum mortuus est Apis. Quæcumque autem mulieres tondere nolunt, talem pœnam exsolvunt. Diem unum ad quæstum corpore faciendum prostant. Forum autem illud solis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in sacrificium datur.* Hos ritus irridet hic Jeremias. Tangitur hic luctus in defunctum illustrem. Narrat Busbequius se cum ageret Sagadoræ, urbe Serviæ, vidisse in Ecclesia cadaver defuncti detecto vultu expositi, cui panis, vinum, & caro erant appositæ. Stabant juxta illum uxor & filia splendidissime indutæ. Filia caput tegebat pileo, pavonis pennis ornato. Mariti cadaver decorabatur mitra purpurea cujusmodi puellæ nobiles gestare mos est. Porro supremo hoc munere defunctus conjux a superstite donabatur. Secundum hæc instrepebant omnia luctibus mulierum illarum quærentium ecquidnam illum coegisset ut tam cito miseras derelinqueret. Num quid illi defuissent. Tunc Græci ritus Sacerdotes præsto adfuerunt, ut funebria officia absolverent. Haud satis scio num veteres Hebræi escas defunctis apponerent, sive potius ad sepulcra afferrent dapes in usum egenorum. Qui sane postremus mos vetustissimam trahit originem, nec ignotus fuit Christianis. Quoad Lamentationes in funeribus propinquorum notissimæ sunt ex Scriptura. Vide Dissertationem meam de re funebri Judæorum. De luctibus Moschorum vide Itiner. Moschov. to. 1. pag. 9.

De convivio pro mortuis, animadverte, olim funere absoluto, convivio excipi propinquos, ac sæpe ad sepulcrum, consuevisse (24): *Ad sepulcrum antiquo more Silicernium confecimus, idest, Perideipnon; quo pransi discedentes dicimus alius alii: Vale.* Narrant Itineraria, nostra adhuc ætate apud Syros (25), & in Babylonia, circa Bagdad (26), condito humi cadavere, omnibus funeris sociis convivium instrui: convivas autem de mortui laudibus colloqui; uxoremque cæterosque propinquos, doloris veri seu ficti indicia exhibere.

COENA MORTUI. Nonne accipi hæc de luctu Adonidis possent? Apud Paganos in funebribus Adonidis festis strepebant omnia luctibus & querelis. Id maxime erat in usu cum cibus caperetur, mortuum enim tunc altius ejulabant. *Rugiunt clamantes tanquam in coena mortui.* Confer Idyllium Dionis Smyrnensis, ubi luctus iidem pinguntur. Ovidius Metam. x. V. 724.

...... Luctus monumenta manebunt
Semper Adoni mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Sermo etiam de Adonidis planctu recurrit Ezech. VIII. 14. *plangentes Adonidem.*

℣. 34. NEQUE MALUM RETRIBUERE. Græcus (27): *Neque æs dare*, sive opes; Syrus, *argentum*, nummos.

℣. 40. IPSIS CHALDÆIS NON HONORANTIBUS EA; quippe infirma esse scientes, animo irrident. Si quos illis ægros curandos exhibent, nullam ex iis salutem sperant. Optime ajebat Varro (28): *Qui primi simulacra Deorum populis posuere, eos & civitatibus metum dempsisse, & errorem addidisse*, magna Religionis injuria. *Prudenter existimans*, subdit S. Augustinus, *Deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni.*

POSTULANTES AB EO LOQUI, &c. At ubi non posse illos intellexerint, illos relinquunt, ceu res plane inutiles, quæ opem ferre nullam queant. Falsa hæc Numina minimi omnium ab ipsis Sacerdotibus habentur. Græcus (29): *Postulant ut vocem edat, quasi is queat. Et non possunt ipsi, cum hæc videant, relinquere ea; sensum enim nec ipsi habent.* Mutum hominem offerunt Belo Chaldæi, ut loquendi facultatem illi restituat, quasi id præstare queat Belus; at cæca gens infirmos adeo Deos atque imbecilles abjicere nondum potest. Præcipuum Babyloniorum Numen Belus. Vide *Isa.* XLVI. 1.

℣. 42. MULIERES AUTEM CIRCUMDATÆ FUNIBUS IN VIIS SEDENT, SUCCENDENTES OSSA OLIVARUM. Babyloniis fœminis commune est, semel in vita ad Veneris Templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere, inquit Herodotus lib. 1. vide & Strabon. l. 16. Pleræque ad Templum Veneris sedent, nodis corollisque tempora revinctæ, veluti sese Mylittæ devotas sacrasque significaturæ, e quibus aliæ accedunt, aliæ discedunt. Nam diverticula undecumque sic funiculis distincta, aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit deligendam. Hi pecunia in sinum mulieris injecta, Veneri offerenda, mulierem a Templo abducunt, fractis nodis, quibus illa devotionis ergo circa tempora cingebatur. Aristophanes interdum meretrices appellat *corpora funibus involuta* (30).

Olivarum nuclei, quos illæ cremabant, sacrificii genus erant, Deæ oblati; iisque amatorii veneficii vim inesse arbitrabantur. Babylonii, apud quos ingens lignorum inopia est (31), olearum nucleis utebantur in foculis, quibus corpora fovebant; nullus enim apud illos usus caminorum fuit; ac teste Strabone (32), fabri ipsi in fornacia usum palmarum nucleos adhibent. Apud Hispanos Italosque olivarum nuclei cremantur. Veneficam inducit Theocritus (33), sacra facientem olearum nucleis, eosque cremantem, ut adole-

[23] Vide Levit. XXI. 10. [24] Varro apud Nonn. [25] Roger. lib. 2. c. 14. [26] Tavernier tom. 1. Voyage de Perse l. 2. ch. 7. p. 193. [27] Οὔδε χαλκὸν, ὃ μὴ δύνονται διδόναι. [28] Aug. lib. 4. de Civit. cap. 26. [29] Ἀξιοῦσι φωνῆσαι, ὡς δυνατοῦ ὄντος αὐτοῦ ἰσχῦσαι. Καὶ οὐ δύνανται αὐτοὶ νοήσαντες καταλιπεῖν αὐτά, αἴσθησιν γὰρ οὐκ ἔχουσι. [30] Aristoph. Ἐκκλησιάζ. Act. 1. init. Χορδευμένα σώματα. Dicuntur etiam Σχοινοτριβεῖς. [31] Vide Strabon. lib. 16. [32] Idem lib. 15. [33] Theocrit. Pharmac. Eutr. Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. Νῦν θυσῶ τὰ πίτυρα.

fœntem in amorem trabat; narratque Sanctius in hunc Baruchi locum, ætate sua nonnullas in Hispania captas esse veneficas, apud quas nuclei olearum erant, in veneficiis adhibiti. Putat Grotius, Græcas voces (34) significare suffitum, quo Babylonii tum viri tum fœminæ corpora post concubitum expiabant (35).

℣. 45. NIHIL ALIUD ERUNT, NISI QUOD VOLUNT ESSE SACERDOTES. Græcus (36): *Nihil aliud sunt, nisi quod volunt artifices ea esse*. Belus e lapide fit, quod Belum fieri voluerit Artifex: alter e trunco Mylittam finxit; statimque Dea stetit. Pinum sevit homo (37), quam aluit imber; tum cecidit, sepositaque arboris parte, qua panem coqueret, e reliqua Deum fecit, eumque veneratus est. Horatius lib. 1. Sat. 8. ita Priapum loquentem inducit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus, scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido.

℣. 51. UNDE ERGO NOTUM EST, QUIA NON SUNT DII. Græcus cum interrogatione legit (38): *Cui igitur ignotum est, quoniam non sunt Dii?* Quis ea de re dubitare queat? Aliis ne opus est argumentis?

SED OPERA MANUUM, &c. Reliqua hujus versiculi in Græco desiderantur.

℣. 53. SICUT CORNICULÆ INTER MEDIUM COELI ET TERRÆ. Rerum, quæ inter homines geruntur, ignarissimi sunt, neque quicquam seu bene seu male movere queunt, non secus atque cornices in aere errantes.

℣. 58. IN QUO GLORIATUR, Græcus (39): *Quo utitur dominas*.

℣. 59. SOL ET LUNA (astraque cætera) AD UTILITATES OBAUDIUNT Deo. Si qua inter creatas res hominum obsequia meretur, hæc profecto sunt Sol, Luna & Sydera; quorum fulgor ac venustas admirationem excitant, & utilitas animos obligat. Gentium Dii prodesse nequeunt, neque similes splendidissimis atque utilissimis hisce corporibus sunt. Atqui sydenum jubar ex Creatore est; eoque tantummodo jubente nobis prosunt. Omnia igitur obsequia omnemque cultum in Deum convertere opus est, atque a cæterorum Numinum aut astrorum cultu abhorrere.

℣. 60. IDIPSUM AUTEM ET SPIRITUS IN OMNI REGIONE SPIRAT. Græcus (40): *Idem ventus totam regionem perflat*.

℣. 62. HÆC AUTEM NEQUE SPECIEBUS NEQUE VIRTUTIBUS UNI EORUM SIMILIA SUNT. Ficta hæc Numina cum Sole, Luna, astris, fulgore, vento, nubibus, igne cœlesti confer, ac vide, utrum illorum venustas, vis aut virtus comparari cum rebus hisce creatis queat.

℣. 66. SIGNA IN COELO GENTIBUS NON OSTENDUNT; qua in re multo inferiores Sole, Lunæ & Astris Dii sunt, cum illa temporum vices & ætatum conversiones doceant (41).

℣. 69. SICUT IN CUCUMERARIO FORMIDO NIHIL CUSTODIT. Terriculum in agro positum aliquandiu timent aves: at facile demum illi assuescunt, eoque non terrentur. Inutile est terriculum, si quis propius accedat. Si quando terret, homo esse, non terriculum creditur. Idem de simulacris dicito, quorum authoritas omnis ex insania colentium oritur; neminem quippe nisi insanum terrent. Latina vox *formido* proprie est rete lineum, variis plumis pennisque confertum, iis in locis positum, ubi fera vestigatur. Hæc quippe pennarum motu, & colorum varietate territa, in venatorum retia sese injicit.

Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ (42).

Græca vox *bascanion* (43) melius cum nostro terriculo convenit.

℣. 70. ET IN HORTO SPINA ALBA. Aves in dumetis, quantumvis horrentibus, nullo metu sedent. Ignarum tantummodo vulgus ac superstitiosum a Diis hisce terretur. Græcus (44) habet tantummodo *spinam*, non *albam spinam*.

℣. 71. A PURPURA ET MURICE QUÆ SUPRA ILLOS TINEANT &c. Græcus (45): *A purpura, & marmore* (sive tectorio), *quod supra illos corrumpitur vermibus, scietis ipsos non esse Deos*. Hic certe marmor proprie dictum intelligi nequit, quippe cui non hæreant tineæ; sed nitidum quoddam tectorium marmori simile; Lignum marmoratum, seu pannus nitidus rutilusque instar marmoris; vel denique (46) *margaritæ*, quæ ætate corrumpuntur, uti neminem latet.

FINIS BARUCH.

IN EZECHIELEM PROLEGOMENON.

EZechiel, filius Buzi, Sacerdotali genere (1), Sarera oriundus (2), una cum Jechonia Rege Juda captivus translatus est Babylonem. Quo tempore solum vertere coactus est, prophetiæ munus nondum inierat; missum enim a Nabuchodonosore in Mesopotamiam, Dei Spiritus primum afflavit, quo tempore annum agebat ætatis xxx. (3), seu potius post trigesimum annum ab inito cum Deo fœdere Judæorum sub Josia (4). Quinque jam annos egerat in captivitate; susceptumque munus integra xx. annorum periodo absolvit, nempe ab A. M. 3409. usque ad 3430. decimum quartum ab excidio Jerosolymæ (5). Totus est in confirmandis fratribus una captivis, quos de præstita præcuci fide, ut ipsi quidem reban-

[34] Θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. [35] Herodot. lib. 1. cap. 198. [36] Οὐδὲν ἄλλο μὴ γένωνται, ἢ ὃ βούλονται οἱ τεχνῖται αὐτὰ γενέσθαι. [37] Isai. XLIV. 14. & seq. [38] Τίνι οὖν φανερόν ἐστιν, ὅτι οὐκ εἰσὶ Θεοί. [39] Ἐφ' ᾧ χρῶνται ὁ κρατεῖ... [40] Τὸ δ' αὐτὸ πνεῦμα ἐν πάσῃ χώρᾳ πνεῖ. [41] Genes. 1. 14. *Fiant luminaria in firmamento Cœli, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* [42] Virgil. Georgic. lib. 3. [43] Ὥσπερ γὰρ ἐν σικυηλάτῳ προβασκάνιον οὐδὲν φυλάσσον. [44] Τῇ ἐν τῷ κήπῳ ῥάμνῳ. [45] Ἀπό τε τῆς πορφύρας καὶ τῆς μαρμάρου τῆς ἐπ' αὐτοῖς σηπομένης, γνώσεσθε ὅτι οὐκ εἰσὶ Θεοί. [46] Grotius legit Μαργάρου, *margaritæ*, pro μαρμάρου, *marmoris*. [1] Ezech. 1. 3. [2] Pseudo-Epiphan. vita Prophetar. [3] Ezech. 1. 1. *Et factum est in trigesimo anno*. Plerique apud Hieron. in Ezechiel. c. 1. ℣. 1. &c. [4] Hieron. ibid. Chald. Theodoret. Vat. Grot. alii plures. Vide 4. Reg. XXII. 55. [5] Ezech. XL. 1.

bantur, suasionibus Jeremiæ, ut se citius dederent Chaldæis, metu proximi excidii Jerosolymæ animi ægritudo & mœror oppresserat. Cum enim nihil prospicerent, quod fidem oraculis Prophetæ conciliaturum videretur, Ezechiel, ut confirmaret in fide animos, novisque oraculis vetera, quæ jam fuderat Jeremias, & tunc etiam edebat in Judæa, stabiliret, a Deo excitatus est. Putat S. Hieronymus (6), utriusque hujus Prophetæ, Ezechielis & Jeremiæ, Oracula vicissim transmissa fuisse, hujus videlicet Jerosolymam, illius vero in Chaldæam, ut eorum consensu fidés Judæorum simul & religio magis magisque confirmaretur.

Cum vehementius pro delenda ex Judæis superstitione laboraret, neci traditus est a Principe Populi (7); corpus sepulturæ traditum ferunt in eodem specu ad Euphratem, in quo olim conditi Semus & Arphaxad. Monstrant hodie usque ejus sepulcrum ad Euphratem in loco xv. leucis a Bagdad, illudque situm esse post Synagogam Judæorum inter Euphratem, & Chaborem, ornatumque sciti operis fornice a Jechonia Rege, e carcere educto, Evilmerodachi Regis Chaldææ beneficio, Beniamin Tudelensis asseruit. Summa olim religione & frequentia locus colebatur; neque enim tantum confluebant Principes captivitatis, qui annuum obsequium, non sine ingenti satellitii pompa, viro sanctissimo exhibituri veniebant; verum etiam eadem religio Persas, Medos, aliosque populos tenuit. Accedebat lampas, perpetuo lumine, Judæorum sumptibus, ardens. Autographum ejusdem Prophetæ servare se in Bibliotheca, supra tumulum structa, gloriantur Hebræi, quem Librum singulis annis stata die Expiationis solemnis coram frequenti populo legunt. Sed Hebræis hæc asserentibus quis credat?

Quæ Ezechielis nomine inscripta sunt Opera, hæc sine controversia Prophetæ genuina, nihil ad veritatem & authoritatem reliquum faciunt. Utrum vero omnia ejus Scripta supersint, ambigitur. Josephus Antiqu. l. 10. c. 6. duos ab illo scriptos de captivitate Libros memorat. Supersunt quidem plura ejus Prophetæ capita de hoc argumento; sed universum ejus Opus in duos libros distributum fuisse, ne vestigium quidem ullum deprehendimus.

Sententiæ quædam auctori huic tribuuntur, quas ex ejus scriptis frustra repetas, velut illa: *in quo statu te invenero in ipso judicabo te, inquit Dominus*. Vide S. Joannem Clymacum gradu septimo scalæ paradisi; & vitam S. Antonii cap. 15. Ejus etiam nomini adscribitur altera: *in quacunque hora ingemuerit peccator salvus erit*. Vide Luciferum Calaritanum. Tertullianus de carne Christi cap. 23. ex eodem Propheta assumptum ait illud; *vacca peperit & non peperit*, sive ut legit S. Epiphanius hæresi 30. *vacca pariet vitulum suum, & non dicet: non me peperit*. S. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 1. cap. 10. *dicit Deus per Ezechielem: si conversi fueritis ex tote corde vestro, & dixeritis, Pater: audiam vos tanquam populus sanctus*. Integriorem hunc locum producit Clemens Romanus in priori ad Corinthios cap. 8. *resipiscite domus Israel ab iniquitate vestra. Dic filiis populi mei: si peccata vestra a terra ad Cælum usque pertingant, si cocco rubriora & cilicio nigriora fuerint, & ad me ex toto corde conversi fueritis, & dixeritis: Pater, tanquam populo sancto aurem vobis præbebo*.

Narrat alibi idem Josephus loco cit. lib. 10. Ezechielem & Templi eversionem, & nunquam visurum Babylonem Sedeciam vaticinatum, suum hoc oraculum Jerosolymam misisse. Hujus rei nullum superest vestigium in Scriptis Ezechielis. Quamobrem Epistolam ad Regem Juda ejus argumenti ab eo datam, interiisse credimus. Pseudo Athanasius in Synopsi putat, alterum e duobus voluminibus a Propheta scriptis penitus interiisse. Et recentior alius Author, temeritate & opinionum novitate notus (8), demonstrandum suscepit, Scripta illa, Ezechielis nomine ad nos missa, fragmentum esse alterius amplissimi Operis; cujus rei argumentum ducit ab exordio primi capitis, ita plane concepto: *Et factum est in trigesimo anno*; neque enim conjunctio *Et* exordium esse videtur Libri, sed partium connexio; sicut nunquam factum scimus, ut in primo Operis vestibulo certus quidam annus designetur, ne indicata quidem epocha, ex qua supputatio illa ducatur. Observat insuper in eam rem illud capitis 1. 3. *Factum est verbum Domini* (nempe factum frequentius) *ad Ezechielem filium Buzi*.

Non negamus certe, fieri potuisse, ut Ezechiel plus aliquid scripserit, quam nostra ætate superfit; sed nihil pariter huic Scriptoris opinioni deferendum temere censemus. I. Potuit Opus Ezechielis in duas partes Josephi ætate distribui, quarum prior xxxix. priora capita contineret; altera novem postrema, quibus de restitutione Urbis & Templi agitur. Author vero Synopsis, authoritate Josephi præpostere accepta fretus, censuit, scriptum esse ab Ezechiele alterum, quam quod superest, Opus, quod deinde intercidisse sibi persuasit. II. Ezechiel excidii Jerosolymæ & Templi vaticinium (9) in Judæam facile misit; neque tamen Josephus unquam testatus est, missum a Propheta Jerosolymam integrum Opus, in quo nunquam visurus Babylonem Sedecias legeretur. Facile enim seu viva tantum voce dedit hoc de Sedecia oraculum, vel epistolæ privatæ commisit, nunquam in canonem oraculorum ipsius cooptatæ. III. Si conjunctio *Et* in fronte libri occurrens de integritate Operis decessisse aliquid certo argumento demonstret, eadem statim sententia ferenda de Libris Josue, Judicum, Jonæ, primo Macchabæorum, aliisque nonnullis; statimque amplioris Operis veluti fragmenta quædam habere illos oportet; quod sane temeritatis esset non ferendæ. IV. Trigesimus annus, in fronte Operis inscriptus, quo potissimum referendus sit, prorsus quidem nos latet; ætate vero Prophetæ res erat exploratissima. An idcirco invidia in Librum erectur, quod aliqua contineat nobis prorsus ignota? Idem fortasse ne-

(6) In Ezech. xII. pag. 766. nov. edit. (7) Vide Vit. Proph. apud Epiph. & Benjam. Tudel. Itiner. Auctores Martyl. (8) Auctor. Tract. Theologico-politici. (9) Ezech. xvII.

gotium posteritati fiet in nostris Epochis rvolvendis ; quod nos in Veterum Chronologia solicitos tenet. V. Dominum sæpe alias Ezechieli locutum, nunquam legimus in Textu; quin potius verba illa (10), *Factum est verbum Domini ad Ezechirlem*, hoc primò verbum Prophetæ factum esse demonstrant.

Tradunt Judæi, Ezechielem famulitio Jeremiæ adstrictum fuisse, & diu anceps hæsisse Sanhedrium, utrum illius Librum in canonem Scripturarum reciperent. Invisum enim habebant Prophetam, quod obscuritatem præ cæteris affectare, & multa Moysi contraria tradere videretur. Porro exordium & finis ejusdem Prophetæ ea caligine obvolvuntur, ut veteribus simul recentioribusque Interpretibus crucem figat. Ejus lectio ante trigesimum ætatis annum Synagogæ decreto interdicebatur (11). Hæc Prophetæ XVIII, 2. 20. sententia: *Filius non portabit iniquitatem patris sui*, pugnare videtur cum Exodo XXXIV. 7. *Qui reddes iniquitatem Patrum Filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem* (12). Quædam mutasse Propheta videtur in præscribendis sacrificiis, post regressum a captivitate offerendis, ut in Commentario animadvertimus. Leve etiam discrimen aliquod apparet in dimensionibus Trmpli Ezechielis & Salomonis, uti cum de Altari Holocaustorum, & amplitudine conclavium ad latera Templi agitur.

Nonne vero unus Deus, qui olim per Moysem, idem etiam per Ezechielem loquutus est? An autem Deo lex ulla præscripserit, ne mutare quidquam, abrogare, & supprimere de legibus cæremoniarum audeat? Si docuisset aliquid superstitiosum & erroneum Ezechiel; si authoritate sua licentiam, idololatriam, scelera confirmaret, his sane documentis apocryphum librum credere juberemur. Nunc vero contraria omnia, quid enim reliqui esse potest ad sanctimoniam, quam morum regulæ ab illo præscriptæ? quis illo acrius in crimina invehitur? quis apertiora vaticinia pronuntiat de excidio Jerosolymæ, captivitate Babylonica, ejusque exitu, restitutione Templi, adventu Messiæ, institutione Ecclesiæ, & vocatione Gentium ad fidem?

Omnium consensu, & jure quidem merito, omnium Prophetarum eruditissimus habetur, ut, juxta Pradi sententiam, nihil magis Ezechielem tam longo temporis spatio obscurum reliquerit, quam rerum mathematicarum & architecturæ tot sæculorum ignorantia. Grotius hanc de illo sententiam pronunciat in præfatione ad Ezechielem: *Valuit eruditione, & ingenio, ita ut (seposito prophetiæ dono, quod incomparabile est) non immerito Homero eum compares ob pulchras εἰκόνας, comparatione illustres, magnam rerum multarum, præsertim architecturæ, cognitionem*. Potuit, meo quidem judicio, de illo usurpari, quod de Alcæo Quintilianus: *Alcæus in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatur. Multum etiam moribus confert, in eloquendo quoque brevis, & magnificus, & diligens, plurimumque Homero similis.*

Juvat admirari, qua constantia Reges Tyri & Ægypti Propheta alloquatur; quanta eloquentiæ vi percellat Principes Juda, omnemque demum Israelis populum, sive Idololatriæ, sive effrænis licentiæ reum. Comparationibus, metaphoris, & figuris frequentior est, quam cætari Prophetæ; facile quod in Chaldæa agenti, familiarissimo ejus gentis stilo utendum videretur (13). Hæc de ejus orationis genere S. Hieronymus Præfat. in Ezech. *Sermo ejus nec satis disertus, nec admodum rusticus, ex utroque medie temperatus*. Alii hos viro characteres assignant (14); *Gravitas & vis huic propriæ*.

Sunt qui censuerint (15), Nazaratum Assyrium, Pythagoræ præceptorem, cum Ezechiele miscendum. Pythagoras Chaldæam peragravit, viros doctissimos ejus regionis invisens; quare convenisse Ezechielem, eumque audivisse, insigni sapientiæ fama clarum videtur. Ita persuasum tenent qui coætaneum Ezechielis Pythagoram putant; nec alibi didicisse credunt Philosophum illum ea, quæ de Mosaicis Legibus (16) norat, ac potissimum illud de *Tetrarby* (17), sive quaternario; nempe, ut ipsi quidem ajunt, de numine *Jehova*, quatuor Hebraicis literis constante.

Verum S. Clementi Alexandrino alia sedet sententia, nunquam scilicet Pythagoram ab Ezechiele visum fuisse. Etenim si non prius Babylonem venit Pythagoras, quam post confectam Cambysis in Ægyptum expeditionem, ut ex Jamblicho in ejus vita constat; si paritrr Pythagoras eodem tempore iu Italia versabatur, quo Brutus patriam tyrannide Tarquinii levavit, ut Cicero author est Tuscul. Quæst. lib. 4. &c. Pythagoras in lucem nun prodiit nisi circa Olympiadem 47, generatione quarta post Numam Pompilium, non procul a tempore Babylonicæ captivitatis, (quemadmodum a Dione Halicarnassæo lib. 2. pag. 140. 141. demonstratum est); & si vera scribit Usserius non venisse illum in Ægyptum nisi anno mundi 3457. ante Christum 547. Amasi in Ægypto regnante, ut ait Plinius lib. 30. cap. 9. Si insuper vera sint quæ scribit Jamblichus in vita Pythagoræ cap. 3. 4. mansisse illum in ea regione annis XXII. & ex Ægypto a militibus Cambysis deductum fuisse Babylonem anno mundi 3479. ante Christum 521. frustra plane Philosophus hic Prophetam nostrum audisse asseritur. Nam anno a capta Jerosolyma XIV. Ezechiel vigesimum muneris sui annum agebat; & Cambyses non nisi L. annis post hunc annum XIV. Ægyptios jure armorum subegit. Vide Usser. ad A. M. 3480.

Legi-

(10) היה היה דבר יהוה אל יחזקאל בן בוזי Ita Chald. Septuag. & alii interpretes. (11) Hieron. in prooemio Ezech. & Comm. in cap. 1. *In cujus interpretatione omnes Synagoga Judæorum muta sunt, ultra hominem esse dicentium & de hac re, & de ædificatione Templi aliquid velle conari.* (12) Vide etiam Ezech. XLVI. 4. collatum cum Num. XXVIII. 9. Ezech. XLVI. 6. cum Num. XXVIII. 15. (13) Basnage, histoire des Juifs, liv. 5. chap. 16. art. 2. (14) Fleury, not. mss. in Ezech. (15) Apud Clem. Alexan. Strom. lib. 1. (16) Vide Hermipp. apud Josephum lib. contra Appion. & Aristobul. Jud. apud Clement. Alex. lib. 1. Strom. & Euseb. lib. 13. Præpar. Huet. de Demonstr. Evang. (17) Selden. Syntag. de Diis Syr. Godefrid. Vedelin. lib. de Pythagoræ Tetractys.

Legimus in vitis Prophetarum Pseudo Dorothæi, & Epiphanii, plurimis claruisse Virum hunc in Chaldæa prodigiis; Tribus Dan, & Gad in Babylonia judicasse; simulque in illus, Idololatriæ reos, immissis in liberorum gregumque perniciem anguibus, animadvertisse; ac tandem in regione Spytorum, forte Sapirorum, sepulturæ esse mandatum. Verum tota eorum historia adeo male sibi constat, ut nihil gravius, quam par sit, de illa censeamus, si totam fabellis & narrationibus vulgaribus confertam arbitremur.

TABULA CHRONOLOGICA

Oraculorum Ezechielis.

Anno Mundi.

3405 EZechiel Babylonem captivus cum Jechonia Rege ducitur. Hinc sumenda est vaticiniorum illius epocha.

Prima Ezechielis visio ad amnem Chobar, *Ezech.* I. Quæ deinde contigerunt, postquam ad munus Propheticum vocatus est, *Ezech.* I. II.

Jerosolymam, ac futuram illius obsidionem in luto describit; superque illud, sinistro lateri semper incumbens, diebus trecentis & nonaginta cubat, *Ezech.* IV.

3410 Tum in dextrum latus convertitur, ibique diebus quadraginta cubat, quibus anni quadraginta flagitiorum Juda significabantur. Ad hanc ætatem referenda sunt Ezechielis Capita V. VI. VII.

Septembri mense anni ejusdem, qui sextus est captivitatis Jechoniæ, ea videt, quæ narrantur Capitibus VIII. IX. X. XI.

3411 Vaticinia, gestaque Prophetica, quibus Ezechiel Sedeciæ fugam, captivitatem, & cæcitatem prædicebat, Cap. XII. & septem sequentibus.

Sedecias a Nabuchonosore desciscit, *Ezech.* XVII. 15. 17.

Seniores ad sese consulendum accedentes, simulationis arguit Propheta. *Ezech.* XX. XXI. XXII. XXIII.

3414 Nabuchodonosor Jerosolymam obsidet, anno Sabbathico, *Jerem.* XXXIV. 8. *&c.* Obsidio nonnisi media hieme instituitur 4. *Reg.* XXV. 1. Uxor Ezechielis Prophetæ ipsa obsidionis die moritur; luctumque ejus causa non agere a Deo jubetur Propheta, *Ezech.* XXIV. 1. 2.

3415 Vaticinia Ezechielis in Ægyptum, *Ezech.* XXIX. 26. Nabuchodonosor, fracto fugatoque Pharaone Hophra, ad Jerosolymæ obsidionem redit, trecentis & nonaginta diebus, ante urbis expugnationem.

3416 Vaticinia Ezechielis in Tyrum, *Ezech.* XXVI. usque ad XXVIII. prima die mensis primi.

Eodem mense, die septimo, Deus Ægypti mala, a Nabuchodonosore inferenda, Ezechieli ostendit, *Ezech.* XXX.

Mense tertio ejusdem anni, visio Ezechielis in Ægyptum, Cap. XXXI.

Jerosolyma expugnatur, nona die mensis quarti. Sedecias, Jerichuntem fugiens, capitur; Reblatham ducitur, ibique spectata liberorum cæde, oculis orbatur, onustusque catenis Babylonem rapitur. Ita vaticiniorum in Sedeciam, quæ pugnare videntur, fides impletur.

3417 Ezechiel, audita Jerosolymæ expugnatione, quinta die mensis decimi, reliquias populi in patria relictas, perituras prædicit, *Ezech.* XXXIII. 21. . . . . 29.

Tum Ægypti excidium nunciat, *Ezech.* I. 16. 32. & Idumæorum XXV. 12.

3419 Tyri obsidio, annis tredecim producta, instituitur.

Ad hunc annum referenda sunt mala Sidoniorum, Ammonitarum, Moabitarum, & Idumæorum, de quibus *Jerem.* XXVII. XLVIII. XLIX. *Ezech.* XXV.

3420 Finis quadraginta annorum, de quibus Ezechiel IV. 5. 6. & trecentorum nonaginta annorum Secessionis Judæ & Israelis. Quadraginta annorum exordium ducitur a fœdere per Josiam restaurato.

3430 Visio, qua Ezechiel urbis ac Templi, & Regni Israelitici restaurationem a Deo discit *Ezech.* XL. 1. usque ad Libri finem.

Ea visio habita est die decima mensis primi, anno ab expugnata Jerosolyma decimoquarto.

3432 Tyrus a Nabuchodonosore capitur. Ægypti exuvias, ceu præmium laboris ad Tyrum exantlati, Nabuchodonosori pollicetur Deus, *Ezech.* XXIX. 17. 20.

Nabuchodonosor Ægyptum invadit, ubi Amasis a Cyrenæis, in Apriem conjuratis, creatus, Regnum capessiverat, *Herodot. lib.* 4. *cap.* 159. *& lib.* 2. *cap.* 161. 162.

3435 Nabuchodonosor capta Ægypto sævit, indigenasque & peregrinos Judæos & reliquos abducit captivos, *Jerem.* XLIII. XLIV. XLVI. *Ezech* XXIX. XXX. XXXI.

Nabuchodonosor inferiorem Ægyptum Amasi relinquit, Aprie in Thebaidem elapso.

Moritur Nabuchodonosor.

3442 Succedit Evilmerodach, qui Jechoniam in libertatem restituit 4. *Reg.* XXV. 27. *& Jerem.* LII. 31.

facultate regrediendi in Judæam, omnes Judæorum & Israelitarum simul & Sacerdotum, reliquias collegit, ne incolis quidem montis Caspii neglectis.

Idem Jeremias XVI. 14. *Dies veniunt*, ait, *& non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit Filios Israel de terra Ægypti; sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejecit eos*. Et capite XLIX. 2. *Dies veniunt; dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, & erit in tumultum dissipata, & possidebit Israel possessores suos*. Tandem capite L. 4. 19. 20. *Venient*, ait, *Filii Israel, ipsi & filii Juda simul ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent ..... Et reducam Israel ad habitaculum suum, & pascetur Carmelum & Basan, & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima ejus. In diebus illis quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis, quos reliquero*.

Zacharias IX. 13. magnificis verbis redeuntes Judam & Ephraim atque restitutam urbem Metropolim prosequitur. *Quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum, & implevi Ephraim*. Et X. 6. 10. *Et confortabo Domum Juda, & domum Joseph salvabo; & convertam eos, quia miserebor eorum; & erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos ..... Congregabo, quia redemi eos, & multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati*.

Tobias, vir, si quis alius, Propheta, a Deo in captivitate excitatus, futurum pronunciat c. 12. 17. *Quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum*. Et cap. XIV. 6. *Non excidit verbum Domini; & fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam*. Azarias filius Oded Propheta Domini, ita *Asam* Regem Israelis ejusque exercitum omnem affatur 2. Par. 15. 1. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & Sacerdote doctore, & absque Lege. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, & quæsierint eum, reperient eum*.

Michæas II. 12. post prænunciatam decem Tribuum captivitatem, illam denique solvendam his verbis nunciat: *Congregatione congregabo, Jacob, totum te: in unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illam quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum. Tumultuabuntur a multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos: divident & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*.

Vix aliud in Veteri Testamento vaticinium luculentius habetur, si unum excipias Messiæ adventum Regnumque, quam quod de solvenda decem Tribuum captivitate prolatum est. Nobis vero apertius aliquid demonstrandum est, nempe impleta horum vaticiniorum fides. Objici enim posset, hæc vaticinia fuisse a conditionum aliquarum eventu pendentia, quibus, ne implerentur, obstitisse Israelitarum crimina, divinis promissionibus seu aggerem sese opponentia. Quamobrem probatioribus tantummodo Israelitis contigisse, ut promissæ sibi libertatis compotes fierent. Possa tandem Oraculorum fidam tum demum implendam sperari, cum in exitu sæculorum una ex omnibus gentibus Ecclesia cogetur, reductoque tandem Israeli veritas prodibit. Nos quidem hæc ultro damus, futurum agnoscentes, ut tandem Israelitæ *noverint in quem transfixerunt*; sed huic universi Israelis consensioni, tamquam figuram, præcessisse regressum decem Tribuum e captivitate ante Christi adventum; demonstrandum in præsentia suscipimus.

Nec hic agimus de Israelitis illis, qui post schisma Jeroboami, ejus partibus desertis, ad Roboamum Regem Juda geminasque Tribus avitæ religioni fideles, desciverunt. Vide 2. Par. XI. 13. 14. 15. 16. & XV. 9. Convenit enim inter omnes, illos cum geminis Tribubus in unum corpus coaluisse, earumque fortunas secutos, unam cum illis captivitatem, ac deinde libertatem per Cyrum habuisse. Scitum est etiam, everso Samariæ Regno, plures ex Israelitis in partes Regum Juda transiisse 2. Par. 30. 5. & 34. 6. ii qui vero in avitis sedibus permanserunt, illos in jus appellationemque Cuthæorum transiisse, cæterarumque gentium, quæ ex Euphrata in Palæstinam migravere. 4. Reg. 17. 24.

Asserimus igitur, omnia hæc minora fuisse, quam ut vim Propheticorum Oraculorum explerent, quamvis autem concederemus, modicam Ephraimitarum, Manassis, Aser, cæterarumque Tribuum portionem in Judæ nomen appellationemque translatos esse, eademque cum illis libertate donatos; multum tamen deesse ad explendam prorsus oraculorum fidem, quantum eventus proinde in ipso sæculorum exitu, Judæis omnibus ad fidem & Religionem conversis, expectandus esset. Nos ergo plus aliquid suscipimus; contendimus enim, maximam duodecim Tribuum partem avitas sedes soluta captivitate Babylonica repetiisse.

Luculenta sane in eam rem argumenta exhibent Libri Esdræ & Macchabæorum, quæ unica sunt canonica monumenta, de rebus post captivitatem Babylonicam consulenda. Legimus in Paralim. lib. 1. c. 9. 3. censum Ephraimitarum, & Manassis, una cum Juda & Benjamino Jerosolymam migrantium. In Esdra lib. 1. c. 2. 7. 31. regressorum una cum Zorobabele, in quo nomina etiam captivorum ex Elam, & Megbi v. 30. urbibus sive provinciis Persarum, recensentur. Porro regio Elam neminem latet, nec minus in historia Persica notum est Megabyzi nomen. Mentio pariter vers. 54. occurrit captivorum, e Thelmela & Thelharsa reducum, quæ nos loca proxima Cappadociæ credimus; tum eductorum ex Adan & *Emer*, nempe, uti facile credimus, e provincia Eden, & Armenia. Esdra per Legatos vocavit dispersos in montibus Caspiis 2. Esdr. 8. 15. Omnia plane hæc loca non Tribubus Juda & Benjamini, sed decem Tribubus frequentata fuisse inde constat, quod decem Tribus in ea regione exilium subierint, quemadmodum e collatis simul Esdra & 4. Regum 17. 6. intelligimus.

Mentio etiam inducitur Israelitarum, qui ante transmigrationem sedem habuerant in Nebo & Pahat Moab, urbibus Transjordanicis 1. Esdr. II. 29. & cum census institueretur redeuntium e captivitate, non omnes quidem familiam suam sive e Juda sive a Benjamino probare jubebantur, sed *Utrum ex Israel essent*. Ibid. XI. 59. Tandem censum claudit Esdras l. 1. c. 2. 70. his verbis: *Universusque Israel in urbibus suis habitavit*. In primo vero Paschate post captivitatem, causa filiorum Israelis celebrato, immolati sunt XII. hirci caprarum, singuli nempe pro singulis Tribubus parique vitulorum numero, e Babylone reduce Esdra, litatum est. 1. Esdr. 6. 16. & 8. 35.

Cur autem, rogo, duodecim & hirci & vituli in Sacrificium oblati, si decem adhuc Tribus trans Euphratem detinebantur? Levitæ sub Nehemia confessi sunt crimina decem Tribuum. 2. Esdr. XI. 29. Sub Macchabæis tota regio a Judæis & Israelitis tenebatur, nempe Galilæ universa, Phœnicia, Judæa, & montes Galaaditidis, quos hostibus oppressos Judas Macchabæus, ejusque frater liberavere. Vide 1. Macchab. v. 9. 15. &c. In celeberrima illa Versione Septuaginta Interpretum adornanda, selecti sunt e singulis Tribubus sex viri, in Ægyptum ad eam rem missi. Vide Aristææ Histor. & Joseph. Antiqu. lib. 12. c. 2. pag. 389. & seq. In Evangelio Matthæi 4. 15. memorantur Tribus Zabulon, & Nephtali, luce prædicationis Jesu Christi illustratæ; & Apostolus causam suam defendens, invidiam subiisse se prodit, ob spem felicitatis, cujus desiderio duodecim Tribus Israelis noctu diuque tenentur. Act. 26. 7.

Verum

Verum quo tempore decem illæ Tribus redierunt? Facta enim a Cyro redeundi in Palæstinam copie ad unicam Tribum Juda spectasse creditur, pro singulari ea benevolentia, qua Deus populum hunc suum electum prosequebatur. Nos vigilem hanc Dei providentiam in Judam ultro agnoscimus; at certum nihilominus nobis est, Cyrum eodem fere tempore eodemque pariter beneficio cæteros sub Nabuchodonosore captivos donasse. Ita eo permittente restituti sunt, quemadmodum alibi fusius demonstravimus, Moabitæ, Ammonitæ, Ægyptii, Phœnices, cæterique demum omnes.

Quare eodem simul tempore, quo Tribus Juda & Benjamin domum rediere, Israelitæ pariter e reliquis Tribubus, quamquam silente de illis Scriptura, avitas sedes repetierunt. In Chronico Samaritano, sub anno 3905. legimus, Israelitas e captivitate rediisse, copia redeundi facta a Rege Sauredio, anno xxxv. Summi Sacerdotii ab Abdelo gesti; rediisse vero addit ter centies millenos, una cum familiis suis, duce Ado filio Simonis. Hunc sane numerum in gratiam gentis suæ plus nimio exaggerasse, Author videtur; nec vades nos pro totius historiæ veritate exhibemus. Sauredius forte est *Assaradon* Darius. At missa hujus Scriptoris authoritate, gradum ad alia faciamus. Cum Tribus Juda, Levi & Benjamin nonnisi per turmas & temporum intervelle avitas sedes repeterent, plurimas adhuc ex illis sub Dario Hystaspis, Artaxerxe, & Alexandro, Regibus Judæorum amicis, in Chaldæa mansisse constat. Ita pariter cum decem Tribus actum creditur, ut sensim & per turmas in patriam dilaberentur, quare nullum certum ejus rei tempus in historiis designari poterat.

Vestigia tamen ejus rei non obscura leguntur in Prophetis, & Josepho. Isaias post narratum diserte capite xxvi. reditum Judæorum e captivitate, & Babylonis excidium; proximo capite commemorat futuros post reditum e captivitate gentis eventus. Describit infelicem persecutoris exitum, atque agendam e Domino ultionem, ob sanguinem Jerosolymis fusum, vineamque Domini eversam ac dissipatam: nimirum Deum regionem omnem inter Euphratem Nilumque percussurum, commissurumque demum, ut filii Israelis congregentur *unus & unus*. Hæc Prophetæ vaticinia impleta credimus in morte Cambysis, Regnum ineunte Dario filio Hystaspis, a qua restituta est facultas excitandi Templi, tum & sarciendorum mœnium Jerosolymæ.

Ezechiel 39. 25. postquam fugandum Gog ejusque exercitum prædixit, denique futurum prodit, ut domus Jacobi e captivitate reducatur, malorumque domus Israelis Dominus misericordia moveatur: tunc demum Israel quietus in regione sua considebit, eductusque e medio Gentium, & hostium, totum denique criminum suorum probrum pondusque feret. Capite vero iv. 5. 6. jussus a Deo est Propheta, in sinistrum latus cubare toto spatio cccxc. dierum, annos iniquitatis Israelis judicaturus. Quadraginta hi dies iniquitatis Juda duo significant, alterum scilicet spatium temporis, quo obsessa est Jerusalem; aliud vero tempus captivitatis decem tribuum, & tribus Juda.

Propheta jacuit in sinistro latere diebus 390. in dextero vero quadraginta 4. Reg. 20. 5. tota summa est dierum 430. Urbis Jerusolymæ obsidio cœpit nona die decimi mensis noni anni Sedeciæ, cessit victori die 9. quarti mensis anni xi. ejusdem Principis. 4. Reg. 25. 2. Ita tamen reputandum est ac si toto triennio urbs obsidione premeretur. Intercidit enim interstitium non breve occasione scilicet regis Ægypti suppetias obsessis ferentis, cui obsistendum fuit. Porro dies 430. in Ezech. iv. 5. 6. nihil designant aliud nisi tempus, quo ducto ab hostibus vallo, Urbs stricta obsidione pressa est, & adeo stricta, ut nullus miseræ genti pateret exitus; quare redacta est ad extrema. Perspicua sunt verba Ezechielis in hanc sententiam. Quamquam nec excludo interpretationem alteram, quæ dicta hæc de captivitate Israelis & Juda exponit.

Porro Jerusalem stringi obsidione cœpta est die nona mensis x. anni ix. Sedeciæ uti superius adnotavi; cecidit die ix. quarti mensis anni xi. ejusdem Principis: in totum obsidio perseveravit xix. mensibus sive diebus 570. Ex hac dierum summa retrahe dies 120 idest menses quatuor, & dies 20. supersunt dies 430. circiter. Deinde mutato cubandi habitu, spatio xl. dierum in dextrum latus cubare jubetur, ea imagine scelera domus Juda describens. *Porro*, ait, *diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*. Iniquitatis nomine hic, uti Scriptura solet, pœna iniquitatis, sive, ex aliis, tempus scelerum & Idololatriæ Israelitarum designatur.

Hujus cccxc. annorum iniquitatis Jacobi, & xl. Juda periodus unde repetatur, ubi absolvenda sit, varii varie contendunt; una est tamen omnium sententia, eo numero designari tempus oppressionis earum gentium & pœnæ criminum subeundæ. Illius exordium componit S. Hieronymus in Ezech. iv. cum prima captivitate sub Phacee Rege Israelis, subeunte in Galilæam & Galaaditidem Teglatphalassaro, atque versantes in his regionibus Tribus abducente, 4. Reg. xv. 29. exitum vero ponit postremo, nempe quadragesimo Darii Mnemonis anno; *quando* scilicet (sub Esther, & Mardochæo) *omnis Populus Judæorum de mortis periculo liberatus, recepit pristinam libertatem*. Revocari etiam posse censet exordium ejus temporis ad oppressionem Israelitarum sub Manahem 4. Reg. xv. 19. authore Phul Rege Assyriæ; ejusque exitum statui anno xx. Assueri, quo historia Amani & Mardochæi, simulque procurata ab illo Israelitarum libertas contigit. Annos xl. iniquitatis Juda incipiendos censet a prima captivitate Judæorum sub Jechonia, usque ad exitum postremæ captivitatis anno primo Cyri. Juxta nostram Chronologiam numerantur xliii. sive xliv. anni a captivitate Jechoniæ adusque obitum Balthasaris. Vide Tabulam chronologicam in Danielem.

Judæi persuasum habebant, teste S. Hieronymo, ab anno secundo Vespasiani, quo Templum eversum est, totis cccxxx. annis in servitute manendum sibi esse, quemadmodum eodem temporis spatio Ægyptiacam servitutem Patres suos tulisse credebant. Huic periodo conficiendæ simul jungebant cccxc. annos Israelis, & xl. Judæ. Verum definita temporum periodus jam diu evoluta est, nihilque de pristinis Judæorum ærumnis decessit. Eodem enim sub jugo, quo olim, miserrima gens ingemiscit.

Dissidet Codices Septuaginta Interpretum in numero dierum, quo in latus sinistrum Propheta cubavit. Vide Orig. Polychron. Hieron. hic, & Edit. Rom. Nobilii. Legunt alii: *Dormies super latus tuum sinistrum centum quinquaginta dies; & numero dierum centum nonaginta portabis iniquitatem Domini Israel*. Ita Editio Romana, & Theodoretus. In aliis Codicibus alter ex iis numeris exprimitur, alter siletur. Conveniunt alii cum Hebræo, & nostra Vulgata. Nequidquam autem obstantibus variis hisce lectionibus, Theodoretus ferme in sententiam S. Hieronymi abit; nam periodum cl. annorum Israelis componit cum anno v. captivitatis Jechoniæ: exitum statuit anno Artaxersis nono, a quo facultate auctus Nehemias ad restituenda Urbis mœnia venit. Eadem ferme Maldonato arrident.

Qui vero nomine iniquitatis designatum credunt tempus prævaricationis Israelis, illis non est unum certumque ejus temporis exordium. Repetunt Kimchi, Rab. Salomon, & alii Rabbini, ab Abimelecho filio Gedeonis, tum intermittunt sub Samuele, Saule, Davide, & Salomone, quibus re-

rerum potientibus nulla Idolorum Religio in Israele fuit; donec Jeroboamo ad solium evecto, una eum illo & idololatria, & periodus iniquitatis rediis; quæ demum nono Oseæ anno una cum everso Regno Israelis, desiir. Prado, Sanctius, Cornelius, Tirinus, nomine *Israelis* designatas creduns decem Tribus a Jeroboamo usque ad Oseam, & reliquias Israelitarum ab eo Rege usque ad expugnatam Jerosolymam; cum scilicet earum Tribuum relliquiæ in unum corpus nomenque cum Juda, & Benjamino transivere. Totum hoc temporis intervallum cccxc. annorum definiunt; quam etiam periodum credunt Regni iniquitatis Israelis, sive illa in decem Tribubus seorsum agentibus, sive mistis cum Juda regnarit. Postrema hæc opinio probata maxime & communis est.

Verum negotium in ea re, nec plane minimum, facis confusa simul, quam propheta distinguit, Israelis & Judæ iniquitas. Id animadvertit Usserius (1), quamquam alioquin ejusdem fere sententiæ assertor. Definit ille totam hanc periodum intra separationem decem Tribuum a reliquis, & annum xxiii. Nabuchodonosoris, quartum post eversam Jerosolymam, quo Nabuzardanus reliquias Israelitarum, & Judæorum Babylonem transferens, regionem universam desolavit (2). Eundem vero annum postremum statnis periodi annorum xl. iniquitatis Juda, ab anno xviii. Josiæ (3), quo tempore restauratum est cum Domino fœdus (4), ductæ.

Tota prophetiæ series in eam nos ducis sententiam, ut credamus, geminas distinctas periodos ultionis, e geminis Tribubus expetitæ, ibidem innui. Hic profecto maxime pronus est sensus vocis *iniquitas* apud Ezechielem. Et cum Propheta de re futura remotaque loquatur, potuit maxime designare captivitatem postremam decem Tribuum, cum nempe Samaria sub Osee Rege expugnata est; & iniquitatis Judæ exordium statuere posuit a capta Jerosolyma sub Sedecia. Inde vero usque ad Regnum Darii Medi Babylone xl. circiter annorum est intervallum. Favebat Darius Judæis; quare non male sub ipso statui potuis exitus expiationis solemnis iniquitatis Judæorum. A capta vero Samaria sub Salmanassaro, A. M. 3283. si quis annorum cccxc. periodum adjiciat, conficiet A. M. 3673. insignem victoria Alexandri in Darium, ejusque in Asiam universam Imperio. Porro hunc eumdem annum terminum credimus constituendum captivitatis decem Tribuum. Vidimus supra videri Cyrum manumisisse populos a Nabuchodonosore in captivitatem ductos; nec inviti credimus, Alexandrum libertatis a se concessæ beneficium non iis tantum populis, qui intra certi alicujus temporis limites in captivitatem ducti fuerant, concessisse, sed ad omnes pariter captivos, quoscumque tandem, prorogasse; vel saltem Israelitas, quos amabat, singulari beneficio donasse,

Suffragatur nostræ huic conjecturæ Josephus, narrans, in libro primo contra Appionem Alexandrum, eum Templum Beli Babylone restituere meditaretur, milites omnes eum ingenti populorum turba huic operi impendisse. Soli inter omnes manum operi admovere Judæi recusarunt, vetitum sibi causantes tum externorum Numinum cultum, eum etiam ne quid in eam rem molirentur. Rex subito furore exardescens, gravissime in populum sæviis; deinde æquior factus, quietos reliquit, simulque veniam regrediendi in patriam dedis. Vix regressi, nihil habuerunt antiquius, quam ut submotis fanis arisque, avitas sedes omni Idololatriæ labe purgarent. Narrat insuper idem Josephus Antiqu. lib. xi. cap. ult. capta Tyro Alexandrum Jerosolymam venisse, ubi non levibus beneficiis Judæos prosequutus est; nec illud minimum, quod Hebræis Babyloniam incolentibus, suis legibus vivendi copiam fecerit. Hoc autem ab illo præstitum esse occupato ejus regionis imperio, ob victoriam de Dario relatam, minime ambigimus. Neque ea libertas solis Judæis tribuenda est, cum æque omnes in Babylonia versanses atque in Mediam translatos (5) spectet; quæ sane regiones Israelitis decem Tribuum obtigeruns.

Post Alexandrum Magnum, Judæa novis in dies non Israelitarum modo, sed & Judæorum Transeuphratæorum, ac in omnes Mundi plagas dissipatorum [e quibus revocaturum se illos Dominus per Prophetarum oracula promiserat] accessionibus frequentata est. Ptolomæus Philadelphus (6), *Versione ex Hebræo in Græcum Legis Judaicæ procurata*, Judeorum in Ægypto captivorum cxx. millia soluto pretio redempta, in Judæam remisit. Neque munificentissimo Principi satis fuis, us suum hoc beneficium experirentur Hebræi in novissimis sansum Regum Ægypti adversus Syros expeditionibus capti; sed omnes æque ad id usque temporis captivos seu venditos liberos pronunciavit. Eam Judæorum libertatem ex Ægypto Prophetæ Zacharias & Osee (7), oraculo non obscuro (nec nisi post Machabæos, uti Zacharias satis diserte) prædixerant.

Quamvis autem nostra hæc opinio novitatis accusari queas, multum enim a vulgari Interpretum sententia recedit, illustres nihilominus nacta est apud Patres simul & Interpretes assertores, Theodoretus (8) non uno in loco persuasum habere se prodit, maximam decem Tribuum partem e captivitate una cum Juda & Benjamino rediisse, quamvis in unum populum cum Juda coalescentes in eamdem pariter appellationem transierint. Nec ab ea sententia Sanctius, Cornelius a Lapide (9), Grotius (10) abludunt. Eadem perspicue, nec uno in loco, asseritur a S. Cyrillo Alexandrino (11), Theodoreto, & Theophylacto in Osee III.

DISSERTATIO

De Gog & Magog ad Ezechielis XXXVIII.

NOmina Gog & Magog non in Veteri solum Testamento, verum etiam in Novo leguntur; illa enim Ezechiel, illa habet S. Joannes Apoc. 20. 7. Sed utrobique implexa adeo res est, ut Interpretibus omnibus insolubile ænigma videatur. Ut aliqua nodum explicandi ratio ineretur, Sy-

(1) Ab anno 3030. ad an. 3420. (2) Jerem. lii. 3. (3) Ab anno 3380. ad annum 3420. (4) 4. Reg. xxiii. 1. & 2. Par. xxxiv. 29. (5) 4. Reg. xvii. 6. xviii. 11. *Collocavit eos in Civitatibus Medorum.* (6) Joseph. Antiq. lib. xii. c. 2. (7) Zacchar. xi. 10. & Osee xi. 11. *Advolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Vide Osee xii. 9. (8) Theodoret. in Ezech. iv. 2. & in Jerem. l. 3. (9) Sanct. & Cornel. in Jerem. iii. 18. & xxxi. 9. in Ezech. iv. 2. & in Osee i. 11. Zach. viii. (10) Grot. in Ezech. xvi. 53. (11) In Osee c. 32. & in Prologo Zachar.

Systemata huc usque plura excogitata sunt; alii enim præliis Gog & Magog Antiochi Epiphanis in Judæos sævitiam designari opinati sunt, vel injurias, quas Ecclesia Christiana ab Ethnicis, sive Imperium Romanum e Gothis cæterisque Barbaris tulere; seu Turcarum in Asiam & Europam excursiones; seu tandem Antichristi tyrannidem in Ecclesiam. Nos, quamquam harum opinionum patronos eo quo par est obsequio suspiciamus, plura tamen in eorum systematibus incommoda invenisse profitemur, ut neque systemata illa firmioribus nixa conjecturis, magisque cum verbis Prophetæ constare videantur.

Judæi cæterique, qui eos duces sequuntur, Christiani, ajunt, nomine Gog designari Scythas ultra montem Caucasum, & Paludes Mæotides, regionem secundum mare Caspium ad Indos usque protensam tenentes, quos tandem post mille annos Dæmon una cum aliis gentibus multis in Sanctos armabit (1). Quod ad primam hujus opinionis partem spectat, nihil est, quod Veteribus Gog pro Scythis usurpantibus dare nequeamus; quorum sane opinio communiori hactenus suffragio probata est. Josephus Antiqu. lib. 1. cap. 6. Theodoretus hic, S. Eucherius, Beda aliique nonnulli (2) censuerunt, frustra alibi, quam inter Scythas & Tartaros, Gog quæri. Regnum mille annorum, a bellis Gog & Magog excipiendum, fabella creditur, a Judæis tantum & priscis Millenariis, non autem a viro quopiam nostræ ætatis rationis compote, asserenda.

Quicumque de Antichristo oracula Ezechielis & S. Joannis interpretati sunt (3), hoc sibi commodi præ cæteris habent, quod, cum rerum eventu pugnare oraculi interpretationem, argui nequaquam possunt. Quid enim in exitu Mundi futurum sit, res est in incerto futurorum prorsus latens, quare stat illis pro sententiæ suæ maxima atque unica ratione, nihil hactenus contigisse, quod mentem omnem Prophetæ expleverit, expectandumque proinde, ut in exitu Mundi congrua dictis Propheticis fides respondeat.

Sed hæc levia videntur cæteris, nomine Gog designatum censentibus Antiochum Epiphanem, seu Gothos, sive Turcas; illis enim impleta prorsus Oraculorum fides sive ante, sive post Jesum Christum, sed ante Antichristum, demonstranda suscipitur. Fatentur tamen illi, calamitates Judæorum, sive Ecclesiæ, imagine quadam designare mala, ab Ecclesia & Fidelibus sub Antichristo subeunda, quæ præ oculis habuisse potissimum S. Joannes videtur.

Romani (4), in Ecelesiam æque & in Synagogam sævierunt, sed plane dissimili in utrisque fortuna. Judæi persecutione tandem oppressi, nunquam ab inducta olim calamitate surrexerunt; Ecclesia vero Christiana, virtute quadam superiore & Divina instructa, erecta semper cervice non jugum modo recusavit, sed & persecutoribus tandem suis imposuit; & quos olim habebat adversarios, filios tandem morigeros reddidit. Gothi (5) cæterique Septemtrionales populi armorum terrore olim & Ecelesiam & Imperium Romanum compleverunt. Sed cum Oraculi prophetici series universa cum illis cæteri sque malis, quæ ipsi in variis Europæ & Asiæ regionibus peperere, confertur, arduum facessit id aggredientibus negotium, quod ad detortas plurimas interpretationes inducit.

Systema maxime omnium constans, & vulgo probatum aliud videtur, quod Ezechielis Oracula de Antiocho Epiphane usurpanda defendit (6). Sed quatuor, nec sane parum ardua, illi objiciuntur: I. Gog lethali vulnere percussum in montibus Judææ interiisse (7). II. Ad Orientalem maris plagam sepultum jacuisse (8), & in terra Israelis (9). Ejus exercitum Duce extincto fusum penitus dispersumque, versis in se armis, mutuis vulneribus sese confecisse (10). IV. Denique Israelitas, collectis spoliis, arma hostium pluribus succedentibus annis cremasse (11). Quintum aliud addendum videtur, Gog nempe consilium diripiendæ regionis Israeliticæ cepisse, adjectis minis (12), nihil tamen unquam ab eo fuisse patratum.

Antiochus vero & Templum diripuit, & in regionem universam fœdissime sæviit. Diem autem clausisse cum in Tabis urbe Persidis trans Euphratem ageret, tam scitum est quam quid aliud (13). Eo mortuo, Philippus frater ejus collactaneus, cujus tutelæ & Regnum & filium Eupatoram Antiochus commiserat (14), copias in Syriam duxit, ut Lysiam, commissi sibi muneris usurpatorem, dejiceret (15). Prostratis Judæorum rebus nihil commodi Antiochi Epiphanis obitus contulit; nam Eupator ejus filius, & Lysias Regni Administrator armis semper & tyrannide & injuriis graves illis institerunt. Nec Epiphanis morte aliquid ejus exercitibus incommodi accidit, neque Israelitæ unquam ex illo exuvias retulerunt.

Nec me latet, singula hæc de victoriis, quas Judas Macchabæus ejusque fratres variis temporibus de Syris tulerunt, explicari; sed hæc contra fidem, quantum intelligo, Prophetæ, unum aliquod prælium designantis, quo Gog ipse præsens, pugnansque totusque exercitus periit, quin ullus ex adverso Dux sive exercitus Israeliticus duceretur: ejus enim delendi causa fuit prodigium cœleste, nullo ex hominibus auxilio petito. Deus enim ingentem hunc, & variis constantem gentibus exercitum in se committens, id egit, ut mutuis cædibus milites delerentur. Nihil simile in obitu Antiochi; cujus Regis cadaver illatum videtur in avitum tumulum Antiochiam, funus deducente, cadavere prius aromatibus condito, ipso Philippo Regni administratore ab Antiocho relicto, uti legimus in 2. Macchab. 9. 29.

Verum non satis est, vulgaria systemata suspicionis arguisse; conandum insuper, ut aliud invehatur ex historia petitum, quod omnem simul exhibeat imaginem prælii, atque dissipati exercitus Gog, quemadmodum apud Prophetam legitur. Quærendus est itaque Princeps potens, e septemtrione profectus (16), cum florentissimo exercitu e variis collecto populis, nempe e Magog, Ros, Mosoch, Thubal, Persis, Cusehim, Phut, Gomer, Thogorma, Seba, Dedan, & Tharsis (17); Princeps sævissimus, atque Judæis infestissimus, ipsorum regionis diripiendæ consilio, explendæ suæ, & fœderatorum sibi populorum avaritiæ axercitum adducens (18); Princeps denique Prophetarum oraculis prædictus (19), cæsus necique traditus in montibus Israelis (20), in orientali plaga maris mediterranei sepultus (21); cujus

(1) Hieron. in Ezech. xxxviii. 1. *Judæi & nostri Judaizantes putant, Gog gentes esse Scythicas immensas & innumerabiles, & has post mille annorum regnum esse a Diabolo commovendas, quæ veniant ad terram Israel, et pugnent contra Sanctos; multis secum gentibus congregatis.*
(2) Vide ad Genes. x. ℣. 2.
(3) Vide Lyran. Burg. Maldon. Vatab. Clar. hic, Riber. in Apoc. xx. n. 36. &c.
(4) Vide Eus. Præp. Evang. l. 9.
(5) Ambros. lib. 2. de Fide; Isid. l. 14. c. 2. Orig.
(6) Sanct. Peter. Corn. Polan. Halsius.
(7) Ezech. xxxviii. 21. 22. xxxix. 4. 5.
(8) Ezech. xxxix. 11.
(9) Ibid. 14. 15. 16.
(10) Ezech. xxxviii. 21. 22.
(11) Ezech. xxxix. 9. 10.
(12) Ibid. xxxviii. 11. 12. 13.
(13) Polyb. l. 31. in excerpt. Valesii, &c. Ἐν Τάβαις τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον, &c.
(14) 1. Macc. vi. 14. 15.
(15) 1. Macc. vi. 55. 56.
(16) Ezech. xxxviii. 15. *Venies de loco tuo a lateribus Aquilonis, tu & populi multi tecum.*
(17) Ibid. ℣. 2. 3. 4. 5. 6. 13.
(18) Ibid. 9. 10. 11. 12.
(19) Ibid. ℣. 17. *Tu ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum Prophetarum.*
(20) Ibid. xxxix. 2. 3. 4.
(21) Ibid. ℣. 11.

cujus exercitus igne cœlitus demisso absumptus fuerit ; milites trucidati (22) notum habeant in Judæa (23) sepulcrum ; quorum deinde spolia Israelitas ditaverint ; ossa vero collecta simulque cremata diuturni temporis negotium Israelitis fuerint (24) . Hæc omnia expeditionem aliquam plane in historia illustrem describunt.

Neque enim rei vetustas adeo remota est , ut cognitionem fugiat ; neque potuit ante solutam captivitatem contingere , cum tamquam de re futura agat Ezechiel (25): *In novissimo annorum venies ad terram , quæ reversa est a gladio , & congregata est de populis multis ad montes Israel , qui fuerunt deserti jugiter* . Neque recentior esse potest Macchabæis historia , cum res Judæorum post eam ætatem adeo in lucem expositæ sint , ut vix ac ne vix quidem tam memorabile factum sive latere sive oblivione sepeliri potuerit.

Nullum igitur aliud temporis intervallum aptius huic rei deputari posse arbitror , quam ex captivitate ad usque Macchabæos spatium . Res Judæorum ejus temporis latent in obscuro , cum pauca admodum apud Authores Sacros legantur , & nulla apud Historicos profanos ; despectissimam gentem , Regibus Persidis subjectam , negligentes : *Dum Assyrios penes Medosque & Persas Oriens fuit , despectissima pars servientium* , ait Tacitus Histor. lib. 5. Porro in Cambysem ea omnia congruunt , quæ de Gog apud Prophetam memorantur.

Erat enim Princeps violentus , sævus , & , si quis alius , impotentissimus ; nihil in historia illius frequentius , quam aliquid crudelitate & sævitia memorabile (26) . Ejus impietatis , impotantiæ , & avaritiæ monumenta sexcenta in Scriptis Veterum exhibentur . Nec , sævus in alios , æquior fuit in Judæos , quos in libertatem a Cyro patre suo assertos , facultate illis concessa ædificandi Templi Domini interdixit . Pronas ille aures dederat adversariis nominis Judaici Infestissimis , qui creandæ in populum apud Regem invidiæ nihil fecerant reliqui (27) : Valido exercitu comparato , Ægyptiacam expeditionem suscepit ; eas omnes gentes , quas supra deduximus , subjectas habens , omnes pariter sub signis habuisse credendus est ; ex communi eorum temporum consuetudine , ut gentes ad alicujus Principis ditionem pertinentes , Regi expeditionem aliquam suscipienti arma conjungerent . Porro ille ex Ægypto in Judæam redux , relato , dum equum ascenderet , vulnere , Ecbatanis in montibus Carmeli occubuit (28) . Vide in Commentariis cæteras historiæ illius partes , Propheticæ orationi accommodatas ; hic enim veluti per summa capita solummodo ea exponimus , quæ Cambysem ipsum Gog , Regem Magog esse probant.

Temporum seriem studiose sequutus Propheta videtur ; prius enim captam Jerosolymam describit , deinde Babylonicam captivitatem , ac tandem Tyri , Ægypti , & finitimarum Judææ gentium exeidium . Excipit hæc omnia eversio Imperii Chaldæorum , & soluta Judæorum captivitas (29) . Cum parta quiete Judæi frui viderentur (30) , nondum tamen plane constituto Reipublicæ statu , nec munitionibus reparatis ; Gog copias turbandis eorum rebus duxit , extrema minitatus , nisi Dei manus statim opem ferens , terribilem hostem prostrasset , percusso in montibus Israelis tyranno , ejusque exercitu deleto (31) .

Post memorabile illud & insigne factum , quo Orbis universus admiratione percussus est , Deus perfectam libertatem facturum se Judæis pollicetur , reductosque in regionem suam , universos largis benedictionibus cumulaturum (32) . Tunc maxime Deus Prophetæ oculis subjecit exemplum Templi restituendi , quod sane excitatum est , postquam turbatæ Cambysis obitu res compositæ sunt (33) . Darius filius Hystaspis concessa olim Judæis beneficia rata esse jubens , non insuper , præsertim ad Templum spectantia , plurima adjecit (34) .

At , inquies , Cambyses Persa erat , non Scytha , nihilque est affinitatis inter Cambysis & Gog ac Magog nomina . Quin nec Scythiam subjectam imperio habuisse unquam videtur ; in cujus expeditione Cyrum patrem ipsius obiisse , ex Historicis nonnulli asseruerunt (35) . Scitum est etiam , Darium filium Hystaspis , qui post illum regnavit , adjiciendis ditioni suæ Scythis frustra laborasse (36) . Cur igitur Ezechiel nomine Gog Cambysem designaris?

Sed facile hanc objectionem diluimus . Patrum & Interpretum assensu constat , nomen Gog (37) non peculiare aliquod viri alicujus hic designare ; sive id de Scythis usurpent , sive de Antiocho Epiphane , sive de Romanis , sive de Gothis , sive de Turcis , sive de Antichristo , Adscititium est , quemadmodum solent in theatro , & alia mystica nomina & ænigmatica , non in Libris Sacris & propheticis solummodo , verum etiam apud Orientales frequentissima . Ita Jerosolyma *fornicaria* appellatur (38) ; Templum *Libanus* (39) ; Urbs & Altare , *Leo Dei* (40) , Rex Ægypti , *Draco magnus* [Crocodilus] (41) ; Rex Tyri , *Cherub* (42) ; Babylonis Rex *Assur* (43) ; Roma , *Babylon* (44) ; Nero , Leo (45) ; Babylon , *Chanaan* (46) ; Israelitæ , *Chananæi* (47) . Quid Daniel ? nonne sub ingentis colossi e quatuor metallis imagine quatuor majora Imperia exhibuit ? Idem Nabuchodonosoris successores expressit similitudine quatuor belluarum ; Alexandrum Magnum sub hirci figura ; Darium novissimum Regem sub ariete ; Antiochum Epiphanem sub *Regis impudici* appellatione . Jesus Christus in Evangelio Herodem *vulpem* appellavit . S. Joannes in Apocalypsi sub Gog & Magog nominibus persecutores omnes Ecclesiæ significavit . Cur igitur Ezechiel , Propheta ænigmatico loquendi genere frequentissime omnium utens , non potuit Cambysem sub Scythæ nomine designare ? Nullo sane aptiore Principis illius ingenium moresque exprimuntur.

Norant profecto Orientales , non tantum nomen , sed & ingenium Scytharum ex variis ejus gentis in suas regiones excursionibus (48) , quarum funesta adeo relicta erant monumenta , ut Scytharum furor in proverbium abierit (49) . Undique occurrebant vastatæ Provinciæ , direpta Templa , sanctiori etiam religione augusta . Nec his malis immunes fuere Judæi , quemadmodum & cæteri per Asiam populi . Spectarunt enim sub ipsis pene oculis expilatum Templum Ascalonis (50) , invitatosque regionis amœnitate barbaros , in ipso Judææ sinu , ducta in Bethsan colonia , consedisse.

Hujus

(22) Ezech. xxxix. 11. 13. 16. (23) Ibid. ℣. 11. 12. 14. 15. (24) Ezechiel. xxxviii. (25) Ibid. ℣. 8. 9. 11. 14. (26) Vide Herod. Diodor. & Usser. ad A. M. 3479. 3480. 3481. (27) Vide 1. Esdr. iv. (28) Herod. lib. 3. (29) Cap. xxxvi. & xxxvii. (30) Cap. xxxviii. 8. 9. 11. 14. (31) Totis capitibus xxxviii. & xxxix. usque ad ℣. 25. 26. (32) Cap. xxxix. 26. &c. (33) Vide capp. xl. xli. xlii. &c. (34) 1. Esdr. vi. 1. &c. (35) Vide Justin. lib. 1. Herod. lib. 1. c. 214. Valer. Maxim. lib. 9. c. 10. (36) Herod. lib. 4. c. 83. 85. 82. &c. (37) Vide August. lib. 20. de Civit. c. 11. Primas. in Apoc. c. 20. Heymonem , Bedam , Ausbert. alios plures in Apoc. & in hunc locum. (38) Ezech. xxiii. 1. 2. (39) Ezech. xvii. 3. Habac. ii. 17. Zach. xi. 1. (40) Isai. xxix. 1. Ezech. xliii. 15. (41) Idem xxix. 3. (42) Idem xxviii. 14. (43) Idem xxxi. 3. (44) 1. Petr. v. 13. (45) 2. Timot. iv. 17. (46) Ezech. xvi. 4. (47) Osee xii. 9. Daniel. xiii. 56. Ezech. xvi. 3. (48) Vide Herod. lib. 1. c. 105. lib. 4. c. 12. & 7. 50. (49) Vide 2. Macchab. iv. 47. & Coloss. iii. 11. (50) Herod. lib. 1. c. 105.

Hujus efferatissimæ gentis ingenium referre Cambyses visus est. In Ægypto enim alta crudelitatis ab ipso impressa vestigia, sævusque in viventes, immanior in mortuos fuit, quos vel in ipsis tumulis inquietavit. Eductum enim e sepulcro Amasis Regis Ægypti hostis sui cadaver (51), loris cæsum, fœde habuit, & inhumaniter duct m contra leges sororem suam, deinde sævissimo mortis genere necavit; nec mitier in Smeidim fratrem fuit, quod ab illo virtute bellica vinci ferret molestissime. Nec sacrilegas manus a religione abstinens, Numina Ægyptiorum alia mactavit, alia Templis direptis (52) cremavit. Namo apud illum satis tutus, non amici, non viri consilio graves, non necessarii, omnes anim æque nulla judicii forma, nulla, saltem in speciem, honesta causa, furore & stultitia impos trucidabat. Cui porro melius, quam sævissimo Principi, Gog vel Scythæ nomen congrueie? Scytharum nomine Orientales terrebantur: Cambysem horrebant; quem pariter mortales universi detestabaotur.

Altera nota Cambysem designans est amplissimum opulentissimumque Imperium, ductusque e Septemtrione, innumeris instructus copiis, exercitus. Solemne est in Scriptura, Reges Chaldææ & Persidis, copias in Judæam ducentes, nimbi, turbinis, ignis, torrentis, gladii e Septemtrione ruentis, nomine designare (53). E Septemtrione irrupisse legimus Theglatphalassarum, Sennacheribum, Salmanassarum, Nabuchodonosorem, Cambysem; qui posteriot, nec unicus est, nec ultimus, qui post Ezechielem e Septemtrione eruperit; sed unus tamen ex omnibus Regibus Transeuphratæis hostibus Israelis, in iovisa sibi regione mortem oppetiit.

Populi, ex quibus exercitus Cambysis coalescebat, Regem Orientis, Persidi, Masopotamiæ, Arabiæ, Regioni Chus & Saba, Armeniæ finitimisque provinciis, Cymmeriis ac parti Scytharum imperantem, omnino demonstrant. Innuunt etiam Regem fœdere conjunctum cum Saba, Dedan & Tharsis, sub cujus signis mererent etiam Græci, vel saltem insularum incolæ (54). Magog Scythiam designat, cum vero Scythiæ nomine amplissima regio apud Veteres censeretur, nos tamen hic dasignatos credimus Scythas, Isthmum inter, mare Caspium & Pontum Euxinum clausos, aliosque Scythas, citeriores provincias, Cambysi subjectas, incolentes; nisi forta arma tulisse sub ajus signis, tamquam mercenarios milites, Scythas credamus, neque enim ditionem suam ultra Isthmum protogaverat, vastumque Scytharum tractum ab imperio suo habebat alienum.

Ros, Thubal, & Mosoch, quos populos inter Armeniam, Colchidem, & Cappadociam constituimus (55), gentas arant Ezechielis ætate notissimæ, quas nagotiationis gratia Tyrum confluxisse, una cum cæteris plurimis, idem Propheta commemorat; addens, in Emporium convenisse equo vectas, lorica, scuto, armisque perpetuis prorectas (56), mancipia, & vasa ænea ferentes (57).

Paras, Chus, & Phut, Cambysis exercitum augentas, designant Persas & Arabes *Chuschim*, sive Scythas supra Araxem, posteros Chus patris Nemrod; ac tandem Ægyptios *Phut*, Thebaidis sive Æthiopiæ fines tenantes. Cum eoim Cambyses Judaicam expeditionem suscepisset, exarcitum ax Ægypto deductum variis subjectarum sibi earum gentium copiis non modice auxerat.

Gomer, Togotma, aliæque Septemtriunales gentes, sub ejus signis merentes, populos designabant, uti videtur, loca circa Mæotidem paludem occupantes; quæ omnes gentas sive ditioni Cambysis subjectæ imperata factura, venerant, sive sub ajus signis merebaot. Celebres autem erant populi ea ætate, tum negotiationibus, tum bellicæ virtutis laude, quamobrem inter cæteros Mercatores ad nundinas Tyri convenisse legimus (58). Porro argumentum illud non nisi delibamus, contenti demonstrasse, in universa oraculi prophetici historia nihil esse, quod in Regnum Cambysis ajusque ætatem exacte non competat (59).

Seba, Dedam, & Tharsis fœderata cum Persis arma, sub ejus signis sponte merentes, facila junxerant. Seba enim & Dedan populi sunt Arabiæ, qui (60) viam Cambysi in Ægyptum stravere, suppeditatis per arida & inculta deserta loca inter Palæstinam & Ægyptum aquis. Cilices, nomine Tharsis designati, facile Cambysis classem cum Phœnicibus & incolis Insularum, de quibus Ezechiel, componebant. Classem illam Herodotus non obscure commemorat. Tharsenses autem rei navalis scientia & commercio a multis annis claruisse, tam certum est, quam quid aliud.

Hæc Cambysis in Judæam expeditio nuspiam quidem apud Sacros profanosque Scriptores axpresse legitur: sed ab Herodoto susius describitur ejus Regis in Ægyptum expeditio; qua confecta redux, juxta eumdem Historicum (61), diem clausit Ecbatanis in Syria, nempa Ecbatanis in monte Carmelo, de qua Plinius (62). Esdra authore scimus, interdictos ab eo Principe Judæos, ne Templi ædificationem prosequerentur (63), & apud Ezechielem laudantur vaticinia Prophetarum de sinistris ejus Regis in Israalitas consiliis, malisque ab illo io populum imminentibus (64). Nec sane major populo, nuper e captivitate reducto, calamitas accidera potarat, quam ut nullis auxiliis, nullius ope fultus, validissimo hostium exercitu premeretur; concessa sibi beneficia abrogarentur; optatam Templi & Urbis ædificationem intermittere cogeretur, ut vel ipsis latronum insultibus pateret. Hæc a Cambyse irrogata sunt in Judæos mala, quemadmodum e Scriptura discimus.

Quod ad eam expeditionem, de qua in præsentia, spectat, nihil sane de illa apud Esdram sive Nehemiam legimus, vel saltem nihil expressum ea de re habetur in Libris illorum, qui nostra ætate supersunt. Sed hujus rei causa esse potuit, quod Deus mala ejus Principis consilia prævertens, ne qoid Judæis sinistrum contingeret, præcoci ejus morte curavit (65). Quot plana sunt res majoris momenti in Judæa, quarum nulla superest, nisi ex Vaticiniis Prophetarum, hisce plane similibus, cognitio?

Itaqua si omnia de Gog scripta io Cambysem competunt; si partes oraculi singulæ planum habent in illo pronumque sensum; nihilque ea in ra cum historiæ fide pugnat; si nostra hæc hypothesis apertior est & planior, nec a loco, tempore, & personis abludit; cum cetera systemata, hactenus proposita, ardua contineant multa; queque majori plausu excipiuntur, hec io rebus majoris momenti deficiant: cum, inquam, hec omnia ita sa habeant, nobis sane excipiendum hoc systema videtur, planeque demonstrasse confidimus, Cambysem oomine Gog apud Ezechielem designari (66).

Veterem hanc Judeorum traditionem refert Theodoretus (67), scilicet post solutam captivitatem

[51] Herodot. lib. 3. cap. 16. Herodot. in excerp. Valef. p. 249. [52] Herodot. a cap. 34. ad 38. [53] Isai. xiv. 31. xli. 25. Jerem. 1. 13. 14. xv. 12. Ezech. xxvi. 7. [54] Ezech. xxxix. 5. [55] Vide nos in Genes. x. [56] Ezech. xxxviii. 4. [57] Ezech. xxvii. 13. [58] Ezech. xxvii. 14. [59] Fusius de his in Commen. ad c. xxxviii. Ezech. [60] Herod. lib. 3. c. 4. & 7. 9. 88. [61] Herod. lib. 3. c. 64. [62] Plin. lib. 5. c. 19. Stephan. in Echatan. [63] 1. Esdr. iv. 17. 20. 21. [64] Ezechiel. xxxviii. 17. [65] Vide Ezech. xxxviii. 20. 21. 22. [66] Commentarii nostri series, quo singula per partes explicamus, hanc sententiam in apertiori luce ponit. [67] In Ezech. xxxviii. & in Joel. iii. ad fin. & in Judic. iv.

tatem Babylonicam, adversariorum nominia Judaici invidia, factum esse, ut validus exercitus pellendo Jerosolyma populo adduceretur. Sed provido in populum suum Dei consilio contigisse, ut copię illę omnes, nihil molientibus Hebręis, delerentur. Nam commissę inter se gentes in mutua vulnera enruerunt adeo, ut omnes ad unum conciderent. Quare tantum abfuit, ut Judęis sinistrum aliquid contingeret, ut insigne commodum ex ditissimis spoliis, perculsisque Judaici nominis terrore finitimis, retulerint. Vaga hęc & obscura traditio fugacem aliquem, veluti per nubes radium veritatis, quo liceat rem totam scrutari, transmittit.

Monet Ezechiel, ea quæ de bello Gog in Israelitas ipse commemorat, antea veterum Prophetarum oraculo nunciata fuisse (68): *Tu ergo ille es Gog, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum Prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos.* Expressam equidem legimus & aperto oraculo, hanc hostium Israelitarum cladem in Prophetis Joele, Michęa, Isaia, qui omnes Ezechiele vetustiores sunt; & in Zacharia, qui post illum & post captivitatem floruit; ac tandem in Authore Psalmi CXVII. Ita igitur Joel (69): *Et dabo prodigia in Cœlo & in terra, sanguinem, ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, ait Dominus.* Et (70): *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat* (in vallem Judicii); *in valle concisionis* (71). Hoc nomine facile innuitur vallis Jezrael sive Esdrelon, ad Orientem Carmeli, ubi facile Cambyses castra habebat.

Addit deinde (72): *Disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos dispferserunt in nationibus, & terram meam diviserunt . . . . . . Argentum meum, & aurum tulistis; & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra.* Innuuntur his mala, a Nabuchodonosore sive ab ejus Ducibus captæ Urbi illata, cujus Templi sacra spolia in trophæum Beli erecta sunt (73). Omnes ergo eas gentes Dominus in vallem Josaphat ad judicium congregabit: quid inde? *Mitte*, ait, *falces, quoniam maturavit messis. Venite* (74), *& descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.*

Tum Deus fidem suam Israelitis obligat, cumulaturum se beneficiis populum, in monte Sionis ei adfuturum, totamque demum regionem benedictione fœcundaturum; addens insuper, nunquam posthac commissurum, ut profano pede Urbis religionem hostes violarent. Congruunt hæc omnia cum iis, quæ apud Ezechielem post narratum excidium Gog leguntur. Nusquam sane nomen ejus Principis in Joele legitur, sed olim Septuaginta, capite II. 5. legerunt: *En bruchus, vel locusta, qui venit irruens in Regem Gog.*

Alius pro memorabili ejus rei eventu laudatur Michæas, qui post nuntiatam Judæ captivitatem, quæ deinde post eam solutam sequetur, felicitatem describit capite IV. 11. 12. 13. *Et tunc congregatæ sunt gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium ejus, quia congregaverunt eos quasi fœnum areæ. Surge, & tritura, filia Sion, quia cor tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum.* Porro si quis tempora omnia ab exitu captivitatis usque ad eversionem Jerosolymæ per Romanos percurrat, nullum aptius inveniet vaticinio Michææ implendo, quam sub Cambyse.

Consonat Michææ Isaias XLI. 15. 16. *Ego posui te quasi plaustrum triturans, novum, habens rostra serrantia; triturabis montes & comminues, & colles quasi pulverem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turba disperget eos: & tu exultabis in Domino, in Sancto Israel lætaberis.* Idem Propheta XIV. 24. post prænuntiatum excidium Babylonis, a Persis & Medis imminens, addit, Dominum jurejurando minitatum esse Assyriis, fore ut illos perderet opprimeretque sub Judæorum pedibus in montibus Israelis, fracto jugo, quod ipsi populo imposuerant. Et capite XXVII. sermonem habens de ultione ex Rege Babyloniæ, Leviathani nomine designato, expetenda, addit: *Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum.* Israel vero eo metu liberatus, gratiarum actiones Domino canet. Tota regio inter Nilum & Euphratem vastabitur, & Israelitæ ex Assyria & Ægypto regredientur. Ea occasione concinnatus est Psalmus CXVII. tamquam gratiarum actionis pro victoria Canticum, saltem in eam sententiam conveniunt Origenes in Catena Corderii, Theodoretus & Beda in hunc Psalmum.

Zacharias 2. 8. Hebræos Babylone versantes, quos frustra Esdras & Zorobabel sollicitaverant, ad repetendas avitas sedes invitat, pollicitus exerturum Deum vires in Judaici nominis adversarios; & qui olim Judæos oppresserant, illorum denique spolia collecturos esse Judæos, captivosque habituros, quibus ipsi servierant. Et XIV. 12. *Sedebit Jerusalem secura, & erit hæc plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, & oculi ejus contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo. In die illa erit tumultus magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus ejus super manum proximi sui.* Hæc postrema verba non obscure demonstrant, exercitum Cambysis inter se commissum in mutua vulnera concidisse.

E nostris Interpretibus plures historiam Judithæ post captivitatem rejecerunt; nec sane aliter de illa statui potest, quam ut ad tempus post solutam captivitatem, & eversum profanatumque a Chaldæis Templum referatur, si fidem Græci textus sequamur. Petrus Comestor, & Dionysius Carthusianus (75) *Cambysem* Regem Ninives appellant, quem Scriptura nomine Nabuchodonosoris designat, a quo missus est Holofernes cum exercitu. Porro Scriptores isti Cambysem appellant Regem illum, quem Scriptura Nabuchodonosoris nomine designat, non tamen addunt festum ad honorem Judithæ institutum appellatum fuisse Cambysem. Quare locus suspicioni datur, Authorem Libri Judithæ quemadmodum ab Ezechiele factum esse novimus, ut veram Cambysis historiam ænigmate quodam & figuratis verborum ambagibus occultaret, quem Ezechiel sub Gog nomine designavit, hunc Holofernis appellatione innuere voluisse. Plura movere illum poterant: Persæ, quorum sub imperio erant Judæi, cum in Palæstina versantes, tum ultra Euphratem nunquam tulissent, ut Hebræorum Numini casus Regia sui tribueretur. Quare historiam tradere sermone omnibus noto, & sine ambagibus, plena discriminis res erat. Cæterum tam insigne & memorabile Judæis factum in oblivione relinqui, vix ac ne vix quidem poterat: quare & ingenio gentis, & publicæ securitati consultum erat, ubi parabolica quadam & ænigmatica ratione veritas traderetur. Id sane plurimum granditati rei augendæ conferebat.

Potuit vero Author aliqua de suo addere seu temporis, locique adjuncta, historiæ fide nihil mutata. Quæ etenim majoris momenti sunt ad historiam, hæc accurate satis exprimuntur. Ma-

(68) Ezech. XXXVIII. 17. (69) Joel. II. 30. 31. III. 15. 18. (70) Joel. III. 2. (71) Joel. III. 14. (72) Joel. III. 2. 3. 5. 6. (73) 4. Reg. XXV. 13. Dan. V. 2. 3. (74) Joel. III. 13. (75) Judith XVI. 31.

gnus Rex, valido exercitu stipatus, in agro Esdrelonis castra habet, infestissimus ille oppido gentis & religionis Judaicæ Adversarius; eo neci tradito, ejusque exercitu dissipato. Hebræi hostilibus spoliis ditescunt. Recens erat tum temporis captivitatis memoria; recens, nec plane absolutum Templi ædificium, rerum potiebatur Summus Sacerdos; Judæi ab Idololatria alieni, spem omnem in Domino collocabant. Singula hæc in historia Judithæ spectantur; singula etiam hæc in dissipatum Cambysis exercitum competunt. Plura noverat Author ejus Libri, nobis prorsus ignota; plura, quę nobis negotium facessunt, ęnigmatica quadam ratione adjecit.

Hęc a nobis conjectura quadam ita asserta sunt, ut nihil veritati & authoritati ejus Libri noceant, quas in Pręfatione & Commentario Judithę defendimus. Verum constituta hypothesi, quę historiam Judithę & Holofernis post solutam captivitatem rejicit, censemus, minime hinc labefactatā eam, quam Ecclesię Sacrisque Scripturis debemus observantiam, si viam aliquam facilem ineamus, ut tandem aliquid assequamur de implexa admodum historię, et certum eliciatur tempus rei maxime memorabilis, cujus non obscura ediderunt oracula Prophetę Joel, Michęas, Isaias, Ezechiel, Zacharias, & vetus Hebręorum traditio memoriam servavit, quemadmodum ex Origene, & Theodoreto in Psalmum CXVII. intelligimus. Hęc vero omnia Eruditorum censurę subjecta volumus. Si Josephus, nihil ee de re quemadmodum & de Historia Judithę literis tradidit, hujus rei in caussa esse poterat, quod figuram a veritate sejungere nunquam valuit, nec satis assequi veritatem nominis Gog apud Ezechielem, & nominis Nabochodonosor & Holofernis apud Authorem libri Judithę.

NOVA TEMPLI SALOMONICI ICHONOGRAPHIA EXPLICATUR, ET DEMONSTRATUR.

CUbitus Hebraicus continet pollices 20. & $\frac{44}{59}$ mensuræ parisiensis, scilicet pollices viginti & ferme dimidium.

AAAA Prior lorica, seu murus cubitorum 600. seu regiorum pedum 1025. longitudine, ex quatuor partibus, Ezech. XLV. 2. altitudine cubitorum sex, seu decem pedum, pollicum trium, totidem latitudine, Ezech. XL. 5.

BBBB Atrium gentium, sive prior area, quinquaginta cubitis lata, seu pedibus 85. quinque pollicibus, Ezech. XLV. 2.

CCCC Murus exterior atrii Israelis, vel lorica 500. cubitorum ad singula quatuor latera, scilicet pedum 854. & pollicum duorum. Proceritas muri fuisse videtur cubitorum triginta, ex prima muri coarctatione, quam ad parem cum janua libram instituimus.

DDDD Atrium Israelis, latitudine cubitorum 100. seu pedum 170. pollicum 10. Ezech. XL. 19.

EEEE Murus exterior, seu lorica atrii Sacerdotum, cubitorum 200. vel pedum 341. pollicum 8. ad singula quatuor latera; quem cubitis 30. seu pedibus 51. pollicibus 3. in altum surrexisse censemus.

FFF Atrium Sacerdotum, cubitorum 100. seu pedum 170. pollicum 10. ad singula quatuor latera, Ezech. XL. 47. XLI. 14. 15.

G Sanctuarium viginti cubitorum in quadrum, seu pedum 34. pollicum duorum 3. Regum VI. 2. Ezech. XLI. 4.

H Sanctum, cubitorum 40. longitudine, 20. latitudine, scilicet longum pedibus 68. 8. pollicibus; Latum pedibus 34. & duobus pollicibus, Ezech. XLI. 2. & 3. Reg. VI. 2.

I Vestibulum, viginti cubitorum latitudine, longitudine 10. (vel 11. ex Ezechiele); scilicet, longum pedibus 34. pollicibus duobus, latum pedibus 17. pollice uno, Ezech. XL. 48. 49. Janua cubitis 14. patebat, Ezech. XL. 48. 3. Reg. VI. 3.

K Altare Holocaustorum, cubitorum 12. seu pedum viginti & dimidii ex utroque latere, ex Ezechiele XLIII. 12. 13. &c. vel decem cubitis altum, latum viginti; scilicet, altum pedibus 17. & pollice uno, latum pedibus 34. pollicibus duobus, ex 2. Par. IV. 1.

LLL Septum medium, quo Templum & Altare Holocaustorum ambiebantur. Hujus mensuras non tradit Scriptura. Cubitis viginti aberat ab ædificiis atrii Sacerdotum, & cubitis quinque a Templo, Ezech. XLI. 9. 10. Cubitis tribus editum narrat Josephus, Antiq. lib. 8. cap. 2.

MMMMMM Portæ atrii Israelis, & atrii Sacerdotum, æqualis mensuræ. Vide Ezech. XL. 1. . . 22. usque ad 36. Singula vestibula cubitis 50. porrigebantur in longum, scilicet pedibus 85. quinque pollicibus, quod tantumdem est, atque alarum latitudo, Ezech. XL. 15. In latum vero, intra ædificium, cubitis 25. seu pedibus 42. pollicibus octo & dimidio; in altum, cubitis 60. scilicet pedibus 102. pollicibus sex, Ezech. XL. 14. Ad utrumque latus vestibuli tria erant conclavia, sex cubitorum singula in quadrum, Ezech. XL. 6. & septa media inter conclavia, crassitie cubitorum quinque, Ezech. XL. 6.

NNNNNNNN Porticus circa atrium Israelis. Vide Ezech. XL. Columnas triginta his porticibus damus in spatio cubitorum 200. longitudinis, habita ratione columnarum, quæ spatio cubitorum 100. longitudinis in atrio ædium Salomonis dantur 3. Reg. VII. 2. 3. 4.

OOOOOOO Conclavia circa atrium Israelis, triginta circa portam, vel quindecim utrimque. Vide Ezech. XL. 17.

PPP Culinæ Templi, cubitorum 40. seu pedum 68. pollicum quatuor longitudinis; cubitorum 30. vel pedum 51. pollicum trium latitudinis, Ezech. XLV. 21. 22. 23. 24.

Q Porta septemtrionalis atrii Sacerdotum, ubi victimæ parebantur, & jugulabantur in usum Sacrificiorum, Ezech. XL. 38. 39.

RRRR Porticus circa atrium Sacerdotum, Ezech. XLII. 3.

SSSSSS Conclavia supra atrium Sacerdotum. Ala meridionalis portæ orientalis, in usum Sacerdotum erat, custodiæ Templi addictorum, Ezech. XL. 45. Ala septemtrionalis eidem portæ, ejusque flexus portam septemtrionalem versus, in usum Cantorum erat, Ezech. XL. 44. Ala Orientalis portæ meridionali, Sacerdotibus Altaris ministerio occupatis relicta erat, Ezech. XL. 46. Alæ ad occidentem portarum septemtrionalis & oriantalis, aulas complectebantur, in quibus Sacerdotes cœnabant, Ezech. XLII. 13.

TT Cu-

TT Culinæ atrii Sacerdotum, ubi carnes sanctæ, & pro peccato oblatæ coquebantur, in longum patentes cubitis 40. sive pedibus 68. pollicibus 4. in latum, cubitis 30. vel pedibus 51. pollicibus 5. Ezech. XLVI. 20. Propheta unius septemtrionalis meminit.

VVVV Scalæ ad atrium populi, e gradibus septem singulæ, Ezech. XL. 22. . . . 26.

XXX Scalæ ad atrium Sacerdotum, e gradibus octo singulæ, Ezech. XL. 31. 34. 37.

YY Scala ad vestibulum Templi, ex octo gradibus, Ezech. XL. 49.

aaa Conclavia 33. circa Templum, quorum latitudinem Ezechiel cubitos quatuor æquasse scribit, Ezech. XLI. 5. At Liber Regum tertius VI. 5. primæ contignationi quinos latitudinis cubitos, senos alteræ, tertiæ septenos tribuit.

bb Cochleæ, quibus ad conclavia circa Templum constructa ascendebatur. Ezech. XLI. 7. & 3. Reg. VI. 8.

c Gradus Altaris holocaustorum, ad orientem versi, Ezech. XLIII. 15. 16.

dddd Mensæ marmoreæ in porticu portæ septemtrionalis atrii Sacerdotum, ubi victimæ jugulabantur, deglubebantur, atque in partes dividebantur; singulæ cubitum unum & dimidium ex utroque latere habebant, Ezech. XL. 38. 39. 40. 41.

Majorum Templi parietum crassities cubitos sex habebat, sive pedes 10. pollices tres; scilicet parietis, qui primam Templi loricam constituebat; parietis atrii Israelis, parietis atrii Sacerdotum, ac parietum Templi. At murus exterior trium & triginta conclavium, circa Sanctum ac Sanctuarium, cubitis quinque in latum, quindecim in altum porrigebatur; sive pedibus octo, pollicibus sex & dimidio in latum, pedibus 25. & pollicibus septem ac dimidio in altum. Vide Ezech. XLI. 9. 12.

Singulæ duplicis atrii portæ, tum Israelis, tum Sacerdotum, easdem dimensiones referebant. Murus, ubi patet porta, cubitorum sex, sive pedum decem, ac pollicum trium crassitie est. Porta cubitis octo, seu pedibus 13. pollicibus octo patebat; obliquata portæ latera cubitum unum absumebant; porta ipsa cubitis 13. seu pedibus 22. cum pollicibus duobus & dimidio in altum porrigebatur. Vide Ezech. XL. 9. 11.

Portam Templi occidentalem præterit Ezechiel, quod Templum, cujus Ichnographiam ipse descripsit, prope Regias ædes futurum non esset; quamobrem opus non erat, ut porta occidentalis, qua ingredi solebant Reges, servaretur. Quamquam Ezechielis descriptio non admodum servata est; quippe, teste Josepho, post Babylonicam captivitatem occidentales erant Templo portæ; & ante captivitatem, occidentalis porta procul dubio Templo erat, testibus Ezech. XLIII. 8. 2. Reg. X. 12. XI. 6. XVI. 18. XXIII. 11. 1. Par. IX. 24. XXVI. 16. 18.

Sancti Vestibulum portam habebat cubitis 14. seu pedibus 23. pollicibus 11. patentem, Ezech. XL. 48. 3. Reg. VI. 3.

Porta Sancti cubitis 10. seu pedibus 17. & pollice uno, Ezech. XLI. 1. 2.


Porta Sanctuarii cubitis sex, seu pedibus decem, tribus pollicibus patens erat. Murus septi medii duorum cubitorum crassitiem referebat, Ezech. XLI. 1. 3.

Porta orientalis atrii Sacerdotum tota hebdomada clausa, Sabbatho demum recludenda erat, authore Ezechiele. Ibi solium Regis fuit, Ezech. XLIV. 2. 3. 4. XLVI. 1. 2. &c.

Conclavia circa atrium Israelis duarum solummodo contignationum fuisse credimus; at triplex contignatio erat conclavibus circa atrium Sacerdotum, Ezech. XLII. 3. 5. 6. Illud etiam discrimen inter atrium Sacerdotum & atrium Israelis habebatur, quod atrii Sacerdotum parietes alterno lapidum ac trabium ordine constarent, 3. Reg. V. 36. *Ædificavit Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri*. Id vero in atrio exteriori, sive atri populi minime servatum est.

In Veteri Testamento nulla est *atrii gentium* mentio, sed duplicis tantum atrii, Sacerdotum scilicet ac populi; alterum exterius, alterum interius appellabantur. At procul dubio prior area, quam nos Atrium gentium diximus, jam tunc habebatur.

Nullibi Scriptura tradit altitudinem alarum sive conclavium, quibus utrumque atrium cingebatur. Huic nos triginta cubitos dedimus, quod nihilo plures haberet Templi ædificium, quemadmodum & Salomonis Palatium 3. Reg. VII. 2.



COMMENTARIUS
LITERALIS
IN EZECHIELEM.

CAPUT PRIMUM.

Divinæ Majestatis solium, ab Ezechiele visum, Cherubim humeris vectum.

℣. 1. ET factum est in tricesimo anno, in quarta, in quinta mensis, cum essem in
medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, & vidi visio-
nes Dei. 2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joakim.
3. Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra
Chaldæorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini.
4. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis
involvens, & splendor in circuitu ejus: & de medio ejus quasi species electri, idest
de medio ignis: 5. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium: & hic aspectus
eorum, similitudo hominis in eis. 6. Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.
7. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, &
scintillæ quasi aspectus æris candentis. 8. Et manus hominis sub pennis eorum in
quatuor partibus: & facies, & pennas per quatuor partes habebant. 9. Junctæque
erant pennæ eorum alterius ad alterum; non revertebantur cum incederent: sed unum-
quodque ante faciem suam gradiebatur. 10. Similitudo autem vultus eorum: facies
hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris
ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. 11. Facies eorum, &
pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tege-
bant corpora eorum; 12. Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat: ubi
erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. 13. Et
similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspe-
ctus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis,
& de igne fulgur egrediens. 14. Et animalia ibant, & revertebantur in similitudi-
nem fulguris coruscantis. 15. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super
terram juxta animalia habens quatuor facies. 16. Et aspectus rotarum, & opus ea-
rum, quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum, &
opera, quasi sit rota in medio rotæ. 17. Per quatuor partes earum euntes ibant,
& non revertebantur, cum ambularent. 18. Statura quoque erat rotis, & altitu-
do, & horribilis aspectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum qua-
tuor. 19. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea:
& cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ. 20. Quocumque
ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus
enim vitæ erat in rotis. 21. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum
elevatis a terra pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in
rotis. 22. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli
horribilis, & extenti super capita eorum desuper. 23. Sub firmamento autem pennæ
eorum rectæ alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus suum, &
alterum similiter velabatur. 24. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum alarum
multarum, quasi sonum sublimis Dei: cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis
ut sonus castrorum: cumque starent, demittebantur pennæ eorum. 25. Nam cum
fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submitte-
bant alas suas. 26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi
aspe-

aspectus lapidis sapphiri similitudo throni : & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. 27. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum a lumbis ejus, & desuper, & a lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. 28. Velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviæ: hic erat aspectus splendoris ad gyrum.

℣. 1. ET FACTUM EST IN TRIGESIMO ANNO. Particula *&*, quæ hic legitur, quemadmodum in plerorumque Scripturæ librorum fronte, vel abundat, vel, authore S. Augustino in Psalm. xv. *mirabiliter fortasse insinuat, prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fit in corde, esse conjunctam. Annus trigesimus*, vel ætatem Prophetæ (1), vel duodecimum Josiæ annum (2) significat, quo anno inventus est Legis Liber (3); vel denique annum trigesimum post supremum Jubilæum (4). Nobis placet, trigesimum annum innui ab invento Legis Libro, restauratoque solemni ritu Domini Fœdere sub Josia, ut Holdæ vaticinium expleretur (5). Annus iste trigesimus, authore Usserio, competit in ann. Mundi 3410. quintum a captivitate Jechoniæ, & Regni Sedeciæ quintum. Captivus tunc erat in Mesopotamia Ezechiel, eo ductus quinque annis antea, una cum aliis, a Nabuchodonosore (6).

IN QUARTO, IN QUINTA MENSIS. Quartus hic mensis est Thammuz, qui in Julium competit; quartus anni Sancti, non anni civilis; solent enim Prophetæ anni sancti ordinem sequi, a Nisan incipientis. Quinta dies mensis quarti in feriam sextam, die 24. Julii cadit, authore Usserio (7).

CUM ESSEM IN MEDIO CAPTIVORUM, JUXTA FLUVIUM CHOBAR. Hebræus (8), Septuaginta, & vetusti Interpretes: *Cum essem in medio captivitatis, transmigrationis, ad fluvium Chabar*. Neque tamen censendum est, Ezechielem in captivorum turba cœtuque medium fuisse, cum hæc illi spectanda exhiberentur: in exilio erat, cum cæteris captivis, in eadem regione circum incolentibus (9). *Chobar* amnis, seu *Chaboras*, vel *Aboras*, quemadmodum apud Geographos dicitur (10), in Euphratem influit, paulo supra Thapsacum, postquam Mesopotamiam ab Oriente ad Occidentem perluit.

APERTI SUNT CŒLI, ET VIDI VISIONES DEI, magnas. *Apertos cœlos non divisione firmamenti, sed fide credentis intellige*, inquit S. Hieronymus; illustrata scilicet divino lumine Prophetæ mente. Ex iis quæ sequuntur, videtur Ezechiel aliquos corporis motus edidisse, cum hæc ab alienata mente intueretur. Vide cap. 2. 1. 2.

℣. 3. FACTA EST SUPER EUM IBI MANUS DOMINI. Spiritu suo illum perculit Deus. Dei manus est Divini Spiritus actio, vis, ἐνέργεια, inquit Theodoretus (11).

℣. 4. ECCE VENTUS TURBINIS VENIEBAT AB AQUILONE, vel septemtrione. Turbo est Nabuchodonosor, e septemtrione in Jerosolymæ totiusque Judææ excidium profectutus (12). Ezechieli, quamquam in Mesopotamia commoranti, Deus res ipsas ita exhibet, quasi is in Judæa sit. Septemtrionis nomine significantur Provinciæ, in quibus Assyriorum & Chaldæorum Reges imperabant (13).

Ezechielis locum, quem explicamus, arduis adeo difficultatibus implexum censuere Judæi, ut olim deliberaverint, utrum hic Liber e Canone Scripturarum rejiciendus esset, nec ne: ac profecto rejecissent, inquiunt, nisi Ananias quidam promisisset, sese superaturum salebras omnes, quibus impeditur explicatio *Currus*; ita enim primi hujus Capitis visionem nuncupant, idcirco quod Deus veluti in curru illustri sedens exhibeatur. Ut Ananiæ conatibus faverent, simulque opem ferrent, trecenta, ut ajunt Rabbini, olei dolia suppeditavere, quibus lucernæ in usum elucubrantis arderent. Intelligis certe, hac hyperbole maxime arduum hujus explicationis negotium significari. *In hujus* loci *interpretatione*, ait S. Hieronymus hic, *omnes Synagogæ Judæorum mutæ sunt, ultra hominem esse dicentium, & de hac, & de ædificatione Templi, quod in ultimo Prophetiæ hujus scribitur, aliquid velle conari*.

ET NUBES MAGNA, ET IGNIS INVOLVENS, ET SPLENDOR IN CIRCUITU IGNIS. Statim per summa capita rem a se visam describit. Ingens nubes, lucidus turbo, ignis rutilans, & undique e nube micans: *Ignis involvens*. Hebræus (14): *Ignis fluctuans*, Septuaginta: *Ignis fulgurans*.

ET DE MEDIO EJUS QUASI SPECIES ELECTRI. Metalli genus rutilans erat *electrum*, e quatuor auri partibus, & quinta argenti constans, inquit Plinius (15). Illud porro *auro argentoque pretiosius* esse ait S. Hieronymus. Hebræa vox החשמל *Hachasmal* in uno hoc tutius Scripturæ legitur; ejusque etymon Bochartus ducit ex Chaldæo (16), putatque esse mistutam ex auro & ære, illud nimirum, quod plurimi apud Veteres habebatur, & *Orichalchum* appellabatur. Ærea vasa duo memorat Esdras (17) fulgentia & pulcra ceu aurum, fortasse ex electro conflata.

℣. 5. ET IN MEDIO EJUS SIMILITUDO QUATUOR ANIMALIUM. In media nube ardenti Propheta simulacra quatuor vidit, quæ Cherubim quatuor appellari queant, currum quemdam gestantia, cui Numinis solium insidebat.

Simulacrum, quod a Sanchoniatone apud Eusebium Præp. l. 1. describitur, Cherubim Ezechielis imitatur. Numinum suorum imagines habebant Ethnici, e variis rerum simulacris conflatas, quorum singula aliquid significabant. Duo ejusmodi Deorum simulacra relicta sunt, quibus Mythras exhiberi creditur: alterum alas quatuor habet, leonis caput, facem duplicem manibus gerens, corpus ingenti angue circumdatum. Alterum etiam angue circumdatum, claves manu gerit, duabus alis instructum, capite leonis (18).

ET HÆC ASPECTUS EORUM, QUASI SIMILITUDO HOMINIS IN EIS. In pedes recta stabant animalia, more hominum; cum aliqua hominum membra præseferebant, uti mox videbimus.

℣. 6 QUATUOR FACIES UNI, ET QUATUOR PENNÆ UNI. Quamquam non semper *facies* ipsum os significat, sed formam, figuram, &c. hic tamen non-

(1) Ita plerique apud Hieronym. hic. (2) Ita Chald. Theodoret. Hieronym. Vat. Grot. Jun. Usser. (3) 4. Reg. xxii. 8. (4) Quidam apud Theodor. & Hebr. apud Sanct. (5) Vide 4. Regum xxii. xxiii. (6) Vide 4. Reg. xxiv. 8. 10. & 2. Paralip. xxxvi. 10. Jerem. xxiv. 1. Ezech. xvii. 12. (7) Usser. ad an. mundi 3400. (8) ואני בתוך הגולה על נהר כבר (9) Vide Ezech. iii. 11. . . 15. (10) Ptolem. Χαβώρας. Strabo, Ἀβόρας. (11) Theodoret. hic: Τὴν τοῦ Θείου πνεύματος ἐνέργειαν οὕτως ἐκάλεσε. (12) Ita Hieron. Theodoret. Sanct. (13) Vide Isai. xiv. 31. xliii. 6. Jerem. i. 13. 14. 15. & iii. 2. &c. (14) אש מתלקחת Septuag. Πῦρ ἐξαστράπτον. (15) Plin. lib. 33. cap. 4. *Omni auro inest argentum vario pondere . . . Ubicumque quinta argenti portio est, Electrum vocatur.* (16) Bochart. de Animal. sacr. To. 2. l. 6. c. 16. Ex נחש æs, & מלל Vide & Servium in xii. Æneidos, ubi de Orichalcho agit. (17) 1. Esdr. viii. 27. *Vasa æris fulgentis optimi duo, pulcra ut aurum.* (18) Vide D. Bern. de Montfaucon, Diar. Italic. cap. 14. pag. 198.

nonnisi de ore usurpari posse videtur. Singula igitur animalia quaterno ore, quemadmodum alis quatuor, instruebantur; scilicet ore hominis ac leonis ad dexteram; ore bovis & aquilæ ad lævam: quamobrem caput habebant quaterno ore distinctum. Alii ita interpretantur (19): Caput & os hominis habebant, alas aquilæ, crura pedesque bovis, collum & pectus villosum, ceu leonis juba. At prior interpretatio aptior videtur (20).

¥. 7. PEDES EORUM PEDES RECTI. Femora & crura recta erant, ceu hominis; at pedes bifidi, ceu bovis: *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli*. Symmachus (21): *Crura eorum recta, & alati pedes eorum*; ferme uti pingitur Mercurius talaribus instructus. Aquila: *Planta pedum eorum rotunda* (22), Septuaginta locum hunc omisere. Dii Ægyptiorum repræsentantur semper junctis cruribus, & pedibus, oculis fixis, & semper apertis; quia non per motionem pedum, nec transpositione aguntur, sed quodam impetu æreo, & vi expedita, auras magis findunt, quam pertranseunt. Antiqui Poetæ dicunt Deos non ambulare, sed serpere. Vide Bourdelot notas in Heliodori Æthiopiæ l. 3. pag. 148. 149.

ET SCINTILLÆ QUASI ASPECTUS ÆRIS CANDENTIS. Candidus color interdum pro quolibet colore rutilo, etiam rubro usurpatur. Horatius l. 2. Sat. 6.

. . . . *Rubro ubi cocco*
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Virgilius orichalcho, quod ex ære & auro constat, metallo maxime rutilo, albi epitheton tribuit, Æneid. XII.

Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalcho
Circumdat loricam humeris.

Hebræus (23): *Scintillantes tamquam color æris politi*. Quatuor hæc animalia in nube rutilabant, veluti æs affabre politum. Septuaginta (24): *Et scintillæ quasi fulgurans æs, & leves pennæ, alæ, eorum.*

¥. 8. ET MANUS HOMINIS SUB PENNIS EORUM IN QUATUOR PARTIBUS. Cum alis quatuor hæc animalia instruerentur, quatuor etiam manus habebant ab alis sejunctas, & sub alis prodeuntes. Vide Caput X. 8. 21. Vel quatuor ipsorum alæ ipsamet brachia erant alata, & pennis referta, manu ex alis extremis prodeunte. Hanc interpretationem maxime omnium probamus.

ET FACIES ET PENNAS PER QUATUOR PARTES HABEBANT. Animadvertimus ¥. 6. mysticorum hujusmodi animalium caput quaterno ore instructum fuisse. Reliquum corpus simile capiti erat, quatuor nimirum alas, & quatuor brachia habens, ex humeris singulorum prodeuntia; at ita, ut quaterno capitis ori responderent.

¥. 9. JUNCTÆQUE ERANT PENNÆ EORUM ALTERIUS AD ALTERUM. Duæ animalium alæ, quæ prominebant, ac Dei solium ferre videbantur, ad extrema capita jungebantur simul, adeo ut solium ipsum octo animalium alis simul junctis, & ad capita coeuntibus, gestari videretur. Hebræus (25): *Junctæ erant pennæ eorum altera ad alteram.* Hæc verba optime intelliguntur de alis animalia operientibus; ut altera ad alteram aptissime conjungerentur, ut cæteras corporis partes, quæ sub pectore sunt, velarent. Septuaginta (26), ¥. 8. *Et facies eorum, & pennæ eorum quatuor*, ¥. 9. *junctæ altera ad alteram: & alæ eorum non revertebantur cum incederent.*

NON REVERTEBANTUR CUM INCEDERENT, SED UNUMQUODQUE ANTE FACIEM SUAM GRADIEBATUR. Hebræus (27), Chaldæus & Septuaginta hæc verba de alis ferunt. Alæ non revertebantur incedentes; non movebantur avium more, alterno motu, ceu navium remi: *Remigium alarum*; sed eodem semper modo porrectæ extensæque. Si de quatuor animalibus explices, dicito, illa situm semper eumdem inter se invicem servasse, quantumvis moverentur: sive incedendum, sive recedendum esset, eadem semper positura ferebantur. Cum hæc quaterno ore instruerentur, eorumque pedes duplicibus rotis insisterent, nulla iis erat sive anterior pars, sive posterior: singula semper ora ad singulas Orbis partes obversa gerebant.

¥. 10. SIMILITUDO AUTEM VULTUS EORUM, FACIES HOMINIS, ET FACIES LEONIS, &c. Caput habebant quaterna facie instructum, uti diximus supra, ¥. 6. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta non ferunt, aquilæ faciem supra cæteras stetisse, uti fert Vulgata, *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*; sed solummodo singulis quatuor animalibus faciem aquilæ fuisse (28). Nova S. Hieronymi Editio hic non fert *desuper*.

¥. 11. FACIES EORUM, ET PENNÆ EORUM EXTENTÆ DESUPER. Septuaginta non habent, *Facies eorum*. Profecto non video quid sit, *Facies eorum extentæ desuper*. Ita vero explicari potest: *Hæ facies animalium erant: pennæ eorum extentæ erant desuper*, scilicet binæ illorum alæ in altum porrigebantur, adeo ut Divinæ Majestatis solium tegere viderentur.

¥. 12. ET UNUMQUODQUE EORUM CORAM FACIE SUA AMBULABAT, neutram in partem divertens; cum enim, uti diximus ¥. 9. quatuor facies haberent, quamcumque in partem converterentur, nunquam revertebantur.

UBI ERAT IMPETUS SPIRITUS, ILLUC GRADIEBANTUR, quo ventus, turbo currum impellebat. Vide ¥. 4.

¥. 13. SIMILITUDO EORUM QUASI CARBONUM IGNIS ARDENTIUM. Supra cum rutilo ære, nunc cum flagrante pruna comparat. Utrumque vero eamdem rem significat. Ruber erat illorum color, ad album accedens, rutilus micansque. Ex ipsis ceu fulgura flammæque erumpebant.

¥. 14. ANIMALIA IBANT ET REVERTEBANTUR IN SIMILITUDINEM FULGURIS CORUSCANTIS (29). Motu ita rapido ferebantur, uti fulgura. Vel, micare ceu fulgura videbantur; sive, uti coruscum corpus, radius undique ita emittens, ut lux ab eo corpore, quod fulgoris fons est, nunquam recedat. Supra, ¥¥. 9. & 12. dixit: *Non revertebantur cum incederent*. Quamobrem hujus loci verba cum prioribus pugnare videntur. At statim pugna cessabit, ubi animadverteris currum undique euntem ac redeuntem motu pernicissimo, quin animalia ab eo, quem invicem servabant, situ discederent. Movebantur illa, atque ultro citroque gradiebantur, communi totius currus motu, cujus ipsi pars erant; nullo tamen privato singulorum motu, quo illa a curru sejungerentur, aut situ quem vicissim servabant, moverentur.

¥. 15. APPARUIT ROTA UNA .... HABENS QUATUOR FACIES. Singulæ hujusmodi rotæ sub singulorum animalium pedibus erant (30): quatuor hæ facies habebant, in utramque partem facile mobiles: quamobrem ita erant, quasi altera rota intra alte-

(19) Prado, Peter. (20) Ita antiqui PP. & Interpretes plerique, Menoch. Tirin. Cornel. Ribera, &c. (21) Τὰ σκέλη αὐτῶν ὀρθὰ, καὶ πτερωτοὶ οἱ πόδες αὐτῶν. (22) Hieronym. hic. Aquila legit *Agol* עגיל rotunda pro *Egel*, vituli, Hebr. וכף רגליהם ככף עגל (23) ונצצים כעין נחשת קלל (24) Καὶ σπινθῆρες ὡς ἐξαστράπτων χαλκὸς. Καὶ ἐλαφραὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν. (25) חברות אשה אל אחותה כנפיהם (26) Καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν καὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν τῶν τεσσάρων ἐχόμεναι ἑτέρα τῆς ἑτέρας. Καὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν οὐκ ἐπεστρέφοντο ἐν τῷ βαδίζειν αὐτά. Rom. Ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτά. (27) לא יסבו בלכתן (28) ופני נשר לארבעתן Καὶ πρόσωπον ἀετοῦ τοῖς τέσσαρσι. (29) והחיות רצוא ושוב כמראה הבזק Theodot. Καὶ τὰ ζῶα ἔτρεχον, καὶ ἀνέκαμπτον ὡς εἶδος τοῦ Βεζέκ. *Bezech* Hebraice est *fulgur*. Scribit S. Hieronymus, 70. Interpretes non reddidisse hæc verba, *Animalia ibant, & revertebantur*, quod contraria censerent versiculis 9. & 12. at suppleta suis horum versioni, ex Theodotione. Theodoretus etiam ea ferebat, fortasse tamen ex Theodotione.
(30) Cap. X. ¥. 2. *In medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim.*

alteram inserta esset, sese mutuo secantes utrinque ad angulos rectos (30), utraque pari magnitudine & forma. Quocumque incederet currus, ita apta erant situ, ut loco minime relicto, & nequaquam conversæ iter facerent. Vide ℣. 17.

℣. 16. Opus earum quasi visio maris; cæruleo colore. Hebræus (31): *Opus earum quasi oculus Tharsis*. Tharsis interdum gemmam significat. Symmachus *hyacinthum* putat (32), Aquila chrysolythum; alii (33) beryllum.

℣. 17. Non revertebantur, cum ambularent; contrario cæterarum rotarum more, quæ circa axem sese torquentes incedunt. Porro hæ quaqua versus incedere poterant, quin torquerentur; uti enim diximus, quatuor facies habebant; & communi totius currus motu ferebantur, venti seu turbinis impellentis impetu actæ. Vide ℣. 10.

℣. 18. Altitudo et horribilis aspectus. Hebræus (34): *Et circuitus, & altitudo eis, & pavor eis*. Sublimitas & magnitudo circuitus earum, seu laterum, terrorem incutiebat: Septuaginta (35): *Et dorsa eorum, & altitudo erat ipsis, & ego vidi ea*.

Totum corpus oculis plenum in circuitu; quemadmodum de Argo narrant fabulæ (36):

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Atque uti pavonis cauda, oculorum imaginibus referta.

. . . . *Gemmis caudam stellantibus implet*.

Verti sic potest: *Absides earum quatuor plenæ variis coloribus circumquaque*. Oculus frequenter pro colore usurpatur (37).

℣. 20. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Ventus, turbo, currum impellens, rotas etiam, uti reliquas partes, agebat; totum scilicet currum communi motu & æquali. Aliter (38): *Spiritus viventis erat in rotis*. Rotæ a Cherubinis movebantur, illas veluti spiritu agitantibus. Chaldæus: *Spiritus creaturarum*. Vivebant rotæ, atque ultro citroque animantium more incedebant. Nobilissima currus descriptio. Solent Prophetæ sublime ac tropicum dicendi genus usurpare. Tripodas a Vulcano fabrefactos vita donat Homerus: idque ad poeticum ac sublime orationis genus pertinet.

℣. 22. Similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli. Describit hic ea, quæ supra Cherubinorum vertices erant; *firmamentum* scilicet, seu cœlum ita nitidum, micans, pellucidum ceu crystallus (39): illud vero ceu Dei scabellum erat, sive tabulatum, cui solium insidebat: ipsum porro ad quatuor angulos quatuor Cherubinorum capitibus incumbebat. Firmamenti hujus color sapphirinus dicitur Capite x. ℣. 1. uti & hic, ℣. 2. Sapphirus hæc pellucida micansque uti crystallus erat.

℣. 23. Sub firmamento pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Alas sub hoc firmamento rectas tenebant, alteras e regione alterarum. Vel: Alas duas in altum extensas tenebant, alteras erga alteras; adeo ut extremis capitibus se invicem tangerent, cœlum, de quo diximus mox, sustinentes. Vide nos in ℣℣. 9. & 11. Reliquæ alæ duæ supra Cherubini corpus porrectæ, illud protegebant.

℣. 24. Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. Quatuor animalia quatiebant alas (40), & volare videbantur, cum ventus seu turbo currum impelleret ac moveret; motarumque alarum sonus murmuri fluctuum similis erat, vel amnis, pernicissime per rupes labentis, aut in oppositus aggeres ruentis.

Quasi sonus sublimis Dei, quasi tonitru, quod vulgo in Scripturis *Dei vox* dicitur (41). Vel, Dei vox ingentem strepitum, acutissimum, horribilem significat. Hebræus (42): *Quasi vox Sadai*. Sadai unum ex Dei nominibus est, significans sufficientem sibi.

Cumque starent, demittebantur pennæ; vel, cum alas coercerent, demitterent (43), hæ sonum edere cessabant.

℣. 25. Cum fieret vox super firmamentum, stabant, et submittebant alas. Statim ac Deus e solio vocem ederet, Cherubini stabant, alarumque motum coercebant. Alas demisisse Cherubim, non fert Textus, sed motum coercuisse (44). Quæ hactenus dicta sunt, significare videntur, alas semper suspensas stetisse, at non semper motas.

℣. 26. Super firmamentum . . . quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni. Et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Quæ hactenus narrata sunt ceu scabellum Divinæ Majestatis erant. Solium colore sapphirino erat, scilicet cæruleo & micante. Hominis imago in eo solio sedentis, Dei Majestatem significabat. Supremus rerum Dominus, corporea qualibet figura infinito intervallo superior, ad humanas infirmitates demittitur, sub hominis forma sese exhibens.

℣. 27. Vidi quasi speciem electri . . . a lumbis ejus, et desuper. Deus, solio insidens, lumborum tenus (45) rutila quadam luce induebatur, ceu ignis, & *electri*, quod, uti vidimus, ex auro argentoque coalescit; vel, ceu *oricalchi*, inter metalla pretiosissimi, auri fulgore, & æris soliditate (46). A lumbis vero inferius veluti igne cingebatur, undiqae micante.

℣. 28. Velut aspectum arcus, cum fuerit in nube . . . sic erat aspectus splendoris per gyrum. Corona quadam rutila & nitente, ceu iride, cingebatur Deus, quæ simul & solium, & igneum illud jubar, & orichalchum, circa Dei majestatem fulgens, complectebatur. Is porro fuit apparatus, quo sese Prophetæ exhibuit Deus. Nihil vero aptius esse poterat obsequio ac terrori inducendu, quam hoc ipsum spectaculum: nihil illum aut aerius movere, aut coram terribili ea majestate Prophetam demittere potuit.

(30) ℣. 16. *Aspectus earum, quasi sit rota in medio rotæ*. (31) כעין תרשיש (32) Ita Theodoret. ex Symmac. Sed Hieron. ex Aquila. Melius ex Symmacho. Vide Drus. & nov. Edit. Hexaplorum. (33) Vide nos in Exod. xxviii. 20. (34) וגביהן וגבה להם ויראה להם (35) Καὶ οἱ νῶτοι αὐτῶν, καὶ ὕψος ἦν αὐτοῖς, καὶ εἶδον αὐτά. (36) Ovid. Metamorph. lib. 1. (37) Num. xi. 7. Et hic ℣℣. 4. & 22. Grotius. (38) רוח החיה באופנים (39) כעין הקרח Septuag. Ὡς ὅρασις κρυστάλλου. Cap. x. 1. כאבן ספיר Ὡς λίθος σαπφείρου. Ita & hic ℣. 26. (40) Vide Cap. iii. ℣. 13. *Vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*. (41) Vide Psalm. xvii. 14. Exod. ix. 23. 28. 29. xx. 18. Et 1. Reg. vii. 10. xii. 18. Job xxvii. 26. xxxvii. 4. & passim. (42) כקול שדי Ὡς φωνὴ ἱκανοῦ. Theodoret. legit: Ὡς φωνὴ Θεοῦ Σαδδαί. Aquila & Symmach. apud eumdem: Ὡς φωνὴ ἱκανοῦ. (43) בעמדם תרפינה כנפיהן Septuag. Ἐν τῷ ἑστάναι αὐτὰ, κατέπαυον αἱ πτέρυγες αὐτῶν. (44) תרפינה כנפיהן Septuag. Ἀνίεντο αἱ πτέρυγες αὐτῶν. (45) Vide ℣. 4. (46) Servius in Æneid. xii. *Apud Majores orichalchum pretiosius omnibus fuit metallis; namque Lucretius dicit: Cum primum homines sylvas incendissent, nullarum adhuc venarum periti; terra vasta fertilis omnium, ex incendii calore defudavit metalla, inter quæ orichalchum pretiosius visum est, quod & splendorem auri, & æris duritiam possideret*.

CAPUT II.

Ezechiel ad populum rebellem ac seditiosum verba facere jubetur. Manus quædam librum illi exhibet, interius exteriusque literis exaratum, eumque jussus vorat.

ỳ. 1. HÆC visio similitudinis gloriæ Domini: & vidi, & cecidi in faciem meam,
& audivi vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis sta super pedes
tuos, & loquar tecum. 2. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mi-
hi, & statuit me supra pedes meos: & audivi loquentem ad me, 3. Et dicentem:
Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a
me: ipsi, & patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. 4.
Et filii dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos:
Hæc dicit Dominus Deus: 5. Si forte, vel ipsi audiant, & si forte quiescant, quo-
niam domus exasperans est: & scient, quia propheta fuerit in medio eorum. 6. Tu
ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam incredu-
li, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, verba eorum ne timeas,
& vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. 7. Loqueris ergo verba
mea ad eos, si forte audiant, & quiescant: quoniam irritatores sunt. 8. Tu au-
tem, fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut do-
mus exasperatrix est: aperi os tuum, & comede, quæcumque ego do tibi. 9. Et
vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum
coram me: qui erat scriptus intus, & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes,
& carmen, & væ,

ỳ. 1. HÆc visio similitudinis. Ea est imago gloriæ Domini, superius descripta.

Fili hominis. Ita e solio majestatis suæ alloquitur Ezechielem Deus, suam simul ipsius humiliatem ac subjectionem illum his verbis docens. Spectaculi hujus beneficio ne immodice gloriere. Scito, te hominis filium esse, mortalem, humillimamque creaturam.

ỳ. 2. Ingressus est in me spiritus. Memet statim vatidico spiritu occupatum sensi (1), aliumque intra me animum probavi: vel (2), Rediit animus, memet ex pavore confirmavi, statim ac Dei voces intellexi, ab eo jussus & surgere & stare. Vulgata & Septuaginta (3) illud dicere videntur, illum ipsum Spiritum, qui Prophetam occupavit, locutum esse, ipsumque in pedes rectum statuisse. at minime favet Hebræus.

ỳ. 3. Mitto te ad filios Israel. Deus ipse Ezechielem mittit & ad Judæos, tum in Chaldæa captivos, tum adhuc in Judæa morantes; illos ore tenus allocuturum, hos vero per literas moniturum malorum, quæ ipsis imminebant, nisi resipiscerent. Quamquam multa sunt in Ezechiele, quæ alienas profanasque gentes spectant, potissima tamen illius vaticiniorum pars Judæos ferit.

Ad gentes apostatrices. Hebræus (4): *Ad gentes rebelles, quæ rebellaverunt in me.* Septuaginta (5): *Ad filios Israel, qui exacerbaverunt me*, qui amaritudinem attulerunt mihi, iram, bilem excitavere.

ỳ. 5. Si forte audiant, aut si forte quiescant. Vel, ex Hebræo (6): *Ut sive audiant, sive abstineant* audire; scilicet, utrum audiant nec ne; quasi diceret: Gentem hanc seditiosam adiens proba, utrum audire velint, an monentem rejicere; gens enim rebellis sunt & indocilis: at quicquid sit, nullus unquam illorum excusationi locus erit: saltem intelligent, *quia Propheta fuerit in medio eorum*; ipsorumque solummodo culpæ futurum, nisi resipuerint. Ministros ego misi, quibus vocarentur; hos illi rejecerunt. Septuaginta (7): *Si forte audiant, vel expavescant, quoniam domus exacerbans est, & scient quoniam Propheta es tu in medio eorum.* Cum audis Deum ita loquentem, *si forte audiant, &c.* illud ne tecum reputes, quæ ventura sunt, ab eo ignorari; eo enim loquendi genere docere vult Deus, in potestate hominis esse, illud agere aut relinquere; suaque rerum futurarum cognitione nos minime cogi, sive ad agendum impelli: *Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit; sed quod nos propria voluntate facturi sumus, ille novit futurum, quasi quasi Deus.* Ita Hieronymus hic.

ỳ. 6. Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Hebræus (8): *Quoniam contumaces sunt & spinei adversum te, & cum scorpionibus tu habitas.* Septuaginta (9): *Quoniam insanient, & congregabuntur furentes adversum te* (ad verbum, ceu furentes bestiæ, & muscis agitatæ (10) per æstatem) *in circuitu, & in medio scorpionum tu habitas.* His verbis populi contumacis ingenium describitur; qui projecto legis & Religionis jugo, nullum rationi locum relinquit, & in eos furit, qui ad saniora consilia ipsum revocare conantur. Confer hunc locum

(1) Hieronym. Greg. Cornel. Jun. Tir. (2) Theodoret. Grot. Prado, Sanctius, Hugo, Dionys. Lyran. Var. Vide Ezech. III. 24. (3) Καὶ ἦλθεν ἐπ' ἐμὲ πνεῦμα . . . καὶ ἤκουον τοῦ λαλοῦντος πρός με. Heb. ותבא בי רוח כאשר דבר אלי ואשמע את מדבר אלי (4) אל גוים המורדים אשר מרדו בי (5) Πρὸς τὸν οἶκον τοῦ Ἰσραὴλ τοὺς παραπικραίνοντάς με, &c. Legunt המרים (6) ואתה אם ישמעו ואם יחדלו Vide Grot. Castal. Ludov. de Dieu, Sanct. (7) Ἐὰν ἄρα ἀκούσωσιν, ἢ πτοηθῶσιν, ὅτι οἶκος παραπικραίνων ἐστί.
(8) כי סרבים וסלונים אתך ואל עקרבים אתה יושב (9) Διότι παροιστρήσουσι, καὶ ἐπισυστήσονται ἐπὶ σὲ κύκλῳ, &c.
(10) Vide Virgil. Georg. III. . . . . *Oestron Graji vertere vocantes,*
Asper acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther, &c.
Theodoret. hic: Ἐκ μεταφορᾶς τῶν βοῶν, ἃς ὁ οἶστρος ... ἐλαύνει, καὶ φεύγειν ... ἀναγκάζει ...

locum cum Psalmo CXVII. 12. *Omnes gentes circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, &c.*

VULTUS EORUM NE FORMIDES, QUIA DOMUS EXASPERANS EST: vel, ne vereare coram illos arguere, quamquam gens contumax est & seditiosa.

℣. 7. SI FORTE AUDIANT, AUT QUIESCANT. Vid. ℣. 5.

℣. 8. APERI OS TUUM, ET COMEDE. Quæ loquor, audi, intellige, avidissime excipito: his animum imple: eaque te intus occupent: si fieri potest, in tuam ipsius naturam, uti cibum quo aleris, verte. Ita Dei Ministri & Concionatores ea, quæ cæteros docent, *comedere* ipsi prius debent (12). Vide proximum caput, ℣. 10.

℣. 9. ECCE MANUS MISSA AD ME, loquentis fortasse manus, ejusdemque viri, quem jubare & gloria fulgentem vidit Ezechiel. Sunt qui censeant, Angelum exhibuisse Ezechieli id quod statim sequitur.

INVOLUTUS LIBER: ET EXPANDIT ILLUM CORAM ME, QUI ERAT SCRIPTUS INTUS ET FORIS. Veterum libri volumina erant, ex pluribus membranis aut papyris conflata, quarum altera ad alterius oram glutine juncta, se ordine sequebantur. Plerumque nonnisi ex altera parte exarabantur; explicabantur vero cum expendendi essent, versoque in contrariam partem volumine liber extensus tenebatur. Is erat Ezechieli exhibitus. Verba intus & foris exarata significabant, diuturnum fore illius vaticinium; plerumque enim utraque libri pars non exarabatur, nisi immodice longa esset elucubratio. Juvenalis Sat. 1.

Scriptus & in tergo, necdum finitus Orestes.

Reddunt Septuaginta (13): *Et in manu caput libri, & expandit illud coram me.* Hoc voluminum genus a Græcis *caput libri* appellabatur (14).

LAMENTATIONES, ET CARMEN, ET VÆ (15); quæstus, lugubria carmina, & diræ. Id porro innuebat, Ezechielis vaticinia lugubria fore, ipsumque nonnisi tristia populo nunciaturum.

(12) Hieronym. ad cap. II. initio: *Nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel.* (13) Καὶ ἐν αὐτῷ κεφαλὶς βιβλίου, καὶ ἀνείλησεν αὐτὴν ἐνώπιον ἐμοῦ. (14) Theodoret. in c. II. Κεφαλίδα δὲ καλεῖ τὸ εἰλητὸν βιβλίον. (15) קינים והגה והי Septuag. Θρῆνος, καὶ μέλος, καὶ οὐαί.

CAPUT III.

Exhibitum sibi volumen comedit Ezechiel. Illum Deus constantia invicta instruit. Is inter cæteros captivos deportatur; eumque Deus ceu populi excubitorem creat. Iterum Dei gloriam videt, jubeturque sese domi claudere & ligare.

℣. 1. ET dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inveneris, comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. 2. Et aperui os meum,
& cibavit me volumine illo: 3. Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud:
& factum est in ore meo sicut mel dulce. 4. Et dixit ad me: Fili hominis, vade
ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos. 5. Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel: 6. Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: & si ad illos mittereris, ipsi audirent te. 7. Domus autem Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me, omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde. 8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam
duriorem frontibus eorum. 9. Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam: ne
timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est. 10. Et dixit
ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi: 11. Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios
populi tui, & loqueris ad eos, & dices eis: Hæc dicit Dominus Deus: si forte audiant, & quiescant. 12. Et assumpsit me spiritus, & audivi post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo, 13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia,
& vocem commotionis magnæ. 14. Spiritus quoque levavit me, & assumpsit me:
& abii amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me. 15. Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad
eos, quia habitabant juxta flumen Chobar, & sedi, ubi illi sedebant: & mansi ibi
septem diebus mœrens in medio eorum. 16. Cum autem pertransissent septem dies,
factum est verbum Domini ad me, dicens: 17. Fili hominis speculatorem dedi te
domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. 18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris,
ut avertatur a via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. 19. Si autem tu annuntiaveris impio,
& ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia: ipse quidem in
ini-

iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. 20. Sed & si conversus justus a justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit: sanguinem vero ejus de manu tua requiram. 21. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, & ille non peccaverit: vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti. 22. Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum. 23. Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi juxta fluvium Chobar: & cecidi in faciem meam. 24. Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuæ. 25. Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum. 26. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans: quia domus exasperans est. 27. Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: qui audit, audiat: & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

℣. 1. QUODCUMQUE INVENERIS, COMEDE. Vel: Comede quicquid tibi exhibeo, & coram habes. Librum hunc vora, rebusque in eo exaratis implere.

℣. 2. ET APERUI OS MEUM, ET CIBAVIT ME. Septuaginta (1): *Aperuit os meum, & cibavit me volumine illo*. Id in spiritu gestum est. Os aperire videbar, & librum comedere, uti familiarem cibum.

℣. 3. FACTUM EST IN ORE MEO SICUT MEL DULCE; at statim in stomacho amarissimum sensi. Vide ℣. 12. & Jeremiam XV. 16. 18. & Apocalypsim X. 10. Incredibili statim gaudio lætitiaque perfusus sum, ubi Dominum vidi, ac libentissime hilariterque exhibitum mihi ministerium amplexus sum. At deinde intellexi, quantæ difficultatis ac laboris rem susceperim.

℣. 5. NON ENIM AD POPULUM PROFUNDI (occulti) SERMONIS, ET IGNOTÆ LINGUÆ. Hebræus (2): *Non enim ad populum profunditatis labiorum, & gravitatis linguæ*. Profundi adeo sermonis, ut percipere nequeas aut vestigare, neque ita barbari aut difficilis, ut illi assuescere non possis. Profunditatem gravitatemque veluti impedimenta illius viribus majora ponit, ducta ex rebus profundissimis gravissimisque metaphora. Vide *Deut.* XXX. 12. 13. Nondum venit tempus, quo ad omnes terrarum populos missurus sum verbi mei Præcones. Id tunc denique fiet, cum Apostolos ad universos terrarum homines misero, & variis licet sermonum generibus utentes, locisque remotissimos, verbi mei cognitione donavero (3). Videtur hic innuere Deus ea quæ olim facturus est, cum dicat ℣. 6. *Si ad illos mitteretis, audirent te*.

℣. 7. NOLUNT AUDIRE TE, QUIA NOLUNT AUDIRE ME. Ne doleas, ubi te rejectum videris: ego enim ipse hac repulsa ferior. *Qui recipit vos, me recipit*, inquit Christus Matth. X. 40. *& qui recipit vos, recipit eum qui me misit*. Hoc porro solatio esse debet iis qui Dei causa laborant, ministerio fungentes evangelico: Ii quippe legatione quodammodo illius funguntur (4); Deum ipsum in se exhibent; quamobrem nec bene gestis gloriari, nec infortuniis frangi debent. Quidquid fit, Deus in gloriam suam convertit. Unum illud molestia ipsos afficere potest, hominum scilicet nequitia & pertinacia.

℣. 8. DEDI FACIEM TUAM VALENTIOREM FACIEBUS EORUM. Si effrons hominum audacia eo pervenit, ut turpissimorum scelerum illos non pudeat, te ego ea constantia instruam, quæ nullis unquam experimentis frangatur. Coram illis objicies ea, quæ vel pudor ipse efferre vetet, quin ullo pudore coercearis. Durior tibi erit frons & impudentior, quam illis. Nemo unquam arguet, te pudore coerceri, ne illis ea exprobres, quæ ipsi impudentissime agere non verentur. Vide Capita XVI. XXII. XXIII. qua vi, sua illis flagitia & scelera objiciat.

℣. 9. UT ADAMANTEM, ET UT SILICEM DEDI FACIEM TUAM. Hebræus (5): *Quasi schamir, rupe durius, faciam frontem tuam*. Adamantem significare creditur *schamir*. Alii generice pro lapide durissimo usurpant. Putat Bocharius (6), lapidem esse *smirin*, adeo durum, ut gemmis expoliendis eo utantur Gemmarii. Hac voce interdum utitur Scriptura, ut rem plane durissimam significet (7); interdum vero spinas, sentes (8).

NE TIMEAS EOS... QUIA DOMUS EXASPERANS EST. Vel: Illos ne vereare, quamquam rebelles natura & seditiosos; illorum nequitiam comprimam, pessimamque voluntatem coercebo. Vide supra II. 6.

℣. 11. INGREDERE AD TRANSMIGRATIONEM, ceteros e tua gente captivos, qui circa te Mesopotamiam incolunt.

SI FORTE AUDIANT, ET QUIESCANT. Vide supra II. 5.

℣. 12. ASSUMPSIT ME SPIRITUS. Id non una ratione explicatur: Vehemens me ventus corripuit, transtulitque in locum, ceteris e mea gente captivis frequentatum (9); vel, Dei Spiritus, quo afflabar, statim me in medium captivorum tulit (10) per aerem, instar avis. Sive: Intimo ardore actum me sensi, quo impellente volavi ad eum usque locum, quo proficisci a Deo jubebar. Spiritus mei pernicitas atque impetus, alas quodammodo mihi suppeditavit (11). Sunt qui censeant, Prophetam raptum esse ab Angelo, eoque delatum per aerem, quo pergere is cupiebat (12).

VOCEM COMMOTIONIS MAGNÆ. Hebræus (13) & Septuaginta dicere videntur, strepitum fuisse ter-

[1] Διήνοιξε τὸ στόμα μου, καὶ ἐψώμισέ με τὴν κεφαλίδα ταύτην. Hebr. ואפתח את פי ויאכלני את המגלה הזאת
[2] עם עמקי שפה וכבדי לשון Septuag. Λαὸν βαθύχειλον, καὶ βαρύγλωσσον. [3] Vide Hieron. & Theodoret. [4] 2. Cor. V. 20. & Ephes. VI. 20. *Pro quo legatione fungor in catena*. [5] כשמיר חזק מצור נתתי מצחך [6] Boch. de Animal. sacr. p. 2. l. 6. c. 11. [7] Jerem. XVII. 1. & Zach. VII. 12. [8] Isai. V. 6. VII. 23. 24. 25. IX. 18. X. 17. [9] Hugo Cardin. vers. Hispan. [10] Theodoret. Ἡ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα χάριν σε ἐμοὶ ... , μέσον ὀρμῶ, καὶ γῆς, ὅσα τινὰ πτερωτός, διατίμησεν παρεσκεύασε τοῦ τόπου. [11] Hieronym. *Sublimis ipse Spiritus sui impetu ferebatur, capiens iter quo Dominus imperabat. Spiritum autem ejus, non Spiritum sanctum, sed spiritum hominis intelligamus*. [12] Prad. Corn. Sanct.
[13] קול רעש גדול Septuag. Φωνὴ τοῦ σεισμοῦ μεγάλου.

terræmotui similem, obscurum, ac diuturnum, concussionibus ac fremitibus mistum. Fragorem hunc edebat currus, cui Deus insidebat, & vox eodem tempore aures Prophetæ feriens: *Benedicta gloria Domini de loco suo*: Deo laus esto, e gloriæ solio, in quo sedet. Carmen hoc Angeli seu Cherubini incepere.

℣. 13. Vocem alarum, &c. Vide Caput 1. 24. ubi alarum strepitus cum ingentium aquarum fragore comparatur.

℣. 14. Spiritus levavit me; vel Deus, Angelus, aut vehemens ventus me rapuit.

Abii amarus in indignatione spiritus mei (14). Amaro animo, & iracundiæ plenus discessi: ob populi mei perfidiam iratus, provocatusque illius flagitiis, illum alloqui paratus ea sermonis vi & acrimonia, quam justus furor, & animi indignatio suadebant. Septuaginta (15): *Abii sublimis impetu spiritus mei.*

Manus enim Domini, &c. Dei manu sustentante, per aera delatus sum. Vel junge cum consequentibus, uti habent Septuaginta: *Et manus Domini facta est super me valida, & abii ad captivos.*

℣. 15. Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum. Hebræus ad verbum (16): *Et veni ad captivitatem, ad Telabib.* Postrema hæc vox sonat *acervum novarum spicarum*, adhuc virentium. At in Mesopotamia frugum messis in hoc tempus, scilicet in quartum anni sancti mensem, qui mensis Julius apud nos est, non competit, sed in Majum aut Junium. Quamobrem plerique *Tel-abib* pro urbis nomine usurpant, seu regionis in Mesopotamia, ad Chaboram amnem. Sunt qui *Theldam* Ptolemæi esse arbitrentur. Septuaginta vocem hanc non legisse videntur (17): *Veni ad captivitatem sublimis, & circuivi habitantes ad amnem Chobar.*

Mansi ibi septem diebus moerens. Nihil ne eorum, quæ sibi visa fuerant, narravit, aut illorum flagitia minime redarguit, quemadmodum jussus fuerat? Vide ℣. 21. Interpretes plerique censent, totis septem hisce diebus siluisse Ezechielem. At mihi neque asserendum omnino videtur, neque omnino negandum. Junius Hebræum hic vertit (18): *Veni ad habitantes ad flavium Chobar, & ad Haesscheri: Ibi illi morabantur, & sedi in medio eorum. Haesscheri* Saocoram amnem esse putat, non longe a Chabora, qui pariter in Euphratem influebat. Regio Tel-Abib duos inter hosce amnes fuisse dicitur. Sententiam hanc probat Grotius.

℣. 17. Speculatorem dedi te domui Israel. Docet hic Ezechielem Deus, quid ab eo ipsa velit, ipsumque Prophetæ munus a Propheta postulet. Te, inquit, Israelitarum excubitorem statui: quidquid mali socordiæ tuæ causa contigerit, tu ipse lues. Ita excubato, ut si quid mali contingat, tibi vitio verti nequeat. Clamores tolle, imminens periculum nuncia: miseri, si neglexerint: at tu cave ne iræ meæ obnoxius fias, dum alicui muneris tui officio defueris. Excubiarum comparatione frequenter utitur Scriptura, ut Prophetarum ac populi Principum officia significet (19).

℣. 18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, ... sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Vel: Si tibi imperavero, ut dicas impio; sive, cum ego dixero, de impio loquens: Morte morieris &c. Creditorum sibi hominum animæ Mors pastoribus tribuitur, non modo si pessimis exemplis, pravisque doctrinis in crimen trahant, verum etiam si illos monere, docere, minisque terrere neglexerint. *Ipse* (Pastor) *hunc occidit, quia eum tacendo morti tradidit*, inquit S. Gregorius (20). Gregem illi quidem universum servare non tenentur, at ita ducere debent, ut, si quis pereat, ipsorum culpa non pereat; aut illius mors Pastoris socordiæ vel inscitiæ tribui nequeat.

℣. 20. Si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem; ponam offendiculum coram eo. Si te non docente, justus a justitiæ via recesserit, illum ego tentationibus, in quas incurrerit, cedere patiar: omni bonorum operum præteritorum merito exuetur, ejusque sanguinem ex te exigam, teque ceu mortis illius auctorem puniam. Vel aliter: Si peccaverit justus, quemadmodum David adulterio & homicidio peccavit, ac tu peccantem non redargueris, ita ut silentii tui causa in scelere perseveret, illum ego penitus interire sinam: uterque peribitis; ille flagitio, tu negligentia.

Quid tamen hæc sibi volunt verba (21), *Ponam offendiculum coram eo?* Non unam explicationem hæc patiuntur. I. Si justum discrimini objecero, sive malis & calamitatibus, sive fortunis vitæque commodis, atque ipsa infirmitatis causa alterutri tentationi succubuerit, ubi illum monitis, institutionibus atque objurgationibus coercere neglexeris, te mortis illius reum agam (22). II. Si justus in crimen ruit, illi ego adminicula resipiscendi suppeditabo, malis illum feriens, inferorum supplicia illi minitans, sive calamitatibus opprimens, & conscientiæ stimulis & angoribus, quibus illorum tranquillitas turbetur, ipsique ad officium revocentur. Hoc tempore uti si neglexeris, ut justi in crimen lapsi salutem cures, illius exitium ex te quæram; tu reddes (23). III. Si Justus viam justitiæ deserat, manum meam ab illo reducam: is e malo in malum præceps ruet: meo lumine destituetur, gratiæ meæ illecebras non sentiet, in scelere perseverabit: illum nisi tu pro viribus ab exitio revoces precibus, exhortationibus, minis, una peribis (24).

Non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit (25). Res olim bene ab eo gestas negliget Deus; peccantis enim nequitia nedum virtutis opera delet, quæ ille gesserat, verum etiam crimina jam dimissa quodammodo revocat, uti docent Theologi (26).

℣. 24. Ingressus est in me spiritus. Vide Caput II. ℣. 2.

℣. 25. Data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis. Vincula hujusmodi in spiritu, & in agrum translatus vidit: at reducem familiares & domestici revera illum vinculis domi coercuerunt (27), sive ab illo jussi, sive propria voluntate impulsi, ceu mentis emotæ hominem, cui insania timeretur. Prophetæ motus atque agitatio, triste os, mœrore & curis grave, locum huic suspicioni dederunt. Fratres Jesu (28), illum insaniisse rati, *exierunt tenere eum; dicebant enim quia in furorem versus est*. Censent alii (29), hujusmodi vincula tropice esse explicanda de voluntate Dei, illum ad suum ipsius ministerium munusque Propheticum eligentis & ceu vinculis adigen-

---

(14) ואלך מר בחמת רוחי (15) Ἐπορεύθην μετέωρος ἐν ὁρμῇ τοῦ πνεύματός μου. (16) ואבוא אל הגולה תל אביב (17) Καὶ εἰσῆλθον εἰς τὴν αἰχμαλωσίαν μετέωρος, καὶ περιῆλθον τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ Χοβάρ. Aq. Sym. Th. Θελ ἀβίβ. (18) הישבים אל נהר כבר ואשר המה ישבים שם ואשב שם
(19) Vide Ezech. XXXIII. 2. ... 6. & Isai. XXI. 6. LII. 8. LVI. 10. & sequ. Jerem. VI. 17. Osee IX. 8. Abac. II. 1. Zach. III. 7. &c. (20) Gregor. Magn. l. 1. homil. XI. n. 9. in Ezech. (21) ונתתי מכשול לפניו Septuag. Δώσω τὴν βάσανον εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, *Ponam tormentum*. Theodot. *Infirmitatem*. Reliqui: σκάνδαλον. (22) Rabb. Sal. Joseph, & David. Kimchi, Vat. (23) Origen. Theodoret. Hieron. Sanct. (24) Gregor. Magn. Hugo Card. (25) Vide eamdem locutionem Ezech. XVIII. 24. (26) Vide S. Thom. 3. parte quæst. 88. art. 1. 2. 3. & Commentarium in Matth. V. 20. (27) Hieronym. Theodoret. Mald. Sanct. Cornel. Tir. Prad. (28) Marc. III. 21. (29) Ita Chaldæus.

gentis. Futuram Judæorum captivitatem, post Jerosolymæ expugnationem, ea vincula significabant; Ezechiel & verbis & rebus prædicit.

℣. 26. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo. Altum adeo ad silentium te adigam, ut lingua tua palato hærere videatur. Populi flagitia eo usque creverunt, ut indignum reddiderint, quem ego alloquar (30): tuum ipsum silentium satis eloquens futurum est, si animum adverterint. Facile intelligent, me nunc idcirco iratum silere, ut tandem aliquando multo luculentius loquar, quo tempore nihil nisi desperatio, & malum medicina carens illis supersit.

℣. 27. Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat; & qui audire abstinet, abstineat (31). Qui voluerit, audiat, non audiat, qui noluerit. Suprema hæc sunt Divini furoris indicia. Ea est Israelis nequitia, ut indignus sit, quem ego ulterius missis præconibus excitem. Supremum hoc illi dicito. Audiant, si volunt; quod si noluerint, ipsi viderint. Septuaginta (32): *Qui audit, audiat; & qui incredulus est, esto incredulus.* Secunda Aquilæ editio (33): *Qui audit, audietur; & qui relinquit, relinquetur.* Qui præsentibus beneficiis bene utitur, novis cumulabitur; qui vero oblatam a Deo opem spernit, ea justissime privabitur, cum maxime indiguerit.

CAPUT IV.

Suprema Jerosolymæ obsidio, super laterem ab Ezechiele descripta. Is in sinistrum latus diebus trecentis & nonaginta cubat; super dexterum vero, quadraginta. Pollutum panem comedere a Deo jubetur.

℣. 1. ET tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te: & descri-
bes in eo civitatem Jerusalem. 2. Et ordinabis adversus eam obsidionem,
& ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, &
pones arietes in gyro. 3. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in
murum ferreum inter te, & inter civitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam: &
erit in obsidionem, & circumdabis eam: signum est domui Israel. 4. Et tu dormies
super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo numero die-
rum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum. 5. Ego autem de-
di tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos, & nonaginta dies: & por-
tabis iniquitatem domus Israel. 6. Et cum compleveris hæc, dormies super latus
tuum dextrum secundo: & assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus, diem
pro anno, diem inquam, pro anno dedi tibi. 7. Et ad obsidionem Jerusalem con-
vertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum: & prophetabis adversus eam.
8. Ecce circumdedi te vinculis: & non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec
compleas dies obsidionis tuæ. 9. Et tu sume tibi frumentum, & hordeum, & fa-
bam, & lentem, & millium, & viciam: & mittes ea in vas unum, & facies tibi
panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum: trecentis, & nonaginta die-
bus comedes illud. 10. Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti sta-
teres in die: a tempore usque ad tempus comedes illud. 11. Et aquam in mensura
bibes, sextam partem hin: a tempore usque ad tempus bibes illud. 12. Et quasi
subcinericium hordeaceum comedes illud: & stercore, quod egreditur de homine, ope-
ries illud in oculis eorum. 13. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israel panem
suum pollutum inter Gentes, ad quas ejiciam eos. 14. Et dixi: A, a, a, Domine
Deus, ecce anima mea non est polluta: & morticinum, & laceratum a bestiis non
comedi ab infantia mea usque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro im-
munda. 15. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis:
& facies panem tuum in eo. 16. Et dixit ad me: Fili hominis: Ecce ego conte-
ram baculum panis in Jerusalem: & comedent panem in pondere, & in sollicitudine:
& aquam in mensura, & in angustia bibent: 17. Ut deficientibus pane, & aqua,
corruat unusquisque ad fratrem suum: & contabescant in iniquitatibus suis.

℣. 1. SUme tibi laterem non coctum (1), quo facilius Jerosolymæ imaginem, & Chaldæorum urbem obsidentium castra in eo describas. Vel: Sume laterem coctum, in eoque describito vel scalpello, vel carbone, Jerosolymam, omnesque illius munitiones, & circa illam Chaldæorum opera & machinas. Lateres in ea regione majores erant fortasse, quam apud nos soleant. Jubet Palladius (2): *Sint lateres longitudine pedum duorum, latitudine unius, altitudine quatuor unciarum.*

(30) Hieronym. hic: *Ex quo perspicuum est, ubi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccantes qui a Domino corrigantur.* (31) Vide supra ℣. 11. & Cap. 11. 5. (32) Ὁ ἀκούων ἀκουέτω, καὶ ὁ ἀπειθῶν ἀπειθείτω. (33) Hieronym. hic. (1) Grot. Tir. Menoch. (2) Pallad. de Re Rustic. Majos, tit. 12.

rum. Hic tamen de Italicis loquitur. Sunt (3) qui asserant, lateris nomine intelligendum esse abacum ex argilla seu creta non cocta, satis commode amplum, ut Jerosolymæ, totiusque obsidionis descriptionem caperet.

℣. 2. Ædificabis munitiones. Hebræus (4): *Ædificabis adversus eam ligneam turrim* (5), cujusmodi statui solebant adversus mœnia, jaculatoribus plenæ; defensores a muro arcentibus, ut militibus scalas admoventibus ascendentibusque locum facerent. Pontes interdum lignei ex iis turribus in murum projiciebantur. Censent alii, Hebraica voce significari muros fossasque, quibus obsessa urbs cingebatur, ut egressus obsessis & suppetiæ probiberentur. Verbum *ædificare* cum voce *Dajek* junctum hic & alibi, favere huic sententiæ videtur (6). Agens de hac obsidione Jerem. 52. 4. *Dajek* circa urbem a Chaldæis ædificatum narrat. Idem habet Liber quartus Regum cap. xxv. 1. *Extruxerunt in circuitu ejus* [Jerosolymæ] *munitiones* [Dajek]; *& clausa est civitas atque vallata*. Fusius demonstrare non laboro, communem fuisse hunc in obsidionibus morem; cum & illud omnes passim Historici tradant, & nos aliquid ea de re in Dissertatione de Re militari Hebræorum docuerimus.

Comportabis aggerem, podia ex aggesta humo, quibus vel hostis protegeretur, vel implerentur fossæ, vel machinæ statuerentur, vel denique editissimi aggeres struerentur, quo facilius mœnium altitudo æquaretur. Septuaginta (7): *Circumjacies adversus eam vallum*.

Pones arietes in gyro. Vetustissimus omnium Scriptorum Ezechiel meminit arietum; & prima omnium Jerosolyma hoc machinarum genera a Nabuchodonosore obsessa est. Neque inficior, arietum inventionem Epeo tribui in Trojæ obsidione (8): at sapientissime animadvertit Diodorus Siculus Bibl. l. 2. diuturnas olim fuisse urbium obsidiones, quod nullus tunc esset muralium machinarum usus, qui, inquit, ignotus adhuc erat sub Sardanapalo, qui post bellum Trojanum floruit (9). Ne semel quidem arietes in tota Iliade nominat Homerus. Primos omnium Carthaginienses ad Gades oppugnandas ariete usos tradit Vitruvius l. 10. c. 19. quem deinde Ceteras Calcedonius absolvit. Arietis descriptionem vide in Dissertatione De re militari Judæorum.

℣. 3. Sume tibi sartaginem ferream. Hebræa vox מחבת proprie significat ferream laminam, qua calefacta panis coquitur apud nonnullos adhuc Orientales. Hujusmodi laminarum & panis ea ratione cocti, passim meminit Scriptura (10). Ferrea hæc lamina, quam Ezechiel inter se te & urbem posuit, mœnia Jerosolymæ obsidione cingenda significabat.

Erit in obsidionem, et circumdabis eam. Adversus Jerosolymam stabis, ceu hostis urbem obsidens. Tuus ipse situs, totusque hic apparatus, futuræ obsidionis imago erit, ita urbis ab hoste obsessæ imaginem ad vivum exhibebis.

℣. 4. Tu dormies, quasi dormiens cubabis; minime enim dormiebat Ezechiel, cum illi definiat Deus cibum potumque in universum id tempus, quo ita cubiturus erat.

℣. 5. Trecentos et nonaginta dies. Animadvertit S. Hieronymus, Latinos quosdam Codices habuisse centum & nonaginta, alios centum & quinquaginta, at Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, cum Hebraico legere trecentos & nonaginta. At toto ne eo tempore cubuit? Sunt qui censeant (11), hæc omnia per visionem contigisse; minime enim fieri absque prodigio posse, ut quis tamdiu in idem latus cubet; cumque id prodigio factum esse, Scriptura non tradat, multiplicanda non esse prodigia, nisi necessitas postulet: quamvis autem trecentis nonaginta diebus ita cubuisse detur, id noctu solummodo censendum esse, suis interdiu negotiis occupatum. Nullum tamen hic prodigium quærendum esse videmus, aut improprias hujus rei explicationes (12). Minime enim præter rerum naturam est, ut quis vinctus diebus trecentis & nonaginta in idem latus cubet: teste enim ipsa quotidie experientia id fieri novimus in iis, qui publicis vinculis coercentur, aut quorumdam morborum genere laborant, aut insania furunt. Testatur Pradus, visum a se insanum, qui catenis vinctus nudusque in idem latus quindecim amplius annis cubuit. Adde, quod, si hæc visionis limites non superavere, fieri minime poterat, ut Judæi captivi ea intelligerent, quæ ab Ezechiele significabantur; neque ipse Propheta Divinis jussionibus satis obtemperasset. Denique id si admittas, dicendum item erit, Jerosolymæ ichnographiam & obsidionem in latere descriptam ab eo non esse, ipsum minime catenis vinctum, & panem ex variis leguminum generibus mixtum non comedisse; eaque omnia solummodo in Prophetæ animo per visionem contigisse.

Diebus trecentis & nonaginta iniquitatis Israelis, & quadraginta iniquitatis Juda, duo innuuntur: I. Jerosolymitanæ obsidionis diuturnitas; II. tempus captivitatis decem Tribuum & Juda. Ezechiel diebus trecentis & nonaginta in sinistrum latus, quadraginta in dexterum cubuit, omnino diebus quadringentis & triginta; Jerusolymæ obsidio nono Sedeciæ anno cœpit (13); captaque urbs est anno ejusdem undecimo (14). Totis tamen annis tribus urbem obsessam esse, censendum non est; satis enim constat, intermissam esse obsidionem, versis a Nabuchodonosore armis in Ægyptios, qui suppetias Sedeciæ ferebant (15).

Dies quadringenti & triginta tempus significant, quo urbs fossis valloque clausa est, prohibito omnibus egressu, adactoque in ultimas angustias populo. Prophetæ verba perspicue omnino huic sententiæ favent, minime tamen exclusa ea, quæ locum de diuturnitate captivitatis Israelis & Juda interpretatur. Jerosolymæ obsidio cœpit decimo mensis decimi die, anno Sedeciæ nono. Capta est urbs die nona mensis quarti, anno ejusdem undecimo; omnino mensibus uno de viginti, sive diebus quingentis & decem; ex quibus si menses quatuor & viginti dies, sive dies centum & quadraginta demas, quadringenti & triginta circiter dies supererunt.

Ex hisce trecentis & nonaginta diebus, annos totidem significantibus & Israelis iniquitatem definientibus, quemadmodum ex diebus quadraginta, diuturnitatem captivitatis Juda indicantibus, uber adeo difficultatum seges oritur, ut peculiari Dissertatione expendendas esse existimaverim (16).

℣. 9. Sume tibi frumentum, &c. Varia hæc

(3) Hieronym. hic, Sanct. Pisc. alii. (4) בנית עליו דיק (5) Ita Chaldæus, ut videtur, ותשרי עלה משרין *facies adversus eam machinam*. Septuag. Οἰκοδομήσεις ἐπ' αὐτὴν προμαχῶνας, *Ædificabis in ea propugnacula*. De turri lignea interpretantur Mont. Grot. Menoch. Sanct. Tir. Prad. (6) Ita Hieronym. hic. (7) Περιβαλεῖς ἐπ' αὐτὴν χάρακα. Hebr. ושפכת עליה סללה *Fundes adversus eam acervum humi*. (8) Plin. lib. 7. cap. 56. (9) Usserius Trojæ expugnationem ponit anno Periodi Julianæ 3530. & Ninives sub Sardanapalo, an. 3966 (10) Vide Levit. II. 5. VI. 21. VII. 9. & I. Par. IX. 31. & XXIII. 29. (11) Hieronym. ad Osee I. ℣. 8. *Hoc enim rerum natura non patitur, ut quisquam hominum per eccc. dies in uno semper latere dormiat*. Vide Polan. Munst. Clar. (12) Vide Chrysost. l. 3. de Dei providentia; Basil. in Isai. VIII. Theodoret. in Osee c. I. Vide Prad. Sanct. Cornel. Villalp. Boch. Dissert. de translat. J. C. in Pinnacul. Templi I. 2. Phaleg p. 958. 959. (13) 4. Reg. XXV. 1. 2. (14) 4. Reg. XXV. 2. (15) Jer. XXXVII. 5.... 10. (16) Vide nostram Dissertationem, utrum decem Tribus in patriam redierint.

leguminum genera miſcere & ſimul pinſere jubetur Propheta; tum farinam aqua ſubigere, ex eaque panes trecentos & nonaginta conficere, ſingulos viginti ſiclorum pondo, decem ſcilicet unciarum, ſingulosque ſingulis diebus comedere toto eo tempore, quo in ſiniſtrum latus cubaret. Pro *vicia* Septuaginta ferunt (17) *olyran*, frumenti genus, quo equi paſcebantur, quodque aliis avena, aliis ſecale ſive ſpelta eſt. *Stater* idem eſt ac ſiclus, ſemuncia.

℣. 10. A TEMPORE USQUE AD TEMPUS COMEDES. Ab hujuſmodi dierum exordio ad finem uſque ſingulos quotidie panes comedes (18).

℣. 11. AQUAM . . . . SEXTAM PARTEM HIN; ſcilicet ſextarium unum & dimidium, tres uncias cubicas, & paulo amplius in ſingulos dies.

℣. 12. QUASI SUBCINERICIUM HORDEACEUM COMEDES ILLUD. In placentæ ſub cineribus coctæ formam illum conficies: neque clibano coques, ſed ſub cineribus, velati ſignificaturus famem, qua premeris, ac neceſſitatem coquendi panem feſtinato opere, & ſecreto. Hæc imago erat malorum, quæ Jeroſolymæ imminebant.

STERCORE QUOD EGREDITUR DE HOMINE, OPERIES ILLUD. Panem non linies iis excrementis, quæ horret natura; id enim fieri omnino non poſſet; ſed iis areſactis coques. Hebræus (19): *Sub cinere cum ſtercore humana coques eum*. Chaldæus (20): *Super excrementum humani ſtercoris ſubiges illum*. Septuaginta (21): *In fimo ſtercoris humani condes cinere illos*. Solent adhuc apud Ægyptios agricolæ (22) pro lignis fimo boum uti. Id porro præter naturam omnino non eſt: at panem humanis excrementis areſactis coquere, id vero intelligi præter horrorem nequit.

℣. 13. SIC COMEDENT FILII ISRAEL PANEM SUUM POLLUTUM, inter gentes, ad quas tranſlati ſunt. Animadverte, juberi Ezechielem uti pane ſub humanis excrementis cocto diebus tantummodo trecentis & nonaginta, quibus in ſiniſtrum latus cubuit, ut diuturnitatem exilii decem Tribuum ſignificaret; minime vero ſupremis quadraginta diebus, quibus in dextrum latus ſtetit, tempus captivitatis Juda indicaturus. Hinc diſce, Tribum Juda remotiorem a gentium ſordibus fuiſſe, quam cæteras Tribus, quæ non adeo illarum conſuetudinem, cibos carneſque vitavere. Eadem minitatur Iſraelitis Oſee 9. 3.

℣. 14. A, A, A, DOMINE DEUS. Hebræus (23): *Ahah, Domine Deus*. Theodotio: *O Domine Deus*. Septuaginta & Symmachus (24): *Nequaquam*, vel, abſit: malum omen avertat Deus, ne talem cibum tangam. Excrementa inter impura cenſebantur. *Deuter.* 23. 1.

OMNIS CARO IMMUNDA. Nonnulli Septuaginta Interpretum Codices (25) legunt: *Omnis caro rancida*, elapſæ diei. Alii: Caro impura. Sunt qui utramque lectionem jungant. Origenis Interpres (26): *Omnis caro heſterna*; ab elapſa die ſervata. Divina Lege ſancitum erat, ut victimæ quædam eadem die prorſus totæ comederentur, nulla illarum parte in craſtinum diem relicta (27).

℣. 15. DEDI TIBI FIMUM BOUM PRO STERCORIBUS HUMANIS. Nonnihil remittit Deus, illumque uti ſinit ad coquendos panes fimo boum, in ſole ſiccato. Principio quidem Deus injunxerat Ezechieli, ut panem ſuum humano fimo decoqueret; tum indulſit illi, ut fimum vaccæ ſubſtitueret. Eſt vero hoc non inſuetum Arabibus Palæſtinis in toto Archipelago, & alibi etiam, ut placentas ſuas ſive panem ad ignem e fimo vaccæ excitatum decoquant. Puerorum eſt colligere fimum illum, quem parietibus applicant donec exſiccetur; tum in maſſas parvas redactum ſoli exponunt, quo fiat aridior. Cum vero opus eſt ignem ex eo excitant, ignem, inquam, illi perſimilem quem ex raſuris corii pellium confectores excitant. Panem vero figurant in morem placentæ, crudamque farinæ maſſam mediam conſtituunt inter duos clibanos eo igne incenſos. Decoquitur ſic paulatim. Panis iſte a placentis noſtris parum abeſt; mica eſt grata ſiquidem in cibum eadem ipſa die adhibeatur; cruſta vero nigreſcens & uſtulata ſervat odorem illius fimi quo decocta eſt, ut vix ferri poſſit, niſi ab aſſuetis. Nec apud Arabes tantummodo panis iſte ad fimum vaccæ decoctus in uſu eſt, ſed & obtinet in iis omnibus locis, in quibus ſylvis rareſcentibus lignorum ſumma caritas eſt. *D'Arvieux Coutum. des Arab. chap.* 14. *pag.* 234. Confer etiam dicta in Eccli. XXII. 2. Hæc ſtercoris vaccinei fruſtula ſpectare credo auctorem Eccleſiaſtici verbis illis cap. 22. *de ſtercore boum lapidatus eſt piger*; & Jeremiam Thren. IV. 5. *qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora*; deſignare enim hiſce viſi ſunt panem vaccineo ſtercore coctum. Nec alio igne hodie pariter in inſula Milo gypſus decoquitur. *Tournefort Voyage du Levant tom.* 1. *pag.* 62.

℣. 16. BACULUM PANIS (28), robur panis. Hoc genus panis, e variis leguminibus conſtans, male adeo coctum, tamque arcta menſura ſuppeditatum, imago erat malorum, quibus Judæi intra Jeroſolymam affligendi erant.

AQUAM IN MENSURA ET IN ANGUSTIA BIBENT. Vel (29): *Aquam in menſura & in interitu bibent*.

℣. 17. CORRUAT UNUSQUISQUE AD FRATREM SUUM, alter ſuper alterum. Hebræus (30): *Obſtupeſcant, devaſtentur, alter ad alterum*. Septuaginta: *Delebitur homo, & frater ejus*.

(17) כסמים *Caſmim*. Septuag. Ὀλύραν. Ita & Theodot. ſed Aquila 1. Edit. & Symmach. Ζέας. (18) Hieronym. hoc: *A veſpere uſque ad veſperam ſignificat*. (19) והיא בגללי צאת האדם תעגנה (20) ויהא על גללי כפי אנשא תהדרינה (21) Ἐν βολβίτοις κόπρου ἀνθρωπίνης ἐγκρύψεις αὐτά. Alludere videntur ad Ἐγκρυφίας, panes ſubcinericios. Idem in Hebræo ſpectatur. (22) Pietro della Valle tom. 2. Lettera XI. (23) אהה אדני יהוה (24) Μηδαμῶς. Κύριε ὁ Θεός. (25) Πᾶν κρέας ἕωλον. Alias: Πᾶν κρέας βέβηλον; alias, Πᾶν κρέας ἕωλον, & βέβηλον. Ita Theodor. (26) Origen. homil. V. in Levit. (27) Exod. XXII. 29. Levit. VIII. 31. 32. & XI. 17. (28) מטה לחם Secunda Edit. Aquilæ, Sym. Theodot. Στήριγμα ἄρτου. Septuag. Στήριγμα. Prima Edit. Aquil. *Baculum*. (29) במשורה ובשממון Septuag. Ἐν μέτρῳ, & ἐν ἀφανισμῷ. (30) נשמו איש ואחיו Septuag. Ἀφανισθήσεται ἄνθρωπος, καὶ ἀδελφὸς αὐτοῦ.

C A P U T V.

Capitis ſui capillos tres in partes ſcindit Ezechiel, ac triplici ratione conſumit, ut futura Judæorum mala ſignificet. Graves Dei minæ in populum.

℣. 1. ET tu, fili hominis, ſume tibi gladium acutum, radentem pilos; & aſſumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & aſſumes tibi ſtateram

teram ponderis, & divides eos. 2. Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam vero aliam dispergies in ventum, & gladium nudabo post eos. 3. Et sumes inde parvum numerum: & ligabis eos in summitate pallii tui. 4. Et ex eis rursum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. 5. Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu ejus terras. 6. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia, quam Gentes: & præcepta mea ultra quam terræ, quæ in circuitu ejus sunt: judicia enim mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, & juxta judicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati: 8. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis Gentium. 9. Et faciam in te, quod non feci, & quibus similia ultrà non faciam, propter omnes abominationes tuas. 10. Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos, et faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum. 11. Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo quod sanctum meum violasti, in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, et non parcet oculus meus, et non miserebor. 12. Tertia pars tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui: et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos. 13. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient, quia ego Dominus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis. 14. Et dabo te in desertum, & in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. 15. Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum, & stupor in Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cum fecero in te judicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus iræ. 16. Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos, quæ erunt mortiferæ, & quas mittam, ut disperdam vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis. 17. Et immittam in vos famem, & bestias pessimas usque ad internecionem: & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te: ego Dominus locutus sum,

℣. 1. SUME TIBI GLADIUM ACUTUM, novaculam. Hebræus (1): *Sume tibi gladium, & forficem tonsorum*. Gladius Hebræis est quicquid abscindit. Nullus adhuc forrasse ea ætate usus novacularum erat, ad radendos pilos; quamobrem eadem voce utebantur, cum & barbam & oves tondere significarent (2). Septuaginta: *Sume tibi ensem acutum, potius quam novaculam tonsoris*. Vel: Sume gladium & forfices. Altera malorum figura Judæis imminentium. Universæ gentis personam unus gerit Ezechiel. Imperat illi Deus, I. Ut capillos & barbam radat; id quod apud Hebræos vel luctus indicium erat (3), vel supplicii (4). II. Ut capillos tres in partes æquales dividat, easque ad libram appendat. Divinorum judiciorum æquitatem significaturus, cum Deus nihil nisi ad libram exactissime & æquissime agat. III. Hæc agenda erant ab Ezechiele, antequam is vinciretur, & in sinistrum latus cubaret secus Jerosolymæ imaginem in creta descriptam: at capillos dissipare aut comburere debuit pro temporis mensura, quod ab eo agendum erat, secus Jerosolymam cubante, uti statim legimus.

℣. 2. TERTIAM PARTEM IGNI COMBURES IN MEDIO CIVITATIS, quam in latere descripsisti. Capilli supra Jerosolymam combusti, figura erant civium, fame & peste perimendorum in Jerosolymitana obsidione, sub Nabuchodonosore (5). Altera pars, circa urbem discerpta, eos significabat, quos hostium ensis in eruptionibus ac mœnium propugnatione voraturus erat (6). Tertia denique pars, partim in ventos projicienda, imago erat paucissimorum numero Judæorum, quos Babylonii captivos ducturi erant, variasque in plagas dissipaturi (7). Altera vero pars tertiæ hujus partis, in angulo pallii Ezechielis condita, ii sunt, qui Godolia duce in patria manserant, post urbis expugnationem, quorum pars magna fame aut ense periit, tum in Palæstina, tum in Ægypto, finitimisque regionibus; reliqui Babylonem captivi ducti fuere. *Hæc* summatim collegimus eorum, quæ maxime probabilia in hujusmodi figurarum explicatione videntur. Septuaginta & Theodoretus legunt hic, & ℣. 12. quatuor capillorum partes, pro tribus, quas in Hebræo legimus. Vide S. Hieronymum.

JUXTA COMPLETIONEM DIERUM OBSIDIONIS. Vel, eo gradu, quo tropicæ hujus obsidionis dies explebuntur. Omnes simul capillos non combures, sed per partes.

℣. 3. IN SUMMITATE PALLII. Hebræus (8): *In alis tuis*, in togæ laciniis.

℣. 4. EX EIS EGREDIETUR IGNIS IN OMNEM DOMUM ISRAEL. Expugnata Jerosolyma, paucis Judæo-

(1) קח לך חרב חדה תער הגלבים Septuag. Λάβε σεαυτῷ ῥομφαίαν ὀξεῖαν, ὑπὲρ ξυρὸν κουρέως αὐτήν.
(2) Vide Judic. XVI. 19. (3) Jerem. XLV. 5. XLVIII. 37. Baruch VI. 30. (4) Vide 2. Reg. X. 4.
(5) Vide ℣. 12. *Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui.* (6) ℣. 12. *Tertia pars in gladio cadet in circuitu tuo.* (7) ℣. 10. & 12. (8) בכנפיך Septuag. Ἐν τῇ ἀναβολῇ σου.

dæorum in patria superstitum reliquiis Godoliam præfecit. Plerique eorum, qui in finitimas provincias elapsi fuerant, in Judæam reversi sunt, sedesque ibi ponere cœperunt: at Ismahel Nathaniæ filius, Godoliæ dignitatem ægre ferens, indignis artibus illum neci dedit, atque alterum Judæorum exilium exitiumque peperit, teste Jeremia (9). Veteres quidam (10), atque e Recentioribus plures locum hunc de Antiochi Epiphanis injuriis explicant, in Judæos exercitis, excitatisque ob turbas seditionesque, quibus ipsi inter se Judæi dissidebant.

℣. 5. In medio gentium posui eam. Illam beneficiis cumulavi, nobilemque inter gentes reddidi. Sunt (11), qui locum hunc ad verbum interpretantes, asserant, Jerosolymam in ipso terræ habitabilis, & Ezechielis ætate cognitæ, meditullio consedisse. Favere videntur huic sententiæ non rari Scripturæ loci, quibus Jerosolyma ceu in medio terræ consideus inducitur (12). At singula eorum locorum verba de hujus urbis dignitate, gloria, amplitudine, quippe quam Deus ceu cæterarum Reginam creaverat, aptissime explicantur.

℣. 7. Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro, Hebræus (13): *Quia superastis numero gentes* (14). Vel: *Quia multiplicastis* flagitia, *magis quam gentes cæteræ*. Septuaginta (15): *Pro quibus occasionem cepistis ex gentibus, quæ circa vos sunt*, earumque exemplo me provocastis. Secunda Aquilæ Editio (16): *Eo quod numerati estis in gentibus, quæ in circuitu vestro sunt*, cum illas imitari volueritis. Vertunt alii: Quia superastis mobilitate, seditione, inquietudine finitimos. Chaldeus sententiam hanc longe luculentius exprimit: *Pro eo quod peccastis magis quam populi*.

Juxta judicia gentium non estis operati; has impietate superastis, minori studio vestram ipsorum Religionem, ritus, officia sequuti, quam illæ sua. Vel: Ipsas Naturæ leges, & communia populis bene institutis jura neglexistis. Sunt qui censeant, negantem particulam hic abundare, legendumque esse: *Juxta judicia gentium estis operati*. Certe ea non legitur Capite XI. ℣. 12. ubi eadem ferme hujus sententiæ verba recitantur: *In præceptis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis, sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati*. Hoc tamen argumento non vincimur: scelus est Judæo Ethnicos imitari; at longe gravius, illos flagitiis superare.

℣. 9. Similia ultra non faciam. Jerosolymæ excidium sub Nabuchodonosore, Divinæ justitiæ exemplum est maxime omnium, quæ in veteri Testamento leguntur, formidabile. Alterum ejusdem urbis excidium per Romanos, post Jesu Christi obitum, ad novum Fœdus pertinet: illud intra certos temporis fines definiebatur: hoc fine caret: causæ utriusque aliæ plane sunt, & infinito prorsus intervallo dissimiles.

℣. 10. Patres comedent filios. Id in Jerosolymitano per Nabuchodonosorem excidio contigisse, non docent Historici, ex quibus extremam solummodo famem in populo sævisse discimus (17). At alia occurrunt ejus sævitiæ exempla inter Judæos, quibus vero simillima efficiuntur hæc, quæ ab Ezechiele prædicuntur (18). Si extrema Judæorum mala Lamentationibus Jeremiæ describuntur, uti omnino videtur, hæ profecto minas hasce Ezechielis prorsus expletas esse significant (19): *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum*. Hæc inter Judæos futura, olim prædixerat Deus: porro Dei minas res ipsa frequentissime consecuta est (20).

Ventilabo, dispergam, in ventum projiciam, ceu in area paleam. Post Babylonicam captivitatem, Judæorum gens nunquam in patriam tota coaluit.

℣. 13. Consolabor, iram explebo. Apud Scripturam (21) *consolari* est, vindictam in adversarios exercere.

℣. 14. Dabo te in desertum et in opprobrium, cui hostes illudant. Septuaginta (22): *Ponam te in solitudinem, & filias tuas in circuitu tui*: te, Jerosolyma, tuæque ditionis urbes.

℣. 17. Immittam bestias pessimas usque ad internecionem. Solent, inquit S. Hieronymus (23), feræ in desertis regionibus augeri, ac viatores terrere. Intelligi etiam hic locus potest de Chaldæis (24), quos Deus cum feris comparat, qui occupata Judæa, mala, quæ vidimus, in illam intulere. Nabuchodonosor apud Prophetas sub leonia (25) & aquilæ (26) imagnibus exhibetur.

[9] Vide Jerem. cap. XL. XLI. & XLII. [10] Hieronym. Apollin. Hugo, Dionys. Prad Sanct. [11] Hieronym. Theodoret. hic. Vide Comment. in Psal. LXVIII. [12] Psalm. LXXIII. 12. *Operatus est salutem in medio terræ*. Ezech. XXXVIII. 12. [13] יען המנכם מן הגוים אשר סביבותיכם [14] Ita Symmach. [15] Ἀνθ' ὧν ἀφορμὴ ὑμῶν ἐκ τῶν ἐθνῶν τῶν κύκλῳ ὑμῶν. [16] Vide Hieronym. hic. [17] Vide 4. Reg. XXV. 3. *Prævaluit fames in civitate, nec erat panis populo terræ*. [18] Ita Theodoret. & Hieron. [19] Thren. IV. 10. Vide & cap. II. 20. Jerem. XIX. 9. [20] Deut. XXVIII. 53. 4. Reg. VI. 28. Joseph. de Bello lib. VII. cap. 8. [21] Psalm. CXXXIV. 14. Isai. I. 24. Ezech. XXIV. 14. [22] Θήσομαί σε εἰς ἔρημον, καὶ τὰς θυγατέρας σου κύκλῳ σου. [23] Hieron. Grot. Cornel. Menoch. &c. [24] Hieronym. hic & Prado. [25] Dan. VII. 4. Jerem. IV. 7. [26] Dan. VII. 14. Ezech. XVII. 3. Jerem. XLVIII. 40.

CAPUT VI.

Judæorum calamitas, Extremum Judaicæ regionis excidium. Judæi patria extorres, Simulacra Deorum eversa; eorumque cultores probro obruti.

℣. 1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem
tuam ad montes Israel, & prophetabis ad eos, 3. Et dices: Montes Israel
audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus,
& vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra,
4. Et demoliar aras vestras, & confringentur simulacra vestra: dejiciam interfectos
vestros ante idola vestra. 5. Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum
vestrorum: & dispergam ossa vestra circum aras vestras. 6. In omnibus habita-

bitationibus vestris Urbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur, & interibunt aræ vestræ, & confringentur: & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra. 7. Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis, quia ego sum Dominus. 8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cum dispersero vos in terris. 9. Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captivi ducti sunt: quia contrivi cor eorum fornicans, & recedens a me; & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt in universis abominationibus suis. 10. Et scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc. 11. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide pedem tuum & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel: quia gladio, fame, & peste ruituri sunt. 12. Qui longe est, peste morietur: qui autem prope, gladio corruet: & qui relictus fuerit, & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis. 13. Et scietis, quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus universam quercum frondosam, locum, ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis. 14. Et extendam manum meam super eos: & faciam terram desolatam, & destitutam, a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum: & scient, quia ego Dominus.

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME; elapsis fortasse diebus trecentis & nonaginta, quibus in sinistrum, & quadraginta, quibus in dextrum latus cubandum erat Ezechieli. Novum hic vaticinium exorditur (1).

℣. 2. PONE FACIEM TUAM AD MONTES ISRAEL. Judæam versus intuere, eamque regionem incolarum flagitiis inquinatam alloquere. Israelis nomine hic non unum decem Tribuum, a Juda segregatarum, Regnum intellige; illud enim jam diu antea desierat; eoque everso, Regnum Juda tum suo, cum Israelis nomine indiscriminatim appellabatur. Innumera ejus rei exempla in Paralipomenis, Ezechiele, Esdra, Macchabæis, Librisque vel in captivitate vel post ipsam scriptis, suppeditantur.

℣. 4. SIMULACRA. Hebræus (2): *Imagines*, vel Templa *Solis*.

DEJICIAM INTERFECTOS VESTROS ANTE IDOLA VESTRA. Ad verbum (3): *Prosternam vulneratos vestros coram stercoribus vestris*, Diis turpissimis. Permisit Deus, ut ea Judæis illi, qui ad Numinum aras, seu ad asylum, confugerant, ibi a Chaldæis necarentur.

℣. 5. DISPERGAM OSSA VESTRA CIRCUM ARAS VESTRAS. Integra hujusmodi minarum fides stetit, post Jerosolymæ excidium. Chaldæi, violatis mortuorum sepulcris, ossa undique projecerunt (4).

℣. 9. RECORDABUNTUR MEI LIBERATI VESTRI. Ad me ab exilio redibunt; pœnitentiam agent, atque ad me convertentur. Malis afflicti, resipiscent.

QUIA CONTRIVI COR EORUM FORNICANS, infidele, profanum, superstitione inquinatum, Septuaginta (5): *Juravi cordi eorum fornicario ac rebelli, & oculis eorum meretriciis, &c.* Juravi futurum, ut iratus in illorum flagitia animadverterem. Hæc etiam elici potest ex Hebræo sententia (6): *Contritus sum corde eorum meretricio*. Patientiam meam fatigavere. Vel: Dolore ac misericordia commotus sum, illorum infirmitatem atque inopiam intuens.

℣. 11. PERCUTE MANUM TUAM, ET ALLIDE PEDEM TUUM. Iram admirationemque motu gestuque ostendito. Manu & pede ferire, varios animi motus significare potest, puta gaudium, dolorem, admirationem. Hic tota orationis series de mœrore & misericordia explicari jubet.

DIC: HEU, AD OMNES ABOMINATIONES MALORUM. Omnia illis supplicia prædicito, quæ ipsorum flagitiis imminent. Hebræus (7): *Dic: Heu in omnes abominationes malorum*. Vel: Dic, Ah, &c.

℣. 14. A DESERTO DEBLATHA. Deblatha, sive Deblathaim sita est in Moabitide. Hujus meminere Numeri, Deuteronomium, & Jeremias (8). Malo Hebræum vertere (9): *Faciam terram vestram desolatiorem, & vastiorem Deblatha*. Certe non video, cur Deblatha hic usurpetur ceu imago excidii regionis Juda, cum Deblatha remotissima a Judæa sit, nullusque alius occurrat locus oppositus, qui huic respondeat.

[1] Vide Junium hic. [2] חמניכם Septuag. Aq. & Th. Τὰ τεμένη, *delubra*. [3] והפלתי חלליכם לפני גלוליכם [4] Baruch II. 24. *Statuisti verba tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur ossa Regum nostrorum, & ossa patrum nostrorum de loco suo, &c.* Et Jerem. VIII. 1. [5] Ὀμώμοκα τῇ καρδίᾳ αὐτῶν τῇ ἐκπορνευούσῃ. [6] נשברתי את לבם הזונה [7] ואמר אח אל תועבות Septuag. & Theodot. Εὖγε, &c. Aquil. Ἆ ἆ. Symm. Σχετλίασον, *Lamentare, plange*. [8] Num. XXXIII. 46. Deut. VIII. 15. Jerem. XLVIII. 22. [9] משמה ממדבר דבלתה

CAPUT VII.

Proxima Judæorum calamitas prædicitur. In Judæorum flagitia invectiva.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Et tu, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel: Finis venit, venit finis super quatuor pla-

gas terræ. 3. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas. 4. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor; sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis, quia ego Dominus. 5. Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio ecce venit. 6. Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te: ecce venit. 7. Venit contritio super te, qui habitas in terra; venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ montium. 8. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua. 9. Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens. 10. Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia: 11. Iniquitas surrexit in virga impietatis: & non ex eis, & non ex populo, neque ex sonitu eorum, & erit requies in eis. 12. Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur, & qui vendit non lugeat: quia ira super omnem populum ejus. 13. Quia qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum, visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur, & vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur. 14. Canite tuba, præparentur omnes, & non est, qui vadat ad prælium: ira enim mea super universum populum ejus. 15. Gladius foris; & pestis, & fames intrinsecus; qui in agro est, gladio morietur: & qui in civitate, pestilentia, & fame devorabuntur. 16. Et salvabuntur, qui fugerint ex eis, & erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua, 17. Omnes manus dissolventur, & omnia genua fluent aquis. 18. Et accinget se ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in universis capitibus eorum calvitium. 19. Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. 20. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam: 21. Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis terræ in prædam, & contaminabunt illud, 22. Et avertam faciem meam ab eis, & violabunt arcanum meum, & introibunt in illud emissarii, & contaminabunt in illud. 23. Fac conclusionem: quoniam terra plena est judicio sanguinum, & civitas plena iniquitate. 24. Et adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum. 25. Angustia superveniente, requirent pacem, & non erit. 26. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum, & quærent visionem de propheta, & lex peribit a sacerdote, & consilium a senioribus. 27. Rex lugebit, & princeps induetur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis, & secundum judicia eorum judicabo eos, & scient, quia ego Dominus,

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI. Pergit hic de iis agere, de quibus superiori capite, Divinasque in Judæos minas urgere.

℣. 2. FINIS VENIT SUPER QUATUOR PLAGAS TERRÆ. Tempus supplicii in Judæam inferendi demum venit (1): Judæorum impietas ad fastigium perducta est. Calamitas, quam prædico, non unius regionis est, aut urbis, seu Tribus, sed regionis universæ: in quatuor promissæ regionis fines ruet; & quidem quantocius, atque, ut maxime, intra quinque vel sex annos explebitur. Ezechiel quinto vel sexto Sedeciæ anno vaticinabatur; Jerosolyma undecimo ejus Regni anno expugnata est.

℣. 3. PONAM CONTRA TE ABOMINATIONES TUAS, ceu hostes; vel, coram te flagitia tua sistam, veluti accusatores, quibus rea ostendaris: illa ego revocabo, ut probrum sentias, quo ex illorum præsentia obrueris.

℣. 4. ABOMINATIONES TUÆ IN MEDIO TUI. Idola tua & flagitia tuos ante oculos semper versabuntur; eaque sequetur pœna, & ubique comitabitur; scelerum tuorum præsentiam, conscientiæ stimulos, mexque ultionis gravitatem vitare non poteris.

℣. 5. AFFLICTIO UNA, AFFLICTIO ECCE VENIT (2); suprema, maxima, unica, integra & absoluta calamitas (3). *Afflictio una* est calamitas adeo gravis, ut illam altera non sequatur, quippe cui addi nihil, aut admoveri remedium queat: *Consummationem ipse faciet*, ajebat alter (4): *non consurget duplex tribulatio*. Vertunt alii (5): *Malum post malum venit*. Chaldæus: *Malum post malum venit super te*.

℣. 6. EVIGILAVIT ADVERSUM TE (6), in te ruit. Fu-

[1] Hieronym. Theod. [2] רעה אחת רעה הנה באה [3] Ita Vatab. Sanct. Men. Tir. Riber. Prad. [4] Nahum 1. 9. [5] Castal. Tigur. Munst. [6] הקץ הקיץ אליך Perspicue lusus verborum hic est inter קץ & הקיץ Septuaginta: Ἐξηγέρθη πρός σε.

Furor meus hactenus sopitus jacuisse videtur: nunc demum erumpet. Vide infra, ℣. 10. & Jeremiam, 1. 12. *Virgam vigilantem ego video.*

℣. 7. VENIT CONTRITIO SUPER TE. S. Hieronymus in Commentario legit *contractio*, non *contritio*. Aquila: *Contemplatio* sollicita; Theodotio: *Contextus* (7). Hebraicam vocem *Zephira* (8) Septuaginta reddiderunt (9): *Finis venit*. Alii (10): *Venit mane*; quæ explicatio refertur ad superius illud: *Evigilavit*, fulgere cœpit dies. Operi suo manum admovet Deus. Alii: *Corona venit*. Chaldæus: *Revelatum est regnum*; quasi dicat, calamitatem hanc sub præsenti regno, ante exitum Sedeciæ, erupturam; vel sub Nabuchodonosore, quemadmodum perspicue satis innuit ℣. 10.

PROPE EST DIES OCCISIONIS, ET NON GLORIÆ MONTIUM. Hebræus (11): *Dies tumultus, & non echo montium.* Accedente hostium exercitu, vere tumultum audies, non echon montium (12), inanem scilicet fragorem, iteratis vocibus auctum, panicumve terrorem. Aliter (13): Non celeusma vinitorum in montibus vindemiæ tempore, sed tumultum exercitus. Omnium aptissima videtur hæc explicatio; Hebraicam vocem hujus loci pro vinitorum celeusmate certum est frequenter usurpari (14). Septuaginta: *Appropinquavit dies, non cum perturbationibus, nec cum doloribus.* Symmachus (15): *Venit tempus, prope est dies festinationis, & non recrastinationis.*

℣. 10. EGRESSA EST CONTRITIO, FLORUIT VIRGA, GERMINAVIT SUPERBIA. Tropicæ locutiones, quibus proxima ultionis dies significatur. S. Hieronymus legit: *Egressa est contractio*, pro *contritio*, quemadmodum & ℣. 7. atque ita interpretatur: *Contracta est dies & abbreviata*: Proxima est captivitas; virga tam diu comminitans, floruit: superbia tua fructum tulit; supplicium, quod merebaris, induxit. Verti potest: *Venit mane, floruit virga, germinavit altitudo* (16): expergefactus est Deus. Vide ℣. 6. Virga, qua vos ferire decrevit Deus, florere incipit: ea utendi tempus venit: arboris sublimitas, extremus ramorum vertex gemmas edidit: vindemiæ tempus advenit. Septuaginta (17), sive Theodotio, ex quo multa derivata sunt in Textum Septuaginta, in Ezechiele interjectum, uti docet S. Hieronymus: *Exiit nexus*, textus, densitas ramorum arboris gemmas edidit, *floruit virga, germinavit superbia.* Ita vero explicari queunt: Expectabat Deus, ut nequitia tua ad fastigium perduceretur: diu patiens hortabatur ut resipisceres; at pro pœnitentia nequitiam edebas. Obdormiscere videbatur; tu illum excitasti; fructus pessimos rami tui protulere: impietatem in te inveair, superbiam, pertinaciam. Quamobrem severissime in te animadvertere mox incipiet. Hæc interpretatio optime omnium cum litera congruit, & cum sequentibus nectitur. Chaldæus: *Revelatum est regnum, germinavit dominator, apparuit impius.* Solus tunc Chaldæis imperabat ab aliquot annis Nabuchodonosor. Explicationem hanc & multi probant, & fulciunt ea quæ sequuntur (18).

℣. 11. INIQUITAS SURREXIT IN VIRGA IMPIETATIS. Pergit metaphora. Floruit virga: quid vero tulit? Nequitiam. Nimirum quid ferre potuit impietatis virga, nisi nequitiæ gemmam? Iniquitas pro illius pœna hic usurpari videtur.

NON EX EIS, ET NON EX POPULO, NEQUE EX SONITU EORUM, ET NON ERIT REQUIES IN EIS. Vel, junge cum superioribus, in hanc sententiam: *Iniquitas prodiit ex virga impietatis: nemo ex iis est* expers nequitiæ, *nemo ex populo, nemo ex primoribus eorum, nemo erit qui quiescat in eis* (19). Vel: Nemo ex iis immunis a malo erit: nemo ultionis meæ vim effugiet, parvus ne an magnus; non quiescam, nisi penitus illos delevero. Vel: Nemo ex iis ab errore revertetur; nemo ex populo, nemo ex optimatibus, nemo ex multitudine: nunquam hi peccare cessant. Vel refer ad Chaldæos: Vis & iniquitas ex hac impietatis virga, qua in populum utor, egredientur. Nemo immunis erit, quacumque in conditione sit: nemini vacabit sua ipsius mala luctu prosequi. Obscurus est Septuaginta Interpretum locus (20): *Conteret firmamentum impii, & non cum perturbatione, neque cum festinatione, & nemo ex iis superest, neque pulcritudo in eis.*

℣. 12. QUI EMIT, NON LÆTETUR; ET QUI VENDIT, NON LUGEAT. Nemo ferme, nisi coactus inopia, patrimonium vendit: molestum porro est eo adigi. Monet hic populum Propheta, nemini lætandum esse, quod alterius patrimonium emerit, neque dolendum, quod vendiderit suum. Is qui vendit, fundum dat, quo quantocius erat cariturus; is qui emit, empto non diu fruitur; communi enim totius gentis calamitate, qua mox obvolvendi sunt, omnes una peribunt: *Quia ira super omnem populum.*

℣. 13. QUIA QUI VENDIT, AD ID QUOD VENDIDIT, NON REVERTETUR. Is qui patrimonium vendidisset, Legis sanctione in pristinum jus Jubilæi anno revertebatur (21). Monet Ezechiel, nequis vendito patrimonio doleat; quamvis enim non venderet, eo exuendus est, neque diu fruetur, coactus illo, ceu aliena re, abstinere, non velut fundo, in quem jure postliminii per Jubilæum sit revocandus.

ET ADHUC IN VIVENTIBUS VITA EORUM: hæc viventibus adhuc iis, qui nunc vitam agunt, evenient. Vel: Paternas hæreditates anno Jubilæo non repetent, quamquam malis hisce superstites; agendi enim sunt in captivitatem. Vel iterata superioris membri negante particula: *Ad id quod vendit, non revertetur, neque tunc vitam aget.* Ad verbum (22): Neque *adhuc* tunc erit *in viventibus vita eorum.* Postrema hæc explicatio aptissima omnium videtur.

VISIO ENIM AD OMNEM MULTITUDINEM EJUS NON REGREDIETUR (23). Oracula, quæ universum omnino populum spectant, inania non erunt; re infecta non revertentur, ceu nuncii, qui imperata non perfecere. Meræ inanesque minæ non sunt, sed res ipsa minas consequetur.

Chaldæus: *Et dum ipsi vivunt, demolabitur in eis hostis corporibus eorum, quia cum Prophetæ prophetarent ad omnem multitudinem eorum, ut ad pœnitentiam redirent; quisque in sceleribus animæ suæ sibi placet, & in ira Dei ipsi permanent, non apprehendunt pœnitentiam.* Aptissima paraphasis.

VIR IN INIQUITATE VITÆ SUÆ NON CONFORTABITUR, spem habere non debet. Hæc verba jungi cum præcedentibus queunt: Visio in multitudinem universam est. *Non regredietur vir* ad Deum, pœnitentiam amplexus; *adversus iniquitatem vitæ suæ non firmabitur.* Satis constans non erit, ut scelera abjiciat. Vel: Is qui vendit, in venditum patrimonium jure postliminii nunquam revertetur:

---

(7) Aquil. Περισφιγμός. Theodor. Πλοκή. Vide Hieron. hic. (8) באה הצפירה (9) Scholiast. apud Drus. & Nobil. (10) Jun. Pisc. Grot. Vat. Castal. (11) היום מהומה ולא הד הרים (12) Pagn. Vat. Jun. Piscat. (13) Grot. Prad. Cornel. Menoch. &c. (14) Isai. xvi. 9. 10. Jerem. xlviii. 33. Ex. 24. (15) Apud Hieron. hic. (16) יצאה הצפירה צץ המטה פרח הזדון (17) Ἐξῆλθεν ἡ πλοκὴ, καὶ ἤνθησεν ἡ ῥάβδος, ἐξανέστηκεν ἡ ὕβρις. (18) Vide Polychron. Dionys. Carthus. Vat. Maldon. &c. (19) החמס קם למטה רשע לא מהם ולא מהמונם ולא מהמהם ולא נה בהם (20) Συντρίψει στήριγμα ἀνόμου, καὶ οὐ μετὰ θορύβου, οὐδὲ μετὰ σπουδῆς, καὶ οὐκ ἐξ αὐτῶν οὐδὲ, οὐδὲ ὡραϊσμὸς ἐν αὐτοῖς. (21) Levit. xxv. 25. & seq. (22) המוכר אל הממכר לא ישוב ועוד בחיים חיתם (23) כי חזון אל כל המונה לא ישוב

tur: *non regredietur*, *neque quisquam* præsidium aliquod in vitæ iniquitate nanciscetur. Septuaginta aliter legunt (24): *Non revertetur*, *& homo* in *oculis vitæ suæ non dominabitur*, scilicet, authore S. Hieronymo: Homo iis quæ maximopere optaverat, non fruetur.

℣. 14. Canite tuba: præparentur omnes. Et non est qui vadat ad prælium. Inanes Judæorum conatus describit, ut tele a Chaldæis tueantur: Clangent tuba, arma capi jubebunt: at omnes adeo terror occupabit, ut nemo vel prodire, vel in hostem proficisci ausurus sit. Septuaginta (25): *Clangite tuba*, *& judicate omnia*, *& non est qui eat ad prælium*. Altera hujus versiculi pars in Græcis S. Hieronymi Codicibus non habebatur, quemadmodum & aliis hujus Prophetæ loci, ex Theodotione additi.

℣. 16. Erunt in montibus, quasi columbæ convallium. Vagi in montibus errabunt, ceu cicures columbæ quas accipiter agit, a suis sedibus remoti, paventes, trepidi, animo consternati. Hebræus (26): *Erunt* in *montibus*, *quasi columbæ meditantes*, seu gementes. Vocem edere non audebunt, ut suas ipsi calamitates lugeant: obscuros gemitus edent, & suspiria intra pectus condent.

℣. 17. Omnia genua fluent aquis. Terror, quibus agitabuntur, urinam, sive sudorem undique ex corpore exprimet (27). Septuaginta (28): *Et omnia femora polluentur humore*. Plerique de urina interpretantur (29). Urinam a pavore exprimi, docent Aristoteles (30) & experientia. Sunt qui de sordibus multo fœdioribus explicent (31). Hæc porro pavor insolitus parit.

℣. 18. In universis capitibus eorum calvitium, ut in luctu solet. Is erat Hebræorum mos, ut comam barbamque promissam gererent, nunquam nisi in luctu prorsus cæsam (32), cum scilicet publica vel privata mala id postularent, sive ubi quis pœnitentiam ageret, seu corporis afflictionem præ se ferret.

℣. 19. Animam suam non saturabunt. Cibum quovis pretio non invenient: medias inter opes, fame peribunt, iisque nec libertatem redimere, nec vitam poterunt. Vide & Sophoniam, I. 18.

Quia scandalum iniquitatis eorum factum est. Aurum argentumque labendi occasio illis fuit, illorum cupiditati servíit, atque omnia hæc mala in caput ipsorum provocavit.

℣. 20. Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt. Splendidis torquibus sese ornavere, ut superbiæ atque ambitioni morem gererent. Quid vero flagitii est, ambitionis adminicula in alia superbiæ instrumenta convertere? Aptius ita redditur (33): *Gloriam & decus ornamenti sui*, ornamenta opesque Templi, *ad conficiendas imagines abominabiles & spurcas converterunt*. Quam obrem *babuit aurum illud argentumque fordiem loco* (℣. 21.). *Dabo illos in manus hostium*, *qui illud diripient ac polluent*.

℣. 21. Dabo illud impiis terræ in prædam; præda Chaldæorum erit, gentis impiæ regionem hanc, in qua vivimus, incolentis. Quæ sequuntur, huic explicationi favent.

℣. 22. Violabunt arcanum meum, et intrabunt in illud emissarii. Hæc perspicue Chaldæos innuunt, qui expugnata Jerosolyma, sacratissimum Templi adytum ingressi, polluerunt ac diripuerunt. Hebræus (34): *Pollueni absconditum meum*: *in illud vi irrumpent latrones* (destructores, violenti homines), *& pollnent illud*. Septuaginta (35): *Violabunt visitationem meam*, locum quem ipse custodio; *ingredientur in eam sine custodia*: locum hunc ego deseram, ac nemo ingredi conantes prohibebit; *& contaminabunt eam*. Chaldæus: *Auferam majestatem meam ab eis* (Judæis), *pro eo quod violaverunt terram domus majestatis meæ*, *& ingredientur in eam impii*.

℣. 23. Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum. Illos denique damnato; vel, communi illos mortis sententia obvolvito: nemini parcas: una universos damnatione colligito, cum par sit omnium culpa. Hebræus (36): *Fac catenam*, vinculum; id quod in eamdem sententiam convenit. Vel, ea aliis (37): *Fac vincula*, ut omnes captivos fore demonstres. Septuaginta (38): *Facient perturbationem*. Tumultum turbasque hostis in regionem inferet.

℣. 24. Possidebunt sanctuaria eorum; Templum (39). Verti Hebræus. potest (40). *Et profanabuntur sanctuaria eorum*; idque vel de Domini Templo, vel de profanis Numinum fanis & altaribus intelligo, quæ Chaldæi, non secus atque Jerosolymitanum evertere. Vide supra, vi, 3. 4. 5. 6.

℣. 25. Angustia superveniente, requirent pacem. Sedecias & plerique Principum, sese, inslaurata in Nabuchodonosorem seditione, errasse intellexerunt, ubi illius armis cingi cœpit Jerosolyma. Id ea Jeremia discimus (41); at sera nimis pœnitentia, quippe quotum exitium certum decretumque esset. Septuaginta (42): *Propitiatio* (veniæ tempus) *veniet*, *& quæret pacem*.

℣. 26. Lex peribit a Sacerdote, et consilium a senioribus. Sacerdotes, quorum munus est, populum docere & confirmare institutionibus, exhortationibus, verbisque pietate ac religione plenis, in iis rerum angustiis ea populo præstare non poterunt. Populi Seniores, qui Regi a Consiliis sunt, Senatores consilio carebunt, & quam sese in partem vertant, aut quid aliis suadeant, ignorabunt.

(24) Οὐκ ἀνακάμψει, καὶ ἄνθρωπος ἐν ὀφθαλμοῖς ζωῆς αὐτοῦ οὐ κρατήσει. Heb. לא ישוב ואיש בעונו חיתו לא יתחזקו Septuaginta legunt בעינם (25) Σαλπίσατε ἐν σάλπιγγι, καὶ κρίνατε τὰ σύμπαντα, &c. (26) היו אל ההרים כיוני הגאיות Septuag. Ὡς περιστερὰ μελετῶντες. (27) Varab. Horat. Satyr. lib. 1: Satyr. 9. *Cum sudor ad imos manaret talos*. (28) Πάντες μηροὶ μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ. (29) Hieron. *Pavoris magnitudine urina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica prohibere*. Ita Theodoret. Prad. Grot. Tir. Menoch. (30) Aristot. lib. 4. de partibus c. 6. (31) Vide Sanct. hic, n. 33. Arist. sect. 4. Problem. 8. (32) Vide Isai. III. 24. Jerem. XLVIII. 37. Mich. I. 16. &c. (33) וצבי עדיו לגאון שמהו Septuag. Ἐκλεκτὰ κόσμου εἰς ὑπερηφανίαν ἔθεντο. (34) וחללו את צפוני ובאו בה פריצים וחללוה (35) Μιανοῦσι τὴν ἐπισκοπήν μου, καὶ εἰσελεύσονται ἐν αὐτῇ ἀφυλάκτως, καὶ βεβηλώσουσιν αὐτά. (36) עשה הרתוק (37) Ita Chald. Munst. Varab. Grot. &c. (38) Ποιήσουσι φυρμόν. (39) Vide supra ℣. 20. 21. 22. & 4. Reg. XXV. 13. & seq. & 2. Par. XXXVI. 18. 19. &c. (40) ונחלו מקדשיהם Septuag. Μιανθήσεται τὰ ἅγια αὐτῶν. (41) Jerem. XXXVIII. 1. 2. 3. & seq. & 13. & XXXIX. (42) Ἐξιλασμὸς ἥξει, καὶ ζητήσει εἰρήνην. Legunt כפרה pro קפרה *exterminium*.

CA-

CAPUT VIII.

Ezechiel in Jerosolymitanum Templum spiritu delatus, flagitia, quæ ibi patrantur, videt.

℣. 1. ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sede-
bam in domo mea, & senes Juda sedebant coram me, & cecidit ibi super
me manus Domini Dei. 2. Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab
aspectu lumborum ejus, & deorsum ignis, & a lumbis ejus, & sursum quasi aspe-
ctus splendoris, ut visio electri. 3. Et emissa similitudo manus apprehendit me in
cincinnio capitis mei: & elevavit me spiritus inter terram, & cœlum: & adduxit
me in Jerusalem in visione Dei, juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilo-
nem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. 4. Et ecce ibi
gloria Dei Israel, secundum visionem, quam videram in campo. 5. Et dixit ad
me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis. Et levavi oculos meos ad
viam Aquilonis, & ecce ab Aquilone portæ altaris, idolum zeli in ipso introitu.
6. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne, vides tu, quid isti faciunt, abominatio-
nes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? &
adhuc conversus videbis abominationes majores. 7. Et introduxit me ad ostium atrii,
& vidi, & ecce foramen unum in pariete. 8. Et dixit ad me, Fili hominis, fode
parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. 9. Et dixit ad me:
Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. 10. Et ingressus
vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & universa
idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. 11. Et septua-
ginta viri de senioribus domus Israel, & Jezonias filius Saphan stabat in medio eo-
rum, stantium ante picturas, & unusquisque habebat thuribulum in manu sua, &
vapor nebulæ de thure consurgebat. 12. Et dixit ad me: Certe vides, fili homi-
nis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubi-
culi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. 13. Et
dixit ad me: adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt. 14.
Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem,
& ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. 15. Et dixit ad me: Certe vi-
disti, fili hominis: adhuc conversus videbis abominationes majores his. 16. Et intro-
duxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter
vestibulum, & altare, quasi vigintiquinque viri, dorsa habentes contra templum Do-
mini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis. 17. Et dixit ad me:
Certe vidisti, fili hominis: numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abomina-
tiones istas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad ir-
ritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas. 18. Ergo & ego faciam in
furore: non parcet oculus meus, nec miserebor, & cum clamaverint ad aures meas
voce magna, non exaudiam eos.

℣. 1. IN ANNO SEXTO (a captivitate Ezechielis), IN SEXTO MENSE, IN QUINTA MENSIS, anni Sancti, qui mensis competit in Augustum anni Mundi 3411. ex Usserio.

Primo hoc capite tribusque consequentibus unica tantum visio recitatur, quam hic summatim colligendam ducimus, ne Lectoris attentio longius distrahatur. Ezechiel spiritu delatus in Templum, prope septemtrionalem Templi portam, qua in atrium Sacerdotum aditus est, statuitur. Ibi eodem apparatu, quo ad amnem Chobar, Dei gloriam intuetur. Tum statim juxta videt *Idolum zeli*. Inde in atrium populi profectus, discisso pariete, Septuaginta e populo seniores inspicit, omnia animalium genera in pariete picta venerantes. Rediens ad portam septemtrionalem, mulieres aspicit Adonidem lugentes. Ingresso atrium Sacerdotum exhibentur viri orientem solem colentes, inter vestibulum & altare, versis ad sanctuarium humeris. Hæc capite VIII. continentur.

Eodem tempore, sex viri in atrium Sacerdotum veniunt, mediusque ipsorum septimus alter, calamariam thecam e zona pendentem ferens; statimque Deus, e solio Cherubinorum alis vecto descendens, ad Templi portam, scilicet ad atrium Sancti, proficiscitur; ibique septimo illi viro, mox ingresso, imperat, ut nota quadam fronti inscripta eos designet, quibus parcendum est; cæteris vero sex, ut multitudinem ea nota non distinctam interficiant. Iis imperata illico facientibus, Ezechiel unus inter cæsos relictus, Deo supplicat. Interim sex viri redeunt, ac rei gestæ seriem narrant. Hæc nonum caput.

Mandat Deus viro illi vestibus lineis induto, ut prunas in medio Cherubinorum, qui hactenus in atrio steterunt, ardentes rapiat, iisque urbem universam conspergat. Obtemperanti quædam Cherubini manus illi prunas offert. Eodem tempore, currus Deum gerens movetur, in aera tollitur, Deumque in orientali porta sedentem excipit. Ita caput decimum.

Pro-

Propheta ad orientalem Templi portam delatus, viros quinque & viginti videt, mediumque illorum Jezoniam filium Azur, & Pheltiam Banaiæ filium, Jussus a Deo in hos vaticinari, obtemperat, suaque illis flagitia & injurias exprobrat, extrema omnia minitatus. Tum illum alloquitur Deus, prædicitque futurum, ut Judæi in patria superstites, inde scelerum causa pellantur; & qui in captivitatem rapti sunt, sua ipsorum peccata confessi, inde reducantur, eamque regionem iterum obtineant. Deus deinde supra urbem curru aufertur, atque in montem Jerosolymæ orientalem sistitur. Hic visionis finis, capite xi.

Porro hæc significabant, quid causæ esset, cur Deus populum, urbem, Templumque desereret; nimirum publica & privata populi flagitia, scelera & in cæteros injuriæ, quæ tam grave supplicium provocaverant. Cum vero Judæi cum Jechonia captivi vota ad Deum facerent, suaque scelera faterentur, dum Jerosolymitani nullum nequitiæ finem ponerent; his quidem proximum exitium minitatur Deus, illis vero felicem reditum in patriam pollicetur. Habes hic universum visionis ordinem, a plerisque non satis perspectum.

Ỹ. 2. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis. Innuere videntur Septuaginta (1), exhibitum Ezechieli hominem, flammis undique cinctum a renibus ad imos usque pedes, micantemque ceu mistum ære aurum, a renibus ad summum usque verticem. Eadem hominis imago est, ad amnem Chobar visi (2).

Ỹ. 3. Emissa similitudo manus apprehendit me. Hoc spiritu gestum est (3). Videre sibi visus est hominis vel Angeli manum sese prehendentem vel capillis, vel vitta, qua caput ceu diademate obnubebat, inscripta verbis Legis, ferentemque per aerem in Templum; ferme uti Habacuch, capillis apprehensus, ex Judæa Babylonem delatus est (4). Hebraica vox zizit (5) fimbriam, laciniam vestis significat. Ita reddiderant Septuaginta (6); quamquam nostri illorum Codices ferunt *verticem capitis*.

Idolum zeli, ad provocandam æmulationem. Simulacrum hoc ad orientalem Templi portam, quo statim delatus est Propheta, stabat. Porro ea Templi porta versa erat ad eam mundi plagam, unde profectus erat Ezechiel; quamobrem ipsa res ferebat, ut, Ezechiel in Templum veniens, per eam ingrederetur. *Idolum zeli* (7), seu zelotypiæ, *æmulationem*, seu zelotypiam *provocans*, authore S. Hieronymo (8), erat Baal, in Templo per Manassem dedicatus (9); quem deinde a Josia ablatum, successores forsasse restituerant (10). Censent alii, *Idolum zeli* omnes generatim profanos Deos significare, Dei furorem provocantes armantesque, ut in populi perfidiam animadvertat. Reddunt Septuaginta (11): *Columna acquisiti*, vel *possessi*; vel ex aliis Codicibus (12): *Columna imaginis zeli possidentis*. At hæc minime docent, quod simulacri vel Numinis genus illud esset.

Adonidem fuisse, nos credimus, his ducti argumentis. I. Ipsa hæc appellatio Adonidi maxime omnium Profanorum Numinum convenit. Amabat Adonidem Venus; quamobrem actus invidia Mars aprum misit, qui morsu Adonidem interfecit. II. Ỹ. 14. Ezechiel ad portam Septentrionalem reversus, ubi Idolum zeli stabat (13), mulieres vidit Thammuz lugentes. Porro Thammuz idem est ac Adonis (14): hic igitur ad Septemtrionalem Templi portam, nomine Idoli zeli, colebatur. III. Solet Scriptura ridiculis nominibus, ludibrii causa, Profanorum Deos appellare; Adonidem vero *Mortuum* a Scriptura interdum nuncupari animadvertimus (15): hic *Idolum zeli* nominat, & paulo infra, *Thammuz*.

Ỹ. 4. Secundum visionem quam videram in campo. Vide supra, cap. iii. 23. & c. 3.

Ỹ. 7. Ad ostium atrii, et ecce foramen unum in pariete. Portam significat, qua ex atrio Israelis in atrium Sacerdotum aditus patebat. Secus hanc, in quadam aula, perfossum parietem animadvertit: cum vero non satis pateret, jubente Deo amplius scindi visus est paries, atque intra aulam inspexit Ezechiel Judices & Israelis Principes universam animalium colluviem venerantes. Eo convenire solebant isti, ut de rebus publicis deliberarent, suisque muneribus fungerentur (16). Senatus aulam ad meridiem fuisse, secus portam, docet primum Paralipomenon xxvi. 15.

Ỹ. 10. Omnis similitudo reptilium, &c. ... depicta erant in pariete. Nedum toreumata animalium imagines exhibentia, verum etiam picturæ Lege interdicebantur (17). Septuaginta illi Senatores, reclamantibus nequicquam perspicuis adeo Legis sanctionibus, intra ipsius Templi septa picturas hujusmodi habebant: at cum eas publica superstitione aut venerari aut ostendere non auderent, in privatis ipsorum aulis colebant. Nullus dubio locus est, quin hæ animalium imagines instar illarum fuerint, quibus Ægyptii (18) templa domosque religionis causa complebant (19):

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis,

Philisthæi etiam bestias colebant, veluti muscam & piscem; Phœnices & Chananæi ovem ac taurum (20).

Ỹ. 11. Jezonias filius Saphan. Templi Scriba vel notarius erat Saphan, sub Josia notissimus (21). Hujus filius Jezonias patrem forsasse in munere exceperat: is vero princeps erat impiorum horunce hominum, quos vidit Ezechiel.

Ỹ. 12. Quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris. Id quod populi Seniores ac Principes intra ipsum Templum agunt, sed clam, & in aulis, in quibus habebantur cœtus, cum id eorum populo agere ipsos puderet.

Ỹ. 14. Ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem. Adonidis historiam ac religionem nemo ignorat. Is mortuus in feretro exhibebatur; luctuque & funebria carmina canebantur, obscœnæque imagines circumferebantur. Absoluto luctu, ac næniis lugubribus recitatis, vivus iterum dicebatur, ac festa agitabantur ob vitam Adonidi restitutam, mistis inter sacra flagitiis. Turpes adeo existimabantur Adonidis ritus, ut ingenuos homines illorum puderet, ac turpissima ipsorum mysteria cuiquam aperire, nefas baberetur. Quamquam ita vulgati erant, ut ferme ubique exercerentur. Inter Ægyptios orti, universam late Græciam, Phœniciam, Syriam, Chaldæam, &c. inundavere. Ea fuit illorum vetustas, ut de iis Moyses, ceu de rebus omnino vulgatis, agat, ubi cavet, nequis *sese incidat super mortuo* (22).

He-

(1) Ἰδοὺ ὁμοίωμα ἀνδρός, &c. (2) Ezech. i. 27. (3) Hieron. Theod. alii. (4) Dan. xiv. 35. (5) בציצת ראשי (6) Edit. Rom. Ἀνέλαβέ με τῆς κορυφῆς με. Aq. Theod. Ἐπὶ τῶ κρασπέδω τῆς κόμης με. (7) סמל הקנאה המקנה (8) Hieron. Corn. Jun. Grot. Menoch. alii. (9) 4. Reg. xxi. 7. & 2. Par. xxxiii. 3. (10) 2. Par. xxxiv. 4. (11) Στήλη τῦ κτωμένε. Theodot. Εἰκὼν ζήλε. Symm. Ἐκτύπωμα παραζηλώσεως. (12) Ἡ στήλη τῦ εἰκόνος τῦ ζήλε τῦ κτωμένε. Quod additum ex Theodotione, ait Hieron. (13) Vide ỸỸ. 3. & 5. (14) Vide infra Ỹ. 14. (15) Dissert. de Beelphegor, ad Numeros. (16) Vide Jerem. xxvi. 10. *Principes Juda ascenderunt de domo Regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini novæ*, &c. (17) Exod. xx. 4. Levit. xxvi. 1. Num. xxxiii. 52. (18) Vide Ezech. xx. 8. (19) Virgil. Æneid. 8. Vide Hieron. hic. (20) Vide Sap. xii. 24. Vide & nos in Dissertationibus de Diis Phœnicum & Philisthinorum. (21) 4. Reg. xxii. 3. 9. & seqq. (22) Levit. xix. 27. 28. Deut. xiv. 1.

Hebræus (23) pro Adonide legit *Thammuz*; ipsaque Hebræa syntaxis docere videtur, Thammuz nomen esse commune, quasi dicas *absconditum*. Plutarcho reste (24), Manethon, Ægyptius Scriptor, nomen *Ammuz*, idem certe ac *Thammuz*, interpretabatur *abstrusum*, absconditum, sive ob latentia illius mysteria, sive ex eo ipsius Festi ritu, quo Adonis in feretro clausus servabatur, vel sub mortui imagine exhibebatur. Nomen Thammuz familiare inter Ægyptios erat. Thammi cujusdam, Thebanorum Regis, meminit Plato (25), & Plutarchus (26) Ægyptii navarchi, ejusdem nominis. Junium mensem Ægyptii Thammuz nuncupabant. Hinc plane discis, Thammuz nomen esse Ægyptium; quamobrem Adonidis ritus ex Ægypto derivabantur.

Thammuz idem erat ac Osiris, Isidis maritus (27). Phœnices ac Syri Adonidem appellavere, scilicet dominum meum; isque a Græcis, præterquam sub Adonidis nomine, ferme ignoratur. Quamobrem sapientissime S. Hieronymus, Theodoretus, & Interpretum plerique ea, quæ hic de Thammuz, de Sactis Adonidis explicavere. Eo fortasse illos impulit fœminarum cœtus lugentium, sedentiumque circa simulacrum. Adde, quod tempus ipsum, quo hujus loci mulieres lugebant Thammuz, in eos dies competit, per quos altera Adonidis festa, scilicet circa Autumnum, celebrabantur. Scribit Porphyrius (28), vim elicientem ex arboribus flores, sub Athys nomine coli; eam vero, quæ fructus maturos exhibet, *Adonidis*. Porro Ezechielis visio sub Julii exitum contigit. Idem Porphyrius narrat, Osiridis sacra luctu clamoribusque sementis tempore agitari.

Rabbini, cum certa ex historicis argumenta non suppetant, aniles de Thammuz fabulas commenti sunt, quarum descriptiones plane ridiculas exhibuere. Asserit Kimchi, Thammuz fuisse simulacrum fusile, sub quo ingens ignis excitabatur; cujus vi eum plumbum, quo pleni erant oculi, liquefactum flueret, credulæ multitudini persuadebat, lacrymas edere simulacrum. Ajunt alii, Thammuz Prophetam fuisse profanum, quo a Babylonis Rege interfecto, omnia universæ regionis Numina convenere ad solis imaginem, quam magus Propheta cœlum inter terramque suspenderat, ac Prophetæ necem flevere: quamobrem instituta sunt solemnia quotannis sacra, quibus luctus ille instaurabatur, initio mensis Thammuz, qui ferme in Junium competit. Sunt denique, qui Thammuz bestiam esse putaverint, a Profanis cultam. Temere omnia.

℣. 16. In atrium interius; in atrium Sacerdotum, statim ante vestibulum Templi, ubi altare holocaustorum stabat.

Inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra Templum Domini .... et adorabant ad ortum solis. Quinque & viginti viri, quos mente vidit Propheta, Sacerdotes fuisse videntur, ministerio suo tunc temporis fungentes (29). Suadent ipse illorum numerus, & locus quem occupabant. Duodecim Sacerdotes totidemque Levitæ nunquam non in Templo erant, hebdomadarium ibi ministerium exhibentes (30). His addebatur Pontifex, quo vigintiquinque virorum numerus explebatur. Sacerdotes fere locum inter vestibulum & altare, cum orarent ac sacra facerent, tenebant (31). Hi porro Sacerdotes, neglecta Dei Israelis adoratione, quam verso ad occidentem ore illi impendere Sanctuarium versus debebant, datis illi humeris, atque ad Orientem conversi, solem venerabantur. Communis erat Profanorum, ac præsertim Orientalium, solis orientis religio. Solem Magi etiam colebant (32). Sanctum porro Ethnicis omnibus erat, os ad Orientem vertere, vota facturis (33):

Illi ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateris que altaria libant.

Vetustissimæ hujus superstitionis meminit Job (34): *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum*. Solebant Judæi quacumque demum in orbis plaga, orantes ad Templum os vertere; at in Templo ad occasum convertebantur. Contrarium Judaico morem accepere ab Apostolis primorum temporum Christiani, quibus solemne erat versu ad occidentem ore vota facere. Moris procul dubio certissimi incerta ignotaque est causa (35).

℣. 17. Ecce applicant ramum ad nares suas. Vel, ex Hebræo (36): *Mittunt ramum super faciem suam*; forte obsequii causa, veluti coram sole os velent, vel solem adoraturi, dum ramum osculantur; seu denique ut ramos pomis onustos illi offerant, ceu laboris sui primitias. Ramos hujusmodi fructibus graves offerebant Profani, lana velatos (37). Censent alii, laureos fuisse ramos, soli sacros (38). In Bacchi orgiis, thyrsi ramique foliis suis onusti gerebantur (39). Veteres Bacchum solemque miscuere. Superstitiosi Judæi, de quibus hic Ezechiel, sole oriente, ramos fortasse ori opponebant agitabantque, quemadmodum in Bacchi orgiis fieri consueverat.

Septuaginta (40): *Sicuti subsannantes extendunt ramum*. Symmachus (41): *Sunt quasi emittentes sonitum, quasi canticum, per nares suas*: illerunt, eosque imitantur, qui naso loquuntur. Quorsum vero ista? Putant Rabbini, superstitiosos hosce fœtorem naribus admovisse. Chaldæus: *Ecce ipsi adducunt confusionem ad faciem suam*; alter coram altero turpes corporis partes nudant. Nihil probabile in his versionibus esse videtur; quamobrem vel renendæ sunt eæ, quas primo dedimus, vel reddendus est locus: *Musica instrumenta mittunt super os suum*. Animadverte, quinque & viginti hosce viros Sacerdotes fuisse, vel Levitas, Templi ministerio, pulsandisque inter sacra musicis instrumentis occupatos. Hos exhibet Propheta coram Oriente sole procumbentes, musicisque instrumentis ora opertentes, ferme uti quatuor & viginti Seniores in Apocalypsi v. 8. *qui ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum*. Hebraica vox *Hasmorah* musicum instrumentum significare potest, quemadmodum *Mismerah* frequenter pro eodem usurpatur (42). Favet huic explicationi ipsum illud verbum *mittere*; non enim apte dicitur: *Mittunt ramum ad nares suas*, vel ad os suum.

(23) סכבות את החסה Septuag. Θρηνοῦσαι τὸν Θαμμούζ. Al. Βδέλυγματα. Al. Παρεξυσμοί. (24) Plutarch. de Iside & Osiride. (25) Plato in Phædro. (26) Plutarch. de Defect. Oracul. (27) Vide Stephan. Byzant. nomine Amathus. Theodoret. de Græc. affect. curatione, Serm. 1. Cyrill. Alex. lib. 2. in Isai. (28) Porphyr. apud Eufeb. præp. l. 3. c. 11. (29) Vide infra 12. ℣. 6. (30) Vide 1. Par. xxiv. & xxv. (31) Joel 11. 17. Matt. xxiii. 35. (32) Herodot. lib. 1. (33) Æneid. x11. Vide Servium ibid. (34) Job xxxi. 26. 27. 28. Vide & Deut. iv. 59. (35) Origen. homil. v. in Numer. Tertull. Apologet. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27. Athanas. qu. 14. ad Antioch. Clem. Rom. l. 2. Constit. c. 57. August. l. 2. de Ser. Domini c. 19. (36) שלחים את הזמורה אל אפם (37) Vide Plutarch. in Theseo. (38) Prad. Cornel. (39) Vide Euripid. Bacchis in Theseo; Plutarc. in Thesen; Scholiast. Aristophan. Lexicographos in ὀσχοφόρ... (40) Αὐτοὶ ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα ὡς μυκτηρίζοντες. Hæc verba Ἐκτείνουσι τὸ κλῆμα, ea Theodotione sunt. (41) Ὡς ἀφιέντες αὐτοὶ ἦχον ὡς ᾆσμα. [Al. Ἄσθμα] διὰ τῶν μυκτήρων αὐτῶν. Sym. (42) Vide 3. Reg vii. 50. 4. Reg. xaii. 13. & 2. Par. iv. 22. & Job xxxv. 10. זמרה usurpatur pro musico instrumento Psal. lxxxi. 3. תנו תף שאו זמרה Et forte etiam Psalm. xcv. 2. & xcviii. 5. & Dan. 111. 5. 7. 10.

CAPUT IX.

Interfici jubentur quicunque Thau litera nota non inscribuntur. Ezechielis oratio. Testatur Deus, cogi se populi flagitiis supplicio ita severo uti.

℣. 1. ET clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visi-
tationes urbis, & unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. 2. Et
ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & unus-
cujusque vas interitus in manu ejus; vir quoque unus in medio eorum vestitus erat
lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus, & ingressi sunt, & steterunt juxta
altare æreum: 3. Et gloria Domini Israel assumpta est de cherub, quæ erat super
eum ad limen domus: & vocavit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium
scriptoris habebat in lumbis suis. 4. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam
civitatem in medio Jerusalem: & signa thau super frontes virorum gementium, &
dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. 5. Et illis di-
xit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, & percutite, non parcat
oculus vester, neque misereamini. 6. Senem, adolescentulum, & virginem, parvu-
lum, & mulieres, interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem vi-
deritis thau, ne occidatis, & a sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris se-
nioribus, qui erant ante faciem domus. 7. Et dixit ad eos: Contaminate domum,
& implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos, qui
erant in civitate. 8. Et cæde completa, remansi ego: ruique super faciem meam,
& clamans ajo: Heu, heu, heu, Domine Deus: ergone disperdes omnes reli-
quias Israel, effundens furorem tuum super Jerusalem? 9. Et dixit ad me: Ini-
quitas domus Israel, & Juda, magna est nimis valde, & repleta est terra sangui-
nibus, & civitas repleta est aversione; dixerunt enim: Dereliquit Dominus ter-
ram, & Dominus non videt. 10. Igitur & meus non parcet oculus, neque mise-
rebor: viam eorum super caput eorum reddam. 11. Et ecce vir, qui erat indu-
tus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens:
Feci, sicut præcepisti mihi.

℣. 1. APPROPINQUAVERUNT VISITATIONES URBIS. Vel, ex Septuaginta (1): *Appropinquavit ultio urbis*. Visitare interdum usurpatur pro animadvertere supplicio. *Deus visitans iniquitatem patrum in filios* (2). *Cujus ego scelera visitabo* (3). *Visitabo vos in egestate* (4).

VAS INTERFECTIONIS, instrumentum cædis, ensis, hasta, vel *securis*, uti habent Septuaginta (5). Sex ii viri armis instructi erant, ac parati obvios quoslibet neci dare.

℣. 2. SEX VIRI VENIEBANT DE VIA PORTÆ SUPERIORIS; ex eadem porta, qua Propheta in Templum venerat. Ea superior & septemtrionalis dicitur, quod altior situ esset, quam tota altera septemtrionalis porta, ad populi atrium ducens, cum illa in atrium Sacerdotum aditum faceret. Sex viri e porta septemtrionali veniunt, quod Chaldæos, in Jerosolymam ex ea parte irrupturos, significent. Ii porro Angeli interfectores sunt (6), iis similes, qui primores natu Ægyptiorum necavere (7), & Sennacheribi exercitum absoluta internecione deleverunt (8). Mysterium in horum virorum numero nullum quærimus, cum nullum sit, vel plane ignotum incertumque.

UNUS IN MEDIO EORUM ERAT VESTITUS LINEIS. Septuaginta (9) *Vestitus tunica talari*. Aquila (10): *Stola*, vel *præcipua*, splendida *stola*. Hebraica vox *baddim* est linum; eamque Chaldæus reddit frequenter *byssum*: at hic alia plane res est. Septimus hic Angelus non cædis erat, sed veniæ; id enim satis indicant & vestis ipsa, & munus, quo ipse fungitur.

ATRAMENTARIUM SCRIPTORIS AD RENES EJUS, ut eos, quibus parcendum erat, nota distingueret. Hebraica vox (11) *Keseth* hic tantummodo legitur. Sunt (12) qui reddant *tabulas*, quibus ceu papyro in usum scribendi utebantur, quæ ad zonam deferri solebant: Horat. Ep. 1. lib. 1.

Lævo suspensi loculos, tabulamque lacerto.

Id ex Athenæo lib. 13. discimus. At multo probabilius est, hoc loco atramentariam thecam significasse; atque ita S. Hieronymus & Aquila reddidesunt. Testatur Origines (13), itemque S. Hieronymus: *Cum ab Hebræo quærerem, quid Hebraica vox Keseth significaret, respondit mihi Græco sermone appellari* καλαμάριον, calamarium, proprie thecam calamariam. Origenes legit: *Tabellam scriptoris habens in manu sua*. At Textus fert: *Ad renes ejus*. Septuaginta (14): *Zona sapphiri super lumbum ejus*. Theodotio & Aquila in priori Editione Hebraicam vocem servaverant, legebantque (15): *Kastu scriptoris super lumbum ejus*. Græcis *Kiste*

[1] Ἤγγικεν ἡ ἐκδίκησις τῆς πόλεως. Hebr. קרבו פקדות העיר [2] Exod. xx. 5. [3] Levit. xviii. 25. [4] Levit. xxvi. 16. Vide & Num. xiv. 18. xvi. 29. Judith xvi. 20. Psal. xvi. 1. & passim. [5] Apud Hieron. hic, & apud Theodoret. sed in editis: Σκεύη τῆς ἐξολοθρεύσεως ἐν τῇ χειρὶ αὐτῶν, *Vasa exterminii in manu eorum*. Edit. Rom. in 2. ℣. habet πέλυξ, *securis*. [6] Hieron. Menoch. Cornel. Jun. Pisc. alii. [7] Exod. xii. 29. Sap. xviii. 5. 16. [8] 4. Reg. xix. 35. [9] Ἐνδεδυκὼς ποδήρη. [10] Hieron. hic. [11] קסת הספר במתניו [12] Symmach. *Tabulas scriptoris habebat in renibus*. Ita Origen. Vatab. &c. [13] Vide apud Nobil. & Drus. hic. [14] Καὶ ζώνη σαπφείρου ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ. [15] Κάστυ γραμματέως. Aquil. in secunda editione: Μελανοδοχεῖον.

Kiste erat atramentarium, seu theca scriptoria (16); quæ vox ex Hebraica *Kesech* derivari aptissime potest. Persæ cingulo appensos atramentarium suum, cultrum scriptorium, & lapidam ad cultrum acuendum ferunt. Vide iter Moschoviticum to. 1. p. 566.

℣. 3. GLORIA DOMINI ISRAEL ASSUMPTA EST DE CHERUB... AD LIMEN DOMUS. Hactenus Ezechiel Deum in solio sedentem, super Cherubim, in medio atrii Sacerdotum, vidit: Deus vero statim ut Angelis severitatis suæ ministris mandata dedit, imperavitque, ut in ipsamet Templo cædem inchoarent, ab atrio recessit (17), atque in Templi, scilicet Sancti, porta stetit, quasi liberum cædi locum relicturus, ac sese decrevisse significans, Templum sævitiæ ac libidini Ethnicorum relinquere. Deo recedente, Cherubim & currus in atrio steterat. Vide proximum Caput, ℣℣. 1. 2. 3. 4.

℣. 4. SIGNA THAU SUPER FRONTES VIRORUM GEMENTIUM. Ingens est sententiarum dissidium de notæ forma, inscriptæ illorum frontibus, qui nedum scelera in urbe Temploque patrata aversabantur, verum etiam clam gemebant dolebantque. Sunt qui (18) Thau Græcum T. inscriptum putent, quippe quod forma ad crucem accedit. Narrant, morem fuisse militum, cum in militaribus judiciis de morte vitaque sortes jacerent, ut is, cui *Thau* contingeret, impune abiret; is vero cui *theta*, necaretur. *Thau* vitæ, *theta* necis nota erat (19). *Niceros* apud Petronium ad hunc morem allusisse dicitur, eum de quodam brachiorum nisu agens, ubi de vita decernebatur, utitur hac voce, *matavita thau*.

Thau fronti inscriptum, vaticinium erat Crucis Christi, & argumentum, quo ostendebatur, nullam esse salutem præter Crucis signum, Christi sanguine consecratum. Hinc porro obsequium illud, quo Christiani omnes Divinum hoc salutis signum prosequuntur. Hæc tamen sententia, quamvis vulgo probatissima, non æque omnibus placet. Græcum elementum est thau; Deus vero putatur, & quidem jure optimo, cum Ezechiele & Angelis Hebraica locutus: quamobrem siquam ex elementis literam usurpare voluit, ex Hebraicis usurpasse omnino videtur; & si quod in eo signo mysterium claudere decrevit, elegisse dicendus est inter Hebraica elementa literam, quæ & proposito serviret, & perspecta audientibus esset.

Afferunt etiam, vetus Hebræorum *Thau* crucis figuram præ se tulisse (20); idque in nummis Samaritanorum, veterumque monumentis animadvertitur, in quibus aliqua elementa formam X. seu Crucis † referunt (21). Apud Ægyptios crucis forma futuræ vitæ symbolum inter notas hieroglyphicas erat. Rufinus (22), & deinde Socrates, cæterique rerum Ecclesiasticarum Scriptores tradunt, everso Templo Serapidis Alexandrino, Theodosio magno imperante, ut illius loco Ecclesia construeretur, inventas ibi varias Crucis imagines; quas periti pro vitæ futuræ symbolis explicavere. Rerum antiquarum studiosi nostra etiam ætate, cruces quasdam in Isidis, Ægyptiæ Deæ, manibus (23) & in nonnullis Astartis seu Veneris Tyriæ nummis (24) eodem modo interpretantur. Ajunt, futuræ vitæ hieroglyphicum jubente Deo illorum frontibus inscriptum fuisse, qui Jerosolymæ flagitia lacrymis prosequebantur.

At, uti acute Justus Lipsius (25) animadvertit, si crux hieroglyphica aliqua nota, seu veteri Hebræorum vel Phœnicum Thau designanda erat, illam certe significari non oportebat vel litera X. vel cruce alia, cujus utraque pars ad angulos rectos media intersecaretur, vel cujus pars horizonti parallela longior esset quam quæ ad perpendiculum erigitur; multoque etiam minus cruce ex annulo pendente, vel ad extremum pedi alicujus caput juncta. Nihil tale Christi crux erat; quamobrem cruces hujusmodi, quæ ab Iside gerebantur, claves fuisse censemus, idque satis probat annulus, quem Dea tenet, illis conjunctus. Veteres certe clavim Isidi, ac ligandi solvendique, vel quod idem erat Veterum sermone, aperiendi claudendique potestatem tribuebant. Quamdam Isidis epigraphen, Nysæ in Arabia positam, recitat Diodorus lib. 1. Bibl. ita ferantem: *Quæ ego ligavi, nullus solvere poterit*. Adde, quod Isis eadem est ac Trivia, Diana, Luna, Minerva. Porro hæ clavibus donabantur; & Minerva apud Aristophanem (26) *clavigera* nuncupatus. Triviam describit Eusebius Præpar. lib. 9. facem, ensem & clavim manu gerentem. Supersunt adhuc imaginum genera, clavibus in crucis formam factis instructa (27). Clavis Ægyptia & Laconica signo Cassiopææ similis erat, authore Salmasio (28): illud porro crucis imaginem referebat, geminas nimirum lineas se invicem intersecantes.

Ut ad *Thau* Ezechielis redeamus, non levis dubitandi causa est, utrum illorum frontibus, quibus parcendum erat, inscripta vere fuerit figura Græci T. aut vetus Phœnicum litera ejus nominis, vel denique futuræ vitæ symbolum, quod in hieroglyphicis Serapæi literis animadversum est, sive crux Isidis aut Astartis. Quæ in eam rem traduntur, multum certe veritatis ac firmitatis habent sensu morali ac tropico; atque ita certum omnino est, quicquid servandorum frontibus inscriptum fuerit, illud Christi crucem significasse, ejusque sanguinis signum, cui omnis hominum salus debetur, quippe quod homines ab Angeli cædis furore servaturum est. At si literalem explicationem quæras, Græcorum (29) cæterorumque doctissimorum Interpretum versio tenenda est: *Pone signum super frontes gementium*. Hebræa vox *thau* proprie *signum* sonat. Ita Job (30): *Ecce signum meum (Tavi). omnipotens respondebit*. Verbum *tavah* Hebraica est circumscribere, definire, limites ponere; Chaldaica vero, designare, scribere, notare, &c. Sunt e Rabbinis, qui ת thau literam inscriptam fuisse censeant frontibus Justorum, qui Jerosolymis erant, ut significaret obsequium, quo ii Legem, *Thorah*, prosequebantur. Hæc profecto minus prona explicatio est: at si vetus *thau*, quo ante Esdræ tempora Hebræi utebantur, crucis formam, uti ajunt, refe-

(16) Vide Thesaur. linguæ Gr. Henrici Stephan.

(17) Vide ℣℣. 4. 15. 18. capitis sequentis.

(18) Tertull. lib. contra Judæos, & lib. 3. contra Marcion. Clem. Alexand. lib. 6. Strom. nominat T, Κυριακὸν σημεῖον.

(19) Vide Cornel. a Lapide hic.

(20) Ita quidam Hebr. ad Christum conversi, apud Origen. Ita & Hieronym. & Sanct. & Bonfrer. Prado, Cornel. alii passim.

(21) Vide Palæograph. Gr. D. Bern. de Montfaucon, lib. 2. cap. 1. pag. 120. & 121.

(22) Rufin. lib. 2. Hist. Eccles. cap. 29. Socrat. lib. 5. cap. 17. & alii.

(23) Vide Tabul. Isiac.

(24) Apud Vaillant, Hist. Reg. Syr. pag. 272. 273.

(25) Lipsius de Cruce, lib. 1. cap. 1. in notis.

(26) Aristophan. Thesmaphoriaz. pag. 829 Κλειδοῦχος.

(27) Vide Darium Italic. D. Bern. de Montfaucon, cap. 14.

(28) Vide Salmas. in Solin. Polyhist.

(29) Septuag. Δὸς τὸ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα, &c. Ita Aquila, & Symmach. apud Hieronym. sed Origenes contra, ait: Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων, σημείωσις τοῦ Θαῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα, &c. Theodoret. hic legit ut Septuag. & sic exponit: Δεῖ ὀνόματι σημεῖον ἵνα μὴ κοινωνήσωσι τῆς πληγῆς. Chrysost. exposit. in Psalm. cxl. tom. 3. & tom. 4. Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant, pag. 261. Euseb. Cæsar. commentar. in Psalm. 211. pag. 277. Ita legit & Cyprian. Ep. ad Demetrian. & lib. 2. Testimoniorum; & August. serm. cviii. de Verb. Evangelii Luc. 12. Vide fragment. Origen. in nova Edit. Hexapl. pag. 852.

(30) Job xxxi. 35. הן תוי שדי יענני Vulg. *Ut desiderium meum audiat Omnipotens*. Vide Munster. Jun. Piscat. Castrige. & Rabbin. Salom. Kimchi, Nathan, Abrabanel, &c.

referebat, ex ipsorum Judæorum sententia colligendum erit, crucis imaginem in Justorum frontibus fuisse descriptam.

Neque hic censemus, monendum esse lectorem, rem, uti exhibita est, revera non contigisse; Ezechiel enim spiritu solum vidit ejus rei imaginem, quæ aliquot post annos gesta est, expugnata per Chaldæos Jerosolyma. Deus arcano Providentiæ consilio passus non est, ut ex Judæis ii, qui Jerosolymæ flagitia damnaverant fleverantque, communi impiorum exitio obvolverentur. Hos quippe ab impiorum numero secrevit, quasi vero corporeoque signo distinctos.

Ỳ. 6. A SANCTUARIO MEO INCIPITE. Initium cædis facite a quinque & viginti viris, qui impium soli orienti cultum exhibentes, terga Sanctuario obvertunt. Vide Caput VIII. Ỳ. 16. Reddunt alii (31): *A sanctis meis incipite*, ab iis, quorum munus sanctum est. Aquila & Theodotio: *A Templo meo*.

Ỳ. 7. CONTAMINATE DOMUM, IMPLETE ATRIA, Loci sanctitatem ne vereamini; impurumque atque impium sanguinem nullo metu fundite. Templum hoc nihilo pluris facio, quam locum prorsus inquinatum. Septuaginta (32): *Inquinastis domum; implevistis vias mortuis*.

Ỳ. 8. ET CÆDE COMPLETA, REMANSI EGO. Vidi ego cædem in Templo perpetratam, tum quinque & viginti virorum, qui solem adoravere, tum mulierum Adonidem lugentium, & seniorum Israelis septuaginta, qui bestias venerabantur. Denique solus ego in atrio Sacerdotum superfui (33). Septuaginta: *Et factum est, dum illi percuterent, & cecidi in faciem meam*. Omittunt illa; *Remansi ego*.

Ỳ. 9. REPLETA EST TERRA SANGUINIBUS, ET CIVITAS REPLETA EST AVERSIONE, Idololatria. Hebræus (34): *Repleta est terra sanguinibus, & Civitas repleta est iniquitate*, ob perversorum Judicum judicia, qui vias justitiæ derelinquunt. Septuaginta (35): *Repleta est terra populis multis, & Civitas repleta est iniquitate & immunditia*,

(31) Septuag. Ἀπὸ τῶν ἁγίων μου ἄρξασθε. Hebr. ממקדשי תחלו Vatab. Est. Menoch. Tir. (32) Ἐμιάνατε τὸν οἶκον, καὶ ἐπλήσατε τὰς ὁδοὺς νεκρῶν. (33) Theodoret. hic, ὑπελείφθην ἐγὼ μόνος, quod non habent Septuag. in Editis. (34) תמלא הארץ דמים והעיר מלאה מטה (35) Septuag. Ἐπλήσθη ἡ γῆ λαῶν πολλῶν, καὶ ἡ πόλις ἐπλήσθη ἀδικίας, καὶ ἀκαθαρσίας.

C A P U T X.

Angelus lineis vestibus indutus jubetur prunas e medio Cherubim rapere, iisque urbem conspergere. Cherubinorum descriptio rotarumque currus Deum vehentis.

Ỳ. 1. ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii, apparuit super ea. 2. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, & effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo. 3. Cherubim autem stabant a dextris domus, cum ingrederetur vir, & nubes implevit atrium interius. 4. Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus, & repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini. 5. Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. 6. Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter cherubim: ingressus ille stetit juxta rotam. 7. Et extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem, qui erat inter cherubim, & sumpsit, & dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis, qui accipiens egressus est. 8. Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. 9. Et vidi, & ecce quatuor rotæ juxta cherubim: rota una juxta cherub unum, & rota alia juxta cherub unum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi, 10. Et aspectus earum similitudo una quatuor: quasi sit rota in medio rotæ. 11. Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur, & non revertebantur ambulantes; sed ad locum, ad quem ire declinabat, quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec convertebantur. 12. Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli, plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum. 13. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. 14. Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies cherub, & facies secunda, facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ. 15. Et elevata sunt cherubim: ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar, 16. Cumque ambularent cherubim, ibant pariter & rotæ juxta ea: & cum elevarent cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ juxta erant. 17. Stantibus illis, stabant, & cum elevatis elevabantur, spiritus enim vitæ erat in eis. 18. Et egressa est gloria Domini a limine templi, & stetit super cherubim. 19. Et elevantia cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me, & illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt, &

stetit

stetit in introitu portæ Domus Domini orientalis, & gloria Dei Israel erat super ea.
20. Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar, & in-
tellexi quia cherubim essent. 21. Quatuor vultus uni, & quatuor alæ uni, & simi-
litudo manus hominis sub alis eorum. 22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vul-
tus, quos videram juxta fluvium Chobar, & intuitus eorum, & impetus singulorum
ante faciem suam ingredi.

℣. 1. ET VIDI. Hæc superioris visionis pars est. Animadvertit Ezechiel, Domini currum, tunc in atrio positum, quem Deus, ad ostium Sancti pergens, reliquerat, eumdem omnino fuisse, quem is ad amnem Chobar vidit, & Capite I. descripsit. Firmamentum sapphirino colore nitens, & Cherubinorum capitibus imminens, Dei solium, sed inane, uti vidimus, continebat. Cap. 1. ℣. 22. simile crystallo dicitur: at ℣. 26. ut hic, sapphirinum appellatur.

℣. 2. IMPLE MANUM TUAM PRUNIS IGNIS ... ET EFFUNDE SUPER CIVITATEM. Spargendæ erant prunæ vel ut urbem purgarent (1), vel ut flagitiorum ipsius supplicium essent (2). Significabant vero, Jerosolymam a Chaldæis quantocius cremandam fore (3). Rapiuntur prunæ ex eo spatio, quod rotas inter & Cherubinos flagrabat (4).

℣. 3. A DEXTRIS DOMUS. In meridionali parte atrii Sacerdotum, quæ dexteræ Templi respondebat. Meridionalis plaga ab Hebræis dextera nuncupatur.

℣. 4. ELEVATA EST GLORIA DOMINI DESUPER CHERUB, AD LIMEN DOMUS. Reperit ea quæ dixit Capite IX. ℣. 3. Reddi potest: *Gloria Domini abierat a Cherubinis, & in limine sancti steterat.*

℣. 5. SONITUS ALARUM CHERUBIM .. QUASI VOX DEI OMNIPOTENTIS LOQUENTIS. Vel: *Sonitus alarum Cherubim ceu tonitru Sadai loquentis* (5), seu tonantis. Is porro sonitus *audiebatur usque ad atrium exterius*, scilicet atrium populi; hæc enim in atrio Sacerdotum gerebantur.

℣. 6. STETIT JUXTA ROTAM, intro ingredi non ausus, ut e medio Cherubim prunas sumeret.

℣. 8. SIMILITUDO MANUS HOMINIS SUBTUS PENNAS EORUM. Quatuor manus Cherubim sejunctæ ab alis fuisse videntur. Idem dicere videtur ℣. 21. aliud enim manibus, aliud alis agi dicitur. Res tamen difficultate non caret. Pennæ articulos habebant, ut manus hominis, inquit Grotius; quamobrem brachium veluti alatum erat: atque hoc mihi, veluti maxime simplex, & naturæ conveniens, placet.

℣. 9. QUASI VISIO LAPIDIS CHRYSOLITHI. Hebræus: *Quasi visio lapidis Tharsis*. Symmachus: Hyacinthus. Septuaginta: *Quasi visio lapidis carbunculi*. Capite 1. ℣. 16. Vulgata reddit: *Quasi visio maris*, coloris cærulei.

℣. 10. QUASI SIT ROTA IN MEDIO ROTÆ. Vide Caput 1. ℣℣. 16. 17. 18. ubi ea quæ ad rotas pertinent, explicantur.

℣. 12. OMNE CORPUS EARUM, ET COLLA, ET MANUS, ET PENNÆ, ET CIRCULI PLENA ERANT OCULIS. Non video, cur colla, manus, & alæ rotis tribuantur; duobus enim in locis, ubi eæ describuntur, nihil tale narratur. Theodoretus aliique nonnulli putant, hæc ad Cherubim pertinere, ac dicere Prophetam, ea variis coloribus distincta fuisse, ceu oculis insertis collo, manibus atque alis: idque nos probabilissimum arbitramur. Qui de rotis solummodo intelligunt, ii tropice coguntur dicere, rotarum corporibus illarum altitudinem significari, collo medium, brachiis radios, alis absides rotam circum claudentes.

℣. 13. ROTAS ISTAS VOCAVIT VOLUBILES. Jussit rotas torqueri, inquit Theodoretus (6); atque ita proprie sonat Hebræus (7): *Inclamavit rotis illis: Volvitor*. Septuaginta (8): Datum est nomen roteis *Gelgel*. Has Propheta ceu viventes atque anima instructas exhibuit ℣. 20. & infra ℣. 17.

℣. 14. FACIES UNA [prima] FACIES CHERUB. Si hanc descriptionem cum altera capitis 1. ℣. 10. contuleras, *facies Cherub* pro facies bovis usurpari videtur; quamobrem horum animalium forma, inter cæteras maxime perspicua, ex qua nomen illa ducebant, bovis erat. Profecto, præter caput, bovinos etiam pedes habebant (9). *Charab* Syriace est arare, quod præcipuum munus est bovis. In hanc sententiam convenimus post Spencerum in Commentariis ad Genesim III. 24. aliamque proposuimus in Exodo XXV. 18. Vide hic ℣. 15.

℣. 15. CHERUBIM: IPSUM EST ANIMAL QUOD VIDERAM. Vel: *Elevata sunt Cherubim*: Hoc enim nomen est animalium, quæ ad fluvium Chobar videram. Composita atque insolita horum figura nomen aptius habere nequit, quam Cherubim, quæ vox opus quodcunque significat, e variis figuris simul mistis compositum.

℣. 17. SPIRITUS ENIM VITÆ ERAT IN EIS. Rotæ ex eo machinarum genere non erant, quæ anima carentes, alterius impulsu tantummodo moverentur; ipsæmet vitæ principium continebant, quo simul cum Cherubinis agebantur. Ita explicant plerique. At explicari aptissime potest de vento, machinam universam vehementer agente. Vide Exodum 1. 20.

℣. 18. EGRESSA EST GLORIA DOMINI A LIMINE TEMPLI. Deus, qui, relicto curru, ad Sancti limen accesserat, ad currum redit.

℣. 19. STETIT IN INTROITU PORTÆ, scilicet Cherubini steterunt; vel, Deus supra *Domum Domini* stetit, ad orientem; supra orientalem Templi portam, qua ex urbe aditus in atrium populi erat.

℣. 21. QUATUOR ALÆ UNI. Theodoretus legit: *Octo alæ*.

[1] Hieron. hic. [2] Theodoret. Πυρὸς ἄνθρακες ἐσκεδασμένοι, τιμωρητικὴν δύναμιν τῇ πόλει τερατεύονται. [3] Vatab. Menoch. Grot. [4] Ezech. 1. 4. 13. [5] כקול אל שדי בדברו Sym. & Theodot. Ὡς φωνὴ Θεοῦ ἱκανοῦ. Vide Ezech. 1. 24. [6] Theodoret. hic: Ἀνακυκλοῦσθαι, καὶ ἀνακυκλοῦσθαι προσετάχθησαν. Ita & Vatab. Grot. [7] לאופנים להם קורא הגלגל [8] Ἐπεκλήθη γελγέλ. Aq. τροχέ. Sym. κυλίσματα. [9] Ezech. 1. ℣. 7. *Pedes eorum, pedes recti, & planta pedis eorum tamquam planta pedis vituli.*

CAPUT XI.

Vaticinia in Jerosolymæ Principes ac populum, vaticinia spernentes, qui fratribus captivis illuserant. Pheltias coram Ezechiele subita nece exspirat. Deus supra Jerosolymam erigitur, & ad montem olivarum pergit. Finis visionis Ezechielis.

℣. 1. ET elevavit me spiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orien-
talem, quæ respicit ad solis ortum, & ecce in introitu portæ viginti quin-
que viri; & vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Bana-
jæ, principes populi. 2. Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant
iniquitatem, & tractant consilium pessimum in urbe ista, 3. Dicentes: Nonne du-
dum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes. 4. Idcirco vaticina-
re de eis; vaticinare, fili hominis. 5. Et irruit in me spiritus Domini, & dixit ad
me: Loquere. Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis domus Israel, & cogitationes cor-
dis vestri ego novi. 6. Plurimos occidistis in urbe hac, & implestis vias ejus inter-
fectis. 7. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in
medio ejus, hi sunt carnes, & hæc est lebes: & educam vos de medio ejus. 8. Gla-
dium metuistis, & gladium inducam super vos, ait Dominus Deus. 9. Et ejiciam
vos de medio ejus, daboque vos in manu hostium, & faciam in vobis judicia. 10.
Gladio cadetis: in finibus Israel judicabo vos, & scietis, quia ego Dominus. 11.
Hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio ejus in carnes: in fini-
bus Israel judicabo vos. 12. Et scietis, quia ego Dominus: quia in præceptis meis
non ambulastis, & judicia mea non fecistis, sed juxta judicia Gentium, quæ in cir-
cuitu vestro sunt, estis operati. 13. Et factum est, cum prophetarem, Pheltias fi-
lius Banajæ mortuus est, & cecidi in faciem meam clamans voce magna, & dixi:
Heu, heu, heu, Domine Deus: consummationem tu facis reliquiarum Israel? 14. Et
factum est verbum Domini ad me, dicens: 15. Fili hominis, fratres tui, fratres tui,
viri propinqui tui, & omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Je-
rusalem: Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem. 16. Pro-
pterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in Gentibus, & quia dispersi
eos in terris; ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt.
17. Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, &
adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. 18. Et in-
gredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa.
19. Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & au-
feram cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: 20. Ut in præce-
ptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in popu-
lum, & ego sim eis in Deum. 21. Quorum cor post offendicula, & abominationes
suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. 22. Et ele-
vaverunt cherubim alas suas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Israel erat super ea:
23. Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est
ad Orientem urbis. 24. Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad trans-
migrationem, in visione, in spiritu Dei; & sublata est a me visio, quam videram:
25. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

℣. 1. ET ELEVAVIT ME SPIRITUS . . . AD PORTAM ORIENTALEM; portam majorem, qua dabatur aditus ab urbe in Templum venientibus, atque in atrium populi ingredientibus. Ibi Dei currus jam erat, quemadmodum superiori capite vidimus ℣. 19.

JEZONIAM FILIUM AZUR. Septuaginta legunt: *Jechoniam filium Ezer*. Theodoretus: *Jechoniam filium Jesech*. Jezoniam filium Saphan (1), & Asliæ nepotem (2), supra vidimus. Duos fuisse Jezonias, asserere non ausim; uterque enim primum inter populi principes locum habent.

℣. 3. NONNE DUDUM ÆDIFICATÆ SUNT DOMUS? HÆC EST LEBES, NOS AUTEM CARNES. Quo igitur vaticiniorum veritas, imminens exitium, prædicentium? Nonne adhuc stant Jerosolymæ domus? Qua ratione verum est, urbem esse lebetem, nosque carnes in lebete coquendas? Quid hæc eventura esse suadet? Jeremiæ vaticinium innuunt (3), dicentis sub initium Libri, visam sibi ferventem ollam, succensumque sub olla ignem, boreali vento agitatum: *Ollam succensam ego video, & faciem ejus a facie aquilonis*. Putabant porro, falsa esse vaticinia, vel prorsus expleta esse in iis, qui captivitatem cum Jechonia subierant. Huic explicationi favet ℣. 15. *Habitatores Jerusalem fra-*
tribus

(1) Ezech. VIII. 11. (2) 4. Reg. XXII. 3. (3) Jerem. I. 13.

tribus tuis dixerunt: Longe recedite a Domino: nobis data est terra in possessionem.

Locum hunc S. Hieronymus ita explicat paraphrastice: Impii, *desperantes salutem, & scelerum conscientia parati ad interitum, nec volentes per pœnitudinem peccata corrigere, dicunt: Licet nuper post primam captivitatem ædificatæ sint domus, quæ ante corruerant* sævitia Chaldæorum sub Jechonia; *tamen scimus hanc civitatem esse instar lebetis, nosque pro carnibus, ut in ea consumamur, concremamur* malis & calamitatibus, quas undique veremur, quasi Deum sævitiæ, atque inexorabilis inclementiæ accusent.

Theodoretus ita explicat, ut impii diuturnam sibi vitam, ac tranquillum illius exitum Jerosolymis temeraria securitate sibi polliceantur. Legit ille (4): *Nonne nuper ædificatæ sunt domus? Hæc est lebes, vos vero carnes.* Omnibus in ea urbe malis, quibus digni estis, obruemini, neque inde pedem afferetis, nisi ut miserrimum vitæ finem sortiamini. Eodem fere modo alii interpretantur (5): Stant Jerosolymis domus nostræ: tranquillam in iis vitam agemus. Profecto urbs similis lebeti est, nosque carnibus: labores hominum vitæ communes in ea feremus, at denique in Patria moriemur. Vel (6): Hic domi sumus, natalesque sedes incolimus. Minitantur aliqui urbem a Chaldæis obsidendam fore, eamque ceu lebetem flammis undique circumdatum exhibent: minime hæc terrent: malumus hic aliquid pati, quam in hostium potestatem venire. Esto urbs ceu lebes, nos carnium loco erimus: quidquid Superis videbitur, patiemur. Domi perire malumus, quam gladio Chaldæorum.

Hebræus (7): *Tempus non est ædificandi domus: hæc est olla, & nos caro.* Ita impii ex Judæis ludebant: Cave ne domum ædifices; mox enim urbs evertenda est, atque hostium libidini tradenda: olla est, nos carnes. Ita veluti Prophetis, populum hortantibus, ne domos in urbe ædificarent, ipsamque quamprimum a Chaldæis obsidendam atque evertendam fore prædicantibus, illudentes loquebantur. Militare consilium, ludibrio mistum, esse putat Junius ac reddit: Nequis domos circa urbem ædificet; cum enim hæc brevi ab hostibus obsidenda sit, ædificiis hostibus adversum nos usui essent.

℣. 7. Interfecti vestri .... hi sunt carnes, et hæc est lebes. Oraculum, quod vos deridiculo reducitis, ipsemet interpretabor. Ipsi nimirum Oraculi fidem expletis innumeris cædibus, quas intra urbis mœnia patrare non cessatis. Ipsi inquam hujus sententiæ veritatem ostenditis: Jerosolyma lebes est, populus carnes. At vos multo infelicior exitus manet. Vitam Jerosolymis non claudetis; inde enim rapti, atque ad Israelis fines ducti, gladio peribitis. Vide quæ sequuntur.

℣. 11. In finibus Israel judicabo vos. Reblatæ in Syria, in finibus Israelis, quo vos abiget Nabuchodonosor (8), ibi judicandos, & coram ipso interficiendos.

℣. 12. Juxta judicia gentium estis operati. Editio Romana & Theodoretus legunt (9): *Non secundum judicia gentium, quæ circa vos sunt, estis operati.* Ethnicos nequitia superastis. Eadem verba legas supra v. 7. S. Hieronymus & Complutensis editio legunt in Septuaginta interpretibus uti ferunt Hebræus & Vulgata.

℣. 13. Pheltias mortuus est; subita nece corruit coram Propheta, Dei minis, ceu fulmine, consternatus. Quamquam hæc in Prophetæ mente contigerunt, satis tamen simile vero est, Pheltiam revera Jerosolymis exspirasse, cum eo delatus spiritu Ezechiel venit (10). Neque arduum erat, Prophetam, tametsi in Mesopotamia versantem, ea de re moneri, cum Judæam inter & Provincias trans Euphratem sitas assidua esset eo tempore mercimoniorum communio.

℣. 15. Fratres tui, quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Longe recedite a Domino: nobis data est terra in possessionem, Judæos, in eadem tecum captivitate detentos, quos Jerosolymitani ceu populum a Deo rejectum ac derelictum habent, ac spe patriæ repetundæ privatos putant; illos, inquam, ipse tuebor, servabo, atque in patriam colligam. Jerosolymitani, irridentium more, dixerant: *Longe recedite a Domino;* ferme uti olim Davidem furiis Saulis agitatum hortabantur (11): *Vade, servi Diis alienis.* Sapientissime animadvertit hoc loco S. Hieronymus, illudendum non esse iis, quos dereliquisse videtur Deus, aut suppliciis exercet, neque iis qui in aliquod crimen lapsi, severam Ecclesiæ disciplinam experiuntur; quippe qui interdum Deo cariores sunt, quam ii qui vitam in rebus prosperis agunt, & pœnitentiæ asperitatem non sentiunt.

Reddunt Septuaginta (12): *Fratres tui, quibus dixerunt Jerosolymitani: Longe recessistis a Domino: nobis data est terra in hæreditatem.* Hebræus (13) & Chaldæus: *Recesserunt a Domino.*

℣. 16. Ero eis in sanctificationem modicam. Iis ego Templi ac Sanctuarii loco futurus sum. Hanc in domum, Jerosolymis meo nomini dedicatam, non convenient: ipse illis Templum ero: id quod amiserunt exilio, uberi fœnore in me invenient. Medius inter ipsos stabo: ad me vota facient exules, ego exaudiam. Nunquam purior Ecclesia Christiana fuit, quam primis iis temporibus, quibus Fideles Deum intra mentis arcanum, & domorum latibula colebant, palam in Templa convenire non ausi, imo Templis carentes, quæ nondum ædificaverant. Sunt qui vertant (14): *Ero eis in sanctuarium ad tempus modicum,* brevissimo exilii tempore.

℣. 17. Congregabo vos de populis; in patriam revocabo; captivitati finem imponam, & ii, qui vobis illuserint, peribunt ℣. 21.

℣. 18. Auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes de illa. Judæi e captivitate reversi, deinceps a Numinum cultu constantissime abstinuerunt (15). Deos nominat Propheta *offensiones,* σκάνδαλα, *abominationes.* Hebræus (16): *Omnia execrabilia, & abominationes.* Septuaginta (17): *Abominationes, & omnes iniquitates ejus.*

℣. 19. Cor unum, et spiritum novum. Septuaginta (18): *Cor aliud, & spiritum novum.*

℣. 21. Horum viam in capite suo ponam. Flagitia sua in ipsos regeram: parem peccatis pœnam dabo.

℣. 23. Ascendit gloria Domini de medio civitatis. Jerosolymam Deus non statim, sed paulatim deserit (19). Primo Templum relinquit: deinde in porta urbis sistit; denique in montem Olivarum, urbi orientalem, & Jerosolymæ conspicuum ascendit, quasi locum pœnitentiæ & conversioni facturus. Hæc vero non modo figura erant eorum, quæ Jerosolymæ a Chaldæis imminebant, verum etiam quæ post Christi obitum futura expectabantur. Christus diu Jerosolymam docendo, monendo, minisque terrendo fessus, illam deni-

(4) Οὐχὶ προσφάτως ᾠκοδόμηνται αἱ οἰκίαι; αὕτη ἐστὶν ὁ λέβης, ὑμεῖς (LXX. ἡμεῖς) δὲ τὰ κρέα. (5) Hebræi, Munster. Vatab. Lyran. Maldon. (6) Menoch. Cornel. Tir. Sanct. Prad. (7) לא בקרוב בנות בתים היא הסיר ואנחנו הבשר (8) Vide 4. Reg. xxv. 19. 20. 21. (9) Οὐδὲ κατὰ τὰ κρίματα τῶν ἐθνῶν ἐποιήσατε. Ita & sup. Ezech. v. 7. (10) Ita Rabb. Lyr. Mald. Dionys. Sanct. (11) 1. Reg. xxvi. 19. (12) Μακρὰν ἀπέχετε ἀπὸ Κυρίου. (13) רחקו מעל יהוה (14) ואהי להם למקדש מעט (15) Vide Isai. ii. 25. Zach. viii. 3. Ezech. xlviii. Theodoret. hic. (16) את כל שקוציה ואת כל תועבותיה (17) Τὰ βδελύγματα, καὶ πάσας τὰς ἀνομίας αὐτῆς. (18) Καρδίαν ἑτέραν, καὶ πνεῦμα καινόν. Legunt לב אחר pro לב אחד (19) Hieronym. hic.

denique deserit, ac Discipulis undique Apostolis intuentibus ex olivarum monte ad Cœlum fertur. Is qui sese Ezechieli exhibuit, quemadmodum sapientissime Theodoretus animadvertit (20), Filium Dei significabat. Is porro ceu ignis erat a lumbis ad verticem usque; tum a renibus ad imos pedes, similis auro cum ære misto (21), ut duplicem naturam in Christo conjunctam innueret.

℣. 24. Sublata est a me visio. Ad sese revocatus Ezechiel, ea narravit, quæ ab exordio Capitis VIII. huc usque expendimus.

[20] Theodoret. in hunc loc. [21] Ezech. 1. 26. 27.

C A P U T XII.

Supellectilem suam aufert Ezechiel, similis abeunti, ut eo indicio populum moneat, Regis ipsorumque captivitatem proxime imminere. Variæ Dei minæ in populum, sibi temere blandientem, tempora per Prophetam nunciata longe adhuc abesse.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exasperans est. 3. Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conspectu eorum, si forte aspiciant: quia domus exasperans est. 4. Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans. 5. Ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum. 6. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferéris: faciem tuam velabis, & non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel. 7. Feci ergo, sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrationis per diem, & vespere perfodi mihi parietem manu, & in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum: 8. Et factus est sermo Domini mane ad me dicens: 9. Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: quid tu facis? 10. Dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Super ducem onus istud, qui est in Jerusalem, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum. 11. Dic: Ego portentum vestrum; quomodo feci, sic fiet illis, in transmigrationem, & in captivitatem ibunt. 12. Et dux, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur, parietem perfodient, ut educant eum: facies ejus operietur, ut non videat oculo terram. 13. Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur. 14. Et omnes, qui circa eum sunt, præsidium ejus, & agmina ejus, dispergam in omnem ventum, & gladium evaginabo post eos. 15. Et scient, quia ego Dominus, quando dispersero illos in Gentibus, & disseminavero eos in terris. 16. Et relinquam ex eis viros paucos a gladio, & fame, & pestilentia: ut enarrent omnia scelera eorum in Gentibus, ad quas ingredientur, & scient, quia ego Dominus. 17. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: sed & aquam tuam in festinatione, & mœrore bibe. 19. Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Jerusalem in terra Israel: Panem suum in sollicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium, qui habitant in ea. 20. Et civitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta: & scietis, quia ego Dominus. 21. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 22. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium: in longum differentur dies, & peribit omnis visio? 23. Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israel: & loquere ad eos, quod appropinquaverint dies, & sermo omnis visionis. 24. Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel. 25. Quia ego Dominus loquar; & quodcumque locutus fuero verbum, fiet, & non prolongabitur amplius: sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, & faciam illud, dicit Do-

Dominus Deus. 26. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 27. Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: Visio, quam hic videt, in dies multos, & in tempora longa iste prophetat. 28. Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur ultra omnis sermo meus: verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME. Id sexto Sedeciæ anno contigit, quinto ante Jerosolymæ expugnationem. Quæ sequuntur oracula usque ad Caput xx. ejusdem anni sunt. Varia caput hoc vaticinia complectitur, ad idem propositum pertinentia, & eodem ferme tempore pronunciata. Vide ℣℣. 8. 17. 21. 26.

℣. 2. IN MEDIO DOMUS EXASPERANTIS. Hebræus ad verbum (1): Populi amaritudinem afferentis, ad iram provocantis. Vide supra, II. 5. 8. Septuaginta (2): *In medio iniquitatum*. Theodotetus cum Vulgata consentit.

℣. 3. FAC TIBI VASA TRANSMIGRATIONIS (3), vel uti habent Septuaginta: *Fac tibi vasa captivitatis*. Dicunt Latini: *Collige sarcinulas*, abituro similis. Hoc futuram populi captivitatem significabat.

℣. 5. PERFODE TIBI PARIETEM. Non ex ostio, sed e perfusso pariete egredieris. Ita Sedecias Jerosolymæ Rex, & Judæorum Proceres per diruta mœnia exiere (4).

℣. 6. IN HUMERIS PORTABERIS, IN CALIGINE EFFERERIS, FACIEM TUAM VELABIS; nimirum ut futuram Sedeciæ calamitatem innueret, qui in fuga interceptus, atque ad Nabuchodonosorem ductus, erutis oculis, delatus est Babylonem (5); & quidem aliorum humeris gestatus, velatusque oculos vitta, recentia vulneris causa. Fortasse etiam vitta oculos velarant, ut miserrimæ conditionis & calamitatis probrum levarent. Hominum morte damnatorum os obnubebatur (6); & ii qui mœrore opprimuntur, latere solent, ne a cæteris conspiciantur.

S. Hieronymus in Commentario legit (7): *In humeris portabis*; sarcinas humeris gestabis, tua omnia tibi impones. Explicationem hanc optimi Interpretes sequuntur. Septuaginta (8) cum Vulgata conveniunt.

PORTENTUM DEDI TE DOMUI ISRAEL. Prodigii instar eris, cujus vita, sermones, gesta significent, ac prędicant ea quæ deinde sunt eventura. Quicquid aut habebis aut eris, omnia pro vaticinio habebuntur (9). *In signum & figuram, Prophetarum tam dicta quam facta sunt*, inquit S. Hieronymus. Vaticiniorum hujusmodi actionum exempla passim in Scriptura leguntur.

℣. 10. SUPER DUCEM ONUS ISTUD, vaticinium in Regem Juda, Sedeciam, uti mox explicavimos. Hoc quod agebat Ezechiel, captivorum simul civium attentionem sibi conciliabat. Vespere colligendis sarcinis occupatus, domo egreditur per parietem noctu perfossum. Insolita hæc magis sunt, quam ut intuentes non moveant. Mane alterius diei, facti mysterium aperit Propheta.

Cur vero hæc adversus Jerosolymam vaticinia in aliena regione, in Mesopotamia, ac longissime a Judæa pronunciantur? Nimirum, ut his confirmarentur ea, quæ Jeremias eodem tempore in Judæa serebat, ab Jerosolymitanis minimi habita, & injuriis repensa (10). Adde, quod his captivi in Divinorum judiciorum metu, ejusque misericordiæ spe continebantur; simul enim & Jerosolymitanorum captivitas, & futura præsentium captivorum libertas promittebatur. Denique, locorum distantia minime prohibebat, quin Judæi qui inter Chaldæus, & qui Jerosolymis erant, invicem mitterent Prophetarum scripta, quorum fidem in dies impleri intuebantur.

℣. 11. EGO PORTENTUM VESTRUM. Septuaginta (11): *Ego portenta facio*.

℣. 13. EXTENDAM RETE MEUM SUPER EUM. Familiaris Ezechieli locutio (12), qua fortasse veterem pugnandi morem, retibusque hostem implicandi spectat. Vide quæ de hac re diximus in Dissertatione de Militia veterum Hebræorum. Forte etiam ad retia venatoria alludit. Vide Jeremiam, XVI. 16.

ADDUCAM EUM IN BABYLONEM ... ET EAM NON VIDEBIT. Ductus est Babylonem Sedecias; at oculis orbatus, eam urbem non vidit. Secum pugnare putaverat Sedecias hoc Ezechielis, & alterum Jeremiæ (13) vaticinium, quo ipse Babylonem auferendus esse prædicebatur: at res utriusque veritatem probavit, ac miserrimus Princeps serius quam par erat, certissimam Divinarum minarum fidem expertus est. Narrat S. Hieronymus, Sedeciam instar feræ cavea inclusum ductum esse Babylonem (14).

℣. 18. PANEM TUUM IN CONTURBATIONE COMEDE. Similem te exhibeto homini cum metu comedenti, trepidantique dum bibit, ac latitanti; ut angustias, inopiam, terrorem, famem describas, qua Jerosolymitani cives toto obsidionis tempore opprimendi sunt. Vide ℣. 19.

℣. 22. IN LONGUM DIFFERENTUR DIES, ET PERIBIT OMNIS VISIO. Ita impii oracula deridebant. Evanescent minæ: cum perierimus, hæc evenient. Clament pro libito Prophetæ: remota loquuntur, quibus nos minime ferimur (15). Bonæ spei argumentum ex Dei clementia desumunt; ejusque misericordia supplicium differentis: quamobrem majora in dies scelera sectantur, ejusque verba ceu inania, Prophetas uti mendaces irrident (16). Ea prædicis, quæ diu post eventura sunt, quam obierimus; nostramque expectationem ad id tempus rejicis, quo argui mendacii nequeas. Si ea quæ prædicis, non evenerint, ea te prædixisse dicent interposita conditione: si vero contigerint, id casu, & ex communibus rerum humanarum legibus fiet.

℣. 23. APPROPINQUAVERUNT DIES, ET SERMO OMNIS VISIONIS. Quæ prædico, brevi fient, vosque metipsi expletam hujusmodi minarum fidem intuebimini. *Sermo visionis* idem est ac *res visionis*, id quod prædicitur, ac demum expletum cernitur. Septuaginta (17): *Appropinquaverunt dies, & tempus omnis visionis*.

(1) בתוך בית המרי (2) Ἐν μέσῳ τῶν ἀδικιῶν. Ita legit Hieron. & Complut. sed Theodoret. Ἐν μέσῳ οἴκου παραπικραίνοντος. (3) עשה לך כלי גולה Septuag. Ποίησον σεαυτῷ σκεύη αἰχμαλωσίας. (4) Jerem. XXXIX. ℣. 4. 4. Reg. XXV. 4. (5) Jerem. XXXIX. 7. (6) Vide ad Esth. VII. (7) על כתף תשא (8) Ἐπ᾽ ὤμων ἀναληφθήσῃ. (9) Hieron. hic; Theodoret. Διὰ τῶν πραγμάτων προσημαίνων, καὶ ἐν ἑαυτῷ συμφορὰν αὐτοῦ τῷ βασιλεῖ, καὶ τῶν τοῖς ἄρχουσι νομοθετήματα. (10) Vide infra ℣. 22. 21. &c. & 2. Paral. XXXVI. 15. 16. & Hieron. & Theodoret. hic. (11) Ἐγὼ τέρατα ποιῶ. (12) Ezech. XVII. 20. XIX. 8. XXXII. 3. (13) Jerem. XXXVII. & XXXVIII. 18. 23. Joseph. Antiq. lib. 8. c. 10. (14) Hieron. in Isai. XIII. 1. & in Ezech. XVII. (15) יארכו הימים ואבד כל חזון Septuag. Μακραὶ αἱ ἡμέραι, ἀπόλωλεν πᾶσα ὅρασις. (16) Theodoret. hic. (17) Ἤγγικαν αἱ ἡμέραι, καὶ ὁ λόγος πάσης ὁράσεως.

CA-

CAPUT XIII.

Dei minæ in falsos Prophetas ac Prophetides.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, vaticinare ad
prophetas Israel, qui prophetant, & dices prophetantibus de corde suo:
Audite verbum Domini. 3. Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus,
qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. 4. Quasi vulpes in desertis, prophetæ
tui Israel erant. 5. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro
domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. 6. Vident vana, & divinant mendacium,
dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt
confirmare sermonem. 7. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem
mendacem locuti estis? & dicitis: Ait Dominus, cum ego non sim locutus. 8. Propterea
hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium: ideo
ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: 9. Et erit manus mea super prophetas, qui
vident vana, & divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, & in scriptura
domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, & scietis, quia
ego Dominus Deus. 10. Eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, &
non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.
11. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit; erit enim
imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ
dissipantem. 12. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Ubi
est litura, quam linistis? 13. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam
spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo
erit, & lapides grandes in ira in consumptionem. 14. Et destruam parietem, quem
linistis absque temperamento, & adæquabo eum terræ, & relevabitur fundamentum
ejus: & cadet, & consumetur in medio ejus; & scietis, quia ego sum Dominus.
15. Et complebo indignationem meam in pariete, & his, qui liniunt eum absque
temperamento, dicamque vobis: Non est paries, & non sunt, qui liniunt eum.
16. Prophetæ Israel, qui prophetant ad Jerusalem, & vident ei visionem pacis, &
non est pax, ait Dominus Deus. 17. Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra
filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, 18. Et
dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus,
& faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent
animas populi mei, vivificabant animas eorum. 19. Et violabant me ad populum
meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas,
quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo
meo credenti mendaciis. 20. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego
ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis
vestris, & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum. 21. Et
dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt
ultra in manibus vestris ad prædandum: & scietis, quia ego Dominus. 22. Pro eo
quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi: & confortastis
manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, & viveret: 23. Propterea vana
non videbitis, & divinationes non divinabitis amplius, & eruam populum meum de
manu vestra, & scietis, quia ego Dominus.

℣. 2. DICES PROPHETANTIBUS DE CORDE SUO (1), ex suo ipsorum arbitrio, neque Divino Numine afflatis, neque ad vaticinii munus accersitis. Falsis Prophetis nunquam caruit Israel. Levissima gens, credula, animo corrupta, inconstans assentatores semper habuit, falsorumque oraculorum venditores, quibus & fallebantur, & in vitiis alebantur (2). Jerosolymitanos potissimum pseudo-prophetas hic alloqui Ezechiel, Babylonicos censent alii (3), qui captivam gentem verbis inanibus deciperent. Nonnulla in hos scripta dedit Jeremias 29. 8. monuitque populum, ne quam in ipsis spem collocarent. Eosdem designare videtur Ezechiel hic, ℣. 9. ubi illos in terram Israelis minime ingressuros esse testatur. At sententiarum similitudo inter ea, quæ Jeremias (4) de falsis Jerosolymæ Prophetis, & quæ hic Ezechiel habent, in propositam supra sententiam nos

(1) לנביאי מלבם (2) Vide Jerem. XIV. 13. XXIII. 16. XXIX. 8. Mich. III. 9. 11. (3) Sanct. hic.
(4) Confer Jeremiam XXIII. 16. &c. cum Ezechiele XIII.

nos impellit: præterquam quod pax, quam pseudo-prophetæ populo pollicebantur, nonnisi Jerosolymitanis convenit.

℣. 3. Sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Mentis suæ ludibria sectantur, cœci cœcos ducunt. Vel, inania ludibria pro veris oraculis venditant, seque multa videre gloriantur, eum nihil videant.

℣. 4. Quasi vulpes in desertis; trepidi, imbecilles, fallaces, nihil nisi prædam ac rapacitatis & libidinis suæ expletionem quærentes. Sunt qui reddant Hebræum (5): *Quasi vulpes in ruderibus* (6), vel in ruinis maceriarum, quibus vineæ seu agri sepiuntur. Recentiora Itineraria (7) tradunt, frequentissimas esse in sepibus vulpes, & in ruderibus ædificiorum.

℣. 5. Non ascendistis ex adverso, neque murum opposuistis pro domo Israel. Nedum impios, Divinum furorem in populum irritantes, non coercuistis, verum etiam majoribus in dies flagitiis obvolvitis, assentationibus falsisque pollicitationibus; neque modo ceu parietem vos ipsi non opposuistis inter Deum ac populum, ut mos verorum Prophetarum fuit (8), sed mendaciis, & illius nominis profanatione provocastis. Sive, ne a vulpium comparatione recedamus: Tantum abest, ut Dei adversariis coerceatis, ut intra cubilia delitescatis, vel turpi metu fugiatis: tantum abest ut pro muro vos opponatis, ad Israelis præsidium, ut murum ipsum evertatis, a fundamentis eruatis, ac penitus dejiciatis (9).

℣. 8. Ecce ego ad vos. Vel: Vos ego volo, vos peto, Acerrima & familiaris Prophetis (10) locutio.

℣. 9. In consilio (in cœtu) populi mei non erunt (11). Fraudem illorum ita detegam, ut ipsorum verbis se decipi populus deinceps non patiatur, neque illos intra cœtus admittat, ubi de rebus publicis deliberatur. Chaldæus: *In secreto bono, quod absconditum est populo*. Voluntatis meæ consilia iis non aperiam: bonis, quæ genti meæ condita servo, non fruentur. Septuaginta (12): *In disciplina populi mei non erunt*. Male quæsita illos fama dejiciam, neque aures iis præbebit populus. Vel: Perdam illos, neque jam populum meum fallent. Explicatio priore loco proposita, optima omnium est.

In scriptura (in censu) domus Israel non scribentur. Ubi obierint, nemo illorum meminerit: in Israelitarum censu nomen illorum non legetur (13). In Jerosolymitana obsidione diem claudent; vel si in captivitatem rapti fuerint, nunquam revertentur: *Nec in terram Israel ingredientur* (14). Sunt qui ita explicent: Illorum vaticinia in Scriptorum Numine afflatorum Catalogo non recensebuntur; nemo ille verorum vaticiniorum loco habebit. Hæc tamen explicatio exquisitior est quam ferri queat.

℣. 10. Ipsa ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Populus infirmum ac ruinosum parietem pessimo vitæ instituto ædificat; Prophetæ luto liniunt, mistis minime paleis; uda humo atque infirmiori, quam ut ruinosum adeo ædificium fulciat. Inanibus illum pollicitationibus mulcent, ac temeraria securitate sopiunt (15). Ipsorum potius erat, insanum ejusmodi ædificium evertere, ac nedum non fulcire, verum etiam dejicere, atque aliud multo firmius excitare. S. Hieronymus aliter interpretatur: Deus ædificabat per Legis mandata sanctorumque Prophetarum eloquia & comminationes, maceriam, Pseudo vero Prophetæ ea omnia pravis interpretationibus, inutilibusque & mendacibus vaticiniis vitiabant. Alii (16): Aliquis pseudo-Propheta pessimum parietem struit, cæteri pessimo cœmento, infirmo ac levissimo, induunt. Nequissime conspirant, ut Judæos decipiant: si quod aliter mandacium venditat, cæteri tuentur.

℣. 11. Dabo lapides prægrandes desuper irruentes. Immani grandine parietem hunc exagitabo, qua dejiciatur (17). Grotius ignitos lapides interpretatur, quales interdum in aere conspiciuntur. Hebraica vox (18) *El gabis*, vel tantum *Gabisch*, cum *el* articulus sit Arabicus, authore Grotio, piropum significat, igneo colore & nitore. Chaldæus & Septuaginta (19): *Dabo lapides magnos*. Propheta fortasse fulmina seu lapides fulmineos significat.

℣. 14. Adæquabo eum terræ, et revelabitur fundamentum ejus (20); a fundamentis eruam. *Revelare fundamenta ædificii* passim usurpatur pro dejicere, funditus evertere, radicitus eruere (21).

Consumetur, ipsius lapsu obruetur. Hebræus (22): *Conficiemini in media ejus*. Septuaginta (23): *Consumemini cum dedecore*. Murus, & qui ædificavere, & qui luto linierunt, una peribunt.

℣. 17. Pone faciem tuam contra filias populi tui. Sunt qui censuerint (24), Pseudo-Prophetas ab Ezechiele fœminas ἀγυναῖκας appellari, homines nimirum constantia & robore spoliatos, lingua tantum & garrulitate pollentes. Aptius tamen de fœminis entheum furorem falso venditantibus, quæ populum inani oratione fallebant. Neque desunt (25) qui veneficas fuisse putent, nefariis artibus futura scrutantes. Cum vero apud Israelitas vere fuerint tum fœminæ tum viri Numine afflati, cur negas fœminas fuisse pseudo-prophetides, cum pseudo-prophetæ procul dubio fuerint? Veras Prophetides novimus Mariam Moysis sororem (26), Debboram (27), Holdam (28), Annam Phanuelis filiam (29), quatuor Philippi Diaconi filias (30), aliasque nonnullas. Prisca & Maximilla, Montani pseudo-Prophetides, apud Retum Ecclesiasticarum Scriptores leguntur. Nulla ferme hæresis turbas in Ecclesia excivit, quam mulier aliqua, in errorem rapta, vel cæteros rapiendi petita, non confirmaverit. Hæ porro fallacibus hisce fœminis, de quibus Ezechiel, successere.

℣. 18. Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, ut impii quietiorem in flagitiis vitam agant, & secura conscientia male agere pergant. Væ qui salutis dogmata corrumpunt, aut infirmare conantur; væ qui peccantibus blandiendo assentantur! qui pacem falso nunciant, inanemque securitatem pollicentur! Recole hoc loco ea quæ supra diximus de excubitoribus Israelis, qui ubi hostem viderint, silent (31). Puto hic a Propheta inuui genus illud pulvillorum, quibus utuntur Orientales, ut sedeant, cubent, cubito innitantur.

Et faciunt cervicalia sua capite universæ æta-

(5) כשעלים בחרבות (6) Symmach. Ὡς ἀλώπεκες ἐν ἐρημίαις ἐν παροῖσαι σε. Vat. Kimchi. (7) Morison, voyage de la Terre sainte chap. 31. (8) Vide Exod. xxxii. 10. Num. xvi. 46. 47. & Psal. cv. 24. Ezech. xxii. 3. (9) Vide 2. Esdr. iv. 3. *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum*. Hebr. *Si ascenderit vulpes, dissipabit murum eorum*. (10) Ezech. v. 9. & xxi. 3. & xxvi. 3. (11) בסוד עמי לא יהיו (12) Ἐν παιδείᾳ τοῦ λαοῦ. Sym. ἐν ὁμιλίᾳ. (13) Theodoret. Οὐδὲ συναριθμηθέντα τῷ λαῷ μου. Vide Sanct. Prad. Lyr. Menoc. Tir. (14) Sixt. Senens. Bibl. Sanctæ l. 2. c. 2. (15) Theodoret. Sanct. Grot. Munst. (16) Jun. Glass. (17) Ita Interpp. plerique. (18) אבני אלגביש Vide nostram Dissertationem de imbre lapidum sub Josue. (19) Δώσω λίθους πετροβόλους. (20) ונגלה יסודו אל הארץ (21) Isai. xxiv. 18. Mich. i. 6. Abacuc iii. 13. (22) בליתם בתוכה (23) Συντελεσθήσεσθε μετ' ἐλέγχων. (24) Vide Vat. & Sanct. hic. (25) Hebræi apud Hieronym. (26) Exod. xv. 20. Num. xii. 2. (27) Judic. iv. 4. (28) 4. Reg. xxii. 14. (29) Luc. ii. 36. (30) Act. xxi. 9. (31) Ezech. iii. 17. & seq.

ÆTATIS AD CAPIENDAS ANIMAS. Eadem est, quæ versiculo superiore, sententia. Væ iis quæ adminicula impiis præbent, flagitia excusandi, non arguunt aut monent. Septuaginta (32): *Faciunt velamina super omne caput omnis ætatis*. Reddere Hebræum velim (33): *Væ facientibus retia super caput omnium conditionum, ad venandum animas*. Cur in hanc sententiam impellar, causa est verbum ipsum *venari*, quo hic utitur Ezechiel, tum & ℣℣. 20. 21. *Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris, & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum* natas, avibus similes. ℣. 21. *Et dirumpam retia vestra* (Vulgata, cervicalia vestra), *& liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum*. Adde, quod vox *Misphacoth*, quæ vulgo redditur *cervicalia*, optime usurpari potest pro retibus, ubicumque legitur; neque ullo plane argumento pro cervicalibus explicatur, sed ex conjectura. Græci, uti vidimus, reddidere *velamina*; alii (34) *confibulas*, seu *peplas*; Judæi, phylacteria seu magica vincula. Unus inter Græcos Symmachus vertit cervicalia (35). Hac voce Bis utitur Isaias, at utrobique aptissime pro retibus venatoriis explicatur. Capite III. ℣. 17. sit: *Pro eo quod ambulaverunt* filiæ Sion *extenta collo* . . . *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*, uti habet Vulgata; ex aliis, lepra feriet; nobis vero, reti capiet; illarum colla & cervices, ceu captivarum, funibus vincientur. Alibi (36) queritur Deus: *Expectavi ut* populus meus *faceret judicium, & ecce iniquitas*, vel plaga: nobis vero videtur Deus amaro verborum lusu uti inter *Misphat*, judicium, & *Misphach*, pedicæ. *Expectavi judicium, & ecce fraus*, vel iniqua vis; ad verbum, *pedicæ, & rete*.

CUM CAPERENT ANIMAS POPULI MEI, VIVIFICABANT ANIMAS EORUM. Captas, non subita celerique morte conficiebant, sed vivas detinebant, ut diu vinctas haberent, sibique constantius jungerent: lethifera misericordia, sævissimaque vania captis animabus parcebant. Vel: Pseudo-prophetides, captas retibus populi mei animas, verissimaque morte oppressas, in vitam revocare videntur; præmium etiam expetunt, quasi illas servarint, cum illas maximo omnium infortunio affecarint. Quæ tantummodo ita esse judicantur, ea fieri dicit interdum Scriptura. Ita Moyses Levit. 13. 11. ait: *Contaminabit eum* (leprosum) *Sacerdos*; scilicet, contaminandum esse judicabit. Et de iniquis Judicibus Isaias 5. 23. *Qui justificatis impium pro muneribus*, qui justos esse pronunciatis. Ita hujus loci Prophetides, captis populi animabus, ajunt, illas a sese esse servatas; lethifero nimirum vulnera affectis vitam attulisse. Hebræus (37): *Numquid venabimini animas, & vestris vitam dabitis?* Num impune vobis futurum esse arbitramini, cum populi mei animas aucupio capitis, ceu reti aves, vosque tranquillam vitam esse ducturas? Hæc vera est loci explicatio.

℣. 19. VIOLABANT ME AD POPULUM MEUM PROPTER PUGILLUM HORDEI &c. Nominis mei sanctitatem apud populum profanavere. Hebræus (38): *Profanabant me erga populum meum pro pugillis hordei*. Communis loquendi modus, pro: Prophetides istæ abusæ sunt nomine meo, ut fidem mendaciis suis facerent, & quodammodo hordei pugillo, & frusto panis vendiderunt.

UT INTERFICERENT ANIMAS, QUÆ NON MORIUNTUR, scilicet, morti non obnoxias, morte indignas, vel quæ mortuæ non erant. Vel, necem prædicunt minime morituris, & certe morituris vitam. Septuaginta (39): *Ut interficerent* animas, quas non oportuit mori. Pseudo-Prophetides has mortis reos judicabant justos homines; & innoxios; Homines vero vita indignissimos, culpa vacare pronunciabant (40). At explicatio priore loco proposita, optima omnium videtur (41). Iis, qui sese Chaldæis dederent, mortem, captivitatem, atque omnia malorum genera prædicebant, repugnantibus licet veritate, divinisque promissionibus, per Jeremiam pronunciatis. Contra vero vitam pollicebantur iis, qui Nabuchodonosori resisterent, cum Deus mortem, famam, exilium minitaretur.

℣. 20. ECCE EGO AD PULVILLOS VESTROS. Vide ℣. 18. ubi hæc verba explicavimus ex communi explicatione: at aliquid in Hebræo deesse videtur, quo manca sit sententia. Porro ita sonat ad verbum (42): *Ecce ego ad cervicalia vestra quibus venamini animas ut floreant* (germinent, volent) *& conscindam eas de brachiis vestris, & dimittam liberas animas, quas venatæ estis, animas ut floreant*. Quæ quidem verba nihil aptum sonant. Si hujus loci nexum intelligere velis cum ℣. 18. ad quem omnino refertur, ita explicato, Hæc ego habeo adversus pulvillos, quos cubito supponendo consuistis, & adversus retia, quæ ad capiendas animas tetendistis. Evellam ego e cubitis pulvillos, & animas, quas retibus cepistis, dimittam. ℣. 21. Dirumpam retia &c.

Septuaginta aliter ac nos Hebræum legunt, vertuntque (43): *Ecce ego adversus cervicalia vestra, super quæ vos colligitis ibi animas. Et conscindam ea e brachiis vestris, & disperdam animas, quas vos pervertitis, animas eorum in dispersionem*. Syrus: *Ecce me contra pulvillos vestros, quibus venamini animas; volare faciam eas*. [21] *Et lacerabo instrumenta vestra, ne veri se committant amplius, inter manus vestras*. Fraudes vestras & mendacia detegam, ut ii quos fefellistis, artes vestras studiosius vitent.

℣. 22. MOERERE FECISTIS COR JUSTI. Sunt qui hic Jeremiam intelligant, falsis Pseudo-prophetarum vaticiniis in angustias actum. Alii generice de Justis interpretantur, gementibus, quod populum pessimorum hominum artibus ac mendaciis captum cernerent; sive de simplicibus atque innoxiis hominibus, quos mali Prophetæ futurorum malorum prædictione temere terrebant, variisque terroribus sollicitos reddebant. Septuaginta (44): *Pervertistis cor justi inique; & ego non pervertebam eum*, quem scilicet ego perverti nolebam, seu vetueram.

℣. 23. VANA NON VIDEBITIS AMPLIUS. Vos vita exuam, vosque imparas efficiam populo falsis vaticiniis diutius decipiendo.

(32) Ἐπιβάλλοντα ἐπὶ πᾶσαν κεφαλὴν πάσης ἡλικίας. Ita Grot. & Kimchi. (33) עשות המספחות על ראש כל קומה לצוד נפשות (34) Jun. Tremel. (35) Symmach. in Edit. Rom. Nobil. Προσκεφάλαια πρὸς κεφαλῆς πάσης ἡλικίας. (36) Isai. v. 7. לםשפט והנה משפח (37) הנפשות תצודנה לעמי ונפשות לכנה תחיינה Septuag. Obscurius: Αἱ ψυχαὶ διεστράφησαν τοῦ λαοῦ μου, & ψυχὰς περιεποιοῦντο. (38) ותחללנה אותי אל עמי בשעלי שערים (39) Τοῦ ἀποκτεῖναι ψυχὰς, ἃς οὐκ ἔδει ἀποθανεῖν. (40) Theodoret. hic, Monst. Pisc. (41) Cornel. Estius, Sanct. (42) הנני אל כסתותיכנה אשר אתנה מצודדות שם את הנפשות לפרחות וקרעתי אתם מעל זרעתיכם ושלחתי את הנפשות אשר אתם מצדדות את נפשים לפרחות

(43) Ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια ὑμῶν ἐφ' ἃ ὑμεῖς συνάγετε ἐκεῖ ψυχάς. Καὶ διαῤῥήξω αὐτὰ ἀπὸ τῶν βραχιόνων ὑμῶν. Καὶ ἐξαποστελῶ τὰς ψυχὰς, ἃς ὑμεῖς ἐκστρέφετε τὰς ψυχὰς αὐτῶν εἰς διασκορπισμόν.
(44) Διεστρέφετε καρδίαν δικαίου ἀδίκως, κἀγὼ οὐ διέστρεφον αὐτήν.

CA-

CAPUT XIV.

Minæ in eos qui falsos Prophetas consulunt, atque in flagitiis perseverant. Regio scelerum causa in hostium potestatem data, ob aliquot civium pietatem non servabitur, tametsi ii Noemo, Daniele & Jobo sanctiores sint.

℣. 1. ET venerunt ad me viri seniorum Israel, & sederunt coram me. 2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 3. Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: numquid interrogatus respondebo eis? 4. Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: 5. Ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis. 6. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Convertimini, & recedite ab idolis vestris, & ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. 7. Quia homo homo de domo Israel, & de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad prophetam, ut interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me. 8. Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei, & scietis, quia ego Dominus. 9. Et Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum, & extendam manum meam super illum, & delebo eum de medio populi mei Israel. 10. Et portabunt iniquitatem suam: juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit: 11. Ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis; sed sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum. 12. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 13. Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis ejus, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & jumentum. 14. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. 15. Quod si & bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam; & fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias. 16. Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. 17. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram, & interfecero de ea hominem, & jumentum: 18. Et tres viri isti fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias; sed ipsi soli liberabuntur. 19. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem, & jumentum: 20. Et Noe, & Daniel, & Job, fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus: quia filium, & filiam non liberabunt: sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. 21. Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quod & si quatuor judicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam, immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem, & pecus: 22. Tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios, & filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, & videbitis viam eorum, & adinventiones eorum, & consolabimini super malo, quod induxi in Jerusalem, in omnibus, quæ importavi super eam. 23. Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum, & adinventiones eorum: & cognoscetis, quod non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

℣. 1. VENERUNT AD ME VIRI SENIORUM ISRAEL. Horum Israelis Seniorum nomina & propositum, neque tempus rei gestæ tradit Ezechiel. Ipse tamen loquendi modus, quo utitur Deus, suadere videtur, viros hosce venisse, ut periculum ipsius facerent, ac postularent, quid novi Deus significasset; quamvis illius monitis proficere, aut sese vitiis abdicare negligerent.

℣. 2. POSUERUNT IMMUNDITIAS SUAS IN CORDIBUS SUIS, ET SCANDALUM INIQUITATIS SUÆ CONTRA FACIEM SUAM. Numinum suorum superstitionem constantissime sequuntur, atque hæc simulacra,

cra, miserrimas sibi peccandi labendique causas, avidis oculis spectant. Ab inanibus Diis ad meliora converti nolunt, ℣. 6. Te nihilominus consulunt, quasi animo rectissimo sint, sinceraque voluntate.

℣. 4. HOMO QUI VENERIT AD PROPHETAM, INTERROGANS PER EUM ME: EGO DOMINUS RESPONDEBO EI IN MULTITUDINE IMMUNDITIARUM SUARUM. Ita illum alloquar, uti animus illius fuerit: non id quod opus fuerit, sed id quod ipse optaverit, respondebo. Cum is eo animo accedat, ut mei periculum faciat, meque ad pessimas animi sui libidines probandas trahat; ita illi respondebo, ut verbis meis contentus sit: at me fallere cupiens, se ipsum deceptum sentiet: *Non enim meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat*, inquit S. Hieronymus. Pharisæis Christum tentantibus, poscentibusque, qua authoritate tam multa faceret, Christus respondit: At ego vicissim postulo, unde Baptismus Joannis? Ex hominibus ne, an e Cœlo (1)? Cum vero illi intelligerent, quidquid ipse respondeset, illud ipsum a Christo torquendum fore, responderunt: Id quidem ignoramus. Neque *ego*, ait Christus, dico, qua authoritate hæc faciam. Pari arte illorum nequitiam fefellit, cum illi rogarent, solvendum esset Cæsari tributum, necne (2)? ac denique cum fœminam in adulterio deprehensam adducere. Joan. 8. 3.

Prophetæ nomine falsum Prophetam intellige (3), minime enim patietur Deus, ut verus Propheta id quod falsum est, nunciet, vel impio sese tentanti. Id efficiet potius, ut Propheta impii nequitiam intelligat, seque dolose interrogantem arguat, quemadmodum senioribus hisce contigit, qui ad Ezechielem cum fraude accesserant. At ubi quis falsos Prophetas rogaverit, efficiet Deus, ut consulens in illorum responsis labendi occasionem inveniat. Hisce tenebrarum ministris dictabit Diabolus ea, quæ rogantibus placeant, ut hi fallacibus illorum vaticiniis freti, in mala extrema ruant, quemadmodum Achabo usuvenit. Is quippe bellum in Syros Ramoth Galaad occupantes, capessiturus, Michæam verum Dei Prophetam accersivit, ex quo infelicem fore belli exitum audiit: cum vero Sedecias, innumerique falsi Prophetæ victoriam pollicerentur, Achab falso vaticinantibus fidem habens, adversus hostem profectus, in acie cecidit 3. Reg. 22. 10.

Chaldæus aliter explicat: *Respondebo ei in verbo meo, quicumque* de domo Israel *venerit ad quærendum oraculum a facie mea, quamvis implicitus sit in multitudine cultus Idolorum*. Hebræus ad verbum (4): *Quicumque de domo Israel venerit ad Prophetam, ego Dominus respondebo ei in multitudine Deorum suorum turpissimorum.*

℣. 5. UT CAPIATUR DOMUS ISRAEL IN CORDE SUO, QUO RECESSERUNT A ME; ut ingrata gens & infidelis exitium in flagitiis suis inveniat. Septuaginta (5): *Ut averteret domum Israel secundum corda eorum, quæ abalienata sunt a me*. Vel ex Chaldæo: Respondebo ei, sui *applicem domum Israel, ut hæc ponat pœnitentiam in corde suo, quia declinaverunt a cultu meo.*

℣. 7. RESPONDEBO EI PER ME. Tametsi falsus Propheta consulatur, ego per illum loquar, eaque responsa dabo, quibus fallamini. Hæc ad verbum usurpata innuere videntur Deum mendacio faventem, ac vaticiniorum a malis Prophetis editorum authorem. Cave tamen credas, Deum, veritatis & justitiæ fontem, probare ea quæ erroti favent, aut opem aliquam hominum deceptioni conferre. Vide ℣. 9. Aliter (6): Respondebo ei propter me, mei ipsius causa; non rerum ab ipsis gestarum, sed justitiæ meæ gratia. Septuaginta: *Respondebo ei in ea quo tenetur.*

℣. 9. EGO DOMINUS DECEPI PROPHETAM ILLUM. Hujusmodi Propheta usus ego sum, passusque ut ab eo is homo deciperetur. Ego, inquam, arcano justitiæ meæ consilio, & Prophetæ fraudem, & consulentis errorem permisi (7). Uterque meruere, ut illos ego corruptæ mentis arbitrio, & errori, quem sectati sunt, relinquerem. Ita Balaam, pessimus Propheta, Balacum Moabitarum Regem fefellit, dato consilio, quod & Balaamo, & Balaco, & Moabitis, & Israelitis simul fatale fuit. Ait Deus, deceptum esse a se Prophetam, & mendacibus vaticiniis instructum, quod iratus populum suo ipsius arbitrio relinquat, eumque falsis potius quam veris Prophetis aures præbere patiatur. Addit S. Hieronymus, his verbis significari, falsum Prophetam non suis ipsius viribus aut potestate cæteros decipere, cum nulla ei sit vel in impios potestas, nisi dederit Deus. Ita etiam intelligenda sunt ea, quæ in libris Regum narrantur (8), cum scilicet Satan coram Deo assistens, ait: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis: Egredere & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.*

Sunt (9) qui Hebræum ita vertant (10): *Et Propheta cum mentitus fuerit, ego ne decepi Prophetam illum? Nonne ego extendi manum meam super eum?* Alii: *Ego decipiam Prophetam illum*. Is in mala minime expectata labetur. Vel: *Ego decepi eum*; illius artes fraudesque detexi &c. Eodem plane modo, quo leprosi a Sacerdote inquinari seu purgari dicuntur (11), cum ab eo vel inquinati vel purgati pronuntiantur.

℣. 10. JUXTA INIQUITATEM INTERROGANTIS, SIC INIQUITAS PROPHETÆ ERIT. Par futura est iniquitas respondentis nequitiæ consulentis; vel, par erit utriusque pœna; eodem supplicio uterque obvolventur.

℣. 14. SI FUERINT TRES VIRI ISTI IN MEDIO EJUS, NOE, DANIEL, ET JOB, IPSI JUSTITIA SUA LIBERABUNT ANIMAS SUAS. Significat his Deus, sese pro singulorum gestis meritisque præmia pœnasve illaturum. Si quem locum suppliciis affecerit ob incolarum flagitia, eos secernet, qui justitiam coluerint, vitamque scelere vacuam duxerint, & communibus patriæ malis eruet: & impii omnes eodem supplicio obvolventur, nulla justorum aliquot ratione habita, qui divini furoris æstum coercere non poterunt: unusquisque pro meritis præmium aut pœnam referet. Trium hic insignium virorum nomina, Noemi, Danielis, & Jobi, recitat, quo acrius cœlestis iræ magnitudinem significet, tantæ pietatis ratione non sedatam, neque piissimorum hominum precibus coercitam. Tres fortasse hosce selegit, quod neque Noemus terram universam diluvio, neque Job a domus ruina, filios filiasque, neque Daniel a captivitate & exilio populum liberare potuerint (12). S. Augustinus (13) Noemo significari putat *Rectores Ecclesiæ*, sancte pieque moderantes; Jobo patres familias, sancte in connubio viventes, Daniele demum sanctos omnes continentiam colentes. Putat S. Chrysostomus, uti Ezechielem trium sanctissimorum horum hominum exemplo, quod

(1) Matt. xxi. 25. & seqq. (2) Matt. xxii. 17. 21. (3) Hieron. & Theodoret. Vide ℣. 9.
(4) איש איש מבית ישראל . . . . בא אל הנביא אני יהוה נעניתי לו בה ברב גלוליו (5) Ο῞πως πλαγιάσῃ τὸν οἶκον τοῦ Ἰσραὴλ, κατὰ τὰς καρδίας αὐτῶν τὰς ἀπηλλοτριωμένας ἀπ᾽ ἐμοῦ. (6) נענית לו בי Septuag. Ἀποκριθήσομαι αὐτῷ ἐν οἷς ἐνέχεται ἐν αὐτῷ. (7) Theodoret. hic. Οὐ ποιῶν [illegible] λέγει τὸν [illegible], ἀλλὰ [illegible] συγχωρῶν. Alii passim. Vide Aug. lib. 5. contra Julian. c. 3. n. 13. (8) 3. Reg. xxii. 22. 23.
(9) Dorschæus contra Trigland. & Pfeiffer. dub. vexat. centur. 4. lib. 58. (10) והנביא כי יפתה . . . אני יהוה פתיתי את הנביא ההוא ונטיתי את ידי עליו (11) Levit. xiii. 6. 15. 20. Vide supra xiii. 18.
(12) Hieron. Theodoret. (13) Aug. in Psal. cxxxii. & sermone de Urbis excidio, tom. 6. nov. edit.

quod miserrimis temporibus, atque inter gravissimas rerum angustias floruerint, benevolentia erga fratres & charitate conspicui. Noemus uxorem filiosque cum filiorum uxoribus e totius orbis alluvione servavit; Job vir misericordiæ plenus fuit, proximorum mala miseratur; Daniel Chaldæos Magosque ab imminente morte liberavit (14).

Porro Ezechielis argumentatio ita se habet; Siqua regio, quam ego non amo, in scelus ruit, omnia in illam malorum genera immittere soleo, bellum, famem, pestem, feras. Severissime illam ferio, neque illi, præter justos tantummodo, veluti Noemum, Danielem & Jobum, parco. Ipsis etiam illorum filiis ipsorum causa non parco: quisquis reus est, morti datur. At erga Jerosolymam plenus pietatis sum: siqua illam calamitate opprimam, ad extremum usque exitium non deseram. Partem civium servabo, quibus filii sint & filiæ. Vide ℣℣. 21. 22.

℣. 19. PESTILENTIAM. Septuaginta (15): *Mortem*. Ita & ℣. 21.

℣. 22. VIDEBITIS VIAM ILLORUM (vivendi institutum) . . . ET CONSOLABIMINI SUPER MALO, QUOD INDUXI IN JERUSALEM. Ex Judæis, hue in captivitatem agendis causas discetis, cur Jerosolymam reliquerim, aut severe adeo punierim. Narrabunt hi flagitia & scelera populi, quem in excidium impuli. Vel: Ii quos servavi, futuri mox vestræ captivitatis socii, causam severitatis meæ dicent: auditis illorum flagitiis, intelligetis, quam æquo jure in ipsos sævierim (16).

CAPUT XV.

Judæi cum ligno vitis, solummodo in usum ignis apto, comparantur.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, quid fiet de
ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum?
3. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus,
ut dependeat in eo quodcumque vas? 4. Ecce igni datum est in escam: utramque
partem ejus consumpsit ignis, & medietas ejus redacta est in favillam; numquid utile erit ad opus?
5. Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto
magis cum illud ignis devoraverit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis? 6. Propterea
hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod
dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem. 7. Et ponam faciem
meam in eos: de igne egredientur, & ignis consumet eos: & scietis, quia ego Dominus,
cum posuero faciem meam in eos, 8. Et dedero terram inviam, & desolatam:
eo quod prævaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

℣. 2. QUID FIET DE LIGNO VITIS? Putat Sanctius, agere hic Prophetam de labrusca, quibuslibet operibus, præterquam igni, inepta. Huic favere videtur Hebræus (1): *Quid fiet lignum vitis; inter omnia ligna ramosa, quæ sunt inter ligna nemorum?* At Interpretum plerique de vite sativa & culta explicant. Judæos frequenter Scriptura cum vite comparat (2); atque hanc sententiam Interpretes nonnulli ex hujus loci Hebræo eliciunt: Quid fiet de ligno vitis, si palmites habet ramis cæterarum arborum sylvestrium similes? Si æque sterilis fuerit atque arbor sylvestris, qua laude inter cæteras arbores præstabit (3)? Vites in Judæa humiles fuisse, neque secus magnas arbores provenisse, aut multum magnitudine, quemadmodum aliquibus in locis fit, non crevisse videntur; secus enim minima esset hujus comparationis vis, cum interdum & simulacra, & scalæ, & columnæ etiam Templi e vitis ligno non defuerint. Ipsas ulmos, quibus conjungitur, plerumque superat; *nec est ligno ulli æternior natura*. Plinius (4), qui hæc narrat, addit: *Verum ista ex sylvestribus facta crediderim*. At Strabo lib. 2. & lib. 11. asserit, in Margiana crassa adeo fuisse vitium crura, ut vix duorum hominum amplexu cingi possent, & botros duorum cubitorum ferrent. Quicquid sit, omnia optime conciliabis, si dixeris, hic agi de palmite; atque hoc colligi posse ex Hebræo: *Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum?*

℣. 3. AUT FABRICABITUR DE EA PAXILLUS? Solent Turcæ, quantumvis locupletes, sarcinas & arma ligneis clavis, parieti infixis, suspendere, vel funibus intra conclavia extensis. Equorum etiam ephippia ex iis funibus suspendunt. Nullum ibi armarium, arca nulla, aut pretiosa supellex (5). Isaias 22. & 23. de quodam ex Optimatibus Regum Juda Ministris agens, ait, fore ut *in loco fideli*, firmo scilicet immobilique, figatur.

℣. 4. UTRAMQUE PARTEM EJUS CONSUMPSIT IGNIS, ET MEDIETAS EJUS EST IN FAVILLAM. Vel: *Utramque extremitatem consumpsit ignis*, & cor in cineres abiit. Palmitis medullium ne igni quidem nutriendo aptum est, neque satis firmum, ut flammam alat: lignum quo cingitur, penitus absumptum est, in cineres abiit. Septuaginta (6): *Ecce igni data est in consumptionem, annuam purgationem ex ea consumit ignis*; sarmenta scilicet, inutiles ramos.

℣. 7. DE IGNE EGREDIENTUR, ET IGNIS CONSUMET EOS. Si ensem effugerint, fame peribunt; si famem, captivi ab hostibus rapientur. *Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*. Hujusmodi minarum fidem res ipsa penitus explevit.

[14] Chrysost. homil. 41. in Genes. [15] Θάνατον. Hebs. דבר Deber. [16] Hieron. Theodoret. Cornel. Menoch. Vatab. Sanct. [1] מה יהיה עץ הגפן מכל עץ הזמורה אשר היה בעצי היער [2] Vide Jerem. 11. 21. Isai. v. 1. 2. Psalm. LXXIX. Matth. xx. 1. [3] Grot. Vatab. [4] Plin. lib. 14. cap. 1. *Jovis simulacrum in urbe Populonia ex una (vite) conspicimus, tot ævis incorruptum. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur vite una Cypria.* [5] Roger, Terre sainte, liv. 2. chap. 11. pag. 301. [6] Ἰδοὺ πυρὶ δέδοται εἰς ἀνάλωσιν τὴν κατ' ἐνιαυτὸν κάθαρσιν ἀπ' αὐτῆς. Hebr. הנה לאש נתן לאכלה את שני קצותיו Aquila: *Duo novissima ejus*. Symm. *Duas summitates ejus*.

CAPUT XVI.

Jerosolymæ scelera, sub imagine flagitiorum, quibus ardet meretrix, Jerosolymæ peccata, graviora quam Sodomæ & Samariæ. Novum fœdus, a Deo cum populo initum.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas, 3. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem: Radix tua, & generatio tua de Terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. 4. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. 5. Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui; sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es. 6. Transiens autem per te vidi conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cum esses in sanguine tuo; Vive, dixi, inquam, tibi; in sanguine tuo vive. 7. Multiplicatam quasi germen agri dedi te: multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & pervenisti ad mundum muliebrem, ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit: & eras nuda, & confusione plena. 8. Et transivi per te, & vidi te; & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus) & facta es mihi. 9. Et lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. 10. Et vestivi te discoloribus, & calceavi te janthino; & cinxi te bysso, & indui te subtilibus. 11. Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torques circa collum tuum. 12. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. 13. Et ornata ex auro, & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multicoloribus: similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis: & profecisti in regnum. 14. Et egressum est nomen tuum in Gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus. 15. Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo: & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres. 16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta; & fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est. 17. Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis. 18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis. 19. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis, & factum est, ait Dominus Deus. 20. Et tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi, & immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua? 21. Immolasti filios meos, & dedisti, illos consecrans eis. 22. Et post omnes abominationes tuas, & fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena, conculcata in sanguine tuo. 23. Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus) 24. Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. 25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ; & abominabilem fecisti decorem tuum: & divisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas. 26. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium, & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. 27. Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam justificationem tuam; & dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata. 28. Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quod necdum fueris expleta: & postquam fornicata es, nec sic es satiata. 29. Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis: & nec sic satiata es. 30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis? 31. Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, 32. Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. 33. Omnibus meretricibus dantur mercedes: ut autem mercedes cunctis amatoribus tuis,

& dona

& dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. 34. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio: in eo enim quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium. 35. Propterea, meretrix, audi verbum Domini. 36. Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum, & revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis. 37. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es; & omnes, quos dilexisti, cum universis, quos oderas: & congregabo eos super te undique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam. 38. Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris, & zeli. 39. Et dabo te in manus eorum, & destruent lupanar tuum: & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamque ignominia. 40. Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis. 41. Et comburent domos tuas igni, & facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum: & desines fornicari, & mercedes ultra non dabis. 42. Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus a te, & quiescam, nec irascar amplius. 43. Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & provocasti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis. 44. Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater, ita & filia ejus. 45. Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum, & filios suos: & soror sororum tuarum es tu, quæ projecerunt viros suos, & filios suos: mater vestra Cethæa, & pater vester Ammorrhæus. 46. Et soror tua major, Samaria, ipsa, & filiæ ejus, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma, & filiæ ejus. 47. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: pæne sceleratoria fecisti illis in omnibus viis tuis. 48. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ ejus, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ. 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno, & pauperi non porrigebant. 50. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me: & abstuli eas sicut vidisti. 51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. 52. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: justificatæ sunt enim a te: ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas. 53. Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Samariæ, & filiarum ejus: & convertam reversionem tuam in medio earum, 54. Ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas. 55. Et soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ, revertimini ad antiquitatem vestram. 56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ, 57. Antequam revelaretur malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ; & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt per gyrum. 58. Scelus tuum, & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus. 59. Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum. 60. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum. 61. Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis, cum receperis sorores tuas te majores cum minoribus tuis: & dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. 62. Et suscitabo ego pactum meum tecum: & scies quia ego Dominus. 63. Ut recorderis, & confundaris, & non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus Deus.

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI: Jerosolymæ flagitia nihil acrius sub oculis exhibet, quam hæc ipsa Ezechielis oratio. Impudentissimam certe ejus urbis libidinem fuisse necesse est, ut gravibus adeo verbis castiganda fuerit. A consueto loquendi genere discedere videtur Propheta, ut urbis corruptissimæ, quam scelerum suorum non pudet, flagitia universi orbis oculis exponat.

℣. 3. GENERATIO TUA DE TERRA CHANAAN, Abrahami genus, unde ortum ducis, probro afficis; Chananæa potius dicenda es, quam Israelitis. Chanaani genus diris (1) & anathemati (2) devotum fuisse, satis constat. Inter hos celeberrimi erant & scelestissimi Amorrhæi & Hethæi, Nihil molestius dici Hebræo poterat, quam ubi e Chanaani genere satus appellaretur. Hoc nomine Daniel c. 13. 56. turpissimos senes, Susannæ accusatores, donat. Principes Juda, *Principes Sodomæ* nuncupat Isaias 1. 10. S. Joannes in Evangelio (3) *genimina viperarum* nominat. Profani Scriptores, ubi œstro rapiuntur, similes interdum locutiones usurpant. Ita Virgilius Didonem Æneæ dicentem inducit Ænei. l. 4.

Nec te Diva parens, generis nec Dardanus author,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

At acris adeo, nexæ, nobilia objurgationis exempla ægre apud alios invenias.

℣. 4. NON EST PRÆCISUS UMBILICUS TUUS. Relicta es ceu infans qui negligitur, mox exponendus. Umbilicus quidam ductus est, loro similis, a secundinis ad mediam abdominis regionem fœtus, quo is succum vitalem trahit, dum utero matris clauditur; qui, edito fœtu, obligatur, ac sub ligatura scinditur; ipsa vero deinde natura id quod superest, sponte demittit, relicto illius extremo, quod *umbilicus* vulgo appellatur. Septuaginta apud S. Hieronymum & Romanam Editionem legunt (4): *Non ligaverunt*, vel *non ligavisti mammas tuas*. Theodoretus vero & Complutensis Editio cum Hebræo & Vulgata conveniunt.

AQUA NON ES LOTA IN SALUTEM. Sunt (5) qui Hebræum reddant: *Aqua non fuisti lota ad lenimen*. Pueri statim editi frigida lavari apud Veteres solebant. Virgilius Æneid. 9. v. 603.

.... Natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus & undis.

Id etiam servabant olim Germani, natosque statim Rheno mergebant, probaturi, utrum spurii essent, nec ne (6). Frigida ea lotione puerorum corpora firmiora fieri & robustiora, putabant Lacedæmones (7). Censet S. Hieronymus, *ad eluendum sanguinem lavari eos aqua*.

NEC SALE SALITA (8), purgata. Teste S. Hieronymo (9), puerorum corpora *solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint, & restringantur*, vel ut firmior caro fiat, quæ flaccida nimis est ac tenera. Cutem sale durari, ac validiorem fiari, Galenus est author de Sanit. l. 1. c. 7. Jubet Avicenna, infantium mox editorum corpora aqua elui sale liquato plena, ut & claudatur umbilicus, & cutis solidior efficiatur.

NEC INVOLUTA PANNIS. Hæc, quibus corpora puerorum curantur, illorum viribus & proceritati serviunt, rectos firmosque stare cogunt, & vitia, quæ forte nascentibus nocere potuere, corrigunt (10). Animadvertit S. Hieronymus, *Barbarorum corpora Romanis corporibus rectiora esse; usque ad secundum enim & tertium annum, semper pannis obvolvuntur*. Rogatus a me quidam peregrinator, testatus est, Americanos atque Æthiopas non solere natorum corpora pannis obvolvere, quæ tamen rectiora & vegetiora apud illos sunt, quam apud cæteros, qui puerorum corpora fasciis curant. Editi statim pueri, amne lavantur; tertium autem vel quartum post diem a matribus dorso appenduntur linea vitta ante pectus revincta, atque ita instructæ matres agrum colunt; ac matre agri laboribus occupata, corpusque agitante, puer ita suavi somno fruitur, quasi in cunis dormiat. Quæ hic habet Ezechiel, iis significantur sordes, quibus Hebræi in Ægypto fœdabantur, profana superstitione, ignorantia, durissimaque servitute oppressi. Vide Theodoreti Præfationem in Cantica Canticorum.

℣. 5. PROJECTA ES SUPER FACIEM TERRÆ IN ABJECTIONE ANIMÆ TUÆ, veluti neglecta. Vel, ex Hebræo (11): *Projecerunt te in agrum, in abominatione animæ tuæ*: in sordibus, quibus adhuc obvolvebaris. Septuaginta (12): *in pravitate animæ tuæ*. Judaicam gentem Ezechiel a primo statim ortu ad extremam usque senectam prosequitur sub puellæ imagine, quæ nullius opem in ipso ortu experta, in sordibus relicta, rejectaque & destituta, quemadmodum pueris expositis olim contingebat, denique a Deo Israelis colligitur, enutritur, educatur, ornaturque, atque in sponsam eligitur. Tum illa turpissimas libidines sequuta, violata connubii fide, certum ad tempus rejicitur. Gentem hanc in Ægypto ferme natam dixeris, ubi fœdissimi instar fœtus fuit; ac nedum nulla hominum ope gaudebat, verum etiam odio habita, pulsa, & in nemore exposita, veluti certam ad perniciem, fuit. Illam Deus ita miseram intuitus, misereri illius cœpit.

℣. 6. TRANSIENS AUTEM PER TE, VIDI TE CONCULCARI IN SANGUINE TUO. Te vidi (13)

.... Modo primos
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.

Nemo ignorat vulgatum veterum morem exponendi liberos, cum alere non possent, aut si vitium aliquod ex ortu referrent, quo graves probrosique potius quam utiles & gloriosi Reipublicæ ac familiæ fore censerentur. Apud Hebræos (14), *necare quemquam ex agnatis nefas*. At Ezechiel ad illum alludit, veluti inter cæteros usitatissimum.

DIXI TIBI IN SANGUINE TUO: VIVE. Vivere te, quamvis impuram, atque ali volo. Septuaginta (15): *In sanguine tuo vive*. Scholiastes Græcus (16): *In humore circumjacente*.

℣. 7. PERVENISTI AD MUNDUM MULIEBREM; ad ætatem, qua puellæ de mundo muliebri cogitant. Hebræus ad verbum (17): *Venisti ad ornamentum ornamentorum*. Quæ verba de corporis venustate intelligi possunt: Ad eximiam venustatem pervenisti; sive de vestium & ornamentorum splendore. Alii (18): Per omnes pueritiæ gradus pertransiisti, & facta es adolescentula. Animadverte, Prophetam in his quæ sequuntur, Jerosolymam adhuc nudam spectare. Septuaginta (19): *Venisti in urbes urbium*. Vulgata versio aptissima omnium videtur; fert vero, non his ornamentis distingui Jerosolymam, sed ad eam ætatem pervenisse, qua illa & quæreret, & deferret.

℣. 8. TEMPUS AMANTIUM. Reddi potest Hebræus (20): *Tempus mammarum*, vel ætas apta conjugio.

(1) Genes. IX. 25. (2) Exod. XXIII. 31. 33. XXXIV. 15. 12. Deut. VII, 1. 2. 3. (3) Matth. III. 7. Luc. III. 7. (4) Οὐκ ἔδησας τοὺς μαστούς σου, vel οὐκ ἔδησαν. Legunt לא כרת שרך, pro שרך. Editio Complutensis, & Theodoretus: Οὐκ ἐτμήθη ὁ ὀμφαλός σου. (5) ובמים לא רחצה למשעי Vide Pagn. Mont. Vatab. Tig. Jun. Pisc. Tir. Munst. (6) Epigram. lib. 1,

. . . . Καὶ ὁ ... ,
... .

(7) Vide Plut. in Lycurgo. (8) והמלח לא המלחת Septuag. Οὐδὲ ἁλὶ ἡλίσθης. (9) Hieronym. hic. Ita & Theodoret. (10) Theodoret. ... (11) ותשלכי אל פני השדה בגעל נפשך (12) Septuag. Ἐν σκολιότητι τῆς ψυχῆς σου. (13) Juvenal. Satyr. 7. (14) Tacit. lib. 5. Hist. (15) Ἐκ τοῦ αἵματός σου ζῶσα . . . & ... τῷ αἵματί σου ζῆθι. Hebr. בדמיך חיי (16) Sholiast. Ἐν τῇ ὑγρασίᾳ, ... (17) ותבאי בעדי עדיים (18) Grot. hic. עדה interdum usurpatur pro *transire*. (19) Εἰσῆλθες εἰς πόλεις πόλεων. Legunt ערי ערים, pro עדי עדיים (20) עת דדים Aquil. prima Edit. Καιρὸς μαστῶν, *Uberum*. Secund. Edit. Συναλλαγῆς, *sponsalium*. Symmach. Ἀγάπης, *dilectionis*.

jugio. Idem hoc voluit superiori versiculo iis verbis: *Ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit*. Nubilis puellarum ætas, ex regulis Juris, anno ipsarum duodecimo incipit.

EXPANDI AMICTUM MEUM SUPER TE, te sponsam elegi. Ruth nuptias a Booz postulans, ajebat (21): *Expande pallium tuum super famulam tuam*. Deus cum Israele fœdus iniit in solitudine, gentemque Judaicam sponsæ nomine sibi conjunxit; ad nobilissimam dignitatem avexit, quo nulla plane gens perducta est; Gentium Regina effecta est, electus populus, pars charissima & inter ceteras distincta. Ita illam Deus ex opprobrio, in quo jacebat, eduxit. *Recordatus sum tui*, ait ad illam Deus, *miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur*. Jerem. 2. 2.

℣. 9. UNXI TE OLEO. Intellige unguentum, quo ad thalamum parata est; vel absolute oleum, quo post balneum ac lotionem corpora liniebantur.

℣. 10. VESTIVI TE DISCOLORIBUS, veste acupicta; id enim revera sonant Hebraicæ loci hujus voces (22). Septuaginta & Vulgata ad verbum ferunt (23): *Indui te versicoloribus*. Hebræus proprie significat phrygium opus a plumis textum (24); at generice usurpatur pro quibuslibet ornamentis, carbaso vel panno additis, intertextis acu laneis sericeisve filis versicoloribus. Hujusmodi vestes versicolores olim plurimi ducebantur. Sponsa, de qua Psalmista (25), hoc vestis genere distinguebatur: *Circumdata varietate*. Eodem utebantur Principes cum Tyro fœderati. Ezech. 26. 16.

CALCEAVI TE HIANTINO, splendidis te calceis donavi. Hebræus (26): *Calceavi te tachas*. Vocem hanc in Exodo 25. 5. expendimus, ubi & plurimorum de hac re Interpretum sententias recitavimus; putamusque saturum esse cæruleum, qui color inter purpureos a veteribus recensebatur. Nemo nisi Princeps eo calceorum genere utebatur (27).

CINXI TE BYSSO. Hebræus (28): *Cinxi te schesch*. Schesch est gossipium, quemadmodum Exod. 25. docuimus. Hæc fortasse vestis cingulum erat vel fascia e gossipio tenuissimo, variis coloribus acu pictis distincta. Mulier fortis pretiosa cingula, quæ suis ipsa manibus texuerat, venundabat Chananæis. Prov. 31. 24.

INDUI TE SUBTILIBUS. Recentiorum interpretum plerique (29) hebraicam vocem *Meschi* (30) sericum interpretantur; ejusque etymon ducunt ex radice *Mascha*, traxit. Sericum enim ex bombyce educitur, ac paulatim & tenuissime ex ore vermis egreditur. Neque recens est serici usus. Teste Aristotele lib. 5. hist. Animal. c. 19. fœminæ quædam bombycium filium nebant, telasque texebant. Prima omnium e serico vestes texuit Pamphila Latoæ filia, ex insula Co. Hinc porro pepli vestesque, de quibus Veteres, tenues adeo, ut corpora iis induta ferme nuda essent (31):

. . . . . . *Cois tibi pene videre est*
Ut nudam, ne crure mala, ne sit pede turpis.

Alii sunt, quibus ægre probatur serici usum notum & communem fuisse ætate Ezechielis. Nullus certe fuit apud Romanos ante Augustum. Nonnullarum e serico vestium meminit Plinius, quæ *bombycina* appellabantur, in usum locupletum fœminarum, virorumque fortasse effœminatorum (32): *Telas aranearum modo texunt ad vestem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellantur*. Chlamide serica utebatur Caligula, inquit Dio (33). Tiberio imperante decretum est, ne viri sericis vestibus uterentur (34): *Ne vestis serica viros fœdaret*. Seneca hujusmodi vestium luxum arguens, ait (35): *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, in quo defendi aut corpus aut pudor possit; quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis, etiam ad commercium gentibus accersuntur &c.* Marcus Antonius Philosophus Imperator (36) sericam vestem venundari jussit. Aurelianus hoc ornamento uti noluit, inquiens (37): *Absit ut auro fila pensentur*. Alexander Severus (38) *vestes sericas raras habuit; holosericas nunquam induit*. Justiniano imperante tela serica primum a Romanis texi cœpit (39), cum is Imperator ova bombycum in Europam afferri jusserit.

Hæc tamen nihil pro Assyria, ubi vitam agebat Ezechiel, probant, cum apud eas gentes sericum multo vulgarius esset, quam apud Romanos, ipsique Romani sericum ex Assyriis emerent (40). Adde, quod his tantummodo illud ostenditur, sericum Romæ rarissimum ac plurimi habitum fuisse, magnoque in pretio vel in iis Regionibus, apud quas frequens erat; idque hoc loco Propheta commendat, cum dicat, Deum nullis sumptibus pepercisse, ut sponsam ornaret. Profecto Hebræus serici nullibi, præterquam hic meminit, saltem hoc nomine: at alia multa sunt, quæ semel tantummodo in Scripturis occurrunt. Aristotelis ætate, recens non erat serici inventio; atque Aristotelem inter & Ezechielem vix ducentorum circiter annorum spatium intercedit.

Septuaginta quadam voce hic utuntur (41), quæ non levem difficultatem parit. Censet S. Hieronymus, dicere illos voluisse, *quod tantæ subtilitatis fuerit vestimentum, ut pilorum & capillorum tenuitatem habere credatur*. Addit vero, sese neque significationem, neque etymon vocis *trichapton* apud Græcum aliquem invenisse. Docet Theodoretus (42), plexum esse e capillis compositum, quod fœminarum capiti imponi solet. Nostra adhuc ætate Arabum & Syrorum fœminæ peplum ingentem in capite gerunt, qui quo loco oculos velat, ex equorum setis texitur, ut ipsæ nemini conspicuæ ceteros videant. *Deplon*, seu muliebre velum describit Homerus Iliad 3. quod omnino hoc ipsum Ezechielis *Meschi* esse videtur, dum ea vox vellem, non colorem, aut vestis conficiendæ materiam significet. Putavit Hesychius (43); *trichapton* textum esse sericum, super capillos aptatum: Scholiastes Græcus, *plexum quo capilli complicantur*. At Hebraicum verbum aperte significare potius videtur peplum seu pallium, quam simplex capillorum seu capitis ornamentum. Aquila, qui reddidit *floridum*, sive *palpabile*; Symmachus qui *indumentum* (44); Chaldæus qui *coloratas vestes*, nihil luculentum tradunt de literali vocis *meschi* significatione. Has inter ambages, ad septuaginta Interpretes accedimus, quemadmodum a Theodoreto explicantur; idque maxime omnium probamus.

℣. 11. DEDI INAUREM SUPER OS TUUM. Hebræus ad verbum (45): *Nesem super nasum tuum*. De hoc ornamenti genere, *nesem* nuncupato, ali-

(21) Ruth III. 9. Vide & Euripidem. Ὅταν δ' ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν συζυγῇς τέκνῃ. (22) בלבישך רקמה (23) Ἐνέδυσά σε ποικίλα. (24) Vide Exod. XXVIII. 39. (25) Psalm. XLIV. 10. (26) ואנעלך תחש (27) Procop. de Bello Pers. lib. 3. & Villehardouin, lib. 4. *Morchufles chaussa les Heuses vermeilles*. Nicetas vitæ Alex. Commen. (28) ואחבשך בשש (29) Rabb. Jarchi, Kimchi, Abenezra, Abarvanel, Jun. Grot. Fuller. Pagn. Mont. Munst. &c. (30) ואכסך משי (31) Horat. lib. 1. satyr. 2. (32) Plin. lib. 2. cap. 22. & 23. (33) Dio Chrysost. lib. 59. Χλαμύδα σηρικήν. (34) Tacit. Annal. lib. 2. (35) Senec. de Benefic. l. 7. c. 9. (36) Vide Capitolin. (37) Vopisc. in Aurelian. (38) Lamprid. in Alex. (39) Vide Procop. lib. 1. de Bello Persico. (40) Plin. lib. 11. cap. 22. & 23. (41) Περιέβαλόν σε τριχάπτῳ. (42) Πλέγμα ἐστι τοῦτο ἀπὸ τριχῶν κατεσκευασμένον ταῖς τῶν γυναικῶν περιτιθέμενον κεφαλαῖς. (43) Hesych. Τριχαπτον, βομβύκινον ὕφασμα ὑπὲρ τῶν τριχῶν κεφαλῆς κείμενον. (44) Apud Origen. Ἀνθινον ἐνδυμα. Syriac. stola. Arab. acu picta. (45) ואתן נזם על אפך Septuag. Ἔδωκα ἐνώτιον περὶ τὸν μυκτῆρά σου.

bi egimus (46). Israelitarum ac finitimorum fœminas ornamenta quædam e naso suspendere consuevisse, plane procul dubio est, cum illorum passim Scriptura meminerit (47). Ita explicat Theodoretus. In quibusdam adhuc Africæ Asiæque regionibus, Israelitides puellæ dimidios circulos seu lunulas quasdam in naso gerunt, quo loco senes apud nos aptant conspicilia (48). Apud Americanos, fœminæ medio narium septo margaritas gemmasque appendunt, in superiori labro, ad os usque, jacentes. Censuit S. Hieronymus, hujusmodi ornamenta e capillis in frontem pependisse, idque probant Interpretum plurimi, quibus persuaderi non potuit; insolitum adeo morem, qualem descripsimus, Judæis placuisse. Græci Interpretes, cum ob patrii sermonis egestatem, genus hoc ornamenti, sibi ignotum verbis assequi non possent, inaurium appellatione usi sunt (49). Symmachus vocem quamdam cudit, qua significaret id quod supra nares pendet (50). Alii vertunt (51) annulum.

Circulos in auribus tuis. Hebræus ad verbum (52): *Annulos in auribus tuis*. Septuaginta (53): *Rotulas super aures tuas*. Innuere videntur, inaures e suprema aurium parte pependisse.

℣. 13. Polymito et multicoloribus. Hebræus: *Meschi*, *& opere plumario*. Vide ℣ 11. Singula hæc ornamenta Chaldæus de ornamentis Tabernaculi interpretatur in deserto erecti; quo tempore Deus cum Israele fœdus sanxit, & spirituale connubium cum Judaica gente conjunxit. Quæ sequuntur, satis docebunt, explicationem hanc cum Ezechielis proposito convenire.

Similam et mel et oleum comedisti. In fœcundissimam totius orbis partem te induxit Deus, quem mellis & lactis fluenta rigabant.

Profecisti in regnum. Cum hæc Ezechiel diceret, quingentis circiter annis Hebræorum gens viribus, opibus, Regibusque floruerat. Verba quæ hic explicamus, in codicibus S. Hieronymi non legebantur, quemadmodum neque in Romana editione leguntur. Putat idem S. Pater, hæc de industria Septuaginta interpretes omisisse, ne invidiam sibi apud Ægyptiorum Reges crearent; quasi scilicet hi nescirent, Hebræos diu privatis gentis suæ Regibus paruisse.

℣. 15. Fornicata es in nomine tuo, gloria, fama. Venustas, quæ addita tibi est, causa tibi fuit, cur flagitia amplecteteris: profanato sponsæ nomine, quo te distinxeram, amatores alios quæsivisti. Scitum est, consueto Scripturarum more, de alicujus nomine appellari, significare, alterius esse, ad illum pertinere, vel servi nomine vel uxoris. *Invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum* Isai. 4. 1. scilicet, uxores tuæ simus. Quamobrem Hebræorum gens, suo ipsius nomine per idololatriam profanato, Dei nomen, quod *invocatum est super illam*, violavit.

℣. 16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta. Vestibus tuis simul consutis, excelsa exornasti. Hebræus (54): *Fecisti excelsa discolorea*, segmentata, e variis coloribus. Putant nonnulli (55), Jerosolymam a Propheta argui, quod meritoria tentoria confecerit, e varii coloris segmentis consuta. Similia his apud Ethnicos tentoria vidimus (56), in excelsis constituta, sub quibus turpissimæ libidines in Numinum honorem exercebantur. Alii (57) de variis pannis explicant simul consutis, simulacrum induentibus, fartis intus vel setis, vel pannorum tegmentis, instar puparum, quæ puerorum manibus teruntur. Profecto hoc simulacrorum genus priscis ignotum non erat. Ea porro & minori sumptu parabantur, & leviora aureis & argenteis erant. Nonnihil hac de re in 1. Regum 19. 13. diximus. Plura hujusmodi simulacra apud transmarinos habentur.

Sicut non est factum, neque futurum est. Judæorum defectioni atque impietati, si undique tota inspiciatur, nihil unquam aut par fuit, aut futurum est. Quamvis enim alii fuerint æque impii cultu, aut moribus superstitiosi, quis unquam talibus Dei adminiculis ac beneficiis ante occupatos, tamque variis rationibus edoctos vidit? Esto, nullum præter ingrati animi vitium cum Hebræorum defectione conjunctum fuerit: illud certe illorum criminis invidiam multo magis, quam cæterarum gentium, cumulabat. Explicari locus in hanc sententiam potest: Turpiter adeo prostituta es, præter fas & decorum, ut nunquam fieri in posterum queat, ut gravissimas ex te pœnas non expetam (58).

℣. 17. Tulisti vasa decoris tui ... et fecisti tibi imagines masculinas. Ipsa Templi sanctissima vasa, ex quibus omni tibi decus oriebatur, confregisti, ut Deorum imagines fingeres. Idem hoc supra exprobrat (59). Vel: Erga Deorum religionem adeo insanisti, ut vel ipsa ambitionis tuæ adminicula, pretiosissima cultus tui ornamenta in illam impenderis. Vasis tuis, aureisque & argenteis monilibus simulacra & imagines hominum (60) finxisti & ornasti: *Imagines masculinas*, *& fornicata es in eis*. Amatoresque quæsivisti, cum quibus libidinem turpissimam exerceres: ii vero simulacra sunt, quæ conflasti: hos tibi amatores comparavisti (61). Fortasse innuit Propheta obscœnas imagines, quæ in Sacris Osiridis, Bacchi & Adonidis circumferebantur. Ut animi tui oculorumque libidini satisfaceres, turpissima simulacra finxisti, eaque coluisti (62).

℣. 18. Oleum meum, et thymiama meum posuisti coram eis. Oleum & unguenta, quorum compositionem te ipse docui, quæque ne in usus tuos converteres, indicta mortis pœna vetui (63), Deorum imaginibus cremavisti.

℣. 20. Tulisti filios tuos ... et immolasti eis ad devorandum. Flammis liberos absumpsisti, in honorem Moloc. Sævissima hæc Sacra frequenter adeo in Scripturis leguntur (64), ut dissimulari nequeant: ea porro ita inhumana sunt & rationi contraria, ut ægre credenda forent, nisi testibus qualibet exceptione majoribus confirmarentur. Pueros hosce prostitutæ hujus Sponsæ filios nuncupat, *Filios tuos*, *& filias tuas*; ut suæ in illam iræ magnitudinem significet; at proximo statim ℣. suos ipsius filios dicit: *Immolasti filios meos*: ut sceleris Judæorum immanitatem indicet.

℣. 25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Tuam a me defectionem, pessimumque erga Deos amorem, nemini ignota esse voluisti. In triviis omnibus prædicasti, inscriptis titulis, quibus te a Deo ejusque cultu defecisse

(46) Genes. xxiv. 22. 47. (47) Vide Genes. loc. citato; Exod. xxxii. 2. Job xlii. 11. Prov. xi. 22. Isai. iii. 21. Osee ii. 13. (48) Sanct. hic, num. 60. (49) Ἐνώτια. (50) Ἐπιῤῥίνιον. (51) Pagn. Vatab. (52) עגילים על אזניך (53) Septuag. Τροχίσκους ἐπὶ τὰ ὦτά σου. (54) ותעשי לך במות טלאות Septuag. Εἴδωλα ῥαπτά. (55) Grot. Cornel. Symmach. *Excelsa multicoloria*. (56) 4. Reg. xvii. 10. & 3. Reg. xv. 13. (57) Hieron. hic, Aquila & Theodotion Ἐμβολίσματα transtulerunt, quod significat diversos pannos hinc inde consutos, & instar emplastri factum idolum, quasi φολίδωμα *vestimentorum*. Theodoret. Ἐξ ἱματίων εἴδωλον εἰκόνας κατεσκεύασας, καὶ θεοὺς ἀνεγράψατο. Vide Sanct. hic. (58) Chald. Castal. Sanct. (59) Ezech. vii. 20. 21. (60) Vide Ol.... 10. 8. (61) צלמי זכר ותזני בם (62) Vide Herodot. lib. 2. cap. 48. 49. Τὴν δ' ἄλλην ἀνάγουσι ὁρτὴν τῷ Διονύσῳ Αἰγύπτιοι ... ἀντὶ δὲ φαλλῶν ἄλλα σφι ἐστὶ ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες νεῦον τὸ αἰδοῖον. (63) Exod. xxx. 9. 23. 25. 33. 38. (64) Vide Psalm. cv. 37. Jerem. vii. 31. & 4. Reg. xxiii.

ciffe fignificabas. Flagitia tua in fecreto non mansere: te neque pudor neque metus coercuit: libidinem tuam unicuique notam effe opus fuit: titulum appendifti, omnemque pudorem exuifti. Lupanaria olim apud Græcos Romanofque titulo infcribebantur, ut ab ingenuis vitarentur (66). Meretrices fatis puniri credebantur, ubi autem coram Magiftratibus profiteri cogerentur (67): *Satis pœnarum adverfus impudicas in ipfa profeffione credebant*. Jerofolymam non modo libidinum fuarum non pudebat, verum etiam iis gloriabatur.

℣. 26. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium (68). Ægyptii ftatura corpore procero, fed macilento plerumque effe dicuntur (69). Nemo inter Ethnicos par Ægyptiis fuit libidine & cultus infamia. Turpiffima fpectacula, infamefque libidines magno in pretio inter ipfos fuere: cumque ex iis fuperftitio in plerafque Afiæ & Græciæ partes manaverit, ex ipfis etiam orti effe dicendi funt ritus execrandi, quibus falfa earum gentium religio vitiabatur. Hos nimirum proftitutionis authores fociofque habuere Judæi. Deos in Ægypto coluit Ifrael, atque Ægyptiacas fuperftitiones (70) via denique poft captivitatem Babylonicam reliquit.

℣. 27. Auferam justificationem tuam, quæ tibi largiri folebam, deinceps auferam; veftes, annonam, jura connubii; te uti adulteram derelinquam. Lege fancitur, ut uxoribus certa quædam viri largiantur, Vide Exodum, xxi. 10. Hæc perfidæ fponfæ auferret Deus. *Juftificationem*, quam habet Vulgata, funt qui interpretentur Leges, ritus facros, adminicula fanctitatis, quibus & olim Judæos inftruxit Deus, ac deinde jure optimo exuit, indignos nimirum iis & perfidia & Numinum fuperftitione. At Hebræus fert (71): *Jus tuum*, dimenfum tuum, id quod annonam tuam conftitutum eft.

Dabo te in animas ... Palæstinarum; in rivalium tuarum poteftatem dabo; Philifthæis mulieribus, quas magnopere odifti, quæque implacabili odio te profequuntur, te obnoxiam efficiam. Nullum gravius odium effe conftat; quam quo rivales fœminæ viciffim flagrant, nihilque moleftius contingere illis poffe, quam ubi alterutra earum alteri fubjicitur. Capta per Nabuchodonoforem Jerofolyma, Judæi fefe obnoxios iis gentibus fenfere, quas fummo contemptu, & implacabili odio execrabantur. Philiftini, Idumæi, Chananæi vires junxere in Judæorum perniciem. Orto inter homines Chrifto, miferrima gens deinceps multo odiofius rivali fuæ fervriit, Gentium fcilicet Ecclefiæ, ad Chrifti facra converfæ.

Quæ erubescunt in via tua. Ethnici, quibus nunquam veræ Religionis profeffio contigit, Judæorum flagitia execrantur. Septuaginta (72): *Declinantes de via tua*. Chaldæus: *Ad quos fi mififfem Prophetas meos, erubefcerent; tu autem non es converfa a via tua fcelerata*.

℣. 28. Fornicata es in filiis Assyriorum. Non fatis fuit coluiffe Chananæorum, Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, & Syrorum Deos, ut Numina etiam Affyriorum fequereris; folem, lunam, militiam Cœli, Deos Baalim adorares; atque harum gentium flagitia, cultuque fuperftitiofum imitareris.

℣. 30. Opera mulieris meretricis, et procacis. Hebræus (73): *Opera mulieris meretricis, quæ dominatur fibi*; mulieris liberæ, fui dominæ, imperiofæ, impudicæ, nullo metu aut pudore coercitæ. Addunt Septuaginta (74): *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis*. Numerus trium interdum pro ingenti numero ufurpatur (75). Triplo deterior, quam finitimæ urbes, fuifti; vel, & tu, & illæ quodlibet libidinum genus fectatæ eftis.

℣. 31. Nec facta es quasi meretrix, fastidio augens pretium. Hebræus (76): *Non fuifti tamquam meretrix, fpernens mercedem*, ut majorem referat. Aliter: Similis non fuifti miferrimis iis fœminis, quæ turpiffimam artem victus caufa exercent. Septuaginta (77): *Et non facta es quafi meretrix, congregans mercedes*, ut fibi victum paret.

℣. 36. Effusum est æs tuum, conficiendis ornandifque Diis; hos enim amatores Jerofolymæ appellat Ezechiel, quorum blandimenta quæfivit Jerofolyma, quibus fuas ipfa pecunias elargita eft. Theodoretus (78): *Bonam pecuniam vitiafti, mifta ære*. Leges meas fceleribus corrupifti, quorum ingentem adeo colluviem mifcuifti, ut via agnofci queant. Recentiorum Interpretum plerique (79) obfcœnum his verbis fenfum tribuunt: *Effufa eft fpurcitia tua* (80).

℣. 37. Nudabo ignominiam tuam coram eis. Vide *Jerem.* xiii. 26. 27. *Ifai.* xx. 5. *Nahum*, iii. 5. Capta Jerofolyma, miferrimæ urbis probrum omnibus patuit; urbem evertit hoftis & diripuit; Deos, quos fectata fuerat, expilavit; quamobrem illa fpei fuæ levitatem, cultufque inanitatem intellexit. Vide fupra, *Ezech.* vi. 3. 4. 5.

℣. 38. Judicabo te judiciis adulterarum. Eo fupplicio te afficiam, quo animadverti in adulteras folet: judicare enim paffim pro punire ufurpatur. Confueta adulterorum pœna lapidatio erat (81). Quaffa eft Jerofolyma iis machinis, quibus mœnia everfa funt (82), illatumque illi eft idem ferme fupplicium, quod homini lapidatione inferebatur.

℣. 39. Destruant lupanar tuum, excelfa, loca Diis Sacra (83); vel etiam Templum, quod profanafti, ac lupanari fimile effecifti.

Relinquent te nudam. Templum hoc a te violatum, & Deorum imagines, quas pretiofiffimis ornamentis operuifti, fpoliabunt; tibique omnia auferrent, quibus maxime gloriabatis, ac fuperbe confidebas.

℣. 40 Adducent super te multitudinem, et lapidabunt te. Pergit Jerofolymam cum adultera, quæ ad fupplicium ducitur, comparare. Turbam hominum cogit, ut illius fupplicium & videant & augeant. Id luculentius etiam fignificat ℣. 41. *Facient in te judicia*, vel vindictam; fupplicium exercebunt, *in oculis mulierum plurimarum*, quæ ad fupplicium tuamque necem infpiciendam convenerint. His porro fœminis innuuntur gentes, quæ Jerofolymæ excidium afpexere.

℣. 42. Requiescit indignatio mea in te. Quid ipfa geras aut moliaris, curare jam definam.

Omoi-

(66) Vide Sanct. hic. Martial.

Intrafti quoties infcripta limina cellæ, &c.

Et Seneca controv. 1. *Meretrix vocata es; in communi loco ftetifti, fuperpofitus eft cellæ tuæ titulus.*

(67) Tacit. Annal.

(68) גדלי בשר: Septuag. Μεγαλοσάρκους. Grot. Bene vafatis. Vide inf. xxiii. 20. Juvenal. fatyr. ix. v. 34. *Longa menfura incognita nervi*.

(69) Pietro della Valle, Lettera xi.

(70) Vide Ezech. xx. 8. & xxiii. 3.

(71) חקך Septuag. Ἐξαρῶ τὰ νόμιμά σου.

(72) Ἐκκλινούσας ἀπὸ τῆς ὁδοῦ σου.

(73) מעשה אשה זונה שלטת

(74) Ἐξεπόρνευσας τρισσῶς ἐν ταῖς θυγατράσι σου.

(75) Prov. xxiii. 20. 21. Defcripfi eam tibi tripliciter ... *Ut oftenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis.*

(76) לא היית כזונה לקלס אתנן

(77) Οὐκ ἐγένου ὡς πόρνη συνάγουσα μισθώματα.

(78) Ἐξέχεας τὸν χαλκόν σου. Theodoret. Τοὺς ἐμοὺς νόμους οὐκ ὀλίγην τινὰ [illegible] ἀνέμιξας, [illegible] τὸ νόμισμα τοῦ χρυσίου τὴν αὐγήν.

(79) Pag. Vat. Grot. Jun. Pifcat. Munft. &c.

(80) *Virus tuum, turpitudo tua, fordes tuæ, &c.*

(81) Levit. xx. 10. Deut. xxii. 22. Joan. viii. 5.

(82) Ezech. iv. 1. 2.

(83) Ezech. vi. 3. 4. & feq.

Omnino quiescam: neque irascar, si prostituaris. Te penitus abjiciam ac repudiabo, & deinceps negligam. Is nimirum est Divini furoris fastigium, eos destituere, a quo ipse contemnitur (82).

Ꝟ. 44. SICUT MATER, ITA ET FILIA ejus. Vulgaris loquendi modus, assidua experientia confirmatus. Domestica pessimæ ac libidinosæ matris exempla filiæ plerumque sequuntur. Id Satyricus his versibus tradidit (83).

Scilicet expectas ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? ....

Hethæam matrem, turpem corruptamque fœminam, Ezechiel (84) Jerosolymæ exprobaverat: hic vitio illi vertit, quod matris flagitia imitetur ac superet.

Ꝟ. 46. SOROR TUA MAJOR, SAMARIA ..... SOROR AUTEM TUA MINOR, SODOMA. Mirum videtur, cur Ezechiel Sodomam nominet minorem Jerosolymæ sororem, cum Sodoma diu & vetustior Jerosolyma & flagitiis nobilior sit, antequam Hebræi Jerosolymam vel Samariam incolerent. Sunt (85) qui censeant, Sodomæ appellatione significari Israelitas, trans Jordanem incolentes in Ammonitarum & Moabitarum ditione. Alii (86) Moabitas ipsos & Ammonitas, & certe quæ sequuntur (87), hoc proprie his verbis innui demonstrant; eas nimirum gentes, quæ genus ex Lotho, Sodoma egressu, sedesque circa mare mortuum, vel Sodomæ lacum habebant. Hæ porro sorores Jerosolymæ minores appellantur, tum quod minori quam Israelitæ numero essent, tum quod longius abessent Jerosolyma, quam Samaria. Nonnulli Sodomam interpretantur Ethnicos, quibus sese similem Jerosolyma flagitiis reddidit: at cum nullo vel sanguinis, vel fœderis nexu cum iis conjuncta esset, quemadmodum cum Samaria jungebatur, omnisque propinquitas in superstitionis scelerumque imitatione ac similitudine consisteret, Ethnici minor tantummodo Jerosolymæ soror nuncupantur. Samariam & Sodomam Ezechiel ceu florentes adhuc urbes spectat; quamvis neutra existeret, Sodoma nimirum cœlesti igne, Abrahami ætate, consumpta (88); Samaria centum ac viginti septem annis ante Ezechielis vaticinium a Salmanasaro eversa (89). Samaria major Jerosolymæ soror dicitur, non ætatis causa, sed propinquitatis, opum, virium, ac numeri subditorum; quodque primam omnium imitata sit Jerosolyma, cum non statim in Sodomæ scelera devenerit (90). Sodoma dextram Jerosolymæ partem tenebat, Samaria sinistram, illa scilicet meridiem, hæc septemtrionem. Familiaris est Hebræis loquendi modus; ita enim de locorum situ agunt, veluti quis, ore ad orientem verso, humeris ad occidentem, dextra meridiem, sinistra septemtrionem spectat.

Ꝟ. 47. Nec IN VIIS EARUM AMBULASTI; illarum flagitiis non contenta, illis deterior esse voluisti. Vide supra, hic Ꝟ. 6. & infra ꝞꝞ. 48. 51. 52.

PAUXILLUM MINUS: PENE SCELERATIORA FECISTI ILLIS. Statim ante dixerat, atque hic iterum docet, Jerosolymam multo deteriora iis urbibus patravisse. Nunc scelera illius minuere videtur. At Hebræus (91): *Perpaullum hoc fuisset: sceleratiora fecisti in omnibus viis tuis*. Non satis erat illas imitari, ut quolibet flagitiorum genere utramque superare volueris. Septuaginta (92): Nedum illas imitata es; *neque iniquitates illarum egisti, & paulo minus in omnibus viis tuis superasti eas*. Hæc omnia ad eamdem sententiam redeunt.

Ꝟ. 49. FUIT INIQUITAS SODOMÆ .... SUPERBIA, SATURITAS PANIS, &c. Mirum certe, cur Ezechiel execrandi Sodomæ finitimarumque urbium sceleria non meminerit, cujus causa lapsus e Cœlo ignis universitas eremavit; cur etiam prætereat superbiam, uberem rerum omnium luxuriam, otium, opiparam mensarum consuetudinem, sævitiam erga pauperes ac peregrinos, quibus eæ urbes tenebantur. Voluit fortasse de iis tantum agere, quæ causa fuere scelerum in Genesi descriptorum; vel de flagitiis, quibus Jerosolymæ similes efficiebantur, quæque imitata fuerat Jerosolyma. Nihil enim inter Prophetarum minas, exprobratasque Judæis libidines legitur, quo ii, post Judicum ætatem, propriam Sodomitarum libidinem sectati esse videantur. Sapientissime Solon (93) ajebat, satietatem ab opibus oriri; injuriam a satietate. Cæterum hinc disce, quam invisæ Deo sint mollis vita, mensarum lautitia, superbia, & in pauperes sævitia. Idem hoc animadverte in mali divitis historia, apud Evangelium recitata (94). His fortasse objurgationibus, potius quam vetus Sodoma, spectantur Ammonitæ ejus ætatis & Moabitæ, omnino flagitiosissimi, testibus Isaia XVI. 6. Jeremia XLVIII. 29. 30. & XLIX. 4.

Ꝟ. 51. JUSTIFICASTI SORORES TUAS. Sodoma & Samaria, tecum comparatæ, piæ sunt, & crimine vacuæ (95). Harum iniquitas nulla ferme est, si cum tua conferatur. Si ea, quæ tui gratia gessi, ipsarum causa fecissem, in hæc flagitia, quibus tu inquinaris, non ruissent (96). Aliquis saltem excusationi locus illis est: at tu quid causabere? Nonne tibi sunt Lex, Prophetæ, Sacerdotes, Instituta, Templum, sacri ritus? Ingrati animi vitium legum mearum profanationi ac superstitioni addidisti. Severitatis meæ in eas urbes exempla te minime terruerunt monueruntve, aut ad officium reduxerunt. An his adminiculis donatæ sunt Sodoma & Samaria? Hæc etiam sententia elici ex Hebræo potest: Eas urbes tu quodammodo defendisti, easque causa victrices effecisti; vel: Adversus eas causa cecidisti. Ea fuit scelerum tuorum magnitudo, ut eæ urbes habitæ fuerint innoxiæ, Judicis sententia, causaque adversus te superiores. Vide V. 52. *Justificare* apud Hebræos frequenter est, innoxium pronunciare, absolvere.

Ꝟ. 53. CONVERTAM RESTITUENS EAS CONVERSIONE SODOMORUM. Reductis Sodomæ captivis, utramque restituam. Sodomorum nomine intelligi optime possunt Ammonitæ, Moabitæ, cæterique, quorum sedes circa mare mortuum sunt. Hi etiam e captivitate rediere, mortuisque Nabuchodonosore ejusque posteris, sedes patrias repetierunt. Moabitas & Ammonitas in patriam reversuros, luculentissime vaticinatur Jeremias (97); eosque, ut olim, cum Judæis mistos post captivitatem Babylonicam videmus (98).

Pu-

(82) Osee IV. 14. Prov. XVIII. 3. Hieron. in Ezech. XI. *Peccatores qui in profundum venere peccati, dimittuntur ut faciant desideria cordis sui.* (83) Juvenal. Satyr. VI. v. 239. & Satyr. XIV. v. 25.

Expectas ut non sit adultera larga
Filia .... &c.

(84) Ezech. XVI. 3. (85) Polychron. Scholiast. Prado. (86) Lyr. Val. Grot. (87) Vide infra Ꝟ. 55. (88) Genes. XIX. 24. (89) Mich. I. 6. & 4. Reg. XVII. 4. 5. 6. (90) Theodoret. hic. (91) כמעט קט ותשחיתי מהן בכל דרכיך (92) Οὐδὲ κατὰ τὰς ἀνομίας αὐτῶν ἐποίησας, καὶ μικρὸν, καὶ ὑπέρκεισαι αὐτὰς ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου. (93) Solon. apud Laert. lib. I. Τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου. (94) Luc. XVI. 19. (95) August. lib. 22. contra Faust. c. 81. Sanct. Cornel. Polan. Grot. Val. Alii. (96) Theodoret. Ταύτην δὲ τὴν παρεξέτασιν οὐ κατὰ μόνην ποιεῖται τὴν τῆς ἁμαρτίας ποιότητα, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν εὐεργεσιῶν. Vide Matth. XI. 23. 24. Jerem. Thren. IV. 6.
(97) Jerem. XLVIII. 47. *Convertam captivitatem Moab, in novissimis diebus.* Et XLIX. 6. *Post hæc, reverti faciam captivos filiorum Ammon.* (98) 1. Esdr. IX. 1. & 2. Esdr. XIII. 23. 1. Macc. V. 6.

Putant Interpretum nonnulli (1), implicitam in Prophetæ verbis conditionem contineri: Si Sodomam, & Samariam restituero, fieri etiam poterit, ut Jerosolymam restituam, minasque in illam pronunciatas partim solvam; cumque futurum sit, ut Samariæ & Sodomæ ruinas nunquam restituam, nulla igitur veniæ spes Jerosolymæ superest. At tota orationis series hanc interpretationem evertit. Porro certum est, Samariam & Jerosolymam denique restitutas opibus civibusque floruisse; quamobrem eamdem Sodomæ fortunam contigisse dicendum est, quidquid hic interpreteris; sive Israelitas trans Jordanem incolentes, sive Moabitas & Ammonitas. Collatis hujus loci verbis cum Jeremia XLI. 24. 25. 26. minime dubitemus, quin & hi circa idem tempus, quo Judæi, in patrias sedes redierint. Cyrus fortasse sub Regni exordium populis universis, patria pulsis, potestatem fecerat, ut avitas sedes repeterent: at major Judæis honos habitus est, lege lata, qua istis reditus permittebatur.

Septuaginta Hebræum reddunt opposita plane sententia (2): *Convertam conversiones earum, conversionem Sodomorum*. Ita illam aversabor, uti Sodomam, quæ me aversata est: eo illam odio atque horrore prosequar, quo Sodomam & Samariam. Quæ infra dicuntur ℣. 55. *Sodoma & Samaria revertentur ad antiquitatem suam*, Theodoretus ita explicat (3): In nihilum revertentur, penitus dirutæ, ut nullum penitus illarum vestigium relinquatur. Ita neglectas reddam, quales olim erant, antequam construerentur. Prior tamen loci explicatio, a nobis recitata, omnium aptissima esse videtur.

℣. 54. UT PORTES IGNOMINIAM TUAM . . . CONSOLANS EAS. Levior futura est captivis calamitas sua, ubi probrum, quod promerita es, viderint. Solatii pars misero est, socius calamitatis.

℣. 56. NON FUIT SODOMA AUDITA IN ORE TUO. Indignum tua nobilitate putasti, vel ipsum Sodomæ nomen summis labris efferre. Tantopere illam horrori habebas, ut ne dignam quidem arbitrareris, quam nominares, aut nominati intelligeres (4). Cavit Moyses, ne Israelitæ per alienorum Deorum nomen jurarent, aut illorum nomina loquerentur (5). Ethnicorum Deos adeo despectui habebat David, ut vel illos nominare vereretur (6): *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: ipsa etiam illorum nomina obliviscar. Alii (7): Nunquam recordata es Sodomæ & Samariæ, neque illarum supplicium animo versasti, quo ad officium supremaque mala vitanda revocareris. Nunquam animum advertisti, ut eas veluti exempla supplicii, quod tibi imminet, intuereris.

℣. 57. IN OPPROBRIUM FILIARUM SYRIÆ . . . ET PALÆSTINARUM. Futurum ne unquam putabas, ut tam misera, quam nunc es, efficereris, urbium Syriæ & Palæstinæ ludibrium, quas modo urbes tam superbe despiciabas?

℣. 59. DESPEXISTI JURAMENTUM, tum in Sinai (8), tum in Hebal monte (9) nuncupatum, ubi constantissimam mihi fidem pollicita es. Omnium promissionum religionem violasti; at ego te minime imitabor: quæ promisi, quamvis indignissima sis, omnino præstabo. Vide statim.

℣. 60. RECORDABOR EGO PACTI MEI. Ubi vindictæ meæ pondus senseris, iterum mente recolam, quid ipsa mihi fueris, ego quid tibi promiserim, quo tempore fœdus tecum inii. Promissa renovabo, novumque, atque æternum, fœdus tecum feriam. Id porro in Christiana Ecclesia impletum est.

℣. 61. DABO TIBI EAS IN FILIAS. Samaria & Sodoma, eo modo quo explicavimus supra ℣℣. 46. & 53. filiæ Jerosolymæ effectæ sunt. Samaria dono Judæis data ab Alexandro Magno, inquit Josephus lib. 2. contra Appion. quamquam non diu sub illis fuit. Macchabæorum ætate, nonnullas Samaritanorum urbes Judæis addidere Syriæ Reges (10): at universa plane regio nonnisi Joanne Hircano rerum potiente Judæis paruit, cum is captam Samariam everterit (11). Regio trans Jordanem sita, Moabitis, Ammonitis, & Idumæa, & quæ circa paludem Asphaltidem erant, a Juda Macchabæo fratribusque expugnata sunt (12). Denique Ethnici, quorum imago fuere Sodoma & Samaria, Jerosolymæ filii effecti sunt ob novum fœdus, quo Christus alienos una & filios, Ethnicos & Judæos complexus est.

SED NON EX PACTO TUO. [62] ET SUSCITABO EGO PACTUM MEUM TECUM. Si amicitias tecum instauro, id ne eventurum putes aut rerum a te gestarum causa, aut primi illius fœderis gratia, quod mecum a te initum tam male servasti. Fœdus irritum tu fecisti: at novum ego instauraturus sum, seu priscum renovaturus. Quæ præteriere, penitus obliviscar, dum tu fidem religiosius serves. Aliter: Fœdus, quod tecum feriturus sum, alteri simile non est, olim ad Sinai inito. Illud quippe solo metu nitebatur, victimarum cruore firmabat, ritus innumeri Legesque obruebant potius quam fulciebant. Hoc vero amor sanciat, Messiæ sanguis adstringet, neque jugo Legis opprimetur. Primum certos intra temporis fines claudebatur; alterum fine carebit.

[1] Munst. Pisc. Polan. [2] Ἀποστρέψω τὰς ἀποστροφὰς αὐτῶν τὰς ἀποστροφὰς Σοδόμων, &c. [3] Theodoret. hic: Παντελῶς ταπεινὰς ἀεὶ αὐτὰς, ὁποῖαι ἦν πρὶν οἰκισθῆναι. [4] Grot. Men. Tirin. Sanct. &c. [5] Exod. XXIII. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* [6] Psal. XV. 4. [7] Hieron. Vatab. Cornel. Jun. &c. [8] Exod. XIX. 7. 8. [9] Deut. XXVII. Josue VIII. [10] 1. Macc. X. 30. 38. & XI. 28. 34. [11] 1. Macc. 16. & Joseph. Antiq. lib. 13. c. 18. [12] Vide 1. Macc. V. 3. 26. 27. & seq. Joseph. Antiq. lib. XII. 12.

CAPUT XVII.

Aquilæ grandes binæ, & vinea. Altera ex iis aquila avulsum cedri ramum Babylonem aufert; & vitem Jerosolymis serit. Ea porro vitis palmites ad alteram usque aquilam porrigit, ac vellitur. Germen cedri in monte satæ.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, propone
ænigma, & narra parabolam ad domum Israel, 3. Et dices: Hæc dicit
Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena
plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. 4. Summitatem
fron-

frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum
posuit illam. 5. Et tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro semine, ut
firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud. 6. Cumque germi-
nasset, crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam,
& radices ejus sub illa erant: facta est ergo vinea, & fructificavit in palmites, &
emisit propagines. 7. Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plu-
mis, & ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad
illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. 8. In terra bona super aquas mul-
tas plantata est: ut faciat frondes, & portet fructum, ut sit in vineam grandem.
9. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur? nonne radices ejus evellet,
& fructus ejus distringet, & siccabit omnes palmites germinis ejus, & arescet, &
non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus? 10. Ec-
ce plantata est: ergone prosperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens, sicca-
bitur, & in areis germinis sui arescet? 11. Et factum est verbum Domini ad me,
dicens: 12. Dic ad domum exasperantem: Nescitis, quid ista significent? Dic; Ecce
venit rex Babylonis in Jerusalem, & assumet regem, & principes ejus, & adducet
eos ad semetipsum in Babylonem. 13. Et tollet de semine regni, serietque cum eo
fœdus, & ab eo accipiet jusjurandum: sed & fortes terræ tollet. 14. Ut sit regnum
humile, & non elevetur, sed custodiat pactum ejus, & servet illud. 15. Qui rece-
dens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, & populum multum.
Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissolvit pa-
ctum, numquid effugiet? 16. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco re-
gis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum,
quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. 17. Et non in exercitu gran-
di, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium: in jactu aggeris, &
in extructione vallorum, ut interficiat animas multas. 18. Spreverat enim juramen-
tum, ut solveret fœdus, & ecce dedit manum suam, & cum omnia hæc fecerit,
non effugiet. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam jura-
mentum, quod sprevit, & fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.
20. Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea: & ad-
ducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi in prævaricatione, qua despexit me.
21. Et omnes profugi ejus cum universo agmine suo gladio cadent: residui autem
in omnem ventum dispergentur, & scietis, quia ego Dominus locutus sum. 22.
Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam: de
vertice ramorum ejus tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum, &
eminentem. 23. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, &
faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, &
universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit. 24. Et scient omnia ligna regio-
nis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile, & sicca-
vi lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci.

℣. 2. PROPONE ÆNIGMA. Septuaginta (1): *Narra narrationem*. Habes hic continuam comparationem, parabolam, allegoriam. Solebant Prophetæ monita sua sub parabolarum & ænigmatum involucris exhibere. Id porro Deus genti, hoc orationis genus amanti, dederat. His passim usus est in Evangelio Christus.

℣. 3. AQUILA GRANDIS ... LONGO MEMBRORUM DUCTU, PLENA PLUMIS ET VARIETATE. Hebræus ad verbum (2): *Aquila grandis ... longa pennis* (alis, membris), *plena plumis, quibus inest opus phrygium*, plumarium. Septuaginta (3): *Aquila magna, magnarum alarum, longa extensione, plena unguium* (4), *quæ habet ductum intrandi in Libanum*; volatum intendens in Libanum. Ea porro est Nabuchodonosor, nemine repugnante, Corporis magnitudo, alarum amplitudo, plumarum venustas, copia, varietas, color, Imperii illius robur & magnitudinem, subditorum numerum, victoriarum pernicitatem, sævitiam significant. Non semel Scriptura Nabuchodonosorem sub aquilæ imagine designat (5).

VENIT AD LIBANUM, ET TULIT MEDULLAM CEDRI. Libanus nonnullis est (6) Templum; aliis Jerosolyma (7), vel denique Judæa (8). Aquila, Nabuchodonosor scilicet, in eam regionem irruit, cedri medullam abstulit, captis Jechonia, ejusque matre, Regni Principibus ac Magistratibus, qui sese dediderunt (9). Jerosolymam ingressus, in Templum venit, expilatisque Regiæ domus ac Templi ærariis, Regem, Regis matrem, Proceres, ac populi exercitusque principes, Magistra-

(1) Septuag. Διήγησαι διήγημα. חוד חידה (2) נשר הגדול ... ארך האבר מלא הנוצה אשר לו הרקמה
(3) Ὁ ἀετὸς ὁ μέγας, ὁ μεγαλοπτέρυγος, ὁ μακρὸς τῇ ἐκτάσει πλήρης ὀνύχων, ὃς ἔχει τὸ ἥγημα εἰσελθεῖν εἰς τὸν Λίβανον. (4) Ita Syr. & Arab. (5) Jerem. XLVIII. 40. & XLIX. 22. Dan. VII. 4. (6) Hieron. Euseb. Demonstr. Evangel. Grot. Vide Zachar. XI. 12. (7) Theodoret. Sanct. Cornel. Vatab. Vide Jerem. XXII. 6. (8) Menoch. Tir. Polan. Jun. alii. (9) 4. Reg. XXIV. 11. & seq.

gistratus, ac peritissimos artifices Babylonem captivos duxit, relictis in urbe pauperrimis. Medullam nuncupat Scriptura quicquid in unaquaque re pretiosissimum est ac nobilissimum. Ita fert medullam terræ Gen. 45. 18. medullam tritici Deut. 33. 14. medullam vini, olei Num. 18. 12. &c.

Ÿ. 4. Summitatem frondium ejus avulsit, vel extrema ramorum, seu gemmas. Hebræus (10): *Caput teneriorum ramorum ejus*. Septuaginta (11): *Summitates tenerorum ramorum*, Ætatis annos octo & decem, tres Regni menses numerabat eo tempore Jechonias (12). Teneri arboris rami fortasse etiam sunt Regiæ domus & exercitus Principes, quos paulo post, quam creati sunt, Nabuchodonosor captivos abegit.

Transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum; in Chaldæam, Babylonem. Hæc nomina de industria fingit, quo constantius in ænigmate perseveret. Id profecto Chaldæorum flagitia merebantur, ut Chananæorum nomine donarentur; quemadmodum deinde Roma, scelerum causa, Babylon tropice appellata est. Babylon *urbs negotiatorum* dicitur, quod revera celeberrimum tunc esset totius Orientis Emporium. Ipse illius situs percommodus in eam rem erat; gemini illius amnes, Euphrates & Tigris, ac Persicus Sinus liberum in remotissimas locupletissimasque Provincias aditum dabant. Immensa Imperii Nabuchodonosoris amplitudo facile alienis iter & commercium efficiebat; denique innumera populi multitudo, ipsiusque Babylonis opes ingentem mercatorum numerum undique alliciebant. Hebræus reddi potest (13): *In urbe aromatariorum*. Septuaginta (14): *In urbe murata*.

Ÿ. 5. Tulit de semine terræ, et posuit illud in terra. Nabuchodonosor Sedeciam, Jechoniæ Regis fratrem, Regem in Judæa creavit. Is porro fuit *de semine terræ*, Regio genere, Josiæ Regis filius (15); satus vero Jerosolymis, veluti humo eximia, irrigua, in qua radices altissimas jaceret: *Ut firmaret radices super aquas multas*. Si Deo & Nabuchodonosori fidem servasset, æterno & ipse & posteri ipsius Regno frui potuissent.

In superficie posuit illud. His innuere videtur Ezechiel, minime diuturnum fore Sedeciæ Regnum, quippe in prima humi superficie satum, neque altis radicibus firmum. Reddunt nonnulli (16): *Sicut salicem posuit illud*. Salix humorem amat & loca aquis rigua; facile radices agit, ac statim erescit. His exordia Sedeciæ optime significantur. Alii (17): *Spectabile posuit illud*; Regem creavit, & quæ ab ipso gererentur, speculatus est. Chaldæus: *Vitem* bene *plantatam posuit illud*. Tota orationis series hanc illi explicationem suasit.

Ÿ. 6. Crevit in vineam latiorem, humili statura. Hæc optime Sedeciæ Regno conveniunt, amplissimo certe, sed humili viribus; & authoritate carenti, Chaldæorum Regi obnoxio. Hebræus (18): *Fuit in vitem luxuriantem, humilem statura*. Ex iis vitibus non fuit, quæ in altum surgunt, aut in arborem ascendunt, vel pedamentis fulciuntur; sed vitis humi repens, uti vites quædam solent, quæ in lapidoso solo proveniunt (19). Talem esse oportuit, ut sub alis aquilæ, quæ ipsam severat, colligeretur. *Respicientibus ramis ejus ad eam, & radices ejus sub illa erant*.

Ÿ. 7. Aquila altera grandis. Is erat Pharao Vaphres, Ægypti Rex, opibus sane viribusque pollens, sed Nabuchodonosore minor.

Ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam... ut irrigaret eam de areolis germinis sui; vel, aquis; quibus horti sui areolas rigat; sive, aquis, quibus rigat arenias arborum suarum. Hebræus (20): *Ut irrigaret eam de sulcis*, sulcis, areolis *plantationis suæ*. Spectare videtur Ezechiel artem, qua Ægyptii agros rigabant, eductis e Nilo aquis machinarum ope, atque in sulcos ad eam rem factos effusis, quæ deinde in hortos agrosque per eos sulcos derivabantur; raræ enim in Ægypto imbres sunt. Vide Deuteronomium, xi. 10. Septuaginta (21): *Ut irrigaret ab illa cum gleba plantationis suæ*. Denique, Sedecias, Chaldæorum jugum & servitutem fastidiens, Regis Ægyptiorum opem imploravit, futurum sperans, ut si Ægyptius arma in Nabuchodonosorem moveret, ipse nullo negotio jugum excuteret, atque in libertatem vindicaretur. Hanc Sedeciæ legationem ad Ægyptios, & Pharaonis suppetias ad Judæos missas, Regum libri non tradunt: at luculenter satis innuit Jeremias c. 37. 4. quippe qui narrat, obsessa a Nabuchodonosore Jerosolyma, Pharaonem Ægypto egressum, arma in Chaldæos movisse; Nabuchodonosorem vero, relicta Jerosolyma Ægyptiis occurrisse, eisque in Ægyptum pulsis, ad intermissam rediisse Jerosolymæ obsidionem. Vide & Josephum, *Antiq. lib. x. cap. 10.*

Ÿ. 9. Ergone prosperabitur? Sedecias nimirum, qui juratam Nabuchodonosori fidem violavit, cui nempe Regnum debet, sanctissimoque jurejurando obstrictus est, (Vide Ÿ. 13.) Sedecias, inquam, felicem rerum suarum exitum sibi pollicetur? An sperat futurum, ut ego illius perfidiæ ac perjurio faveam? *Ex quo discimus*, inquit S. Hieronymus (22), *etiam inter hostes servandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem juraveris*.

Nonne radices ejus evellet, et fructus ejus distringet? Septuaginta (23): *Nonne fructus teneritudinis ejus, & fructus ejus putrescent?* Proceres, Magistratus, filii Sedeciæ una peribunt.

Non in brachio grandi, neque in populo multo. Jerosolymæ universæque Judææ expugnatio non magno Chaldæis stetit; parum enim restitit Sedecias (24). Ubi se in angustias redactum in urbe sensit, nocte cum nonnullis fugit. At in Jerichuntis agro captus, Reblatam una cum filiis ad Nabuchodonosorem ductus est.

Ÿ. 17. Non in exercitu grandi... faciet contra eum Pharao prælium in jactu aggeris. Nabuchodonosoris, Jerosolymam obsidentis exercitum armis non cinget, neque aggeribus, vallo ac vineis stringet. Illi occurrens Nabuchodonosor, arma inferet, conferet manus, atque in Ægyptum reverti coget. Alterum hoc versiculi membrum nonnulli (25) ad Nabuchodonosorem referunt. Ingentem exercitum non trahet Pharao in Chaldæorum Regem, aggeribus construendis, machinis circa mœnia disponendis, turribus ac propugnaculis statuendis in Jerosolymitana obsidione occupatum. Sanctius ita reddit: Irriti cadent Pharaonis conatus, neque utilis erit Sedeciæ, quamvis auxiliares copias magno eum molimine ad illum ducat. Porro is negantem particulam *non* addit verbo *faciet*. Aliter etiam explicat Grotius: Faciet contra ipsum Pharaonem prælium Nabuchodonosor; vel illum invasurus pro-

(10) את ראש יניקותיו. (11) Τὸ ἄκρον τῆς ἁπαλότητος. (12) 4. Reg. xxiv. 8. (13) בעיר רכלים. Ita Grot. Jun. Tremel. (14) Ἐν πόλει τετειχισμένῃ. (15) 4. Reg. xxiv. 17. (16) צפצפה שמו. Pag. Mont. Vatab. Munst. Pisc. alii. (17) Septuag. Ἐπιβλεπόμενον ἔταξεν αὐτό. Vide Arab. Grot. Syr. (18) ויצמח ויהי לגפן סרחת שפלת קומה. (19) Plin. lib. xiv. c. 1. *Stat provinciarum aliquarum per se vitis, sine ullo pedamento, artus suos in se colligens, & brevitate crassitudinem pascens... excrescere ultra suos pollices prohibita; semperque pastinatis similes, herbarum modo vagantur per arva, &c.* (20) להשקות אותה מערגות מטעה. (21) Τοῦ ποτίσαι αὐτὴν σὺν τῷ βώλῳ τῆς φυτείας αὐτῆς. (22) Vide Hieronym. hic, & Grot. de Jure Belli & Pac. lib. 3. c. 19. n. 11. (23) Οὐχὶ αἱ ῥίζαι τῆς ἁπαλότητος, καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς σαπήσεται. (24) 4. Reg. xxv. 6. 7. (25) Lyra. Maldon.

proficisceretur: at non opus erit, ut totis viribus Regni cum Ægyptio certet, is enim, audito ejus adventu, recedet. Innuere videtur Ezechiel, xxx. 21. prælium aliquod intercessisse, quo fractus est Pharao: *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi*, ait Deus: *Et ecce non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas*, &c.

℣. 18. SPREVERAT ENIM JURAMENTUM ..... ET ECCE DEDIT MANUM SUAM (26); violata fide, quam dederat, amicitias cum Ægypto junxit. Hic locus æque intelligi potest vel de jurejurando Nabuchodonosori præstito, porrecta illi manu; vel de violata fide, quam Nabuchodonosori juraverat, porrecta Ægyptio dextera.

℣. 19. EXPANDAM SUPER EUM RETE MEUM. Vide supra, xii. 13.

JUDICABO EUM IBI. Sedecias, Reblatam ad Nabuchodonosorem ductus, damnatus ab illo est, ut spectata prius liberorum nece, deinde oculis orbaretur 4. Reg. 25. 7. 8. Innuit hic Ezechiel, Sedeciæ causam iterum Babylone actam fuisse, ipsumque morte damnatum. Certe Sedecias supremum diem Babylone obiit.

℣. 21. RESIDUI AUTEM IN OMNEM VENTUM DISPERGENTUR; alii in Ægyptum, alii in Chaldæam, in alia regiones alii, quo illos vel casus, vel inimica Dei manus impellet.

℣. 22. SUMAM EGO DE MEDULLA CEDRI SUBLIMIS. Regnum Israelis restituendum his verbis prædicitur. Ipsa tamen oraculi verba uni Jesu Christi Regno conveniunt. Frustra conantur Judæi de Zorobabele vel Macchabæis interpretari: Judæorum enim res sub horum imperio multo minores erant, quam ut verborum hujus loci majestati responderent. Unquam ne illi cedrum in monte positam, fructus ferentem, se ramos undique porrigentem, ita ut *habitent sub ea omnes volucres*, rebus fortunisque exhibuere? Ea porro in unum Jesu Christi Regnum competunt, in Ecclesiam suumque sub imperium omnes volucres colligentis; eas scilicet, qui neglectis rerum humanarum curis, unum Deum Christiana professione sequuntur (27).

℣. 24. HUMILIAVI LIGNUM SUBLIME, ET EXALTAVI LIGNUM HUMILE. *Sedeciam*, tunc Regno potientem, dejeci, eo modo, quo narravimus; & Jechoniam, tunc captivum, & in vinculis detentum, erexit; illud efficiens, ut Evilmerodach Nabuchodonosori successor, ipsum carcere liberaret, atque primum inter cæteros, quos apud se habebat, Reges constitueret. 4. Reg. 25. 27.

SICCAVI LIGNUM VIRIDE, FRONDERE FECI LIGNUM ARIDUM. Viridis arbor, & fructibus onusta erat Sedecias, cum ingens liberorum numerus illi esset, plenoque ætatis robore frueretur. At Jechonias & liberis carebat, & durissimam in captivitatem devenerat. Prædixerat olim Jeremias (28), illum liberis cariturum, vel saltem suos in Davidis solio sedentes minime inspecturum. At Sedecias, visa liberorum nece, ipse miserrimo Babylone fato periit: Jechonias vero natis in captivitate liberis auctus est. Vide nos in Jeremiam, xxii. 30. Eunuchi, sterilesque viri ab Hebræis ligna arida nuncupabantur: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum*. Isai. 56. 3. In his se fecisse dicit Deus ea, quæ facere decrevit. Ita solent Prophetæ præteritum pro futuro usurpare, quo actius rerum prædictarum veritas ostenderetur.

(26) ובזה אלה והנה נתן ידו (27) Vide Theodoret. & Hieron. Origen. Polychron. Lyran. Sanct. Cornel. Maldon. &c. (28) Jerem. xxii. 30. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; neque enim de semine ejus erit vir, qui sedeat super domum David.*

C A P U T XVIII.

Olim in Israele proverbii loco non usurpabitur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Unusquisque scelerum suorum pœnas feret. Ad pœnitentiam hortatur.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Quid est, quod inter vos
parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres co-
mederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? 3. Vivo ego, dicit Do-
minus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. 4. Ecce
omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est: anima, quæ
peccaverit, ipsa morietur. 5. Et vir si fuerit justus, & fecerit judicium, & justi-
tiam, 6. In montibus non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus
Israel: & uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non ac-
cesserit: 7. Et hominem non contristaverit: pignus debitori reddiderit, per vim ni-
hil rapuerit: panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: 8. Ad
usuram non commodaverit, & amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum
suam, & judicium verum fecerit inter virum, & virum: 9. In præceptis meis am-
bulaverit, & judicia mea custodierit, ut faciat veritatem: hic justus est, vita vivet,
ait Dominus Deus. 10. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem,
& fecerit unum de istis: 11. Et hæc quidem omnia non facientem, sed in monti-
bus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem: 12. Egenum, & pauperem
contristantem, & rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem
oculos suos, abominationem facientem: 13. Ad usuram dantem, & amplius acci-
pientem: numquid vivet? non vivet. Cum universa hæc detestanda fecerit, morte
mo-

morietur, sanguis ejus in ipso erit. 14. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis: 15. Super montes non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, & uxorem proximi sui non violaverit: 16. Et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: 17. A pauperis injuria averterit manum suam, usuram, & superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viver. 18. Pater ejus, quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. 19. Et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium, & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vivet vita. 20. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur. 22. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, viver. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat? 24. Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. 25. Et dixistis. Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt? 26. Cum enim averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur. 27. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam: ipse animam suam vivificabit. 28. Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viver, & non morietur. 29. Et dicunt filii Israel: Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, & non magis viæ vestræ pravæ? 30. Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. 31. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini, domus Israel? 32. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.

℣. 2. PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM, ET DENTES FILIORUM OBSTUPESCUNT. Idem proverbium legas in Jeremia (1); & vulgare fuisse videtur ea ætate inter Israelitas. Hujus origo illud fuit, quod Moyses scripsit (2): *Deus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me.* Diuturna etiam experientia docuerat, Dei furorem denique micare post eorum obitum, qui potissima peccati causa fuere, quo gravior vindicta in posteros ruat. Hi, quos alloquitur Ezechiel, præsenti in captivitate tenebantur, quamquam multo minus noxii, quam Achab, Manasses, aliique Judæorum pessimi, qui sub iis Regibus vixerant. Varia leguntur apud Scripturam filiorum exempla, quas paterni sceleris pœna corripuit. Saulis filii commune cum patre infortunium subiere, ejusque posteri supplicio affecti sunt ob necem, quam Saul Gabaonitis intulerat (3). Primus Davidis ex Bersabee filius præcoci morte pœnas peccati parentum dedit (4). Ezechiæ posterorum captivitas pœna ambitionis fuit, qua is opes suas Legatis Babyloniis ostendit (5). Denique Juda Regnum cecidit, actique sunt in captivitatem Judæi, ut Achabi & Manassis, qui diu antea vita cesserant, flagitia luerentur (6). Hæc porro causa fuere, cur Judæi dicerent, comesta a patribus uva acerba, filiorum dentes obstupuisse. Fateri autem videtur hic (7) Deus, Judæos hactenus non immerito usos esse eo proverbio: at pollicetur, futurum deinceps, ut nemo ea verba usurpare cogatur; unumquemque scilicet peccati sui pœnas daturum; captivitate revocata, deletum iri veterem iniquitatem; Deum minime revocaturum ea, quæ hactenus gesta fuerant, ipsosque Judæos novæ gentis loco habiturum; solum patrem puniendum fore, si solus peccaverit; denique, patris scelus in filios non perventurum. Hæc sunt, quæ ad literalem hujus loci explicationem pertinere maxime omnium videntur. Atque in hanc sententiam ex eo potissimum trahor, quod hoc vaticinium jungatur cum superiori, quo, post prædictum Regni Juda excidium, alterum Imperium multo amplissimum ac nobilissimum huic successurum nunciatur, sub quo ea, quæ hic legimus, eventura sunt. Accedit similis omnino Jeremiæ locus (8), de iisdem plane rebus vicibusque disserens.

(1) Jerem. xxxi. 29. & Thren. v. 7. (2) Exod. xx. 5. & xxxiv. 5. & Deut. v. 9. (3) 2. Reg. xxi. 1. 2. (4) 2. Reg. xii. 14. 31. (5) 4. Reg. xx. 17. 18. (6) 4. Reg. xxi. 12. & xxiv. 3. 6. (7) Vide ℣. 3. (8) Jerem. xxxi. per totum.

Si vero integram absolutamque hujus vaticinii explicationem assequi velis, multo altius erigenda mens est, quærendumque Servatoris tempus, Imperium, fœdus. Ea profecto ætate plena huic vaticinio fides stetit, futurum scilicet, ut proverbii loco usurpandum non esset illud: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. Christus Jesus, nullo Judæorum gentiumve discrimine, nullaque habita personarum ratione, neglectis quæ præcessere peccatis, universis late hominibus salutem affert, vitamque & sanguinem nostrum omnium causa profundit; seseque ad peccantes potius, quam ad justos vocandos venisse testatur. Denique Ecclesiæ gremium omnibus plane gentibus aperit, omnesque, dum velint, fœderis participes facit; parietem, quo Judæi a gentibus secernebantur, evertit. Veteris peccati, quod ex ipsa origine trahimus, veniam Baptismo accipimus; quo quidem peccato, ceu acerba uva, omnium Adami posterorum dentes stupebant.

℣. 4. Ecce OMNES ANIMÆ MEÆ SUNT. Gentium vocationem innuit, servarumque hactenus inter Judæos atque Ethnicos discrimen removet. Unusquisque hominum Dei est: is singulos servari vult, vitam omnium causa profundit, adminicula illis largitur aut parat, quibus, si velint, uti ad salutem queant; quod si pereant, sua ipsorum culpa pereunt. Alienum in iis scelus minime persequitur Deus: suum fert unusquisque: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Iidem illi infantes, quos ante mortem baptismi unda non tinxit, sceleris non sui pœnas minime luunt: cum enim una eademque res cum Adamo essent, ipsam illius culpam retulere: at vix per se existere cœperunt, proprium fit ipsis crimen, statimquo illud pœna consequitur (9).

Aliter: *Omnes animæ meæ sunt*; par erga omnes ero, nullius habita ratione; pœnas aut præmium pro bene aut male gestis singularum constituam: patris iniquitas æquitati filii non nocebit, neque filii æquitas impium patrem juvabit.

℣. 6. IN MONTIBUS NON COMEDERIT; si nulla religionis convivia in editis locis Numinum superstitione dedicatis agitaverit; vel, si nulla Diis sacra in excelsis fecerit; hoc enim conviviorum genus profana semper sacra & festa comitabantur, Virgilius de Latini Regis ædibus agens Æneid. 7.

. . . . . Hæc illis Curia Templum,
Hæ sacris sedes epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Innumeris plane Scripturæ locis docemur, quam insano sublimium horunce locorum, Diis dedicatorum, amore & obsequio Judæi raperentur. Ipsa vel Judicum ætate, Regumque piissimorum sub imperio loca sublimia Deo sacra non defuere. Ea quidem religio, quæ iis in locis exercebatur, plane ex Legis sanctione non erat: dissimulabatur tamen, cum Legi, unius Dei cultum præcipienti, non repugnaret. Alterius plane generis erant loca hæc excelsa, de quibus Ezechiel, infamia nimirum, ubi vilissima omnium superstitio, ac turpissimæ libidines exercebantur.

AD MULIEREM MENSTRUATAM NON ACCESSERIT. Id Lege cautum erat, sub mortis pœna (10). Ratio ipsa pudorque homini proprius ipsos vel Ethnicos nefarium id esse docuit (11): *Eo tempore*, inquit hic S. Hieronymus, *si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in utroque sexu corpora parvitate vel enormitate membrorum*. Præceptum hoc S. Augustinus inter ea recenset, quæ *etiam tempore Novi Testamenti, remota umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt*; quippe quod *Ezechiel inter illa peccata, quæ non figuratæ sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat; ad mulierem menstruatam siquis accedat; & inter justitiæ merita, si non accedat* (12). Accedit omnium Orientalium Ecclesiarum doctrina. Luculentius certe nihil veteres Canones sancivere, Nicænum Concilium, Canone Arabico XXIX. menstruales fœminas ingressu Ecclesiæ, sacraque Communione prohibet, ne Regina quidem excepta; Presbyteros vero aut Diaconos, qui eas vel introduxerint, vel sacra Eucharistia eo tempore paverint, exauthoratos & communione privatos esse jubet. At S. Gregorius Magnus (13): *Cum in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur. Ita ut morte Lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier, dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet*. Quadragenos pœnitentiæ dies imperat Gregorius iis viris (14), qui menstrualem uxorem tetigerit. Animadvertit porro, veteres quosdam trium hebdomadarum pœnitentiam mulieribus, Ecclesiam menstruorum tempore ingressis, decrevisse: deinde vero S. Gregorii Magni sententiam recitat, eas ab Ecclesiæ ingressu non prohiberi decernentis.

℣. 7. HOMINEM NON CONTRISTAVERIT, Hebræus (15): *Hominem non oppresserit* vi, artibus, dolo.

℣. 8. AMPLIUS NON ACCEPERIT; si id quod mutuo dedit, solummodo acceperit, non amplius aliquid, aut fœnoris nomine, aut muneris, vel præmii. Vide S. Hieronymum hic. Quod mutuo dederis, illud gratis omnino dari necesse est.

℣. 9. UT FACIAT VERITATEM, id quod sincerum & æquum est: si bonæ fidei fuerit, æquitatem ac sinceritatem amaverit, oderit fraudem eaque omnia, quibus hominum societas vitiatur.

℣. 10. FILIUM LATRONEM. Hebræus (16): *Filium indocilem*, qui neque Leges neque disciplinam curat. Ad verbum: *Effractorem*, improbum, furem. Septuaginta & Theodotion: Υἱὸν λοιμὸν, *filium pestilentem*, pestem. Secunda Editio Aquilæ: *Peccatorem*, Symmachus: *Transgressorem*.

℣. 12. ABOMINATIONEM FACIENTEM. Hæc ad ℣. 6. refertur: *Qui ad mulierem menstruatam non accesserit*; vel generice pro flagitiis in Deorum cultu patratis usurpantur.

℣. 13. SANGUIS EJUS IN IPSO ERIT. Mala extrema in caput suum provocat, eaque uni sibi debet.

℣. 20. FILIUS NON PORTABIT INIQUITATEM PATRIS. Vide supra ℣℣. 2. & 4. Nemini unquam Deus aliena crimina adscripsit, nisi sese reum aut societate, aut exemplo, aut consilio effecerit: atque his etiam in rebus nonnisi suum illis peccatum ac rem male gestam tribuit: secum ipse pugnaret Deus, si secus agere posset, suamque ipsius justitiam, cujus ille origo est & exemplum, everteret. Neque tamen inficias iverim, Deum interdum permittere, ut innocens una & reus eodem supplicio obvolvantur; majoribus etiam quandoque malis obnoxium esse pium quam impium, cum hic plerumque expers ærumnarum sit, quibus homines ferire solet Deus, famis nimirum, paupertatis, injuriarum, omniumque rerum inopiæ. At ne idcirco putaveris, impiorum iniquitatem a Deo justis adscribi, aut culpa, quod fieri nequaquam potest, aut pœna. Ærumnæ, quibus justos cruciat Deus, criminum causa, quæ ab impiis patrantur, beneficia potius dicendæ sunt, quam vindicta: eæ quippe & bona justorum merita, & præmiorum causas augent. Hæc sunt, quæ ab Ecclesia Christiana traduntur de iis malis,

(9) Vide August. Epist. 98. nov. Edit. n. 1. (10) Levit. XX. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo . . . ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui*. (11) Achilles Statius, Αὐτὸ χθὲς ἀρίστα τὰ ἱμμάτια, ἐ ἀνδρὶ συνελθεῖν ἐ θέμις. (12) August. qu. 64. in Levit. (13) Greg. Mag. Resp. ad Interrog. 10. Aug. (14) Greg. Pap. III. Judicia, art. 25. tom. 6. Concil. (15) ואיש לא יונה Septuag. Ἄνθρωπον ἐ μὴ δυναστέυσῃ. (16) בן פריץ

lis, quibus pii affliguntur. Atque ita verum est, Deum sub nova Lege nedum patris peccatum filio non adscribere, verum etiam brevibus vitæ hujus suppliciis, paterno sceleri debitis, non obvolvere. At apud Judæos res aliter sese habebat, vel ita esse illi arbitrabantur: vulgo enim vitæ hujus ærumnas mala omnino esse censebant; cumque mala omnia peccati pœna sint, ærumnas igitur, quibus ipsi scelere vacui opprimebantur, paternorum criminum causa immissas esse, colligebant. Quamobrem, cum orarent, non suorum modo, verum etiam paternorum scelerum veniam postulabant. Dan. 9. 6. & 16.

℣. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii? Impii mortem permittit Deus, non vult, non procurat, non amat. Impius sponte perit: siquando illum gratia destituit, id justissimo illius consilio fit (17), quod scilicet homo oblatam antea datamque neglexerit, eaque abusus sit. Deus antecedenti, ut ajunt Scholastici, voluntate *vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* 1. Timoth. 2. 4. aliquos autem perire vult consequenti voluntate. Vult nimirum, quia ipsi volunt, ejusque justitiæ vim adhibent, ut puniat (18). Impii mortem non quærit Deus, sed conversionem & vitam.

℣. 24. Omnes justitiæ ejus non recordabuntur. Si pœnitentia non expiatus obiverit, quicquid ipse Divinæ gratiæ ope fretus gesserit, minime prohibebit, quin æterno exitio pereat. Bona vitæ superioris opera illud efficient, ut tam miser non sit, quam esse poterat, si iis caruisset: illum non ab ignis supplicio liberum, sed minus cruciatum reddent.

℣. 25. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Cur vero? quod filios parentum causa puniat; id enim toto hoc Capite disputatur (19). Querelam hanc abunde rejecit Deus, futurum inquiens, ut deinceps parentum crimina in filiis non puniat, ac præteritorum penitus obliviscatur. Altero hic argumento rerum a se gestarum æquitatem ostendit; eos nimirum ipsos Judæos, qui impiis hisce vocibus queruntur: *Non est æqua via Domini; & Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt;* illos, inquam, variis criminibus inniti, eaque supplicia in caput suum provocasse: *Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt?*

Explicant alii (20): Dicitis: Ex æquitate non agit Deus, ubi pium novissimi criminis causa punit, nulla præteritæ justitiæ ratione habita; impium vero præmio donat ob virtutem ac pietatem, quam novissime amplexus est, vetera prorsus crimina oblitus. Querulas hujusmodi voces ita coercet Deus, nihil nisi vitium in populi sui gestis esse, quamobrem æquissimo jure sese in illum, ceu in reum, animadvertere. At explicatio priori loco proposita & æquior videtur, & aptior; in iis enim quæ sequuntur, eadem repetit Deus, quæ supra dixerat: id vero non diluit difficultatem aut verborum pugnam, sed auget.

℣. 31. Facite vobis cor novum, et spiritum novum. Nihil plane nostris ipsorum viribus bene gerere possumus (21); nostra solummodo sunt mendacium & peccatum (22): robur omne nobis ex Deo est, atque omnia possumus, ubi Dei gratia opem ferat (23). Quamobrem si procul dubio fatendum est, nos esse imbecillimos; constantissima etiam spes in eo collocanda est, qui abunde unicuique largitur, nostramque non mortem quærit, sed conversionem. Cum vero monet, ut novum nobis metipsis cor efficiamus, nostræ nos libertatis admonet (24). Jubet facere quod possumus, & postulare quæ non possumus (25).

Quare moriemini? Cur mortis discrimini vos ipsi objicitis, cum vitari queat, vestrumque exitium ipse non quæram? Cur mala extrema in caput vestrum flagitiis & pervicacia provocatis? Peccasti? resipiscito: peccati obliviscar. Quod si perieris, te ipsum exitii tui authorem confitere.

(17) August. Ep. 217. c. 5. n. 16. (18) Vide Sanctium hic num. 40. (19) Vide Hieronym. & Sanct. (20) Theodoret. Lyran. Burgens. Prad. Cornel. Polychron. (21) 2. Cor. III. 5. (22) August. Serm. 176. 182. nov. Edit. tom. 5. (23) Philipp. IV. 13. (24) Jacobi 1. 5. (25) Concil. Tridens. sess. 6. c. 5. & 11. & August. de Nat. & Grat. cap. 43.

CAPUT XIX.

Lugubre carmen de ærumnis Principum Juda, quos Propheta sub duorum leænæ catulorum, retibus captorum clausorumque, & vineæ, magno studio satæ, tum vulsæ, & in aridam humum projectæ, imaginibus describit.

℣. 1. ET tu assume planctum super principes Israel, 2. Et dices: Quare mater
tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos?
3. Et eduxit unum de leunculis suis, & leo factus est, & didicit capere prædam,
hominemque comedere. 4. Et audierunt de eo gentes, & non absque vulneribus suis
ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. 5. Quæ cum vidisset, quoniam infirmata est, & periit expectatio ejus: tulit unum de leunculis suis,
leonem constituit eum. 6. Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit
prædam capere, & homines devorare: 7. Didicit viduas facere, & civitates eorum
in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo ejus, a voce rugitus illius.
8. Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis, & expanderunt super
eum rete suum, in vulneribus earum captus est. 9. Et miserunt eum in caveam,
in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis; miseruntque eum in carcerem, ne
audiretur vox ejus ultra super montes Israel. 10. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus, & frondes ejus creverunt ex aquis
multis. 11. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est

ſtatura ejus inter frondes : & vidit altitudinem ſuam in multitudine palmitum ſuorum. 12. Et evulſa eſt in ira, in terramque projecta, & ventus urens ſiccavit fructum ejus : marcuerunt, & areſactæ ſunt virgæ roboris ejus : ignis comedit eam. 13. Et nunc tranſplantata eſt in deſertum, in terra invia, & ſitienti. 14. Et egreſſus eſt ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit : & non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium. Planctus eſt, & erit in planctum.

℣. 1. Assume planctum. Lugubre carmen, querulam næniam cane, ſuper Principum Iſraelis calamitate. Innuit hic Joſiæ poſteros, quorum vices miſerrimæ fuerunt. Duas in partes Carmen diſtribuitur; altera Ezechiel calamitatem Joachaz & Jechoniæ deflet, quos ceu binos leænæ catulos, venatione captos, incluſoſque caveis, exhibet. Altera deſcribit ſupremum, quod ſub Sedecia contigit, Jeroſolymæ excidium, urbem ipſam ſub vineæ vulſæ, arentis exuſtæque imagine pingens. Genus orationis jucundiſſimum eſt, atque optime ſibi conſtat allegoria.

℣. 2. Mater tua leæna inter leones cubavit. Septuaginta (1) : *Cur mater tua cum catulis in medio leonum facta eſt ?* At Vulgata cum Hebræo magis convenit (2). Hebraicarum vocum vis ſignificat, hanc in eodem cum leonibus cubili jacuiſſe. Leæna, Jeroſolyma eſt; Leones, quibuſcum conſuevit, Gentium Reges; catuli, quos edidit, Joſiæ poſteri, quorum geſta & calamitates ſtatim legimus.

℣. 3. Eduxit unum de leunculis suis. Joachazum, Joſiæ filium, Regem creavit. En geſta Joachazi. Joſia Nechai Ægyptiorum Regis viribus fracto interfectoque, Judæi Joachazum, nobiliſſimis inter cæteros fratres animi laudibus eximium, Regem pro Joſia creavere. Cum vero hic in omnia ſcelerum genera deſcenderet (3), illum Deus Ægyptio Regi tradidit, qui, poſt tertium Regni menſem, bello captum ac vinculis onuſtum, in Ægyptum miſit. Hæc ſub ænigmatis involucris tradit Ezechiel : *Leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemque comedere.*

℣. 4. Audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum. Cum Ægyptiorum Rex ea intellexiſſet, quæ Jeroſolymitani geſſerant, creatum ſcilicet, ſe inſcio, Joachazum, motis in illum armis, illum duci Reblatham juſſit, captivumque in Ægyptum miſit. Innuit hic Ezechiel, ſtrenue pugnaſſe Joachazum, & victoriam non minimi ſtetiſſe Chaldæis (4) : at nihil tale Regum Libri tradunt, & Ezechielis verba ita reddi poſſunt (5) : *Et in fovea eorum ceperunt eum*, ceu leonem, captum in ſcrobe, ante patata opertaque humo & frondibus, ut imprudens eo ruat leo. Septuaginta (6) : *Captus eſt in corruptione eorum*; vel, uti habet Theodoretus, in corruptione ſua, ob flagitia ſua.

℣. 5. Quæ cum vidisset, quoniam infirmata esset, et periit expectatio ejus, alterum catulum leonem conſtituit. Ægypti Rex, pro Joachazo, Joachimum fratrem Regem creavit, annis undecim Regno Jeroſolymis potitum (7). Hujus non meminit Propheta, vel quod ab alieno Principe donatus Regno fuerit, vel quod effuſis adeo habenis in ſcelus ruerit, tantoque odio a ſuis habitus ſit, ut lugubri carmine dignus non haberetur. Docet Scriptura, Jerem. 22. 18. ipſum *ſepultura aſini* donandum fore, ſupremis nimirum ſepulturæ honoribus caritutum, ejuſque memoriam nullo carmine lugubri decorandam.

Hic igitur Jechoniam Joachimi fratrem ſpectat, quam leæna leonem conſtituit, Jeroſolymitani ſcilicet cives Regem creavere. Quæ hic de eo habet Propheta, uni ipſi abſolutiſſime conveniunt. Sævitiam illius ac nequitiam deſcribit Ezechiel hic ℣℣. 6. & 7. & narrant Regum Libri (8), & Jeremias 22. 23. Captum vero & Babylone captivum tradunt ℣℣. 8. & 9. hujus Capitis, aliique Scripturæ Libri, quos laudavimus. Impius certe Princeps fuit Joachim, Jechoniæ pater; at Babylonem ductus non eſt, quemadmodum hic ab Ezechiele deſcribitur.

℣. 8. Convenerunt adversus eum gentes. Statim atque leo aliquis agrum infeſtum reddit, viatores aggreditur, cæteraſque feras prædatur, finitimi venatum coeunt, inſidias ſtruunt, vel aperta vi illum invadunt. Ita Babylonis Rex, coacto ex variis gentibus exercitu, Jechoniam Jeroſolymis aggreditur. *Expandit ſuper eum rete ſuum*, ducto circa urbem vallo : denique *non ſine vulneribus* illum capit. Jechonias ſeſe Nabuchodonoſori dedit, exanthlata prius aliquo tempore obſidione (9); leonis inſtar, qui captus licet, retibuſque obvolutus, adhuc pugnat, & venatores ferit.

Reddi Hebræus poteſt (10) : *In ſcrobe earum captus eſt*. Vide ſupra ℣. 4.

℣. 9. Miserunt eum in caveam, ceu feram, ne noceret. Hebræus (11) : *Dederunt eum in carcerem*, in caveam; vel ex Chaldæo : *Poſuerunt eum in catlare*. Septuaginta (12) & Arabs : *Poſuerunt eum in camo, & in cavea*, ut ad Regem Babylonis ducerent. Jechonias catenis onuſtus ductus eſt Babylonem, ibique uſque ad Evilmerodachi Regnum in vinculis fuit, a quo deinde vinculis exutus, nobiliſſimo inter familiares loco habitus eſt (13). Ita parvus hic leo pulſus eſt a patria, *ne audiretur vox ejus ultra ſuper montes Iſrael*.

℣. 10. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est. Altera carminis pars, ad Sedeciam pertinens, obſcurior prima, quod fortaſſe agens Ezechiel de re in poſterum futura, illam nubibus quibuſdam obvolvere decreverit. Judæam cum vinea comparat, *in ſanguine & ſuper aquam plantata*; quæ quidem verba magnum Interpretibus locum fecere cudendi conjecturas. Cenſent nonnulli (14), vertendum eſſe, *Vinea per aquas plantata, ut ſanguinem uvæ pareret*; ita enim vinum a Moyſe appellatur (15); quem etiam loquendi modum Veteres quidam ſequuti ſunt (16). Alii : Mater tua quaſi vinea eſt, *e ſanguine tuo*, e genere ac poſteris Regum, ferens palmitem ac vitem, quæ crevit, &c. Septuaginta (17) : *Mater tua quaſi vinea, & ſicut flos mali granati in aqua plantati eſt fructus ejus*. At fortaſſe Hebraicus textus hoc loco vitiatus eſt, legendumque (18) : *Mater tua quaſi vitis vineæ tuæ, ſuper aquam plantata*. Judæam populumque Judaicum

(1) Τί ἡ μήτηρ σου σκύμνος ἐν μέσῳ λεόντων ἐγενήθη; Ædit. Rom. Τί μήτηρ σου σκύμνος.
(2) מה אמך לביא בין אריות רבצה (3) 4. Reg. xxiii. 30. 31. (4) Ita Sanct. & alii non pauci.
(5) בשחתם נתפש (6) Συνελήφθη ἐν τῇ διαφθορᾷ αὐτῶν. Theodoret. Ἐν τῇ διαφθορᾷ αὐτῆς. (7) 4. Reg. xxiii. 34. 35. 36. (8) 4. Reg. xxiv. 8. *Fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.*
(9) 4. Reg. xxiv. 11. 12. (10) בשחתם נתפש (11) ויתנהו בסוגר (12) Ἔθεντο αὐτὸν ἐν κημῷ, & ἐν γαλεάγρᾳ, &c. (13) 4. Reg. xxv. 27. 28. (14) Sanct. Glass. alii. (15) Deut. xxxii. 14. *Sanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* Vide & Geneſ. xlix. (16) Androcyd. ad Alex. Mag. apud Plin. lib. xiv. c. 5. *Vinum poturus, Rex, memento te bibere ſanguinem terræ.* (17) Septuag. Ἡ μήτηρ σου ὡς ἄμπελος, ὡς ἄνθος ἐν ῥοᾷ ἐν ὕδατι πεφυτευμένη ὁ καρπὸς αὐτῆς. Legunt כרימון pro ברמך
(18) אמך כגפן ברמך על מים שתולה Lego כרמך Carmeca, pro Bedammeca.

cum Scriptura frequenter eam vineæ comparat, uti animadvertimus (19).

℣. 11. Factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra. Plures fuere Sedeciæ filii, ceu rami ex arbore nati, de qua Ezechiel. Crevit vitis, & palmitum copia gloriata est: *Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum*. Oblitus Dei Sedecias, Joachimi flagitia (20), superbiam scilicet, ambitionem, sævitiam, iniquitatem (21), imitatus est. Septuaginta (22): *Facta est ei virga roboris super Tribum Ducum*; quasi luculentius describere voluerit hunc Regem, Tribuum Juda & Beniamini imperio donatum.

℣. 12. Evulsa est in ira. Irritatus Sedeciæ perfidia Nabuchodonosor, quippe quem juratæ sibi fidei defuisse, & fœdus cum Ægyptiis iniisse viderat, arma in Jerosolymam movit, eaque post diuturnæ obsidionis labores capta, Sedeciæ liberos coram patre necavit, ac deinde oculos miserrimo patri eruit (23). Atque ita vitis hæc vulsa est, projectaque, arefacta, & igni data. Ignis plerumque bellum apud Scripturam significat.

Marcuerunt et arefactæ sunt, Hebræus (24): *Confracti sunt* (vel, vulsi sunt) *& aruerunt rami roboris ejus*. Septuaginta (25): *Vindicati sunt* (vel judicati), *& arefacti sunt rami fortitudinis ejus*. Illos feriit vindicta, iique ceu palmites e vite avulsi aruerunt.

℣. 13. Transplantata est in desertum. Præteritum pro futuro usurpatur. Vitis hæc, studiose adeo in fertili riguoque solo sata, evulsa est, atque in arenti, deserto, sterili, exustoque solo iterum sata. Ita solet Propheta Babylonicum exilium describere; & sub vitis imagine vel Sedeciam significat, qui spectata filiorum nece ductus est Babylonem; vitis nimirum, vulsis, arefactis, combustisque palmitibus, in ingratam humum translata: vel vitem, cujus pulcherrimus & nobilissimus palmes Sedecias erat, radicitus vulsam atque translatam. Judæorum reliquiæ, quibus bellicus ignis pepercit, Babylonem captivæ ductæ sunt.

℣. 14. Egressus est ignis de virga ramorum ejus. Ismael, Nathaniæ filius, Regio genere satus, ægre ferens, quod Nabuchodonosor Godoliam plebis in Judæa relictæ, post Jerosolymæ excidium, reliquiis præfecisset, Godoliam ipsum in Maspha conveniens, dolo necavit (26). Id porro ingens in Provincia belli incendium excitavit. Ismael, edita ingenti plebis cæde, quos potuit, in Ammonitidem duxit. Abeuntem persecutus Johanan Caree filius, omnibus illius sociis trucidatis, cæteros, quos ille abducebat, reduxit. Reliqui e plebe, iram Chaldæorum veriti, monente nequicquam & minitante Jeremia, in Ægyptum secessere. Ita Domini vinea penitus ex Judæa evulsa est, *& non fuit in ea virga fortis, sceptrum Dominantium*.

Planctus est, et erit in planctum. En lugubre carmen, quod posteri iterabunt. Carmen hoc scripsit Ezechiel quinquennio ante Jerusolymæ excidium. Futurum prædicit, ut hujus carminis reminiscantur posteri, illudque futuris deinde ætatibus canant.

(19) Vide supra xv. (20) 4. Reg. xxiv. 19. (21) Jerem. xxii. 13. 14. & seq. (22) Καὶ ἐγένετο αὐτῇ ῥάβδος ἰσχύος ἐπὶ φυλὴν ἡγουμένων. (23) 4. Reg. xxv. 6. 7. (24) התפרקו ויבשו כמטה עזה (25) Ἐξεδικήθησαν, καὶ ἐξηράνθησαν αἱ ῥάβδοι τῆς ἰσχύος αὐτῆς. (26) Jerem. xli. 1. & seq. & xlii. xliii.

CAPUT XX.

Senioribus Israelis, sese consulentibus, minime respondet Ezechiel; sed parentum levitatem ac perfidiam, ab egressu ex Ægypto ad eam usque ætatem, illis exprobrat. Futurum pollicetur Deus, ut illos in patriam revocet, & constantiores in officio reddat, quamvis ipsi desciscere cupiant. Vaticinium in Saltum meridianum.

℣. 1. Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis: venerunt viri
de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, & sederunt coram me.
2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 3. Fili hominis, loquere senioribus
Israel, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me
vos venistis? vivo ego, quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus. 4. Si judicas
eos, si judicas, fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis. 5. Et
dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua elegi Israel, & levavi manum
meam pro stirpe domus Jacob, & apparui eis in terra Ægypti, & levavi manum
meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester. 6. In die illa levavi manum
meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram, quam provideram
eis, fluentem lacte, & melle: quæ est egregia inter omnes terras. 7. Et dixi ad
eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat: & in idolis Ægypti nolite
pollui: ego Dominus Deus vester. 8. Et irritaverunt me, noluerunque me audire:
unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt:
& dixi, ut effunderem indignationem meam super eos: & implerem iram
meam in eis, in medio terræ Ægypti. 9. Et feci propter nomen meum, ut non
violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, ut
educerem eos de terra Ægypti. 10. Ejeci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos
in desertum. 11. Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens
homo, vivet in eis. 12. Insuper & sabbatha mea dedi eis, ut essent signum

inter me, & eos: & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. 13. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: & sabbatha mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos. 14. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum. 15. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis, fluentem lacte, & melle, præcipuam terrarum omnium: 16. Quia judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & sabbatha mea violaverunt: post idola enim cor eorum gradiebatur. 17. Et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto. 18. Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. 19. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, judicia mea custodite, & facite ea: 20. Et sabbatha mea sanctificate, ut sint signum inter me, & vos, & sciatis, quia ego sum Dominus Deus vester. 21. Et exacerbaverunt me filii: in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea non custodierunt, ut facerent ea: quæ cum fecerit homo, vivet in eis: & sabbatha mea violaverunt: & comminatus sum, ut effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto. 22. Averti autem manum meam, & feci propter nomen meum, ut non violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in oculis earum. 23. Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras: 24. Eo quod judicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbatha mea violassent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. 25. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent: 26. Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne, quod aperit vulvam, propter delicta sua: & scient, quia ego Dominus. 27. Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc & in hoc blasphemaverunt me patres vestri, spreviffent me contemnentes. 28. Et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolaverunt ibi victimas suas: & dederunt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, & libaverunt libationes suas. 29. Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen ejus excelsum usque ad hanc diem. 30. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini. 31. Et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: & ego respondebo vobis, domus Israel? Vigo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis. 32. Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna, & lapides. 33. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. 34. Et educam vos de populis; & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. 35. Et adducam vos in desertum populorum, & judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. 36. Sicut judicio contendi adversus patres vestros in deserto terræ Ægypti, sic judicabo vos, dicit Dominus Deus. 37. Et subjiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis. 38. Et eligam de vobis transgressores, & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israel non ingredientur: & scietis, quia ego Dominus. 39. Et vos domus Israel, hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, & servite eis. Quod si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris, & in idolis vestris: 40. In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel; omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. 41. In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, & congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, & sanctificabor in vobis in oculis nationum. 42. Et scietis, quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel,

in

in terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris. 43. Et
recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti
estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris,
quas fecistis. 44. Et scietis, quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter no-
men meum, & non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pes-
sima domus Israel, ait Dominus Deus. 45. Et factus est sermo Domini ad me, di-
cens: 46. Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Afri-
cum, & propheta ad saltum agri meridiani. 47. Et dices saltui meridiano: Audi
verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, &
comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum; non extinguetur
flamma succensionis: & comburetur in ea omnis facies ab Austro, usque ad Aqui-
lonem. 49. Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extin-
guetur. 49. Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non
per parabolas loquitur iste?

℣. 1. IN ANNO SEPTIMO, IN QUINTO (mense), IN DECIMA MENSIS, ex quo captus est Jechonias, septimo Sedeciæ anno, Mundi 3411. sexto Kalendas Septembris, feria secunda, ex calculis Usserii, nonnulli e populo Seniores ad Ezechielem venere, illum consulturi. Quid illi rogare voluerint, incertum est, cum locuturos occupaverit Ezechiel, ac Dei nomine prædixerit, sese minime responsurum.

℣. 3. NON RESPONDEBO VOBIS. In iis quæ dicturus sum, ea penitus negligam quę rogaturi eratis.

℣. 4. SI JUDICAS EOS . . . ABOMINATIONES PATRUM EORUM OSTENDE EIS. Si quid dicturus es, aut prorsus silere nolueris, paterna solummodo flagitia exprobrato, ac damnationis sententiam pronunciato (1), qualem certa series nunquam intermissa scelerum ac seditionum, ab ipsa gentis origine, promeruit. Totum hoc Caput sententia quædam est, qua, narratis Judæorum flagitiis, Propheta demum pronunciat, ipsos jam reprobari, gentemque alteram magis morigeram a Deo eligi, assiduum illi obsequium in monte Sancto exhibituram. Porro hæc verba ira temperantur, ut simul Babylonicæ captivitatis exitum, Judæorumque conversionem promittant, & maximam ejusdem gentis partem reprobandam fore significent, vocandamque gentem alteram, quam Deus invitam quodammodo ad sui obsequium accersit, populumque selectum ac sibi fidum creat. Hic totius capitis ordo est, quod certe ingens momentum habet, magnasque continet difficultates. Septuaginta (2): *Si ultus fuero eos ultione, fili hominis, iniquitates patrum eorum contestare eis.* Hebræus (3): *Numquid judicabis eos? Numquid judicabis, fili hominis? Abominationes patrum eorum ostende eis.* Scilicet, ex quorundam Interpretum sententia (4): Vellesne jam improborum causam agere & defendere? Alii (5): Non judicabis eos? Non damnabis?

℣. 5. APPARUI EIS IN TERRA ÆGYPTI, ET LEVAVI MANUM MEAM PRO EIS. Cum illi ærumnis, ceu tenebris densissimis, in Ægypto opprimerentur, illos ego visitavi ac veluti novum jubar inter illos micui: beneficum Numen me illis exhibui, manum in illorum opem exerui, atque omne brachii mei robur explicavi, ut illos Pharaonis tyrannida liberarem. Vel: *Levavi manum meam*; erecta manu juravi futurum, ut illos ea Ægyptiaca servitute, qua premebantur, reducerem.

℣. 6. IN TERRAM QUÆ EST EGREGIA INTER OMNES TERRAS, Septuaginta (6): *Favus est ultra omnem terram*, cum cæteris regionibus comparata. Ut ejus regionis laudes augeat, quas supra cumulavit, illam lacte & melle irrigari asserens; addit, universam plane regionem mellis favum esse, melle & suavitate refertum. Eadem fere verba usurpavere profani, cum beatam loci alicujus ubertatem commendarent (7):

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Hebræus (8): *Ornamentum ipsa est in omnibus terris.* Cæterarum regionum gloria est, decus, deliciæ; vel *terra desiderabilis*, cæterarum gentium desiderium.

℣. 7. DIXI AD EOS: UNUSQUISQUE OFFENSIONES OCULORUM SUORUM ABJICIAT. Numinum simulacra, quæ veluti aculei sunt, quibus oculi effodiuntur, conspiciendoque lumine prohibentur; velut albugines in oculis, seu vela oculis prætexta, quæ veritatis & Dei conspectum arcent. Vel denique: Deos hosce removeant, ex quibus labendi occasio ipsis oritur. Hebræus (9), & Septuaginta (10): *Abominationes oculorum suorum unusquisque projiciat.* Dii passim *abominationes* in Scriptura appellantur (11). Missus a Deo in Ægyptum Moyses, Israelitas nactus est, communi indigenarum superstitione mersos; proximam illis libertatem prædixit, verbaque ad eos fecit de patrum suorum Deo, cujus religionem ipsi deseruerant: monuit ut serio ad ipsum converterentur, & relinquerent Ægypti Deos, quos merito impuras, inquinatas, & execrandas imagines nuncupat; Dii enim Ægyptiorum plerumque impura erant animalia, quæ Judæi execrabantur. At irrita fuerunt Moysis studia; quippe populus non modo Deos amavit, verum etiam colere nunquam destitit, ac secum in deserto deferre non dubitavit. Id Propheta hic Judæis objicit, aliique Scripturę loci demonstrant (12). Hebræos ætatis suæ arguit Josue (13) exhibiti ab illorum patribus obsequii Mesopotamiæ & Ægypti Diis. Docent Amos (14), & Stephanus, Israelitas Numinum suorum ædiculas in deserto detulisse.

℣. 8. ET DIXI UT IMPLEREM IRAM MEAM IN EIS, IN MEDIO TERRÆ ÆGYPTI. Deus populi sui pervicacia irritatus, gentem universam in Ægy-
pto

---

[1] Hieronym. hic: *Non responsio, sed sententia judicantis.* [1] התשפט אתם התשפוט בן אדם את תועבות אבותם הודיעם [2] Ἐὰν ἐκδικήσω αὐτοὺς ἐκδικήσει. [4] Cornel. Tir. Prado, Jun. Grot. Pisc. Mald. Vide & Theodoret. [5] Hieron. Dionys. Hugo. [6] Κηρίον ἐστὶ παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν. Aquil. prima Edit. *Firmamentum*; secunda Edit. *Inclytum*. Theodot. *Fortitudinem*. Symm. Στάσις ἐστὶ, apud Scholiast. [7] Ovid. Metamorph. lib. 1. [8] צבי היא לכל הארצות Vide Dan. viii. 9. xi. 16. Jerem. iii. 19. Ezech. 2. . . . . 6. Et 2. Reg. 1. 19. ubi Judæa hoc nomine appellatur. [9] איש שקוצי עיניו השליכו [10] Τὰ βδελύγματα τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. Symm. Καύσεις. Aquil. secunda Edit. *Abscissiones*. [11] Deut. xxix. 17. Et 3. Reg. xi. 5. & 7. Et 4. Reg. xxiii. 13. 24. Jerem. xiii. 30. &c. [12] Vide & xxiii. 3. 8. [13] Josue ult. ℣. 14. [14] Amos v. 26. & Act. vii. 42.

pro ipsa delevisset, si furoris sui leges tantummodo, & Hebræorum flagitia consuleret. Jam tunc digni erant quos relinqueret Deus, æternoque repudio rejiceret: at alia fuere, quæ Deum cohibebant. Singula hæc, quæ Ezechiel habet, non tradidit Moyses.

℣. 9. Et feci propter nomen meum, ut non violaretur. Aliter feci atque decreveram, nominis mei causa, &c. Vel: *Feci*, promissa explevi, populum ex Ægypto reduxi, ut nominis mei gloriam tuerer, ne profani convicia in me evomerent, ubi ea quæ pollicitus fueram, irrita fieri intuerentur. Studium hoc, atque hæc Dei cura passim in Scripturis legitur, servandæ scilicet nominis sui gloriæ, atque ab Ethnicorum ludibriis conviciisque defendendæ.

℣. 10. Ejeci eos de terra Ægypti (15): eos ex Ægypto eduxi, veluti invitos; pii sapientisque patris more, qui filium ab exitii discrimine vi subducit. Si diutius in Ægypto fuissent Hebræi, in extremum plane exitium deveniebant. Inde illos reduxit in solitudinem Deus, *ut Ægyptiorum vitiis liberati, facilius in solitudine præcepta Dei complerent* (16).

℣. 11. Dedi eis præcepta mea . . . quæ faciens homo, vivet in eis; quæ vitam obtemperantibus tuentur, vel quæ morigeros morte liberant. Legis Mosaicæ, qua parte moralia, judicialia & ritualia præcepta continet, religiosa observatio nedum corporis vitam servabat, mortemque removebat, verum etiam vita longe nobiliore animam donabat, eosque vere justos efficiebat, qui absolutissimo obsequio sese prosequerentur in spiritu, comitibus fide & charitate, ex quibus bene gestorum meritum oritur (17). Cæterum omnino verum est, vitam & caduca hujus vitæ bona a Lege proponi ceu servandæ Legis incitamentum, & servatæ præmium; mortem vero terrenasque calamitates ipsam violantibus indici (18). Neque omnino inficias iverim, illud solummodo Prophetam hoc loco voluisse, ut vitæ hujus mala, mortisque pœnam significaret (19), quæ Israelitæ in deserto, Numina colentes, in caput suum provocaverant; ea vitaturi, si acceptis in deserto legibus obtemperassent.

℣. 12. Sabbatha mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos. Suffragantur passim huic veritati Patres (20), constitutum scilicet a Deo Israelitis Sabbathum, ut eo veluti signo cæteras inter gentes secernerentur, quemadmodum circumcisione, legibusque quamplurimis ad sacros ritus pertinentibus; idque minime prohibet, ut eo instituto creationis mundi memoriam servare voluerit, populum bonorum operum exercitatione, Legis studio, & oratione occupare, eo præsertim die, quo servilibus operibus, terrenisque negotiis prorsus vacare jubebantur.

℣. 13. Sabbatha mea violaverunt vehementer. Bis omnino violatum in deserto ab Israelitis Sabbathum, e Scriptura discimus; semel, ab iis qui ea die castris egressi manna quæsivere (21); iterum cum e plebe quidam die Sabbathi ligna collegerat (22). Illos infirmæ in Deum fiduciæ, violatique erga Moysis sanctiones obsequii tantummodo damnat Scriptura, solaque Legislatoris objurgatio pœna peccati fuit; hunc multitudo universa lapidibus obruit. At hæc ea non sunt, quæ hanc Ezechielis castigationem mereantur, violatam a populo Divinam Sabbathi quietem querentis. Multo gravius peccatum esse toto itineris tempore necesse est, quamquam id minime tradidit Moyses.

℣. 14. Et feci propter nomen meum. Penitus illos non delevi, quemadmodum ipse decreveram, ipsique persæpe digni fuerant: ita post impium aurei vituli sacrilegium, leve in illos supplicium immisi, unaque maxime reorum pœna contentus fui; gentem vero, quantumvis ingratissimam perfidamque, servare placuit.

℣. 15. Ne inducerem eos in terram, quam promiseram. Seditiosis tantummodo exclusi, & eos, qui pervicacia & improbitate cæteros superavere. Hoc ad Cadesbarne contigit, reversis in castra exploratoribus. Num. 14. 28.

℣. 22. Averti manum meam, quam in eorum exitium exercueram.

℣. 23. Iterum levavi manum meam in eos in solitudine. Hebræus (23) non legit *iterum*. Anceps tum, utrum hæc verba illud sibi velint, quoties sese in deserto minitarum esse, manumque produxisse dicit Deus, toties ipsius iram ab Israelitis esse provocatam. Quater id actum esse, hic legitur (24); & quatuor certe tempora nullo negotio reperiuntur, quibus æquissimum erat, ut populus a Deo in exitium impelleretur, dum justitiæ suæ legibus morem gereret. Primo, cum populus aureum vitulum dedicavit (25); secundo, ad sepulcra concupiscentiæ, cum Hebræi manna fastidientes, carnes a Domino flagitarent (26); tertio, in seditione ad Cadesbarne, reversis in castra exploratoribus, qui promissam regionem lustraverant (27); quarto, cum in libidinem Moabitidum, & Phegor superstitionem rapti sunt (28).

℣. 25. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia, in quibus non vivent. Cum iis præceptis vitam allaturis obtemperare noluerint, ego, negligentiæ & perfidiæ supplicio, illos perniciosæ perversæque legis arbitrio, quam sibi ipsi finxere, præceptisque damnosis, exitium parituris, quæ sibi ipsi imperavere, relinquam. Spreta Lege mea, malas animi sui libidines sectantur; me relicto, Deos colunt; præmia vitamque quam ego polliceor, negligunt: ipsos igitur sibi relinquo; libidinis suæ fructus carpant, amatæque religionis sanctiones exerceant. Dicitur interdum Deus agere id quod fieri tantummodo patitur, aut omnino præbere id quod permittit eorum arbitrio atque insaniæ, qui aut sese reliquere, aut prava animi habitudine consulunt. Ita Balaamo imperat, ut cum Balaci Regis Moabitarum Legatis proficiscatur (29); Israelitas jubet arma in Benjamini Tribum capere (30); Regem populo iratus largitur (31); in impium animo duratum non irascitur (32); Israelem pessimis animi sui desideriis (33), & hostibus, quorum Deos coluit, populum tradit (34). Omnino opus erat, ut Propheta his verbis hoc loco uteretur. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*; ut scilicet sententiam hanc alteri opponeret, quam sæpe iteravit, data scilicet Israelitis præcepta optima, quibus illi parere detrectaverunt. Similem orationis figuram in Moyse legimus (35): *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis; & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*. Me ipsi velut æmuli ad iram provocavere, illud pro Deo colentes, quod Deus

---

[15] ואוציאם מארץ מצרים [16] Hieronym. hic. [17] Vide Theodoret. Dionys. Clarium, Hugonem, Vasquez, Chaldæum, &c. [18] Vide ad Levit. xviii. 5. Rom. x. 5. & Galat. iii. 12. & Deut. xxx. 19. & sequ. [19] Vide Sanct. hic. Grot. Cornel. [20] Vide Theodoret. & Hieronym. hic, & Spencer. de Legib. Hebr. Ritual. lib. 1. cap. 4. & Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 3. cap. 10. [21] Exod. xvi. 27. [22] Num. xv. 32. [23] גם אני נשאתי את ידי להם Septuag. Καὶ ἐξῆρα τὴν χεῖρά με ἐπ' αὐτούς. [24] Vide ℣℣. 13. 15. 21. 23. [25] Exod. xxxii. [26] Num. x. xi. [27] Num. xiv. 1. 2. & seq. [28] Num. xxv. 1. 2. & seq. [29] Num. xxii. 20. [30] Judic. xx. 18. 23. [31] 1. Reg. x. [32] Ezech. xvi. 42. [33] Psal. lxxx. 13. [34] Deut. xxxii. 37. 38. [35] Deut. xxxii. 21.

Deus certe non erat; illis igitur vicem reddam, gentem eligens amansque, quæ populus non est.

Si Leges populo a se imperatas significare volebat Deus, ac diceret, se præcepta non bona dedisse, vitam minime allatura? Mala ne præcepta sunt Decalogi sanctiones, præceptum amandi Deum ac proximos, atque alia tam multa atque eximia morum instituta? Cur Deus ipse supra ℣. 11. pollicitus est, vitam eo iis sanctionibus inventures, qui illis obtemperarent? Si mala præcepta sunt, qui fieri potest, ut ipse author illorum sit? Quid porro de religione nostra censendum, qui eadem, quæ Judæi, moralia præcepta servemus? Cur, postquam suas illis in Ægypto, tum in deserto non semel (36) Leges dedisse asseruit, nunc denique ait, non bona se præcepta tulisse refractariis ac seditiosis? Quæ vero ea sunt, aut quo tempore alia scripsit prætar priora, quæ in Ægypto atque in Sinai dedit? Procul dubio enim Moyses in sancti montis vertice non morales modo leges a Deo accepit, verum etiam rituales & judiciales, quæ solummodo dici poterant præcepta, vitam non afferentia (37). Chaldæus reddit: *Quia prævaricati sunt in verbum meum, & noluerunt obedire Prophetis meis, projeci eos, & tradidi eos in manum inimicorum suorum, & post concupiscentiam suam insipientem abierunt, & fecerunt decreta non recta, & leges in quibus non vivetis*. S. Hieronymus eodem sensu: *Dedit eis dispersis in gentibus præcepta non bona; hoc est dimisit eos cogitationibus & desideriis suis, ut facerent quæ non conveniunt*. Hæc sunt, quibus hæc sententia aptissime atque ad verbum explicari videtur. Manasse Ben-Israel, addita interrogationis nota, Hebræum vertit: *An ego dedi eis præcepta non bona, aut judicia in quibus non vivent, si illis obtemperaverint? Aut pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam propter delicta sua, ut scirent quia ego Dominus?*

Origenes homil. 7. in Exod. rem ita explicat: Israelitæ *non inveniuntur fideles. Ideo inventum est eis mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, quia unum atque idem mandatum, si servetur, vitam; si non servetur, generat mortem. Secundum hoc ergo, quod non servantibus generant mortem, dicuntur mandata non bona, in quibus non vivant*. Ac hom. 17. in Num. 24. dicere videtur, Mosaicas Leges idcirco tantum datas esse Judæis, ut pessimis illorum motibus, atque animi pervicaciæ mos gereretur; cum enim cruenta in Ægypto sacrificia facere consuevissent, arcano sapientiæ suæ consilio permisit Deus, ut hujusmodi victimas mactarent, uni tamen sibi, non cæteris Ethnicorum Diis. Accedunt huic sententiæ passim Patres, qui Ezechielis verba ad rituales tantummodo leges referunt. Docet S. Justinus in Dial. cum Tryphone, unius Judaicarum mentium duritiæ causa Deum hæc illis præcepta dedisse, ut eos in officio contineret, prohiberetque ne male agerent, iis rebus assiduæ occupati, quæ sum illos erga Dominum servitutis admonerent. Idem censuit Theodoretus, hunc ipsum locum explicans (38), inquiens, rituales leges, quibus populum Deus obstrinxit, populum ipsum continuisse, ne moralia instituta violaret, quibus uois vita afferebatur. Hæ porro Judæos omni tempore excitabant, Templum adire sæpe cogebant, aptissimæque erant, ut obsequium, & servitutem, quam Deo debebant, in ipsorum animis colerent. Eadem est S. Chrysostomi sententia (39), & Cyrilli Alexandrini (40); quorum alter censere videtur, datam Judæis fuisse legem pœnæ loco, ob præstiti aureo vitulo obsequii peccatum. Hæc porro præcepta, quæ Deus populo imperavit, putat ex eo bona non fuisse, quod umbræ tantummodo, figuræ, & ænigmata veritatis essent, quæ sua ipsorum virtute ad vitam ducere non possent (41).

Inter Latinos Patres, Tertullianus (42) ait; *Sacrificiorum onera, & operationum & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi proprie desideraverit, qui tam manifeste exclamat: Quo mihi multitudinem Sacrificiorum vestrorum? & quis exquisivit ista de manibus vestris? sed illam Dei industriam sentiat, qua populum pronum in Idololatriam & transgressionem, ejusmodi officiis religionis suæ voluit astringere; quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret*. Eamdem sententiam paucis exhibet S. Hieronymus (43): *Hostiæ & immolatio victimarum non principaliter a Deo quæsitæ sunt, sed ne idolis fierent*. Repetit hoc in hunc Ezechielis locum. Consentit S. Augustinus Epist. 82. novæ edit. veteris Legis præcepta *non bona* non appellari, quod author illorum Deus sit, sed tantum *bona* absolute non appellari, *quia non eis homines justificantur; umbræ enim sunt, prænuntiantes gratiam qua justificamur*. S. Gregorius Magnus lib. 28. Moral. cap. 9. *Melioribus novi Testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur*. Hæ sunt, quæ inter cæteras afferuntur, præstantissimi hujus loci explicationes; ubi vides, plerosque verba hæc, *non bona*, pro imperfectis, atque Judæorum infirmitati accommodatis usurpavisse. Rogatus Solon, optimas ne leges Atheniensibus dedisset: *De iis quidem*, inquit, *de quibus ipsi admiserunt, optimas*; iis enim perfectiores illi non admisissent (44).

℣. 26. POLLUI EOS IN MUNERIBUS SUIS. Vel: Inquinatos pronunciavi, cum ex iis postularem, ut quicquid natu primum mihi dedicarent. Judæorum filios natu primos duplici de causa Deus sibi postulavit I. Quod cæsis omnibus Ægyptiorum filiis natu majoribus, Angelus interfector Judæis pepercerit, ipsorumque liberos non violarit (45) II. Quod cum Hebræorum filii natu majores privatum quodammodo ipsius, ceu Dei Regisque Israelitarum, patrimonium essent, ac proinde obsequium ceu supremo gentis domino deberent, ipsos Deus quodammodo excluserit, indignosque ministerio judicarit, electis horum loco Levitis (46), suique dominii jure in Levitas translato, ceu unicuique Israelitarum imperarit, ut quicquid natu primum illis foret, seu homo seu bestia, illud oblato pretio ex Levitis redimeret. Hæc vero labem aliquam tum in Israelitis, tum in filiis natu majoribus significabant. Redimi illos jubet, ob servatam ex Angeli interfectoris gladio illorum vitam, quod Ægyptiacæ superstitionis rei (47), non secus atque ipsi Ægyptii, atque idcirco morte pariter digni, haberentur. Ministerio excludit ac rejicit, electis eorum loco Levitis, quod indignos exhibendi in Tabernaculo Temploque ministerii judicaret. Porro utrinque *illos polluit*, vel inquinatos pro-

(36) Vide ℣℣. 7. 11. 12. 19. 20. (37) Pro hac sententia vide Kimchi, Pradum, Cornel. a Lapide, Vat. Monoch. Maldonat. Chaldæum, & S. Hieronymum hic. (38) Theodoret. hic . . . *[illegible]* Vide & serm. 7. de Curand. Græc. affect. pag. 584. (39) Chrysost. homil. 6. de stella quam viderant Magi; & in Psalm. XLIX. (40) Cyrill. Alexand. lib. 16. de Adoratione. (41) Cyrill. Alex. contra Julian. (42) Tertull. contra Marcion. lib. 2. cap. 18. (43) Hieronym. in Isai. cap. 1. Et in Ezech. XX. *Post idololatriam vero & blasphemiam, multiplices Legis cæremonias, ut Deo potius offerrent victimas [illegible] offerebant*. (44) Plutarch. in Solon. [illegible] (45) Exod. XII. & XIII. 2. (46) Num. III. 12. *Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito*, &c. Vide VIII. 18. & Deut. X. 8. (47) Supra ℣℣. 7. & 8.

pronunciat in ipsa filiorum oblatione. S. Hieronymus (48), aliique post ipsum Interpretes (49) animadvertunt, Scripturarum more aliquid fieri, quod tale esse censetur. Ita Sacerdos *leprosum contaminat* (50), quem contaminatum judicat.

Alii malunt (51): Illos inquinari passus sum impiis muneribus, quæ Diis offerunt, traductis per ignem, Numinum obsequio, majoribus natu, ut illos deinceps destruam, meque Dominum esse noverint (52). Cum Ethnici, ejus regionis incolæ, summis rerum angustiis premerentur, nihil Diis jucundius accidere posse rebantur, quam ubi filii, ac certe natu primi, ipsis mactarentur (53). Luculentum ejus rei exemplum sunt Moabitarum Rex (54), & Israelitæ, quos frequenter arguit Scriptura, quod natos natasque Dæmoniis immolarent (55). Huic explicationi omnino favet ℣. 31. hujus Capitis, atque hæc omnino verisimillima videtur.

Ita etiam intelligi potest ℣. 26. Illos ego animi sui libidinibus, legibusque, quas ipsi sponte sibi indixere, relinquam. ℣. 27. Suis ipsos in sordibus deslituros, majoresque natu, quos in sui expiationem offerunt, rejicio, sacra etiam & munera sperno, cum eo modo, quo ipse præcepi, non deferantur. Septuaginta (56): *Et polluam eos in dogmatibus eorum, cum transducerem omne adaperiens vulvam, ut delerem eos.* Alludere videtur ad Angeli interfectoris transitum, filios Ægyptiorum natu majores necantis. Legunt alii (57): *Polluam eos in muneribus suis*; quæ quidem lectio aptiorem sententiam reddit.

℣. 29. QUID EST EXCELSUM, AD QUOD INGREDIMINI? Quid in sublimibus bujusmodi locis animadvertitis? quæ vos causa eo trahit? *Excelsa*, Hebraice *bama*, nuncupavi loca, vestris sacrificiis inquinata. Neque satis sensere, appellationem, qua ea loca donavi, ludibrii esse & contemptus: superstite locorum appellatione, pervicacissimo adhuc animo illuc proficisci non desinunt.

℣. 31. ET EGO RESPONDEBO VOBIS, DOMUS ISRAEL? Populi Seniores alloquitur, qui inani curiositate, malisque animi propositis acti, consulturi accesserant.

℣. 32. ERIMUS SICUT GENTES. His verbis innuit, Judæos e captivitate, vel ex iis aliquos de paterna Religione deserenda cogitasse. Constantem illorum Religionem fidemque erga Dominum alibi commendavit (58): at cum Jerosolymitanis, multo quam ipsi deterioribus, comparabat.

℣. 33. IN FURORE EFFUSO REGNABO SUPER VOS, Vobis etiam invitis. Quamquam liberi abire, & jugum abjicere cupitis, tamen repugnantes coercebo. Æterno a me repudio rejici optatis, quemadmodum gentes, quas suis in sceleribus quietas destituo: Vos ego puniam, invitosque cohibebo.

℣. 35. ADDUCAM VOS IN DESERTUM POPULORUM. Vos e captivitate educam, atque in Judæam revocabo, quæ deinde Regio in solitudinem redigenda est (59), atque ab indigenis relinquenda. Ibi ego vobis diem dicam, vosque Regia potestate judicabo. Videbatur Deus per Babylonicæ captivitatis tempora populum penitus deseruisse, atque Israeliticas Regiones, omnino desertas, negligere. Hic tamen pollicetur, populum in desertas hasce plagas reversurum, ibique Deum, ut olim, regno potiturum.

℣. 37. INDUCAM VOS IN VINCULIS FOEDERIS. Pergit priorem sententiam exornare. Imperium in vos, etiam invitos, exercebo, cogamque collum præbere, ut jugum subeat, novique fœderis, quod vobiscum tunc feriam, vincula excipiat. Hæc, & quæ sequuntur, nonnisi de Jesu Christi fœdere, cum universis Gentibus in Ecclesiam ingressis inito, explicari nequeunt. Recitata mox verba, quibus vis quædam significari videtur a Deo adhibita, ut suo nos imperio subjici, suumque in fœdus ingredi cogat; figuræ sunt, quibus validissima, & suavissima gratiæ vis innuitur, quæ homines valide, libere atque efficienter trahit. Arma etiam significantur invicta, quibus omnes hostis arces dejiciuntur, evertuntur consilia, omniumque hominum animi ad Christi Jesu obsequium pertrahuntur (60). Iis denique promittuntur ea vitæ verba, quæ Christi ore effundebantur (61); quibus hostes ipsi, ubi audirent, repugnare non poterant, ac fateri cogebantur (62): *Numquam sic locutus est homo*, ac suavissima & salubris ea vis, quam a Ministris adhiberi nobis jubet, quippe quibus imperet (63): *Compelle intrare*.

℣. 38. ELIGAM DE VOBIS TRANSGRESSORES . . . DE TERRA INCOLATUS EORUM EDUCAM EOS, ET IN TERRAM ISRAEL NON INGREDIENTUR. His verbis forsasse innuitur Judæorum damnatio, qui Jesu Christi sacra amplecti renuerunt. Ii quippe suis e sedibus pulsi, nunquam in Israelitidem redierunt. Usurpari etiam potest de Israelitis Babylone & in Chaldæa captivis. In captivorum numero Justos ab impiis secernet Deus, atque alteros in patriam revocabit, alteros in varias terrarum plagas dissipabit. Denique verti Hebræus potest (64): *Secrevi ex vobis rebelles & prævaricantes in me; e terra habitationis suæ educam eos, & ad humum Israel non redibunt.*

℣. 39. SINGULI POST IDOLA VESTRA AMBULATE, ET SERVITE EIS. QUOD SI ET IN HOC NON AUDIERITIS ME, &c. Longam objurgationem minaci concessione, seu provocatione claudit Ezechiel. Post hæc, Deos colere, iisque thus cremare audete. Si surdas monitis meis aures præbere, meoque nomini injuriam irrogare, muneribus victimisque Numinum obsequio oblatis, adhuc placet: pergite jam; eos, quibus id placet, penitus desero ℣. 40. At minime facient, quin Israelem in Monte Sancto colligam, ibique illius victimas cultumque excipiam.

Aliter: Quamquam invitos obduratosque, vos ego congregabo. Pergite, nisi pudet, Deos venerari; supremis hisce, quas pronuncio, minis aures ne præbete; nominis mei sanctitatem execrandis victimis profanare: minime ego cessabo, vobisque quantumvis repugnantibus, in monte Sancto meo, vel in edito Israelis monte universam Israelis Domum colligam, &c. Denique ita intelligi potest: Cum certum constitutumque apud vos sit, ut me deseratis, omnino deserite: Numinum superstitionem procaciter amplectimini: nemo deinceps populum meum vos nuncupet, neque nominis mei sanctitatem superstitiosis impiisque muneribus violate. Omnino inter Ethnicos enopiamini, neque sub Israelitarum appellatione

(48) Hieronym. hic. (49) Vide Glass. Grammat. Sanct. hic, & alii passim. (50) Levit. XIII. 11. *Contaminabit eum Sacerdos, &c.* (51) ואטמא אותם במתנותם בהעביר כל פטר רחם למען אשמם (52) Ita Gror. Cornel. Prado, Men. Tir. Var. Et ex antiqu. Hieronym. & Theodoret. (53) Vide nos in Levit. XVIII. 21. & Dissertationem de Moloch. (54) 4. Reg. III. ult. (55) Psalm. CV. 35. 4. Reg. XXI. 6. (56) Καὶ μιανῶ αὐτοὺς ἐν τοῖς δόγμασιν αὐτῶν, ἐν τῷ διαπορεύεσθαί με πᾶν διανοῖγον μήτραν, ὅπως ἀφανίσω αὐτούς. (57) Theodoret. & quidam Codd. Μιανῶ αὐτοὺς ἐν δόμασι. Aquila. Ἐμίανα αὐτοὺς ἐν τοῖς δόμασι. (58) Ezech. XI. 15. 18. (59) Ezech. V. 14. *Dabo te in desertum & in opprobrium gentibus.* (60) 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* (61) Joan. VI. 69. *Verba vitæ æternæ habes.* Ibid. ℣. 64. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* (62) Joan. VII. 46. (63) Luc. XIV. 23. (64) וברותי מכם המורדים והפושעים בי מארץ מגוריהם אוציא אותם

ne quisquam vos noverit: Vobis carere molestum non erit: Israelem alterum in monte sancto meo, colligam (65).

Septuaginta (66): *Unusquisque adinventiones suas* (superstitiones) *auferte; & post hæc si vos exaudieritis me, & nomen sanctum meum non pollueritis ultra in muneribus vestris, & in studiis vestris.* [40] *Quia super montem sanctum meum, super montem excelsum, ibi servient mihi omnis domus Israel in finem.* Symmachus: *Unusquisque idolis suis eunter servite, quia noluistis audire me: nomen autem sanctum meum nolite ultra polluere per munera vestra atque simulacra.*

℣. 43. Displicebitis vobis in conspectu vestro. Hebræus (67): *Et pudebit vestrum* (fastidio, contempto, horrore vestrum tenebimini) *in faciebus vestris, ob omnes iniquitates vestras.* Septuaginta (68): *Et cædetis ora vestra in omnibus malitiis vestris.* Symmachus: *Et parvuli vobis videbimini, propter omnes malitias quas fecistis.* Ethnicorum imago ad Christi sacra conversorum, præteritа errata fatentium.

℣. 46. Pone faciem tuam contra viam austri, Vel: Firmo & constanti ore meridianam plagam intuere: in meridianas regiones vaticinare. *Africus* a meridie spirat. Hebræus (69): *Pone faciem tuam viam Theman* versus; *stilla super Darom: vaticinare contra saltum agri meridiani.* *Theman* est meridies vel dextera: porro frequenter animadvertimus, dexteram ab Hebræis pro meridie usurpari. *Darom*, seu *Darome* pars erat maxime meridiana judææ. Hujus passim meminere Eusebius & S. Hieronymus, De Locis Hebraicis. *Saltus agri meridiani* idem est ac ea quæ diximus. Una eademque sententia triplici circumlocutione hoc versiculo significatur. *Stillare* de vaticiniis dicitur, præsertim parum amicis (70).

Sunt qui hoc vaticinio adversus meridiem significari putent Ægyptum, Judææ meridianam; alii Babyloniam censent, Ezechieli meridionalem; vel denique Judæam (71), meridionalem Mesopotamiæ, ubi erat Ezechiel. Posterior hæc explicatio aptissima omnium videtur; Judæa enim passim cum saltu comparatur, ejusque excidium cum igne saltum vorante (72). Bellum etiam ignis nomine designatur. Nabuchodonosoris exercitus non diu post in Judæam invadens, absoluitissimam Ezechielis vaticinio fidem fecit. Nostræ huic sententiæ favet proximum deinde Caput, quod hujus Capitis pars esse videtur.

℣. 47. Comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem. A meridiana Judææ plaga usque ad Septemtrionem ora hominum occurrent adusta, atentia; horrida fame, dolore, metu, desperatione. Paria his verba usurpat Isaias, belli horrorem describens (73): *Facies combustæ vultus eorum.* Et Jeremias (74): *Denigrata est super carbones facies eorum.* Et alibi (75): *Pellis nostra, quasi clibanus, exusta est.* Joel (76): *Omnes vultus redigentur in ollam*, atri erunt ut olla.

Hebræus legit (77): *Flamma flammæ* (vel flamma continua, incendium undique excitabitur); *& comburentur in ea omnes facies*, plagæ. Saltum universum bellicus ignis absumet: ne uni quidem arbori parcet; nulla non urbs vorabitur. Universam regionem, ab Idumæa usque ad Libanum, ne Phœnicibus quidem exceptis, terribile istud incendium undique aastabit. Theodoretus (78) universam hic regionem intelligit, a Mesopotamia & Euphrate ad Ægyptum usque: cui prosecto explicationi non parum favet Historia.

℣. 49. Numquid non per parabolas loquitur iste? Nunquam ne absque ambagibus? Satis luculenta erant vaticinia, si animum illi adverterent, eaque compararent cum iis quæ de Jerosolymæ excidio prædixerat Ezechiel: at commodæ utilesque illis erant ambages, ne vitæ institutum corrigere cogerentur. Ita Judæi, cum iis quæ a Christo dicebantur, animi aciem perstringi sentirent, prodigiorum gloria tertiti, vocibus importunis ac nequitiæ plenis rogabant Joan. x. 24. *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam*; quasi ipsa per se & dicta & facta satis non loquerentur.

(65) Vide S. Hieronymum hic. (66) Ἕκαστος τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ ἐξάρατε, καὶ μετὰ ταῦτα εἰ ὑμεῖς εἰσακούετέ μου, καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ ἅγιον οὐ βεβηλώσετε ἔτι ἐν τοῖς δώροις ὑμῶν, &c. (67) ונקטתם בפניכם בכל רעותיכם (68) Καὶ κόψεσθε τὰ πρόσωπα ὑμῶν ἐν πάσαις ταῖς κακίαις ὑμῶν. (69) שים פניך דרך תימנה והטף אל דרום והנבא אל יער השדה נגב Septuag. Στήρισον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ Θαιμὰν, καὶ ἐπίβλεψον ἐπὶ Δαρὼμ [alii Δαρόμ,] καὶ προφήτευσον ἐπὶ δρυμὸν ἡγούμενον Ναγέβ. (70) Vide Ezech. xxi. 2. Amos vii. 16. Mich. ii. 6. (71) Ita Hieronym. Theodoret. Sanct. Cornel. Jun. Grot. Pisc. alii. (72) Vide Isai. ix. 18. Jerem. xxi. 14. Ezech. xxii. 24. (73) Isai. xiii. 8. (74) Jerem. Thren. iv. 8. (75) Idem ibid. v. 10. (76) Joel. ii. 6. (77) להבת שלהבת ונצרבו בה כל פנים מנגב צפונה (78) Theodoret. hic, & cap. sequ. ad ℣. 4.

C A P U T XXI.

Minæ in Jerosolymam. Dei gladius, justum & impium necans. Vaticinia in Ammonitas, ac denique in Chaldæos.

℣. 1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, & stilla ad sanctuaria, & propheta contra humum Israel: 3. Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te justum, & impium. 4. Pro eo autem quod occidi in te justum, & impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro, usque ad Aquilonem: 5. Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. 6. Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis. 7. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu, quia venit, & tabescet omne cor, & dissolventur universæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, & fiet, ait Dominus Deus. 8. Et factus est sermo Domini

mini ad me, dicens: 9. Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius, gladius, exacutus est, & limatus. 10. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. 11. Et dedi eum ad lævigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, & iste limatus est, ut sit in manu interficientis. 12. Clama, & ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur. 13. Quia probatus est: & hoc, cum sceptrum subverterit, & non erit, dicit Dominus Deus. 14. Tu ergo, fili hominis, propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, 15. Et corde tabescere: & multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem. 16. Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. 17. Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum. 18. Et factus est sermo Domini ad me dicens: 19. Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ: & manu capiet conjecturam, in capite viæ civitatis conjiciet. 20. Viam pones, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Judam in Jerusalem munitissimam. 21. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit. 22. Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. 23. Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, & sabbathorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. 24. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, & revelastis prævaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini. 25. Tu autem profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita: 26. Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit? 27. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam, & hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, & tradam ei. 28. Et tu, fili hominis, propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum, dices: Mucro, mucro, evagina te ad occidendum; lima te, ut interficias, & fulgeas. 29. Cum tibi viderentur vana, & divinarentur mendacia: ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 30. Revertere ad vaginam tuam, in loco, in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te. 31. Et effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, daboque te in manus hominum insipientium, & fabricantium interitum. 32. Ignis eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.

℣. 2. PONE FACIEM TUAM AD JERUSALEM, ET STILLA AD SANCTUARIA. Queruntur Israelitæ, te nonnisi per figuras & parabolas loqui. Aperte igitur de Jerosolymæ excidio (1), de *Sanctuariis* mox evertendis, de Templo, de Sacrificiis sacrisque ritibus mox abolendis vaticinare.

℣. 3. ECCE EGO AD TE. Jerosolymam, & regionem Juda, ore ad illas verso, quasi præsentes, alloquitur.

OCCIDAM IN TE JUSTUM ET IMPIUM. Quid istud sibi vult? Nonne iniquum est, si eodem supplicio Deus innoxium & reum obvolvat? Certe supra mox vidimus, justos homines, qui Jerosolymis erant, & gentis flagitia lacrymis prosequebantur, inscripta fronti nota fuisse distinctos (2), ne commune impiorum exitium subirent; ac luculentissime testatus est, unumquemque sceleris sui pœnas daturum (3): *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Respondeo, 1. Justos interdum appellari, qui pietatem specie famaque præseferunt, non re; quemadmodum Legis Doctores in Evangelio *Sapientes* appellantur, quamvis omnino sapientia caruerint (4), II. In prava pessimaque gente *justi* dicuntur ii, qui minoribus flagitiis inquinantur (5), quemadmodum Sodoma & Chaldæi, cum Judæis comparati, justi nuncupantur. Vide Ezechielem XVI. 51. XXIII. 45. III. Justi, quorum fronti inscripta est nota, in captivitatem acti sunt, & Chaldæorum gladiis subducti, vel ante obsidionem vita excessere, vel denique fuga sibi consuluerunt (6). Id tamen minime prohibet, quin magno numero alii, minus justi, ac minoris habiti, communibus Jerosolymæ malis opprimerentur; vel denique, id quod maxime probabile ac verissimum videtur, justi nota inscripti, iis malis, quæ vere mala sunt, æternisque suppliciis exempti fuere (7), quorum malorum imago erant temporales Jerosolymæ ærumnæ & cala-

(1) Hieron. Theodoret. Grot. Jun. Sanct. alii. (2) Ezech. IX. 4. 6. (3) Ezech. XVIII. 4. . . . 9.
(4) Salmeron. Proleg. 12. quinquag. 1. c. 19. Prado. (5) Menoch. Jun. (6) Chald. Grot. Sanct. (7) Estius.

calamitates. Sive: Electos secrevit Deus, atque ex morte servavit, ignota plane cæteris ratione, cum illos communibus gentis suæ malis obvolvi pateretur (8). iv. Nondum accesserat tempus, quo illud implendum esset, quod promiserat Deus, futurum scilicet, ut in Israele in posterum non diceretur: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*; & unusquisque sui ipsius peccati pœnas *ferat*: illud scilicet nonnisi post revocatam captivitatem explendum erat, & eo quidem modo, quo diximus supra, Capite xviii.

℣. 4. AB AUSTRO USQUE AD AQUILONEM; ab ceteris Israelis finibus ad ceteros (9); vel ex Theodoreto, a Chaldæa usque ad Ægyptum sive Judæam (10). Profecto Nabuchodonosoris furor in omnes eas gentes sæviit, at non statim; de quibus peculiare vaticinium Ezechiel dedit (11); quamobrem hoc vaticinio eas minime spectari existimamus.

℣. 5. EDUXI GLADIUM MEUM DE VAGINA SUA IRREVOCABILEM. Quamquam infra legimus, ℣. 30. *Revertere*, mucro, *ad vaginam tuam, in loco, in quo creatus es*. Certo etiam constat, Nabuchodonosorem, expugnatis omnibus ab Euphrate ad Nilum usque populis, in Chaldæam secessisse, positaque belli cupidine, vitam deinde tranquillam exegisse. Ita dici potest, Dei mucronem, qui a Nabuchodonosore agebatur, iterum vagina condendum non fuisse, nisi expletis iis, quæ per ipsum agere decreverat Deus. Vel redde (12): *Eduxi gladium meum de vagina sua: non revertetur ultra*. Jam non meras minas loquor: gladium exerem, non ut inani metu terream, sed omnino feriem, neque ictus in irritum ferentur. Jonathæ sagittas nunquam retrocessisse, & Saulis gladium nunquam inanem, & re infecta rediisse, testatur Scriptura 2. Reg. 1. 22. Et Jeremias de Cyro agens, cit. c. L. 9. *Sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua*. Ita Dei gladius re infecta non revertetur.

℣. 6. INGEMISCE IN CONTRITIONE LUMBORUM (13); adeo ut lumbos singultibus rumpas, veluti qui pleuritide vel renibus laborant. Sive: Ingemisce ceu parturiens. Id torminum genus Prophetæ passim renum dolore significant (14): *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis*. Jeremias (15): *Interrogate si generat* (parturit) *masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis*? Septuaginta (16) huic explicationi favent.

℣. 7. TABESCAT OMNE COR. Hebræus (17): *Liquefiet omne cor*. Similes in Scriptura locutiones passim leguntur. Josue (18): *Pertimuit omne cor, & instar aquæ liquefactum est*, Septuaginta (19): *Quassabitur omne cor*.

PER CUNCTA GENUA FLUENT AQUÆ. Vide supra, vii. 17.

℣. 10. QUI MOVES SCEPTRUM FILII MEI, SUCCIDISTI OMNE LIGNUM. Nabuchodonosoris mucro, qui filii mei, Regis Juda, sceptrum dejicies, qui omnem arborem radicitus cædes. Vitium Hebræo subesse videtur. Certe aliter, quam nos, legerunt Septuaginta, cæterique Græci Interpretes, & Vulgata; neque S. Hieronymus ac Theodoretus insigne ullum discrimen inter Septuaginta cæterosque Græcos Interpretes animadverterunt; omnino animadversuri, si ea, quæ nostra ætate sunt, turbæ Hebræum Textum corrupissent: is vero ad verbum ita se habet (20): *Ubi gaudebimus virga filii mei?* (mucro) *Spernet omnem arborem?* Septuaginta (21): *Mucro parate ad dissolutionem, interfice, contemne, repelle omne lignum*, quodlibet arborum genus. Syrus: *Compara te ad exagitandam stirpem filii mei, & sperne, dejice, omne lignum*. Tot inter ambages cæterorum Interpretum, qui melius aut luculentius ferre nihil possunt, Vulgatam aut Septuaginta Interpretes tene.

℣. 11. DEDI EUM AD LÆVIGANDUM, UT TENEATUR MANU. Deus ipse gladium Nabuchodonosori porrigit, eumque in populi perniciem armat. At nemo eorum, quibus utitur Deus, ut hominum flagitia puniat, in superbiam efferatur; divini enim odii ac furoris munus, ipsi Deo invisum, gerunt. Hebræus (22): *Dedit eum ad tergendum*, vel ad acuendum, *ut teneatur manu*. Ensem acui jussit Deus, ut præsto ad opus esset. Milites suos bellicam artem variis expeditionibus docuit Nabuchodonosor, antequam in Jerosolymam duceret. Septuaginta: *Dedit eum* (gladium) *paratum, ut teneatur manus ipsius*, seu capulus.

℣. 12. IN CUNCTIS DUCIBUS ISRAEL QUI FUGERANT; qui ab ense sese elapsuros fuga existimabant. Sedeciam sociosque, noctu fuga elapsos, innuere videtur. Legunt alii: Paratus est gladius *adversus populum meum, contra Regem & Principes Israel. Qui fugerant, gladio traditi sunt cum populo meo*. Septuaginta (23): *Hic gladius in cunctis ducibus Israel: familiares mei gladio dati sunt cum populo meo*: Sacerdotes mei, Principes, populus, præda Nabuchodonosoris fuere. Hebræus ex Massoretarum legibus (24): *Iste* gladius *in cunctis principibus Israel. Timores gladii hujus erunt populo meo*. Vel: Israelis Principes *gladio traditi sunt cum populo meo*. Chaldæus: *Occidentes gladio, congregati sunt, & venerunt contra populum meum*.

IDCIRCO PLAUDE SUPER FEMUR TUUM. Mirantis gestus plerumque; at hic dolentis. Gestum hunc animadverterunt Jeremias (25), Homerus (26), cæterique ex Græcis & Latinis Scriptores (27), in iis qui improviso dolore, aut admiratione corripiuntur. Communis etiam omnibus ubique gentibus fuit; ipsa enim natura homines docet, manus super femora demittere, ubi mœrore aut dolore occupantur. Septuaginta (28): *Idcirco plaude super manum tuam*. Solent interdum homines in rebus adversis, manibus invicem allisis, plaudere. Vide infra, ℣℣. 14. 17.

℣. 13. QUIA PROBATUS EST: ET HOC, CUM SCEPTRUM SUBVERTERIT. Hebræus (29): *Quia probatio hæc est. Et quid si* (ensis) *sceptrum spernat, non erit*. Quid hæc verba sibi velint, non video;

neque

(8) Cornel. a Lapide, Menoch. (9) Sanct. Juni Menoch. Cornel. (10) Heb. Vat. plures apud Sanct. Vide cap. præcedenti ℣. 47. (11) Vide infra ℣. 28. (12) הוצאתי חרבי מתערה לא תשוב עוד (13) האנח בשברון מתנים (14) Isai xxi. 3. (15) Jerem. xxx. 6. Vide Sanct. hic, Cornel. Tir. (16) Κατάστεναξον ἐν συντριβῇ ὀσφύος σου, καὶ ἐν ὀδύναις στενάξεις. (17) נמס כל לב (18) Josue vii. Vide & Deut. i. 28. xx. 8. Josue ii. 11. v. 1. xiv. 8. 2. Reg. xvii. 10. Isai. xiii. 7. Nahum ii. 11. (19) Θραυσθήσεται πᾶσα καρδία. (20) או נשיש שבט בני מאסת כל עץ (21) Ἕτοιμος εἰς παράλυσιν σφάζε, ἐξουδένει, ἀπωθοῦ πᾶν ξύλον. Putat Grotius, 70. Interpretes in Hebræo legisse אל כשיל, זבח בזו מאסת כל עץ (22) ויתן אותה למרטה לתפש בכף Septuag. Καὶ ἔδωκεν αὐτὴν ἑτοίμην τοῦ κρατεῖν χεῖρα αὐτοῦ. (23) Αὕτη [ἡ ῥομφαία] ἐν πᾶσι τοῖς ἀφηγουμένοις τοῦ Ἰσραὴλ, οἱ παροικοῦντές μοι ἐπὶ ῥομφαίαν ἐγένοντο σὺν τῷ λαῷ. (24) היא בכל נשיאי ישראל מגורי אל חרב היו את עמי (25) Jerem. xxxi. 19. Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur. (26) Homer. Iliad. O: Αὐτὰρ Ἄρης θαλερὼ πεπλήγετο μηρὼ χερσὶ καταπρηνέσσ'. Ita Odyss. N, v. 198. (27) Xenophon lib. 7. Cyropæd. Plaut. in Truculento: Traxit ex intimo ventre suspirium, dentibus fremuit, icit femur. Vide Hieron. & Sanct. (28) Septuag. Διὰ τοῦτο κρότησον ἐπὶ τὴν χεῖρά σου. (29) כי בחן ומה אם גם שבט מאסה לא יהיה Septuag. Ὅτι δεδικαίωται, καὶ τί εἰ καὶ φυλὴ ἀπωσθῇ, οὐκ ἔσται, λέγει Ἀδωναῒ Κύριος.

neque satis placent, quæ ab Interpretibus vulgo afferuntur. Accipe quæ maxime omnium probabilia, & cum reliqua orationis serie maxime nexa nobis videntur: His, inquies, periculum nostri facis. Quid vero dices, ubi ensis ita sceptrum comminuat, ut prorsus esse desinat? An minas tantummodo, aliudve quid periculi faciendi causa id esse censebis? Cum Sedeciam ejusque liberos neci datos aspexeris, quid tum existimabis? Fidem ne habiturus es?

℣. 14. PERCUTE MANU AD MANUM ET DUPLICETUR GLADIUS. Manuum plausus plerumque gaudium significat (30); at hic potius indignationem vel dolorem; quemadmodum infra, ℣. 17. & capite VI. 11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel.* Gladius vim duplicans, triplicansque, qui veluti bini vel terni venit, seu denique bis & ter feriens, ipse idem Nabuchodonosor est, bis vel ter Judæam aggressus; primum armis in Joakimum motis, deinde in Jechoniam, postremo in Sedeciam (31). Alii (32), cum futura ab Ezechiele prædici videant, & bella in Joakimum & Jechoniam diu antea jam elapsa fuisse, triplicem hunc gladium de iis quæ sub Sedecia contigere, interpretantur. Cum Nabuchodonosor nono Sedeciæ anno Jerosolymam obsidione cinxisset, arma reducere coactus est, ut Ægyptiis occurreret. Ad urbem reversus, illam undecimo Sedeciæ anno expugnavit. Missus deinde est Nabuzardan, ut urbem Templumque cremaret. At neglectis iis, quæ finguntur, de trium numero mysteriis, bellum maxime cruentum sævissimumque eo significari existimamus. Solet Scriptura ter eamdem rem iterare, cum illius magnitudinem commendat. Ita: *Heu, heu, heu* (33). Et Ezech. 21. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*; Et Jerem. 7. 14. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est.* Et apud Esther (34), ut ingens provinciarum numerus innuatur: *Provincia, Provincia, Provincia.*

℣. 15. AMICTI AD CÆDEM (35), acuti ad cædem. Adhuc in vagina est, sed acutus, sed necare paratus. Vetus ensis non est, retusa cædibus acie. Recens est, nondum vagina eductus. Septuaginta (36): *Ut fulgur transi*: ita celeriter, valideque ferito, ut fulgur solet.

℣. 16. AD DEXTRAM SIVE AD SINISTRAM; undique, in omnes regionis plagas, ad meridiem & septentrionem. Vide supra, XX. 47. XX. 4.

℣. 19. PONE TIBI DUAS VIAS. Duo humi itinera describito; vel, viam Babylone egredientem, & aliquo inde intervallo in duas divisam pinge; alteram, quæ Jerosolymam versus ducat ad dexteram; alteram quæ ad lævam, Rabbath versus, Ammonitarum Metropolim. Nabuchodonosorem vero in bivii capite exhibeto. Quorsum vero ad Urbem Rabbath, Ammoniticarum Principem, is proficiscitur? Idcirco nimirum, quod Ammonitæ, Idumæi, & Moabitæ fœdus cum Sedecia adversus Nabuchodonosorem junxerint, teste Jeremia 27. 2. At deinde fracto fœdere in Judæos arma verterunt. Jerem. 12. 6.

MANU CAPIET CONJECTURAM, IN CAPITE VIÆ CIVITAS CONJICIET. Nabuchodonosor in capite bivii constitutus, conjecturam manu capiet, utram ad urbem proficiscatur. Vel, manu pro spatio usurpata: Ibi positus deliberabit, utrum iter capiat, ad alterutram urbem profecturus. Hebræus ad verbum (37): *Spatium elige in capite viæ; civitatem elige*, vel: *Crea, finge, urbem in capite viæ, describe spatium*, quod hanc Urbem significet. Babylonem pinge seu locum, ex quo Nabuchodonosor egreditur, illumque in capite bivii exhibeto. Aliter habent Septuaginta (38): *De regione una egredientur ambæ viæ: Præpara manum simulantem; super principium viæ uniuscujusque civitatis simulantem manum constitues.*

℣. 21. STETIT REX BABYLONIS, DIVINATIONEM QUÆRENS, COMMISCENS SAGITTAS. Fortasse eodem tempore Ammonitæ & Judæi in Chaldæos conjuraverant. Babylone discedens Nabuchodonosor, adhuc dubitabat, utros prius aggrederetur; quamobrem genere divinationis quodam, apud Chaldæos vetustissimo, usus est. Pharetræ alicujus spiculis inscribebantur nomina locorum, quo proficiscendum erat, seu voces quædam, quibus res animo propositæ significarentur; tum una ex iis educta, quicquid illa portenderet, pro certissimo Divinæ voluntatis indicio, ac felici rei bene gerendæ omine habebatur. Inscriptis e. g. duobus sagittis, altera *Jerosolymæ*, altera nomine *Rabbath*, prior educta est quæ Jerosolymam præferebat; statimque Nabuchodonosor ejusque exercitus iter Jerosolymam versus aggressi sunt (39).

Varia consulendi Deos per virgas ratio apud Veteres erat. Priscis Germanis maxime simplex (40); virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant: mox, si publice consuleretur, Sacerdos civitatis; sin privatim, ipse pater familiæ precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollebat, sublatos secundum impressam ante notam interpretabat. Sua etiam Scythis erat per surculos divinatio. Augures prolatos salicum fasciculos, coram exsolvebant, distributis humi surculis ordine, quædam interim vaticinia recitantes; tum surculos ordine contrario sublatos collectosque, iterum in fasciculos colligebant, pronunciatis ad singulos vaticiniis (41). Sortiebantur etiam per myrtum & myricam, teste Scholiaste Nicandri (42); & tiliæ surculis, in quatuor partes sectis, authore Herodoto (43). Alani, genus e Scythis trahentes, uti narrat Ammianus lib. 31. *futura miro præsagiunt modo; nam rectiores virgas fœminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, aperte quid portendatur, norunt.*

Nostra adhuc ætate (44) Arabes ante Mahometum putabant se intelligere, quid Hobal Deus velit, trium virgarum ope, sacco inclusarum; quarum uni inscripsere: *Impera Domine*; alteri: *Prohibe, Domine*; tertiæ vero nihil. Tum vero singulæ e sacco educuntur: si prior exierit ea quæ nulla voce inscribitur, iterum sortitio incipitur; si altera, epigraphen gerens; *Prohibe, Domine*; res per sortes quæsita relinquitur.

Innumeri augures apud Turcas occurrunt (45), in triviis humi sedentes, tapete substrato, magno librorum numero circa dispositorum. Quatuor hi sagittas, mucrone invicem obverso, statuunt, easque a duobus viris teneri jubent; tum nudo ense super

(30) Vide infra xxv. 6. & 4. Reg. xi. 12. Psal. xlvi. 1. & alibi. (31) Hieron. Hugo, Dionys. Maldon. (32) Lyran. Vatab. Jun. Sanct. (33) Jerem. 1. 6. xiv. 13. Ezech. iv. 14. & xx. 49. & Joel 1. 15. (34) Esth. viii. ℣. 9. in Hebr. (35) מעטה לטבח (36) Ὡς ἀστραπὴ [illegible]. (37) ויד ברא בראש דרך עיר ברא (38) Ἐκ χώρας μιᾶς ἐξελεύσονται αἱ δύο ἀρχαί. [illegible] χεῖρα [illegible], ἐπ᾽ ἀρχῆς ὁδοῦ ἑκάστης πόλεως [illegible] διατάξεις. Alii aliter. Vide Polyglot. (39) Vide Hieronym. hic: *Ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius civitatem debeat oppugnare.* Ita Theodoret. Grot. Menoch. Tir. alii passim. (40) Tacit. de moribus Germanorum. (41) Herodot. lib. 4. c. 67. (42) Μάγοι δὲ Σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. Καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται. (43) Herodot. loco citato. (44) D'Herbelot Biblioth. Orient. verbo Aidad. (45) Vide Thevenot, Voyage du Levant, Chap. 26.

super pulvillum coram illis posito, ipsi quoddam Alcorani Caput perlegunt. Ita si quis quærat, utris futura sit proximi belli victoria, Turcis ne an Christianis, binas ex iis sagittas nomine Christianorum, binas alteras nomine Turcarum donant. Legente Alcoranum Augure, sagittæ, immota tenentium manu, moventur, quasi sensu præditæ sint, & manus conserant, quarum quæ alteras superant, superque scandunt, victrices dicuntur, ac victoriam iis, quorum nomina gerunt, seu Turcis seu Christianis, certo portendunt. Ajunt porro, eas sagittas nunquam non moveri, dum perlegitur Alcoranus. Narrat Gonzales de Mendoza, vulgare sortium genus apud Sinas fieri per ligni segmenta, variis modis distributa. *Hist. Sin. lib. 2. cap. 4.*

Magi apud Persas sacrum ignem excitant, quem loco Numinis venerantur, virgarum fascem manu tenentes, quem igni promittere videantur (46); peractoque sacrificio, super victimæ carnes vota faciunt, virgas e myrica manibus gerentes, inquit Strabo lib. 15. Denique hæc per virgas divinatio communis apud Medos erat, ex Dione; & apud Israelitas, testibus Osee, IV. 12. & Maimonide tractatu de Idololatria, capite VI. ubi narrat, consulentem sortes suffimenta quædam offerre, Myrteam virgam manu tenere, & voces quasdam pronunciare; tum caput humum versus demittere, quasi aliquem sub terra positum consolat, cujus responsa mente solummodo intelligere queat, verbis aure non perceptis. Hic divinationis modus apud Judæos, adhuc fortasse Maimonidis ætate usitatus. De divinatione per virgas vide Bayle in Lexico V. Abaris.

His tamen, quæ diximus, minime moventur nonnulli, ut divinationem per virgas hic videant, cujus exempla tam multa recitavimus. Chaldæus, Syrus, Arabs ajunt, vibrata in ventum sagitta, augurium cepisse Nabuchodonosorem (47). Alii reddunt Hebræum: *Expolivit sagittas* (48), spicula, tela; vel tersit arma, quo nitidius splenderent. Septuaginta (49): *Ut virgas magno numero educeret.*

INTERROGAVIT IDOLA, EXTA CONSULUIT. Hebræus (50): *Interrogavit in Theraphim, respexit in jecur. Theraphim* quodlibet Numinum genus communiter sunt, quemadmodum alibi animadvertimus (51). Mos futura prædicendi ex motu extorum victimæ statim mactatæ, vulgatis adeo apud Veteres est, ut superfluum omnino sit de eo disputare. Censent Grotius, superstitionem hanc a Chaldæis ad Lydos, a Lydis ad Hetruscos, ab Hetruscis ad reliquos Italiæ populos venisse. Teste Cicerone (52), *prius inspiciebant exta, tantum ad salubritatis & pestilentiæ signa percipienda.*

℣. 22. AD DEXTERAM EJUS FACTA EST DIVINATIO SUPER JERUSALEM. Qui e regionibus trans Euphratem sitis in Syriam ac Phœniciam proficiscebantur, iter Damasco plerumque habebant; trajectoque ad Thapsacum Euphrate, in Palæstinam veniebant per Libani planitiem, sub montibus Hermon, & Jordanem supra Lacum Semechonem trajiciebant. Babylone per Arabiam desertam recto itinere proficisci, ob regionis sterilitatem, non audebant. Si Thapsaco Damascum versus geminas fuisse vias putes, quarum altera Rabbath, altera Jerosolymam duceret, statim intelliges, Jerosolymitanum iter in dextera jacuisse, alterum in læva. At si per Arabiam desertam Babylone profectos esse existimes, Rabbath-Ammon ad dexteram, Jerosolyma ad lævam erat. Cæterum *Rabbath-Ammon* eadem est Philadelphia.

Felix rei exitus, quem superstitioni a Nabuchodonosore adhibitæ dedit Deus, nihil negotii facessit, artemve hanc perniciosissimam confirmat. *Iratus Deus dat amanti quod male amat* (53). Potuit etiam Deus permittere, exemplo tamen neutiquam consequente, ut verum portenderent sortes, quæ suis in Jerosolymam consiliis servirent; quemadmodum interdum patitur, ut rabiem sævitiamque Diabolus in charos sibi homines exerceat, & impii bonos exagitent probentque. Potest denique Diabolus ex iis quæ inter causas secundas videt, futurorum capere conjecturas. Norat ille Judæorum flagitia; neque ignorabat frequentissima Prophetarum vaticinia, quæ Jerosolymæ excidium multis ab hinc annis prædicere, ac veluti digito innuere, non cessabant (54). Collectis a Nabuchodonosore copiis, ut bellum Judæis inferretur, illum Diabolus urget atque iter maturare jubet, ne eo morante, populus resipiscat; felicemque rei exitum illi pollicetur. Quid vero prodigii ea in re esse videtur? Quilibet mediocris ingenii homo paria hisce prædiceret.

UT PONAT ARIETES, UT APERIAT OS IN CÆDE, nihil nisi cædem loquatur. Hebræum (55) reddunt Recentiores (56): *Ut ponat Duces* (arietes), *ut aperiat os* (vel aciem gladii) *in cædem*. Chaldæus: *Ad constituendum duces, ad aperiendam portas, ut ingrederentur per eas occisores.* Malo tamen ita interpretari: *Posuit arietes* (bellicas machinas), *ut mœnia machinis quatiat, ut locum militibus faciat occidendi* quicquid obvium in urbe fuerit. Eamdem sententiam repetit infra: *Ut ponat arietes contra portas*, easque diruat ac evertat. Vide nos in Dissertatione de Re Militari Hebræorum.

UT ELEVAT VOCEM IN ULULATU; militum clamores ac fremitum excitet; garritum edat militarem. Hebræus (57): *Ut elevet vocem in buccinarum clangore.*

UT ÆDIFICAT MUNITIONES (58). Hæc verba intelligenda esse censemus de vallo & aggeribus, quibus olim urbes cingebantur, ne cui aditus aut egressus pateret. Vide supra IV. 2.

℣. 23. ERIT QUASI CONSULENS FRUSTRA ORACULUM IN OCULIS EORUM. Credulam Nabuchodonosoris insaniam, ariolos consulentis, deridebunt. Illius molimina temeritatis arguent, & risu digna censebunt, quorum exitus cæca sorte, & superstitiosa divinatione ducatur; cum minime animadvertat Nabuchodonosor, sortes a Deo regi, ipsumque ab eo impelli, ut adversus Jerosolymam proficiscatur.

ET SABBATHORUM OTIUM IMITANS. Quicquid illa molitur, meram esse temporis jacturam, illique utiliorem fore quietem; vel, illius molimina æque inutilia esse atque ea quæ agi Sabbatho licet, animi causa. Denique Nabuchodonosoris conatus mera esse putabunt mentis insanæ ludibria, merumque otium.

Hebræus (59): Sunt *eis jurantes juramenta*, pseudo-prophetæ, certo asserentes, Nabuchodonosorem arma in Jerosolymam omnino non illaturum. Vel, *juramenta* sunt *eis*, fœdera. Mutuum cum Ægyptiis fœdus iniere. Septuaginta (60): Quasi *numerans hebdomadas eis* erit, superstitiose numerans dies, vel sortiens qua die aggredi rem opus

(46) Phœnix Colophon. apud Athenæum lib. XII.
Οὐ τὸ μάγοισι πῦρ ἱερὸν ἀνέγειρε.
Ὥσπερ νόμος, ῥάβδοισι τοῦ Θεοῦ ψαύων.
(47) Vide Vat. & Kimchi in Boch. de animal. sacr. parte 2. lib. 6. c. 16. (48) קלקל בחצים Munst. Vat. Tigur. (49) Τοῦ ἀναβρῆσαι ῥάβδον. (50) שאל בתרפים ראה בכבד (51) Genes. XXXI. 19.
(52) Cicero lib. 1. de Divinat. (53) August. in Psalm. XXVI. (54) Theodoret. hic.
(55) לשום כרים לפתח פה ברצח (56) Pagn. Jun. Tremel. Grot. (57) להרים קול בתרועה Septuag. Τοῦ ὑψῶσαι φωνὴν μετὰ κραυγῆς σάλπιγγος. (58) לבנות דיק Septuag. Οἰκοδομῆσαι βελοστάσεις.
(59) שבעי שבעות להם (60) Ἑβδομάζων τὰς ἑβδομάδας αὐτοῖς.

opus sit, quemadmodum Aman diem Judæorum cædi destinatam sorte didicit (61). Chaldæus & Hebræi Interpretes: *Et ipsi nesciebant, quod quadraginta & novem* (septies septem) *vicibus consuluisset*, vel fortius esset.

Ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. Nabuchodonosor, perfidiæ ac perjurii memor, quibus Sedecias a se desciscere non dubitavit, arma ad Jerosolymæ expugnationem movebit. Vide supra (62) quantopere Deus Sedeciæ perfidiam execraretur.

℣. 24. Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ. Hebræus (63), & quæ sequuntur, ita hunc locum intelligi jubent: Cum iniquitatis vestræ memoriam revocaveritis, vestræque conjurationis probrum publice exhibueritis, in hostis potestatem trademini.

℣. 25. Profane, impie dux Israel. Sedeciam alloquitur, *profanum*, ob violatam Divini nominis sanctitatem, fracta Sacramenti fide; *impium*, quod majorum flagitia & impietatem imitatus fuarit & superaverit (64). Reddi etiam potest (65): *Et tu, interficiende* (morte damnate), *impie Dux Israel* (66). Quæ sequuntur, huic interpretationi multum favent: *Cujus venit dies, in tempore iniquitatis præfinita*, cujus iniquitas ad fastigium pervenit.

℣. 26. Aufer cidarim, tolle coronam. Vel (67): *Tolle diadema, aufer coronam*. Interpretibus quibusdam placet, (68) priore hujus loci vocabulo significari Sacerdotalis dignitatis insigne; altero Regiæ; atque hoc velle Prophetam, tum Sacerdotium, tum Regnum in Israele cessatura. At alii satis probabiliter certant, his unum Sedeciam spectari. Jubet illum Dei nomine Ezechiel diadema ponere, eoque indicio monet, ipsum quantocius Regiis insignibus cariturum. Imperativus modus plerumque apud Prophetas pro futuro usurpatur. Septuaginta apud S. Hieronymum (69): *Abstulisti cidarim*, & *imposuisti coronam*. Symmachus: *Abstulit cidarim*, & *imposuit coronam*. Theodoretus vero, & vetus Complutensis editio (70) cum Vulgata consentiunt: *Aufer cidarim, & tolle coronam*.

Nonne hæc est quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? Hæc ipsa corona te ex humili conditione ad Regiam evexit; eadem te ex solio dejiciet, cum abusus fueris authoritate. Chaldæus: *Godolias, filius Abicam, cujus non erat corona, tollet eam, & auferetur a Sedecia, cujus erat* corona. Varias explicationes patitur hic Hebræus (71): *Hæc corona non erit, hæc non erit* (vel non erit eadem, sive ipsius non erit. *Ut humilem* depressum *extollat, & potentem dejiciat*. Corona hæc, qua abusus est Sedecias, temere eos deprimens, quos erigi oportebat, & eos erigens, quos decebat deprimi; hæc inquam, illi, penitus auferetur, nunquam restituenda: *Hæc non erit hæc*, nullus in posterum e genere Davidico Rex sceptrum feret, usque ad Christum, qui vere & Rex & Davide satus erat, cujus tamen corona, solium, Regnum similia Sedeciæ Imperio non erunt (72). Vide Sanctium hic, ubi is fuse docet, a Sedecia usque ad Christum neminem e Davidico genere in Israele imperasse, quippe cujus corona uni illi debebatur, de quo dicitur ℣. 27. *Donec veniret, cujus est judicium, & tradam ei* (73). Nullos profecto Judæorum Reges novimus a Sedecia usque ad Christum, præter Asmonæos Principes, & Herodem magnum, qui certe neque ex Tribu Juda, neque ex Davide genus ducebant, Asmonæi scilicet ex Aaronis familia, Herodes gente Idumæus. Regnum servari τῷ *Silo*, Jacob luculentissime prædixerat (74).

℣. 27. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. Interpretes nonnulli Hebræum vertunt (75): *Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam*. Corona hæc, quam Regum & Principum more rectam geris, deinceps, jacentem more privatorum feres. Discrimen hoc inter Persas familiare, Veterum plures tradiderunt (76). Aptius tamen, & simplicius dixerim: Urbem hanc, Regnum, coronam, terribili prorsus sententia damnabo, supplicio severissimo puniam. Iniquitas passim pro iniquitatis pœna usurpatur. Iniquitatis nomen ter hoc loco repetitum, insolitam suppliciorum gravitatem significat.

Et hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, et tradam ei. Verba hæc supra explicavimus de Jesu Christo ℣. 26. cui Sedeciæ corona, & Davidis sceptrum debebantur. At intelligi etiam aliter possunt: Nabuchodonosor judiciorum meorum meæque justitiæ minister est: tamdiu stabit Jerosolyma, quamdiu is venire cessaverit, eamque ego illi non dedero (77).

Ad filios Ammon et ad opprobrium eorum; ad Ammonitas, ut probro obruantur, vel ad Ammonitas & ad irrisiones eorum (78), quibus te prosequebantur, cum inter rerum angustias tu tenereris. Vide quæ habet Ezechiel hac de re, Capite xxv. ℣. 6. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu super terram Israel; idcirco ecce ego extendam manum meam super te*. Sophonias 2. 8. illos arguit, quod populi sui mala cum gaudio viderint (79): *Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum*. Horum in Ammonitas vaticiniorum fides quinquennio post Jerosolymæ expugnationem impleta est (80).

℣. 29. Cum tibi viderentur vana... ut dares eis super colla vulneratorum, quorum veniet dies. Dum Ammonitæ inania vident, egredere, mucro, ut in cervices impiorum cadas, &c. Hebræus ad verbum (81): *Dum videntur tibi vana, dum divinatur tibi mendacium, ut stes super colla vulneratorum, quorum dies venit*. Falsis vaticiniis aures otiose præbes, dum eadem te manent supplicia, quæ Judæos, quorum dies venit, quos Dei manus gravibus suppliciis ferit. Aliter: Dum pseudo-prophetas audis, fallacesque augures, & pede cervicem calcas Judæorum, quorum dies venit, quos Deus vindicta exagitat.

℣. 30. Revertere ad vaginam tuam. Nabuchodonosor, functus eo munere, quod sibi Deus imperaverat, domum rediit, ac tranquillam deinde vitam egit. Nabuchodonosor Babylonem denique rediit, & gladium vagina condidit post Tyri expugnationem, gestasque adversus Ammonitas & Moabitas, ac denique in Ægyptum expeditiones, circa annum Mundi 3434. anno post Jerosolymæ excidium duodevicesimo.

℣. 31.

(61) Esther. iii. 7. (62) Ezech. xvii. 15. 16. 17. 18. & xxi. 25. (63) יען הזכרכם עונכם
(64) 4. Reg. xxiv. 19. (65) ואתה חלל רשע נשיא ישראל
Ἀ[illegible] ὧν ἀστηρ [illegible] τῆς ἀδικίας [illegible].
(66) Vide Munst. Vat. Tig. Castal. Chald. (67) הסיר המצנפת והרים העטרה (68) Hieronym. Theodoret. Vatab. Chald. (69) Hieron. hic. Edit. Rom. Ἀφεῖλες τὴν κίδαριν, & ἐπέθου τὸν στέφανον αὐτοῦ.
(70) Ἀφελοῦ τὴν κίδαριν, καὶ ἐκθοῦ τὸν στέφανον. (71) זאת לא זאת השפלה הגבה והגבה השפיל
(72) Vide S. Hieronymum, & Theodoretum hic. (73) Sanct. Prad. Tir. Jun. Vat. Pisc. Castal. Cornel.
(74) Genes. xlix. 10. (75) עוה עוה עוה אשימנה (76) Vide Plutarch. in Themistocl. Xenophon. lib. 8. Cyropæd. & lib. 2. Anabas. & alios plures apud Brisson. de Regno Persar. lib. 1. p. 15. & seq. Hesych. Τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία, ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν Βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ, οἱ δὲ στρατηγοὶ [illegible].
(77) Lyr. Vat. Men. (78) אל בני עמון ואל חרפתם (79) Grot. Vat. Jun. Menoch. Tir.
(80) Joseph. Antiq. lib. x. cap. 11. Jerem. xxvii. xlviii. xlix. Ezech. xxv. Usser. ad an. mundi 3419.
(81) בחזות לך שוא בקסם לך כזב לתת אותך אל צוארי חללי רשעים אשר בא יומם

ỳ. 31. Dabo te in manus hominum insipientium. Hujus vaticinii pars Nabuchodonosorem, relique Nabuchodonosoris successores eorumque Imperium spectant. Judicavit Deus Nabuchodonosorem & supplicio affecit, *in terra nativitatis suæ*, illum bestiæ similem fieri, atque e Regiis ædibus suorum manibus ejici (82) passus. At quæ sequuntur, ad Nabuchodonosoris in Regno successores solummodo pertinent. *Effundam super te indignationem meam*; bellum fortasse, quod Cyrus in Babylonios movit. *Dabo te in manus hominum insipientium* (83), barbarorum, furentium, *& fabricantium* tibi *interitum*. Ad miserrimam Balthasaris necem alludit, inter domesticos fraude interfecti. 32. *Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis*. Horum fides expleta est bellis adversus Babylonem motis, deleto que Chaldæorum Imperio, atque ad Persas primum, deinde ad Græcos translato. Absolutus igitur horum vaticiniorum finis post plures denique annos contigit. Vide Isaiam XLVII. & Jeremiam L. de Babyloniorum calamitatibus.

(82) Dan. IV. 30. (83) באש עברתי אפיח עליך ונתתיך ביד אנשים בערים חרשי משחית Ad verbum: *In Igne furoris mei sufflabo adversus te. Et dabo te in manum virorum ardentium* (fabrorum), *artificum excidii*. Pergit metaphora ensis fabris traditi, ut in ignem injiciatur, novamque formam acquirat. Septuaginta: *Dabo te in manus hominum barbarorum*: Παραδώσω σε εἰς χεῖρας ἀνδρῶν βαρβάρων.

CAPUT XXII.

Flagitia intra Jerosolymam patrata. In eam urbem minæ. Hæc similis fornaci futura est, metalla purganti. Humus est minime irrigata. Prophetæ, Sacerdotes, Principes ejus urbis omnes nequissimi.

ỳ. 1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Et tu, fili hominis, nonne judicas, nonne judicas civitatem sanguinum? 3. Et ostendes ei omnes abominationes suas, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus: & quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. 4. In sanguine tuo, quia a te effusus est, deliquisti: & in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irrisionem universis terris. 5. Quæ juxta sunt, & quæ procul a te, triumphabunt de te: sordida, nobilis, grandis interitu. 6. Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem. 7. Patrem, & matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui: pupillum, & viduam contristaverunt apud te. 8. Sanctuaria mea sprevisti, & sabbatha mea polluisti. 9. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui. 10. Verecundiora patris discooperuerunt in te: immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te. 11. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. 12. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: usuram, & superabundantiam accepisti, & avare proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus. 13. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem, qui effusus est in medio tui. 14. Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus, quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, & faciam. 15. Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam a te. 16. Et possidebo te in conspectu Gentium: & scies, quia ego Dominus. 17. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis; scoria argenti facti sunt. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem, 20. Congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: ut succendam in eam ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam: & conflabo vos. 21. Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio ejus. 22. Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus: & scietis, quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos. 23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 24. Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris. 25. Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque prædam,

animas devoraverunt, opes, & pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. 26. Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum, & profanum non habuerunt diſtantiam: & inter pollutum, & mundum non intellexerunt: & a ſabbathis meis averterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum. 27. Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & avare ſectanda lucra. 28. Prophetæ autem liniebant eos abſque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus; cum Dominus Deus non ſit locutus. 29. Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter: egenum, & pauperem affligebant, & advenam opprimebant calumnia abſque judicio. 30. Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, nè diſſiparem eam: & non inveni. 31. Et effudi ſuper eos indignationem meam, in ignem iræ meæ conſumpſi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

℣. 2. NONNE JUDICAS CIVITATEM SANGUINUM, licariam, urbem ſæviſſimam, cædis amicam? Sententiam, quam meretur, in illam non dices, ac demonſtrabis, jure optimo a me damnatam eſſe ut pereat?

℣. 4. APPROPINQUARE FECISTI DIES TUOS: ſupplicii tui tempus, addito flagitiis cumulo, maturaſti.

℣. 5. TRIUMPHABUNT DE TE, SORDIDA, NOBILIS, GRANDIS INTERITU. Hebræus (1); *Subſannabunt in te, polluta nomine, fama, & magnæ contritionis*. Nobilis flagitio, ac turbis quas excitaſti, vel criminibus quæ patraſti. Septuaginta (2): Alieni finitimique *illudent tibi, & clamabunt: Immunda, nominata, & multi in iniquitatibus tuis*.

℣. 6. SINGULI IN BRACHIO SUO FUERUNT IN TE, AD EFFUNDENDUM SANGUINEM. Græci aliter legunt (3): *Unuſquiſque ad cognatos ſuos miſcuerunt ſeſe; in te ut effundant ſanguinem*. Simul convenere, ut inique gerant; vel, proximis etiam cognatiſque non pepercere (4).

℣. 7. ADVENAM CALUMNIATI SUNT. Septuaginta (5): *Adverſus advenam convertebantur in iniquitatibus in te*. Hebræus reddi poteſt (6): *Peregrinum injuriis, vi oppreſſerunt*, repugnante admodum Lege, quæ peregrinum moleſtia affici vetat (7).

℣. 8. SABBATHA MEA; feſtos dies ſervilibus operibus & flagitiis.

℣. 9. VIRI DETRACTORES, vel maledici, everſores. Septuaginta (8): *Viri latrones*. Symmachus & Theodotio: *Viri doloſi*. Hebræa hujus loci vox (9) ſimillima omnino eſt alteri *Rochel*, quæ *mercatorem* ſignificat; atque ita explicavit Syrus. At ea proprie *delatorem* ſignificat, maledicum, perfidum, falſum teſtem, calumniatorem. Hoc hominum genus nemini non odioſum eſt. Illos execratur in Lege Moyſes, & Sapiens in Proverbiis (10).

SUPER MONTES COMEDERUNT. Sacra falſis numinibus fecerunt, eorumque obſequio convivia in editis locis agitavere. Vide ſupra XVIII. 6. 11.

VERECUNDIORA PATRIS, uxorem patris, novercam, ſeu viduam a patre relictam, ſive unam ex paternis uxoribus, quo tempore plurium uxorum conſuetudo permittebatur. Ad verbum: *Turpitudinem patris*.

℣. 12. USURAM ET SUPERABUNDANTIAM, plus ſcilicet, quam mutuo dediſti. Vide ſupra XVIII. 8. 13.

MEIQUE OBLITA ES, quaſi ego flagitia tua non viderem. Dei oblivionem inter graviſſima hominis peccata merito recenſet; quemadmodum enim ſapientiſſime animadvertit S. Hieronymus: *Memoria Dei excludit cuncta flagitia*. Ita in crimen ruis, uti Dei obliviſceris.

℣. 13. COMPLOSI MANUS MEAS, vel ut iram, vel ut ſævitiæ tuæ execrationem ſignificarem. Vide Caput XXI. 14. 17.

℣. 15. DEFICERE FACIAM IMMUNDITIAM TUAM; vel deſtruam, tuis te ſordibus purgabo; at acerrimis in hanc rem remediis utar.


℣. 16. POSSIDEBO TE IN CONSPECTU GENTIUM. Poſtquam in omnes terrarum plagas te diſſipavero, te iterum vindicabo, tuuſque Deus iterum ero, tu gens mea, ut olim, futura es. Hebræus in noſtris Codicibus multum diſcrepat; fert enim (11): *Et hæreditaſti in te in oculis gentium*. Mea olim hæreditas, & pars mea eras: tu vero me dominum faſtidiviſti, tuoque ipſius arbitrio relinqui in medio gentium voluiſti. Aquila & Theodotio: *Contaminabo te in conſpectu gentium*. Symmachus: *Vulnerabo te*, lethali vulnere confodiam, *in conſpectu gentium*. Junius & Tremellius: *Profana facta es in medio populorum*. Chaldæus: *Sanctificabor in te in oculis populorum*. Uſurpat hic verbum *Polluere* contrario ſenſu, ut interdum ſolet per antiphraſim Scriptura.

℣. 18. VERSA EST MIHI DOMUS ISRAEL IN SCORIAM. Hebræus ſignificat potius (12) argentum mixtum, aliiſque metallis vitiatum, quemadmodum univerſæ orationis ſeries ſuadet, docentque alii Scripturæ loci, ubi eadem vox legitur (13). Quamobrem verti poteſt: Domus Iſrael mihi eſt ceu metallorum miſtura, argentum vitians. Secernenda ſunt metalla, liquanda, fornace excoquenda, purgandumque argentum. Ita Iſraelem exagitabo, ceu fuſor metalla purgans, & ſeparans. Utitur frequenter hac comparatione Deus (14), ut innuat, quo ſtudio populum flagitiis corruptum ipſe puniat, ut puriorem ſanctioremque efficiat. Septuaginta (15): *Facta eſt mihi domus Iſrael combuſtio*. Prima Aquilæ Editio: *Facta eſt mihi vinacium*.

℣. 24. TU ES TERRA IMMUNDA, ET NON COMPLUTA, nullis imbribus rigata, adeoque arens, ſicca, ſterilis, decore & ornamento carens. Iſraelis regio humo aridæ minimeque rigatæ ſimilis dici-

---

(1) יתקלסו בך טמאת השם רבת המהומה (2) Septuag. Ἐμπαίξονταί σοι, καὶ βοήσονταί ἐπὶ σοί, ἡ ἀκάθαρτος ἡ ὀνομαστὴ, καὶ πολλὴ ἐν ταῖς ἀνομίαις σου. (3) Ἕκαστος πρὸς τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ συνανεφύροντο ἐν σοὶ ὅπως ἐκχέωσιν αἷμα. Legunt זרעו *ſemen, ſemen ſuum*, pro זרעו *ſerou, brachium ſuum*. Vide eamdem rem Iſai. XIX. 20. (4) Theodoret. (5) Πρὸς τὸν προσήλυτον ἀνεστρέφοντο ἐν ἀδικίαις ἐν σοί. (6) לגר עשו בעשק בתוכך (7) Exod. XXII. 9. (8) Ἄνδρες λῃσταί. (9) אנשי רכיל Vide 3. Reg. X. 15. 2. Eſdr. XLIV. 20. Ezech. XVII. 4. (10) Vide Levit. XIX. 16. Prov. XI. 13. XX. 19. Jerem. XI. 21. (11) ונחלת בך לעיני גוים (12) היו לי בית ישראל לסיג (13) Iſai. I. 21. 25. & Jerem. V. 30. Prov. XXV. 4. & XXVI. 23. (14) Iſai. IV. 4. Malach. III. 2. 3. (15) Σύμφυρμος & γέγονεν, apud Hieron. hic.



Nova Templi Jerosolymitani Ichnographia.
Occidens
Meridies
Septentrio
Oriens
Scala centum cubitorum.

diuitur, quod Prophetarum monita, passim cum imbre comparata (16), non exceperit.

ỳ. 25. Conjuratio prophetarum. Pseudo-Prophetæ, populum, in Urbe Jerosolyma decipientes, conspiraverant, ut illam fallerent, cum alter alterius dicta probarent; caverentque, ne oracula secum pugnare viderentur. *Alter ædificabat, alter liniebat luto*, ut idem ipse ait supra (17), & repetit infra ỳ. 28. Ubi alter mendacium diceret, alter probabar.

ỳ. 26. Sacerdotas contempsarunt legem. Legem manu versare, eamque populum docere, uti par erat, neglexerunt. Cum ipsi legem violarent, a cæteris etiam violari non vetuerunt. Hebræus (18): *Prælati sunt*, depopulati sunt, furati sunt, *legem meam*, vim illi intulerunt. Septuaginta (19); *Contempserunt legem meam*.

Polluarunt sanctuaria; patratis ibi flagitiis inquinaverunt. Vide supra VIII. 16. Causa fuere, cur nominis mei, meorumque sacrorum sanctitas negligeretur, atque impure tractaretur: *Coinquinabar in medio eorum*.

ỳ. 28. Prophetæ liniebant eos absque temperamento, videntes vana. Hebræus ad verbum (20): *Prophetæ liniebant eis insania*, vel insulso, seu potius, luto solubili, insipido, infirmo, nec misto paleis, aliave re, quibus solidius fieret, *videntes vanum*. Septuaginta (21): *Prophetæ ejus linientes eos, cadent*, peribunt, *videntes vana*.

ỳ. 30. Virum qui interponeret sepem; vel qui dejectam muri partem muniret (22); sive, qui se ceu murum aut sepem inter me ac populum opponeret; qui votis ac bene gestis iram meam coerceret, ac sistere cogeret, uti olim conabantur pro Sodoma Abraham & Moyses, Aaron ac Phinees pro Israelitis (23).

[16] Vide Ezech. xx. 46. xxi. 2. Amos vii. 16. Mich. ii. 6. [17] Vide Ezech. xiii. 11. 12.
[18] חמסו תורתי [19] Ἠθέτησαν τὸν νόμον μου. [20] ונביאים טחו לחם תפל חוזים שוא
[21] Οἱ προφῆται αὐτῆς ἀλείφοντες αὐτοὺς πεσοῦνται ὁρῶντες μάταια. [22] Jun. Pisc. Grot. Cast.
[23] Vide Genes. xxiii. 25. Exod. xxxii. 11. Num. xvi. 48. Psal. cv. 23. 30.

CAPUT XXIII.

Flagitia Israelitarum e decem Tribubus & Juda, sub duarum meretricum, Oolla & Oolibæ, imagine exhibita. Sententia in utramque pronunciata. Amatorum arbitrio relictæ, illorum manu obruuntur lapidibus, & gladio perimuntur.

ỳ. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, 3. Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum. 4. Nomina autem earum, Oolla major, & Ooliba soror ejus minor: & habui eas, & pepererunt filios, & filias. Porro earum nomina, Samaria Oolla, & Jerusalem Ooliba. 5. Fornicata est igitur super me Oolla, & insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, 6. Vestitos hyacintho, principes, & magistratus, juvenes cupidinis, universos equites, ascensores equorum. 7. Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos: & in omnibus, in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est. 8. Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia ejus, & illi confregerunt ubera pubertatis ejus, & effuderunt fornicationem suam super eam. 9. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine. 10. Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios, & filias ejus tulerunt, & ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & judicia perpetraverunt in ea. 11. Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plus quam illa insanivit libidine: & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ. 12. Ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus, & magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus, qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia. 13. Et vidi, quod polluta esset via una ambarum. 14. Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus. 15. Et accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt. 16. Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuntios ad eos in Chaldæam. 17. Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima ejus ab illis. 18. Denudavit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam: & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore ejus. 19. Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti. 20. Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt, ut carnes asinorum: & sicut fluxus equorum, fluxus

xus eorum. 21. Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ. 22. Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua: & congregabo eos adversum te in circuitu; 23. Filios Babylonis, & universos Chaldæos, nobiles, tyrannosque, & principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces, & magistratus universos, principes principum, & nominatos ascensores equorum: 24. Et venient super te instructi curru, & rota, multitudo populorum: lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te undique: & dabo coram eis judicium, & judicabunt te judiciis suis. 25. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint, gladio concident; ipsi filios tuos, & filias tuas capient, & novissimum tuum devorabitur igni. 26. Et denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ. 27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de terra Ægypti: nec levabis oculos tuos ad eos, & Ægypti non recordaberis amplius. 28. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti; in manus, de quibus satiata est anima tua. 29. Et agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos: & dimittent te nudam, & ignominia plenam, & revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ. 30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post Gentes, inter quas polluta es in idolis earum. 31. In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua. 32. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum: eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima. 33. Ebrietate, & dolore repleberis: calice mœroris, & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. 34. Et bibes illum, & epotabis usque ad fæces, & fragmenta ejus devorabis, & ubera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 35. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, & projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas. 36. Et ait Dominus ad me, dicens: Fili hominis, numquid judicas Oollam, & Oolibam, & annuntias eis scelera earum? 37. Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper & filios tuos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. 38. Sed & hoc fecerunt mihi: Polluerunt sanctuarium meum in die illa, & sabbatha mea profanaverunt. 39. Cumque immolarent filios suos idolis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, ut pollurent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. 40. Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant: itaque ecce venerunt: quibus te lavisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. 41. Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te, thymiama meum, & unguentum meum posuisti super eam. 42. Et vox multitudinis exultantis erat in ea: & in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum. 43. Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. 44. Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam, & Oolibam, mulieres nefarias. 45. Viri ergo justi sunt: hi judicabunt eas judicio adulterarum, & judicio effundentium sanguinem: quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum. 46. Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumulum, & in rapinam: 47. Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum: filios, & filias earum interficient, & domus earum igne succendent. 48. Et auferam scelus de terra, & discent omnes mulieres, ne faciant secundum scelus earum. 49. Et dabunt scelus vestrum super vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis: & scietis, quia ego Dominus Deus.

Ÿ. 2. DUÆ MULIERES, FILIÆ MATRIS UNIUS. Hebræi omnes una ex origine orti, Abrahamo scilicet ac Sara, unica gens fuere, junctisque animis floruere usque ad seditionem sub Jeroboamo, post Salomonis obitum; quo tempore, decem Tribus a Juda & Beniamino desciscentes, duplicem quodammodo gentem sub Rege duplici constituerunt. *Oolla*, soror natu major, est Regnum Samariæ seu decem Tribuum; sonat autem *tentorium*. Major natu dicitur vel ob majorem Tribuum numerum, ex quibus coalescebat, vel quod priusquam altera Dominum reliquerit, Deos secuta. *Ooliba* sonat, *tentorium meum in ea*; Domini enim Templum in urbe Jerosolyma & Regno Juda erat. Minor natu appellatur, quod serius Deorum superstitionem amplexa fuerit. Confer hoc caput cum XVI. Ezechielis, cum ferme idem utriusque propositum sit.

Ÿ. 3.

℣. 3. FORNICATÆ SUNT IN ÆGYPTO; Deos coluere, antequam Moysis opera inde revocarentur; supra xx. 8.

IBI SUBACTA SUNT UBERA EORUM. In Ægypto meretricium incepere, & flagitii notam mammis fluentibus detulere. Puellæ innuptæ mammas *fascia pectorali* (1) sustinebant.

℣. 5. INSANIVIT IN AMATORES SUOS, IN ASSYRIOS PROPINQUANTES, finitimos. Longe aberant ab Judæa Assyrii; at quo tempore Israelitæ alienos Deos sequi cœpere, post Salomonis regnum, duo maxima Imperia Judææ finitima, Assyrii fuere & Ægyptii. Ex iis Deos accepere Judæi, ex Assyriis nimirum Baalem, Solem, Lunam, Astra, turpissimasque libidines Deorum obsequio, atque in editis locis sacra facere didicerunt. *Propinquantes*, explicari potest hic, ut ℣. 12. *Accedentes* ad eam, vel ad eam venientes.

℣. 6. VESTITOS HYACINTHO, Assyriis, Chaldæi, Persæ purpureas & hyacinthinas potissimum vestes amabant. Hic vestium color Regi tantummodo atque Optimatibus servabatur, ac præmii loco iis, qui aut virtute præstarent, aut bene de Republica mererentur (2).

PRINCIPES ET MAGISTRATUS. Hebraica vocabula *Phacoth & Seganim* nomina dignitatis sunt, apud Israelites ignotæ, & Magistratuum apud Assyrios. Ejus nominis Magistratus apud Chaldæos Reges erant, Danielis ætate (3). Prior vox fortasse significat Provinciarum Administratores, altera solummodo Magistratus.

℣. 8. FORNICATIONES SUAS, QUAS HABUERAT IN ÆGYPTO, NON RELIQUIT. Relicta Ægypto, Hebræi Ægyptiacas superstitiones nunquam omnino reliquere; neque pessimus amor, Moysis sollicitudine, neque acri Josue ejusque successorum studio evelli potuit. Inceptum olim in deserto aurei vituli cultum (4), iterum sub Jeroboamo instauravere (5); Adonidis superstitionem coluerunt (6); quodlibet bestiarum genus venerati sunt (7); omnium animalium simulacra, apud Ægyptios sacra, penes sese habuere (8).

℣. 9. IN MANUS FILIORUM ASSUR. Decem Tribus vim Phul Regis (9), Theglathphalassari (10), ac denique Salmanasari (11) expertæ sunt; quorum postremus quidquid a majoribus suis relictum fuerat, in captivitatem rapuit, atque universum Samariæ Regnum evertit.

℣. 10. DISCOOPERUERUNT IGNOMINIAM EJUS, Ancillam fecere captivam, atque in illam debacchati sunt, ut armorum licentia victoribus, & libido spurcissimis suadebat. Hac loquendi forma frequenter utuntur Prophetæ (12), ut innuant miserrimam captivorum conditionem, præsertim ubi de fœminis agitur. Vide & hic ℣. 29.

℣. 11. QUOD CUM VIDISSET SOROR EJUS OOLIBA; non supplicium, & calamitates, sed libidines, quas Samaria soror natu major exercuit, imitari voluit, ac ferme æquavit, aut omnino impudentia superavit.

℣. 12. DUCIBUS ET MAGISTRATIBUS AD SE VENIENTIBUS, INDUTIS VESTE VARIA. Eadem hic leguntur Magistratuum nomina, quæ ℣. 6. (13). Colorum varietatem in vestibus Orientales magnopere amabant, ii præsertim, de quibus hic (14); *Indumentis plerique eorum ita operiuntur, lumine colorum fulgentibus vario.*

℣. 14. CUMQUE VIDISSET VIROS DEPICTOS IN PARIETE. Cum nondum præsentes vidisset Assyrios, ex sola illorum descriptione aut pictura illos amavit.

℣. 15. TIARAS TINCTAS IN CAPITIBUS EORUM. Chaldæorum tiara pileoli genus erat, variis carbasinis vittis constans, qualibus ferme utuntur Turcæ. Variis autem coloribus distinguebantur vittæ. Eam colorum varietatem, qua Persæ gaudent, irridantes Græci, Persas pavones nuncupant (15). Persicas tiaras purpureas fuisse, tradit Ovidius Metamorph. l. xi.

Tempora purpureis tentat velare tiaris.

℣. 16. MISIT NUNTIOS AD EOS. Achaz Judæ Rex, Legatos ad Theglathphalassarum misit, suppetias postulatum adversus Syriæ & Israelis Reges (16), a quibus universa Judæ regio vastabatur. Ubi Theglathphalassar Damascum venit, illum adiit Achaz; ibique impium altare conspicatus, cum placeret forma, descripta illius ichnographia, alterum huic simile in Templo Jerosolymitano erigi jussit, & loco ærei altaris Salomonici constitui. Alia etiam nonnulla in Templo mutare ausus est, omnia pessimorum Principum flagitia imitatus (17). Hoc vult Propheta, inquiens, Chaldæis Jerosolymam profectis, hanc meretricium cum illis ad fastidium usque exercuisse ℣. 17. *Saturata est anima ejus ab illis.*

℣. 19. RECORDANS DIES ADOLESCENTIÆ SUÆ. Ipsa adolescentiæ suæ recordata; vel cogens (18) Deum reminisci flagitiorum, quæ in Ægypto ipsa commisis. Præteritorum oblitus quodammodo videbatur Deus: veterum flagitiorum memoriam ipsa revocavit, addens nova. Vide supra xxi. 24.

℣. 20. QUORUM CARNES SUNT UT CARNES ASINORUM. Ægyptios significare videtur, quos a turpissima ea nota descripsit (19). Postremi Judæorum Reges, relictis Chaldæis, omnem in illis spem collocavere.

℣. 21. VISITASTI SCELUS ADOLESCENTIÆ TUÆ, Flagitia adolescentiæ tuæ instaurasti; vel, coegisti Deum illa *visitare*, & suppliciis afficere. Dei vindictam præteritis præsentibusque flagitiis in caput tuum provocasti.

℣. 22. SUSCITABO OMNES AMATORES TUOS CONTRA TE, Chaldæos præsertim, eorumque fœderatos, a quibus urbs tua evertetur, Templum cremabitur, ac tu captiva rapieris (20). Te destituant Ægyptii, teque fallent, cum illorum ope maxime indigueris (21). Mala tua ridebunt Ammonitæ (22); Philisthiai arma cum Chaldæis jungent (23), ac vetus in te odium explebunt.

℣. 23. CHALDÆOS, NOBILES, TYRANNOSQUE ET PRINCIPES. Hebræus fert (24): *Chaldæus, Pekod, & Schuah, & Koah.* Sunt qui censeant, populos esse Imperio Chaldæorum subditos: at illorum sedes ignoratur. Asserit Junius, Pekod, Schuah, & Koah tres partas esse præcipuas, in quas Assyriorum Imperium ea ætate distribuebatur; Pekod scilicet, partem, quæ a Tigride amne usque ad fluvium Lycum porrigitur, regio Sovah appellata, *Schuah* alteram a Lyco ad Gorgum fluvium, Adiabenos complectentem & Saccopodas, Merataimis finitimos, in qua urbs *Siai* Ptolemæi, denique *Koah* quæ a Gorgo, corrupto vocabulo *Cobo*, trans usque Tigridem, in Armeniam interiorem porrigitur, ubi Gaugamela, scilicet ara Gauga. Nonnihil tamen dubito, utrum hoc Gauga-game-

(1) Isai. iii. 24. Jerem. ii. 32. (2) Vide Nahum ii. 3. Dan. v. 7. Xenophon. lib. i. Cyroped. Strabon. lib. 15. Sanctium hic, & Brisson. de Regno Persac. lib. i pag. 315. 316. & seq. (3) Daniel. iii. 3. Vide nos in eum locum. (4) Exod. xxxiii. 4. (5) 3. Reg. xii. 28. (6) Ezech. viii. 14. (7) Idem ibid. ℣. 10. (8) Isai. ii. 20. (9) 4. Reg. xv. 19. (10) 4. Reg. xv. 29. (11) 4. Reg. xvii. xviii. (12) Vide Ezech. xxii. 10. xvi. 19. Isai. xx. 4. & xlvii. 3. & Nah. iii. 5. Jer. Thren. v. 11. (13) שלשים פחות וסגנים in Daniele. Vide & infra ℣. 23. (14) Ammian. lib. 23. Vide Brisson. loco cit. (15) Aristoph. Ἀχαρνῆς ἄχθομαι, γῦν ταώνων, ἔ τοῖς ταῶσι. Vide, si lubet, Brisson. lib. i. (16) 4. Regum xvi. 7. (17) Vide ibid. ℣. 2. 3. & 17. 18. (18) לזכור את ימי נעוריה Septuag. Τὸ ἀναμνῆσαι ἡμέρας τῆς νεότητός σου. (19) Ezech. xvi. 26. *Magnarum carnium*. Aristophan. Κρέας μέγα. Apud Laert. in Polemone. (20) 4. Reg. xxv. (21) Ezech. xxix. 15. 17. (22) Idem cap. xxi. 28. (23) Idem xvi. 27. & 57. (24) כשדים פקוד ושוע וקוע Χαλδαίους, φακούκ, ἔ Σουὲ, ἔ ὑχοέ. Edit. Complut. Φακούδ, ἔ σουὲ, ἢ κουὲ. Aquil. Ἐπισκέπτην, ἢ τύραννον, ἔ κορυφαῖον.

gameles etymon omnibus placeat; Strabo enim & Plutarchus docent, *Gaugamelen* significare domum Cameli. *Pekod* Grotio sunt Bactriani; *Schuab* Armeni, apud quos urbs *Siai*; & Koah, *Choana* Mediæ, apud Ptolemæum.

Alii hæc vocabula pro Magistratuum appellationibus usurpavere. Vulgata *Nobiles* gentis Chaldaicæ interpretatur; *Tyrannos* seu Reges, supremo totius Imperii Domino subditos, ac denique Regiæ domus *Principes*. Aquila vertit (25): *Inspectorem & tyrannum, & coryphæum*. *Tyranni* appellatio hic odiosa non est, & Principem significat; *Coryphæus* est vir dignitate conspicuus, Dux. Recentiores Interpretes in harum vocum explicatione dissident; quamquam omnes ferme in eo conveniunt, ut nomina dignitatum apud Chaldæos Reges esse fateantur. At unicus superest scrupulus, ea scilicet in Daniele non legi.

Duces et Magistratus, universos Principes Principum, et nominatos. Eædem in Hebræo voces leguntur, *Phachot*, & *Seganim* (26), quæ supra ℣℣. 6. 12. *Principes Principum* in Hebræo dicuntur *Schalischim* (27), quæ vox inter bellicos Pharaonis Ægyptiorum Regis (28), & Davidis præfectos (29) legitur. Vide quæ nos alibi de ea diximus. *Nominatos*; maxime conspicuos, viros fama illustres; vel eos, qui de nomine ad cœtus vocabantur; seu denique eos, qui consilio Regis vocati aderant (30).

℣. 24. Venient super te instructi curru. Septuaginta (31): *Venient super te ab aquilone curru*. Chaldæus. *Venient contra te cum armis bellicis, cum curribus & rotis*. Hebræus verti potest (32): *Venient instructi loricis, seu clypeis, vel hastis*. Sive tantum: *Venient armati*.

Judicabunt te judiciis suis. Id omnino expletum est in Sedecia, quem Nabuchodonosor in jus vocavit in urbe Reblatha (33).

℣. 25. Ponam zelum meum in te (34); illos spreti amoris mei ultores efficiam. Vindicta, quam spretus amor exercet, omnium acerrima, & maxime inexorabilis est; spretus enim amor in furorem vertitur.

Nasum tuum et aures tuas præcident. Hoc fortasse supplicio in captos bello Judæos Chaldæi sævierunt; id enim commune apud illos erat (35). Teste S. Hieronymo, nares interdum & aures adulteris abscindebantur (36). Hujus porro flagitii rea erga Dominum erat Jerosolyma.

Novissimum tuum devorabitur igni. Templum atque Urbs incendio arserunt. Septuaginta: *Residuos tuos devorabit ignis*; bellum scilicet ab Ismaele Nathaniæ filio excitatum, reverso in patriam Nabuchodonosore Jerem. 41. 1. Vide quæ animadvertimus supra xix. 14.

℣. 26. Vasa gloriæ tuæ, pretiosam supellectilem; sacra Templi vasa, vel, gloriæ tuæ, ambitionis adminicula. Vide Ezechielem xvi. 17. & Osee ii. 4.

℣. 28. In manus eorum quos odisti; Chaldæorum scilicet, quos nunc hostium infestissimorum loco habes, cum olim ad insaniam usque amaveris.

℣. 31. Dabo calicem ejus in manu tua. Eodem supplicio afficieris, quo Samaria; everteris nimirum, tuosque filios vel neci traditos, vel in servitutem raptos intueberis. *Calix* interdum pro supplicio usurpatur. Bibere calicem, haurire calicem est, mala pati, ad quæ quis damnatur; injurias, contumelias, irrisiones ferre (37).

℣. 32. Calicem bibes profundum et latum; latum ob malorum diuturnitatem, profundum ob magnitudinem & gravitatem.

℣. 33. Calice sororis tuæ Samariæ. Similem illi ruinam & excidium feres (38).

℣. 34. Potabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis. Ebrii homines interdum in ipso ebrietatis æstu cyathum mordent, quem hauserunt. Minitatur Deus futurum, ut Jerosolyma furoris sui calicem bibat, ipsasque fæces hauriat, &, ne vel una gutta, aut, si fieri potest, odor ipse relinquatur; voraturam dicit calicem ipsum, quem hauserit. Quis acriorem vindictam cogitet? at quis ea digniorem quam Jerosolymam?

Ubera tua lacerabis, doloris magnitudine. In illud sævies, quod placere amatoribus potuit, & criminis tui adminiculum, vel occasio fuit (39):

Tunc flevi, rupique sinus, & pectora planxi.

℣. 36. Numquid judicas Oollam? Sententiam non dices meæ similem, cum illius flagitia audiveris? Vide supra xxii. 2.

℣. 37. Filios suos Molocho. Supra xvi. 36. xx. 31.

℣. 38. Polluerunt Sanctuarium meum; dedicatis ibi simulacris, cultisque (40), & sacrilege victimarum cruore coram illis fuso. Vide xx. 39.

℣. 40. Miserunt ad viros venientes de longe, ad Assyrios scilicet, Ægyptios, aliosque, quos Jerosolyma ad spem sibi ferendam accersivit, quorum Deos ipsa coluit. Pergit Propheta Judæam cum meretrice comparare.

Quibus te lavisti, et circumlinisti stibio oculos tuos. Ad verbum (41): *Ad quos lavisti te, colorasti oculos tuos*; stibio liniebas, inquiunt Septuaginta. Vide quæ nos de hoc more animadvertimus in 4 Reg. ix. 3. Jerem. iv. 30.

℣. 41. Sedisti in lecto pulcherrimo, et mensa ornata est ante te. Convivales lectos innuere videtur. Habes hic vetustissimum, siquod aliud, monumentum, quod hujus moris utendi *lectis* meminerit. Usus hic fortasse ab Assyriis ad Hebræos transiit, quo tempore communem uterque populus consuetudinem habere cœperunt. Vetustissimus etiam apud Græcos est; & quamvis apud Homerum non legatur, passim apud Aristophanem (42) occurrit. Tobias Ninive ante Ezechielem vivens, illum luculentissime apud Assyrios animadvertit (43). Amos 2. 8. multo vetustior Tobia & Ezechiele, ad illum alludit suis verbis: *Super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne Altare*; quæ tamen verba vel de lectis convivalibus intelligi possunt, vel solummodo de vestibus, quibus insidebant humi cœnantes, quemadmodum solent adhuc Turcæ.

Thymiama meum et unguentum meum; Thus meum, & oleum meum. Hæc in privatos usus, me vetante (44), convertisti; vel, iis perfudisti numinum tuorum altaria, quorum imago erat mensa coram te instructa. Vide supra xvi. 18.

℣. 42. In viris qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto. Excelsorum & Numinum Sacerdotes hic significari puto,

(25) Ἐπισκέπτην, καὶ τύραννον, καὶ κορυφαῖον. (26) פחות וסגנים (27) שלישים (28) Exod. xiv. 7. (29) 2. Reg. xxiii. 8. (30) קרואים Vide Num. i. 16. xvi. 2. (31) Ἥξουσιν ἐπὶ σὲ ἀπὸ βοῤῥᾶ. (32) באו עליך הוצן רכב Hæc vox הוצן oritur fortasse ex eadem radice ac צנה, quæ paulo infra redditur *lorica*, & alibi, hasta, vel clypeus. Vide nos in 3. Reg. x. 16. 17. (33) 4. Reg. xxv. 6. *Locutus est cum eo judicium*. (34) נתתי קנאתי בך (35) Vide Brisson. de Regno Persar. lib. 2. pag. 334. 335. Justin. lib. 2. Quint. Curt. lib. 3. Diodor. lib. 18. Senec. lib. 3. de ira cap. 20. &c. (36) Martial. lib. 3. Epigr. 43. *Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?* Hoc erat fœminarum supplicium apud Ægyptios. Cœl. Rhodig. lib. 29. cap. 43. (37) Vide Psalm. lxxiv. 9. 10. Isai. li. 17. Jerem. xxv. 15. xlix. 12. Matth. xx. 22. xxvi. 39. Joan. xviii. 11. Apoc. xiv. (38) Vide 4. Reg. xvii. 4. (39) Ovid. Ep. 5. (40) 4. Reg. xxi. 4. Ezech. viii. 3. 10. 14. 16. (41) רחצת כחלת עיניך Septuag. Ἐλοῦ, καὶ ἐστιβίζου τοὺς ὀφθαλμούς σου. (42) Aristophan. in Acharnens. pag. 423. (43) Tob. ii. 3. 4. *Recubitus de accubitu suo*. (44) Exod. xxx. 23. & 33.

puto, quos e vulgi, vel agricolarum seu pastorum, e deserto venientium, fæce eligebant. Hoc agrestium hominum genus, sacrorum rituum ignarum. Judæi profanis ritibus addicti, sacris vestibus induebant, insortiisque annulis vel armillis brachio, atque impositis capiti coronis, illos sacrificare cogebant, & victimarum carnibus ita instructos vesci. Arguit frequenter populum Deus, quod homines minime ingenuos aptosque Excelsorum Sacerdotes creaverit (45).

Septuaginta (46): *Et vocem harmoniæ personabant ad viros ex multitudine hominum, ebrios e deserto* venientes, Hebræus (47): *Ad homines e multitudine, Sabæos adductos e deserto*, Jerosolymam exhibet ceu meretricem, quæ blanditiis, cantu, conviviis, ornamentis allicit obvios quoslibet, *Sabæos*, Arabes, deformes, rudes, rusticos, &c.

℣. 45. Viri ergo justi sunt, cum scelestissimis urbibus comparati. Vide supra Ezech. XVI. 51. Si Samaria & Jerosolyma Chaldæorum, Assyriorum, & Ægyptiorum flagitia imitatæ sunt, quid criminis iis gentibus est? nedum ueas non aget Deus, verum etiam iis utetur, ut vindictam in scelestas urbes exerceat.

℣. 47. Lapidentur lapidibus populorum, uti solent Adulteræ, ex legis sanctione (48): Alludere videtur ad machinas seu balistas, quibus obsessæ urbes petebantur.

---

[45] 3. Reg. XII. 31. XIII. 33. & 4. Reg. XVII. 29. XXIII. 9. 10. &c. [46] Πρὸς ἄνδρας ἐκ πλήθους ἀνθρώπων ἥκοντας οἰνωμένους ἐκ τῆς ἐρήμου. [47] ואל אנשים מרב אדם מובאים סבאים ממדבר Videtur omnino hinc ortum esse dissidium, quod Librarii, cum non satis viderent, utrum Codices ferrent סובאים an סבאים, utrumque scripserunt. [48] Levit. XX. 10. & Deut. XXII. 22. Joan. VIII. 5. Ezech. XVI. 38.

CAPUT XXIV.

Olla carnibus plena, & igni imposita Ezechieli exhibetur, Jerosolymam significans obsessam, captam, eversam. Uxor Ezechielis moritur; eam lugere vetatur Propheta.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens: 2. Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie. 3. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam; pone inquam, & mitte in eam aquam. 4. Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur, & armum, electa & ossibus plena. 5. Pinguissimum pecus assume, compone quoque struens ossium sub ea: efferbuit coctio ejus, & discocta sunt ossa illius in medio ejus. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit de ea: per partes, & per partes suas ejice eam, non cecidit super eam fors. 7. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere. 8. Ut superinducerem indignationem meam, & vindicta ulciscerer: dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. 9. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. 10. Congere ossa, quæ igne succendam; consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent. 11. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, & liquefiat æs ejus, & confletur in medio ejus inquinamentum ejus, & consumatur rubigo ejus: 12. Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. 13. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. 14. Ego Dominus locutus sum: Veniet, & faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor; juxta vias tuas, & juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus. 15. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 16. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. 17. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. 18. Locutus sum ergo ad populum mane, & mortua est uxor mea vespere: fecitque mane sicut præceperat mihi. 19. Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis? 20. Et dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens: 21. Loquere domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pavet anima vestra, filii vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. 22. Et facietis, sicut feci: Ora amictu non velabitis; & cibos lugentium non comedetis. 23. Coronas habebi-

bebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & unusquisque gemet ad fratrem suum. 24. Eritque Ezechiel vobis in portentum. Juxta omnia, quæ fecit, facietis, cum venerit istud: & scietis, quia ego Dominus Deus. 25. Et tu, fili hominis, ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios, & filias eorum: 26. In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi: 27. In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo, qui fugit: & loqueris, & non silebis ultra: erisque eis in portentum, & scietis, quia ego Dominus.

℣. 1. ANNO NONO IN MENSE DECIMO, DECIMA DIE MENSIS Regni Sedeciæ, & captivitatis Jechoniæ, quæ dies in feriam quintam comperit, tertium Kalendas Februarii, anno Mundi 3414. ex Usserio, Nabuchodonosor Jerosolymam obsidione cinxit. Id Ezechiel, tunc in Mesopotamia vivens, cum mente videret, ejus rei diem notavit, ut cæteri Judæi captivitatis socii, quos certè patriæ calamitatem quamprimum intellecturos noverat, eo indicio cognoscerent, Ezechielem temere non vaticinari, deque illius oraculorum fide dubitare desinerent.

℣. 3. PONE OLLAM. Jerosolymæ obsidionem eadem imagine antea prædixerat Jeremias (1); quod vaticinium a Judæis de ridiculo habitum fuisse, testatur Ezechiel 11. 3. identidem ludibrii causa repetentibus: *Hæc est lebes, nos autem carnes.*

℣. 4. ELECTA ET OSSIBUS PLENA. Ingens hic est dissidium inter Septuaginta & Vulgatam, pluribus deinde versiculis productum. Putat Vulgata, carnem ossibus minime purgatam, concisam esse in frusta ab Ezechiele; Græci vero (2) censent, ossa carnibus exuta, imposita fuisse lignis, ut cremarentur, atque ignem alerent: dum caro in olla conquebatur. Hebræus (3) Græcis favere videtur; atque ægre explicaveris aliter ea quæ sequuntur (4). Hebræus ad verbum: *Congere in eam femur & humerum; electione ossium imple*; quæ verba intelligenda sunt de ossibus selectissimis, & medulla plenis, vel de armo & femore victimæ, ab ossibus secreto ac diviso (5).

℣. 5. COMPONE QUOQUE STRUES OSSIUM SUB EA. In imo ollæ ossa, ac deinde carnes impone. Vel: Ossa sub olla compone super ligna, quibus alitur ignis carnes coquens. Ossa Principes erunt; populus, caro; olla, Jerosolyma.

DISCOCTA SUNT OSSA ILLIUS. Vel: Solidissimæ illius partes, & ea quæ ad naturam ossium accedunt, veluti cartilagines, nervi, musculi flammæ vi excoquentur. Hebraica vox *Hetzem* (6) non modo os, verum etiam corpus, substantiam, vim, naturam rei alicujus significat. Quamobrem reddi potest: durissima & solidissima pars carnis in olla positæ, igne excoquetur, totaque igne occupabitur.

℣. 6. CUJUS RUBIGO IN EA EST. Rubigo hæc, pertinaciter adeo ollæ adhærens, ut validissima ignis vi avelli nequeat, inveteratam ac pertinacem Judæorum nequitiam significat (7), quam neque minæ, neque præterita mala frangere potuerunt.

PER PARTES ET PER PARTES SUAS EJICE EAM. Partibus carnis probe excoctis, illas Propheta extra ollam projicere jubetur. At ubi, cum primum in ollam injiceret, ordine illas distribuerat; elegerat, exossaverat, nunc nullo ordine, ut temere occurrunt ignis vi agitatæ, illas projicit: nullam eligit, nullamque sortitur, quæ primum projicienda sit: *Non cecidit super eam sors.*

℣. 7. SUPER LIMPIDISSIMAM PETRAM EFFUDIT ILLUM. Cruorem maximopere horrebant Hebræi, docente illos Lege (8), ac severissime interdicente, nequis sanguinem comederet. Solebant Judæi sanguinem victimarum humo tegere (9), nequis vel eo contacto, vel super illum incedens, pollueretur. Cruorem non bestiarum, sed hominum, & quidem innoxiorum, fuderat Jerosolyma; neque solum humo illum non operuerat, ne conspiceretur, aut *clamaret ad Cælum de terra*, uti Abelis cruor (10); verum etiam super nitidissimum ac politissimum lapidem fuderat, quo diutius appareret, & relicto vestigio, perennem criminis illius memoriam efficeret. Hæc quidem tropica oratione dici videntur: at procul dubio Jerosolyma innumeras cædes patraverat ea impudentia, ut ne judiciali quidem forma usa fuerit, vim & injuriam dissimulatura. Septuaginta legunt: *Super lævissimam petram posui illum*; quasi Deus ipse de Jerosolymæ cruore loquatur. Vide ℣. 8.

℣. 8. DEDI SANGUINEM EJUS SUPER PETRAM LIMPIDISSIMAM. Cum Jerosolyma cædes suas celare neglexerit, nihilo mitius cum illa agam, quam ipsa cum cæteris; ipsius cruorem super lapidem effundam, ut ibi diu sit, vestigium relinquat, omnibusque conspicuus habeatur: vindictam, qua in illam animadversurus sum, publicam esse volo & celeberrimam. Deductam hactenus comparationem ad Jerosolymam refert Ezechiel. Victima est Jerosolyma, mox excoquenda: animadversionis exordium faciam ab ipsius cruore super lapidem fuso, neque illum humo operiam.

℣. 9. EGO GRANDEM FACIAM PYRAM (11) ex Jerosolyma; in cineres redigam. Vel: Ingentem ignem excitabo, ut ferveat olla: magnam lignorum ossiumque struem colligam, ollæ subjiciendam. Septuaginta (12): *Magnum turrem faciam.* Vel, ex aliis Codicibus: *Multiplicabo populum.*

℣. 10. CONGERE OSSA QUÆ IGNE SUCCENDAM: CONSUMENTUR CARNES, ET COQUETUR UNIVERSA COMPOSITIO, ET OSSA TABESCENT. Hebræus (13): *Multiplica ligna, succendam ignem, consume* (probe excoquito) *carnes, & condi condimentum aromatibus* (quemadmodum in communi olla fit, ubi pulmentum paratur), *& ossa comburantur*, ac penitus igne absumantur. Septuaginta (14): *Multiplicabo ligna, & succendam ignem, ut tabescant carnes, & imminuatur jus, & ossa concrementur.*

℣. 12. MULTO LABORE SUDATUM EST, ET NON EXIVIT DE EA NIMIA RUBIGO. Hebræus (15): *Frustra laboratum est* in rubigine (vel spuma) *& non exi-*

(1) Jerem. 1. 13. *Ollam succensam ego video.* (2) Σοὶ λόγῳ ἃ αὐτὰ ἐκσαρκίσαι μετὰ τῶν ἐσῶν. (3) ירך וכתף מבחר עצמים מלא (4) Vide ℣℣. 5. & 10. (5) Vide Hieron. Theodoret. Munst. Sanct. Vat. alios plerosque. (6) בשלו עצמיה בתוכה (7) Hieron. hic. (8) Levit. vii. 26. 27. *Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit in populis suis.* Et xvii. 10. 11. (9) Levit. xvii. 13. *Homo . . . si venatione atque aucupio ceperit feram, vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra.* (10) Genes. iv. 10. (11) גם אני אגדיל המדורה. (12) Κἀγὼ μεγαλυνῶ τὸν δαλόν. Ita Edit. Rom. Theodoret. & Hieron. Sed Editio Complut. Κἀγὼ μεγαλυνῶ τὸν λαόν. (13) הרבה העצים הדלק האש התם הבשר והרקח המרקחה והעצמות יחרו (14) Καὶ πληθυνῶ τὰ ξύλα, καὶ ἀνακαύσω τὸ πῦρ, ὅπως τακῇ τὰ κρέα, καὶ ἐλαττωθῇ ὁ ζωμὸς, καὶ τὰ ὀστᾶ συμφρυγήσεται. (15) תאנים הלאת [vel, uti legunt Septuaginta,] הלאת ולא תצא ממנה רבת חלאתה באש הלאתה

exivit de ea multa rubigo ejus : in ignem projicietur *rubigo ejus* ; vel, in ignem injiciatur. Septuaginta (16): *Et humiliabitur rubigo ejus , & non egressa est ex ea multa rubigo ejus: confundetur rubigo ejus .*

℣. 13. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata. Hebræus ad verbum (17): *In immunditia tua scelus* est ; vel, iniquitas tua execrabile scelus est. *Idcirco mundavi te, & non es mundata ab immunditia tua .* Sive: *In scelere tuo consilium* est, aïs, dolus, simulatio; *idcirco mundare te volui , & non es mundata* , Hebraica vox *zimma* frequenter significat scelus, flagitium, incestum; at interdum etiam est consilium, molimen, mala deliberatio molientis aliquid, aut scelus aliquod meditantis (18). Jerosolymæ peccatum illud solammodo non fuit, quod male egerit, sed male gesto malum consilium, animadversionem, quæsitam arte nequitiam, adeoque correctionis expertem, addiderit. Quamobrem ait Deus, *sese illam purgasse , at* non esse purgatam; nihil scilicet se neglexisse, quo purgari posset; ipsam vero repugnasse, omnesque ipsius conatus irritos effecisse. Familiaris Scripturæ locutio est, aliquid fieri, quod quis facere conatur (19). Legem dedi & prophetas: te docui, monui, minis & suppliciis terrui: his tamen artibus minime resipuisti: quamobrem plane intelligo futurum, ut tu nunquam sapias meliora, nisi omnes iræ meæ vires in te exhausero, meamque ultionem, te penitus perdens, prorsus explevero; *Donec quiescere faciam indignationem tuam in te .*

℣. 16. Ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, uxorem tuam, non communi morte, sed *plaga* inopina, peste, subita nece. Vide v. 18.

Non planges, clamores planctusque non edes, uti mos ejus regionis est: clam flebis: *Ingemisce tacens*: suspiria imo pectore opprimes, neque palam expromes. Lacrymas planctusque ob calamitatem longe majorem fundendos servato. Silentium hoc in ea re, quam natura ipsa planctu fletuque prosequitur, terrere omnino debuit gentem acris naturæ, quæ variis animi motibus nullo negotio rapiebatur, extremaque erga mortuos officia in eo potissimum consistere censebat, ut naturæ impetum motusque sequeretur. Carissimæ uxoris, *desiderabilis oculorum* , amissio; inopina mors, quam seu vulnus aliquod, seu morbus subito sæviens insolitusque pepererunt, ea certe sunt, quæ animum acerrime moveant; at ubi patriam amittas, libertatem, bona, parentes, liberos; ubi Dei Templum, gentis Sanctuarium in cineres favillasque redactum ac profanatum videas, violata majorum sepulcra, fœminarum pudicitiam militum licentiæ expositam intuearis; ea porro lacrymas auferunt, clamoresque ac gemitus prohibent, quos minora mala eliciunt. *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent* (20).

℣. 17. Mortuorum luctum non facies. Disputant nonnulli, utrum liceret Ezechieli, quippe Sacerdoti, uxoris funus agere. Id quidem vetare videtur Scriptura, cum de Sacerdotibus inquit (21): *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis & propinquis, idest, super patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & sorore virgine .* Inter has non recensetur uxor, quamobrem expressa lege id hoc loco vetuisse, inutile plane videtur, cum res esset communi & consueto Sacerdotum jure interdicta. Sunt qui censeant, uxorem ex iis esse, qui Levitici lege excipiuntur, quamvis nomine non expresso. Si enim fas esse dicit Sacerdoti, fratrum, & sororum innuptarum funus lugere, cur nefas erat justa uxori persolvere, quæ propinquior fratre & sorore est? Serviendum est explicationi Legis, ipsaque Legislatoris mens vestiganda, siquid non satis verbis exprimatur. At alii nuda Legis verba servanda esse existimant. Ipse profecto Ezechiel c. 45. 25. eos recensens, quorum funus ducere fas est Sacerdoti, parentes solummodo numerat, fratres ac sorores, filios filiasque, relicta prorsus uxore. Quod si Prophetæ hic vetat Deus, ne uxorem lugeat, idcirco fit, quod cum in alieno solo esset, atque ab exercendi Templi muneribus remotus, cessabat causa, quæ Sacerdotem funeribus interdicebat; quamobrem inter Chaldæos commoranti fas erat cujuslibet e vulgo laici morem sequi. Putant alii (22), luctus indicia, & solemnia officia a Deo hic non vetari, quippe quæ lege vetarentur, sed ea solummodo, quæ usus induxerat, neque Lex Sacerdotibus vetabat, veluti lacrymas ac gemitus edere, privato dolore excruciari, nudis pedibus incedere, crines radere, atque alia his similia, quæ labem non inferebant. Hæc nimirum permittebantur, inquit Sanctius; at nefas erat, pompæ funebri adesse, ad cadaver & sepulcrum accedere, &c. Quicquid sit; certe Deus vetat, ne Ezechiel id agat, quod præcipue in luctibus agi consueverat.

Corona tua circumligata sit tibi. Hebræorum Sacerdotes pileum gerebant vitta adstrictum, nodo post caput ducto; porro vitta xilina erat seu linea, teste Exodo (23): at æque certum non est, utrum eo extra Templum uterentur. Illud saltem procul dubio esse videtur, Ezechielem ceterosque e captivitate Judæos, quos ipse alloquebatur, vittam circa caput gestasse, qua capilli adstringerentur. Hebraica vox *Peer* omnino vittam significat, qua caput in coronæ formam cingebatur (24). Hoc uno capitis ornamento utebantur Judæi, aliis etiam gentibus communi. Cissios in Xerxis exercitu describit Herodotus lib. 7. *mitram* seu vittas quasdam capite gerentes. Unicum hujusmodi vittarum discrimen, quo a Regio diademate secernerentur, color erat, materies, pretium. Judæi, authore S. Hieronymo, ferebantur, hanc Ezechielis coronam Legis verba fuisse, quæ illi fronti imponunt, exarata in membrana, coronæ instar caput ambiente, ut Legi Deuteronomii, vi. 8. ad verbum usurpatæ, obtemperent.

Septuaginta aliique Interpretes aliter explicant (25): *Erunt crines tui colligati super te* ; scilicet, ex Theodoreto & S. Hieronymo, Crines tuos, qui coronæ loco tibi sunt, servabis, non abscindes, uti in luctu fit (26). Vide nos in Leviticum, x. 6. xxi. 10. His in rebus nedum non nu-

(16) Καὶ ταπεινωθήσεται ὁ ἰὸς αὐτῆς, καὶ οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἐξ αὐτῆς πολὺς ὁ ἰὸς αὐτῆς, καταισχυνθήσεται ὁ ἰὸς αὐτῆς. (17) בטמאתך זמה יען טהרתיך ולא טהרת מטמאתך (18) זמה Vide זמה Genes. xi. 6. Job xx. 27. Psal. ix. 2. xx. 12. xxx. 14. & xxxvi. 12. Prov. xvi. 2. xiv. 17. & xxi. 27. & alibi. (19) Vide Genes. xxxvii. 21. Exod. viii. 18. Psalm. xlviii. 5. Heb. *Multiplicati sunt qui excindunt me* , idest, *qui excindere me conantur*. Vide & Josue xxiv. 9. Glass. Gram. sacr. lib. 3. tract. 3. can. 7. 8. (20) Senec. Troad.
(21) Levit. xxi. 1. 2. 3. Vide nos in hunc Levitici locum. (22) Sanctius hic num. 48.
(23) Exod. xxxix. 28. ואת פארי המגבעת שש Vide & Ezech. xliv. 18. פארי פשתים יהיו על ראשם (24) Vide loca supra citata; & Prov. xx. 9. & xvi. 31. & Isai. iii. 20. & xxxiii. 5. & Jerem. xiii. 15. & Ezech. xvi. 12. xxiii. 42. & xxix. 23. (25) Ἔσται τὸ τρίχωμά σου συμπεπλεγμένον ἐπὶ σέ. Edit. Rom. Οὐκ ἔσται τὸ τρίχωμα, &c. S. Hieronymus & Theodoretus negantem particulam non legunt. (26) Hieron. hic: *Habebis comam, quæ tondetur in luctu*. Theodoret. Μηδὲ ὡς ἐπίδειξιν τοῦ πένθους τοῦτο αὐτὸ ποιεῖν, μηδὲ τὴν κεφαλὴν ἀποκείρασθαι, &c.

dabatur caput, sed pulvere conspergi ac tegi solebat (27); id tamen minime prohibet, quin auferretur corona, seu diadema, quod capitis ornamento & decori serviebat, uti supra diximus. Poterant enim abscindi crines, auferri vitta, tum obvolvi pallio caput, quo ipsum os conderetur, quemadmoduum a Davide ejusque in fuga sociis servatum est. Id ipsum vetat Ezechieli Deus: *Nec amictu ora velabis*.

Calceamenta tua erunt in pedibus tuis. Nemo ignorat, luctus indicium fuisse, ubi quis nudis pedibus incederet. David sociique nudis pedibus Jerosolyma fugerunt, post Absalomicam seditionem. Solemnis expiationis diem Judæi nudis pedibus celebrant, teste Buxtorfio. Authore Suetonio, *reliquias* cinerum Augusti *legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in mausolæo condiderunt*.

Nec amictu ora velabis. Hebræus (28): *Et ne involvas te super labium*, vel mystacem. In luctu velabantur os, mentum, & quæ subter nares sunt, uti adhuc solent nonnulli, apud quos fœminæ funera ducunt, obvoluta circa inferiores oris partes vitta. Ita obvolvebantur leprosi, mœroris indicio (29), & arioli, cum postulatas a Deo visiones non impetrarent (30).

Nec cibos lugentium comedes. Sunt qui hæc verba de dapibus interpretentur, quibus cognati post aliquod funus excipiebantur. Asserit Josephus de Bello l.2.c.1. communem Judæis omnibus eum morem fuisse, tanta religione, ut qui ea convivia negligeret, parum pii hominis nota inureretur; quæ caussa quamplurimis erat, ut majoribus censu privato sumptibus implicarentur. Putant alii, explicanda esse Prophetæ verba de vilibus cibis & male paratis, quæ funus lugentibus exhiberentur. Hoc ciborum genus impurum habebatur (31). Narrat Leo Modena par. v. c. 9. in hisce conviviis, quæ post funus cognatis mortui parantur, panem solummodo, duo ova, & vinum apponi, mortui cognatis humi sedentibus, pedibus nudis. Addit, apud Orientales aliosque, per septem luctus dies mitti solere dapes ad mortui cognatos, quibus una cum amicis tum mane tum vespere vescantur. Animadvertit Casaubonus in Athen. l.7.c.11. consuevisse Græcos in funebribus conviviis nihil sumptuosum aut delicatum apponere, sed lentes plerumque, atque aliud leguminis genus, quod *Bembrades* nuncupat.

℣. 21. Polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri. Templum meum, quod gloriæ ac fiduciæ vestræ argumentum est, Gentibus tradi, profanari & cremari patiar. Verti etiam potest totus ex Hebræo versiculus: *Polluam Sanctuarium meum, gloriam imperii vestri: quicquid verissimum vobis est, & animi vestri sollicitudo, filii vestri, & filiæ vestræ gladio cadent.*

℣. 23. Tabescetis in iniquitatibus vestris, vel in suppliciis, quæ in caput vestrum flagitiis provocaveritis.

℣. 24. Erit Ezechiel vobis in portentum, signum. Quod is nunc agit, omen est eorum, quæ vos aliquando facturi estis, ubi res vobis carissimas ac pretiosissimas amissas esse intellexeritis, negato etiam palam lugendi loco.

℣. 25. Super quo acquiescunt animæ eorum. Hebræus (32): *Elevationem animæ eorum*: id quo maxime gloriantur, ac ferme superbiunt. Idem supra dixit iis verbis (33): *Super quo pavet anima vestra*; timoris ac sollicitudinis argumentum. Hebræus ad verbum: *Indulgentiam*, amorem *animæ vestræ*, uxores, filios, patriam.

℣. 27. In die illa aperietur os tuum. Licebit gemere, queri, clamores edere. Lacrymas in id tempus serva; lacrymare, si doloris gravitas patitur, & inter hostes calamitatem deflere audes, quam ipse tibi peperisti.

(27) Vide 1. Reg. iv. 2. & 2. Reg. xv. 30. *David ascendebat clivum nudis pedibus incedens, & operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.* (28) ולא תעטה על שפם (29) Levit. xiii. 45. (30) Mich. iii. 7. *Confundentur divini, & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.* (31) Deut. xxvi. 14. *Non comedi ex eis in luctu meo.* (32) משא נפשם Septuag. Τὸ ὕψωμα τῆς ψυχῆς αὐτῶν. (33) מחמל נפשכם ℣. 21.

CAPUT XXV.

Vaticinia in Ammonitas, Moabitas, Idumæos, & Philisthinos, Judæorum calamitate gavisos.

℣. 1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis. 3. Et dices filiis Ammon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est; & super terram Israel, quoniam desolata est; & super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem. 4. Idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas: & ipsi bibent lac tuum. 5. Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum: & scietis, quia ego Dominus. 6. Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es toto affectu super terram Israel. 7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem Gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & scies, quia ego Dominus. 8. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixerunt Moab, & Seir: Ecce sicut omnes Gentes, domus Juda: 9. Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus; de civitatibus, inquam, ejus, & de finibus ejus, inclytas

tas terræ Bethjesimoth, & Beelmeon, & Cariathaim; 10. Filiis Orientis cum filiis Ammon, & dabo eam in hæreditatem: ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in Gentibus. 11. Et in Moab faciam judicia: & scient, quia ego Dominus. 12. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, & vindictam expetivit de eis. 13. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem, & jumentum, & faciam eam desertam ab Austro: & qui sunt in Dedan, gladio cadent. 14. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel: & facient in Edom juxta iram meam, & furorem meum, & scient vindictam meam, dicit Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, & ulti se sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres: 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis: 17. Faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore: & scient, quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.

℣. 2. CONTRA FILIOS AMMON. Supra vidimus c. 21. 19. Nabuchodonosorem, Babylone egressum, hæsisse, Jerosolymamne an Rabbath-Ammon bello aggrederetur, in postremos hosce ob fœdus cum Sedecia initum animadversurus (1). Cum vero, Deo permittente, sors in Jerosolymam cecidisset, Ammonitæ, imminenti discrimine liberi, malis Judæorum læti sunt: neque id satis, sed arma cum Nabuchodonosore junxerunt, uti discimus ex Prophetis (2), cujus impietatis causa hæc illis objicit ac minatur Ezechiel. Fortasse hæc oracula Ezechiel statim post superiora pronunciavit; quamvis enim nondum locus esset tunc Ammonitis calamitati Jerosolymæ illudendi iis verbis v. 8. *Ecce sicut omnes gentes, domus Juda*, quippe cum Jerosolyma biennio post capta fuerit; cum tamen pessimam animi illorum habitudinem, invidiam, nequitiam intueretur, atque optime nosset, quid illi post excidium Jerosolymæ acturi essent, illos veluti jam reos alloquitur, quasi id, quod biennio post futurum erat, jam contigisset.

Expletam horum in Ammon, Moab, Edom & Philisthinos oraculorum fidem in Sacris Libris expresse non legimus; cum Prophetæ illorum mala prædixisse contenti, ea deinde in ipsos immissa recitare neglexerint. At docet Josephus Antiqu. l. 10. c. 11. quinto post excidium Jerosolymitanum anno, Nabuchodonosorem arma in Cœlesyriam vertisse, tum in Ammonitas & Moabitas, ac denique in Ægyptum; iisque expugnatis, rediisse Babylonem. Eodem tempore is Tyrum obsidebat, cujus urbis obsidio annis tredecim producta est, eamque passim prædixere Prophetæ, præsertim Ezechiel cap. 27. & 28. qui vel minima illius adjuncta describit. Profani denique Scriptores (3) testantur, Nabuchodonosorem Syriam universam, Phœniciam, Arabiam, Ægyptum Imperio suo addidisse; adeoque & Ammonitas, Moabitas, Idumæos, qui sub Arabum appellatione continentur; quemadmodum Philisthinos Phœnicum nomen complectitur.

℣. 4. TRADAM TE FILIIS ORIENTALIBUS. Plures sunt (4), qui sub eo nomine Chaldæos complectantur, a quibus ea regio expugnata est, uti diximus: at plerumque Scriptura filios Orientis nominat Arabes Scenitas, Ismaelitas, Cedarenos, populos denique Arabiam desertam frequentantes (5). Iis Deus Provincias Ammon & Moab tradit, non quod ipsi armis illas superaverint, sed quod expugnatas a Chaldæis regiones, incolis trans Euphratem abductis, finitimi Arabes, illarum fertilitate & præstantia illecti, occupaverint, ibique Sedes, veterum incolarum loco, habuerint. Reliqua deinde hujus versiculi verba gentis illius ingenium ac vivendi rationem graphice describunt: *Collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua, ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum*. Pro cibis lac, tentoria pro ædibus, greges pro opibus habent; camelis vehuntur; nulla illis urbs, pagus nullus, domus nullæ aut sedes certæ; ex uno in alterum locum aut provinciam migrant, ut tempus, voluntas, & pascuorum felicitas suaserint.

℣. 5. SCIETIS QUIA EGO DOMINUS; meque malis populum afflixisse, ac Templi mei excidium permisisse, non virium inopia, sed ut Israelis nequitiam suppliciis castigarem.

℣. 7. INTERFICIAM TE DE POPULIS. Ammonitæ inter Arabiæ populos minime recensebuntur: te ita dissipabo, arctumque in numerum redigam, ut nemo te gentis loco aut nomine habiturus sit. Hujus rei fides post Nabuchodonosoris expeditionem, de qua mox diximus, omnino expleta est; at deinde Ammonitæ in avitas sedes rediere; cujus rei meminit Ezechiel 16. 53. sub Sodomæ imagine in posterum restituendæ. Idem illis pollicetur Jeremias XLIX. 6.

℣. 8. DIXERUNT MOAB ET SEIR: ECCE SICUT OMNES GENTES DOMUS JUDA. *Seir* Idumæos significare, nemo ignorat. Fœdus cum Sedecia Rege Juda statim inierant Moabitæ, Idumæi & Ammonitæ (6); at deinde datæ fidei non steterunt; imo & arma cum Chaldæis in Judæos junxisse creduntur (7). Moab, Ammon & Edom veteri in Israelitas odio invidiaque flagraverunt. Porro Israelitæ Dei sui patrocinio gloriabantur, innumera virium illius argumenta senserant, ac passim experti fuerant, sese a Deo interdum puniri, at non penitus destitui. Finitimæ Israelitis gentes, cum Templum prorsus eversum, ac Judæos in captivitatem raptos cernerent, Deum curam omnem Israelitarum abjecisse arbitrabantur, ac futurum, ut ea gens opibus suis adeo superbiens, sese supra cæteras deinceps efferre non posset. Porro his verbis ex obliquo feriebatur Deus, quippe qui tacite vel levitatis accusaretur, quod populum tam diu sibi addictum rejecisset; vel infirmitatis, qui illum protegere ac tueri non posset, quemadmodum cæterarum gentium Dii adversus Chaldæorum Numina & Regem non defenderant suos (8).

[1] Jerem. XXVII. 3. [2] Jerem. XII. 6. [3] Beros. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. pag. 1044. Κρατῆσαι δέ φησι τὸν Βαβυλώνιον, Αἰγύπτου, Συρίας, Φοινίκης, Ἀραβίας. [4] Vide Sanct. Vat. Grot. Hebræos. [5] Vide Num. XXIII. 7. Judic. VI. 3. VII. 12. VIII. 10. Jerem. XLIX. 28. Job I. 3. Theodoret. & Hieron. hic. Cornel. Men. Tir. &c. [6] Jerem. XXVII. 3. [7] Jerem. XII. 6. & XXV. 11. 12. 21. 22. [8] Theodoret. hic: Ἐπ' ἐμὲ δὲ αὐτὴ ἡ βλασφημία κεχώρηκεν, εἴπερ τοῖς τῶν ἄλλων ἐθνῶν εἰδώλοις παραπλησίως ἀσθενῶ, ἵνα ἰδωνίθην ἀλογίαν με τοῦ λαοῦ.

℣. 9. Ecce ego aperiam humerum Moab, de civitatibus ejus (9): humerum Moab nudabo, aperiam civitates ejus. In ditionem Moab irrumpam, illum urbibus suis arcibusque ad Regni fines positis, quibus adeo gloriatur, exuam. Invictum se putat Moab, tutumque adeo arcium suarum robore, quibus defenditur, ut invadi nequeat: at omnes ego illius arces evertam, omnem illius fiduciam, omnesque vires dejiciam, Humerus frequenter usurpatur pro eo, quo aliquid protegitur, firmatur atque ad latus sustinetur. Ædificii fulcrum apud Gallos dicitur *epaulement*. Inanem arcium fiduciam Moabitis exprobrat Jeremias 48. 7. *Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris.*

Bethjesimoth, Beelmeon, Cariathaim, nobilissimæ, ac validissimæ urbes in Moabitarum finibus.

℣. 10. Filiis Orientis cum filiis Ammon, et dabo eam in hæreditatem. Hebræus (10). *Quod ad filios Orientis, terram filiorum Ammon dedi eis in proprietatem, itaut filiorum Ammon in gentibus memoria non supersit.* Vel: Quod ad filios Ammon & Orientis, quemadmodum his dedi Ammonitidem hæreditatis ac proprietatis nomine possidendam, ne ullum Ammonitarum nomen relinquatur; ita ℣. 11. in Moabitas animadvertam; Eadem severitate, iisdemque suppliciis in illos utar: horum ditionem alienis dabo, ac nemo illorum reminiscetur, donec ipsos reduxero, uti pollicitus sum, *Jerem.* XLIX. 6. *Ezech.* XVI, 53. 55.

℣. 12. Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, Idumæi Judæorum hostibus accedere nunquam neglexere, ubi Judæos armis lacessitos, ac viribus minores cernerent. Achaz rerum potiente, ac Syriæ & Samariæ bellis agitato, Idumæi in Judæam irruentes, iniquissime sævierunt, prædaque onusti rediere (11). Ieremias 49. 14. Amos 1. 2. Abdias 1. 2. Author Psalmi CXXXVI. 7. & tertius Esdræ Liber IV. 45. sævitiæ in Ierosolymam exercitæ, crematique Templi Idumæos arguunt. Chaldæos hortabantur Idumæi, ut Ierosolymam a fundamentis everterent: *Exinanite; exinanite usque ad fundamentum in ea.*

℣. 13. Faciam eam desertam ab austro, &c. Hebræus (12): *Faciam eam solitudinem: a Theman usque Dedanem gladio cadent.* Septuaginta (13): *Ponam eam desertum, & ex Theman & ex Dedan fugientes in gladio cadent.* Celeberrimæ Idumæorum urbes erant Dedan ac Theman, in illorum finibus fortasse; cum a Theman usque Dedanem Idumæi pellendi essent, ac necandi. Hoc illis exitium intulere Chaldæi, quemadmodum narrat infra Ezechiel XXXII. 29. & XXXV. 35. quinto vel sexto anno post Ierosolymæ excidium.

℣. 14. Per manum populi mei Israel. Idumæi, accedentes Chaldæorum Imperio, armaque cum illis jungentes in Ierosolymitana obsidione, uti supra dictum est ℣. 12. patriis in sedibus relicti fuere, & Babylonicæ captivitatis tempore ditionem Iuda quamlatissime occupaverunt (14). At post Antiochi tempora permisit Deus, ut Macchabæi & Asmonæi Idumæos armis lacesserent, (15) expugnarent, & circumcisionem excipere cogerent (16). Arcano providentiæ consilio factum esse videtur, ut in Judæorum potestatem, in quos ipsi olim sævierant, Idumæi devenirent.

℣. 16. Extendam manum meam super Palæstinos: Divinum hi furorem provocaverant eodem flagitio, quo Idumæi, de quibus mox, Supremis Regni Juda calamitatibus usi, vetus odium in Judæos exercuerant; & quoslibet ex iis obvios necaverant, quemadmodum hic ipsos arguit Ezechiel, Illos accusat Amos c. 1. 5. quod homines in Judæa captos Idumæis vendiderint. Hæc porro causa fuit, cur divinus furor in illos exarserit. At Nabuchodonosori causa iræ in ipsos fuerunt suppetiæ, quas illi Tyro a se obsessæ attulerunt. Causam hanc innuit Jeremias (17), eamdem prædicens calamitatem, quam illis minitatur Ezechiel. Eadem mala diu antea illis prædixerat Sophonias II. 4. Zacharias IX. 5. captivitate recentior, ærumnas narrat, quibus Philistini ab Alexandro Magno affecti fuere. Tyro capta, Alexander Gazam armis cinxit cepitque, novosque in ea colonos posuit (18).

Interficiam interfectores. Hebræus (19): *Interficiam Cerethæas.* Manum *Cerethæorum*, Philistino genere, inter Prætorianos Davidis milites, fuisse satis constat (20). Eodem nomine Philistinos donat Sophonias II. 5. Hos origine Cretenses fuisse, docuimus in Dissertatione de origine Philistinorum. Hebraicam vocem *Cerethim* Septuaginta reddunt hic *Cretenses*; Chaldæus vero, *Jaculatores* (21). Plerique Interpretum (22) Cerethæis seu Philistinis favent.

Reliquias maritimæ regionis. Hos gentis nomine appellare dedignatur, & gentis reliquias nuncupat. Elapsa certe Ægyptiorum & Chaldæorum bella Philistinorum vires magnopere fregerant, testibus Sophonia II. 4. & Jeremia 25. 26.

[9] הנני פתח את כתף מואב מהערים מעריו מקצהו [10] לבני קדם על בני עמון ונתתיה למורשה [11] 2. Par. XXVIII, 18. [12] ונתתיה חרבה מתימן ודדנה בחרב יפלו [13] Καὶ δώσομαι αὐτὴν ἔρημον, καὶ ἐκ Θαιμὰν, & ἐκ Δαιδὰν διωκόμενοι ἐν ῥομφαίᾳ πεσοῦνται. Theodoret. Ἐκ Δαιδάν. Omittit Edit. Rom. [14] Vide 1. Macc. IV. 61. [15] 1. Macc. V. 65. & 2. Macc. X. 16. [18] Joseph. Antiq. lib. XIII. c. 17. [17] Jerem. XLVII. 4. *Vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus, & Sidon, cum omnibus reliquis auxiliis suis.* [18] Arrian. lib. 2. ad finem. [19] והכרתי את כרתים Septuag. Ἐξολοθρεύσω Κρῆτας. Aquila, Sym. Theodot. *Interficiam interfectores.* Hieronym. [20] 2. Reg. VIII. 18. & XV. 18. & XX. 7. [21] כרתים in Libris Regum plerumque vertit קשתיא hic vero, עמא רחיבין populum reorum. [22] Pagn. Montan. Jun. Piscat. Cast. Grot. &c.

C A P U T XXVI.

Tyri excidium per Nabuchodonosorem, quod Jerosolymæ calamitatibus illuserit.

℣. 1. Et factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me: implebor; deserta est, 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te, Tyre, & ascendere faciam ad te Gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. 4. Et dissipabunt muros Tyri,

Tyri, & destruent turres ejus, & radam pulverem ejus de ea, & dabo eam in limpidissimam petram. 5. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: & erit in direptionem Gentibus. 6. Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, gladio interficientur: & scient, quia ego Dominus. 7. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populoque magno. 8. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & elevabit contra te clypeum. 9. Et vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua. 10. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: a sonitu equitum, & rotarum, & curruum movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ. 11. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, & statuæ tuæ nobiles in terram corruent. 12. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subvertent: & lapides tuos, & ligna tua, & pulverem tuum in medio aquarum ponent. 13. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus citharárum tuarum non audietur amplius. 14. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ? 16. Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: & auferent exuvias suas, & vestimenta sua varia abjicient, & induentur stupore: in terra sedebunt, & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur. 17. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi? 18. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui: & turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te. 19. Quia hæc dicit Dominus Deus: Cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates, quæ non habitantur: & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ: 20. Et detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his, qui deducuntur in lacum, ut non habiteris: porro cum dedero gloriam in terra viventium, 21. In nihilum redigam te, & non eris, & requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.

℣. 1. IN UNDECIMO ANNO, PRIMA MENSIS. Undecimus hic annus ia est, quo capta est Jerosolyma; undecimus vero captivitatis Jechoniæ, simulque Regni Sedeciæ. Quo mente oraculum hoc pronunciaverit, minime docet Ezechiel; atque ejus silentio innumeris locus fit conjecturis. Sunt (1) qui primum anni sancti mensem esse censeant. At eo mense nondum capta erat Jerosolyma, quippe quæ quarto mense cecidit (2); quamobrem Tyrii illius excidio non illuserant. Alii putant (3) quartum mensem esse; at cum urbs nona ejus mensis die expugnata fuerit, eodem argumento refelluntur. Denique alii (4) arbitrantur, primum quinti mensis diem fuisse. Usserius tamen ait, quintum hunc mensem in duodecimum captivitatis Jechoniæ annum competere. Quid vero prohibet, quin Ezechiel duo simul prædixerit; nimirum Tyri plausum lætitiamque, pereunte Jerosolyma; & improbæ Urbis supplicium, impio plausu provocatum? Idem hoc vidimus superiori Capite ℣. 2.

℣. 2. CONFRACTÆ SUNT PORTÆ POPULORUM, CONVERSA EST AD ME: IMPLEBOR. Jerosolyma *populorum porta*, Regia, locus, in quem Judæi ex omnibus terrarum plagis conveniebant. Portæ locus erant, ubi jus dicebatur, & nundinæ agebantur. Nedum ex universa Judæa, verum etiam ex universis regionibus ab ea gente frequentatis, Judæi assidue confluebant, ac tribus præsertim festis diebus, quæ Jerosolymis celebrari consueverant. Hic hominum concursus urbem opulentam, populo & mercimoniis florentem efficiebat. Hæc cernens Tyrus invidebat, ac Jerosolymam rivalis loco habebat: *Conversa est ad me*; commercium ad me convertetur. Hebræus ad verbum (5): *Convertetur* ipsa *ad me*; quasi dicat Tyrus, Jerosolymam ad sese accessuram; id quod defendi nequit. Quamobrem explicandum est: *Confractæ sunt portæ populorum, convertentur ad me* portæ, meamque lucri cupiditatem explebo. Hebraicum verbum, quod redditum est, *confracta sunt*, singularis numeri est, uti & alterum, *convertentur ad me*, quamquam *portæ* singularem numerum referant. Septuaginta (6): *Euge confracta est, periere gentes, conversæ sunt ad me: quæ plena erat, deserta est*.

℣. 3. ECCE EGO SUPER TE, TYRE. Vaticinium, quod hic legimus, eamdem spectat Tyri obsidionem, quæ capite XLVIII. Jeremiæ prædicitur. Profani Scriptores (7), qui ætate S. Hieronymi supererant, nihil ea de re tradebant; at veteres rerum Phœniciarum Scriptores, quos Josephus lege-

[1] Usser. ad ann. mundi 1416. Jun. in Comment. [2] 4. Reg. xxv. 2. 3. 4. Jerem. xxxix. 2. 3. & LII. 5. 6. 7. [3] Sanctius, num. 3. [4] Psalm. Jun. in notis, & Tremel. Cornel. Menoch. Tir. [5] הנה נשברה דלתות העמים נסבה עלו אמלאה [6] Εὖγε συνετρίβη, ἀπόλωλε τὰ ἔθνη, ἐπεστράφη πρὸς μέ, ἡ πλήρης ἠρήμωται. [7] Vide Hieronym. hic, pag. 376. nov. Edit.

legerat (7), ajebant, Nabuchodonosorem armis cinxisse Tyrum Rege Ithobalo, eamque obsidionem tredecim annorum spatio fuisse productam. Narrabant etiam Berosus & Phœnicum Historia, Phœniciam & Syriam a Chaldæis fuisse expugnatas. Philostratus denique hujus obsidionis per Nabuchodonosorem meminit. Quiddam e Scriptoribus a Josepho recitatis ajebat, Tyri obsidionem septimo Nabuchodonosoris anno cœpisse: at mendum in numeris latet; Jerosolyma enim anno octavo & decimo Nabuchodonosoris capta est; & Tyri obsidio citius collocari non potest, quam anno consequenti. Unicum est hujus Capitis, duorumque sequentium argumentum; Urbis scilicet excidium, ac Tyrii Regis & Regni exitium.

℣. 4. RADAM PULVEREM EJUS DE EA. Septuaginta (8): *Ventilabo pulverem ejus de ea*. Hebræus significat potius: Radam, evellam pulverem ædificiorum, ut in mare projiciam. Isaias XIV. 23. de Babylone agens, pariter ait: *Scopabo eam in scopa*. Et Ahias Propheta, Jeroboami uxorem alloquens (9): *Mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad puram*.

℣. 5. SICCATIO SAGENARUM ERIT IN MEDIO MARIS. In medio mari fiet, ceu locus retibus siccandis opportunus. S. Hieronymus, Theodoretus, & vulgus Interpretum putant, agere hic Ezechielem de veteri Tyro, in scopulo sita. Verba superioris versiculi, *Radam pulverem ejus de ea, & dabo eam in limpidissimam petram*, scopulum nitidissimum efficiam; tum ea quæ hic leguntur, *siccatio sagenarum erit in medio maris*; tum quæ infra (10), *Lapides tuos & ligna tua & pulverem tuum in medio aquarum ponent .... Et assument super te lamentum, dicent tibi: Quomodo periisti quæ habitas in mari, Urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari*, &c. Hæc, inquam, verba maritimam Urbem, vel in Insula sitam perspicue satis innuere videntur; at alia suppetunt, quæ nonnisi de Urbe continentis explicari queunt ℣. 7. *Adducam Nabuchodonosor Regem Babylonis, cum equis & curribus, & equitibus, & cœtu, populoque magno*. ℣. 8. *Circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro; & elevabit contra te clypeum*. ℣. 9. *Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua*. ℣. 10. *Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: a sonitu equitum & rotarum & curruum movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas, quasi per introitum* (ruinas mœnium) *Urbis dissipatæ*. Toto hoc Capite nulla usquam navium classiumque mentio est. Quamobrem Marshamus (11) ait, veterem Tyrum in continenti sitam, magnisque in mari opibus florentem, obsessam esse, captamque a Nabuchodonosore.

Ut hæc dissidia concilientur, ponendum illud est, quod tota antiquitate certissimum esse videtur; duplicem scilicet Tyrum, veterem in continente & novam in insula, unam eamdemque Rempublicam, atque unicam quodammodo urbem composuisse. Porro utraque jungebatur ingenti aggere, quem Hiram, Salomonis amicus, erexerat (12). Ita Tyrus & in Insula simul, & in continenti erat, curribusque & equitibus ac balistis opus fuit Nabuchodonosori, ut urbem caperet; vallo & aggere cingenda urbs fuit, ac mœnia turresque suffodiendæ. Capta Tyro, quæ in continenti erat, arcem in Insula & in scopulo positam aggredi opus fuit, adeoque & aggerem restaurare (13), a Tyriis insulanis fortasse eversum, ubi captam ab hoste alteram Tyrum intellexere. Laboriosum fortasse hoc opus spectat Ezechiel, ubi ait c. 29. 18. *Nabuchodonosor servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, atque exercitui ejus de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor in terra Ægypti*, &c. Ea in obsidione tredecim annis desudatum est; urbs enim in continenti sita minori opera cecidit. Si nulla classe usi sunt Chaldæi, illud idcirco est, quod ii maris alveum, quo urbs a continenti segregabatur, oppleverint. Cæterum, quo argumento quispiam asserat, classes toto obsidionis tempore Chaldæis defuisse?

℣. 6. FILIÆ QUOQUE EJUS, QUÆ SUNT IN AGRO, communem cum illa calamitatem ferent. In subditas Tyro urbes, quæ circa ipsam erant, primus Nabuchodonosoris impetus sæviit. Opibus tunc, totiusque ferme Phœniciæ imperio florebat Tyrus.

℣. 7. NABUCHODONOSOR REGEM REGUM. Hanc appellationem Chaldæorum Reges, atque horum successores Persæ usurpavere.

℣. 8. AGGEREM IN GYRO (14), nequis opem tibi ferat, ac tu egressu prohibearis; quamobrem omnium inopia te ad deditionem cogat (15).

ELEVABIT CONTRA TE CLYPEUM; mœnia tua invadet milite clypeis tecto simul junctis, ceu piscium squammis, capitique impositis; vel, facta testudine, militem accedere jubebit ad muros, junctis simul corporibus, impositisque ita capiti clypeis, ut nullo hostium spiculo lædi queant: ita ad muros accedent, & fundamenta suffodient. Hoc volebant Septuaginta, cum redderent (16): Faciet adversus te circuitum, *circumstantiam armorum*. Verti potest Hebræus: *Tollet contra te hastam*.

℣. 9. VINEAS ET ARIETES TEMPERABIT. Hebræus (17): *Et machinas e funibus statuet in muris tuis*; balistas, catapultas, quæ machinarum genus erant, funium, rotarum & elateris ope lapides in urbem, spicula & lapides jaculantium, quibus & arcebantur aggressores, & mœnia quatiebantur. Explicari etiam potest, cum Vulgata, de arietibus, oblongis nimirum trabibus, ferro vel ære ad alterum caput instructis, crassarumque funium ope ad æquam lancem suspensis. Fortasse & aliud sunt machinarum genus, quod corvus dicebatur, de quo nos in Dissertatione de Re Militari Hebræorum.

TURRES TUAS DESTRUET IN ARMATURA SUA. Hebræus (18): *Turres tuas destruet in gladiis suis*, sive omnino, armis & bellicis machinis; e quibus hic eas potissimum significat, quibus mœnia effodiebantur. Alii (19) de malleis interpretantur. Chaldæus (20): *Lapidibus* vel globis *ferreis*, qui machinarum ope muros quatiebant.

℣. 10. QUASI PER INTROITUM URBIS DISSIPATÆ (21); per effossa urbis mœnia. Hæc verba urbem vi captam significant. Porro de vetere Tyro intelligenda sunt; quemadmodum enim infra videbimus, capite XXIX. 18. 19. locus aliquis conjecturæ datur, Tyrum veterem fuisse direptam.

℣. 11. STATUÆ TUÆ NOBILES: Numinum tuorum simulacra, quæ tanti facis, vel materiæ causa,

(7) Joseph. contra Appion. lib. 1. pag. 1044. 1045. 1046. Ἐπὶ Ἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονόσορος τὴν Τύρον. Latina versio hic addit. *Annis tribus & decem*; & Græcus l. x. Antiq. cap. 11. subjungit post pauca: Ἑβδόμῳ μὲν γὰρ ἔτει τῆς Ναβουχοδονοσόρου βασιλείας ἤρξατο πολιορκεῖν Τύρον. (8) Λικμήσω τὸν χοῦν αὐτῆς. Hebr. וסחיתי עפרה ממנה (9) 1. Reg. XIV. 10. (10) Vide ℣℣. 12. & 17. (11) Marsham, Can. Ægypt. sæcul. XI. (12) Dius, & Menander Ephesius apud Joseph. lib. 1. contra Appion. p. 1042. & 1043. (13) Hieronym. hic; & in cap. XXIX. & in Amos 1. & in Habac. 1. (14) נתן עליך דיק Septuag. Δώσει ἐπὶ σὲ περιοχήν. (15) Theodoret. hic. (16) Septuag. Καὶ περιέξει ὅπλοις. Hebr. הקים עליך צנה (17) ומחי קבלו יתן בחומותיך (18) ומגדלתיך יתץ בחרבותיו (19) Pagn. Munst. Grot. (20) באבני ברזלא (21) כמבואי עיר מבקעה

se, vel operis præstantia. Cum Alexander Tyrum obsideret (22), Tyrii simulacrum Apollinis ad Herculis aram aurea catena devinxere, ne vel urbem relinqueret, vel magicis carminibus evocaretur. Nullus certe dubio locus est, quin opulentam adeo & superstitiosam urbem Tyrum multa implerent Deorum simulacra, quos Tyrii venerabantur: cumque eadem esse tunc soleret Deorum atque civium sors, videntur omnino Chaldæi Tyriorum Numinum simulacra confregisse, & metalla, e quibus constabant, in privatos usus convertisse.

Reddi Hebræus potest (23): *Et columnæ roboris tui in terram cadent.* Teste Menandro Ephesio (24), Hiram Tyriorum Rex, Salomonis coætaneus, auream columnam in Templo Herculis posuit; atque ipse narrat Herodotus lib. 2. c. 44. visas a se in eo Templo columnas duas, auream alteram, alteram smaragdinam, quæ nocte miro quodam fulgore Templum illustrabat. Similes fortasse columnas aliquas Tyrii superstitiosa religione observabant, ceu robur & præsidium, & custodes urbis Deos, a Chaldæis deinde eversas. Alii denique vertunt (25): *Et substantiam roboris tui in terram deducet*; vel præsidium roboris tui comminuet (26), milites nimirum, quibus nobilissimæ stationes custodiebantur.

℣. 12. DOMOS TUAS PRÆCLARAS. Hebræus (27): *Domos desiderii tui*; templa scilicet opulentissima & nobilissima.

℣. 14. NEC ÆDIFICABERIS ULTRA. Id qui fieri potest, aut qua ratione defendi, cum adhuc stetisse Tyrum Zachariæ ætate certum sit, paulo scilicet post solutam Babylonis captivitatem (28)? Quid? quod Herodotus (29) non multo post tempore ea loca peragrans, sese Tyrum venisse narrat, ut eam urbem celebarrimam & nobilissimam intueretur? Quo tempore Alexander Tyrum cepit, ducentis post Zachariam annis, ea inter totius Orientis urbes opulentissima & validissima censebatur. Illam restituit Alexander ea celeritate, ut anno decimo octavo, postquam capta est ab Alexandro, diuturnam quindecim mensium obsidionem ab Antigono Asiæ Rege passa sit (30). S. Hieronymi ætate, Tyrus pulcherrimum & opulentissimum ejus regionis emporium erat, ipso teste in hunc locum, & in proximum Caput Ezechielis.

Isaias (31) de Tyri excidio agens, ait, illam annis septuaginta jacentem in oblivione futuram; iisque elapsis, e ruinis in pristinum decus emersuram. Ab excidio Tyri, quod contigisse putat Usserius anno Mundi 3416. usque ad 3489. quo anno Zacharias Propheticum munus iniit, anni omnino septuaginta fluxerunt. At eo tempore jam florebat Tyrus, Zacharia teste: quamobrem excidii hujus anni, ab Isaia prædicti, ita deducendi sunt, sicut anni captivitatis Judaicæ, ab anno scilicet 3398. Nabuchodonosoris primo, usque ad captivitatis exitum, anno 3468. Porro videtur Cyrus, inito in Chaldæos imperio, captivos omnes patriæ repetendæ facultate donasse, atque hoc beneficium, quos Hebræos prosecutus est, commune etiam fuisse cæteris eadem conditione captivis.

Denique Ezechielis oraculum ita explicari potest: Nabuchodonosor, vetere Tyro, quæ in continenti erat, expugnata, illam ita omnino evertit, ut nunquam restituta sit, vel saltem pristinas opes & gloriam numquam recuperaverit. At nova Tyrus, facta Nabuchodonosori deditione, seheius stetit, & adhuc Zachariæ atque Herodoti ætate florebat. Tyrii, inquit Justinus l. 18. *Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere; sed attritis viribus, a servis suis indigna supplicia perpessi sunt: qui conspiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant*, Stratone quodam, Regio genere, in Regem creato. Cæterum apud Historicos veteres, a Josepho recitatos (32), seriem legimus Regum & Judicum apud Tyrios, Babylonis tamen Regibus obnoxiorum, a Nabuchodonosore usque ad Cyrum; ab Ithobalo Tyriorum Rege, usque ad Iromum Cyri ætate regnantem. Ut igitur hæc dissidia componantur, duplex Tyrus agnoscenda est, vetus nimirum, a Nabuchodonosore prorsus eversa, & nunquam deinde in pristinum decus restituta; & nova, in insula condita, quæ usque ad Alexandri Magni imperium stetit.

℣. 15. COMMOVEBUNTUR INSULÆ. Insulæ pro transmarinis regionibus absolute usurpantur. Tyrus Phœnicio mari tunc imperabat, & amicæ Tyro urbes coloniæque reliqui maris suo unaquæque jure, imperium habebant (33). Tyri excidium, quæ cæterarum urbium mater & regina quodammodo erat, & commune emporium, hæ publico luctu flevere.

℣. 16. PRINCIPES MARIS. Maritimarum urbium, emporiorum, ac fœderatarum Principes, inter quas Tyrus ceu metropolis eminebat; uti Leptis, Utica, Carthago, Gades, aliæque plures, a Tyriis conditæ ac frequentatæ (34), Tyri excidium, veluti matris, deflevere. Veteres quidam (35) censuere, perspicuum nimis de Tyri excidio luctum, opemque Tyro suppeditatam, causam fuisse, cur Nabuchodonosor arma in illas converteret, suoque imperio subderet. Author hujus opinionis laudatur Megasthenes (36), qui superatum a Nabuchodonosore gestis rebus Herculem, expugnatamque urbem Africæ & Hispaniæ nobilissimam testatur: at nostrum non est, conjecturas hic sectari, aut a proposito divagari.

VESTIMENTA SUA VARIA ABJICIENT, ET INDUENTUR STUPORE. Hebræus (37): *Removebunt pallia sua, & vestimenta sua operis phrygii exuent, tremoribus induentur*, lugubribus scilicet vestibus, quibus animi sui angustias significent. Septuaginta (38): *Auferent mitras de capitibus suis, & vestimento suo vario nudabuntur.*

℣. 17. QUÆ HABITAS IN MARI. Hebræus (39): *Periisti habitata a maribus*, vel ad maris oram seu quam incolebant gentes a maritimis regionibus profectæ; seu denique, tu, in quam omnes maris opes, veluti in sedem suam, confluxerunt.

℣. 18. EO QUOD NULLUS EGREDIATUR EX TE; nullas, ut olim, classes tuas maria peragrare, navesque e portubus tuis solvere, opibus onustas. Hebræus (40): *Territæ sunt insulæ, tu cui in mari egressus est.* Sive: Insulæ, quas olim classe adibas,

(22) Quint. Curt. l. 4. Diodor. ad an. 1. Olymp. 112. Plut. in Alexand. (23) ומצבות עזך לארץ תרד
(24) Joseph. lib. 1. contra Appion. pag. 1043. (25) Septuag. Καὶ τὴν ὑπόστασιν τῆς ἰσχύος σου ἐπὶ τὴν γῆν κατάξει. (26) Jun. Tremel. (27) ובתי חמדתך Οἴκους ἐπιθυμητούς. (28) Zachar. [illegible]
(29) Herodot. lib. 2. c. 44. (30) Diodor. lib. 19. ad an. 2. Olymp. 116. (31) Isai. xxiii. 15. *In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, &c.* (32) Lib. 1. contra Appion. pag. 1041. 1042.
(33) Vide Selden. mare Claus. lib. 1. c. 6. Quint. Curt. lib. 4. *Tyrus condita ab Agenore, diu mare non vicinum modo, sed quocumque classes ejus adierunt, ditionis suæ fecit.* (34) Plin. lib. 5. c. 19. *Tyrus olim partu clara, urbibus genitis Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmula Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis.* (35) Vide Florian. de Ocampo, Johan. Marian. lib. 1. Hist. cap. 7. Pined. in Salom. prævio lib. 4. c. 14. apud Sanct. hic, ad ℣. 8. (36) Joseph. Antiq. lib. 2. cap. 11. ex Megasth. lib. 4. Indicorum: ὑπερβάλλοντα τὸν Ἡρακλέα, καταστρέψασθαι δὲ αὐτόν φησι Λιβύης τὴν πολλὴν, καὶ Ἰβηρίαν.
(37) הורידו את מעיליהם ואת בגדי רקמתם יפשטו חרדות ילבשו (38) Ἀφελοῦνται τὰς μίτρας αὐτῶν, καὶ τὸν ἱματισμὸν αὐτῶν τὸν ποικίλον ἐκδύσονται. (39) אבדת נושבת מימים (40) נבהלו האים אשר בים מצאתך

bas, excidii tui nuntio terrebuntur. Vel: Naves, quibus maria implebas, turbabuntur. Seu denique: *Turbabuntur insulæ, quæ in mari sunt, cum tu in captivitatem egredereris* (41).

℣. 19. Cum adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ. Hæc verba innumeram exercituum Nabuchodonosoris multitudinem significant. Hos comparavit supra ℣. 3. cum mari fluctibus frequenti. Similibus omnino locutionibus, eademque sententia utuntur Isaias & Jeremias. Agens de Theglathphalassari exercitu Isaias 8. 7. ait: *Adducam super eos* (Judæos) *aquas fluminis* (Euphratis) *fortes & multas, Regem Assyriorum*. Et Jeremias 46. 7. Ægypui Regis agmina cum magno flumine comparat, alveum atque aggerem superante, magnisque fluctibus tumido. Aliter: Cum te in imam abyssum impulero, una cum gigantibus, qui sub aquis gemunt; ac tu simili fato in mortis umbras ac regionem tenebrarum deveneris. Tota orationis series huic explicationi favet. Psalmista, ut Divina ope sese e gravissimis discriminibus atque angustiis servatum significet, ait, Psal. 70. 20. *De abyssis terræ iterum reduxisti me*; scilicet ex imo Tartaro, ex abyssis aquarum sub terra latentium, ubi locus inferorum, nempe mortuorum, erat, ex Veterum sententia. Vide *Job.* xxvi. 5. &c.

℣. 20. Ad populum sempiternum. Hebræus (42): *Ad populum sæculi*; ad eos qui semper in tumulo futuri sunt, vel qui in sepulcro ad extremum usque judicii diem jacebunt, quo die ad æternam mortem æternaque supplicia resurgent. Eadem ferme sententia canit Psalmista Psal. 48. 12. *Sepulcra eorum domus eorum in æternum*. Et sapiens (43): *Ibit homo in domum æternitatis suæ*, scilicet, in sepulcrum.

Cum dedero gloriam in terra viventium, xi. In nihilum redigam te. Ubi Israelem in patriam revocavero, Templumque meum restauravero, te iterum Magni Alexandri copiis visitabo, tequn penitus perdam. Extremam hanc Tyri calamitatem, quam vix innuit hic Ezechiel, luculentius describunt Zacharias (44) & Abdias, apud quos nos expletam omnino illam demonstrabimus. *Terra viventium* est Israelitica regio; eaque locutio in aliis passim locis occurrit (45).

Non invenieris ultra in sempiternum. Hæc ad verbum usurpari nequaunt, sive de Tyri excidio per Nabuchodonosorem, sive per Alexandrum Magnum explicentur. Tyrus enim post utramque eam cladem iterum stetit. Hæc tamen locutio *in sempiternum* tum hic, tum alibi passim pro diuturno vel brevi tempore, ceu vita hominis, usurpatur (46).

(41) Ita Hieron. ex 70. in quibus legebat: Ἀπὸ τῆς ἐξόδου σου, *Turbabuntur insulæ in mari in exitu tuo*. Sed Theodoret. legit: Ἀπὸ τῆς ἐξορίας σου ἐν τῇ θαλάσσῃ. Deest in Edit. Rom. (42) אל עם עולם Septuag. Πρὸς λαὸν αἰῶνος. (43) Eccle. xii. 5. Vide Sanct. hic. (44) Zachar. ix. Abd. ℣. 20. (45) Vide Ezech. xxxii. 24. 25. 26. 27. 32. (46) Theodoret. hic; Ἐνταῦθα τὸ παντελὲς, ἢ τὸν ὀλίγον χρόνον αἰῶνα ἐκάλεσεν ἢ ζωὴν χρόνον. Vide Psal. lxxxix. 8.

C A P U T XXVII.

Lugubre Carmen de Tyri excidio. Opum illius & negotiationis descriptio.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Tu ergo, fili hominis,
assume per Tyrum lamentum: 3. Et dices Tyro, quæ habitat in introitu
maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Ty-
re, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum. 4. Et in corde maris sita. Finitimi tui,
qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. 5. Abietibus de Sanir extruxe-
runt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi
malum: 6. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt ti-
bi ex ebore Indico, & prætoriola de Insulis Italiæ. 7. Byssus varia de Ægypto
texta est tibi in velum, ut poneretur in malo: hyacinthus & purpura de insulis Eli-
sa facta sunt operimentum tuum. 8. Habitatores Sidonis, & Aradii fuerunt remiges
tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. 9. Senes Giblii, & pruden-
tes ejus, habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves ma-
ris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ. 10. Persæ, & Lydii, &
Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum, & galeam suspenderunt
in te pro ornatu tuo. 11. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in
circuitu: sed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in
muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam. 12. Carthaginenses
negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plum-
boque, repleverunt nundinas tuas. 13. Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores
tui: mancipia & vasa ærea advexerunt populo tuo. 14. De domo Thogorma, equos,
& equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum. 15. Filii Dedan negotiatores tui:
insulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos, & hebeninos commutaverunt
in pretio tuo. 16. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gem-
mam, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt
in mercatu tuo. 17. Juda, & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, bal-
samum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis. 18. Damascenus

ſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diverſarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi: 19. Dan, & Græcia, & Moſel, in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum: ſtacte, & calamus in negotiatione tua. 20. Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum. 21. Arabia, & univerſi principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te negotiatores tui. 22. Venditores Saba, & Reema, ipſi negotiatores tui: cum univerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo, & auro, quod propoſuerunt in mercatu tuo. 23. Haran, & Chene, & Eden, negotiatores tui: Saba, Aſſur, & Chelmad, venditores tui. 24. Ipſi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, & polymitorum, gazarumque pretioſarum, quæ obvolutæ, & aſtrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. 25. Naves maris, principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris. 26. In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auſter contrivit te in corde maris. 27. Divitiæ tuæ, & theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum, nautæ tui, & gubernatores tui, qui tenebant ſupellectilem tuam, & populo tuo præerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te cum univerſa multitudine tua, quæ eſt in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. 28. A ſonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur claſſes. 29. Et deſcendent de navibus ſuis omnes, qui tenebant remum: nautæ, & univerſi gubernatores maris in terra ſtabunt: 30. Et ejulabunt ſuper te voce magna, & clamabunt amare: & ſuperjacient pulverem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur. 31. Et radent ſuper te calvitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amariſſimo. 32. Et aſſument ſuper te carmen lugubre, & plangent te: Quæ eſt ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? 33. Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum, ditaſti reges terræ. 34. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt: 35. Univerſi habitatores inſularum obſtupuerunt ſuper te: & reges earum omnes tempeſtate perculſi mutaverunt vultus. 36. Negotiatores populorum ſibilaverunt ſuper te: ad nihilum deducta es, & non eris uſque in perpetuum.

℣. 2. ASSUME SUPER TYRUM LAMENTUM. Pergit ſuperius vaticinium. Uſus funebrium carminum in magnorum virorum funere, publicisque calamitatibus, paſſim in Scriptura animadvertitur. Leguntur Jeremiæ lamentationes ob Jeroſolymæ excidium (1). Lugubre Carmen ſcripſit Ezechiel de ſupremis Judæ Regibus (2). Idem narrat advenarum, & mercatorum querelas de Tyri excidio (3). Lugubre etiam carmen ſcribit Ezechiel infra (4) de Rege Tyri, tum de Rege Ægypti (5). Hoc lucubrationum genus canebatur, & ſublimi ac poetica oratione exaratum erat.

℣. 3. DICES TYRO, QUÆ HABITAT IN INTROITU MARIS (6); quæ egreſſum in mare habet, portum eximium, queque tam commodo ſitu eſt, ut omnia Mediterranei emporia facile adire queat: *Negotiatrici ad inſulas multas*: quæ mercaturam in Mediterranei inſulis, maritimiſque regionibus, a continenti Palæſtinæ diſſitis, exercet.

℣. 4. IN CORDE MARIS SITA. Hebræus (7): *In corde maris termini tui*. Tyrus, in ſcopulo & inſula condita, mari undique alluebatur, præter anguſtum aggerem, cujus ope cum continenti conjungebatur. Veteris Tyri, ad mare poſitæ, fines cum corde maris jungebantur, ipſoque mari alluebantur. *Finitimi tui, qui te ædificaverunt*. Hebræus (8): *Ædificatores tui perfecerunt decorem tuum*. Septuaginta (9): *Filii tui circumdederunt tibi decorem*. Tyrus Sidoniorum colonia fuiſſe creditur. Vide quæ diximus in Joſue, XIX. 29.

℣. 5. ABIETIBUS DE SANIR EXTRUXERUNT TE. *Sanir* mons eſt, quem Sidonii *Sarion*, & Hebræi *Hermon* appellabant (10), trans Jordanem ſitus; atque ab agro Libani ad montes uſque Galaaditicos porrectus. Diſſidium aliquod eſt de hujus arboris natura (11), quam Vulgata abietem reddidit. Sunt qui cedrum, vel Juniperum interpretentur. Nihil tamen videmus quod a communi explicatione diſcedere jubeat; abies enim navibus conſtruendis aptiſſima eſt. Fert Vulgata, navis tabulata ex abiete conſtructa eſſe: *Cum omnibus tabulatis maris*. At Hebræus fert ſolummodo (12): *Ædificaverunt te cum omnibus tabulis duplicibus*. Septuaginta: *Naves aſſerum*. Vel ex Romana editione, Trabs quæ tranſverſa pendet ex malo: *Antennæ cypreſſi de libano ſumptæ ſunt ad faciendos tibi malos abiegnos*.

℣. 6. QUERCUS DE BASAN DOLAVERUNT IN REMOS TUOS. Sunt qui reddant (13): *Alnis de Baſan fecerunt remos tuos*. Alnus profecto navibus conſtruendis opportuniſſima eſt. Lucanus: *Et fluctibus aptior alnus*. Alii pinum interpretantur (14), nihilo minus aptam in uſum remorum naviumque (15): *Nec nautica pinus mutabit merces*. Septuaginta abietem reddunt. Vulgata plerumque vocem Hebraicam *elon*, quercum vertit.

TRAN-

(1) Vide Thren. 1. & Jerem. IX. 19. 18. 20. (2) Ezech. XIX. 1. & ſeq. (3) Ezech. XXVI. 17. & XXVI. 10. (4) Ezech. XXVIII. 11. (5) Ezech. XXXII. 2. (6) הישבת על מבואת ים (7) בלב הים גבוליך (8) בניך כללו יפיך (9) [illegible] Legunt *Bnee*, pro *Bonee*. Utramque lectionem ſervare voluiſſe videtur S. Hieron. (10) Deut. III. 9. (11) ברושים Vide 3. Reg. V. 8. Reddunt hic Septuaginta *cedros*. (12) את כל לחתים Septuag. Νῆες σανίδων. Edit. Rom. Τῶν σανίδων. S. Hieronymus legit veluti voces duas, לחות ים (13) Alnus אלונים Vide Mont. Sanct. (14) Kimchi, Pagn. Vat. (15) Virgil. Eclog. 4.

Transtra tua ..... Ex ebore Indico. Ornari quidem poterant ebore nautarum transtra: at inutilis sumptus videtur. Septuaginta (16): *Templa tua fecerunt ex ebore*. Hebræus ad verbum (17): *Asserem tuum fecerunt ex ebore*.

Prætoriola de insulis Italiæ; conclavia præfectorum ducumque construxerunt ex iis, quæ ex Insulis Italiæ afferuntur. Quid vero ex Insulis Italiæ vicinis in eum usum deferri poterat, quo Palæstina careret? Hebræus toto versiculo fert: *Transtra tua fecerunt ex ebore pedibus calcato, de insulis Cethim advecto*. Ebur pedibus calcatum illud est, quod diu sub terra latuit, Elephanti enim dentes deciduos casu aliquo, vel senecta defodiunt (18). Reddunt alii: *Transtra tua fecerunt ex ebore, ab Assyriis elaborato, ex insulis Cethim advecto*. Bochartus (19) & Glassius (20) ajunt, locum hunc ita esse explicandum: *Transtra tua fecerunt ex ebore & buxo e Macedonia advectis*. Male sejunctum est *Bat* ab *Assurim*, quamquam utrumque una eademque vox sunt (21). Docuimus (22), *Cethim* esse Macedoniam. Hebræi insulas nominant loca omnia, quæ ipsi mari adire cogebantur. Narrat Plinius (23), plurimi habitam fuisse buxum Macedonicam. Interdum ebur buxo includebatur, teste Virgilio Æn. 10.

.... Quale per artem
Inclusum buxo aut oricia therebintho
Lucet ebur.

℣. 7. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum. Hebræus (24): *Schesch cum opere Phrygio ex Ægypto fuit velum tuum, ut existeret tibi in vexillum*. Alibi demonstravimus (25), hac voce *Schesch* gossipium significari. Carbasus Gossipina tenuis, opere Phrygio ornata, arte Ægyptiaca, vexillum navium tuarum fuit. Hoc porro vexillorum genus interdum pretiosissimum erat. Augustus *M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit* (26). Phrygii operis vestes, ex Ægypto advectæ, tota antiquitate notissimæ sunt, tum apud Scripturam (27), tum apud Profanos. Septuaginta (28): *Byssus cum varietate de Ægypto facta est tibi in stratum*. Qui verba hæc de navium velis interpretantur, similis ambitionis exempla apud Veteres invenient. Cleopatra Ægypti Regina ferebatur navi velis purpureis instructa (29). Caligula naves construxit, puppi gemmis ornata, velisque jucundissima colorum varietate fulgentibus, additis arboribus pomiferis vitibusque uva onustis, veluti agro, quæ & jucundum vectoribus spectaculum & frigus parerent (30).

Hyacinthus et purpura de insulis Elisa. Elidis purpura, in Peloponneso, notissima est apud Veteres (31). Mirum, Tyrios extranea hac purpura usos esse, qui multo optimam ac pretiosissimam haberent. Hyacinthinæ & purpureæ hujusmodi Vestes Tentorii loco erant, quibus rectores in navi operirentur, authore S. Hieronymo, vel induerentur nautæ & remiges. Id quod non satis probabile videtur.

℣. 8. Habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui. Septuaginta (32): *Principes tui, qui habitabant in Sidone & Aradii fuerunt remiges tui*. Testatur Theodoretus, in Hebræo legi: *Finitimi tui, habitatores Sidonis & Aradii*. Quamobrem necesse est illum aliter ac nos legisse. Hinc videntur Sidon & Aradus tunc Tyriis obtemperasse. Aradus celebris Insula est ad oras Phœniciæ. Vide quæ diximus in Genesim x. 18. Opibus adeo abundabant Tyrii, ut Cives remigio non occuparent, sed Sidonios & Aradios in eum usum accerserent.

Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Omnis Tyriorum cura, scientia & studium in eo potissimum versabatur, ut navim optime gubernarent; ac ferme nullam, nisi nauticam, gloriam quærebant.

℣. 9. Senes Gibli et prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ. Gebal Urbs Phœniciæ est, olim *Biblus* seu *Biblos*. Biblii artifices, jam ætate Salomonis celeberrimi erant artis peritia (33); quorum ars in eo præsertim eminebat, ut ligna lapidesque in ædificiorum usum pararent. Hebræus (34): *Senes Hebal, & sapientes ejus fuerunt in te laborantes scissuram tuam, reparabant ædificia, domos, mœnia*. Septuaginta (35): *Seniores Bibliorum, & sapientes eorum, qui erant in te, isti confortabant consilium tuum*.

Fuerunt in populo negotiationis tuæ. Hebræus (36): *Fuerunt in te ob miscendam mictionem tuam*: His utebaris ceu negotiationis suæ ministris. Septuaginta (37): Facti sunt tibi in occidentem occidentis. At Vulgatæ versio multo præstantior est.

℣. 10. Persæ et Lydii et Libyes erant in exercitu tuo. Persæ jam tum bellica virtute præstabant: eoque tempore paruisse Medorum Regibus videntur; id tamen minime prohibet, quin apud Tyrios essent ceu copiæ auxiliares. Illos tamen quam primum Cyrus in libertatem vindicavit (38). Lydii, Asiæ minoris populi, animi robore nobilissimi erant, cujus roboris specimina quamplura dederant sub Rege Haliac, tum apud illos imperante, quem deinde excepit Crœsus, apud Historicos notissimus. Libyes denique, Africæ populi Ægypto finitimi, paulo ante a Cyrenæis patria pulsi (39) forrasse apud Tyrios confugerant. Hebræus legit, *Paras*, *Lud*, & *Phut*. *Paras* Persas significat, *Lud* Lydios; *Phut* quemdam Africæ populum. Vide Genes. x. 6.

Clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Mos suspendendi arma e mœnibus turribusque, passim in Scriptura occurrit. Collum Sponsæ Canticorum simile dicitur Cant. iv. 4. *turri David, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium*. Gamadim, quorum meminit proxime sequens versiculus, arcus suos e Tyri mœnibus suspendebant. Isaias ait xxii. 6. *Parietem nudavit clypeus*, ubi arma capi jubentur. In maritimis itineribus, arma & clypei e puppibus suspendebantur, ut naves armis non carere hostes intelligerent (40).

℣. 11. Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt. Fabulosos certe

Pig-

---

[16] Τὰ ἱερά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλεφάντων, Legunt קדשך. Cæteri: Τὸ κέρας σου, leguntque קרנך
[17] קרשך עשו שן בת אשרים מאיי כתים Septuag. Οἴκους ἀλσώδεις. Aqu. Σανίδα κατακλυμακώσεως. [18] Plin. lib. 8. cap. 3. [19] Bochart. de Animal. sacr. par. 1. lib. 3. cap. 33. [20] Glass. Gram. lib. 3. cap. 1. [21] תאשור Thassur, בתאשרים cum buxo. Vide Chaldæum in Isa. xli. 19. [22] Gen. x. 4.
[23] Plin. lib. 12. cap. 16. [24] שש ברקמה ממצרים היה מפרשך להיות לך לנס [25] Exod. xxv. 4.
[26] Sueton. in August. c. 25. [27] Prov. vii. 16. Stravi tapetibus pictis ex Ægypto. [28] Βύσσος μετὰ ποικιλίας ἐξ Αἰγύπτου ἐγένετό σοι στρωμνή. [29] Plutarch. in Antonio. [30] Sueton. in Cajo.
[31] Plin. lib. 9. cap. 35. Pausan. alii apud Bochart. Phaleg lib. 3. cap. 4. [32] Οἱ ἄρχοντές σου οἱ κατοικοῦντες Σιδῶνα. [33] Vide 3. Reg. v. 18. Giblii præparaverunt ligna, & lapides ad ædificandam domum.
[34] זקני גבל וחכמיה היו בך מחזיקי ברמל [35] Septuag. Πρεσβύτεροι Βιβλίων, καὶ οἱ σοφοὶ αὐτῶν, οἱ ἦσαν ἐν σοί, οὗτοι ἐνίσχυον τὴν βουλήν σου. [36] היו בך לערב מערבך [37] Ἐγένοντό σοι εἰς δυσμὰς δυσμῶν.
[38] Vide Justin. lib. 1. Herodot. lib. 1. cap. 125. [39] Herodot. lib. 4. cap. 159. & lib. 2. cap. 161.
& Diodor. lib. 1. [40] Servius Æneid. 8.

.... Aut celsis in puppibus arma Caici.
Quia navigantium militum mos est in puppibus arma religare, &c.

Pigmæos non significat, quales a Veteribus describuntur (41), homines cubito non altiores, bellum cum gruibus gerentes. Hujus generis homines, siqui usquam fuere, certe satis apti non erant, ut Tyri mœnia defenderent. Hos Hebræus *Gamadim* nominat (42), quæ vox oritur a *Gomed*, cubito, ex quo Pigmæorum nomen; cum Hebraice *Gamadim* idem significet ac Græce *Pygmæi*: *Quorum tota cubitus cubito non altior usque*. Reddiderant Septuaginta (43) *Custodes*; Symmachus, *Medos*; Theodotio Hebraica voces, *Gamadim*; Chaldæus, *Cappadoces*. Censent alii, hoc loco innui *Gamadæos*, Phœniciæ populos, quorum metropolis *Gamada*, seu *Gamala* apud Plinium lib. 2. c. 91. legitur. Sunt qui indicari putent populos, qui Phœniciæ promontoria frequentabant, quæ *Gomerim* appellantur, pro *Gamadim*. Nullo negotio hujus nominis homines in Scriptura inveniuntur; Gomer enim, Japheti filium, & Gomerim parentem (44) novimus. Gomerim meminit Ezechiel infra xx. xviii. 6. ceu gentis bello aptissimæ, & bellicosæ.

℣. 12. Carthaginienses negotiatores tui. Hebræus (45): *Tharsis negotiatio tua*. Pro viribus alibi (46) ostendimus, Tharsis ipsam esse Tharsum, urbem Ciliciæ, olim emporio celebrem.

℣. 13. Græcia, Thubal et Mosoch. Hebræus (47): *Javan, Thubal & Mosoch*. *Javan* Jonios significat; *Thubal*, Thybarenos, *Mosoch* Cappadoces vel Moschos. Vide nos in Genesim, x. 2. &c. Hi servos & ærea vasa ad Tyri nundinas deferebant. Mancipia inter Cappadoces frequentissima erant (48), æs commune apud Jones Asiæ minoris, ac Thybarenos. Ancillæ a Græcis & Joniis plurimi æstimabantur.

℣. 14. De domo Thogorma, equos, et equites, et mulos adduxerunt. Thogorma Sarmatiam esse, Genes. x. 3. docuimus. Ejus regionis equi tum robore, tum acri spiritu, tum vitæ diuturnitate plurimi habebantur (49). Vox, quæ hic redditur *equites*, Interpretum nonnullorum sententia (50), jumenta, equos bello aptos, veredos significat.

℣. 15. Filii Dedan. Unicum hujus nominis virum in Scriptura novimus; Dedanum Jecsani filium, nepotem Abrahami & Cethuræ, cujus sedes in Arabia erant (51). Alius legitur hic, ℣. 20. Sunt qui crediderint (52), tenendam hic esse lectionem Septuaginta Interpretum, ferentium *Rhodios*, quasi legerint in Hebræo *Rhodan*, pro *Dedan*. Rhodios negotiationi operam semper dedisse, compertum est. Putant alii (53) legendum *Dedan*, atque intelligendum filium Regmæ, nepotem Chus, de quo Genesis x. 7. Hos collocat Bochartus in Sinu Persico; eorumque metropolis est *Daden*. Alii denique *Dodanios* esse existimant, Jovani posteros (54), qui Græciæ partem frequentavere. Quod hic habet Scriptura, detulisse scilicet illos ad Tyrias nundinas ebur atque ebanum, id potius Arabiæ populis convenit, quibus facile erat hoc mercimoniorum genus per Æthiopes, quibuscum negotiationibus commercium detinebant; quamobrem aptissime omnium de Dedano Jecsani filio explicatur.

Dentes eburneos et hebeninos commutaverunt. Hebræus (55): *Cornua dentis, & ebenum*. Ebur apud Veteres frequenter cornu appellatur, ut 3. Reg. x. 18. docuimus. Scriptura vulgo dentem nuncupat. Utrumque hic jungit Ezechiel. Elephas ad utrumque oris latus dentes binos habet ingentes, longos, recurvos, quibus tamen non in comedendi usum, sed armorum loco utuntur. Dentium hujusmodi natura cornea est, eosque interdum amittit elephas, uti cervus cornua, atque humi defodit. Ebur minus austerum, rigens, siccum est, quam dentes. Ebenam ex Æthiopia affertur, ligni genus durum, nigrum, nitens, ex quo eximia opera conficiuntur. Verti Hebræus potest, *Cornua dentis & ebeni*; ebenum enim ad eboris duritiem accedit (56). Chaldæus: *Carnua jeclim, & dentes elephantinos, & pavones*. *Jeclim*, sive *jalim* genus cervi sunt, seu capreæ apud Arabes. Septuaginta (57): *Dentes elephantinos, & eas qui introducuntur*. Vide 3. Reg. x. 22.

℣. 16. Syrus negotiator tuus. Ea gens operam negotiationi nunquam non dederunt. De his S. Hieronymus hic: *Usque hodie permanet in Syris negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, & tantam habent mercandi vesaniam, ut inter gladios & neces quærant divitias, & paupertatem periculis fugiant*. Tyro propinquitate usi, e sua ipsorum regione ingentia mercimonia distrahebant. Septuaginta legunt hic *Adom* pro *Aram*; quamobrem *homines* pro Syria posuere. Porro ita explicandi sunt: Mercimonia vendebas iis, qui introducebantur, aut ad nundinas tuas veniebant, iisque *homines* pro mercimoniis dabas (58).

Gemmam. Hebræa vox נפך *Naphec* certum quoddam gemmæ genus significat, quod alii (59) *carbunculum*, alii (60) *smaragdum*, alii (61) *chrysoprasum* interpretantur. Theodotio & Septuaginta vocem ipsam *Naphec* servavere. Symmachus reddiderat *polymita*, vestem versicolorem: at certe ex Exodo nophec vel naphec gemmam significat. Romana Editio ac Theodoretus legunt *stacten*; & Latinæ Editiones nonnullæ *guttam*, scilicet myrrhæ guttam, myrrham ex arbore sua sponte fluentem.

Purpuram. Elisæi ex Peloponneso purpuram Tyrum convehebant, teste ℣. 9. hujus Capitis. Habes hic Syros purpuram pariter convehentes. Syriæ purpura, alia a Tyria, apud Veteres magnopere nota non est. Hujus certe non meminit Plinius.

Scutulata, acu picta, vestes consutis alieni coloris scutulis distincta. Plinius lib. 8. c. 48. *Plurimis liciis texere quæ polymita appellant, Alexandria instituit; scutis dividere, Gallia*. Id vestium genus aranearum telis simile esse tallatur (62). Ita uti consuevisse effeminatos, narrat Juvenalis Sat. 2,

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Hebræa vox *Rikmah* רקמה procul dubio vestes acu pictas significat, quo sensu Interpretum peritissimi hoc loco explicant.

Byssum. Hebræus habet בוץ *Buz*, aliud plane a lino Ægypti; idque serici genus esse, ex *pinna* pisce ortum 1. Par. xv. 27. demonstravimus.

Sericum. Hebraicæ vocis ראמות *Ramoth* significatio parum comperta est: ea porro sericum significare, nihil docet. Vocem *Meschi* legimus supra Ezech. xvi. 10. quæ sericum esse existimatur. Reddiderat Aquila serica vel carbasos; Chaldæus gemmas; Pagninus, Montanus, Munsterus,

---

[41] Vide Homerum in Iliade γ. & Notas Daceriæ in eum locum. [42] וגמדים במגדלותיך [43] Septuag. Φύλακες. Ita Editio Rom. sed Edit. Complut. & Theodoret. Αἰθίοπες καὶ Μῆδοι ἐν τοῖς πύργοις σου ἦσαν φύλακες. Legunt sejuncta hæc duo גם & מדי [44] Genes. x. 2. [45] תרשיש סחרתך [46] Genes. x. 4. [47] יון תובל ומשך [48] Vide Bochart. Phaleg lib. 3. cap. 12. [49] Plin. lib. 8. cap. 42. [50] Vatab. Menoch. [51] Genes. xxv. 3. [52] Ita Arab. Jun. Pol. [53] Bochart. Phaleg lib. 4. cap. 6. [54] Genes. x. 4. [55] קרנות שן והבנים השיבו אשכרך [56] Vide Boch. de Animal. sacr. part. 2. lib. 2. cap. 20. [57] Ὀδόντας ἐλεφαντίνους, καὶ τοῖς εἰσαγομένοις. Ita Syr. & Arab. Legunt הובנים pro והבנים [58] Καὶ τοῖς εἰσαγομένοις εἰσάγεις τοὺς μισθούς σου, ἀνθρώπων ἐμπορίαν σου. &c. Vide Theod. [59] Ita Exod. xxviii. 18. Vulg. Septuag. Joseph. &c. [60] Ita Pagn. Munst. Tig. [61] Jun. Tremel. Pisc. [62] Idem lib. xi. cap. 24. *Quanta arte (aranea) colas pedicas scutulata reti grassantes*.

rus, aliique Interpretes plurimi, corallium. *Reem* Hebraice est monoceros. *Remoth* forcasse sonat bestiæ hujus cornua, vel pelles, seu fœminas. Vide Job, XXVIII. 18.

Chodchod (63), Hebraica vox, quam Græci & Vulgata servavere, cum non satis intelligerent, quid proprie significet (64). Chaldæus, margaritas; alii onychem, vel carbunculum, seu pyropum, sive chrystallum reddunt. Recentiorum plerique gemmam esse putant; cujus tamen natura ignoratur. Vide Isai. LIV 12.

Ÿ. 17. Juda in frumento primo, optimo, purissimo. Hebræus (65): *In frumento Minnit*. Nota est regio sive urbs *Minnit*, trans Jordanem, inter Hesebonem & Rabbath Ammonitarum (66). At eximium ne adeo frumentum Judæ non erat, ut illud ex Minnit petere cogeretur? Septuaginta (67): *Ipsi mercatores tui fuerunt in frumenti venditione*. Reddi potest Hebræus (68): Juda attulit *frumentum divisionis*, selectissimum, separatum, purgatum, numeratum.

Balsamum. Liquor hic pretiosissimus ac celeberrimus in Judæa potissimum inveniebatur. *Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judææ concessum*, inquit Plinius (69). Hebræa vox *Panag*, nonnullorum sententia, Phœniciam sonat: *Frumentum Minnit ac Phœniciæ*, quasi Judæi Phœnicium frumentum ad ipsam Phœniciæ metropolim convexerint. Græci Interpretes, cum hujus vocis vim non intelligerent, ipsammet in versionibus servavere. Septuaginta reddunt unguentum. Nos Vulgatam sequimur, cui favent Chaldæus, & Interpretum plurimi.

Mel et oleum et resinam. Frustra de præstantia olei ac mellis Judææ disputamus. Merito dicebatur ea regio lacte & melle fluere. De hac agens Moyses, ait Deut. XXXI. 13. *Ut ibi sugeret populus mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Resina tunc temporis medicinæ genus erat vulgatissimum, teste Jeremia (70). Optima e montibus Galaaditicis proveniebat; atque ab ipsa Jacobi ætate in Ægyptum deferebatur (71). Idem Jacob non leve munus Josepho futurum censuit, cum illi, tunc Ægyptum moderanti, mel Judææ & resinam dono mitteret. Gen. XLIII. 2.

Ÿ. 18. Damascenus negotiator tuus .... in vino pingui, eximio, in lanis coloris optimi. Ad verbum (72): *In vino Chelbon, & lana candida*, fulgida. Vinum Chelbon notissimum est apud Veteres (73). Chelbon eadem fortasse est atque Chelba, *Judic*. I. 31. *Persarum Rex*, inquit Athenæus Dipnosoph. l. 1. *Chalibonium duntaxat vinum bibebat, ut author est Possidonius; idque Damasci urbe Syriæ fit, cum Persæ ibi vites severint*. Chaldæus aliique de vino dulci & medicato hunc locum interpretantur. Narrat S. Hieronymus, Damascenos sua adhuc ætate mercimonia vini & lanæ agitavisse. Quod ad lanam attinet Damasco advectam, sunt qui Hebræum reddant, *in lanis Sohor*. Nullus tamen hujus nominis locus in Syria Damascena noscitur. Septuaginta & Chaldæus vertunt *lanas Milesias*. Lanas hujusmodi magnopere laudant Veteres; purpuræ præsertim ac laneæ vestes Milesiæ plurimi æstimabantur (74):

.... Quamvis Milesia magno
Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.

Chaldæus fert: *Lana Milesia involuta*. Ubi vides Veterum morem, oves cum vellere operiendum, ne lana aeris imbriumque injuriis exposita vitiaretur. Id etiam apud Judæos Græcosque & Romanos servatum est, in quibusdam præsertim ovibus, quarum lana mollissima erat ac nitidissima (75).

Ÿ. 19. Dan, et Græcia, et Mosel. *Dan* hoc loco significare creditur hujus nominis urbem ad Jordanis fontes, deinde *Paneadem* appellatam; Tribus enim Dan diu antea capta fuerat in exilium ab Assyriis. *Græciæ*, sive Joniæ, Hebraice *Javan*, meminit supra Ÿ. 13. *Mosel* regio est adhuc ignota. Hanc plerique Interpretum a Javan secernendam non esse arbitrantur, vertendumque Hebræum *Javan de Osel*, vel *Osal*. Præter Jones Asiæ minoris, posteros Javani filii Japheti (76), alii erant in Arabia interiori, quorum metropolis Uzal fuit, authoribus quibusdam apud Bocharrum (77). Mercatores hosce longius accersit Grotius e Taprabane insula, ubi is urbes *Dana*, *Jogonaa*, & *Moduta* invenit, non multum abludentes a *Dan*, *Javan*, & *Mosel*, seu *Mosol*. Animadvertit porro, eo tempore myrrham & calamum aromaticum neque in Tribu Dan, neque in Jonia vulgares fuisse. Addit, ista in LXX. defuisse, adjecta vero ex Theodotione; quamobrem & suspecta sint necesse est. His adde, totius versiculi sententiam in Hebræo non satis constare: *Dan & Javan de Uzal in nundinis tuis proposuerunt ferrum, casiam, & calamum aromaticum. Hic in negotiatione tua* fuit. Romana Editio multo aliter fert, ut infra videbimus. Reddunt nonnulli: *Dan & Javan vagabundus*, mercator, mercimoniorum causa provincias peragrans. Græci Codices nonnulli habent: *Dedan, Javan & Mozel*. Chaldæus: *Dan & Javan turmatim mercimonia adducebant*.

Ferrum fabrefactum, stacte, et calamus (78); fabrilia opera ex ferro, seu ferrum in virgas seu lingulas redactum, ut aliud esse intelligas rudi ferro, mox fodina eruto; *casia*, & *calamus aromaticus*. De Hebræis harum rerum nominibus vide nos in Exodum XXX. 24. Ferrum olim in Phrygia vulgare erat; inventumque in Ida monte narratur. Pamphiliæ populi, teste Dioscoride, elementarium quemdam florem eximium e casia eliciebant. *Dan* fortasse montis Idæ incolas significat, & Mosel Cares, gentem Pamphiliæ & Javan finitimam. *Mozol* Cariæ Rex, nobilissimus Mausolæo, illi ab uxore ædificato, favet conjecturæ. Jones & Cares tum fama clarebant; iisque Psammetichus Ægyptiorum Rex locum in Ægypto dedit (79). Ferrum in Phrygia, & casiam prope Cariam invenimus. Calamus aromaticus olim & in Assyria, & in Arabia, & in Judæa occurrebat. Septuaginta (80): *Ferrum fabrefactum, & rotæ in nundinis tuis sunt*. Romana Editio: *Ex Asel ferrum opere & rota in nundinis tuis est*.

Ÿ. 20. Dedan ... in tapetibus ad sedendum. Ambitiosos fortasse tapetes significat, quibus insident Orientales, & pavimenta sternunt Turcæ. Hebræus (81): *Dedan negotiator tuus in vestibus sumptuosis ad equitandum*, vel in usum curtus, vel ob sedendum. Septuaginta (82): *Dedan institores tui cum jumentis electis ad currus*. Plerique de ephippiis equi, stragulisque sumptuosis, nostra-...

(63) כדכד Septuag. χορχὸρ. Alii: Χοδχὸδ. (64) *Chodchod autem quid significat, usque in præsentiarum invenire non potui*. Hieron. hic. (65) בחטי מנית (66) Judic. XI. 33. (67) Οὗτοι ἔμποροί σου ἐν σίτου πράσει. (68) פנג seu מנת significat partem, divisionem, distributionem; præparationem. (69) Plin. l. XII. c. 25. (70) Jerem. VIII. 22. & XLVI. 11. & LI. 8. (71) Genes. XXXVII. 25. (72) ביין חלבון וצמר צחר (73) Vide Strabon. lib. 15. Plut. de Fortuna Alexan. (74) Virgil. Georg. 3. Vide Sanct. hic. Virgil. lib. 4. Georg.

..... Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

(75) Vide Bochart. Phaleg lib. 1. c. 6. Et de Animal. sacr. part. 1. l. 2. c. 12. (76) Genes. X. 2. (77) Boch. Phaleg lib. 2. c. 22. (78) ברזל עשות קדה וקנה (79) Herodot. lib. 2. c. 154. (80) Σίδηρος εἰργασμένος, & τροχοὶ ἐν τῷ συμμίκτῳ σου εἰσίν. (81) דדן רכלתך בבגדי חפש לרכבה (82) Δαιδὰν ἔμποροί σου μετὰ κτηνῶν ἐκλεκτῶν εἰς ἅρματα.

strarum *stellarum* loco usurpatis, interpretantur. Dedan hic alius est a Dedano ℣. 15. Quamobrem si ille nepotem Abrahami ex Cethura significat, hic filius erit Regmæ, & nepos Chus. Gen. x. 7.

℣. 21. Arabia, et universi Principes Cedar. Apud Scripturam, Arabiæ nomine plerumque usurpatur regio ad occidentem Euphratis, & ad Jordanis orientem sita (83); Arabiæ desertæ populi, & qui circa mare mortuum sedent. Junguntur hic cum Cedarenis, eadem loca frequentantibus. Nulli horum limites definiuntur; cum enim ea gens certa seda careret, nunc huc nunc illuc per amplissimas eas provincias vagabantur. Mercimonia opesque illis erant armenta, oves, capellæ, cameli. Idem vivendi institutum adhuc servant. Hebræus non habet camelos; at addidere Septuaginta.

℣. 22. Venditores Saba et Reema. Non unus in Scriptura est *Saba*. Hunc nos cum *Rhegma* jungimus, atque in Sinus Persici faucibus, in Arabia felici, statuimus. Gentis hujus opes & aromata tota antiquitate commendantur.

℣. 23. Haran, seu *Carræ* in Mesopotamia, celebris apud Scripturam urbs, ex Abrahami domicilio, cum is ab Ur in promissam regionem ingrederetur (84). Notissima urbs est apud Historicos ex Crassi clade.

Canna, vel *Chelne*, sive *Chalanne*, quæ aliis *Callinicum* est, aliis *Cthesiphon*. Vide nos in *Genes.* x. 10.

Eden; Provincia Eden, ubi olim Paradisus Terrestris fuit, circa fontes Euphratis & Tigridis. Hujus situm quæsivimus in Genesi, II. 8.

Saba. Hic alius est a Saba ℣. 22. quamquam eodem modo scribitur (85). Illum cum Rhegma junximus, circa Sinus Persici fauces; Hunc propius Idumæam & Nabathæos collocamus. Ille Rhegmæ filius est (86); hic Jecsani filius, & Abrahami nepos per Cethuram. Gen. xxv. 3.

Assur, nepos fortasse Sabæ hujus, de quo mox; *Dadano* enim fratri *Sabæ* filius fuit *Assurim* (87). Explicari etiam potest de Assyriis, imperii amplitudine & antiquitate celeberrimis.

Chelmad. Septuaginta (88) & Syrus Carmaniam interpretantur; Chaldæus Mediam. Legitur in Comagene urbs *Cholmadora*, ad Euphratem (89).

℣. 24. Ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, et polymitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus: Cedros quoque, &c. Quorsum illud animadvertit, Hyacinthinas hasce vestes & & acu pictas funibus adstrictas fuisse? Idcirco fortasse, quod cum mercimonia essent pretii minime vulgati, majori solicitudine curaque obvolverentur, ut ad Tyrias nundinas absque discrimine pervenirent; cumque regiones mox numeratæ a continenti essent, aa mercimonia majori custodia camelis imponi deberent, atque in sarcinis probe obvolutis deferri. Hebræus (90): *Ipsi negotiatores tui in universis speciebus mercium, in globis, vel sarcinis laneis, hyacinthinis, in vestibus acu pictis in capsis pretiosis in sublimitatibus* (vel arculis in turrium formam e pretioso ligno compositis) *ligatis funibus, & clausis in arcis cedrinis*; vel, institores capsarum, arcarum ac funium, quibus arcæ ligantur; hæ quippe olim clavi, uti nunc moris est, non claudebantur. Oper-

Comment. Tom. VI.

culum arcæ non hærebat cardinibus, aut ferreis fibulis, sed plane ab illis sejunctum imponebatur ac removebatur, ut in ollis fit; cum vero claudenda esset arca, fune seu alio varii coloris vinculo ligabatur ea arte, ut nonnisi ab eo qui ligaverat, solvi posset arca & aperiri. Id passim ex Homero Odyss. 9 discimus. Varia erant arcarum genera, e cedro scilicet, aliisve arboribus, aut ebore (91); quarum aliæ formam ædiculæ, aliæ palatii seu turris imaginem referebant. Hujusmodi nonnullæ in veterum Ecclesiarum tabulariis, e raris lignorum generibus, vel ebore compositæ, ac pretiosis vestibus velatæ, conspiciuntur.

Hebræi sententiam optime expressit Chaldæus. Gentes hæ confluxere *in absolutissimis omnis generis rebus eximiis, palliis hyacinthinis, & scrinolis cedrinis, chlamydibus coccineis, quæ reposita sunt in capsellis coopertis pellibus, & ligatis funibus byssinis, & signatis annulo sculptorio, opere exquisito, positis in turribus myrtinis*. Septuaginta (92): *Ferentes negotiationem hyacinthi, & thesauros electos funibus colligatos, & cyparissum*. Hyacinthinam hanc lanam in flamina ductam, aut elaboratam non fuisse, jam diximus. Vide nos in Exodum xxxv. 25.

℣. 25. Naves maris, principes tui in negotiatione tua. Hebræus (93): *Naves Tharsis* fuere *Principes tui in negotiatione tua*. Naves e Tharso Ciliciæ urbe profectæ, potissimum negotiationis tuæ adminiculum erant; vel si mavis: Inter magnas naves, diuturnæ navigationis patientes, naves tuæ & magnitudine & structura præstabant. *Naves Tharsis* esse naves longas, diuturnis navigationibus accommodatas, docuimus in Genesi, II.

℣. 26. Ventus auster contrivit te in corde maris. Austro Nabuchodonosoram significari, Interpretes consentiunt (94). Recentiorum plerique vocem Hebraicam *Kadim* reddunt ventum orientalem, vehementem, procallosum. Babylon non meridionalis, sed orientalis erat Tyro. Alii dumtaxat vertunt (95): *Ventum urentem*; atque hanc versionem maxime omnium probo, cum Nabuchodonosorem Scriptura describat veluti e septemtrione profectum; atque apud Ezechielem, xxvi. 7. Deus Nabuchodonosorem Babylonis Regem ab aquilone in Tyrum accersit.

℣. 27. Tenebant supellectilem tuam. Hebræus (96): *Reparatores fracturæ tuæ*. Septuaginta (97): *Consiliarii tui*. Chaldæus: *Providentes necessaria tua*. Eadem locutio legitur supra, ℣. 9.

℣. 28. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes. Cum navium tuarum gubernatores, excidio tuo territi, dolentes clamaverint, classes maria peragrantes terrore quatientur. Hebræus reddi potest (98): *Ad sonitum clamoris rectorum tuorum, contremiscent suburbana*. Septuaginta (99): *Ad vocem clamoris tui, gubernatores tui timore timebunt*.

℣. 30. Superjacient pulverem capitibus suis; omnia luctus indicia assument. Hinc & ex iis quæ sequuntur, discis, eumdem in hac re fuisse morem Phœnicum finitimorumque atque Judæorum.

℣. 32. Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit, &c. Hebræus (100): *Quæ sicut Tyrus, sic muta*, oppressa, excisa (101), *in medio mari*. Vel, ex Chaldæo & Grotio: *Quis est sicut Tyrus? non est similis ei in medio mari*.

℣. 33. Multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum, ditasti Reges terræ. Hebræus:

(83) 3. Reg. x. 15. & 2 Par. xxi. 16. (84) Genes. xxviii. 10. (85) שבא Saba. (86) Genes. x. 7. (87) Genes. xxv. 3. & 10. (88) בלמר Septuag. Χαρμὰν. Syr. בלמרא (89) Ptolem. lib. 5. cap. 15. (90) מכללים בגלמי תכלה ורקמה ובגנזי ברומים בחבלים חבשים וארזים (91) Vide Psal. xlv. 9. Amos III. 15. (92) Septuag. Edit. Rom. Φέροντες ἐμπορίαν ὑακίνθου, & θησαυροὺς ἐκλεκτοὺς δεδεμένους σχοινίοις, & κυπαρίσσινα. (93) אניות תרשיש שרותיך מערבך (94) Theodoret. Chald. Sanct. Grot. Jun. Pisc. (95) Hieron. hic significantius, קדים Græce Καύσων interpretatur. Vide Genes. xli. 27. Exod. x. 13. & xiv. 21. (96) מחזיקי בדקיך (97) Οἱ σύμβουλοί σου. (98) לקול זעקת חבליך ירעשו מגרשות (99) Πρὸς τὴν φωνὴν τῆς κραυγῆς σου οἱ κυβερνῆταί σου φόβῳ φοβηθήσονται. (100) מי כצור כדמה בתוך הים Septuag. Κατασιγηθεῖσα, &c. (101) Maast. Jun. Piscat.

bræus : (1) : *In multitudine divitiarum tuarum , & negotiationis tuæ locupletasti Reges terræ* . Septuaginta (2): *De multitudine tua , & de negotiatione tua*, &c.

℣. 34. Contrita es a mari . Maris fluctibus agitata es ceu navis, & ad scopulos allisa . Pergit Tyrum comparare cum navi oneraria naufraga. Reddi Hebræus potest (3): *Contrita es adeo, ut in mari esse ulterius nequeas*. Septuaginta : *Contrita es in mari* . Chaldæus : *Contrita es quæ sedem habebas in mari*.

℣. 35. Tempestate perculsi mutaverunt vultus . Hebræus (4): *Reges earum horrentibus in capite pilis, turbati sunt facie* . Horruere crines, eorumque formido , metus ac terror in ore micuerunt. Septuaginta (5) : *Reges eorum stupore stupebunt, & flebit facies eorum*.

℣. 36. Negotiatores populorum sibilaverunt super te; te ludibrio habuerunt . Hac locutione stupor potius, & admiratio , quam ludibrium & irrisio, significari videntur , Vide locos , in quibus eadem hæc locutio occurrit (6) , Toto hoc Capite Ezechiel populos exhibet admiratione oppressos, ac Tyri mala miserantes , non irridentes. Ubi quis insperatum aliquid videt , sibilat.

---

(1) ברב הונך ומערביך העשרת מלכי ארץ (2) Ἀπὸ τοῦ πλήθους σου, καὶ ἀπὸ τοῦ συμμίκτου σου ἐπλούτισας πάντας τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς. (3) עת נשברת מימים (4) ומלכיהם שערו שער רעמו פנים
(5) Οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐκστάσει ἐξέστησαν, καὶ ἐδάκρυσε τὸ πρόσωπον αὐτῶν. (6) Jerem. xix. 8, *Ponam civitatem hanc in stuporem & in sibilum* . Ez. xl. 17. agens de Idumæa : *Omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit*. Idem alibi usurpat de Babylone L. 13.

CAPUT XXVIII.

Oratio in Regem Tyri, hujus superbia, malaque in commerciis fides. Sidonis excidium prædicitur. Israelitarum reditus in patriam.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me , dicens: 2. Fili hominis , dic Principi
Tyri: Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum , & dixisti : Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris : cum sis homo , &
non Deus , & dedisti cor tuum quasi cor Dei. 3. Ecce sapientior es tu Daniele :
omne secretum non est absconditum a te. 4. In sapientia , & prudentia tua fecisti
tibi fortitudinem : & acquisisti aurum , & argentum in thesauris tuis. 5. In multitudine sapientiæ tuæ , & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem : & elevatum est cor tuum in robore tuo. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eo
quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei : 7. Idcirco ecce ego adducam super te
alienos, robustissimos Gentium: & nudabunt gladios suos super pulcritudinem sapientiæ tuæ , & polluent decorem tuum. 8. Interficient , & detrahent te : & morieris
in interitu occisorum in corde maris. 9. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum,
coram interficientibus te : cum sis homo , & non Deus , in manu occidentium te ?
10. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum : quia ego locutus sum , ait
Dominus Deus. 11. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leva
planctum super Regem Tyri: 12. Et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis plenus sapientia , & perfectus decore , 13. In deliciis paradisi
Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius , topazius , & jaspis ,
chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus , & carbunculus, & smaragdus: aurum
opus decoris tui : & foramina tua in die , qua conditus es , præparata sunt. 14.
Tu cherub extentus , & protegens , & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. 15. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ , donec inventa est iniquitas in te. 16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt
interiora tua iniquitate , & peccasti : & ejeci te de monte Dei , & perdidi te , o
Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. 17. Et elevatum est cor tuum in
decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te ; ante faciem Regum dedi te , ut cernerent te. 18. In multitudine iniquitatum tuarum , &
iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de
medio tui, qui comedat te , & dabo te cinerem super terram in conspectu omnium
videntium te. 19. Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescent super te : nihil factus es , & non eris in perpetuum. 20. Et factus est sermo Domini ad me ,
dicens: 21. Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem: & prophetabis de ea,
22. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te , Sidon , & glorificabor in
medio tui: & scient , quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia , & sanctificatus
fuero in ea. 23. Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis ejus: & corruent

ruent

ruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum : & scient, quia ego Dominus.
24. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, & spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis: scient, quia ego Dominus
Deus. 25. Hæc dicit Dominus Deus : Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram Gentibus: & habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob.
26. Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, plantabunt vineas, & habitabunt confidenter, cum fecero judicia in omnibus, qui adversantur eis per circuitum: & scient, quia ego Dominus Deus eorum.

℣. 2. DIc Principi Tyri. Judæi, teste S. Hieronymo (1), verba hæc de Hiramo Rege, olim Davidis & Salomonis amico, interpretantur, neglecto immenso temporum discrimine, quod Ezechielem inter & Hiramum est; ac minimi faciunt, Hirami vitam ad mille annos, ut ipsi quidem ajunt, producere, nulla necessitate. Cæterum ab Hiramo ad usque Tyri excidium vix anni triginta & quadringenti fluxere. Regem Tyri, quem hic alloquitur Ezechiel, *Ithobalum* esse censemus, in veterum Historicorum fragmentis, apud Josephum servatis, notissimum. Philostratus (2), apud eumdem Josephum, testatur obsessam a Nabuchodonosore Tyrum regnante Ithobalo, annis tredecim. Post Ithobalum, rerum potitus est annis decem Baal; eoque fatis functo, creati sunt Judices, qui annis sex Rempublicam gessere. Capta urbe, interfectus est Ithobalus, uti ex iis, quæ hic sequuntur, discimus.

Patres plerique (3) Caput hoc de Diaboli peccato lapsuque explicavere. Putavit Origenes (4), Tyrium hunc Regem Angelum esse, cujus custodiæ credita fuerat Tyrus, qui in superbiam atque audaciam elatus, in tartara detrusus fuerit. Ajunt alii (5), proprie quidem ab Ezechiele Regem Tyri, tunc temporis imperantem, spectari; siquid vero occurrat, quod Diabolo convenire videatur, id per tropum & sensu accommodato usurpari. Alii denique (6), mediam tenentes viam, partim de Diabolo, partim de Rege Tyri explicant, cum aliqua hic videant, quæ alterutri solummodo convenire arbitrantur. Nos caput universum ad Regem Tyri ex litera referemus, neglecta prorsus allegoria, ac disputatione de iis quæ tum Tyrio Regi, tum Dæmonum Principi aptari queant.

Dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris. Te Numinis loco habuisti hoc in imperio, quod super maria exerces, ditionis amplitudine, & negotiationis frequentia. Tyrus mari tum imperabat, uti supra animadvertimus. Scriptura frequenter particulam similitudinis omittit, veluti: Factus est lapis, simulacrum, meretrix; cum ista significet : Obstupuit ceu lapis, obmutuit veluti simulacrum, impudens facta est uti meretrix. Quamobrem in his, *Dixisti, Deus ego sum*, sensus est : Ita felix, opulentus, gloria clarus, uti Deus.

Dedisti cor tuum, quasi cor Dei. Cor apud Hebræos pro sapientiæ sede usurpatur (7). Parem te sapientia Deo esse putasti. Vel: Tumuit animus tuus, quasi Deus sis. Omnia jussis tuis obtemperatura existimasti.

℣. 3. Sapientior es tu Daniele. Hoc ludens loquitur. Hominum sapientissimum Danielem, a te superari sapientia reris. Babylone florebat ea ætate Daniel, sapientiæ laude supra cæteros clarus. Hunc fortasse noverat Tyri Rex, qui sapientia & rerum scientia gloriabatur. Annis tredecim vel quatuordecim antea Daniel Nabuchodonosoris somnium de simulacro, variis e metallis conflato (8), explanaverat; idque fortunarum illius & gloriæ initium fuit.

Omne secretum non est absconditum a te. Hebræus (9) : *Omne arcanum non celaverunt te*. Septuaginta (10): *Sapientes non erudierunt te disciplina sua*. Vulgata Hebræi sententiam optime expressit.

℣. 4. Fecisti tibi fortitudinem (11). Opes innumeras comparasti. Fortitudo pro opibus & fortunis usurpatur. Vide sequentem ℣. *Multiplicasti tibi fortitudinem*.

℣. 7. Nudabunt gladios super pulchritudinem sapientiæ tuæ. Ordinem, institutum, negotiorum legem, quæ sapienter adeo constituisti, quibus gloriaris, quæ sapientiæ tuæ partus, & opum tuarum origo sunt, everrent. *Polluent decorem tuum*, violabunt, destruent; vel etiam, *gladiis perfodient* (12), ceu profanum ac meretricium dejicient, sternent.

℣. 8. Interficient et detrahent te; et morieris in interitu occisorum in corde maris. Hebræus (13): *Ad foveam* (sepulcrum) *impellent te, & morieris morte occisorum in corde maris*. In hac eadem urbe, in nova Tyro, quam medio in mari condidisti, interficieris: violenta nece ibi mactaberis, ibi in sepulcrum rues. Captus necatusque est a Nabuchodonosore *Ithobalus*.

℣. 10. Morte incircumcisorum morieris. Miserrima morte cades, uti solent impii atque Ethnici (14), qui nulla alterius vitæ aut resurrectionis spe moriuntur. Præceps in infernum deturbaberis, æternaque futura est ruina. Vel: Chaldæorum, incircumcisorum hominum, manu necaberis (15). Turpe erat, incircumcisi hominis manu interfici, teste Saule (16), qui nihil gravius sibi contingere posse rebatur, quam si armis incircumcisorum caderet. Porro ea religio optima in homine Judæo erat, cum incircumcisos Judæi summo horrore prosequerentur : at Tyrius Rex circumcisione, non secus atque Chaldæi, carebat : illum tamen Ezechiel more Hebræorum alloquitur.

℣. 12. Tu signaculum similitudinis (17) Dei. Vel potius (18): *Tu sigillum omnino simile*, annulus affabre cælatus, cujus simulacrum rei significatæ

Gg 2 catæ

(1) Hieron. ad ℣. xix. p. 900. novæ edit. (2) Apud Joseph. Antiq. lib. x. c. 11. Vide & l. 1. contra Appian. p. 1046. (3) Vide Tertull. contra Marcion. lib. 2. c. 10. August. lib. xi. de Civit. cap. 15. Hieron. ad Damas. & in Isai. xiv. Greg. lib. 32. Moral. c. 23. Isidor. de summo bono lib. 1. c. 12. Beda lib. quæst. qu. 9. Ambros. de Paradiso c. 2. (4) Origen. Περὶ ἀρχῶν lib. 1. c. 5. Et lib. 3. c. 2. & homil. 12. & 2. in Numer. &c. (5) August. lib. xi. de Genesi ad liter. cap. 25. Cyrill. Alex. lib. 3. in Johan. c. 29. Polychron. hic; Grot. Polan. Menoch. Tir. Cornel. Sanct. (6) Hieron. & Theodoret. hic, Apollinar. Estius. (7) Exod. xxxi. 6. xxxv. 34. xxxvi. 8. 3. Reg. iii. 12. & iv. 29. &c. (8) Dan. ii. 27. 28. (9) כל־סתום לא עממוך (10) Σοφοὶ οὐκ ἐπαίδευσάν σε τῇ ἐπιστήμῃ αὐτῶν. (11) עשית לך חיל (12) וחללו את יפעתך Septuag. Στρώσουσι τὸ κάλλος σου. (13) לשחת יורדוך ומתה ממותי חלל בלב ימים (14) Chald. Vatab. Lyran. Hugo, Dionys. alii. (15) Syr. Grot. Men. Jun. Maldon. Clar. (16) 1. Reg. xxxi. 4. *Ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* (17) Vetus Vulgata legebat Resignaculum. Septuag. Ἀποσφράγισμα. Hieron. in Psal. lxxxi. (18) אתה חותם תכנית

catæ apprime respondet: ea enim præcipua laus est sigillorum, ut simillima rei efficta sint. Neque humilem putes comparationem Regis cum annulo (19). Agens de Jechonia Rege Judæorum Deus, ait (20): *Si fuerit Jechonias annulus* (sigillum) *in manu dextera mea, inde evellam eum.* Et de Zorobabele (21): *Assumam te, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* Cæterum hæc ὑπερβολικῶς dici a Propheta existimo, atque hæc nomina Tyrio Regi idcirco tribui, quod is sapientia gloriaretur, ac Numinis loco haberi vellet. Ridiculam hanc ambitionem describit Ezechiel.

Plenus sapientia, et perfectus decore. Hæc vel ad ipsum Tyri Regem, sapientia plenissimum, cæterisque corporis ornamentis, quæ simul conjuncta venustatem pariunt; vel ad Regem referri queunt, cum annulo absolutissimi operis, atque eximiæ pulcritudinis comparatum.

℣. 13. In deliciis paradisi Dei fuisti. In urbe Tyro vitam egisti, in ædibus tuis, in hortis amœnissimis, inter omnia deliciarum genera, ceu Adam in horto Eden, in terrestri Paradiso. Ad verbum (22): *Hortus Eden Dei fuisti.* Ea eras pulcritudine, iis ornamentis ac deliciis affluebas, ut similis horto Edenis, Dei manu consito, videreris. Hinc fortasse discendum est, Mundi Creationis historiam Phœnices non latuisse, atque inter ipsos in proverbium abiisse horti Edenis delicias, quemadmodum apud Judæos.

Omnis lapis pretiosus operimentum tuum (23). Vestes tuæ gemmis undique micabant. Hebræus, Vulgata & Chaldæus novem dumtaxat gemmarum genera enumerant. Has Hebræus tres in classes distribuit, addita particula & ante tertiam, hoc modo: *Odem, Pitdah, & Jahalom: Tharsis, Sohem, & Jaspe: Saphir, Nophec, & Barakat.* Hebræa vox, quæ *operimentum* redditur, capitis etiam ornamentum significat; quasi Tyriorum Rex triplicem ordinem, singulos e tribus gemmis compositos, in diademate seu tiara gestaverit; vel ad Zonam, sive ante pectus, uti Pontifex Judæorum solebat. Favent huic explicationi Septuaginta, Syrus & Symmachus, cum reddant; *Vinctus atque constrictus, præcinctus, circumdatus.* Vel denique novem hæc genera gemmarum solummodo numerat eo modo, quo interdum pars pro toto usurpatur. Duodecim recensent Septuaginta; atque author est S. Hieronymus, horum Codices innumeris discriminibus dissidere, nedum gemmarum ordine ac numero, verum etiam appellatione. Vide quæ nos Exod. xxviii. 17. hac de re disputavimus.

Aurum opus decoris tui, et foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt. Aurum & musica instrumenta parata sunt in diem, qua Imperium capessivisti. Imperii dies apud Orientales ceu Regum natalis observabatur (24); quamobrem ludis festisque solemnibus celebrabatur, ac mutato nomine natalis dies appellabatur. Hebræus (25): Gemmæ & *aurum, opus tympanorum tuorum, & fistularum tuarum in te, in die creationis tuæ.* Imperii tui die auro gemmisque micantem te exhibuisti; ejusque diei pompam lyristæ fistulis tibiisque certatim celebravere. Grotius *tympana* interpretatur illud unionum genus, *quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities;* & *ob id tympana nominantur* (26); *foramina* vero margaritas perforatas, ut in lineas ac torques componantur. Hæc tamen explicatio longius ducta videtur, quam par est. Septuaginta (27): *Auro implevisti thesauros tuos & apothecas tuas in te, a die qua creatus & præparatus es.*

℣. 14. Tu cherub extentus et protegens: et posui te in monte sancto Dei. Similis Cherubino es, alas porrigenti, quibus propitiatorium protegat. Te ego in sancto Dei monte constitui. Postremis hisce verbis videtur Propheta Tyrium Regem cum Cherubinis, Arcam Templi in monte sancto protegentibus, comparare (28). Similis es iis Cherubinorum simulacris, undique auro micans, edito in solio sedens, & gloriæ majestatisque jubare fulgens.

In medio lapidum ignitorum ambulasti (29). Gemmis adeo nitebas, ut solaribus radiis percussus, instar ignis micares; vel, carbunculos, pyropos, gemmasque fulgentissimas pede calcabas, quippe quibus domus tuæ pavimenta sternerentur; *Calcatusque suo sub pede fulget onyx,* ut Martialis lib. 12. verba de Romano quodam usurpem. Cleopatræ Ægyptiorum Reginæ conclavia describens Lucanus Pharsal. 10. ait:

Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
Marmoribus, stabatque sibi non segnis achates,
Purpureusque lapis, totusque effusus in aula
Calcabatur onyx, &c.

In Assueri convivio Esth. 1. 6. aula omnis smaragdis, ac pretioso marmore fulgebat. Vide similis magnificentiæ exempla, quæ in eum Estheris locum congessimus.

℣. 15. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. Princeps numeris omnibus absolutissimus visus es, dum superbia & avaritia te minime corruperunt. Nihil censura dignum in te spectabatur; atque integerrimum optimi Principis exemplum habebaris. Aliter: Omnia tibi felicissime eveniebant, cum superbia, avaritia, caroremque Deo hominum injuriis, Deum nondum provocasses. Ita Grotius, Junius, Menochius.

℣. 16. Ejeci te de monte Dei. Te in altissimum dignitatis & gloriæ culmen evexeram, ceu Cherubinum ex iis, qui in monte sancto conspiciuntur (30). At scelera tua digna fuere, ut universum hoc jubar, atque omnia ornamenta amitteres. Te ego e solio & dignitatis fastigio, quo te evexeram deturbabo.

℣. 17. Perdidisti sapientiam in decore tuo. Opum fortunarumque tuarum fulgore perstrictus sapientiam, qua olim clarebas, amisisti. Imperium, opes, felix rerum omnium copia mentem animumque fregerunt.

Ut cernerent te; ut illis exemplo esses, atque ex te discerent, inter amicas fortunæ illecebras conditionis suæ non oblivisci.

℣. 18. Polluisti sanctificationem tuam. Ipsa vel fana tua profanasti ac diripuisti. Porro levius flagitium est iis, qui inanes Deos in fanis venerantur, quam verum Deum colentibus, ubi sacra illi Templa sacrilegiis violent.

Producam ignem de medio tui, quo devoreris. Ignis bellum est, Scripturarum more. Vide infra xxx. 8.

℣. 21. Pone faciem tuam contra Sidonem. Urbs Sidon maris totiusque Phœniciæ imperio diu potita est. Hujus colonia seu filia Tyrus fuit; at matrem denique filia opibus superavit, ac tum ipsam, tum Phœniciam universam suo deinde subjecit imperio. Desciscens a Tyro Sidon, sese dedidit Salmanasaro (31). Satis compertum non est, utrum Sidon Nabuchodonosoris ætate Tyro pareret. Diodorus Siculus l. 2. c. 2. innuere videtur, illam eo tempore Ægyptiis obtemperasse; ipso enim

(19) Chald. Hieronym. Grot. (20) Jerem. xxii. 24. (21) Agg. ii. 24.
(22) בעדן גן אלהים היתה (23) Πάντα λίθον χρηστὸν ἐνδέδεσαι. (24) Vide Genes. xl. 20. Matth. xiv. 6. 2. Macch. vi. 7. (25) זהב מלאכת תפיך ונקביך בך ביום הבראך (26) Plin. lib. 9. c. 35.
(27) Χρυσίου ἐνέπλησας τοὺς θησαυρούς σου, καὶ τὰς ἀποθήκας σου ἐν σοί, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐκτίσθης, σὺ κατεσκευάσθης.
(28) Hieron. Grot. Pisc. Sanct. Hugo, Cornel. (29) בתוך אבני אש התהלכת (30) Supra ℣. 14.
(31) Joseph. Antiq. lib. 9. cap. 14. Ἀπέστη Τυρίων Σιδὼν, καὶ Ἄκη, καὶ ἡ πάλαι Τύρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεῖ ἑαυτὰς παρέδωκαν.

enim teste, Apries Ægypti Rex, quem paulo post Nabuchodonosor bello fregit, validissima classe Cyprum insulam & Sidonem urbem aggressus, iis expugnatis, onustus præda in Ægyptum rediit. Cæterum Isaias xxiii. 4. significat, Sidonem nemini paruisse, cum illam eo nomine arguat, quod suppetias Tyro non attulerit, eamque a Chaldeis expugnari passa sit. Futurum procul dubio sperabat Sidon, ut æmula finitimaque eversa, ipsa in pristinam dignitatem restitueretur. At Nabuchodonosor, versis in illam armis, eaque Imperio Chaldæorum addita, omnem illius spem evertit. Id porro statim post excidium Tyri fortasse contigit. Ea pestem passa est (32), & quicquid sævissimum victori libuit. Vi capta fuisse videtur, ingenti civium cæde.

ỹ. 22. CUM SANCTIFICATUS FUERO IN EA, impiam urbem evertens. Justissimæ in illam animadversionis severitate, æquitas ac sanctitas mea perspicua late omnibus fiet.

ỹ. 24. NON ERIT ULTRA DOMUI ISRAEL OFFENDICULUM AMARITUDINIS; ruinæ ac pessimi exempli argumentum, Israelitas in impietatem rapiens, quemadmodum per Jezabelem, uxorem Achabi, atque Ethbalis Sidoniorum Regis filiam, fecerat (33). Impia hæc fœmina nedum Achabum, sed Israelem universum ad profanam religionem traxit, felici adeo eventu, ut impietas nunquam furiosius, quam ea regnante, in Israele debacchata sit. Fuerat etiam Dei populo Sidon *offendiculum amaritudinis*, mœroris causa, cum illius calamitati & exilio illuderet, quemadmodum Jerosolymæ excidio Tyrus. Denique *Spina* fuit *dolorem inferens undique*, cum Israelitas vexaverint, ærumnisque, oppressionibus & injuriis undique cinxerint Phœnices & Chananæi, bellisque subinde illatis, ubi res & occasio locum darent.

ỹ. 25. SANCTIFICABOR IN EIS. Vide ỹ. 22. Omnes ubique intelligent, pares mihi esse vires, sanctitatem, justitiam, atque clementiam.

(32) Vide infra ỹ. 23. (33) 4. Reg. xvi. 31.

CAPUT XXIX.

Ægypti calamitas, Nabuchodonosori tradita, præmii loco, ob Tyri obsidionem.

ỹ. 1. IN anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem
regem Ægypti, & prophetabis de eo, & de Ægypto universa: 3. Loquere, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne,
qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum: 4. Et ponam frœnum in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminum
tuorum squamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & universi pisces
tui squamis tuis adhærebunt. 5. Et projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: bestiis terræ, & volatilibus cœli dedi te ad devorandum: 6. Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus: pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. 7.
Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum, & innitentibus eis super te, comminutus es, & dissolvisti omnes renes eorum.
8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium, & interficiam de te hominem, & jumentum. 9. Et erit terra Ægypti in desertum, &
in solitudinem: & scient, quia ego Dominus; pro eo quod dixeris: Fluvius meus est,
& ego feci eum. 10. Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua: daboque terram
Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ. 11. Non pertransibit eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea,
& non habitabitur quadraginta annis. 12. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, & civitates ejus in medio urbium subversarum, & erunt
desolatæ quadraginta annis, & dispergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in
terras. 13. Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant. 14. Et reducam captivitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis suæ, & erunt
ibi in regnum humile. 15. Inter cætera regna erit humillima, & non elevabitur ultra super nationes, & imminuam eos, ne imperent Gentibus. 16. Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant, & sequantur eos:
& scient, quia ego Dominus Deus. 17. Et factum est in vigesimo, & septimo anno, in primo, in una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: 18. Fili
hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est, &
merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute, qua servi-

vit mihi adversus eam. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus, & erit merces exercitui illius. 20. Et operi, quo servivit adversus eam: dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. 21. In die illo pullulabit cornu domui Israel, & tibi dabo apertum os in medio eorum: & scient, quia ego Dominus.

℣. 1. IN ANNO DECIMO, DECIMO MENSE, UNDECIMA DIE MENSIS. Hebræus (1): *In anno decimo, decimo mense, duodecimo mensis*. S. Hieronymus in Commentario: *In anno decimo, duodecimo mense, prima die mensis*. Hebræus, eodem authore: *In anno decimo, duodecimo mense, prima die mensis*. At in Caput xxx. Ezechielis, ad notam temporis in Vulgata traditam redit (2), Theodoretus: *In anno duodecimo, duodecimo mense, prima die mensis*. Idem in ℣. 18. ait, Hebræum & Syrum habere *annum duodecimum*, quemadmodum & Septuaginta. Profecto; neglectis Judæorum punctis, hæc sententia elici ex Hebræo potest, si legas: *In duodecimo, in decimo, duodecima mensis*, omisso *anno*. Syrus apud Polyglotta Parisiensia cum Hebræo convenit. Arabs, neglecto anno, duodecimum dumtaxat mensis duodecimi diem fert, Manuscriptum Alexandrinum; *In anno decimo, undecimo mense, prima mensis die*. Septuaginta: *In anno duodecimo, in decimo mense, prima mensis*. Latinæ Editiones nonnullæ ferunt (3): *Duodecima mensis die, &c.* Discrimina hæc minimi facienda sunt, cum de duobus omnino annis disputetur, ac lis universa decimum inter ac duodecimum a captivitate Jechoniæ annum agitetur. Annus undecimus is est, quo capta est Jerosolyma, Mundi 3416. & duodecima dies decimi mensis anni decimi competit in feriam secundam, Kalendas Februarii, annum Mundi 3415. ex Usserio. Oracula, quæ tum hoc, tum tribus, quæ sequuntur, Capitibus continentur, ad Ægyptum spectant; ea tamen non eodem tempore protulit Ezechiel.

℣. 2. PONE FACIEM TUAM CONTRA PHARAONEM *Hophram*, vel Ephræum, Ægypti Regem, de quo Jeremias XLIV. 30. Apriem ab Herodoto lib. 23. cap. 161. appellatum. Hic suppetias pollicitus Sedeciæ, ea spe illi persuaserat, ut a Nabuchodonosore desciceret. Cum igitur Nabuchodonosor, admoto exercitu, Jerosolymam obsidione cingeret, Pharao, coactis copiis, Judæam versus profectus est, ut suppetias amico ferret (4). At Nabuchodonosor, relicta Jerosolyma, arma in Ægyptum vertit; eoque suos intra fines pulso, ad Jerosolymam rediens, urbem denique expugnavit. Nabuchodonosor Tyria, Ammonitica, Moabitica & Arabica expeditionibus aliquot annorum spatio occupatus (5), arma quamprimum vertere in Ægyptios non potuit; atque anno denique 3433. in Ægyptum irrupit. Expeditionem Nabuchodonosoris in Ægyptios meminit Berosus. Vide Josephum l. 1. contra Appionem.

℣. 3. PHARAO REX ÆGYPTI, DRACO MAGNE, QUI CUBAS IN MEDIO FLUMINUM. Hebraica vox *thannim* (6), quæ draco vertitur, magnum piscem, monstrum marinum, cetum significat. *Thunnus* ex Hebraico *thannim* confictum esse videtur. Crocodilum hic esse existimamus (7); cum ea omnia, quæ hic de *thannim* dicuntur, ad crocodilum referri queant, qui a peritissimis inter cetaceos pisces recensetur. Is amphibius est, & squamas habet: crocodili in Nilo præsertim inveniuntur, *velut in suo tantum amne regnantes* (8). Atque hoc ipsum mire exprimit Ezechiel, cum crocodilum his verbis gloriantem inducit: *Meus est fluvius, & ego feci memetipsum*. Crocodilum Ægyptii veluti Regni sui hieroglyphicum elegerant, uti ex nummis constat, ubi crocodilus Ægyptum significat. Ægypti Regem Scriptura passim sub crocodili, seu Leviathani (9) imagine exhibet. Illum Ægyptii divinis honoribus prosequebantur (10); quamobrem injuriæ loco habendum non est, magni crocodili nomen Pharaoni datum. Innuere videtur Ezechiel, id nominis ab eis Regibus usurpari consuevisse, quin & ipsum Pharaonis nomen crocodilum significat, authore Bocharto.

Sunt (11) qui crediderint, draconem magnum, in medio fluminum cubantem, malum esse Dæmonem, cui cum Ægypti regimen contigisset, ipse in superbiam elatus, eo honore privatus est, & dignitate spoliatus. *Flumina Ægypti* sunt unus idemque Nilus, in ramos, sive, ut ait Hebræus, in rivos divisus. Præter *septemplicis ostia Nili*, plures erant illius rami, ab Ægyptiis Regibus commercii causa deducti. Vide Herod. l. 2. c. 108.

MEUS EST FLUVIUS, ET EGO FECI MEMETIPSUM. Nilo potissimum gloriabatur Ægyptus (12).

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis: in solo tanta est fiducia Nilo.

His regionis suæ commodis superbiens Pharao, omnem illorum gloriam ad sese trahit: Mei sunt Ægyptus & Nilus: ego utriusque Dominus, absoluta potestate illis utor: quicquid sum, mihi uni debeo, neque Regno spoliare ne Deus ipse quidem potest. Hoc fortasse volunt ea Scripturæ verba: *Ego feci memetipsum*. Narrat Herodotus lib. 2. c. 161. & c. 169. id quod cum hac Ezechielis sententia mirifice congruit, Apriem, seu Pharaonem Hophram, post Psammitichum avum ipsius, felicissimum fuisse Regum omnium qui præcesserant, solitumque usurpare, *se neque ab hominibus posse Regno deturbari: adeo se firmum in Regno esse existimabat*. Reddi Hebræus potest (13): *Ego mihi fluvius meus sum, & ego feci memetipsum*. Nilum colebant Ægyptii (14); quamobrem cum Pharao suum sibi fluvium esse ait, perinde est ac si diceret: Ego mihimet Deus sum; nemini pareo. Ægyptiorum opinione, Nilus Deus est. Heliodor. Æthiop. lib. 9. pag. 423. Quin & inter Divos magnarum gentium habent, quippe qui regionem solus per se absque ope nubium & imbrium quotannis irriget. Idem pag. 455. l. 10. Æthio-

(1) בשנה העשירית בעשרי בשני עשר לחדש (2) Hieron. in Ezech. xxx. *Post vigesimum & septimum annum captivitatis Regis Joachin, revertitur ad præsens tempus, quando contra Ægyptum cœperat prophetare; idest, ad annum decimum, & decimum mensem, & undecimum diem mensis*. (3) Vide Edit. Bibl. Polyglott. Antuerp. & Paris. (4) Jerem. XXXVII. 10. (5) Ezech. XXV. Jerem. XXVII. XLVIII. XLIX.
(6) פרעה מלך מצרים התנים הגדול הרבץ בתוך יאוריו (7) Grot. Boch. de Animal. lib. 5 cap. 18. Sanct.
(8) Plin. l. VIII. c. 25. (9) Vide Psalm. LXXIV. 13. LXVIII. 31. Isai. XXVII. 1. & LI. 9. (10) Juvenal. satyr. XV. v. 2.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus Ibin.

Vide & Ælian. Hist. Animal. lib. x. c. 21. (11) Vide Hieron. hic. (12) Lucan. Pharsal. lib. 8.
(13) לי יאורי ואני עשיתני (14) Heliodor. lib. 9. Θεοποιοῦσι τὸν Νεῖλον οἱ Αἰγύπτιοι καὶ κρειττόνων τῶν μεγίστων ἄγουσι.

Æthiopes Nilo sacrificium ut Deo offerunt. Agrigentinos pariter amni suo litasse tradit Ælianus variar. lib. 2. cap. 33.

℣. 4. PONAM FRÆNUM IN MAXILLIS TUIS, ET AGGLUTINABO PISCES FLUMINUM TUORUM SQUAMIS TUIS. Ad artem, qua crocodili capiuntur, alludit. Soli inter Ægyptios Tantyritæ crocodilum non venerabantur. Ea gens, ait Plinius lib. 8. c. 25. huic belluæ adversa est, & *adversum ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant; dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes extrema ejus utrimque, ut frænis in terram agunt captivos.* Tum arbori suspendunt, eumque diu virgis cæsum, in frusta discerpunt ac vorant (15). Minitatur Ægyptio Regi Deus futurum, ut frænum illius ori injiciat, ipsum in desertum trahat, ibique interficiat, ac insepultum relinquat. Addit, omnes fluminis pisces illius squamis adhæsuros, & communi ipsius fato perituros. Durissimæ crocodili squamæ nullo ictu vincuntur: at in ventre mollis est tenuisque cutis, eaque parte vulnera admittit. Nili pisces Ægyptii sunt, qui squamis illius hærent, quod illum spiculis hostium invictum esse arbitrentur. At hi una cum Rege capti, in alienam regionem rapientur, ibi interituri.

Reddi Hebræus potest (16): *Ponam hamam in maxillis tuis, & agglutinabo pisces rivorum tuorum squamis tuis*, vel *alis tuis*, uti habent Septuaginta (17). Aliam capiendi crocodili artem narrat Herodotus lib. 2. cap. 70. quæ huic explicationi favet. Porcinum tergus, appensum hamo ex longo fune pendenti, medium in Nilum projicitur. Tum venator in ripa fluminis stans, & funem manu tenens, porcellum vivum verberat; cujus voce invitatus crocodilus, cibum in itinere inveniens, statim cum hamo vorat. Confestim venator captum ad ripam trahens, illius oculos cœno opplet, ac deinde nullo negotio cætera persequitur.

Spectare videtur (18) Ezechiel rem ab Herodoto narratam (19). Pulsi a Cyrenæis Libyes cum Apriæ Regis Ægyptiorum opem implorassent, is adversus Cyranæos exercitum misit; at fractis tanta clade copiis, ut pauci ex eis in Ægyptum redirent, id Regi imputantes Ægyptii, rebellaverunt, opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos, ut his internecione deletis, ipse cæteris Ægyptiis securius imperitaret. Id ubi rescivit Apries, misit ad eos verbis sedandos Amasin. At hunc inter loquendum Regem creatum, arma imperiumque capessere coegerunt. His cognitis, Apries misit ad Amasin Patarbemin, jussum ut ad se vivum Amasin adduceret. Huic redeunti, cum Amasin non adduceret, Apries ira percitus præcidi aures nasumque jussit. Fœdissimum id facinus intuentes Ægyptii, ad cæteros desciverunt, seseque Amasi tradidere.

Usus turbis Ægypti Nabuchodonosor, ac fortasse ab Aprie accersitus, in Ægyptum veniens, Apriem in Thebaidem, vel in Ægyptum superiorem, expulit (20); universamque eam regionem expugnavit ac populatus est, a *Migdol*, urbe inferioris Ægypti, ad *Syenen* usque, prope catarrhactas, in Æthiopum finibus. Ingenti Ægyptiorum Judæorumque, in eam regionem elapsorum, cæde edita, Amasin reliquit, ut miserrimis Ægyptiorum reliquiis imperaret. Confer Jeremiam XLIII. XLIV. XLV. cum Ezech. XXIX. XXX. XXXI.

℣. 5. PROJICIAM TE IN DESERTUM. Te ad ripam traham, ibique morieris, te enim interficiam; crocodilus tum in aqua tum extra aquam vivit. Fuere (21) qui censuerint, illum ductum esse Babylonem, supremumque ibi diem obiisse. At in Ægypto mortuum esse Aprien, narrant Historici. Tradit Herodotus lib. 2. cap. 169. illum ab Amasi traditum fuisse populo, a quo, faucibus elisis, in paternum tumulum delatus fuerit. Id quidem pugnare videtur cum iis quæ hic dicuntur ab Ezechiele. *Non colligeris, neque congregaberis*; at nihil negotii facessere par est; cum enim Herodotus ea scriberet, quæ ab Ægyptiis Sacerdotibus didicerat, æquum certe est, ut nonnisi ea recitet, quæ Ægyptiorum gloriæ favent. Cæterum non satis verisimile est, seditiosam multitudinem Regi odiosissimo, indignissima nece sublato, Regii funeris honores detulisse. Ctesias certe Apriem ab Amasi occisum dumtaxat testatur (22).

℣. 6. PRO EO QUOD FUISTI BACULUS ARUNDINEUS DOMUS ISRAEL. Id vero quale illius crimen est? Suppetias Israelitis promiserat, attulerat etiam, & in Palæstinam usque cum exercitu venerat (23); pulsus vero fugatusque est a Nabuchodonosore. Nihil hic certe damnandum est, nisi fortasse illud, quod conditiones omnes, quibus amicitias cum Israelitis junxerat, dolo malo non expleverit, minores suppetias ferens, quam opus esset; sive quod non statim attulerit; seu denique, quod præcipiti nimium fuga elapsus sit, hoste non expectato. Illud etiam vitio illi vertendum erat, quod ea promisisset, quæ servare non posset, ac Dei populum a debita in Deum fiducia seduxisset (24); *dum magna promittit, a Dei eos auxilio separat*. Tandem ipsamet illius audacia, majora viribus suis promittentis atque aggredientis, omnino digna erat supplicio. Regis Ægyptii cum arundine infirma ac debili comparatio, miram omnino vim habet, ac superbiæ animi frangendæ maxime est opportuna, eaque passim utitur Deus (25).

℣. 7. LACERASTI OMNEM HUMERUM EORUM .... ET DISSOLVISTI OMNES RENES EORUM. Cum ope tua niti vellent, e fastigio ruerunt, luxatoque humero, renes confregere. Id porro usuvenit, ubi quis ex edito loco præceps labitur. Aliter: Brachium vulneravere, infixis carni baculi fragminibus, ruentesque lumbos fregere. Hebræus ad verbum (26): *Rupisti eis totum humerum, & erexisti omnem lumbum eorum*. Vel, renes eorum rigentes & inflexibiles effecisti, ut jam corpus inclinare, aut movere nequeant. Septuaginta (27): *Plausit super eos omnis manus, & confregisti omnes renes eorum*. Insanam illorum constantiam unusquisque sisit, ipsique ruentes renibus contracti sunt.

℣. 10. DABO TERRAM ÆGYPTI IN SOLITUDINES, GLADIO DISSIPATAM. Hebræus (28): *Dabo terram Ægypti in solitudinem, in desertum, in desolationem*. Vel: Ægyptum in solitudinem redigam, gladio vastatam, ceu regionem, quam bellicus ignis voravit. Bellis primum civilibus inter Apriem & Amasin, uti vidimus, deinde a Chaldæis, post expugnationem Tyri, Ægyptus vastata est. Vide Jerem. XLII. 16.

A TURRE SYENES, USQUE AD TERMINOS ÆTHIOPIÆ. Vel (29): *A Migdol Syenen usque, & usque ad fines Chusch*. Syene ultima Ægypti urbs erat, Æthio-

(15) Ælian. Var. hist. lib. 2. cap. 21. (16) ונתתי החים בלחיך והדבקתי דגת היאריך בקשקשותיך (17) Πρὸς τὰς πτέρυγάς σου. Paulo infra vertit: Τῶν λοπίδων σου προσκεκολλημένων. (18) Jun. Grot. Usser. ad an. 3430. & sequ. (19) Herodas. lib. 2. cap. 161. & lib. 4. cap. 159. Diodor. lib. 1. (20) Ita Usserius; quamquam Scriptura passim innuit Apriæ cladem, ac necem, totiusque regionis excidium. At in tantis tenebris aliquis est conjecturæ locus. (21) Munst. Men. Sanct. alii plerique. (22) Ctesiæ fragm. pag. 411. Vide, si lubet, apud Athen. Dipnosop. c. 23. (23) Jerem. XXXVII. 10. (24) Hieronym. hic, & Theodoret. Vat. (25) Isai. XXXVI. 6. & Jerem. XXXVII. 7. & XLII. 17. (26) בקעת להם כל כתף והעמדת להם כל מתנים (27) Septuag. Ἐκρότησεν ἐπ᾽ αὐτοὺς πᾶσα χεὶρ, καὶ συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν. Legunt שרשת convivisti, seu העמקת confodisti, aptiore sententia quam העמדת erexisti. Grot. Castal. (28) נתתי את ארץ מצרים לחרבות חרב שממה (29) ממגדל סונה ועד גבול כוש Septuag. Ἀπὸ Μαγδώλ, καὶ Συήνης καὶ ἕως ὁρίων Αἰθιόπων. Vide Theodoret. & Hieronym. hic.

Æthiopiam versus. Æthiopia seu regio Chusch trans Nili cataractas erat. *Migdol* fortesse ipsa est Magdalon in Isthmo, Mediterraneum inter & Erythræum (29). Notissima est antiquis Syene. Hujus meminere Herodotus, Strabo, Stephanus, Plinius, Lucanus; Eustathius, veluti primæ Ægypti urbis, citra cataractas. Hanc in peninsula, Arabiam versus, ad Nilum collocat Plinius (30). Mille passuum ambitu erat, ibique Romani præsidium habebant ætate Plinii, Strabonis, & S. Hieronymi. Scriptores plerique *tradunt, in Syene oppido, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum, solstitii die nullam umbram jaci, puteumque ejus experimenti gratia factum, totum illuminari* (31). Syene nostra ætate prorsus deserta squallet, prope cataractas, & *Assuana* appellatur (32). Heliodorus lib. 8. pag. 362. Editionis Bourdeloti. *Urbs Philæ sita ad Nilum paululum supra minores cataractas a Syene & Elephantina 100. stadiis circiter distans. In finibus Ægyptiorum & Æthiopum inter utrosque causa bellorum frequentium. In solstitio æstivo radii solis adamussim vertici imminent. Idem accidit in Moraræ Æthiopiæ.*

℣. 11. Non habitabitur quadraginta annis. A Magdalo Syenen usque, regio universa vel penitus deserta squalluit, vel adeo vastata est, ut miseræ populi reliquiæ in ea superstites pro nihilo haberentur. Amasis populusque, illi a Nabuchodonosore relictus, in Ægypto inferiori steterunt, annis quatuor & quadraginta regnavit, authore Herodoto lib. 3. c. 10. Quadraginta solitudinis anni, de quibus Ezechiel, in tertium vel quartum Cyri annum desinunt (33), si ipsorum initium ducas a Nabuchodonosoris expeditione in Apriem; vel in quadragesimum ipsius Amasis annum, si ab Ægyptiorum conspiratione in Apriem illos exordiaris. Nobis illud probabile videtur, populos omnes, quos Nabuchodonosor cæterique ante ipsum Reges trans Euphratem captivos duxerant, in libertatem a Cyro sub ipsum Regni exordium fuisse vindicatos. Vide ℣. 13.

℣. 12. In medio terrarum desertarum. Ita miseram Ægyptum efficiam, uti Judæam, Phœniciam, Moabitidem, Ammonitidem, quarum incolæ ab Assyriis Regibus, ac præsertim a Nabuchodonosore, captivi trans patrias sedes abacti fuere.

℣. 14. Collocabo eos in terra Phathures, in terra Pathrusim (34), in Ægypto superiore, Thebaidem versus; quæ regio Patros seu Pathures dicta est. Nomi *Phaturitæ* in Thebaide meminit Plinius lib. 5. c. 9.

Erunt ibi in regnum humile. Ægypti Regnum, post Nabuchodonosorem, ad pristinas opes viresque nunquam rediit, neque tale deinceps fuit, cujus opem quærerent Israelitæ (35). Cum Amasis supremis vitæ suæ temporibus a Persarum Regibus desciscere meditaretur (36), Cambyses, Ægyptum ingressus, majori clade, quam olim Nabuchodonosor, in illam sæviit. Psammenitum Ægypti Regem, unaque sex millia Ægyptiorum, Susas a Cambyse ductum, cæsis in acie quinquaginta millibus, author est Ctesias. At Herodotus (37) narrat, Psammenitum sese & supplicio & servituti subduxisse, epoto tauri cruore, quo sibi necem conscivit. At uterque consentiunt, Cambysem innumeris cædibus in Ægyptum sæviisse, universamque penitus diripuisse.

℣. 16. Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant et sequantur eos. Israelitas deinceps inani suppetiarum spe non allicient, neque vanis promissionibus fallent; neque illis seditionem a Rege suadebunt, quemadmodum in Nabuchodonosorem conjurare docuerunt. Denique: Nemo jam Israelitas hortabitur, ut in Ægyptum velut in asylum fugiant. Hebræus (38): *Non erunt ultra domui Israel in fiduciam, quæ memoriam revocat iniquitatis, dum respiciunt retro.* Israelitæ oculos animumque ad Ægyptios non convertent; nullam deinceps in illis fiduciam ponent, qua Divinus furor in caput ipsorum provocatur. Revocare memoriam iniquitatis, de iis usurpatur, qui in nova semper flagitia ruunt, expletoque antiquorum criminum cumulo, Deum irritant, qui denique in ipsos severissime animadvertit (39).

℣. 17. In vigesimo et septimo anno, in primo, in una mensis. Oraculum hoc multo recentius altero est mox recitato. Illud nempe ante Jerosolymæ expugnationem pronunciatum est, hoc annis post circiter quindecim, quo scilicet anno capta est Tyrus, vel proximo statim anno, Mundi 3432. feria tertia, duodecimo Kalendas Maji, ex Usserio. Alia sequuntur vaticinia hoc vetustiora; at insolitæ non sunt apud Prophetas hujusmodi temporum turbæ. Simul congesta sunt ea, quæ ad Ægypti Regnum spectant.

℣. 18. Nabuchodonosor servire fecit exercitum suum adversus Tyrum. Quamvis Nabuchodonosoris propositum minime fuerit, ministerium Domino exhibere, aut illius imperiis obtemperare, cum Tyrum obsideret; non recusat Deus par labori, & laboris merito præmium largiri. Nihil humana virtute nobilius ibi proposuerat Nabuchodonosor, quod æterno præmio dignum haberetur: quamobrem caducis illum bonis fortunisque perituris remuneratur, & Ægypti spoliis prædaque locupletat. Morales veterum Romanorum virtutes, inquit S. Augustinus (40), fortiter, liberaliter, clementer & moderate gesta, hujusmodi præmio affecit Deus; eodemque Ægyptias obstetrices, ob servatos Hebræorum pueros. Exod. 1. 20. Nabuchodonosorem Jeremias *Dei servum* (41) nuncupat. Et Ezechiel. xxx. 25. *Cum dedero gladium meum in manu Regis Babylonis*: scilicet, cum Nabuchodonosorem jussionum mearum meæque ultionis ministrum elegero; quæ quidem munera nullam Nabuchodonosoris sanctitatem aut virtutem significant, & cum tyrannis sævissimis, atque infestissimis Divini nominis inimicis communia sunt.

Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est, vulsis pilis nodatur. Reddunt nonnulli (42): *Auritus est.* His verbis labor militum Nabuchodonosoris significatur. Capilli militibus fluxere, galea attriti, nudatique humeri ferendis sarcinis, arboribus, cophinis humo plenis, lapidibus, ad muros, turres, vallum, aggeres faciendos, quibus fretum maris, novam Tyrum a veteri sejungens, impleatur.

Et merces non est reddita ei, sive quod urbem dediderunt acceptis conditionibus Tyrii, uti quibusdam Interpretibus placet (43), eo potissimum ductis, quod post obsidionem Tyrus Reges habere non desierit; sive quod cum Tyrii urbem expugnationi proximam cernerent (44), ignem illi injecerint, vel impositas navibus opes mercesque,

[29] Vide Exod. xiv. 2. & Jerem. xliv. 1. [30] Plin. lib. v. cap. 9. Codices quidam legunt: *Centum mill. passuum ambitu.* [31] Idem lib. 2. cap. 73. [32] Vide Voyage de Paul Lucas, tom. 1. chap. 12. [33] Circa ann. M. 3470. Harum finem collocat Usserius anno 3473. quod initium ponet in bello Nabuchodonosoris in Ægyptum. Vide nos in Jerem. xlvi. 26. [34] Genes. x. 14. Vide Bochartum, & nos in hunc Geneseos locum. [35] Theodoret. hic, & ℣. 16. [36] Herodot. lib. 3. cap. 9. [37] Herodot. lib. 3. cap. 15. [38] לא יהיה עוד לבית ישראל למבטח מזכיר עון בפנותם אחריהם
[39] 3. Reg. xvii. 18. Psalm. viii. 13. xxiv. 7. cviii. 14. Isai. xliii. 25. Jerem. xiv. 10. Osee viii. 2.
[40] August. de Civit. lib. 5. cap. 12. 13. 14. 15. & D. Thom. 1. secund. qu. 114. art. 10. Vide Hieron. & Sanct. hic. [41] Jerem. xxv. 9. *Addocam servum meum Nabuchodonosor.* [42] וכל כתף מרוטה
[43] Usser. Grot. Vide sup. cap. 26. ℣. 3. & 14. [44] Hieron. hic, Sanct. Cornel. Men. Tir. &c.

que, in remotas insulas & Carthaginem trajecerint: quamobrem Nabuchodonosor, urbe expugnata, nihil in ea invenit, quod diuturnis adeo gravibusque obsidionis laboribus, tredecim scilicet annorum (45), par haberetur. *Legimus in historiis Assyriorum*, inquit S. Hieronymus (46), *obsessos Tyrios, postquam nullam spem evadendi videbant, conscensis navibus, fugisse Carthaginem, seu ad alias Jonii Ægæique maris insulas.*

℣. 19. ACCIPIET MULTITUDINEM EJUS. In Ægyptum, non secus atque in cæteras Provincias a se expugnatas, animadvertit, gentis enim proceres trans Euphratem avexit. Captivorum ab Ægypto abductorum meminit Berosus (47): at is de prima in Ægyptum expeditione agere videtur.

℣. 21. IN DIE ILLO PULLULABIT CORNU DOMUS ISRAEL, Israelitarum robur restituetur. Sunt (48) qui de Zorobabele, Babylone orto, & Davidicæ domus germine, interpretentur. Alii (49) Jechoniam esse ajunt; quem, mortuo Nabuchodonosore, Evilmerodachus carcere liberavit. Danielem nonnulli (50), seu Mardochæum, vel utrumque, Israeliticæ domus in captivitate decus & præsidium. Denique alii (51) universam Israelis gentem innui asserunt, in patrias sedes reversam, absoluta captivitate.

TIBI DABO APERTUM OS. Constanter atque audacter loqueris, nemine repugnante, aut de vaticiniorum tuorum veritate dubitante, ubi luculentissime completa viderint.

[45] Philostrat. apud Joseph. Antiquit. lib. x. cap. 11. ad fin. [46] Hieronym. in Isai. xxiii. [47] Beros. lib. 3. Rerum Chaldaic. apud Joseph. ibid. [48] Hieronymus hic. [49] Sanct. Tir. Cornel. [50] Grotius. [51] Theodoret.

C A P U T XXX.

Pergit de Ægypti ærumnis.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ululate, væ, væ, diei: 3. Quia
juxta est dies, & appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus Gentium erit. 4.
Et veniet gladius in Ægyptum: & erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta ejus. 5.
Æthiopia, & Libya, & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chub, & filii terræ
fœderis cum eis gladio cadent. 6. Hæc dicit Dominus Deus: & corruent fulcientes
Ægyptum, & destruetur superbia imperii ejus: a turre Syenes gladio cadent in ea,
ait Dominus Deus exercituum. 7. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum,
& urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt. 8. Et scient, quia ego Dominus; cum dedero ignem in Ægypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores ejus. 9.
In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ
confidentiam; & erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. 10.
Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis. 11. Ipse & populus ejus cum eo fortissimi Gentium adducentur ad disperdendam terram, & evaginabunt gladios suos super Ægyptum: &
implebunt terram interfectis. 12. Et faciam alveos fluminum aridos, & tradam terram in manus pessimorum: & dissipabo terram, & plenitudinem ejus manu alienorum. Ego Dominus locutus sum. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Et disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis, & dux de terra Ægypti non erit amplius: & dabo terrorem in terra Ægypti. 14. Et disperdam terram Phathures, &
dabo ignem in Taphnis, & faciam judicia in Alexandria. 15. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ. 16. Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ. 17. Juvenes Heliopoleos, & Bubasti gladio cadent, & ipsæ captivæ ducentur. 18. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ ejus: ipsam nubes operiet, filiæ autem ejus in captivitatem ducentur. 19. Et
judicia faciam in Ægypto: & scient, quia ego Dominus. 20. Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad
me, dicens: 21. Fili hominis, brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi: & ecce
non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium. 22. Propterea hæc dicit Dominus
Deus: Ecce ego ad Pharaonem Regem Ægypti, & comminuam brachium ejus forte, sed confractum; & dejiciam gladium de manu ejus: 23. Et dispergam Ægyptum in Gentibus, & ventilabo eos in terris: 24. Et confortabo brachia Regis Babylo-

bylonis, daboque gladium meum in manu ejus: & confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie ejus. 25. Et confortabo brachia Regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient, quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu Regis Babylonis, & extenderit eum super terram Ægypti. 26. Et dispergam Ægyptum in nationes, & ventilabo eos in terras, & scient quia ego Dominus.

℣. 3. DIES DOMINI, DIES NUBIS, TEMPUS GENTIUM. Dies Domini, dies ultionis, judicii, furoris ejus, phrases sunt Scripturæ perfamiliares, *Dies nubis*, malorum, ærumnarum, desolationis (1). In Ægypto, ubi nunquam ferme pluit, nubes rarissime apparent. *Tempus gentium* tempus est, quo Deus illas ultionis suæ flagello visitabit; vel, si mavis, tempus Chaldæorum de victoria sua exultantium, quo se de præteritis malis reficient.

℣. 4. VENIET GLADIUS IN ÆGYPTUM, ET ERIT PAVOR IN ÆTHIOPIA, vel in Regione *Chus* (2); quod plerique de Æthiopia proprie dicta accipiunt; alii de Arabia, Ægypto proxima: utraque enim regio Chus appellatur. Orationis series priori expositioni melius congruit. Adventus Chaldæorum in Ægyptum, & fama vastationis, quam inferebant, pavorem illorum longe lateque usque ad Æthiopes sparserat.

℣. 5. ÆTHIOPIA ET LIBYA, ET LYDIA, ET OMNE RELIQUUM VULGUS, ET CHUB, ET FILII TERRÆ FOEDERIS CUM EIS GLADIO CADENT. Gentes istæ omnes per Ægyptum sparsæ in exercitu Apriæ militabant. Appellantur autem hic *filii terræ fœderis*, & in sequentibus versiculis 6. & 8. *fulcientes Ægyptum & auxiliatores ejus*. Æthiopia & Libya non longe aberant ab Ægypto. *Lydia*, vel regio *Ludim*, Ægypto vicinorum (3), non satis explorata est Geographis: compertum est tamen, longe diversam esse a Lydia Asiæ (4); gentemque illam Ægypto proximam fuisse, ex Jeremia XLVI. 9. discimus. Pro Lydis Hebræus legit *Phut*, quo nomine appellabatur filius quidam Cham, qui Africæ tractum quemdam frequentavit. Vide Genesim x. 6. Est apud Ptolemæum Nomus vel Provincia *Phtenotis*, cui Butus Urbs Metropolis præerat; est & Nomus alius *Phtemphutis*, cujus Metropolis *Tava*, vel *Tafa* (5). Omne reliquum vulgus, sive juxta Hebræum (6), *Omnis mistio*, turba erat collecta simul ex Judæis, Phœnicibus, Arabibus, qui in regione occurrerant; vel potius gentes erant Ægyptiæ, quæ partes Apriæ retinuerant; vel denique Cares, & Jones, qui Cyrenaicam frequentabant. Vide Herodotum lib. 4. c. 152. & 163.

Cub designat *Cubios* a Ptolemæo lib. 4. c. 5. Κωβίους in Mareotide collocatos. An *Ægypti* nomen ex regione Cub, vel *Cubti*, vel *Gubti*, *Egubti* derivatum est?

Filii terræ fœderis designant sive Judæos, qui capta Jerosolyma in Ægyptum, frustra reclamante Jeremia (7), secesserant, sive totum quidquid erat gentium Ægyptiis fœderatarum (8), quæ cum ad suppetias ferendas venissent, eodem cum illis fato obvolutæ fuerunt.

Septuaginta addunt *Persas*, *Cretenses*, quorum primi offerunt sese superius inter copias auxiliares Tyriorum (9). Et alibi (10) ponunt illi *Cretenses* pro *Cerethim* gentibus Palæstinæ. Neque mirum est, si omnes istæ gentes sub signis Apriæ militasse ferantur. Noti sunt etiam *Persæ* alii in Africa, qui eo venientem Herculem sequuti (11), a Persis Asiæ plane distinguuntur. Occurrunt etiam in Capite XXXVIII. 5. Persæ cum Æthiopibus & Libyis. Denique censet Theodoretus, Persarum quosdam jam tunc Ægypti satis amplam Provinciam tenuisse; sed hoc incompertum est, præsertim de ætate supra Nabuchodonosorem.

℣. 6. A TURRE SYENES; sive juxta Hebræum: *A Magdalo usque Syenen*. Vide supra, Caput XXIX. 10.

℣. 7. IN MEDIO TERRARUM DESOLATARUM. Supra, Capite XXIX. 12.

℣. 9. EGREDIENTUR NUNTII A FACIE MEA IN TRIERIBUS AD CONTERENDAM ÆTHIOPIÆ CONFIDENTIAM. Mittam nuntios, qui navibus vecti, superbiam Æthiopiæ domituri venient, Nabuchodonosoris copiæ contrario Nili amne navigantes pervenient Syenen, urbem Æthiopiæ finitimam, quorum adventus Æthiopes, feram alioqui gentem, injecto pavore concutiet. Nilum contrario amne repeti usque Syenen prope Catarrhactas olim consuevisse, docet S. Hieronymus (12). Nabuchodonosoris milites *nuntios* sive operarios (13) *suos* hic Dominus appellat, quemadmodum & apud Isaiam XVIII. 2. & eodem sensu ac Nabuchodonosorem *servum suum* nuncupavit. Alii sic exponunt. Mittam in Æthiopiam nuntios, tantoque terrore Ægyptum afficiam, ut quibus recipere se in naves & per Nilum contrario amnis cursu dilabi obtigerit, ad Æthiopes usque excursuri sint, annuntiantes adventum exercitus mei in Ægyptum, & terrore ac consternatione universa replentes. Qui sub nomine *Chus* Arabiam Ægypto finitimam, ad extremam oram Septemtrionalem maris rubri, designatam censent, commode exponunt, qui fieri potuerit, ut exercitus Nabuchodonosoris eo terrorem injecerit. Sed melius, creditur nihil aliud innui verbis hisce Scripturæ, nisi quod Æthiopia ad mala Ægypti cohorruit, metuens ne Nabuchodonosor eo usque penetraret.

℣. 12. FACIAM ALVEOS FLUMINUM ARIDOS. Totam Ægyptum canales intersecant, ex quibus impervia regio curribus & equitibus (14). Canales istos obstructo ore, unde e Nilo trahebant aquas, Nabuchodonosor siccaverat. Paria se in regionem illam intulisse, Sennacheribus jactitabat (15).

℣. 13. DISPERDAM SIMULACRA, ET CESSARE FACIAM IDOLA DE MEMPHIS. Memphis, inferioris Ægypti Metropolis, urbs erat, ubi Taurus Apis alebatur; ut totius Idololatriæ Ægyptiacæ sedes esset & centrum. Docet Herodotus lib. 2. c. 168. & 169. Apriem Ægypti Regem, prope Urbem illam victum fuisse ab Amasi. Porro Nabuchodonosor

[1] Vide infr. ℣. 18. Jerem. v. 23. & xv. 9. Horat. Satyr. lib. 1. sat. 9. *Hunccine solem tam nigrum surrexe mihi!* [2] באה חרב במצרים והיתה חלחלה בכוש [3] Vide Genes. x. 13. [4] Genes. x. 22.
[5] Ptolem. lib. 4. cap. 5. pag. 107. [6] כל הערב Sym. Πᾶσα ἡ Ἀραβία. Septuag. Πάντες οἱ ἐπίμικτοι.
[7] Jerem. XLIV. 28. Vide Hieronym. & Theodoret. Sanct. Alii passim. [8] Maldon. Vat. Jun. &c.
[9] Ezech. XXVII. 10. [10] Ezech. XXV. 16. [11] Sallust. De Bello Jugurth. & Plin. l. v. c. 8.
[12] Hieronym. in Ezech. XXIX. pag. 906. nov. Edit. *Turris Syene usque hodie permanet, castrum ditioni Romanæ subditum, ubi sunt Nili Cataractæ, & usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est.*
[13] יצאו מלאכים מלפני בצים Septuag. Ἐξελεύσονται ἄγγελοι ἐκ προσώπου μου ἐν σπουδῇ. Symm. *Pervenerunt nuntii, festinantes.* [14] Herodot. lib. 2. cap. 108. Ἀπὸ τούτου ὁ χρόνος Αἴγυπτος ἐοῦσα πεδιὰς πᾶσα, ἄνιππος, καὶ ἀναμάξευτος γέγονε. Αἴτιαι δὲ τούτων αἱ διώρυχες γεγόνασι ἐοῦσαι πολλαί, καὶ παντοίους τρόπους ἔχουσαι.
[15] 4. Reg. XIX. 24. & Isai. XXXVII. 25.

nosot sdversarium se non genti minus, quam Religioni & Numinibus ejus gerebat (16). Templa ubique dejiciebat, subvertebat Idola, cedebant autem hæc omoia victoribus, & prædæ opimior portio habebantur. Quid Cambyses in Ægyptum veniens præstiterit, notum est.

DUX TERRÆ ÆGYPTI NON ERIT AMPLIUS. Amasis, qui post Apriem regnavit, Regibus Chaldæorum vectigalis parebat: absolutumque Imperium, quale prædecessores ejus, non gessit. Probabile est oracula hæc quadam sui parte ætatem Cambysis & Darii Ochi (17) respicere.

ỷ. 14. DISPERDAM TERRAM PHATURES. Vide supra XXIX. 14.

TAPHNIS, alio nomine *Tanis*; in Hebræo (18) *Zoban*, Metropolis erat Ægypti Moysis ætate, ibique Moyses ipse prodigia coram Pharaone patravit. Adjacet ramo Nili Tanitico.

ALEXANDRIA. Urbs est notissima Alexandria, quam Alexander Magnus diu post Ezechielem & Nabuchodonosorem condiderat. Hebreus legit (19): *No*. A Septuaginta interdum Ammon vel Memphis, interdum *Diospolis* appellatur, quod forte Ammon Jupiter esset Ægyptiorum. *No Ammon*, juxta Bochartum, est Urbs Thebæ, superioris Ægypti Metropolis (20); eamdemque urbem designare faciln potest *No* sine addito; vel forte alia est Urbs, quam Ptolemæus lib. 4. *Neut*, Herodotus l. 2. c. 565. appellat, sita in Delta inter ramum Nili Bubasticum, & Busiricum. Situm *No Ammon* ita describit Nahum, ut parum conveniat Urbi inclytæ Thebarum, meliusque congruat Urbi alicui maritimæ Ægypti. Vide Nahum III. 8. 9. 10.

ỷ. 15. PELUSIUM, ROBUR ÆGYPTI. Ægypti aditum ad Mediterraneum, Arabiam, & Palæstinam defendebat Pelusium. In Hebræo *Sin* (21) appellatur; quod nomen lutum, vel limum designat, & cum Græco *Pelusium* congruit. Septuaginta legerunt hic *Sais*, quæ celebris est Urbs inferioris Ægypti, & Nomi Saitici Metropolis.

MULTITUDINEM ALEXANDRIÆ. Hebræus (22) *Hammon No*. Vide ỷ. 14. Alexandria diu post Ezechielis ætatem condita fuit.

ỷ. 16. ALEXANDRIA ERIT DISSIPATA, ET IN MEMPHIS ANGUSTIÆ QUOTIDIANÆ; & Memphis nunquam non erit in angustiis. Alexandria in Hebræo appellatur *No* (23); & Memphis *Noph*, Textus legit: *No scindetur, & Noph erunt quotidie hostes*, vel quotidie affligetur. Censet Junius, nomine *Noph* potius Onuphim, quam Memphim designari; est autem Onuphis in Nomo *Onuphitico* inferioris Ægypti Metropolis (24). Septuaginta (25): *In Diospoli erit scissura*, vel ruina; *& aquæ diffluent*; quod de aggerum fractura explicat S. Hieronymus, ita rem totam exponens: *Moris Ægyptiorum est, propter inundationem excelsos aggeres construere ad ripam Nili; qui si custodum negligentia, vel nimia aquarum magnitudine rupti fuerint, subjacentes campos nequaquam rigant aquæ, sed opprimunt, atque populantur*. Sententiam hanc Septuaginta accipit Theodoretus de suffossis a Chaldæis mœnibus Diospolos.

ỷ. 17. JUVENES HELIOPOLEOS, ET BUBASTI, GLADIO CADENT. Heliopolis Urbs erat Metropolis in Nomo cognomine inferioris Ægypti: in Hebræo appellatur *On* (26). *Bubastus*, in Hebræo *Phi Beseth*, adjacet ripæ Orientali rami illius Nili, qui propius Arabiam fluit.

ỷ. 18. IN DAPHNIS NIGRESCET DIES. Vide supra ỷ. 3. Dies tenebris obsita (27) designat oppressionem, adversitatem, mœstitiam. *Tempora si fuerint nubila, solus eris*. Taphnis alia est Urbs a *Tani*, de qua in ỷ. 14. appellaturque *Tachphenechos* (28), & ipsissima est *Daphne Pelusiæ* Geographorum (29); vel potius *Tacompso*, vel *Metacompso*, Insula Nili supra Syenem inter majores & minores Catarrhactas (30).

CUM DEFECERIT IN EA SUPERBIA POTENTIÆ EJUS. Commode hæc exponuntur de inundatione Nili: Cum tumor & inundatio ejus, unde totam gloriam suam, & potentiam repetit, cessaverit. Confer Ezechielem XXXII. 12. XXXIII. 28. & Jeremiam, XLIX. 19. L. 44.

CUM CONTRIVERO IBI SCEPTRA ÆGYPTI. Sceptrum Ægypti fregit Nabuchodonosor, cum Regnum Apriæ ademptum transtulit in Amasim, alterius familiæ Principem. Hebræus (31): *Cum fregero catenas*, seu vectes *Ægypti*. Qui nomen Tachphenes reddunt Daphnas Pelusias, suspicantur ductas fuisse ibi fossas, vel stetisse arcem extructam, defendentem Ægypti aditum, qua parte contingit Syriam, & Arabiam. Qui vero accipiunt de Tacompso in finibus Æthiopiæ, contendunt, Urbem hanc Ægypti latus illud firmissimo munimento protexisse. Asserit Herodotus lib. 2. c. 30. sub Psammeticho Ægypti Rege præsidium adversus Æthiopes constitutum fuisse in Elephantina; sicut & in Daphnis ad Pelusium adversus Syros & Arabas: utramque Urbem sua adhuc ætate Persas firmasse militibus, addit.

ỷ. 20. IN UNDECIMO ANNO, IN PRIMO MENSE, IN SEPTIMA MENSIS. Oraculum hoc multo vetustios est altero, quod exorditur a ỷ. 17. capitis præcedentis, & hucusque deductum est. Undecimus captivitatis Jechoniæ annus congruit cum anno captæ Jerosolymæ a Nabuchodonosore. Septimam diem primi mensis reducit Usserius ad feriam tertiam, Aprilis sextam & vigesimam A. M. 3416. Prosequitur hic Propheta oracula sua in Ægyptum.

ỷ. 21. BRACHIUM PHARAONIS REGIS ÆGYPTI CONFREGI. De futuro eventu, tamquam de re præterita loquens Deus, *Confregi*, ait, pro *confringam*. Vel potius, cum oraculum istud impletum fuerit post aliquot menses a victo fugatoque Pharaone; qui auxilia delaturus Jerosolymam veniebat, *contrivisse se* ait *brachium hoc carneum*, cui Sedecias innitebatur (32); nec futurum numquam ut illud resurgere a lapsu, nec a vulnere convalescere possit. Addit versiculo sequenti, prosequuturum se inceptam brachii hujus adeo olim validi & terribilis contritionem; quod tunc evenit, cum Nabuchodonosor arma in Ægyptum intulit.

ỷ. 22. COMMINUAM BRACHIUM EJUS FORTE. Comminuam defectione suorum, & inductis Amasis primum, dein Nabuchodonosoris armis; hæc autem omnia intra annos quatuordecim, vel quindecim.

DISPERGAM ÆGYPTUM IN NATIONES. Vide supra Caput XXIX. 19.

[16] Vide Habacuc. II. 17. [17] Vide, si lubet, Usserium ad annum mundi 3478. & 3655.
[18] צען *Zoban*. Septuag. Τάνιν. [19] נא *No*. Septuag. Διόσπολις. Et ỷ. 15. Μέμφις. [20] Vide ad Jerem. XLVI. 25. [21] סין *Lutum*, πηλός. Græc. Πηλούσιον. Septuag. Σαΐς, vel Σαΐν.
[22] את המון נא Vide ad Nahum III. 8. & Boch. Phaleg. lib. 1. c. 1. [23] ונא להבקע ונף צרי יומם
[24] Ptolem. lib. 4. cap. 5. pag. 106. vel 124. [25] Ἐν Διοσπόλει ῥῆγμα, καὶ διαχυθήσεται ὕδατα.
[26] און *On*, Ἡλιούπολις. [27] Vide Act. II. 20. *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem*. Jerem. XV. 9. Isai. XXIV. 23. *Erubescet luna, & confundetur sol*. [28] תחפנחס *Tachphenechos*.
[29] Vide Boch. Jun. Grot. Pisc. Pol. Herodot. l. 2. cap. 107. [30] Vide Jun. Herodot. lib. 2. cap. 29. Ptolem. lib. 4. cap. 5. pag. 108. vel 124. [31] בשברי שם את מטות מצרים [32] Vide Jerem. XVII. 5. & Ezech. XVII. 9.

CAPUT XXXI.

Casus Regis Assyriæ; typus exitii Regis Ægypti.

℣. 1. ET factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est ver-
bum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti,
& populo ejus: Cui similis factus es magnitudine tua? 3. Ecce Assur quasi cedrus
in Libano: pulcher ramis, & frondibus numerosus, excelsusque altitudine, & inter
condensas frondes elevatum est cacumen ejus. 4. Aquæ nutrierunt illum, abyssus
exaltavit illum: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, & rivos suos emisit
ad universa ligna regionis. 5. Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna
regionis, & multiplicata sunt arbusta ejus, & elevati sunt rami ejus præ aquis multis.
6. Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia
cœli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub umbraculo illius
habitabat cœtus Gentium plurimarum. 7. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua,
& in dilatione arbustorum suorum: erat enim radix illius juxta aquas multas. 8. Ce-
dri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem
ejus, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non
est assimilatum illi, & pulchritudini ejus. 9. Quoniam speciosum feci eum, & mul-
tis, condensisque frondibus, & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant
in paradiso Dei. 10. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod sublimatus
est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem, atque condensam, & eleva-
tum est cor ejus in altitudine sua: 11. Tradidi eum in manu fortissimi Gentium,
faciens faciet ei: juxta impietatem ejus ejeci eum. 12. Et succident eum alieni, &
crudelissimi nationum; & projicient eum super montes, & in cunctis convallibus cor-
ruent rami ejus, & confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ; & recedent
de umbraculo ejus omnes populi terræ, & relinquent eum. 13. In ruina ejus habi-
taverunt omnia volatilia cœli, & in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis.
14. Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec po-
nent sublimitatem suam inter nemorosa, atque frondosa, nec stabunt in sublimitate
sua omnia, quæ irrigantur: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam,
in medio filiorum hominum, ad eos, qui descendunt in lacum. 15. Hæc dicit Do-
minus Deus: in die, quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abys-
so, & prohibui flumina ejus, & coercui aquas multas: contristatus est super eum
Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt. 16. A sonitu ruinæ ejus commovi
Gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his, qui descendebant in lacum:
& consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia, atque præclara in
Libano, universa, quæ irrigabantur aquis: 17. Nam & ipsi cum eo descendent
in infernum ad interfectos gladio: & brachium uniuscujusque sedebit sub umbracu-
lo ejus in medio nationum. 18. Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis in-
ter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam:
in medio incircumcisorum dormies, cum eis, qui interfecti sunt gladio; ipse est
Pharao, & omnis multitudo ejus, dicit Dominus.

℣. 1. IN ANNO UNDECIMO, TERTIO MENSE, UNA MENSIS. Die Dominica, Junii undevigesima, A. M. 3416. mense circiter ante captam Jerosolymam a Chaldæis (1).

℣. 3. ECCE ASSUR QUASI CEDRUS IN LIBANO. Cedri sublimis & dejectæ, ac in frusta jussu Domini concisæ, nobili & sublimi parabola Ezechiel designat exitium Regis Assyriæ, quod accidit sub Nabopolassaro patre Nabuchodonusoris; & sub duplici hoc cedri & Regis Assyriæ typo prædicit proximam Regis Ægypti ruinam; ac si diceret: Nosti quanta fuerit magnitudo, firmitas, & amplitudo Regni Assyriæ, nihilo tamen secius hodie tantum Regnum evanuit. Tu nec major es illo, nec firmior; dejiciam igitur te, & conteram. Cujus similitudinis sub emblemate historia hæc traditur (2). Nabopolassar Babylonius, summus copiarum Assyriæ Imperator, & Astyages Medorum Satrapa, junctis simul fœdere & viribus, obsederunt in Ninive Sarac, alio nomine Chinaladan, Assyriæ Regem; qui cum proprias vires suumque Imperatorem in se armatos non sustineret, succubuit. Capta urbe Sarac interfectus fuit: atque ita Nabopolassar Regnum Chaldææ, vel Babyloniæ usurpavit. Astyages vero, alio nomine Assuerus, absolutum sibi & supremum Mediæ Principatum adscivit, extincto penitus Assyriorum Imperio, & substituto in ejus locum Imperio Chaldæo-

(1) Usser. ad an. 3416. (2) Polyhistor apud Cedren. in Usser. ad annum 3378.

dæorum, authore Nabopolassaro patre Nabuchodonosoris. Recens adhuc ejus rei memoria extabat; nec enim a capta Ninive usque ad captam Jerosolymam nisi duodequadraginta anni intercesserunt.

Septuaginta pro cedro tum hic, cum alicubi legunt (3) *cyparissum*. Quæ sit cedri natura, constat; nec semel viri principes & optimates cedris in Scriptura comparantur (4); sicut & Imperiorum vices sub emblemate magnæ alicujus arboris exhibentur. In hanc effigiem Nabuchodonosoris futuros eventus pinxit Deus (5). Joathan Gedeonis filius proposuit Israelitis parabolam arborum agri, quæ missis ad Libanum legatis, regnum arborum cedris montis illius obtulerunt (6).

INTER CONDENSAS FRONDES ELEVATUM EST CACUMEN EJUS. Hebræus (7): *Et altitudo ejus* (sublimissimus ejus ramus) *inter ramos densos*, & umbrosos *implicata erat*. Septuaginta (8): *Regnum ejus* (Principatus, vel exordium ejus) *in medio nubium extollebatur*. Sublimissimus hic ramus, nubes cacumine suo tangens, quique cæteros humiliores circa se spectabat, designare creditur Regem Ninivea, qui victus, Regnoque suo spoliatus fuit a Nabopolassaro.

℣. 4. ABYSSUS EXALTAVIT ILLUM; abysso aquarum, cedrum illam irrigante, longe altius fastigium extulit. Hyperbolica sunt hic multa & typica, judicio S. Hieronymi (9), ut ad æquiorem, & planiorem sensum redigenda sint, si historica interpretatio exigatur. Amnes isti & abyssus aquarum, quibus cedrus irrigatur, sunt variæ per orbem gentes, quæ Regibus Assyriæ vectigales, regia ejus æraria ditabant. Quos vero *misit ad ligna regionis*, *rivi* sunt Principes & Præfecti, quos in Provincias mittebat, & quos in partem diviciarum authoritatisque suæ vocabat. Septuaginta (10): *Amnis iste congregationes suas emisit ad omnia ligna campi*. Rex Assyriæ copias suas ad Provincias in officio continendas misit (11).

℣. 6. OMNIA VOLATILIA CŒLI. Volucres omnes & bestiæ saltuum, quæ ad umbram proceræ hujus cedri concurrunt, sunt variæ per orbem gentes, Imperio Assyriorum subjectæ.

℣. 8. CEDRI NON FUERUNT ALTIORES ILLO IN PARADISO DEI. Hebræus (12): *Cedri in horto Dei non obscuraverunt illam*. Non prohibuerunt ejus aspectum, non superaverunt, non obumbrarunt illam: Reliqua Imperia longe inferiora erant Assyrisco.

℣. 11. TRADIDI EUM IN MANU FORTISSIMI GENTIUM. In manu Nabopolassari patris Nabuchodonosoris Magni, qui everso Assyriorum Imperio, Chaldaicum erexit. Hebræus (13): *Tradidi eum in manum Dei* (vel fortis) *gentium*. Septuaginta (14): *In manus Principis gentium*.

FACIENS FACIET EI; JUXTA IMPIETATEM EJUS EJECI EUM, aget cum illo pro arbitrio; pro merito impietatis ejus illum punivi. Nabopolassar, capta Ninive, cum Sarac captivo suo egit pro arbitrio. Septuaginta (15): *Perdidit illum juxta impietatem Ægypti*. Assyrium evertit Nabopolassar, quod ille iisdem criminibus, quibus Ægyptus, reum se constituerit. Theodoretus legit (16): *Ruinam suam provocavit in se juxta iniquitatem suam; ego ejeci eum*.

℣. 12. ALIENI, ET CRUDELISSIMI NATIONUM. Hebræus (17): *Alieni*, *formidabiles*, fortes *nationum*. Septuaginta (18): *Alieni*, *pestilentes de gentibus*. Designantur hisce Chaldæi, sub signis Astyagis; & Nabopolassaris militantes; cujus postremi quamquam copiæ essent Assyriacæ, alienas tamen appellat Scriptura, quod Regem suum tunc oblitæ, perinde ac extraneum illum habuerint. Ita partes & David *filios alienos* appellat Israelitas, qui partes suas deseruerant (19).

PROJICIENT EUM SUPER MONTES. Evertent cedrum hanc, & truncum relinquent in monte, ubi jam sata steterat. Septuaginta (20): *Dejecerunt eum de montibus*, & rami ejus deciderunt in *cunctis convallibus*. Hebræus ad literam (21): *Deseruerunt eum in montibus*, *& in cunctis vallibus corruerunt rami ejus*.

℣. 13. IN RUINA EJUS HABITAVERUNT OMNIA VOLATILIA CŒLI. Aves illæ, quæ nidum struxerant in ramis ejus, dum adhuc stabat, & vigebat, perseverarunt in fragminibus ejus & ramis, quamvis a trunco abscissis. Quæ Imperio Assyriorum parebant, gentes, in fide quidem, sed alterius Principis, permanserunt. In Provinciis sedibusque suis, variato tamen Rege, perseverarunt.

℣. 14. NON ELEVABUNTUR IN ALTITUDINE SUA OMNIA LIGNA AQUARUM. Principes, Satrapæ, quique provinciis præsunt, non idem quod prius dignitatis fastigium retinebunt. Novus Rex, ut Provincias sibi firmet, nihil antiquius habebit, quam ut Præfectos mutet.

TRADITI SUNT IN MORTEM AD TERRAM ULTIMAM; neci traditi sunt, & projecti in cava terræ, vel in profundissima terræ, in sepulcrum (22), nullo facto discrimine a reliquis de grege hominibus: *In medio filiorum hominum*. Sunt qui dicta hæc accipiant de inferno, quo damnati projiciuntur (23).

℣. 15. QUANDO DESCENDIT AD INFEROS, INDUXI LUCTUM, OPERUI EUM ABYSSO, cum scilicet ad infernum, vel ad sepulcrum descendit, ego luctum ingentem imperavi; & superinduxi illi abyssum. Cum Assyriæ Rex descendit in sepulcrum, subjectæ illi gentes omnes luctum ingentem celebrarunt. Id autem commisi, ut simul cum illo descenderent amnes, & abyssi illæ aquarum, quæ olim cedrum hanc aluerunt, evanuerunt cum illa. Hebræus (24): *In die, quo descendit in fossam, lugere feci: aperire feci super eum abyssum aquarum*. Septuaginta (25): *In die, qua descendit ad Infernum, luxit eum abyssus; & cohibui flumina ejus*; flumina abyssi cursum suum velut præ dolore coercuerunt.

℣. 16. CUM DEDUCEREM EUM AD INFERNUM .... CONSOLATA SUNT IN TERRA INFIMA OMNIA LIGNA VOLUPTATIS. Cum Rex Ninives descendit in sepulcrum (26); qui Regi illi paruerant Principes ærumnas suas solati sunt, inspicientes Dominum suum, Principem hunc potentem adeo & absolutum, eodem, quo ipsos, fato ad ima terræ redactum fuisse; vel æquam sibi conditionem subiisse in sepulcro, in Inferno, in loco illo tenebrarum, ubi graduum & dignitatis discrimen omne tollitur. *Consolata sunt in terra infima*, designat facile sedisse illos humi, ut celebrarent luctum Principis sui, & solamen, quale mœrentes solent,

Hh lugen-

(3) Hebr. ארז Erez. Septuag. Κυπάρισσον. Vide ℣. 8. Et Ezech. xxvii. 5. 14. Job xl. 12. (4) Jerem. xxii. 15. *Numquid regnabis, quia confers te cedro?* Vide Isai. ii. 13. Psalm. xxxvi. 35. (5) Dan. iv. 8. (6) Judic. ix. 8. (7) ובין עבותים היתה צמרתו (8) Septuag. Καὶ εἰς μέσον νεφελῶν ἐγένετο ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ. (9) Hieron. hic: *Hæc omnia, ut interim sequamur historiam, hyperbolice dicta intelligamus*, &c. (10) Septuag. Τὰ συστέματα αὐτῆς ἐξαπέστειλεν εἰς πάντα τὰ ξύλα τοῦ πεδίου. Hebr. ואת תעלותיה שלחה אל כל עצי השדה (11) Theodoret. (12) ארזים לא עממהו בגן אלהים (13) ואתנהו ביד איל גוים (14) Παρέδωκα αὐτὸν εἰς χεῖρας ἄρχοντος ἐθνῶν. (15) Καὶ ἐποίησε τὴν ἀπώλειαν αὐτοῦ κατὰ τὴν ἀσέβειαν Αἰγύπτου. (16) Ἐποίησε τὴν ἀπώλειαν αὐτοῦ κατὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ, καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἐγώ. (17) זרים עריצי גוים (18) Ἀλλότριοι λοιμοὶ ἀπὸ ἐθνῶν. (19) Psal. xvii. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt*. (20) Κατέβαλον αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὀρέων.
(21) ויטשהו אל ההרים ובכל גאיות נפלו דליותיו (22) Vatab. Pagn. Isidor. Clar. Sanct. Grot.
(23) Hieronym. Dionys. Hugo, Lyr. &c. (24) ביום רדתו שאלה האבלתי כסתי עליו את תהום
(25) Ἐν ᾗ ἡμέρᾳ κατέβη εἰς ᾅδου, ἐπένθησεν αὐτὸν ἡ ἄβυσσος, καὶ ἐκώλυσε τοὺς ποταμοὺς αὐτῆς.
(26) Theodoret. Grot. Menoch. &c.

lugendo acciperent (27). Omnia ligna voluptatis. Verbis hisce Ezechiel posse oculis forte habuit arbores, quibus consitus est hortus Elisius, celebres apud poetas, proceras & pulchras. Arbores istæ, ait Propheta, & agri delicinsi ad adventum Nabuchodonosoris exhilaratæ sunt.

℣. 17. Brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus; quicumque porrecto ad sustentandum brachio illi servierunt, sederunt sub ejus umbra. Sicut ille, ita pariter & ipsi venerunt in sepulcrum, in Infernum, & juxta illum sederunt, reliquum id obsequii in Regem suum præstantes. Hebræus (28): *Principes ejus ipsi etiam cum eo descenderunt in sepulcrum, illi qui brachium ejus fuerunt*, & qui *sederunt olim in umbra ejus*. Septuaginta (29): *Filii ejus* (posteritas) *qui habitabant sub umbra ejus, in medio vitæ suæ perierunt*. E sanguine ejus prognati Principes, violenta & præmatura morte interciderunt.

℣. 18. Cui assimilatus es, o inclyte? Dirigi hæc possunt sive ad Regem Assyriæ, cedro procerissimæ hucusque comparatum; sive ad Pharaonem Regem Ægypti, cujus typum exhibebat Rex Assyriæ, ad quem tota hæc parabola refertur. Omnia hæc, quæ de Rege Assyriæ dicta sunt, ad te pertinent, quippe qui illi prorsus simillimus es, eamdemque cum illo sortem obtines (30).

. . . . *Mutato nomine, de te*
Fabula narratur.

In medio incircumcisorum dormies, et cum his qui interfecti sunt gladio. Vos omnes peribitis una cum profanis hisce gentibus, & illis qui in bello decedentes, jacent neglecti, supremo sepulturæ officio privati (31). *Mors incircumcisorum* stylo Hebræorum est mors impura, cui melioris post decessum vitæ spes nulla superest (32).

(27) Homer. Iliad. 23. Ὀλοὸν τετρήχει δὲ γαῖα.
(28) וזרעו ישבו בצלו בתוך גוים (29) Τὸ σπέρμα αὐτοῦ, οἱ κατοικοῦντες ὑπὸ τὴν σκέπην αὐτοῦ, ἐν μέσῳ ζωῆς αὐτῶν ἀπώλοντο. Hebraicum זרע significat *brachium* & *posteros*. Septuaginta passim alterum pro altero usurpavere. Vide Isai. xvii. 5. & ix. 20. & li. 5. Dan. xi. 6. (30) Horat. lib. 1. sat. 1.
(31) Vide supra xxix. 5. (32) Ezech. xxviii. 10. & xxxi. 19. 21.

C A P U T XXXII.

Prosequitur Ezechiel oracula in Regem & populum Ægypti, quorum casum lugubri carmine plorat.

℣. 1. ET factum est duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea. 4. Et projiciam te in terram, super faciem agri abjiciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias universæ terræ. 5. Et dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua. 6. Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te. 7. Et operiam, cum extinctus fueris, cœlum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. 8. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. 9. Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in Gentibus super terras, quas nescis. 10. Et stupescere faciam super te populos multos: & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum: & obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius Regis Babylonis veniet tibi. 12. In gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam; inexpugnabiles omnes Gentes hæ: & vastabunt superbiam Ægypti, & dissipabitur multitudo ejus. 13. Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas. 14. Tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus. 15. Cum dedero Terram Ægypti desolatam: deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus, & scient, quia ego Dominus. 16. Planctus est, & plangent eum: filiæ Gentium plangent eum, super Ægyptum, & super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus. 17. Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti: & detrahe eam ipsam, & filias Gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his, qui descendunt in lacum. 19. Quo pulchrior es?

es? descende, & dormi cum incircumcisis. 20. In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est, attraxerunt eam, & omnes populos ejus. 21. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti gladio. 22. Ibi Assur, & omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulchra ejus: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. 23. Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci: & facta est multitudo ejus per gyrum sepulchri ejus: universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. 24. Ibi Ælam, & omnis multitudo ejus per gyrum sepulchri sui, omnes hi interfecti, ruentesque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum. 25. In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus: in circuitu ejus sepulchrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectique gladio, dederunt enim terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt. 26. Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo ejus: in circuitu ejus sepulchra illius, omnes hi incircumcisi, interfectique, & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viventium. 27. Et non dormient cum fortibus, cadentibusque, & incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viventium. 28. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, & dormies cum interfectis gladio. 29. Ibi Idumæa, & reges ejus, & omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio, & qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his, qui descendunt in lacum. 30. Ibi principes Aquilonis omnes, & universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis, paventes, & in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portaverunt confusionem suam cum his, qui descendunt in lacum. 31. Vidit eos Pharao, & consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio: Pharao, & omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus. 32. Quia dedi terrorem meum in terra viventium, & dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio: Pharao, & omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus.

℣. 1. DUODECIMO ANNO, IN MENSE DUODECIMO, IN UNA MENSIS. Feria tertia, vigesima secunda Martii, anno duodecimo captivitatis Jechoniæ, qui recidit in A. M. 3417. juxta Usserium. Ex codicibus Septuaginta multi legunt: *Die prima decimi mensis, anni decimi*. Alii: *Die prima duodecimi mensis, anni decimi*. Theodoretus, & alii quidam (1): *Decimo mense anni decimi*.

℣. 2. LEONI GENTIUM ASSIMILATUS ES, ET DRACONI QUI EST IN MARI. Indolem refers duarum belluarum, e quibus illa quidem in aqua, hæc humi reliquas superans feritate, & pernicie. Harum altera est Leo, altera forte Crocodilus; agit enim inferius de illa ceu de animali fluviatili: *Ventilabo cornu in fluminibus tuis*; & jam alibi Pharaonem cum crocodilo comparaverat (2).

VENTILABAS CORNU IN FLUMINIBUS TUIS, ET CONCULCABAS AQUAS PEDIBUS TUIS; cornu petebas quidquid occurrebat tibi in fluminibus; & conturbabas aquas pedibus. Scitum est, crocodilum quadrupes esse animal, & turbare sæpe aquas Nili: sed nihil corneum vel corneo simile gerit. Itaque Hebræus (3), *cornu* omittens, habet tantummodo: *Ventilabas*; taurum vel arietem, cornibus obvia ventilantem, imitabaris.

℣. 3. EXTRAHAM TE IN SAGENA MEA. Artes nonnullas, quibus capitur crocodilus, supra narravimus (4). Retibus etiam capi, tradit Ælianus (5). Septuaginta reddunt (6): *Traham te in hamo meo*.

℣. 5. REPLEBO COLLES TUOS SANIE TUA; membris tuis cruentatis. Hebræus (7): *Implebo colles tuos celsitudine tua*; vel tumoribus tuis. Septuaginta (8): *Implebo montes de sanguine tuo*. Syrus: *Implebuntur valles vermibus tuis*. Chaldæus: *Strage cadaverum tuorum*. Versionem Syriacam reliquis prætuler; *ramoth* enim sonat vermes. Vide Exodum, XVI, 20. 24. Jobum, VII. 5. XVII. 14. XXI. 26. XXV. 6. Isaiam, XIV. 11.

℣. 6. IRRIGABO TERRAM FOETORE SANGUINIS TUI SUPER MONTES. Hebræus (9): *Irrigabo terram natationis tuæ sanguine tuo super montes*. Pergit Pharaonem cum crocodilo comparare. Septuaginta (10): *Et inebriabitur terra a sordibus tuis, a multitudine tua super montes*. Ægyptus universa inficietur tabo, quod e plebis suæ, in montibus cæsæ, corporibus fluet.

℣. 7. OPERIAM COELOS. Nox & tenebræ ingentes ærumnas significant. Vide supra, XXX. 3. 18.

℣. 8. CUM CECIDERINT VULNERATI TUI IN MEDIO TERRÆ. Hæc in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, nonnullisque Latinis Editionibus desiderantur (11).

℣. 9. ET IRRITABO (12) COR POPULORUM MULTORUM,

(1) Ita plures Codices tempore Hieronym. & Editio Rom. Vide Nobil. & Theodoret. (2) Ezech. XXIX. 3. (3) ותגח בנהרותיך ותדלח מים ברגליך (4) Ezech. XXIX. 4. (5) Ælian. Var. Hist. lib. 2. c. 21. Ἀπολλύντες δὲ Τεντυρῖται, μάλιστα σαγηνεύοντες τοὺς κροκοδείλους. (6) Ἀνάξω σε ἐν τῷ ἀγκίστρῳ μου. Hebr. בחרמי (7) ומלאתי הגאיות רמותך (8) Ἐμπλήσω φάραγγας ἀπὸ τοῦ αἵματός σου. Legunt רמות, pro רמות (9) והשקיתי ארץ צפתך מדמך אל ההרים (10) Καὶ ποτισθήσεται ἡ γῆ ἀπὸ τῶν προχωρημάτων σου ἀπὸ τοῦ πλήθους σου ἐπὶ τῶν ὀρέων. (11) Vide novam editionem S. Hieronymi, tom. 5. pag. 697. & Polyglotta Antuerpiensia & Parisiensia. (12) והכעסתי לב עמים רבים בהביאי לב עברך

RUM, CUM INDUXERO CONTRITIONEM TUAM IN GENTIBUS. Fremitu, turbatione, metu, terrore, horrore implebo gentium animos, ubi ruinam tuam illis nunciavero. Septuaginta (13). *Irritabo cor populorum multorum, cum impulero captivitatem tuam in gentes.* Populi, justissimas iræ meæ causas non intelligentes, indignabuntur ac frement, ubi meæ in te animadversionis severitatem viderint. Vel: Tuo illos exitio irritabo, eum exemplo tuo didicerint, quam ingens illos ex me supplicium maneat. Vide sequentem ℣.

℣. 12. IN GLADIIS FORTIUM DEJICIAM MULTITUDINEM TUAM. *Fortium* nomine Chaldæos frequenter significat (14). Septuaginta (15): *Gladius Regis Babylonis veniet super te:* [12] *In gladiis gigantum, & dejiciam robur tuum.*

INEXPUGNABILES OMNES GENTES HÆ. Hebræus (16): *Fortes gentium omnes* sunt. Septuaginta (17): *Pestiferi* (perniciosi) *ex gentibus omnes.*

VASTABUNT SUPERBIAM ÆGYPTI, gloriam, Imperium; id quo maxime clarebat, atque illustris efficiebatur. Septuaginta (18): *Vastabunt injuriam Ægypti*, arrogantiam, sævitiam.

℣. 13. PERDAM OMNIA JUMENTA EJUS, QUÆ ERANT SUPER AQUAS PLURIMAS, in amœnissimis Nili pratis. Ægyptus olim feracissima equorum fuit, quorum nundinatio Salomonis ætate ingens in Ægypto exercebatur. 3. Reg. x. 28.

NEQUE UNGULA JUMENTORUM TURBABIT EAS, aquas Nili. Turbidus plerumque est Nilus, unde nomen illi Sihor (19).

℣. 14. FLUMINA EORUM QUASI OLEUM ADDUCAM, Nili aqua nitida erit ac pura uti oleum. Oleum inter cæteros liquores nitidissimum est ac maxime fluidum; & aqua, nisi cum se ipsa conferatur, cum nitidiore quam oleo, comparari non potest. Cur Nilus aquas turbidas trahat, id videtur Propheta ex eo ducere, quod bestiarum ex eo bibentium, aut sese flumine abluentium pedibus turbentur.

℣. 15. DESERTUR TERRA A PLENITUDINE SUA. Quæ olim tantæ ubertatis fuit, penitus inculta erit. Vel, Terra, & quæ ea continentur, deserta erunt: terra omnis quam late patet, & quantum continet, vastabitur.

℣. 17. IN DUODECIMO ANNO, IN QUINTA DECIMA MENSIS, cujus nomen silетur; at fortasse duodecimi, cujus meminit ℣. 1. Hæc quinto & decimo die post superius vaticinium contigere. Porro alterum hoc oraculum ad Ægyptios pertinet.

℣. 18. ET DETRAHE EAM IPSAM, ET FILIAS GENTIUM ROBUSTARUM AD TERRAM ULTIMAM. Ægyptios mone futurum, ut in sepulcrum una cum celeberrimis gentibus, jam ibi conditis, ferantur. Hebræi passim factum esse ajunt id, quod futurum promittitur, significatur, prædicitur, quemadmodum sæpe animadvertimus. Aliter: Cane Ægyptios in sepulcrum descensuros, ibique cum validissimis gentibus, quæ præcessere, moraturos. Illuc eos ducito, *detrahe* (20). Obtemperavit Ezechiel, cum in lugubri carmine hæc habeat: *Quo pulcrior es*, cæteris melior? inquit sequenti versiculo. *Descende & dormi cum incircumcisis.* E profanis Scriptoribus (21) discimus, Apriem Ægypti Regem, jubente Amasi, faucibus elisis periisse. Illum ab hostibus interfectum esse, luculentissime tradunt Ezechiel (22) & Jeremias (23).

℣. 19. QUO (qua parte) PULCHRIOR (melior cæteris) ES? DESCENDE ET DORMI (cuba) CUM INCIRCUMCISIS (24). Septuaginta in reliquis Capitis hujus partibus a Vulgata magnopere dissident, teste S. Hieronymo, ipsaque experientia, si eum Hebræo illos conferas; hic enim ferunt (25): *Ex aquarum pulcherrima descende, & dormi cum incircumcisis.* Romana Editio similis Vulgatæ est, at versiculum hunc post primum & vicesimum rejicit.

℣. 20. IN MEDIO INTERFECTORUM GLADIO CADENT: GLADIUS DATUS EST, ET ATTRAXERUNT EAM. Ad verbum (26): *In medio interfectorum, gladio cadent; gladius datus est*; is vulnus inflixit; *trahite eam, & omnem multitudinem ejus.* Ægyptum trahite, ac dejicite: lethali vulnere affecta est. Septuaginta (27): *In medio vulneratorum gladio cadent cum eo, & dormiet* in sepulcro *omne robur illius.*

℣. 21. LOQUENTUR EI POTENTISSIMI ROBUSTORUM DE MEDIO INFERNI, QUI CUM AUXILIATORIBUS EJUS DESCENDERUNT. Populos, qui suppetias Ægyptiis tulerant, recensitos vidimus supra (28); Æthiopes nimirum, Libyes, Lydios, Africanos, Chub, aliosque; populos in sepulcris, in regione mortuorum commorantes: Propheta enim sepulcrum seu subterraneam Rempublicam exhibet, ubi suæ sunt Regibus sedes a cæteris sejunctæ, ipsorumque subditi in ædiculis in rupe excisis circa ipsos jacent, quemadmodum Ægyptii solebant & Palæstini (29). Assyrii, cæteræque gentes opulentissimæ, unaque ii, quos diximus, cum Ægypto fœderati, qui ipsam exitio præcessere, Ægyptiorum multitudini turmatim occurrent, quasi illos honorifice excepturi; illos advenisse gratulabuntur: *Loquentur ei.* Addunt hic Septuaginta verborum officia, quibus illos excipient: *In profundo foveæ esto: quo melior es? Descende, & dormi cum incircumcisis, in medio interfectorum gladio.*

℣. 22. IBI ASSUR, ET OMNIS MULTITUDO ILLIUS: IN CIRCUITU ILLIUS SEPULCRA EJUS. Socios ibi nancisceris. Assyrius, de quo Caput xxxi. 3. eo te præcessit: circa illius sepulcrum milites ipsius gladio cæsos intueberis. Animadvertit Theodoretus, Prophetam hoc loco alludere ad eum morem, quo cæsorum cadavera confecto prælio colligebantur, ac per gentes distinguebantur (30), simulque humi condebantur ii, qui unius gentis essent, atque ad eumdem Regem pertinerent. Ægyptiorum sepulcra forma erant ferme nostris domibus simili: neque defuere Principes, qui sumptuosissima sibi sepulcra condiderint, quasi Regias ædes, post obitum habitandas. Huic hominum insaniæ morem gerens interdum Scriptura, sepulcrum nominat *domum æternitatis* (31); & *sepulcra impiorum* (32) *domos illorum in æternum.*

℣. 23. IN NOVISSIMIS LACI. Hebræus (33): *In lateribus laci*, vel sepulcri, veluti in amplissimis iis specubus, ubi ædiculæ vel sepulcra singulis cadaveribus destinata, excisa conspiciuntur.

℣. 24. IBI ELAM, Elamitæ, gens celeberrima, & Assyriis finitima.

PORTAVERUNT IGNOMINIAM SUAM CUM HIS QUI DESCENDERUNT IN LACUM. Dignam forti viro mortem non oppetierunt; nullo honore aut discrimine, in ima.

(13) Παροργιῶ καρδίαν λαῶν πολλῶν ἡνίκα ἂν ἄγω αἰχμαλωσίαν σου εἰς τὰ ἔθνη. (14) Vide Ezech. xxx. 11. xxxi. 12. xxxii. 27. (15) Ἐν μαχαίραις γιγάντων, καὶ καταβαλῶ τὴν ἰσχύν σου. (16) עריצי גוים כלם (17) Λοιμοὶ ἀπὸ ἐθνῶν πάντες. (18) Ἀπολοῦσι τὴν ὕβριν Αἰγύπτου. Hebr. ושדדו את גאון מצרים (19) Vide Josue xiii. 3. Jerem. ii. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* (20) הורדהו אתה ובנות גוים אדירים אל ארץ תחתיות (21) Herodot. lib. 2. cap. 169. Diodor. lib. 1. (22) Ezech. hic, ℣. 19. 20 & seq. (23) Jerem. xliv. 30. (24) ממי נעמת רדה והשכבה את ערלים (25) Ἐξ ὑδάτων εὐπρεποῦς κατάβηθι, καὶ κοιμήθητι μετὰ ἀπεριτμήτων. (26) בתוך חללי חרב יפלו חרב נתנה משכו אותה וכל המוניה (27) Ἐν μέσῳ τραυματιῶν μαχαίρας πεσοῦνται μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ κοιμηθήσεται πᾶσα ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ. (28) Ezech. xxx. 5. (29) Vide infra ℣℣. 22. 23. 24. &c. (30) Lucan. Pharsal.

. . . . . *Petimus non singula busta,*
Discretosque rogos; unum da gentibus ignem.

(31) Eccle. xii. 5. (32) Psal. xlviii. 12. (33) בירכתי בור Septuag. Εἰς πλευρὰς λάκκου.

ima sepulcri parte conditi sunt. Hæc non habent Septuaginta hoc loco, sed ℣. 25. ubi hanc sententiam reperit; feruntque (34): *Acceperunt cruciatum suum cum iis qui descenderunt in foveum.*

℣. 26. IBI MOSOCH ET THUBAL. Vide quæ de his diximus supra XXVII. IV.

℣. 27. NON DORMIENT CUM FORTIBUS .... QUI DESCENDERUNT AD INFERNUM CUM ARMIS SUIS, ET POSUERUNT GLADIOS SUB CAPITIBUS SUIS. Elam, Mosoch, & Thubal iis in morte ornamentis caruere, quibus fortes viri in ipsismet sepulcris distinguuntur. Nulla prope illos arma in sepulcris posita sunt, neque suppositus est capiti gladius. Misti sunt cum reliquo mortuorum vulgo; tuque Ægyptiorum Rex, melior illis non es: descende, ne querare, nisi honoratius tibi quam cæteris sepulcrum contigit. Usitatissimum apud Veteres erat hoc ipsum quod innuit Scriptura, milites nimirum cum armis sepelire, eorumque arma in sepulcris prope ipsos condere. Quæ carissima unicuique fuerant, cum eo sepeliebantur (35). Tumulis imponebantur arma, & artis instrumenta. Miseni sepulcro Æneas, ait Virgilius Æneid. x.

Imposuit suaque arma viro remumque tubamque.

Simon Macchabæus (36) patri fratribusque tumulum condidit in oppido Modin, armaque & naves super columnas collocavit, quo longius prospicerentur. Arma frequenter in militum sepulcris inventa sunt, eorumque epitaphia etiamnum armorum imaginibus ornantur.

Septuaginta Interpretes e Romana Editione, aliique Codices nonnulli negantem particulam omittunt (37): *Et dormierunt cum gigantibus mortuis a sæculo, qui descenderunt in infernum cum armis bellicis, & posuerunt gladios sub capitibus suis.* At S. Hieronymus & Complutensis Editio ferunt: *Et non dormierunt*, &c. Sunt qui Hebræum legant cum interrogationis nota: *An Ægyptii non dormient cum populis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis?* Vel: Nonne Elam, Mosoch & Thubal heroum more mortui sunt, unaque cum armis sepulti?

FUERUNT INIQUITATES EORUM IN OSSIBUS EORUM. Eamdem hic puto sententiam significari, quam ℣℣. 24. & 25. Probrum flagitii atque ignaviæ suæ ad sepulcrum usque tulerunt: nullo honore, cujusmodi supra diximus, sepulti sunt.

℣. 28. ET TU IN MEDIO INCIRCUMCISORUM CONTERERIS. Hos in altera vita socios habebis: in media mortuorum congerie sepelieris, inter impuros, extraneos, victos, & sine honore sepultos. Hæ profecto minæ gravissimæ Ægyptiis erant, quibus maxima fuit sepulcrorum cura, nihilque miserius sibi contingere posse arbitrabantur, quam si paterno sepulcro exclusi, communi cum peregrinis tumulo conderentur.

℣. 29. IBI IDUMÆA ET REGES EJUS. Idumæos ibi invenies incircumcisos, quemadmodum cæteros. Hi ad Chaldæos accesserant, armaque in Jerosolymitana obsidione cum illis junxerant (38); at deinde gladio dati sunt, uti cæteri hostes Israelis. Circumcisionem ii reliquerant; relictamque iterum admittere illos coegit Hircanus Asmonæus, ut docet Joseph. Antiqu. l. 13. c. 17. Septuaginta ex Complutensi Editione: *Ibi Edom & Reges ejus, ibi Principes Assur, bellatores eximii. Dormierunt cum interfectis gladio, & cum iis qui descenderunt in foveum.* Theodoretus & S. Hieronymus itidem legunt: at Romana Editio solummodo fert, *Principes Assur*, omissis Idumæis.

℣. 30. IBI PRINCIPES AQUILONIS, ET UNIVERSI VENATORES, violenti. Septuaginta (39): *Ibi Principes aquilonis, omnes Principes Assur.* Hebræus (40): *Ibi Principes aquilonis, & omnes Sidonii.* Aquilonis Principes fortasse sunt Phœniciæ Syriæque Reges, Philisthinorum Satrapæ; Reges Tyri, Sidonis ac Damasci; vel Medorum atque Assyriorum Reges, cæterarumque provinciarum, quæ apud Scripturam nomine Principum aquilonis significantur.

℣. 31. VIDIT EOS PHARAO, ET CONSOLATUS EST; leviorem molestiam ab exercitus Regnique sui exitio retulit, cum nihilo melius sibi quam cæteris fatum contigisse animadverteret. Ita de Ægyptiis ubique agit Ezechiel, ut illos putasse significet, animas a corpore sejunctas æternum existere; quamobrem neque metempsychosim, neque Saducæorum sententiam amplexos.

℣. 32. DEDI TERROREM MEUM IN TERRA VIVENTIUM. Hebræus (41) & Septuaginta (42): *Dedi terrorem ejus in terra vitæ.* Judæam ab Ægyptiis terreri passus sum; idque, ex Grotio, tunc evenit, cum Nechao in Judæam profectus, Josiæ Regis Juda exercitum profligavit. Terra viventium Judæa est, uti supra animadvertimus ad cap. Ezech. 26. 20. Si vulgatam & recentiorum Judæorum lectionem sequaris, dicito futurum ut Deus terrore compleat terram viventium, Ægyptum scilicet, provinciam eo tempore populis florentissimam. Hanc terrebit Deus, suique furoris pondere opprimet, domesticis externisque bellis ac turbis in ea excitatis. Denique reddi potest: Ubi terram viventium terrore complevero, omnisque Palæstina justitiæ meæ severitatem experta fuerit, in Ægyptum movebor, &c.

(34) Ἔλαβον τὴν βάσανον αὐτῶν μετὰ τῶν καταβαινόντων εἰς βόθρον. Heb. ישאו כלמתם את יורדי בור
(35) Servius in hæc verba Virgil. Æneid. x.

Arma, quibus lætatus, habe tua, teque parentum
Manibus & cineri, [si qua est ea cura] remitto.

Moris enim fuerat, ut cum his rebus homines sepelirentur, quæ dilexerant vivi. (36) 1. Macc. XIII. 29.
(37) Καὶ ἐκοιμήθησαν μετὰ τῶν γιγάντων τῶν πεπτωκότων ἀπ' αἰῶνος, καταβάντων εἰς ᾅδου ἐν ὅπλοις πολεμικοῖς.
(38) Vide supra Ezech. XXV. XX. XXXV. XXXVI. (39) Ἐκεῖ οἱ ἄρχοντες τοῦ βοῤῥᾶ, πάντες στρατηγοὶ Ἀσσούρ.
(40) שמה נסיכי צפון כלם וכל צדני (41) כי נתתי את חתיתו בארץ חיים
(42) Ὅτι δέδωκα τὸν φόβον αὐτοῦ ἐπὶ γῆς ζωῆς. Ita Syr. & Arab.

CAPUT XXXIII.

Excubitor Israelis, ejusque officium. Questus Judæorum in Deum rejiciuntur. Absolutum Israelitidis excidium. Judæi captivi vaticinia detorquent.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum

ſuper ſe ſpeculatorem: 3. Et ille viderit gladium venientem ſuper terram, & ceci-
nerit buccina, & annuntiaverit populo: 4. Audiens autem, quiſquis ille eſt, ſoni-
tum buccinæ, & non ſe obſervaverit, veneritque gladius, & tulerit eum: ſanguis
ipſius ſuper caput ejus erit. 5. Sonum buccinæ audivit, & non ſe obſervavit, ſan-
guis ejus in ipſo erit: ſi autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſalvabit. 6. Quod ſi
ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non
cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate
ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. 7. Et tu,
fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermo-
nem, annuntiabis eis ex me. 8. Si me dicente ad impium: Impie, morte morie-
ris; non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem
autem ejus de manu tua requiram. 9. Si autem annuntiante te ad impium, ut a
viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua; ipſe in iniquitate ſua morie-
tur: porro tu animam tuam liberaſti. 10. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum
Iſrael: Sic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt,
& in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ergo vivere poterimus? 11. Dic ad eos: Vivo
ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua,
& vivat. Convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis, & quare moriemini do-
mus Iſrael? 12. Tu itaque fili hominis, dic ad filios populi tui: Juſtitia juſti non
liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, in
quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua, & juſtus non poterit vivere in ju-
ſtitia ſua, in quacumque die peccaverit. 13. Etiam ſi dixero juſto, quod vita vi-
vat, & confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tra-
dentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur. 14. Si autem di-
xero impio: Morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato ſuo, feceritque judi-
cium, & juſtitiam, 15. Et pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in
mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum: vita vivet, & non mo-
rietur. 16. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei: judicium, &
juſtitiam fecit, vita vivet. 17. Et dixerunt filii populi tui: Non eſt æqui ponderis
via Domini, & ipſorum via injuſta eſt. 18. Cum enim receſſerit juſtus a juſtitia
ſua, feceritque iniquitates, morietur in eis. 19. Et cum receſſerit impius ab impie-
tate ſua, feceritque judicium, & juſtitiam, vivet in eis. 20. Et dicitis: Non eſt re-
cta via Domini. Unumquemque juxta vias ſuas judicabo de vobis, domus Iſrael.
21. Et factum eſt in duodecimo anno in decimo menſe, in quinta menſis tranſmi-
grationis noſtræ, venit ad me, qui fugerat de Jeruſalem, dicens: Vaſtata eſt civitas.
22. Manus autem Domini facta fuerat ad me veſpere, antequam veniret, qui fuge-
rat; aperuitque os meum, donec veniret ad me mane, & aperto ore meo non ſilui
amplius. 23. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: 24. Fili hominis, qui
habitant in ruinoſis his ſuper humum Iſrael, loquentes ajunt: Unus erat Abraham,
& hæreditate poſſedit terram: nos autem multi ſumus, nobis data eſt terra in poſ-
ſeſſionem. 25. Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in ſanguine co-
meditis, & oculos veſtros levatis ad immunditias veſtras, & ſanguinem funditis: num-
quid terram hæreditate poſſidebitis? 26. Stetiſtis in gladiis veſtris, feciſtis abomina-
tiones, & unuſquiſque uxorem proximi ſui polluit, & terram hæreditate poſſidebitis?
27. Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Vivo ego, quia qui in ruinoſis ha-
bitant, gladio cadent, & qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad devorandum; qui autem
in præſidiis, & ſpeluncis ſunt, peſte morientur. 28. Et dabo terram in ſolitudinem,
& in deſertum, & deficiet ſuperba fortitudo ejus, & deſolabuntur montes Iſrael, eo
quod nullus ſit, qui per eos tranſeat. 29. Et ſcient, quia ego Dominus, cum dede-
ro terram eorum deſolatam, & deſertam, propter univerſas abominationes ſuas, quas
operati ſunt. 30. Et tu, fili hominis: filii populi tui, qui loquuntur de te juxta
muros, & in oſtiis domorum, & dicunt unus ad alterum, vir ad proximum ſuum lo-
quentes: Venite, & audiamus, quis ſit ſermo egrediens a Domino. 31. Et veniunt
ad te, quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus, & audiunt ſer-
mones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam
ſuam ſequitur cor eorum. 32. Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi, dulci-
que ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea. 33. Et cum venerit,
quod prædictum eſt (ecce enim venit) tunc ſcient, quod prophetes fuerit inter eos.

℣. 2. TERRA, CUM INDUXERO SUPER EAM GLADIUM. Quæ hinc ad ℣. 20. usque leguntur, supra occurrunt Capite III. a ℣. 17. usque ad 22. Quamobrem quæ in eum locum animadvertimus, non repetemus. Illic ait Deus, electum esse a se Ezechielem, ut populi excubitor esset; hic electum esse a populo unum e multitudine, *Unum de novissimis suis*. Hoc locutionis genus sæpe alibi vidimus (1). Inter varias hujus loci explicationes, optima omnium videtur ea, quæ de electione interpretatur a populo habita, nullo discrimine vel hominis dignitate conspicui, vel a plebe vilissimi.

℣. 6. ILLE QUIDEM IN INIQUITATE SUA CAPTUS EST. Confer hæc verba cum ℣. 18. Capitis III. atque animadverte, comparationem hanc de populo applicandam esse criminum reo, quem pastor, vel excubitor, illius incolumitati prospiciens, Dei nomine minis terret. Impia gens monentem audiit; clamavit excubitor: at illa neglexit: quamobrem in impietate morietur. Aliter: *In iniquitate sua captus est*. Justas ignaviæ suæ, quod non fugerit, contemptorumque Pastoris sui monitorum pœnas dedit. Vel, vulgari Judæorum opinioni morem gerit Propheta, existimantium, neminem quibuslibet vitæ hujus ærumnis affligi, nisi ob notum aliquod ignotumve flagitium, quod vel ipse vel majores ipsius admiserint (2). Porro hæc opinio passim in Veteri Testamento legitur. Cum aliquid mali contingeret, ajebant (3): Iniquitas nostra super nos venit (4): recordatus est iniquitatis nostræ Deus (5); invenit Deus iniquitatem servorum suorum. Scriptor Libri Job sententiam hanc evertere pro viribus conatur, ac docere, vitæ hujus mala non semper pœnas criminum esse a Deo immissas, ac frequenter pios a Deo cruciari ut purgentur solummodo ac probentur.

℣. 8. IMPIE, MORTE MORIERIS. Sunt (6) qui de animæ exitio æternoque supplicio interpretentur: atque huic explicationi favent ea quæ sequuntur. Alii tamen (7) censent, temporalem impiis mortem Deum hic minitari, ut eos ad meliorem frugem atque ad officium revocet.

℣. 10. QUOMODO ERGO VIVERE POTERIMUS? Iniquos Judæorum questus de iis quæ a Deo aguntur, Propheta jam rejecit supra, capite XIII. *Patres comederunt uvam acerbam*, ajebant, *& dentes filiorum obstupescunt*. Peccavere majores: nos illorum pœnas luimus. Eadem ferme hic querela est: Peccatis undique obsidemur: ita nos occupavere flagitia, ut nulla jam veniæ spes superesse videatur; nostra enim & majorum crimina nobis adscribuntur. Quæ cum ita sint, qui fieri potest ut vivamus, malaque nobis promissa vitemus? Questus hosce refellit Propheta in consequentibus, docetque neminem a Deo alienorum criminum causa puniri, sed propriorum; nostraque in potestate esse aut ea patrare, aut Dei ope vitare. *In auditoris arbitrio est vel audire & facere, atque salvari; vel contemnere, & proprio perire contemptu*, inquit S. Hieronymus.

℣. 11. NOLO MORTEM IMPII, SED UT CONVERTATUR IMPIUS. Impii mors ex Dei proposito non est, neque finis, quem agendo sibi præstituat, neque id quod ipse cupiat quærat se: permittit solummodo ac tolerat, sed quodammodo invitus. Quicquid agit, salutis nostræ causa fit; ipse sibi mortem infert impius, dum paratam sibi a Deo opem, atque exhibita salutis adminicula rejicit, negligit, atque contemnit. Vide caput XVIII. 23.

℣. 12. IMPIETAS IMPII NON NOCEBIT EI, IN QUACUMQUE DIE CONVERSUS FUERIT AB IMPIETATE SUA. Veteres quidam locum hunc ita legunt (8): *Quacumque hora peccator ingemuerit, & conversus fuerit, vita vivet*, &c. Alii (9): *Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, salvus erit*. Junxisse videntur locum hunc cum Isaiæ verbis XXX. 15. Ubi nos justos facit Deus, præteritorum criminum penitus obliviscitur, eaque misericordiæ suæ imbre obruit. At, quemadmodum in Matth. XVIII. 35. animadvertimus, si post elapsorum veniam, iterum in flagitia ruamus, ipsa peccantium contumacia facit, ut vetera peccata quodammodo resurgant, novaque difficilius quam antiqua dimittat Deus.

℣. 17. DIXERUNT FILII POPULI TUI: NON EST ÆQUI PONDERIS VIA DOMINI. Quæ porro ea causa? Nimirum iniquitatem & justitiam eadem in lance ponit, uniusque criminis causa damnat, uti unius recte facti merito salutem largitur; quasi par sit vis utriusque, hujus quidem ad vitam, illius vero ad mortem; & quæ recte fiunt, merito ac virtute quam longissime non superent ea quæ male geruntur; neque viribus pugnaque plane heroicis opus sit, ut quis bene agat, cum peccanti satis sit naturam sequi, malisque animi cupiditatibus obtemperare. Quamobrem iniquum omnino est, si peccati unius causa obliviscatur Deus omnium quæ recte egimus; æquissimum vero, si bene facti unius causa peccatorum omnium memoriam aboleat, cum præstantissima sit hujus dignitas ac virtus, summaque sit in eo exercendo difficultas. Ita, mea quidem sententia, pessime argumentabantur Judæi.

At minime iniqua est Dei via, sed peccantis; hunc enim malus ipsius amor fallit, docetque pessime argumentari, ac Dei erga se Providentiam iniquitatis arguere. Deum sibi ipse debitorem fingit, ac bene gestorum laudem sibi adscribit: putat magnum satis excusationi locum sibi esse, quod animus in malum natura pendeat, neque animadvertit, siquid bene agat, id unius gratiæ ope fieri, quæ omnino gratia non foret, nisi gratis omnino concederetur. Ubi hominum merita coronat Deus, sua ipsius dona coronat: voluntas ubi res creatas Creatori præfert, iisque neglecto Deo fruitur, sponte ac libere in eas fertur; quamobrem tota prorsus hominis actio est, cujus iniquitas atque a Lege dissensio æterna supplicia promeretur: at siquid bene agimus, quamvis actio libera sit atque a voluntate hominis proficiscatur, nullum prorsus illius meritum esset, nisi supernaturali divinitus ope Omnipotens adjuvaret, qua & hominem prævenit & bene agentem regit, efficitque ut in virtutis exercitio perseveret. Si igitur homo creatas res malæ cupiditatis vi atque impetu sectatur, iniquum ne est, si eam male animo paratum puniat Deus paribus iniquitati suppliciis, neglecta meliore animi Præparatione, qua is olim fortasse fruebatur? Cum hominum status ac vita quolibet tempore labatur ac fluat, ex præsenti illius præparatione hominem judicat Deus. Cave tamen putes, par omnino pœnam illi a Deo infligi, qui vitam peccatis obvolutam semper duxerit, & alteri, qui post diuturnum pietatis ac justitiæ exercitium, denique in peccatum ruat. Supplicia & præmia ex numero & pondere rerum bene vel male gestarum metitur Deus. Vide in hanc rem Caput XVIII. 25.

℣. 21. IN DUODECIMO ANNO, IN DECIMO MENSE, IN QUINTA MENSIS a captivitate Jechoniæ, quæ dies incidit in feriam quartam, octavo Kalendas Februarii, anno Mundi 3417. Septuaginta ex Romana Editione: *In decimo anno, duodecimo men-*

(1) [illegible] Vide Genes. XLVIII. 8. Judic. XVIII. 9. & 3. Reg. XXI. 31. Dan. I. 3. (2) Vide Ezech. XVIII. 2. Jerem. XXXI. 30. & seq. (3) 1. Esdr. 12. 7. Dan. XIII. 52. (4) 3. Reg. XVII. 18. (5) Genes. XLIV. 16. Vide & XLII. 21. (6) Hieron. Hugo, Dionys. Lyran. Vat. (7) Theodoret. Sanct. Grot. (8) Author de vera & fals. Pœnit. inter Opera D. Augustini cap. 17. (9) Gregor. Mag. lib. 7. Ep. 54. nunc lib. 9. indict. 2. Ep. 52. Et Author libri de Conflictu virtutum & vitiorum cap. 15. Et Rupert. in Levit. cap. 18.

mense, quinta mensis. Vel, ex aliis Codicibus ac Theodoreto: *Duodecimo anno, duodecimo mense, quinta mensis*. Syrus: *Anno undecimo, duodecimo mense*; atque hoc maxime probat Theodoretus, cum Jerosolyma expugnata fuerit nona die mensis quarti, anno undecimo (10); ac mirum profecto est, ab urbis expugnatione, quæ quarto mense contigit, ad quintum usque anni duodecimi mensem nullos ejus rei nuntios in Mesopotamiam pervenisse (11). Sunt qui censeant, transfugam hunc Ezechieli nunciasse non urbis expugnationem ac Templi excidium, sed universæ regionis depopulationem, Godoliæ necem, supremamque populi fugam in Ægyptum.

℣. 22. Aperto ore, non silui amplius, quemadmodum antea illi promiserat Deus, Capite xxiv. 27. Oraculorum Ezechielis veritatem apertissime tunc populus vidit, cum res ipsas jam intuerentur, neque ullus jam dubio locus superesset.

℣. 24. Qui habitant in ruinosis his .... ajunt: Unus erat Abraham, et hæreditate possedit terram. Respondit ℣. 10. Ezechiel Hebræis de salute vitaque desperantibus inter crimina, quibus undique obsidebantur. Refellit hic eorum superbiam, qui post Jerosolymæ ac Templi excidium, in Judææ ruderibus ac ruinis remanserant. Temere sibi blandiebantur ii futurum, ut gentis suæ res meliore fortuna uterentur, atque ajebant: Unus erat Abraham, posteris carens, quo tempore Deus Chanaanitidem illi promisit. Si igitur Deus, repugnante rerum omnium specie, Chanaanitidem illi largitus est, cum eam posteris ipsis tradiderit, cur nos eo non revocet, quantumvis pugnante fratrum nostrorum exilio, & communi omnium oppressione? Multo certe majores numero sumus; quam Abrahami familia tunc fuerit. At hi gravissimum inter ipsos & Abrahamum discrimen non animadvertebant, quo ipsorum restitutio penitus impediebatur: Abraham nimirum justus erat Deoque charus, ac Divinis jussionibus constantissime obtemperavit: at Judæi impii erant, ac nedum resipiscere, atque agere pœnitentiam, sed vana spe, quibus superbiam suam fovebant, sibi blandiri meditabantur.

℣. 25. In sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias. Versiculus hic & qui statim sequitur (12) in Codice septuaginta Interpretum, quo utebatur S. Hieronymus, non legebantur, neque adhuc leguntur in Romana Editione; at utrumque habent Complutensis Editio, Manuscriptum Alexandrinum, ac Theodoretus, quamvis nonnihil diffideant. Habebant etiam Aquila, Symmachus ac Theodotio. *In sanguine comedere*, vel cum sanguine, vel absolute sanguinem (13), idem ferme significant, atque omnia æque Lege interdicebantur. Usus cocti sanguinis vel crudi, meri, vel cum alia re misti, carnem comedere, cruore non probe eluto, horrori erant Deo (14). *Levare oculos ad immunditias*, execrationes, numina; hæc invocare, venerari, fiduciam in illis collocare, crimina sunt, in quibus adhuc perseveratis.

℣. 26. Stetistis in gladiis vestris, ceu milites in excubiis & sub armis positi, feriendi occasionem nanciscentes. Sive (15): Vos ipsi armia tuemini; latronum vitam agitis; gladio vivitis (16). Vel denique: Fiduciam omnem in armis collocatis, ac fore censetis, ut vosmet armis tueamini: at ego vos armis exuam, &c.

℣. 27. Qui in præsidiis et speluncis sunt, peste morientur; qui in præruptis rupibus, arcibusque invictis, quibus regio universa abundabat, & in sinu rupium inaccesso: id quod maxime consuetum in iis regionibus erat. Si loca & hominibus & bestiis invia sunt, eo tamen perveniet pestis, ibique illos extinguet.

℣. 30. Juxta muros, et in ostiis domorum. Huc scilicet convenire solent otiosi, rumorumque vulgarium amatores, ut suas ibi fabulas atque animadversiones venditent, juxta muros in sole, in triviis, ad ædium fores.

℣. 31. Veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus. Te adeunt, veluti in popularibus conventiculis, ubi circa concionantem vulgus convenit. Solebat fortasse tunc populus in Prophetæ domum diebus festis ac Sabbatho convenire. Ad te veniunt, quasi ad diem quo religiosi cœtus habentur, ceu discipuli ad Magistrum, inquit Chaldæus.

In canticum oris sui vertunt illos: nænias e sermonibus tuis fingunt, eosque de ridiculo iterant; quasi vulgare carmen, ludumque sibi ex iis efficiunt.

℣. 33. Cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient. Ubi ea quæ prædixi, contigerint; at quid dico? cum ea quæ prædixi, omnino gesta sint, jam noscent, Prophetam inter ipsos esse. Aliter: Cum rei gestæ notitia pervenerit; at jam venit. Postero statim die a transfuga Jerosolymis profecto delata est. Vide ℣. 21. 22.

---

[10] 4. Reg. xxv. 2. 3. 4. Jerem. xxxix. 2. 3. & lii. 5. 6. 7. [11] Vide Sanct. hic. N. 13. 14. 15. 16 & Junium. [12] Testatur S. Hieronymus, versiculos octo circiter hic defuisse: at versiculos intelligit, quales tunc in usu erant, cum Liber exararetur; breviores nimirum, quam apud nos esse soleant. Vide novam S. Hieronymi Editionem. [13] על הדם תאכלו Edit. Complut. Ἐπὶ αἵματος φάγεσθε. Theodoret. Τὸ αἷμα ἐσθίετε. [14] Vide Genes. ix. 4. Levit. vii. 26. xvii. 14.
[15] עמדתם על חרבכם [16] Genes. xxvii. 40. *Vives in gladio.*

C A P U T XXXIV.

Oracula in malos Israelis Pastores, Principesque ceteris injurios atque oppressores. Unicus Pastor promittitur, oves coacturus, atque ad pascua meliora ducturus.

℣. 1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, propheta de pastoribus Israel: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? 3. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. 4. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abje-

abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. 5. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. 6. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. 7. Propterea pastores audite verbum Domini. 8. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant: 9. Propterea pastores audite verbum Domini. 10. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. 12. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis. 13. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terræ. 14. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. 15. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. 16. Quod perierat, requiram, & quod abjectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue, & forte, custodiam, & pascam illas in judicio. 17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus, & pecus, arietum, & hircorum. 18. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, 19. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbaverunt, hæc bibebant. 20. Propterea hæc dicit Dominus ad vos: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, & macilentum: 21. Pro eo quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras: 22. Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus, & pecus. 23. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. 24. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. 25. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. 26. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore suo: pluviæ benedictionis erunt. 27. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absque timore: & scient, quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. 28. Et non erunt ultra in rapinam in Gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. 29. Et suscitabo eis germen nominatum, & non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium. 30 Et scient, quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel: ait Dominus Deus. 31. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

℣. 2. PROPHETA DE PASTORIBUS ISRAEL. Pastores sunt Sacerdotes, Levitæ, Legisque Doctores, Reges, Principes, Magistratus, Judicesque. Eximiis illos monitis instituit Ezechiel, Pastoris parabola ipsos docens quid ipsorum muneris sit, & quid in eo ipsi peccaverint.

℣. 3. LAC COMEDEBATIS, ET LANIS OPERIEBAMINI, ET QUOD CRASSUM ERAT, OCCIDEBATIS. Decimis, primitiis populique oblationibus in cibum utebantur Sacerdotes, tributa & vectigalia Principes excipiebant; eo nedum monitis instituebant vel tuebantur, verum etiam hos sævitia mactabant, illos in animæ necem errorum veneno ac pessimis exemplis inducebant; vel absolute, necabant negato illis cibo, quo indigebant, quo mortem vitarent. Oves pingues sunt Locupletes e vulgo, quos perniciosa indulgentia & dissimulatione Pastores veritatem celabant; vel animæ piorum atque innocentium, quæ errore corrumpuntur, vel annona, qua indigant, privantur.

℣. 4. QUOD ÆGROTUM, NON SANASTIS. Boni Pastoris est, gregis morbos nosse, & medicinam. Ne-

Neque illum tuebitur ignorantia : ovium sanguis & vita ex eo exquiretur. Unius Dei est in vitam revocare; pastoris vero mederi & remedia admovere.

Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Hebræus (1): *Et cum robore dominabamini eis, & cum violentia*, sævitia. Septuaginta (2): *Et fortem oppressistis labore*. Ejusdem criminis Scribas damnabat ac Pharisæos Christus. Matth. 23. 4. gravissimas humeris hominum sarcinas imponentes, quas ipsi ne minimo quidem digito tangere recusarent. Nihil alienum magis a Dei ingenio, proprioque Pastoris animarum officio, quam imperiosa sævaque dominatio. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, ajebat S. Petrus in 1. ep. v. 2. providentes non *coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*.

℣. 5. In devorationem omnium bestiarum agri. Cum veri Pastores muneris sui officium neglexerint, ac gregis curam abjecerint, dissipatæ sunt oves, falsisque Prophetis, malis Doctoribus, Numinum Sacerdotibus, ac Diabolo traditæ, quorum opera in omnia flagitiorum genera proruerunt.

℣. 6. Erraverunt in cunctis montibus, Idola sectantes, ac religionem superstitionis atque impietatis plenam sibi fingentes. Cum Sacerdotum, ac populi Principum munus esset, illos ab errore reducere, ipsos vel sequebantur, vel præibant, & superstitionis exempla docebant? *Et non erant qui requireret*.

℣. 8. Pascebant pastores semetipsos. Lucri unius suæque dignitatis curam gerentes, questum e Sacerdotio meo fecere (3).

℣. 10. Cessare faciam eos, ut ultra non pascant. Principes populique mei Pastores dissipabo, interficiam, captivos agam: gregem dispergam, ac Pastores credita sibi potestate abusos, authoritate spoliabo. Id tunc evenit, expugnata Jerosulyma, captisque Sacerdotibus, Principibus, ac populo.

℣. 12. Sicut visitat pastor gregem suum. Ubi lupus medio in grege fuit, vel oves erravere, vel aliquandiu a Pastore absfuerunt, illas invisit Pastor, numerat, ac recenset, scrutaturque utrum aliquam rapuerit lupus, siqua aberraverit, aut ad gregem & septa omnes coiverint. *In die nubis & caliginis*; qua die oves facile aberrant. Nubes tempus sunt ærumnosum, persecutiones, turbæ; caligine ac nocte utitur lupus, ut rapiat ac voret. *Virgilius Æneid.* xi.

. . . . Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit rabies.

℣. 13. Educam eos de populis, e captivitate revocabo. In iis, quæ sequuntur, duplex sensus agnosci potest: alter, Christianam Ecclesiam spectans, ab Jesu Christo ex omnibus terræ plagis collectam; alter, ad Judæos pertinens, e captivitate Babylonica revocatos (4). Quæ hic de grege Domini e medio gentium collecto habentur, de Synagoga certe ex verborum sono explicari nequeunt.

℣. 16. Quod pingue et forte, custodiam; non mactabo aut comedam, uti mali Pastores (5). Hebræus (6) & Chaldæus legunt: *Quod forte est, disperdam*. Pastores sævos atque imperiosos, authoritate abutentes, ut in grege dominentur, perdam. Vide ℣. 4. Syrus & Septuaginta cum Vulgata consentiunt (7) *Custodiam*; oves fortes tuebor. Atque hæc explicatio cæterarum optima videtur.

℣. 17. Ego judico inter pecus et pecus. Pastores allocutus, ad oves convertitur, illasque iis monitis, quibus egent, instituit. Gregem recenset, oves visitat, bonasque a malis secernit; pastorum enim scelere oves non excusantur. Cæterum grex certe aliquis est, & in populo ingens habetur inter eos discrimen, qui neque Principes sunt, neque Pastores. Populi proceres ac locupletes ita in populum sæviunt, uti lupus in oves; opprimunt nimirum, rapiunt, feriunt, dispergunt eos, qui viribus aut repugnandi voluntate carent. Malas potissimum hujusmodi oves reliquæ vaticinii hujus partes spectant, usque ad ℣. 24.

℣. 20. Pingue et macilentum. Septuaginta (8): *Inter ovem fortem & infirmam*.

℣. 23. Suscitabo super eos Pastorem unum; Christum Jesum, verum Pastorem, qui tum apud Prophetas, tum in Evangelio (9) id nominis usurpat, atque omnia illius officia recensuit & explevit. Pastorem hunc Scriptura *Davidem* nuncupat; Christus enim in carne e Davide ortus, eximia quadam ratione ac verissime decora omnia possidebat, quæ de Davide Messiæ imagine, Scriptura prædicat (10). Quæ hic de Davide, unoque populi Domini Pastore dicuntur, procul dubio de Zorobabele aliove Judæorum Principe post captivitatem, intelligi nequeunt. Jam alibi animadvertimus (11), nullo prorsus argumento demonstrari, hos populi Gubernatores e Tribu Juda fuisse delectos.

℣. 25. Faciam cum eis pactum pacis. Christus Jesus pacem undique absolutissimam hominibus comparavit; atque ipse pax est, quam Michæas prædixerat (12). Eo nascente, pax hominibus nunciatur Luc. 11. 14. pacis Evangelium est quod ab eo prædicatur (13); ipsemet pacis Rex est & Deus (14). Idem ipse demum omnia pace componit, nosque cruore suo cum Patre conciliat (15).

Cesaare faciam bestias pessimas. Nulli deinceps erunt falsi Prophetæ, deceptores, pessimi homines, qui populum in errores & in superstitionem trahant. Vide supra v. 5. Quod ad Christianos spectat, pessimæ bestiæ sunt Ecclesiæ hostes, hæretici, impii.

℣. 26. Ponam eos ..... benedictionem; bonis cumulabo. Vel (16): *Ponam eos in circuitu collis mei veluti benedictionem*. Septuaginta (17): *Statuam eas in circuitu montis mei; & dabo pluviam eis*, &c. Chaldæus: *Ponam eas per circuitum domus sanctuarii mei, & erunt benedicti*.

℣. 27. Terra dabit germen suum. Septuaginta (18): *Terra dabit robur suum*. Hebræus (19): *Terra dabit productionem suam*, fructum.

Catenas jugi eorum. Septuaginta (20): *Collare jugi eorum*; vel catenam jugi, sive absolute jugum. Ajunt, Hebraica voce hic significari seu lorum scorteum, quo jugum ad bovis cornua vinciebatur.

(1) ובחזקה רדיתם אותם ובפרך (2) Καὶ τὸ ἰσχυρὸν κατειργάσασθε μόχθῳ. (3) 1. Timoth. vi. 5. *Existimantes questum esse pietatem*. Et ad Tit. c. 1. ℣. 7 *Oportet Episcopum esse . . . non turpis lucri cupidum*. (4) Vide Theodoret. hic, & Sanct. (5) Supra ℣. 3. (6) את החזקה אשמיד (7) אשמר *Custodiam*. Septuag. Τὸ ἰσχυρὸν φυλάξω: (8) בין שה בריה ובין שה רזה Ἀναμέσον προβάτου ἰσχυροῦ, καὶ ἀσθενοῦς. (9) Joan. x. 16. Vide Isai. xl. 11. (10) Vide Hieron. & Theod. & Sanct. hic, Cornel. a Lapide, & Ambrof. lib. 7. Ep. 47. & August. lib. 8. Quæst. Dulcit. qu. 5. (11) Ezech. xxi. 27. (12) Michæas v. 5. Erit iste pax. (13) Rom. x. 15. Ephes. vi. 15. (14) Rom. xv. 33. xvi. 20. 1. Thessal. v. 23. Hebr. vii. 2. (15) Coloss. i. 20. (16) ונתתי אותם וסביבות גבעתי ברכה (17) Καὶ δώσω αὐτοὺς περικύκλῳ τοῦ ὄρους μου. Καὶ δώσω τὸν ὑετὸν ὑμῖν, &c. Non legunt ברכה, quæ vox abundare videtur. (18) Ἡ γῆ δώσει τὴν ἰσχὺν αὐτῆς. (19) הארץ תתן יבולה (20) Ἐν τῷ συντρίψαι με τὸν ζυγὸν αὐτῶν. Edit. Complut. Τὴν ἅλυσιν τοῦ ζυγοῦ. Theodoret. Τοὺς κλοιοὺς τοῦ ζυγοῦ. Septuag. apud Jer. *Torquem jugi*. Hebr. מטות עלם

ciebatur, seu ligna, quibus jugum componitur.

℣. 29. GERMAN NOMINATUM, nobilem posteritatem, Messiam, germen celeberrimum, Davidicæ radicis surculum, germen Domini (21), germen justum (22), passim prædictum. Septuaginta (23): *Plantam pacis*. Syrus & Chaldæus itidem legunt; quorum primus reddit quemadmodum Septuaginta: *Plantam pacis*; alter: *Plantationem firmam*. Quæ interpretatio cum Hebraica voce *schalem* congruit.

ET NON ERUNT ULTRA IMMINUTI FAME. Græcæ Editiones nonnullæ habent (24): *Non erunt ultra pauci numero in terra*. Aliæ: *Non erunt ultra pereuntes fame in terra*.

CAPUT XXXV.

Vaticinia in Idumæam. Ea in solitudinem redigetur, quod Israëlitarum calamitatibus illuserit.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam adversum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi: 3. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum, atque desertum. 4. Urbes tuas demoliar, & tu desertus eris; & scies, quia ego Dominus. 5. Eo quod fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. 6. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te, & sanguis te persequetur, & cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. 7. Et dabo montem Seir desolatum, atque desertum, & auferam de eo euntem, & redeuntem. 8. Et implebo montes ejus occisorum suorum: in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent. 9. In solitudines sempiternas tradam te, & civitates tuæ non habitabuntur: & scietis, quia ego Dominus Deus. 10. Eo quod dixeritis: Duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt, & hæreditate possidebo eas: cum Dominus esset ibi. 11. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam juxta iram tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos, & notus efficiar per eos, cum te judicavero. 12. Et scies, quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel, dicens: Deserti, nobis ad devorandum dati sunt. 13. Et insurrexistis super me ore vestro, & derogastis adversum me verba vestra: ego audivi. 14. Hæc dicit Dominus Deus: Lætante universa terra, in solitudinem te redigam. 15. Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis, & scient, quia ego Dominus.

℣. 2. ADVERSUM MONTEM SEIR, sive Idumæam. Vaticinium hoc eodem, quo superius, anno editum esse videtur; recentius enim est Jerosolymitana obsidione, & vetustius excidio Idumææ, quod quinto circiter anno post Jerosolymæ expugnationem fortasse contigit (1). Duplex Idumææ excidium significari a Propheta existimamus, alterum ex Nabuchodonosore, alterum ex Judæis, soluta captivitate. Posterius multo luculentiori descriptione traditur, quam prius. Ait hic Propheta ℣. 6. Idumæos, cum suum ipsorum sanguinem oderint, ab eodem, scilicet ab Israelitis, eodem patre prognatis, fore exagitandos. Tum addit ℣. 15. futurum, ut regio universa in horridam solitudinem redigatur, quo tempore terra omnis gaudebit; id quod certe minime convenit tempori post captivitatem. At primum ex Nabuchodonosore excidium, post Jerosolymæ expugnationem optime hisce minis significatur (2): Desertus erit mons Seir: mortuorum cadaveribus montes hosce complebo: odium & invidiam, quibus fratres tuos prosequebaris, puniam, &c. Jeremias denique (3) mala, quæ Idumæa ex Nabuchodonosore tulit, Idumæorum captivitatem, eorumque regionis solitudinem luculentissima narrat: innuit etiam, ipsos e captivitate reversuros. Fatendum igitur est, aliquam saltem Idumææ partem a Nabuchodonosoris exercitu fuisse direptam: eam scilicet, quæ finitima Ammonitis & Moabitis erat, relictis cæteris, mox tempore post captivitatem futuro diripiendis. Hæc una suppetit ratio conciliandi Prophetas, ubi agitur de Idumæa, I. enim Idumæa procul dubio partem suam hausit e calice, quem Nabuchodonosor gentibus propinavit, teste passim Jeremia. II. Certum etiam est, Idumæos arma cum Chaldæis junxisse in Jerosolymitana expugnatione; idque docent Psalmus CXXXVI. 7. atque alia monumenta, quæ Ezech. XXV. 12. recitavimus. Verisimile non est, Nabuchodonosorem subdidisse sibi regioni, cujus gens suo in exercitu merebat, exitium intulisse. III. Soluta captivitate, & sub Macchabæis Idumæi magnam Israeliticæ regionis partem occupabant, eorumque ditio Hebronem usque

(21) Isai. IV. 2. (22) Jerem. XXIII. 5. XXXIII. 5. (23) Septuag. Φυτὸν εἰρήνης. Hebr. נטע לשם Legunt שלם pro לשם Theodoretus addit ex alia versione: Εἰς ὄνομα. (24) Apud Theodoret. Οὐκ ἔτι ἔσονται ὀλίγοι ἀριθμῷ ἐν τῇ γῇ. Edit. Rom. & Complut. Οὐκ ἔτι ἔσονται ἀπολλύμενοι λιμῷ ἐπὶ τῆς γῆς.

(1) Vide Joseph. Antiq. lib. X. cap. 11. Idumæos non nominat, sed Moabitas; at Jeremias & Abdias innuere videntur, Nabuchodonosorem eodem tempore arma vertisse in Idumæam. (2) Jerem. XXV. 21. XXVII. 3. & XLIX. 7. & Thren. IV. 21. (3) Jerem. XLIX. 7. Vide & Malac. I. 3. 4.

usque porrigebatur (4); absentia enim Israelitarum usi, desertam regionem invaserant. Ex Capite sequenti, ℣℣. 5. & 6. Idumæi ea vere potiti esse videntur.

℣. 5. Eo quod fueris inimicus sempiternus. Idumæorum & Israelitarum simultas, ex ipso, ut ita dicam, matris sinu inceperat, in Esau nempe & Jacobo; gemini enim hi fratres mutuis odiis flagrabant, antequam in lucem ederentur (5); auctum deinde odium est, cum Jacob ex Isaaco parente benedictionem arte surripuit (6). Fratris iram compescuit Jacob: at utriusque posteri perpetua deinde odia foverunt, atque, ubi res tulit, nunquam non significavere; Idumæi præsertim, in suprema Jerosolymæ obsidione, quo tempore *concluserant filios Israel in manus gladii* (7), armorum vi, *in tempore afflictionis eorum*. Israelitas quodammodo Jerosolymis clausere, vel allata Chaldæis ope, cum urbem obsiderent, vel prohibitis regionis suæ aditu Judæis, qui salutem ex Nabuchodonosore fuga quærebant. Reddunt alii (8): *Eo quod dederis filios Israel in manus inimici*; sive, dissipaveris, disperseris, gladio deleveris. Septuaginta (9): *Sedisti domui Israel in insidiis, ut eos dolo necares*.

In tempore iniquitatis extremæ; cum illorum iniquitas ad fastigium pervenisset, adveniente ipsorum die. Vide Genesim, vi. 13. *Finis universæ carnis venit coram me*; & Ezechielem, xxi. 25. 29. Vel, quo tempore Deus supremas iniquitatis ipsorum pœnas in illos exercebat; sive, extremæ illorum calamitatis tempore, cum Dei furor in ipsos maxime flagraret. Sævissimum porro est, miserorum calamitatibus illudere, novumque addere infelicibus cruciatum.

℣. 6. Sanguini tradam te, et sanguis persequetur te. Israelitæ, sanguis tuus, tuique fratres, te muto insectabuntur, & cruoris a te fusi pœnas ex te repetent. Id sub Juda Macchabæo (10) ejusque successoribus gestum est, qui & bello Idumæos petivere, & circumcisione initiari coegerunt. Lusum quemdam verborum hic habet Propheta inter *Dam*, sanguinem, & *Edom*, Idumæam.

℣. 7. Auferam de eo euntem et redeuntem. Nullo deinceps viatore frequentabitur regio, sed penitus deserta squallebit (11). Septuaginta (12): *Destruam ex eo homines & bestias*. Theodoretus legebat: *Destruam ex eo homines & bestias, prætereuntem & redeuntem*.

℣. 9. In solitudines sempiternas tradam te. Diu deserta & derelicta squallebis. Iisdem verbis Tyri excidium supra xxvi. 20. significavit. Revocata Babylonis captivitate, sperabant Idumæi futurum, ut quamprimum ad pristinas fortunas revocarentur. *Destructi sumus*, aiebant Malach. 1. 4. *sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, &c.* revera enim excidium iterum passi sunt ab Judæis, uti supra diximus.

℣. 10. Duæ gentes, et duæ terræ meæ erunt. Israelitidis & Idumææ potiar. Vel: Duobus Regnis, Judæ & Israelis, imperabo: regionem, quam illi possidebant, occupabo. Consilia hæc evertit Deus, spemque male ominatam diruit, illato in Idumæam bello, magnaque Idumæorum parte in captivitatem ducta; ita ut qui superfuere, pares non essent concipiendis animo magnis de regione Juda moliminibus, neque unquam in decem Tribuum ditionem invaderent.

Cum Dominus esset ibi, custos tutorque, dum aberant Israelitæ. Vel: Idumæi hanc animo spem fovebant, cum Deus adhuc in regione moraretur, ejusque Templum ibi staret (13): Denique, clam animo hæc moliebantur: at Deus cogitationis illorum arcana scrutabatur, & moliminum iniquitatem videbat (14). Vide ℣℣. 12. 13.

℣. 11. Faciam juxta iram tuam. Par pari reddam per hostium infensissimos, scilicet Israelitas: variis te excursionibus exagitabunt; iram atque odium vetus in te tuamque regionem explebunt.

Notus efficiar per eos, cum te judicavero. Intelliges, me justum esse Deum atque omnipotentem, ubi te populi mei opera punivero. Vel: Agnoscent Judæi vires meas, mihique gloriam referent, cum in Idumæam animadvertero. Septuaginta (15): *Notus fiam tibi, cum judicavero te*.

℣. 12. Audivi universa opprobria tua. Hebræus (16): *Injurias tuas*, querelas. Septuaginta (17): *Audivi vocem blasphemiarum tuarum*. Apud Theodoretum addunt: *Dicebas de montibus Israel, dicens: Montes excelsi, sempiterni, nobis dati sunt, &c.*

℣. 13. Insurrexisti super me ore vestro. Superbe & arroganter in me loquuti estis: sapientiam, æquitatem, seu potentiam meam impetiistis, providentiæ meæ arcana scrutari ausi estis, ac de iis sententiam ferre non metuistis. Septuaginta: *Superbe locutus es in me*.

Derogastis adversum me. Superba locuti estis in me, quæ dignitati meæ noceant. Hebræus (18): *Magnificastis in me sermones vestros*: vana in me jactastis. Septuaginta (19): *Vociferati estis super me*.

℣. 14. Lætante universa terra, in solitudinem te redigam. Revocata captivitate, cum cæteri finitimi, elapsis calamitatibus, prosperis rebus & gaudio fruentur, in solitudinem redigemini. Hæc ad Macchabæorum ætatem referimus.

℣. 15 Sicuti gavisus es, &c. Hæc in Græco Romanæ Editionis non habentur, sed sub asteriscis de Theodotionis Editione addita sunt in Codicibus septuaginta Interpretum, inquit S. Hieronymus.

(4) Vide 1. Macc. iv. 61. v. 65. & xiv. 33. (5) Genes. xxv. 22. (6) Genes. xxvii. 41. (7) ותגר את בני ישראל על ידי חרב (8) Chald. Syr. (9) Ἐνεκάθισας τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ ἐν δόλῳ ἐν χειρὶ ἐχθρῶν μαχαίρᾳ. (10) 1. Macchab. iv. 15. & v. 3. & Isai. lxiii. (11) Vide Joseph. Antiq. lib. xiii. c. 17. (12) Ἀπολῶ ἐξ αὐτοῦ ἀνθρώπους, καὶ κτήνη. Hebr. והכרתי ממנו עבר ושב (13) Hieronym. Sanctius, Grot. hic, alii. (14) Chald. Vat. Isidor. (15) Γνωσθήσομαί σοι ἡνίκα ἂν κρίνω σε. Hebr. נודעתי בם כאשר אשפטך Legunt לך, pro בם (16) שמעתי את כל נאצותיך (17) Ἤκουσα τῆς φωνῆς τῶν βλασφημιῶν σου. (18) והעתרתם עלי דבריכם (19) Ἐφώνησαν κατ᾽ ἐμοῦ. Alii, ἐμεγαλοῤῥημόνησας ἐπ᾽ ἐμὲ λόγοις σου. In Rom. Edit. deest.

CA-

CAPUT XXXVI.

Reditus e captivitate promittitur. Pessima Judæorum vitia in exilio. Novum illis cor animumque dabit Deus, eorumque regionem in pristinum decus revocabit.

℣. 1. TU autem fili hominis, propheta super montes Israel, & dices: Montes Israel audite verbum Domini: 2. Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis. 3. Propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis Gentibus, & ascendistis super labium linguæ, & opprobrium populi: 4. Propterea montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, torrentibus, vallibusque, & desertis, parietinis, & urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, & subsannatæ a reliquis Gentibus per circuitum. 5. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis Gentibus, & de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo, & ejecerunt eam, ut vastarent: 6. Idcirco vaticinare super humum Israel, & dices montibus, & collibus, jugis, & vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eo quod confusionem Gentium sustinueritis. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent. 8. Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel: prope enim est, ut veniat: 9. Quia ecce ego ad vos, & convertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem. 10. Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel: & habitabuntur civitates, & ruinosa instaurabuntur. 11. Et replebo vos hominibus, & jumentis, & multiplicabuntur, & crescent: & habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio: & scietis, quia ego Dominus. 12. Et adducam super vos homines, populum meum Israel, & hæreditate possidebunt te, & eris eis in hæreditatem, & non addes ultra, ut absque eis sis. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam: 14. Propterea homines non comedes amplius, & gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus. 15. Nec auditam faciam in te amplius confusionem Gentium, & opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentem tuam non amittes amplius: ait Dominus Deus. 16. Et factum est verbum Domini ad me dicens: 17. Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua, & polluerunt eam in viis suis, & in studiis suis; juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me. 18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, & in idolis suis polluerunt eam. 19. Et dispersi eos in Gentes, & ventilati sunt in terras: juxta vias eorum, & adinventiones eorum judicavi eos. 20. Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra ejus egressi sunt. 21. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in Gentibus, ad quas ingressi sunt. 22. Idcirco dices domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis. 23. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter Gentes, quod polluistis in medio earum: ut sciant Gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. 24. Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram. 25. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. 26. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. 27. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini. 28. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. 29. Et salvabo vos ex universis

versis inquinamentis vestris, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem. 30. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, ut non
portetis ultra opprobrium famis in Gentibus. 31. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra. 32. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super viis vestris, domus Israel. 33. Hæc
dicit Dominus Deus: In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero urbes, & instauravero ruinosa, 34. Et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, 35. Dicent: terra illa
inculta, facta est ut hortus voluptatis, & civitates desertæ, & destitutæ, atque suffossæ, munitæ sederunt. 36. Et scient Gentes, quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sim, & fecerim. 37. Hæc dicit Dominus: Adhuc in hoc invenient me
domus Israel, ut faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum, 38. Ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus: Sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum, & scient, quia ego Dominus,

℣. 1. PROPHETA SUPER MONTES ISRAEL, Vaticinium hoc e superiore sequitur. Idumæi blandiebantur sibi futurum, ut vestram, o Israelitæ, regionem occuparent: me non jubente invaserunt, ceu terram penitus destitutam: calamitati vestræ illuserunt, quasi æterna futura esset, ac medicina careret: illorum injuriæ, dicteria, temeritas in me cecidere. Hæc ad vos habeo, gens mea, montes Israelis, vel Juda; nullo enim discrimine ii montes hic usurpantur.

℣. 2. EUGE, ALTITUDINES SEMPITERNÆ DATÆ SUNT NOBIS. *Æternos* passim appellat montes Scriptura (1), ut illorum diuturnitatem atque immobilitatem significet, quibus ab ipso rerum exordio existunt. Montes certe ceu diuturnitatis ac firmitatis symbolum haberi queunt. Proverbium est; Vetus ac firmum ut mons. Legunt Septuaginta (2): *Solitudines sempiternæ.*

℣. 3. ASCENDISTIS SUPER LABIUM LINGUÆ (3), Vulgi fabula facti estis. Nihil quisquam, nisi vos, loquitur: omnium sermo, fabula, risus effecti estis. Minitatur frequenter Deus fore, ut ipse populum suum gentium omnium fabulam efficiat, si is officio desit (4).

℣. 4. DEPOPULATÆ SUNT ET SUBSANNATÆ. Septuaginta (5); *Factæ sunt in direptionem & conculcationem*, Hebræus (6); *Factæ sunt in contemptum & derisionem*,

℣. 5. QUONIAM IN IGNE ZELI MEI LOCUTUS SUM DE RELIQUIS GENTIBUS ... [6] IDCIRCO VATICINARE SUPER HUMUM ISRAEL. Iræ meæ, indignationis, furoris ignem in populos, Israelis calamitate gaudentes, effudi. Mala, quæ ipsis paro, illis nunciasti: populum meum nunc alloquere; sermonem converte ad terram hanc, qua gens hæc ambitiose gloriabatur, futuræque rerum restitutionis spem illi facito. Hebræus (7): Nemo me Deum dile credat, *nisi in igne iræ meæ locutus sum ad reliquias gentium*, Septuaginta (8): *Profecto in igne furoris mei locutus sum, &c.* Jurejurando pollicetur Deus fore, ut ea expleat, quæ in eas gentes pronunciavit. Idem repetit ℣. 7. *Ego levavi manum meam*, juravi, *ut gentes quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.*

℣. 8. VOS AUTEM, MONTES ISRAEL, RAMOS VESTROS GERMINASTIS. Septuaginta (9): *Ex vobis autem, Montes Israel, uvam & fructum comedet populus meus.* Vos iterum populus colet ac frequentabit. Judæi, & Interpretum plurimi (10) reliquas hujus Capitis sententias explicant de rerum Judaicarum statu in Israelitide, post reditum e captivitate. Ex Judæis alii, ætate S. Hieronymi, cum se urgeri sentirent ex eo, quod absoluta hujus vaticinii veritas a Zorobabele ad Christum usque expleta non cerneretur, explendam fore ajebant in futuro mille annorum Regno post Resurrectionem, quo tempore Jerosolymam auro gemmisque restaurandam esse asserebant; terram Promissionis iterum populo frequentandam, ac Dei cultum, uti olim in novo Templo, restituendum. Alii denique (11) de Jesu Christi Regno, & Ecclesiæ restitutione interpretantur. At doctiores (12) ajunt, plura hic esse, quæ ad verbum nonnisi de Messiæ Regno, de libertate Ecclesiæ ab eo comparata, alia Promissionis terra, electaque gente, alia plane a Judæis intelliguntur: at quædam etiam hic legi, quorum fides post reditum e captivitate absolutissime impleta est. Ita solent Prophetæ rem ipsam cum figura conjungere, atque inter vaticinia de rerum Judaicarum statu, plura miscere, quæ uni Messiæ ejusque Ecclesiæ conveniant. Cum vero hæc simul omnia unicum vaticinium conficiant, neque turbas neque pugnam sententiarum pariunt, ea enim quæ proprie ad temporalem Judæorum statum pertinent, ceu Jesu Christi figura usurpantur; & quæ uni Christo conveniunt, tropico & hyperbolico sensu ad Judæos referuntur; diminuta scilicet oraculorum vi, cum ad Judæos detorquentur (13).

PROPE EST ENIM UT VENIAT. Proxima est populi mei libertas. Ab Jerosolymæ expugnatione, usque ad reditum e captivitate primo Cyri anno Babylone regnantis, duo & quinquaginta anni fluxerunt, Vaticinium hoc aliquot post expugnatam Jerosolymam annis editum est. Vide Caput XXXIII, 21. Septuaginta (14): *Quoniam sperant esse*

[1] Genes. XLIX. 26. *Desiderium collium æternorum*, Deuter. XXXIII. 15. *De pomis collium æternorum*. Psalm. LXXV. 5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Habac. III. 6. *Contriti sunt montes sæculi*. [2] Ἔρημα αἰώνια. Hebr. גבעות עולם [3] תעלו על שפת לשון [4] Vide Deut. XXVIII. 37. Jerem. XXIV. 9. Ezech. XXIII. 32. 3. Reg. IX. 7. [5] Εἰς προνομὴν, καὶ εἰς καταπάτημα. [6] היו לבז וללעג [7] אם לא באש קנאתי דברתי [8] Ἦ μὴν ἐν πυρὶ θυμοῦ μου ἐλάλησα. [9] Ὑμῶν δὲ, ὄρη Ἰσραὴλ, τὴν σταφυλὴν, καὶ τὸν καρπὸν καταφάγεται ὁ λαός μου. Hebr. ענפכם תתנו ופריכם. Septuaginta legunt תשאו ענבים uvas, pro ענפים, *folia seu ramos.* [10] Vide Theodoret. Maldon. Hugon. [11] Justin. Martyr. Dialog. cum Tryph. Hieron. Dionys. Lyran. Clar. [12] Vide Sanct. Menoch. Tirin. & hic, ℣. 11. 12. 13. 25. 26. 27. 36. Et Hieronym. ad cap. 37. pag. 960. nov. Edit. [13] August. lib. 3. De Doctr. Christ. cap. 34. *Alicunde prophetica, dum de illo vel ad illum loquitur, latenter transit ad hunc; & cum jam de isto vel ad istum loquatur, adhuc de illo vel ad illum loqui videtur.* [14] Ὅτι ἐλπίζουσι τοῦ ἐλθεῖν.

esse venturum. Hebræus (15): *Quoniam prope sunt ut veniant*.

℣. 11. Bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio. Ægre demonstraveris, hoc in Judaicis rebus post reditum e captivitate contigisse. Nunquam ita populus floruit, neque adeo junctis rebus animisque coaluit, neque adeo stabili, amplo, absolutoque imperio usus est. Nullus deinceps Rex illi fuit aut Davidi par pietate, aut divitiis sapientiaque Salomoni: nulli Prophetæ, nullaque oracula. At si ad Christi Ecclesiam, cum Synagoga comparatam, referas, veritas statim patet: Ecclesia enim asseclis multo frequentior, purior, nobilior, ampliorque conspicitur. Septuaginta (16): *Benefaciam vobis quemadmodum olim*.

℣. 12. Non adoes ultra ut absque eis sis, absque incolis: ii patriis sedibus non expellentur, atque deserta non eris. Regio Juda per Antiochi tempora ferme inculta squalluit: graviora tulit, expugnata a Romanis Jerosolyma; crudelius etiam vastavit Adrianus, eversa Jerosolyma, prohibitisque Judæis aditu novæ urbis, prope veterem ædificatæ, imo tota regione pulsis, teste S. Hieronymo (17). At fatendum nihilominus est, hæc quamtumvis miserrima, paria iis non fuisse, quæ Judææ intulit Nabuchodonosor; nunquam enim gens tota in alienas plagas translata est, neque Judæa penitus deserta jacuit. Constanter tamen dicendum est, hujus vaticinii fidem nonnisi in Christiana Ecclesia fuisse completam, quippe quæ, invitis hostium odiis, in plurimis terrarum plagis semper floruit. Putat Theodoretus, hæc non absolute, sed aliqua conditione promitti, atque Judæorum perfidiam in causa fuisse, cur promissa non explerentur. Septuaginta (18): *Non appones adhuc, ut iis careas veluti filiis mater*.

℣. 13. Devoratrix hominum es. Id Hebræorum regioni vitio dabatur, antequam ab ipsis occuparetur (19). Missi a Moyse exploratores, retulere, uberrimam certe regionem esse ac beatissimam, at *devorare habitatores suos*; undique hostes esse, nullaque ibi pace incolas frui; quæ profecto Ezechielis ætate multo veriora esse videbantur. Chananæi, antequam eo Hebræi venirent, bellis persæpe agitati fuerant: pulsi a Caphtorim Hevæi (20): Sehon & Og regionis Moabiticæ & Ammoniticæ partem occupaverant (21), atque Emim & Zomzomim a Moabitis & Ammonitis ejecti (22). Abrahami ætate, bellum quinque Regum adversus Sodomæ & Gomorrhæ Reges, aliasque urbes finitimas legitur (23). Occupata ab Israelitis regione, vix annis decem bella cessavere. Chananæos exegerant Hebræi; hos Assyrii & Chaldæi captivos rapuere. His simul conjunctis fiebat, ut Palæstina cruenta regio haberetur, periculorum plena, obnoxia maledicto, ubi nemini diu vitam agere liceret. Sara Raguelis filia, raptis improvisa morte septem viris, quamquam insons ejus rei erat, *interfectrix virorum suorum* appellabatur Tob. III. 9. 10. ita vetus proverbium est, Italiam sepulcrum esse Gallorum. Vulgares sunt loquendi formæ; vulgus enim rei occasionem, ea quæ forte cum re conjunguntur, denique ea quæ rem præcedunt, ab ipsa illius causa non secernit. *Post hoc, ergo propter hoc*, vulgo colligitur.

℣. 18. Pro sanguine quem fuderunt. Filiorum filiarumque cruorem fuderant (24): innoxium sanguinem in urbibus suis hauserant (25). Denique sanguinem comederant effuderantque, atque illum operire neglexerant (26): is porro cruor vindictam in ipsos postulabat.

℣. 20. Polluerunt nomen sanctum meum, in captivitate: alienis, quibus ego ignotus sum, locum fecere, ut nomen meum probris incesserent, cum gentem impiam adeo ac vitiis inquinatam intuerentur. Ita ne, inquiebant, gens est electa & nobilissima, cujus Lex, Religio, sanctitas prædicatur? Similes omnino nostris hominibus sunt. Quæ porro futura est gentis impiæ ac scelestissimæ Lex, Religio, Deus? Hujus rei frequenter arguit Deus Israelitas (27).

℣. 21. Peperci omni sancto meo; fecisset, vos ego penitus, abjecta vestrum cura, delevissem. At ne iterum Ethnici nomen meum idcirco probris lacesserent, arguerentque me infirmitatis, sævitiæ, atque imbecillitatis, vos ego servavi, ut omnes terrarum gentes noscant, pares mihi esse vires ac justitiam, severitatem & misericordiam. Igitur non vestrum causa, qui eo indigni estis, sed gloriæ meæ causa vos in libertatem comparare decrevi. Vide ℣℣. 22. & 32. Isai. XLVIII. 2. Dan. III. 49. Judith VIII. 24. Psal. LXXVIII. 9.

℣. 25. Effundam super vos aquam mundam. Varia spectat aspersionum genera, Judæis usitata, quibus Legales maculæ abluebantur, ac significabantur Baptismus & Pœnitentia, scelera hominum tergentes per Christi Sanguinem, & divinitus infusam Sancti Spiritus & gratiæ aspersionem. Una igitur Ecclesia oraculi hujus fidem omnino explet.

℣. 26. Cor novum et spiritum novum. Mentem aliam aliumque animum ab iis, quibus hactenus instruebamini. Post reditum e captivitate, multo minora fuere Judæorum flagitia, quam ea, quæ Prophetæ ipsis ante captivitatem objecerant: at longissime adhuc aberant ab ea morum ac fidei sanctimonia, docilitate, justitia, quæ tum hic, tum in aliis Scripturæ locis (28) describitur. Magna certe in populo scelera ætate Nehemiæ grassabantur (29): sub Macchabæis vero ipsa Numinum superstitio quam late ab ipsismet Sacerdotibus, media in urbe & coram Templo sponte propogata est (30)? Una Jesu Christi virtus mira hæc a Scripturis descripta in Fidelibus gessit; ablato scilicet lapideo corde carneum dedit; pulsoque vetere spiritu, novum infudit; sordibus purgat, efficitque ut validissima gratiæ suæ ope sponte in virtutum exercitio perseverent.

℣. 27. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, animos vestros gratia occupans, ac suavem virtutis amorem largiens, quibus pessima in malum propensio superetur. Liberum arbitrium gratia adjuvabo, ut pie sancteque vivatis (31).

℣. 37. Adhuc invenient me domus Israel, ut faciam eis; & hoc ego ipsis largiar. Hebræa (32): *Adhuc requirar a domo Israel, ut faciam hoc eis*. Me illi rogabunt, & ego largiar, ut *multiplicem eos sicut gregem hominum*: ingens hominum turba, ut olim, tribus solemnibus in ea gente diebus Jerosolymam confluet, quemadmodum felicissimis Reipublicæ temporibus consueverant. Id revera post reditum e captivitate contigit; at multo nobilius in Ecclesia Christiana, vocatis ad Christi sacra Ethnicis.

[15] כי קרבו לבוא [16] Εὐποιήσω ὑμᾶς ὥσπερ τὰ ἔμπροσθεν. Hebr. והטבתי מראשתיכם [17] Hieronym. in Dan. 12. Vide Ariston. Pellæum, & Euseb. Hist. lib. 4. cap. 6. [18] Οὐ μὴ προσθῆτε ἔτι ἀτεκνωθῆναι ἀπ' αὐτῶν. Et ℣. 15. לא תשכלי ולא תוסף עוד לשכלם [19] Num. XIII. 33. [20] Deuteron. II. 23. [21] Num. XXI. 26. & Judic. XI. 20. 22. [22] Deut. II. 10. 11. 20. [23] Genes. XIV. [24] Ezech. XVI. 36. [25] Ezech. VII. 23. 12. 9. XXII. 2. [26] Ezech. XXXIII. 26. [27] Vide Jerem. XLVIII. 9. & LII. 5. [28] Vide Isai. II. XII. XIV. XXXII. XXXV. [29] 1. Esdr. IX. X. & 2. Esdr. V. VIII. IX. [30] 2. Macch. IV. & V. [31] Theodoret. hic. Τοῦτο δὲ τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος ἴδιον, αὐτὴ γὰρ [illegible]. Vide Cornel. a Lapide hic. [32] עוד זאת אדרש לבית ישראל לעשות להם Septuag. Edit. Complut. Ἔτι τοῦτο ζητηθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ, τοῦ ποιῆσαι αὐτοῖς. Edit. Rom. Τοῦ ποιῆσαι αὐτοῖς.

CAPUT XXXVII.

Reditus Judæorum e captivitate prædicitur, sub agri imagine pleni ossibus ad vitam revocatis. Juda & Israel sub uno Rege jungendi; quorum figura sunt ligna duo simul conjuncta.

℣. 1. FActa est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & di-
misit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. 2. Et circumduxit me
per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer.
3. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus,
tu nosti. 4. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis: & dices eis: Ossa arida au-
dite verbum Domini. 5. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromit-
tam in vos spiritum, & vivetis. 6. Et dabo super vos nervos, & succrescere fa-
ciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum,
& vivetis, & scietis, quia ego Dominus. 7. Et prophetavi sicut præceperat mihi:
factus est autem sonitus, prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad
ossa, unumquodque ad juncturam suam. 8. Et vidi, & ecce super ea nervi, &
carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.
9. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, & dices ad spi-
ritum: 10. Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla
super interfectos istos, & reviviscant. 10. Et prophetavi, sicut præceperat mihi, &
ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus gran-
dis nimis valde. 11. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel
est: ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus. 12.
Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam
tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos
in terram Israel. 13. Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra ve-
stra, & eduxero vos de tumulis vestris, popule meus: 14. Et dedero spiritum meum
in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram, & scietis,
quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus. 15. Et factus est ser-
mo Domini ad me, dicens: 16. Et tu, fili hominis, sume tibi lignum unum: &
scribe super illud: Judæ, & filiorum Israel sociorum ejus, & tolle lignum alterum,
& scribe super illud: Joseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israel, sociorumque
ejus. 17. Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in unio-
nem in manu tua. 18. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: Non-
ne indicas nobis, quid in his tibi velis? 19. Loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus
Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Is-
rael, quæ sunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Juda, & faciam eas in
lignum unum: & erunt unum in manu ejus. 20. Erunt autem ligna, super quæ
scripseris in manu tua, in oculis eorum. 21. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus
Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: & con-
gregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam. 22. Et faciam eos in gen-
tem unam in terra in montibus Israel, & rex unus erit omnibus imperans, & non
erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. 23. Neque polluen-
tur ultra in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & sal-
vos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, & emundabo eos, &
erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. 24. Et servus meus David rex super
eos, & pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, & mandata
mea custodient, & facient ea. 25. Et habitabunt super terram, quam dedi servo
meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri, & habitabunt super eam ipsi, & filii
eorum, & filii filiorum eorum, usque in sempiternum: & David servus meus prin-
ceps eorum in perpetuum. 26. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiter-
num erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in me-
dio eorum in perpetuum. 27. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus,
& ipsi erunt mihi populus. 28. Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator
Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

℣. 1. EDUXIT ME IN SPIRITU DOMINI. Septuaginta (1): *Eduxit me in spiritu Domini*. Ita etiam reddi potest Hebræus. In spiritu ducitur Propheta; hæc enim omnia per mentis visionem gesta sunt, quin aliquid extra ipsam prodestart. Ductus igitur in Mesopotamiæ agrum, videre sibi visus est agrum aridis nudisque ossibus undique occupatum. Is certe mos ejus gentis non erat, ut ossa insepulta relinquerent: at hanc Deus imaginem in Prophetæ animo pinxit.

Celeberrimus fuit hic Ezechielis locus in Christianorum cœtibus, teste S. Hieronymo; frequenter enim ibi legebatur, ac nemo erat, qui vivida illius narratione non moveretur: *Famosa lectio, & omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata*. Patres de mortuorum Resurrectione disputantes, nihil aptius acriusve in eam rem invenere (2). At fatendum est cum Patribus nonnullis, ac plerisque Interpretibus (3), primum Prophetæ propositum eo non collineare, & oblique tantummodo ac veluti ex consequenti, mortuorum Resurrectionem ex eo demonstramus. Ipse monet Ezechiel (4), his ossibus domum Israelis significari; totumque revera illius vaticinium de reditu e captivitate commode explicatur, si illius locutiones hyperbolicas tropicasque esse posueris, quæ ex mero verborum sono mortuorum Resurrectionem innuunt.

Cæterum, quamtumvis dederim, hoc vaticinio proprie libertatem Judæorum e captivitate prædici, minime tamen spernendum est argumentum, quod de mortuorum resurrectione ex eo conficitur. Quemadmodum enim Tertullianus, S. Hieronymus, Theodoretus, aliique plures animadvertunt, parabola seu figura resurrectionis ex ea re ducitur, quæ prius est; neque comparatio ex re minime existente fingitur: *Nam etsi figmentum veritatis in imagine est*, ait Tertullianus lib. de Resur. c. 30 *imago ipsa in veritate est sui: necesse est esse sibi, quo alii configuretur. De vacuo similitudo non competit; de nullo parabola non convenit*. *Nunquam enim*, subdit S. Hieronymus, *poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat*. Perinde igitur erat, ac si Deus Ezechieli diceret: Quemadmodum incredibile licet esse videtur, arida nudaque ossa revocari ad vitam posse, id ipsum tamen tuis ipsius oculis exhibiturus sum; ita nullus esse debet dubio locus, quin Israelitæ in patrias sedes revocentur, cum præsertim id multo minus arduum sit, quam resurrectio, quam tibi ceu promissionis meæ pignus exhibeo (5).

℣. 5. INTROMITTAM IN VOS SPIRITUM, ET VIVETIS. Septuaginta (6): *Ecce ego fero in vos spiritum vitæ*. Quo similior sit hæc mortuorum resurrectio primæ hominum creationi, Prophetæ Deus exhibet spiritum in ossa immissum, quo iterum vitam acquirant (7). In suprema hominum resurrectione, cujus figura sunt ossa hæc ad vitam revocata, novas animas non creabit Deus, quibus corpora instruantur; sua singulæ corpora ingredientur, quibus olim, dum viverent, utebantur. Apud Scripturam, *revocare ad vitam* est plerumque in libertatem, ac feliciorem rerum statum restituere, ex ærumnis & servitute reducere (8). Sepulcrum interdum morbos, exilium, mala, servitutem significat. V. Thren. 3. 6. Daniel xii. 2. Baruch iii. 4.

℣. 7. FACTUS EST SONITUS, PROPHETANTE ME, fragor ossium sese moventium, ac mutuo accedentium, ut ad suum singula corpus ac socium accederent. Vel, fragor motusque bella indicat ac turbas, quæ Orientem universum miscuere, ut Cyrus ad Chaldæorum Imperium, remotis Chaldæis, eveheretur (9): denique, motum atque agitationem in toto Imperio pariam Cyri edicto (10), quo Judæis cæterisque captivis gentibus repetundarum sedium avitarum facultas dabatur.

℣. 9. A QUATUOR VENTIS VENI, SPIRITUS (vel SPIRITUS), ET INSUFFLA SUPER INTERFECTOS ISTOS (11). Vel: *A quatuor spiritibus veni, spiritus*; eadem enim vox & animam, & flatum, & ventum significat; quemadmodum apud Latinos *anima* & eam qua vivimus, & ventum. Horatius l. 4. Od. 2.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Ventus hic animam innuebat, qua vivimus, & Spiritum Sanctum, quo vivit anima; præsertim vero uberem Spiritus Sancti copiam, in animas infusam per novæ Legis Sacramenta.

℣. 11. OSSA HÆC UNIVERSA, DOMUS ISRAEL. Mortua hæc & arida ossa, dispersa & derelicta, quæ vides, captivitatis imago sunt, sub qua Israelitæ gemunt: illos ergo ex his ærumnis educam: Regem producam, qui instar venti libertatem vitamque redditurus veniet. Legem feret Cyrus, qua revertendi in patriam potestas ipsis fiet.

℣. 12. APERIAM TUMULOS VESTROS. Vos ego e servitute, locisque, in quibus ceu publicis vinculis tam diu gemitis, revocabo. Sepulcrum pro ingenti calamitate, morbo, miserrima tristissimaque vitæ conditione usurpatur (12).

℣. 16. SUME TIBI LIGNUM UNUM, &c. Nemo certe non videt, quid duo hæc ligna sint, quæ Propheta ita jungere jubetur, ut unum efficiant; decem scilicet Tribus cum Juda conjungendæ, ac desiturum inter reversas Babylone Tribus discrimen, adeo ut nec Juda ab Israele, neque Israel a Juda ceu duplex Imperium distinguantur. Tribus omnes post captivitatem simul in patria coaluisse, scripta Dissertatione docuimus.

Cum sub Jeroboamo seditionis Principe decem Tribus a Davidis familia deficiscerent, Tribus Juda, Beniamin, & Levi Roboamo obtemperavere. Alii præterea ex Israelitis cæterarum Tribuum ad hos accessere, ut alibi vidimus (13). Hoc ipsum est, quod Propheta his verbis innuit: *Scribe: Judæ & filiorum Israel sociorum ejus*. Duo hæc ligna coram captivis junxit, vel glutine, uti asses solent invicem admoti, vel alterum alteri inserens, ceu surculum in arborem. Id videns populus, curiosius quæsivit, quid ea res sibi vellet, quemadmodum in consequentibus traditur. Duplicis ligni conjunctio nobiliori etiam sensu signi-

(1) Edit. Rom. Ἐξήγαγέ με ἐν πνεύματι Κύριος. Edit. Complut. & Theodoret. Ἐν πνεύματι Κυρίου. ויוציאני ברוח יהוה (2) Constit. Apostol. lib. 5. cap. 8. Justin. Mart. qu. ad Orthod. qu. 45. Irenæus lib. 5. c. 15. & 34. Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 29. & 30. Cyrill. Jerosol. Cathech. 18. August. de Genes. ad litt. l. x c. 5 Basil. in Psal. xxxiii. 21. Ambros. de fide Resurrect. lib. 2. Cyprian. l. 3. ad Quirin. c. 49. (3) Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 30. & Hieron. & Theodor. hic; Sanct. Cornel. Tir. alii passim; Auth. qu. ad Orthodox. qu. 45. (4) Vide ℣. 11. *Ossa hæc, universa domus Israel*. (5) Hieronym. hic: *Perspicuum est nos non resurrectionem negare, sed hac non scripta de resurrectione contendere, & per resurrectionis parabolam, de restitutione Israel prophetari, qui eo tempore captivus erat in Babylone*. (6) Ἰδοὺ ἐγὼ φέρω εἰς ὑμᾶς πνεῦμα ζωῆς. Hebr. הנה אני מביא בכם רוח וחייתם (7) Hieron. hic: *Ut quomodo in prima conditione hominis insufflavit Deus in faciem ejus, & facit eum in animam viventem; sic & secunda conditio, idest resurrectio mortuorum, insufflante Spiritu vivificetur*. Vide & Theodoret. (8) Vide Judic. xv. 19. 2. Reg. xvi. 3. & 3. Reg. xii. 7. & 1. Par. 21. 5. & 2. Esdr. iv. 2. Psal. lx. 20. lxxxiv. 7. &c. (9) Hieronym. hic. (10) Grotius. (11) מארבע רוחות באי הרוח Septuag. Ἐκ τῶν τεσσάρων πνευμάτων ἐλθὲ, πνεῦμα. (12) Vide Psal. lxxxvi. 13. cxvi. 3. cxli. 7. Joan. ii. 5. Osee vi. 3. & xiii. 1. (13) Vide nos in 3. Reg. xii. 17.

ficabat nedum Judæos ex universis Tribubus colligendos, verum etiam populos ex omnibus terræ plagis in Ecclesiam convocandos. Judæorum atque Ethnicorum conjunctionem in unam Christi Ecclesiam S. Paulus Rom. xi. 17. 18. sub imagine oleastri in bonam oleam inserti describit.

℣. 19. Lignum Joseph, quod est in manu Ephraim; lignum Josephi nomine inscriptum, quod Ephraim moderatur, Jeroboamus, primus decem Tribuum Rex, Ephraimita erat; quamobrem Josephus, sive Manasse, cæteræque Tribus in manu Ephraimi habebantur, Josephum Ezechiel ex Ephraimi potestate aufert, ut ipsum cum Juda conjungat, omnesque iterum Tribus Davidicæ familiæ subjiciat.

℣. 22. Rex unus erit, omnibus imperans. Judæi post captivitatem diu Rege caruerunt; ac demum non Davidicos sed Leviticos sortiti sunt, Ita vero loquitur Propheta, ut Imperium aliud aliumque Regem, Christum nempe, significet; cui enim ipsi hoc vaticinium convenit. In Judæis post captivitatem vix minima ex parte impletum est, tum quod neque Tribus Juda, neque cæteræ universæ redierint, tum quod deinde Reges e Davidica familia non habuerint.

℣. 23. Neque polluentur ultra in idolis. Hoc nonnisi in Christi Ecclesia impletum est. Quam multi enim ex Judæis, imo & e Sacerdotibus, Anthiochi Epiphanis ætate, ad Deorum superstitionem defecere?

℣. 24. Servus meus David Rex super eos. His verbis etiam luculentissime Jesus Christus innuitur; Zorobabel enim, ad quem hæc referuntur, nunquam Regia dignitate potitus est: ac dubium maxime est, ne dicam incertum, illum in populi regimen in captivitate administraverit. Sassabasarum iis præfecit Cyrus, Persam gente, uti videtur 1. Esdr. 1. 10.

Pastor unus erit omnium eorum: Pastor fuerat David (14): pastori similem se passim dicit Christus (15). Quamobrem hoc vocabulo suavitatem illius imperii indicat: *Superbum nomen imperii, pastoris vocabulo mitigat*, inquit S. Hieronym.

℣. 25. Habitabunt usque in sempiternum. Doceant Judæi, hoc genti suæ contigisse. Sedibus suis pulsi septem & decem amplius sæculis vagantur: at Jesu Christi Ecclesia stat, & æternum floret; eamque Pastor suus perpetuo moderabitur: *David servus meus princeps eorum in sempiternum.*

℣. 26. Fœdus pacis. Dignum ne hac appellatione est fœdus antiquum? Ubi vides apud Israelitas aut sæculum integrum, aut annos quinquaginta, imo & viginti, bellis carentes? Nonne gentis Judaicæ annales assidua sunt bellorum ac seditionum narratio? Quod si de pace interpreteris inter Deum ac populum, exhibe, si potes, Judæos vel uno constanter sæculo Deo morigeros ac fideles. Prophetica ubique volumina, & cætera sacra Monumenta passim illorum inconstantiam assiduasque a Deo defectiones tradunt. Novum igitur Fœdus, cujus sequester Christus est, Rex pacis, pacem veram, interiorem animi pacem, sensus omnes superantem, largiens his verbis significatur (16): *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.*

(14) 2. Reg. vii. 8. Ego te tuli de pascuis sequentem greges. Psal. lxxvii. 70. *De post fœtantes accepit eum, pascere Jacob servum suum.* (15) Isai. xl. 12. Ezech. xxxiv. 23. Joan. x. 14. Heb. xiii. 20. (16) Philipp. iv. 7. Vide Coloss. iii. 16 & sup. Ezech. xxxiv. 25.

CAPUT XXXVIII.

Gog cum exercitu Israelitidem invadet; illum vero ejusque copias delebit Deus.

℣. 1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, Principem capitis Mosoch, & Thubal: & vaticinare de eo, 3. Et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Gog, principem capitis Mosoch, & Thubal. 4. Et circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis: & educam te, & omnem exercitum tuum, equos, & equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam, & clypeum arripientium, & gladium. 5. Persæ, Æthiopes, & Libyes, cum eis, omnes scutati, & galeati. 6. Gomer, & universa agmina ejus, domus Thogorma, latera aquilonis, & totum robur ejus, populique multi tecum. 7. Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te: & esto eis in præceptum. 8. Post dies multos visitaberis: in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter: hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi. 9. Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes, ut operias terram, tu, & omnia agmina tua, & populi multi tecum. 10. Hæc dicit Dominus Deus: in die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam, 11. Et dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes, habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro, vectes, & portæ non sunt eis: 12. Ut diripias spolia, & invadas prædam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, & postea restituti, & super populum, qui est congregatus ex gentibus; qui possidere cœpit, & esse habitator umbilici terræ. 13. Saba, & Dedan, & negotiatores Tharsis, & omnes leones ejus dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripien-

prendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, & aurum, &
auferas supellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas. 14. Propte-
rea vaticinare, fili hominis, & dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid
non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies? 15. Et ve-
nies de loco tuo a lateribus aquilonis, tu, & populi multi tecum, ascensores equo-
rum universi, coetus magnus, & exercitus vehemens. 16. Et ascendes super popu-
lum meum Israel, quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, & ad-
ducam te super terram meam: ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in
oculis eorum, o Gog. 17. Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo lo-
cutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum Prophetarum Israel, qui
prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos. 18. Et
erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascen-
det indignatio mea in furore meo. 19. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus
sum: Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel. 20. Et commove-
buntur a facie mea pisces maris, & volucres coeli, & bestiæ agri, & omne reptile,
quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ, &
subvertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. 21. Et
convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gla-
dius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur. 22. Et judicabo eum peste, & san-
guine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis: ignem, & sulphur pluam super
eum, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo. 23. Et
magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum Gentium, & scient,
quia ego Dominus,

℣. 2. PONE FACIEM TUAM CONTRA GOG, TERRAM MAGOG, &c. Difficillimum est totius Veteris Testamenti vaticinium; ac pauca sunt, de quibus majus sit inter Veteres Recentioresque dissidium. Argumentum hoc scripta Dissertatione tractavimus, ne Commentarii series intermittatur. Gog Cambyses est, Rex Persarum, qui ab Ægyptiaca expeditione redux, Israelis regionem invasit, ibique supremum diem obiit. His positis, commode omnes vaticinii partes explicari posse censemus.

Non raro Prophetæ, propria Regum nomina, personarumque, quas alloquuntur, alienis appellationibus celant. Si propriis semper luculentisque nominibus res ac personæ designarentur, nullum esset vaticinii ac historiæ, nec tropicæ ac varidicæ a simplici atque historica narratione discrimen. Nabuchodonosor sub aquilæ (1) magnæque arboris (2) imagine, Tyriorum Rex sub Cherubini appellatione (3), Ægyptiorum vero sub crocodilo (4) exhibentur. Jesus Christus & Pastor & David nuncupatur (5): Regni Ægyptiaci excidium per Chaldaici ruinam prædicitur. Assur pro Pharaone usurpatur (6); leæna pro Judæa; leonis catuli pro Regibus Juda (7); Ooliba pro Jerosolyma; Oolla pro Samaria (8). Exempla hæc in uno Ezechiele inveniuntur; quamobrem incredibile non est, Cambysem sub nomine Gog significari. Quæ hic Scriptura de Gog, ea Cambysi conveniunt. Is terræ Magog, Ros, Mosoch, Thubal, Gomer, Thogormæ Rex appellatur. Omnes porro eæ gentes sub illius signis merebant, ac præterea Persæ, Æthiopes, Libyesque: hoc vero fusius demonstrandum est.

Magog Scythis esse creditur; at cum Scythis nomen ambiguum sit, *Gagarenos* maxime (9) in Iberia significari putamus; atque in hanc sententiam propinquitate *Rosch*, *Mosoch* & *Thubal* impellimur. *Rosch* forsasse populi ad *Araxem*, quem amnem incolæ *Rosch* nuncupant, veterem Scytharum sedem. *Mosoch* & *Thubal* sunt *Cappadoces* & *Tybareni*, seu *Moschi* & *Iberi*. Hasce gentes Cambyses a Cyro hæreditatis nomine acceperat: esto autem Gog Scythiam solummodo significet, minime pugnat, quin Ezechiel Cambysem Gog, Principem *Magog*, appellarit; quemadmodum *Amorrhæorum* patrem, matrem *Hethæam* Judæis tribuit, eosque Chananæo genere ortos esse ait (10), ut illorum scelera, atque effrænem in vitia licentiam describat. Ita, ut Cambysis sævitiam significaret, Scytham nuncupavit, seu Gog, e regione Magog, quamquam is Persa genere esset. Scythæ appellatio in proverbium abierat pro sævo homine & cruento (11): Cambysis porro sævitiam atque insaniam nemo prorsus ignorat (12).

℣. 4. CIRCUMAGAM TE, ET PONAM FRÆNUM IN MAXILLIS TUIS. Te ceu equum traham, quem eques pro arbitrio agit. Frænum interdum etiam hominibus dabatur; atque ipse Cambyses Psammeniti Ægyptiorum Regis filium cum Ægyptiis bis millibus, loro ad cervices vincto, frænoque ori inserto, trahi ad supplicium jussit (13). Acrius nihil superbos Regum animos dejicit, quam locutiones hujusmodi, quæ immensas Dei vires in Principes locupletissimos indicant. Accipi potest Hebræus de ferreis æneisque circulis, insertis pecudum quarumdam naribus, ut loro trahantur (14). Ita usurpavit Chaldæus. Minime passus est Deus, ut Cambyses cum ingenti exercitu, quem Babylone secum duxerat, Judæam statim invaderet;

[1] Ezech. xvii. 3. [2] Dan. iv. 9. Et de Assur, Ezech. xxxi. 6. [3] Ezech. xxviii. 14.
[4] Ezech. xxix. 3. & xxxii. 2. [5] Ezech. xxxiv. 23. & xxxvii. 24. [6] Ezech. xxxi.
[7] Ezech. xix. [8] Ezech. xxiii. [9] Strabo lib. xi. Vide Bochart. Phaleg lib. 3. cap. 13.
[10] Ezech. xvi. 3. *Generatio tua de terra Chanaan; Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* [11] 4. Macch. iv. 47. [12] Cambyses erat φύσει μανικὸς, καὶ παρακεκινηκὼς τοὺς λογισμούς. Diodor. in Excerpt. Vales. Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πατὴρ . . . ὁ δὲ ὅτι χαλεπός τε ἦν, καὶ ὀλίγωρος, ὁ δὲ ὅτι ἤπιος, καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο. Herodot. lib. 3. cap. 89. Vide & lib. 3. cap. 30. 33. 34. 35. &c. Et Valer. Max. l. 6. de Severit. extern. n. 3. *Cambysis inusitata severitatis.* [13] Herodot. lib. 3. cap. 14. Τοὺς δὲ ἀχθέντας κάλῳ δεδεμένους ἔγνω, καὶ τὰ στόματα ἐγκεχαλινωμένους. [14] ושובבתיך ונתתי חחים בלחייך

derei: illud prius in Ægyptum, Æthiopiam, Africæ solitudines egit, ubi is magnam copiarum partem amisit (15).

℣. 5. PERSÆ, ÆTHIOPES, ET LIBYES CUM EIS. Hebræus (16): *Pharas, Chusch & Phut*. Harum gentium nomina non semel leguntur. Vide supra, XXVII. 10. & XXX. 5. Mirum non est, Cambysem, Persarum Regem, Persas in exercitu habuisse. Chus partem Arabiæ vel Æthiopiæ, seu Armeniæ populorum, e Chus Nemrodi patre prognatorum, significat. Quicquid sit, hæ procul dubio gentes inter Cambysis copias esse potuerunt; fœderatos enim habebat Arabes, quorum opera opportunissime usus est, cum Ægyptum invaderet (17). Vicinos Ægypto Æthiopes ipse domuit (18), atque ex iis milites conscripsit, quibus exercitus augeretur. *Phut* denique esse videntur Ægyptii e Nomis *Phtenot* vel *Phtemphuti* (19), quos in exercitu Cambysis fuisse nihil prohibet, cum is Ægyptum universam expugnaverit.

℣. 6. GOMER, DOMUS THOGORMA, LATERA AQUILONIS. Cymmerii, ac Turcomaniæ populi, cæterique septemtrionales, ceu Armeni, Medi, Colchi, vel Cambysi parebant, vel auxiliares ad eum copias detulerant, vel illius stipendia merebant. Neque id mirum videri debet, cum & Græcos milites haberet Cambyses (20). *Latera aquilonis* apud Scripturam omnium consensu sunt Provinciæ septemtrionales Mesopotamiæ, imo & Chaldæa, Mesopotamia, Syria, Babylonia.

℣. 7. ESTO EIS IN PRÆCEPTUM. Esto eis princeps, ex quo præcepta excipiant. Hebræus (21): *Erit eis in custodiam*. Septuaginta (22): *Eris mihi in custodiam*. Harum omnium copiarum te custodem ac ducem elegi. Absolutissimam sui ipsius potestatem atque imperium ubique ostendit Deus. Quod ingentibus adeo copiis imperes; ne ambitiose efferaris: vices meas geris; mihique servis.

℣. 8. POST DIES MULTOS VISITABERIS. Malo vertere (23): *Post dies multos visitabis*, vel *præparabis*. Ita postulant ea quæ sequuntur: *In novissimo annorum* (post annos multos) *venies ad terram, quæ reversa est* (servata est) *a gladio*. Vetus quidam Græcus reddit (24): *Post dies plurimos præparaberis; & in novissima* (fine) *annorum venies in terram, in terram aversam* (elapsam) *a gladio*. Septuaginta (25): *Post dies plurimos præparabitur, & in novissimo* (fine) *annorum veniet*. Israelis terram post annos sex & sexaginta ab Jerosolymæ expugnatione invasurus erat Cambyses. Chaldæus & Grotius in nostram explicationem conveniunt: Imperabis, præparabis, exercitum duces. *Terra quæ reversa est a gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter: hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi*. Hæc verba Israeliticam terram describunt, qualis post paucos a reditu ex captivitate annos fuit, quo tempore vix ab ærumnis emerserant Israelitæ, nondum clausis ambitu mœnium urbibus, ut infra ℣. 11. dicitur. Ægyptiaca Cambysis expeditio duodecimo post Judæorum reditum anno contigit; biennio post in Judæam venit.

℣. 10. IN DIE ILLA ASCENDENT SERMONES SUPER COR TUUM (consilia molieris).... [11] ASCENDAM AD TERRAM ABSQUE MURO, &c. Magnis cladibus fractus in Ægypto Cambyses, belloque infeliciter gesto, adeo ut miserrimus belli eventus magnum Principem dedeceret, relictis ubique sævitiæ, impietatis & insaniæ vestigiis, Ægypto denique relicta, ad Carmelum usque profectus est: ibi nuncios accepit, quibus & ipse & exercitus Smerdi, Cyri filio, a Persis ad Regnum evecto, obtemperare jubebantur (26). Hic porro Smerdis Magus erat, quem Patizitus, Cambysis Præfectus, pro Cyri filio, a Cambyse necato, supposuerat. Quod hic Ezechiel innuit, meditatum scilicet fuisse Cambysem regionem late universam populari; collectasque post captivitatem ab Israelitis opes diripere, nemo Historicorum tradit. Nimirum pessimum illud consilium nullus hominum sensit: at scrutator mentium Deus impium Cambysis molimen & vidit & sapientissime avertit. Diuturnum in Judæos odium animo fovebat Cambyses, ob invidiosa eorum consilia, qui Provinciam trans Euphratem posita moderabantur (27): populi vero Saba & Dedan, Judæis finitimi, & *Tharsis*, qui insanam auri cupiditatem direptionibus ac latrociniis explere satagebant, illum assidue hortabantur: *Numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem, &c.* v. 13. hujus capitis.

VENIAM AD HABITANTES SECURE: HI OMNES HABITANT SINE MURIS. Neque bellum, neque hostes nominat; ipsius enim & ditioni & imperiis suberant Israelitæ. Post eos annos, quibus patriæ repetendæ potestatem ipsis fecerat Cyrus, urbis mœnia restaurare illis non licuit (28), neque id tentare ausi sunt, quippe quibus, utpote medios inter Cuthæos, Ammonitas, Idumæos positis, metuenda essent omnia, si quid molirentur, quo hostium invidia, & Cambysis, cui nemo non suspectus erat, ac simultatem animo in Judæos gerebat, suspicio moveretur.

℣. 12. COEPIT ESSE HABITATOR UMBILICI TERRÆ (29), seu *Tabor terræ*. Mons in agro surgens, undique solus atque sejunctus, Hebraice *Tabor* dicitur. Veteres Latini Codices legunt (30); *Habitatores Jerusalem umbilici terræ*. Jerosolymam terræ totius centrum ac meditullium esse, Patres nonnulli censuerunt; quibus favere videntur aliqui Scripturæ loci; veluti (31): Dominus Deus Rex noster *operatus est salutem in medio terræ*. Et Ezechiel (32): *Ista est Jerusalem; in medio gentium posui eam*. At hic *Tabor terræ* est locus totius terræ sublimissimus, editissimus, situque tutissimus. Vide quæ diximus in Judices IX. 37.

℣. 13. SABA ET DADAN, ET NEGOTIATORES THARSIS. Saba & Dedan finitimi Judæis erant, & in Arabia morabantur, rapto ac latrociniis vitam agentes. Mirum igitur non est, si post vetera in Judæos odia invidiamque ob restitutam illis patriam ac libertatem, a Cambyse flagitaverint, ut regionem mox iterum cultam diripere ac vastare sibi liceret. Multa iis debebat Cambyses, quippe quorum ope exercitum incolumem per aridas solitudines, Ægyptum a Palæstina sejungentes, duxerat (33); eo enim Arabum Rex incredibilem aquæ copiam in utribus vehi camelis jussit, quæ & hominibus & jumentis sufficeret. Mercatores Tharsis, qui exercitum lucri causa e spoliis prædaque parandi sequebantur, Arabum, Saba & Dedan postulationibus accessere. Hi fortasse ex classe erant; Cambyses enim & classem & exercitum trahebat. Confer Psalmum XLVII. 6. 7. 8.

OMNES LEONES EJUS; sævissimi ejus regionis Principes, prædæ avidissimi, instar leonum. Malo vertere (34): *Omnes leones ejus regionis*, quam Israel

(15) Herodot. lib. 3. & Usser. ad ann. mund. 3480. (16) פרס כוש ופוט (17) Herodot. lib. 3. cap. 88. (18) Idem lib. 3. cap. 97. & Strabo lib. 17. (19) Ptolem. lib. 4. cap. 5. (20) Herodot. lib. 2. cap. 152. & 154. (21) והית להם למשמר (22) Septuag. Ἔσῃ μοι εἰς φυλακήν. (23) מימים רבים תפקד באחרית השנים תבוא אל ארץ (24) Ἀφ' ἡμερῶν πλειόνων ἑτοιμασθήσῃ, καὶ ἐν ἐσχάτῳ ἐτῶν ἥξεις εἰς γῆν, εἰς τὴν γῆν ἀπεστραμμένην ἀπὸ μαχαίρας. Vide Nobil. (25) Ἀφ' ἡμερῶν πλειόνων ἑτοιμασθήσεται, καὶ ἐπ' ἐσχάτου ἐτῶν ἐλεύσεται, &c. (26) Vide Herodot. lib. 3. cap. 61. (27) 1. Esdr. IV. 6. (28) Vide 2. Esdr. I. 3. (29) יושבי על טבור הארץ Septuag. Ἐπὶ τὸν ὀμφαλὸν τῆς γῆς. (30) Vide novam edit. Hieronym. tom. 1. (31) Psal. LXXIII. 12. (32) Ezech. V. 5. (33) Herodot. l. 3. c. 9. & 88. (34) וכל כפיריה

Israel colit. Leones hosce intellige Cuthæos, vel Samaritanos, veteres Judæorum hostes, qui aliquot ante annos inimicas Judæis literas ad Cambysem dederant. Horum nomina in fronte epistolæ ad Cambysem leguntur (35): *Reum-Beel-teem, & Samsai Scriba, & reliqui consiliatores Dinæi, & Apharsathachæi, Therphalæi, Arphasæi, Archuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi, & Ælamitæ, & cæteri de gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus*, Hi sunt leones Judæis infestissimi. Reddunt Septuaginta (36): *Mercatores Carthaginenses, & omnes pagi eorum*.

℣. 14. NUMQUID NON . . . CUM HABITAVERIT POPULUS MEUS CONFIDENTER, SCIAS? quemadmodum optime nosti, Quamquam optime compertum sibi est, Israelitas gentem esse pacis studiosam, atque a turbis alienam; attamen minaci ore sævisque animo consiliis venies: turbinis instar accedes, ut Israelitas evertas ac perdas.

℣. 16. IN NOVISSIMIS DIEBUS ERIS (Vide ℣. 8.) ET ADDUCAM TE SUPER TERRAM MEAM: UT SCIANT GENTES ME, CUM SANCTIFICATUS FUERO IN TE, cum meas in te vires ostendero. Te in Ægyptum duxi, ibique justitiæ meæ severitatem exercuisti. Tua nunc flagitia, & sævitiam, qua Ægyptum afflixisti, puniam. Judæam invades, sævaque & iniquissima in illam consilia animo agitabis: ibi ego te volo: quæ meditatus es, non explebis, meamque justitiam coram populis perspicuam exhibebo, ubi digno flagitiis tuis supplicio te afflixero.

℣. 17. TU ERGO ILLE ES, DE QUO LOCUTUS SUM IN DIEBUS ANTIQUIS, IN MANU PROPHETARUM. Apud Prophetas Ezechiele vetustiores plura legimus vaticinia, quæ nonnisi de hac re intelligi posse videntur. Isaias, descriptis Israelitarum aliarumque gentium calamitatibus, illorum reditum prædicit; & in Eucharistico carmine, ob hanc rem scripto, Jerosolymam deinde restaurandam canit, novamque iterum calamitatem post felicem reditum videt; ut brevem, quæque augendæ tantummodo Dei gloriæ serviat. *Vade, populus meus*, claudit orationem Isaias (37), *intra in cubicula tua, claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum*, &c. Et paulo infra (38): *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est. In die illa vinea meri cantabit ei*. Alludere videtur ad locum, ubi Cambyses cecidit; mare scilicet, prope *Carmelum* montem, qui Hebraice *vineam Domini* significat.

Descripto populi reditu e captivitate, Jeremias ait (39): *Hæc dicit Dominus; Vocem terroris audivimus: formido; & non est pax . . . Conversæ sunt universæ facies in auruginem. Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus! tempusque tribulationis est Jacob, & ex ipso salvabitur. Et erit in die illa, ait Dominus, conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni; sed servient Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis*. Profecto post Cambysis necem, populus tranquilla pace fruens, manus iterum ad Templi restaurationem admovit; ac paulo post Nehemias Babylone rediit, mœnium urbis restituendorum facultate donatus. Addit Propheta: *Ecce turbo Domini, furor egrediens; procella ruens, in capite impiorum conquiescet. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat, & compleat cogitationem cordis sui. In novissimo dierum intelligetis ea*. Consule Oleam in

18. Joelem 3. 1. Michæam 4. 10. & 5. 6. apud Theodoretum aliosque, veluti cum hoc vaticinio convenientes. Vide præsertim Joelem, a Capite II. ℣. 30. usque ad totum III. Caput, quod omnino ad idem hoc Ezechielis argumentum pertinet.

℣. 19. IN DIE ILLA ERIT COMMOTIO MAGNA SUPER TERRAM ISRAEL. Hostium suorum nequitiam atque invidiam, sævum & cruentum Cambysis ingenium, insatiabilem utrorumque cupiditatem norant Israelitæ: minas fortasse aliquas effuderat Cambyses, quibus universa regio territa est. Populi sui metum describit in consequentibus Ezechiel, cum futurum ait, ut maris pisces, cœli aves, jumenta & reptiles bestiæ metu commoveantur; montes ruant, labantur sepes, & mœnia dejiciantur. Hæc extremam animorum consternationem terroremque tropice significant.

℣. 21. CONVOCABO ADVERSUS EUM IN CUNCTIS MONTIBUS MEIS GLADIUM. Nullum apud Historicos legimus Cambysis bellum, in Israeliticis montibus gestum; impares enim repugnando erant Israelitæ. Quamobrem intestinam exercitus seditionem innuit Ezechiel, cum scilicet milites mutuis odiis flagrantes, in se ipsos arma verterunt; id quod inter copias ex innumeris variisque gentibus conflatas contigisse, incredibile non est. Ita igitur locum hunc intelligendum esse censemus (40). Cum Cambyses fratrem Smerdin odisset, atque ipse in Ægypto esset cum fratre, Smerdin in Persidem misit; visoque per somnium Smerdi solio insidente, Prexaspen Susas misit, ut fratrem interficeret. Patizitus negotiorum Cambysis procurator, necato Smerdi, cum Cambysem filiis carentem, belloque diuturno occupatum cerneret, suum ipsius fratrem pro Smerdi fratre Cambysis supposuit, ipsumque Regem creari ac regnare jussit. Nuntios interim ad Cambysis exercitum atque in Provincias misit, ut Smerdin regnare prædicarent, omnesque illi, non Cambysi, obtemperare juberent. Eo tempore Cambyses Ecbatanis erat in Syria, cum hæc intellexit. Statim ille Prexaspen, cui fratris necem commiserat, non obtemperasse credidit: at accito Prexaspe, auditoque ex nuncio, suppositum Smerdin coram non prodiisse, neque quicquam de Cambyse imperasse, quid rei esset, intellexit; quamobrem conscenso celeriter equo, cum furens iraque tumens ferretur, egressus e vagina ensis femori infixus est. En gladius a Deo adversum Gog accersitus ℣. 21.

Is ubi se vulneratum sensit, quod esset ejus loci nomen rogavit, audiensque Ecbatana esse, Perii, inquit; in fatis enim est, ut Cambyses Cyri filius hic moriatur. Cum enim in Ægypto esset, per somnium audiit, se Ecbatanis moriturum. Is quidem Ecbatana Mediæ putaverat; deinde vero de Ecbatanis Syriæ explicandum fuisse somnium intellexit. Vulnere in gangrenam degenerante vicesimo demum die obiit. Ecbatana Syriæ ea fortasse urbs est, quam Plinius (41) in Carmelo monte positam esse ait. Cambysem Damasci exspirasse, narrat Josephus Antiq. l. 11. c. 3. illum Babylonem usque pervenisse, author est Ctesias; læsoque femoris musculo, cum quoddam ligni frustum cultello expoliret, undecimo die ex vulnere obiisse. At nos Herodotum sequimur, Ctesia vetustiorem, cujus narratio certior esse videtur. Genus hoc mortis, quo Cambyses sublatus est, cum rebus ab Ezechiele prædictis aptissime congruere, infra videbimus (42).

Mortuo Cambyse, ingens fuit sententiarum dissidium. Plerique Ducum Smerdin Cambysis fratrem periisse, ægre credebant; cum præsertim Prexaspes, qui rem gesserat, constantius id asse-

tere

[35] Vide 1. Esdr. IV. 8. 9. [36] Ἔμποροι Καρχηδόνιοι, καὶ πᾶσαι αἱ κῶμαι αὐτῶν. Legunt [illegible] [37] Vide Isai. XIV. XV. XXVI. 20. 21. [38] Isai. XXVII. 1. 2. [39] Jerem. XXX. 3. 4. 5. 23. 24. [40] Vide Herodot. lib. 3. cap. XI. 22. 23. 24. 25. [41] Plin. lib. 5. cap. 19. In monte Carmelo oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum. [42] Vide proximum Caput ℣. 11.

rere non auderet, quippe qui, sublato Cambyse, id satis tutum sibi non esse intelligeret. Quid actum sit de exercitu, silet Herodotus, ad Babylonis res suppositumque pro Smerdi Magum transiens. Omnino tamen videtur, exercitus ex ingenti adeo gentium numero conflatus, quorum pleræque invito animo Cambysem sequebantur, orta seditione, arma in sui cędem convertisse, uti fert Ezechiel: *Gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur*; versisque in mutuam prædam animis, in Israeliticis montibus cecidisse. Copiarum Imperatore carentium ac turbatarum exuviis usi indigenæ, in cædem exercitus sævierunt. Meras profecto sequimur conjecturas, cum Scriptorum nemo exercitus exitum, post Cambysis mortem, narret: nihil tamen asserimus, quod probari nequeat, aut in paribus rerum articulis usuvenire non soleat. Lege apud Juditham, quid copiis Nabuchodonosoris contigerit, post necem Holofernis (43). Madianitæ, quo tempore Gedeon Israelitas moderabatur (44), mutuam in cædem sævierunt, cum invicem non cognoscerentur. Pari fato cecidere Philisthini, Saulis ætate (45). Idem Sennacheribi copiis contigisse videtur, ex Isaie c. 9. 4. Putavere Moabitæ, Israelitas atque Idumæos in castris per noctem sese mutuo cæcidisse, quo tempore Joram & Josaphat bellum in Moabitas gerebant 4. Reg. 3. 22.

Ỷ. 22. JUDICABO EUM PESTE ET SANGUINE. Vulnus ipsum, quo Cambyses obiit, totam vaticinii hujus fidem explevit. Gangrene vulneri succedens, qua femoris os corruptum est, pro peste haberi potest (46); & cruor ex ea fluens, justissime fuit innoxii sanguinis pœna, iniquissime ab eo fusi. Confer Joelem II. 30. 31.

IMBRE VEHEMENTI, ET LAPIDIBUS IMMENSIS. Nihil apud Historicos legimus, quod hanc vaticinii partem confirmet. At nullum plane oraculum invenias, cujus fidem minimis etiam in rebus expletam scias.

[43] Judith XV. 1. 2. 3. [44] Judic. VII. 22. [45] 1. Reg. XIV. 20. [46] *Herodot* lib. 3. cap. 66. *Μετὰ δὲ ταῦτα ὡς ἐσφακέλισέ τε τὸ ὀστέον, καὶ ὁ μηρὸς τάχιστα ἐσάπη.*

CAPUT XXXIX.

Sequitur vaticinium adversus Gog. Filii Jacob in patriam revertuntur.

Ỷ. 1. TU autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog, & dices: Hæc dicit Do-
minus Deus: Ecce ego super te, Gog, principem capitis Mosoch, & Thu-
bal: 2. Et circumagam te, & educam te, & ascendere te faciam de lateribus A-
quilonis, & adducam te super montes Israel. 3. Et percutiam arcum tuum in ma-
nu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam. 4. Super montes
Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum: feris, avibus,
omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad devorandum. 5. Super faciem agri ca-
des: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 6. Et immittam ignem in Magog,
& in his, qui habitant in insulis confidenter: & scient, quia ego Dominus. 7. Et
nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, & non polluam
nomen sanctum meum amplius: & scient gentes, quia ego Dominus sanctus Israel.
8. Ecce venit, & factum est, ait Dominus Deus; hæc est dies, de qua locutus sum.
9. Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, & succendent, & comburent ar-
ma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos: & suc-
cendent ea igni septem annis. 10. Et non portabunt ligna de regionibus, neque
succendent de saltibus: quoniam arma succendent igni, & deprædabuntur eos, qui-
bus præda fuerant, & diripient vastatores suos, ait Dominus Deus. 11. Et erit in
die illa: dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel: vallem viatorum ad
Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & om-
nem multitudinem ejus, & vocabitur vallis multitudinis Gog. 12. Et sepelient eos
domus Israel, ut mundent terram septem mensibus. 13. Sepeliet autem eum omnis
populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.
14. Et viros jugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant, & requirant eos,
qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam: post menses autem septem
quærere incipient. 15. Et circuibunt peragrantes terram: cumque viderint os homi-
nis, statuent juxta illud titulum: donec sepeliant illud polinctores in valle multitu-
dinis Gog. 16. Nomen autem civitatis Amona, & mundabunt terram. 17. Tu er-
go, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & universis avibus,
cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam,
quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel: ut comedatis car-
nem, & bibatis sanguinem. 18. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum
terræ bibetis: arietum, & agnorum, & hircorum, taurorumque, & altilium, & pin-
guium omnium. 19. Et comedetis adipem in saturitatem, & bibetis sanguinem in
ebrie-

ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis: 20. Et saturabimini super mensam meam de equo, & equite forti, & de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus. 21. Et ponam gloriam meam in Gentibus, & videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim; & manum meam, quam posuerim super eos. 22. Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum, a die illa, & deinceps. 23. Et scient gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, & absconderim faciem meam ab eis: & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio universi. 24. Juxta immunditiam eorum, & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis. 25. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Jacob, & miserebor omnis domus Israel, & assumam zelum pro nomine sancto meo. 26. Et portabunt confusionem suam, & omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter, neminem formidantes: 27. Et reduxero eos de populis, & congregavero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. 28. Et scient, quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, & congregaverim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. 29. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.

℣. 2. CIRCUMAGAM TE, ET EDUCAM TE, ET ASCENDERE TE FACIAM DE LATERIBUS AQUILONIS. Confer hunc locum cum Capite superiori, ℣. 4. Hebræus aliter redditur (1), cum ea vox, quæ hic vertitur, *educam te*, hic dumtaxat legatur: *Circumagam te, & proficisci te faciam* (2); [ducam te ceu belluam, quæ variis in regionibus insoliti loco monstri ostenditur; vel, traham te veluti bubalum, æneo annulo naribus inserto (3); denique; (4) decipiam te]: *accersam te ex* septemtrione. Cambyses, e regionibus Judææ septemtrionalibus profectus, duobus vel tribus annis Ægyptum, Thebaidem, atque Æthiopum fines peragravit, donec ipsum Deus in Ægyptum duxit, ceu victimam in montibus Israeliticis coram ipso morituram.

℣. 3. PERCUTIAM ARCUM IN MANU SINISTRA TUA. His verbis graphice pingitur Persarum Rex; arcu enim & spiculis præcipue utuntur Persæ.

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis (5).

Cambyses supra cæteros ætatis suæ homines jaculandi peritia gloriabatur (6).

℣. 4. SUPER MONTES ISRAEL CADES TU, ET OMNIA AGMINA TUA. Castra fortasse habebat Cambyses in Carmeli radicibus, ad orientem, secus torrentem Cisson, montibus Gelboe ac Thabore ad orientem, Carmelo ad occidentem clausa: ibi periit Cambyses, ejusque agmina intestina internecione deleta sunt, uti vidimus superiori Capite, ℣. 21.

℣. 6. IMMITTAM IGNEM IN MAGOG, ET IN HIS QUI HABITANT IN INSULIS. Seditionis ignem in Cambysis exercitu excitabo; atque hic in insulas, maritimasque regiones Cambysi subditas transiet; classemque nihilo secius quam exercitum turbabit. Assentatores Cambysis ajebant, ipsum Cyro majorem esse, quod & Ægyptum & maris imperium Persicæ dominationi addidisset (7). Septuaginta (8): *Immittam ignem in Magog, & habitabuntur insulæ in pace.* Cum in Ægypto esset Cambyses, tria simul animo moliebatur (9), Æthiopes nimirum, populos qui circum Templum Ammonis erant, & Carthaginenses, qui fortasse insularum nomine hic significantur, armis expugnare: at hæc omnino irrita cecidere; exercitus enim ad diripiendum Ammonis Templum missus, ex quinquaginta hominum millibus constans, improviso arenæ turbine obrutus periit (10); alter in Æthiopes, cum temere absque annona eam expeditionem suscepisset, fame coactus est decimum quemque ex militibus occidere, ac cæteris in cibum exhibere, ne omnes penitus interirent. Ita Cambyses, quinta itineris parte nondum confecta, rediit. Lucan. Pharsal. lib. x.

. . . . Vesanus in ortus
Cambyses longi populos devenit ad ævi,
Defectusque epulis, & pastus cæde suorum.
Ignoto te, Nile, redit.

Classis in Carthaginenses instructa, e Phœnicibus Cypriisque potissimum constabat; quamobrem Phœnices nulla vi se cogi posse testati sunt, ut in Carthaginenses, colonos suos ac fœderatos, arma converterent; Cyprii vero sese id minime tentaturos, si Phœnicum ope destituerentur. Neque illos e portubus solvere coegit Cambyses, quippe qui sponte sese Persis dedidissent. Ita consilium evanuit, & Carthaginis quies turbata non fuit.

℣. 9. SUCCENDENT EA IGNI SEPTEM ANNIS, diuturno tempore, certo numero pro incerto (11). Ingens adeo hastarum, clypeorum, arcuum telorumque numerus in ea regione futurus est, ut diu in ignis usum sufficiant. Post insignem de Saracenis victoriam, ab Hispanis relatam anno 1212. magna adeo hastarum, jaculorum, aliorumque lignorum copia inventa est, ut, teste Mariana (12), quatuor annis non defecerit, quo ignis nutriretur.

℣. 10. DEPRÆDABUNTUR EOS, QUIBUS PRÆDA FUERANT. Locupletabuntur exuviis Assyriorum, qui Israelitarum spolia tantopere flagitaverant. Veterem Judæorum traditionem recitat Theodoretus in cap. 38. v. 8. cum nimirum Gog, Magog, Boz, Thubal, Mosoch, cæteræque gentes, reversis e captivitate Judæis, Israelitidem invasissent, Zorobabelem cum universis suorum copiis occurrisse, iisque cæsis ingentem adeo prædam retulisse, ut Templi ædificationi suffecerit; nondum enim ea gens iis opibus florebat, ut tanto operi pares essent.

℣. 11. DABO GOG . . . SEPULCRUM IN ISRAEL, VAL-

(1) שבבתיך ושאתיך והעליתיך מירכתי צפון (2) Septuag. Κατάξω σε. Ludov. de Dieu. (3) Jun. Tremel. Pisc. (4) Chald. Hieron. *Circumagetur, & palpabitur, sive lactabitur.* (5) Virgil. Georgic. 3. (6) Herodot. lib. 3. c. 35. Νῦν δέ μοι αὐτὸς γνῶ εἰ δὴ Πέρσαι λέγουσι ἐτεὰ ἢ αὐτοὶ λέγοντες παραφρονέουσι. (7) Herodot. lib. 3. c. 34. Τόν γε ἐκείνου πάντα ἔχειν κείνε, & προσεκτῆσθαι Αἴγυπτον, & τὴν Θάλασσαν. (8) Καὶ κατοικηθήσονται αἱ νῆσοι ἐπ' εἰρήνης. (9) Herodot. lib. 3. c. 17. (10) Vide Herodot. ibid. c. 26. Justin. lib. 1. Plut. in Alex. (11) Vide Isai. IV. 1. Proverb. XXIV. 16. Genes. IV. 24. Matth. XVIII. 21. (12) Mariana, Hist. Hisp. lib. 11. cap. 24.

VALLEM VIATORUM AD ORIENTEM MARIS (13). Nemo certe luculentius, re gesta, locum sepulturæ Cambysis ejusque copiarum recitaret. Ad Mediterranei orientem, atque ad Carmeli radices via erat, qua ex Assyria, Mesopotamia, Syria, Phœnicia, Galilæa in Judæam, ad Philisthinos, Arabes atque Ægyptios, ac vicissim ex his ad illos, iter patebat. Eusebii & S. Hieronymi ætate, ingens ibi erat Romanorum præsidium, qui locus *Legio* dicebatur, quo tutius ac securius iter haberetur. Locum hunc disertissime innuit Genesis XXXVII. a. 5. ubi ait, Josephi fratres, cum in egro Dothaim versarentur, mercatores Ismaelitas, illac in Ægyptum proficiscentes, vidisse.

VOCABITUR VALLIS MULTITUDINIS GOG. Verbum hoc, *vocabitur*, plerumque sonat, *erit*; dici poterit aut debebit. Unum est hominum servatori nomen, *Jesus*: et quam multis illum nominibus nuncupat Scriptura (14)? Admirabilem, Emmanuelem, Consiliarium, Deum, Fortem, Principem pacis, &c. Quam multis vero Jerosolymam, promissamque regionem (15)? Satis igitur est: si vallis ad Mediterranei orientem posite nomen *Cœmeterii Gog* (16) mereretur, ob magnam militum ibi sepultorum multitudinem, ut tota vaticinii hujus fides staret. Locum hunc Septuaginta *Polyandrium* nominant; & Scriptor Libri de Vitis Prophetarum, Pseudo Epiphanius. Michæam Prophetam in *Polyandrio* prope Marathi, in Tribu Ephraim, sepultum esse testatur. *Polyandrion* Græce est cœmeterium, at hic locum fuisse ejus nominis putasse videtur. Hunc Pseudo Dorotheus nuncupat *Polyandrion Enacim*, *Cœmeterium filiorum Enok*.

℣. 12. SEPELIENT EOS, UT MUNDENT TERRAM, SEPTEM MENSIBUS; Legi obtemperantes, quæ cadavera insepulta relinqui vetat, ac tabem, ex ingenti adeo cadaverum multitudine orituram, prohibituri (17). Heptada hic, uti supra, ℣. 9. pro incerto numero usurpat.

℣. 13. ERIT EIS NOMINATA DIES. Celeberrimæ hujus cladis, qua infestissimus illorum hostis cecidit, reminiscentur. Emortualis Cambysis dies in Hebræorum annales diserte relata non fuit (18): at statim post Cambysis cædem Judæos iterum Templi ædificatione occupatos, hortantibus Aggæo & Zacharia Prophetis (19), legimus. Veteres populi hostes molestiam illis operi intentis rursus facere non desierunt, intermissumque est opus ad secundum usque Darii Hystaspis annum, qui latam pro Judæis a Cyro legem confirmavit. Ita Cambysis mors dies fuit Judæis celeberrima, dignaque memoratu; quippe qua restituendi Templi facultatem, rerum omnium optatissimam, ac votorum summam, recuperavere.

℣. 15. CUM VIDERINT OS HOMINIS, STATUENT JUXTA ILLUD TITULUM. Duplex hominum genus ad ossa mortuorum quærenda missum est: alii nimirum ea vestigabant, fixoque prope illa baculo, vel posito lapide, aliave re indicabant; quamobre, cum ea non tangerent, nulla prorsus labe inquinabantur. At ii, quibus demandata erat condendi ea sepulcro, atque in vallem Gog seu viatorum [℣. 11.] inferendi provincie, Legalem maculam referebant, qua per dies septem a cæterorum consuetudine arcebantur (20). Ineam tem servos fortasse alieno genere ortos, vel ethnicos mercede conductos, misere; vel etiam Judæos, qui mortuos sepeliendi artem exercerent, quorum consuetudinem cæteri e populo studiose aversabantur.

℣. 16. NOMEN AUTEM CIVITATIS AMONA, scilicet urbs *multitudinis* (21), ob ingentem mortuorum numerum ibi sepulcro conditorum. Frustra apud Geographos quæras urbem *Hamona*; et vaticinii fides satis servatur, quemadmodum animadvertimus in ℣. 11. si in eo loco, ubi cædem Cambysis contigisse credimus, tantus fuerit mortuorum numerus, ut locus Persarum cœmeterium merito nuncuparetur.

℣. 18. CARNES FORTIUM, TAURORUMQUE ET ALTILIUM, ET PINGUIUM OMNIUM. Hebræus (22): *Caro fortium ..... taurorum, meriorum, Basan omnium*. Victimæ hujusmodi pinguissimæ atque optimæ totius Basanitidis sunt, quæ regio trans Jordanem pecorum pinguedine florebat. *Merius* bos est in Africa & Syria (23). Septuaginta (24): *Carnem gigantum comedite ... vituli saginati omnes sunt*.

℣. 23. QUONIAM IN INIQUITATE SUA CAPTA SIT DOMUS ISRAEL. Vel, domum Israelis in flagitiis suis captam esse intelligent; ipsosque in Chaldæorum potestatem e me non datos esse, quod viribus aut misericordia erga ipsos caream. Illos certe captivitatis immunes efficere poteram, quemadmodum e sævissimi Principis furiis servavi, nisi ipsorum flagitia vires meas coercuissent, meumque in sese furorem provocassent.

℣. 25. NUNC REDUCAM CAPTIVITATEM JACOB. Dispersos ubique Israelitas mox revocabo. Redeundi facultatem captivis comparabo, cæterosque in ea regione versantes tam multa bonorum copia cumulabo, ut ii, qui in exilio sunt, certatim revertantur. Id sub Dario Hystaspis gestum est, qui Judæis favens, Templi restituendi potestatem iis fecit, atque Esdram nobilissimis diplomatibus auctum remisit (25). Hic Estherem duxerat, ac Mardochæum supremis dignitatibus ornaverat. Vide nostram Dissertationem de reditu decem Tribuum. Judæos nonnisi per turmas atque intervalla rediisse censemus: multi enim sub Dario, multi sub Artaxerxe, plurimi sub Magno Alexandro reversi sunt.

ASSUMAM ZELUM. Vetere nominis mei studio flagrabo, gentem meam protegens, novisque illam beneficiis cumulans. Nominis mei gloriem alienorum probris obnoxiam non relinquam, populo in Ethnicorum potestate destituto.

℣. 28. NON DERELIQUERIM QUEMPIAM EX EIS IBI. Nemo penitus permanebit, nisi is voluerit. Publicam omnibus redeundi facultatem comparabo. Id apud Christianos dumtaxat expletum est, quemadmodum & ea quæ sequuntur: *Non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel*. Quin Israel universus in Ecclesiam convenerit, Divinique Spiritus particeps effectus fuerit, per Deum nequaquam stetit; invitaque ipsorum contumacia, tandem aliquando ad Deum reverrentur, erroremque suum agnoscent (26): *Cæcitas ex parte contigit in Israel; donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret*.

(13) Heb. אתן לגוג מקום שם קבר בישראל גי העברים קדמת הים Septuag. Δώσω τῷ Γὼγ τόπον ὀνομαστὸν, μνημεῖον ἐν Ἰσραήλ, τὸ πολυάνδριον τῶν ἐπελθόντων πρὸς τῇ θαλάσσῃ. (14) Isai. VII. 14. VIII. 3. &c.
(15) Idem LX. 14. LXII. 2. 4. Jerem. III. 17. XI. 16. &c. (16) 70. Πολυάνδριον τοῦ Γώγ. Hebr. גי המון גוג
(17) Vide Num. XIX. 11. 16. & Deuteron. XXI. 1. 2. 23. (18) Petrus Comestor, & Dionysius Chartusianus festi cujusdam meminere, quod Cambysa nominant, libertatis nimirum Bethuliæ a Juditha comparatæ. Vide Judith XVI. 31. & 1 Esdr. IV. & V. (19) Agg. I. 1. . . . 15. & Zach. & 1. Esdr. V. 1.
(20) Num. XIX. 12. *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus*. (21) שם עיר המונה Septuag. Ὄνομα τῆς πόλεως Πολυάνδριον, Urbis nomen est *cœmeterium*. (22) בשר גבורים . . . פרים מריאי בשן כלם (23) Vide 2. Reg. VI. 13. Bellon. Observat. lib. 2. cap. 50. (24) Κρέα γιγάντων φάγεσθε . . . . καὶ οἱ μόσχοι ἐστεατωμένοι πάντες.
(25) Vide 1. Esdr. VI. (26) Rom. XI. 25.

CA-

CAPUT XL.

Dei Templum describitur, quale in spiritu exhibitum est Ezechieli. Foriam ac vestibulorum mensura. Templi cubicula Sacerdotibus & Cantoribus destinata.

℣. 1. IN vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas: in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc. 2. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum. 3. Et introduxit me illuc: & ecce vir, cujus erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus: stabat autem in porta. 4. Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi, adductus es huc: annuntia omnia, quæ tu vides domui Israel. 5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo: & mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. 6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus ejus: & mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine. 7. Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum: & inter thalamos, quinque cubitos: 8. Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno. 9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecus. 10. Porro thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc, & tres inde: mensura una trium, & mensura una frontium ex utraque parte. 11. Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum: & longitudinem portæ, tredecim cubitorum. 12. Et marginem ante thalamos cubiti unius: & cubitus unus finis utrinque: thalami autem sex cubitorum erant hinc, & inde. 13. Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum: ostium contra ostium. 14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ undique per circuitum. 15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos. 16. Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum. 17. Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti: 18. Et pavimentum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius. 19. Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem. 20. Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine. 21. Et thalamos ejus tres hinc, & tres inde: & frontem ejus, & vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, & latitudinem viginti quinque cubitorum. 22. Fenestræ autem ejus, & vestibulum, & sculpturæ secundum mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem: & septem graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam. 23. Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem: & mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. 24. Et eduxit me ad viam Australem, & ecce porta, quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem ejus, & vestibulum ejus, juxta mensuras superiores. 25. Et fenestras ejus, & vestibula in circuitu sicut fenestras cæteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine viginti quinque cubitorum. 26. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam: & vestibulum ante fores ejus: & cælatæ palmæ erant, una hinc, & altera inde in fronte ejus. 27. Et porta atrii interioris in via Australi: & mensus est a porta usque ad portam in via Australi centum cubitos. 28. Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem: & mensus est portam juxta mensuras superiores. 29. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus eisdem mensuris, & fenestras ejus: & vestibulum ejus in circuitu,

tu, quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos. 30. Et vestibulum per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum. 31. Et vestibulum ejus ad atrium exterius, & palmas ejus in fronte: & octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam. 32. Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem: & mensus est portam secundum mensuras superiores. 33. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus sicut supra: & fenestras ejus, & vestibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum. 34. Et vestibulum ejus, id est, atrii exterioris, & palmæ cælatæ in fronte ejus hinc, & inde: & in octo gradibus ascensus ejus. 35. Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad Aquilonem; & mensus est secundum mensuras superiores. 36. Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, & fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum. 37. Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius: & cælatura palmarum in fronte ejus hinc, & inde: & in octo gradibus ascensus ejus. 38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum; ibi lavabant holocaustum. 39. Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde: ut immoletur super eas holocaustum & pro peccato, & pro delicto. 40. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ: & ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ. 41. Quatuor mensæ hinc, & quatuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant. 42. Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti unius, & dimidii: & latitudine cubiti unius, & dimidii: & altitudine cubiti unius, super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima. 43. Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum; super mensas autem carnes oblationis. 44. Et extra portam interiorem, gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem; & facies eorum contra viam Australem, una ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis. 45. Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium, quod respicit viam meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. 46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris, isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei. 47. Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum, & altare ante faciem templi. 48. Et introduxit me in vestibulum templi; & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde; & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde. 49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem undecim cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus; una hinc, & altera inde.

℣. 1. IN VIGESIMO QUINTO ANNO TRANSMIGRATIONIS NOSTRÆ; anno Mundi 3430. feria tertia, pridie Kalendas Maii, anno post Jerosolymæ expugnationem quarto & decimo (1), Quam ardua res sit, Templum Jerosolymitanum describere, non dicimus; satis enim inter Eruditos constat, nihil in Sacris Libris difficilius inveniri. Nihil ferme hac de re tradidere Veteres, aut ad allegoriam converterunt, censueruntque, Templum, quale ab Ezechiele describitur, post præsens hujus vitæ sæculum in aliena vita fore ædificandum, S. Hieronymus (2) modeste de se fatetur (3): *Aperte imperitiam confitemur, melius arbitrantes interim nihil, quam parum* dicere. Laboriosam hanc provinciam veluti reluctans aggreditur, quasi quicquam se bene gesturum, ac Prophetæ mentem se assequuturum desperet. Nostrorum temporum Interpretes, Hieronymo audaciores, eamdem provinciam magnopere non prorogavere; nihilque adhuc satis absolutum de Salomonici Templi forma traditum esse, nemo inficiator. Alii modica architectonices peritia instructi, vel perlectis Josephi tantummodo aut Rabbinorum Libris, quæ in iis viderant, omnia in Ezechiele inventum iri arbitrabantur. Alii vero (4) Græca Romanaque ædificiorum magnificentia occupati, nihilque satis amplum aut magnificum inveniri posse arbitrantes, quo Templi, ab ipso ut ita dicam, Deo descripti, cum ipse illius ichnographiam Davidi exhibuerit, majestas ac splendor æquaretur, cum præsertim incredibilem auri vim locupletissimus ac sapientissimus hominum Rex eo ædificando impenderit; rem magis quam par fuit, exaggeravere, operibus temere ac frustra multiplicatis, Templumque sexies vero amplius effinxere. Nobis profecto rem felicius quam cæteris cessuram non speramus: at nostris viribus non multum confisi, servatam hactenus rationem sequemur, explicato ad amussim Textu, neglectisque conjecturis ac doctis fabulis; quas si amplectamur, longius ab Ezechielis mente aberrandum sit. Ne argumentum satis salebrosum implicatumque majoribus

[1] Usser. ad an. mundi 3430. [2] Hieronym. Præf. in libros xi. & xii. in Ezech. [3] Idem in fine lib. xi. (4) Villalpand.

bus ambagibus obvolvamus, varias de eo Interpretum ſententias non ſectabimus; id enim & immenſi laboris eſſet, & inutiliſſimum. Noſtram igitur ſolummodo proponemus; cætera diſces ex ichnographia, quam in ære ſculptam dedimus.

Templum hic ab Ezechiele deſcriptum, idem omnino eſſe videtur ac vetus, quod ante captivitatem ſteterat, atque a Chaldæis crematum eſt, anno quarto & decimo antequam hæc Ezechieli exhiberentur. Collatis cum Ezechiele Regum & Paralipomenon Libris, eædem plane dimenſiones in utrorumque narrationibus animadvertuntur: ita Templum ſeu locus Sanctuarium Sanctumque, Veſtibulum Templi pares utrinque menſuras habent tum in Regum Libris, tum in Ezechiele (5); eadem in utriſque ſunt interiorum Templi partium ornamenta (6). Atria duo in utriſque cernuntur; alterum interius Sacerdotum, exterius alterum populi (7). Fortaſſe igitur cæteris in partibus Templum ab Ezechiele deſcriptum ſimile omnino veteri fuit; ac Deus veſtigia hæc in Ezechielis mente retractans, illud tantummodo moliebatur, ut divini hujus ædificii ichnographiam, dimenſiones & ornamenta in hominum animis ſervaret, quo facilius populus e captivitate redux ſacram domum ex hoc exemplo reſtauraret. Studium, quo Ezechiel Templum deſcripſit, ſpei argumentum Judæis erat, futurum ut aliquando ſeſe captivitate liberos, Templumque reſtitutum, ſuamque gentem in avitas ſedes revocatam intuerentur. Templum, ſeu Domini Domum, qua Sanctum & Sanctuarium, in Libris Regum accuratiſſime deſcripta, continebatur, minori opera deſcribit Ezechiel; fores vero, porticus, Templi conclavia, a Libris Regum vel penitus omiſſa, vel leviſſime perſtricta, accuratius pingit.

℣. 2. Adduxit me super montem excelsum nimis, non re ipſa, ſed in ſpiritu; in montem Moria, ubi Deus Templi imaginem, quale olim viderat, iterum exhibuit; tunc enim ſacra domus ruinis ſepulta ſuis jacebat. Ut ampla ſatis area Templo a Salomone conſtruendo pararetur, montis verticem ſterni juſſit. Terreos aggeres triplici ex parte, ſcilicet ab occidente, ſeptemtrione ac meridie, muri validiſſimi ſulciebant, cubitis trecentis ad meridiem atque occidentem ſublimes, humiliores tamen a ſeptemtrione; at ex oriente facili montis aſcenſu Templum a populo frequentabatur. Joſepho tamen teſte (8), muri hujuſmodi poſt captivitatem conſtructi fuere; nulla enim illorum veſtigia vel in Salomonico, vel in Ezechielis Templo (9) cernuntur. Templi Prophetæ exhibiti ambitus quingentis in quadrum cubitis porrigebatur. *Ezech.* XLII. 16.

Quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum. Magnus ædificiorum numerus ac ſplendor, quibus Templi mons occupabatur; muroſumque amplitudo & firmitas in cauſa fuere, cur is locus urbis nomine donaretur. Ita illum nuncupat David Pſ. 47. 2. *Mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni.* Ezechieli, qui Jeroſolymam ex Chaldæa in ſpiritu venit, Templum ad meridiem jacebat; at Jeroſolymæ ad boream (10). Reddunt Septuaginta (11): *Quaſi ædificium civitatis e regione*, Jeroſolymam e regione montis ædificatam mihi exhibuit. At Hebræus, Chaldæus, cæteræque Verſiones cum Vulgata conveniunt.

℣. 3. Introduxit me illuc. Ezechiel ad portam acceſſit oppoſitam loco, unde profectus fuerat, ſcilicet ad ſeptemtrionalem, qua olim in altera viſione introductus fuerat. Vide *Ezech.* VIII. 3. Nunc tamen illac ingreſſus non eſt, ſed longiore circuitu ductus, per orientalem ℣. 6.

Ecce vir . . . . quasi species æris. Angelus a Deo miſſus, ut Templi dimenſiones Ezechielem doceret. Stabat hic in ſeptemtrionali porta, quaſi Ezechielem præſtolans, ut introduceret. Venientem excepit Angelus, at ad orientalem portam duxit.

Funiculus lineus, et calamus mensuræ in manu ejus. Funiculo quidem amplæ ſatis areæ longitudinem metiebantur (12); calamo autem altitudinem ædificiorum, aut minora in latum ſpatia. Angelum uſum eſſe funiculo, non tradit Ezechiel, ſed omnia ad cubitum metitur. Incerta erat funiculi longitudo apud eas gentes, qui illo utebantur. Stadiis ſexaginta illum producit Herodotus; at Templi amplitudo multo minor eo ſpatio erat. Calamus ſeu pertica, authore Ezechiele ℣. 5. cubitos ſex & palmum continebat, Hebraicos nimirum cubitos, palmo longiores quam Babylonicos. Cubitus Hebraicus ex digitis quatuor & viginti, ſive ſex palmis, vel unciis viginti & dimidia, uncia in lineas duodecim diviſa, conſtabat.

℣. 5. Murus forinsecus in circuitu domus undique. Murus hic ſex cubitorum altitudine & craſſitie, montis verticem undique ambiebat, ceu lorica (13), Salomonis Templum multo anguſtius fuit altero, quod Joſephi ætate ſtabat (14), quo tempore ingentes muri ab ipſa montis radice ad cacumen uſque ſurgebant. *Nudum olim Templum erat undique*, ut verbis Joſephi utar, præter latus orientale, quod Salomon muro cinxerat, quo humus ſulciretur. Murus, qui hic deſcribitur, lorica tantum erat, montem undique cingens, perticæ altitudine & craſſitie. Vide ichnographiam. AA.

℣. 6. Venit ad portam . . orientalem, et ascendit per gradus ejus. Quamquam in aream ſtrato montis vertice, nonnihil clivi relictum fuerat; ita ut ex altero atrio ad alterum aſcenſus eſſet per gradus. Hæc ſoli inæqualitas ædificii ſplendori ſerviebat; efficiebatque, ne ædificii partes ſub prioris loricæ altitudine conderentur; ita enim alia ſuper aliam veluti multiplici contignatione ſurgebant; idque jucundiſſimum ſpectantibus erat. Ingentibus portis quatuor patebat Templum, Orientali, ſeptemtrionali, meridionali, & occidentali. Vide ichnographiam MM.

Mensus est limen portæ calamo uno, ſex nempe cubitis, vel duodecim circiter pedibus, duodecim unciarum ſingulis. Portæ limen muri craſſitiem æquabat; ſex igitur cubitos.

℣. 7. Et thalamum, uno calamo in longum, &c. Conclavia hæc & veſtibula ornamento, & cuſtodum janitorumque domicilio ſerviebant. Tria utrinque ad ſingula porticus latera erant (15), & muro quinque cubitis craſſo invicem dividebantur (16). Vide ichnographiam MM.

Et limen portæ juxta vestibulum portæ, intrinsecus, calamo uno. Interior porta, qua aditus in atrium dabatur, e regione prioris portæ, quæ ex poſteriori parte intra Veſtibulum exponebat, paris erat cum priore latitudinis: craſſitie ſex cubitorum. Hebræus (17): *Et limen portæ juxta veſtibulum portæ interioris calamus unus. Et menſus eſt veſtibulum portæ interioris, ca-*

[5] Confer 3. Reg. VI. 3. 4. . . . 16. & Ezech. XLI. 2. 3. 4. & ſeq. [6] 3. Reg. VI. 29. & Ezech. XLI. 16. 17. [7] Vide 3. Reg. VI. 36. & 2. Par. IV. 9. & Ezech. VIII. 7. 16 [8] De bello lib. 2. cap. 6 pag. 915. [9] Joſeph. de Bello lib. 5. cap. 14. in Græc. vel lib. 2. cap 6. in Latino. [10] Ibidem, & Iſai. XIV. 13. Vide & Ezech. I. 4. & VIII. 3. [11] Ὡς τοι οἰκοδομὴ πόλεως ἀπέναντι. Legant מנגד e regione, pro מנגב ad meridiem. [12] Herodot. lib. 2. cap. 6. [13] Sanct. Cornel. Menoch. Caſtal. Villalp. [14] Joſeph. de bello lib. VI. cap. 14. Τὸ κατ' ἀνατολὰς μέρος ... ἐστήριξε τῷ χώματι, ἐκ δὲ τῶν λοιπῶν μερῶν γυμνὸς ὁ Ναὸς ἦν. [15] ℣. 10. *Thalami portæ tres hinc, & tres inde.* [16] *Inter thalamos quinque cubitos.* [17] וסף השער מאצל אולם השער מהבית קנה אחד : וימד את אלם השער מהבית קנה אחד

sanum unum. Eadem omnino sunt porta interior, & porta juxta vestibulum; quemadmodum & latitudo liminis portæ hujus, & portæ vestibuli, eadem erat portæ apertura.

℣. 9. ET MENSUS EST VESTIBULUM PORTÆ OCTO CUBITORUM, procul dubio in latum. Vestibulum intra portam erat, ubi aditus in Templum patebat (18). Templi apertura, ab altero ad alterum postem octo cubitis porrigebatur in latum, tredecim in altum ℣. 11.

ET FRONTEM EJUS DUOBUS CUBITIS. Vestibulum duobus cubitis amplius erat porta, in utroque enim portæ latere ornamentum erat cubito patens.

℣. 11. MENSUS EST LATITUDINEM LIMINIS PORTÆ, DECEM CUBITORUM, laterum obliquatorum causa, quæ cum in exteriori parte octo dumtaxat cubitis pateret, in interiori latius aperiebatur, & cubitum utrinque erodebat, quo facilius commodiusque fores aperirentur.

ET LONGITUDINEM PORTÆ TREDECIM CUBITORUM. Altitudinem intellige. Tredecim igitur cubitis in altum, octo in latum aperiebatur, sexdecim nimirum circiter pedibus in latum, & in altum sex & viginti.

℣. 12. MARGINEM ANTE THALAMOS CUBITI UNIUS. Suppedaneum optime dixeris, cum per totam porticus longitudinem porrigeretur. *Cubitus unus finis utrinque*: ea erat certa suppedanei mensura, qualibet ex ex parte cubitus. Margo hic vel suppedaneum basis loco erat palmarum imaginibus, quæ mediæ inter conclavium spatia pro parastadibus pictæ erant. Vide ℣. 16.

℣. 13. MENSUS EST PORTAM A TECTO THALAMI, USQUE AD TECTUM EJUS, VIGINTIQUINQUE CUBITORUM. Portam hic intellige, porticum, seu vestibulum. Hujus latitudo a remotiore conclavis unius pariete, usque ad remotiorem alterius oppositi, cubitos quinque & viginti habebat; duodecim scilicet ob utrumque conclave, quorum singula sex cubitorum aream continebant; duodecim vero ob spatium inter utrumque conclave injectum, numeratis simul duobus cubitis marginis seu suppedanei, quod ante conclavia objiciebatur. Habes jam cubitos quatuor & viginti; quibus adde dimidium cubitum ad utrumque latus portæ, fortasse ex contractione muri, conclavium tabulatum sustinentis.

℣. 14. FECIT FRONTES PER SEXAGINTA CUBITOS; vel, exteriorem frontem mensus, eam sexaginta cubitis porrigi intellexit; triginta, inquiunt, cubitos in longum ex utraque parte vestibuli. At ex iis, quæ supra diximus, cubitos octo & triginta in longum ex una ad alteram portam intercessisse necesse est; octo nimirum & decem ob tria conclavia, & viginti ob parietes conclavia separantes, quinque cubitorum singulos. Aptius igitur hæc verba de altitudine totius frontis vestibuli explicantur; adeo ut totum opus sexaginta cubitis in altum porrigeretur, quindecim scilicet ob conclavia, reliquis ob coronidem, zophorum, & fenestras, quæ conclavibus imminebant. Mensuram hanc unus hic locus habet; quamobrem si vestibuli altitudinem hic describi neges, nullibi a Propheta narrari dicendum est. Nostram hanc conjecturam illud confirmat, quod si quindecim dumtaxat altitudinis cubitos vestibulo tribuas, nullam penitus lucem illud e fenestris supra portas patentibus accipiet, cum juxta vestibulum, imo vestibulo ipsi conjuncta essent ædificia, quæ triplici contignatione extollebantur, quibus contignationibus si cubitos triginta vel trigintaquinque dederis, vestibulo quinque & viginti vel triginta cubiti supra contignationes relinquentur: quamobrem ipsa portarum & vestibuli sublimitas, supra cæteras ædificii partes surgens, ornamentum ac majestatem addebat ædificio, perituram omnino, si par unicuique parti sublimitas fuisset. Josephus Templi portas cubitis amplius quadragenis editas fuisse testatur, turrium instar in ipso Templi ingressu surgentes. Vestibuli altitudinem Ezechiel ab exteriori parte, Josephus ab interiori spectasse videntur (19).

ET AD FRONTEM ATRIUM PORTÆ UNDIQUE PER CIRCUITUM. Frontem mensus est, interiorem scilicet vestibuli partem, ab exteriori porta usque ad alteram, qua aditus in atrium Israelis erat. Hebræus ad verbum (20): *Et ad frontem atrii portæ circum circum*.

℣. 15. ET ANTE FACIEM PORTÆ ... QUINQUAGINTA CUBITOS. Quinquaginta hosce cubitos ita conficies. Ex duplici pariete utriusque portæ, singulis cubitorum sex, habes cubitos duodecim; ex tribus conclavibus ad latus vestibuli, cubitos octo & decem; ex quatuor parietibus, quibus conclavia dividuntur, cubitos viginti; omnino cubitos quinquaginta.

℣. 16. ET FENESTRAS OBLIQUAS IN THALAMIS, ET IN FRONTIBUS EORUM; vel (21), fenestras clatratas, sive clatris clausas. Hæ conclavibus vestibuli insistebant, erantque ex utroque latere sex. Hoc ornamenti genere universum undique atrium magnum claudebatur: *Similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum*. Vel, innuit Propheta, cætera etiam vestibula hoc fenestrarum ornamento distincta fuisse. Profecto eadem omnibus ornamenta erant, eædemque dimensiones, quæ hic leguntur, ut infra videbimus.

ET ANTE FRONTES PICTURA PALMARUM, torema, non pictura. Columnæ genus erat, seu parastadis, inter gemina vestibuli conclavia surgens. Palmæ truncus ceu columnæ scapus erat; coma vero capitellum. Hoc parastadis genus *palmæ* absolute appellantur ℣. 26. *Cælatæ palmæ erant, una hinc & altera inde in fronte ejus*.

℣. 17. ET EDUXIT ME AD ATRIUM EXTERIUS, ET ECCE GAZOPHYLACIA (22), conclavia, cellæ; denique longa conclavium series circa atrium ducta. Multiplex erat hujusmodi conclavium usus. Ajunt, consuevisse fœminas sub alterius, viros sub primæ contignationis porticus, pari cum Templo area, convenire. Præter hasce porticus in fœminarum usum, plures erant aulæ, pluraque conclavia, ubi res Templo necessariæ claudebantur, veluti ligna, sal, vinum, oleum, &c. in usum sacrificiorum, & plurima sacerdotum domicilia.

ET PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE IN ATRIO PER CIRCUITUM, Hebraica vox *rispha*, quæ hic pavimentum redditur, interdum pro foco vel pruna usurpatur (23) At hic significare creditur lapidem porphyritem, aliudve marmoris genus vivido colore, atque ad rubrum accedente (24). Nobis absolute pavimentum esse videtur, secus porticus circa portas stratum, uti habet ℣. 18. *Pavimentum a tergo portarum*, ait ad verbum Hebræus Universum penitus atrium, tum Templi, tum Sacerdotum, pavimento stratum fuisse credimus (25). Josephus (26) quicquid sub dio erat, varii coloris marmore pavitum fuisse testatur.

TRIGINTA GAZOPHYLACIA IN CIRCUITU PAVIMENTI. Villalpandus, & Capellus, quos omnium accuratissimos hujus loci Interpretes vulgus Eruditorum putat, ajunt, conclavia in secunda solummodo contignatione fuisse, & supra porticus, quos amplo peristylio, tribus columnarum ordinibus

(18) *Vestibulum autem portæ erat intrinsecus*. (19) Joseph lib. v. de Bello cap. 5. Ἐξέδρας εἶχον ἀνὰ τὸ μῆκος πυργοειδεῖς, ὑψηλὰς δ' ὑπὲρ τεσσαράκοντα πήχεις. δύο δὲ ἑκάστη ἑκάστου κίονες. (20) ואל איל החצר השער סביב סביב (21) וחלונות אטמות אל התאים ואל אליהם Septuag. Καὶ θυρίδες κρυπταὶ ἐπὶ τὰ θεεῖμ, καὶ ἐπὶ τὰ αἰλάμ. Alibi reddunt: Θυρίδες δικτυωταί, *Fenestræ clatratæ*. 3. Reg. VI. 4. & Ezech. XLI. 16. (22) והנה לשכות אל הרצפה (23) Isai. VI. 6. & 3. Reg. XIX. 6. (24) Vide 2. Par. XXIX. 2. & 3. Reg. XIX. 6. (25) Vide 2. Par. VII. & 4. Reg. XVI. 17. (26) Joseph. de Bello l. VI. c. 14.

nibus fulto, terrestrem ædificii partem occupasse existimant (27). At conclavia tum in prima tum in secunda contignatione fuisse, minime ambigimus; quæ tamen nonnisi tertiam partem cubitorum quinquaginta, quibus ædificium in latum porrigebatur, occuparent. Cætera porticus erant, gemino ordine columnarum. Præter hujus loci perspicuitatem, quæ conjecturæ nostræ favere videtur, docet Caput VIII. 7. 8. 9. Ezechielis, aulam ad latus portæ atrii Israelis januisse, ubi Propheta septuaginta seniores vidit, qui pictas belluas prono corpore venerabantur. Triginta hæc conclavia ita fortasse distribuebantur, ut quindecim ad vestibuli dexteram, totidemque ad lævam starent. Atque hæc spatio satis amplo porrigebantur: si enim singulis lateribus cubitorum bis centum longitudinem tribuas, totumque hoc spatium in quindecim conclavia dividas, singulis cubitos tredecim ac paulo amplius, pedes nimirum circiter duos & viginti relinques: quod si cubitum demas & uncias aliquot, ob parietum conclavia dividentium crassitiem, duos nempe regios pedes, cubitos adhuc duodecim latitudini, triginta longitudini conclavium dabis; quibus amplissimam certe aulam efficias; relicto etiam ante conclavia viginti cubitorum spatio porticibus, quas diviso spatio geminas fuisse ponas, decem cubitorum latitudinis singulas. Plures certe duobus in populi atrio non admittit Josephus (28); iisque cubitorum triginta latitudinem tribuit. At cum Propheta Templi culinas, quæ in extremis alarum angulis erant, triginta cubitis in latum porrectas fuisse narrat (29), his angustiores fingi nequeunt aulæ, quæ parallelæ culinis erant: quamobrem viginti dumtaxat cubiti porticuum latitudini relinquuntur.

℣. 18. ET PAVIMENTUM IN FRONTE PORTARUM, SECUNDUM LONGITUDINEM PORTARUM ERAT INFERIUS. Obscurissima sententia, perspicua magis in Hebræo (30): *Et pavimentum ad latus portarum, e regione longitudinis portarum, pavimentum*, inquam, *humilius* erat, vel inferius. E regione positum erat, ejusdemque latitudinis ac pavimentum vestibuli portæ ipsi respondentis; at fortasse humilius, quam vestibuli area.

℣. 19. ET MENSUS EST LATITUDINEM porticus Israelis, a fronte portæ orientalis, sive *inferioris*, usque ad portam *atrii interioris*, seu Sacerdotum; atque hujus atrii mensura ab oriente ad occidentem centum cubitis in longum porrigebatur, excepta vestibuli longitudine.

℣. 20. PORTAM QUOQUE, QUÆ RESPICIEBAT VIAM AQUILONIS. Septentrionali huic portæ atrii Israelis, vel exterioris, eædem penitus dimensiones erant atque orientali, de qua fusius supra (31).

℣. 22. SEPTEM GRADUUM ERAT ASCENSUS EJUS. Graduum portæ orientalis numerum præterit; at cum cæteris atrii exterioris portis gradus septem fuerint, pari etiam numero portæ orientali fuisse credendum est.

ET VESTIBULUM ANTE EAM; ante septemtrionalem portam, ubi aditum in atrium dabat, quemadmodum ante orientalem, quam supra descripsimus a ℣. 6. ad 17.

℣. 23. ET PORTA ATRII INTERIORIS, CONTRA PORTAM AQUILONIS, ET ORIENTALEM. Tres atrii Sacerdotum portæ tribus atrii exterioris portis e regione ac directe opponebantur; ita ut tum hæ tum illæ ad Altare holocaustorum Templique Vestibulum ducerent.

A PORTA USQUE AD PORTAM CENTUM CUBITOS. A tribus atrii Israelis portis ad tres atrii Sacerdo-

tum portas, e regione respondentes, cubiti centum intercedebant. Pari omnes intervallo altera ab altera distabant; itemque tres atrii Sacerdotum sibi e regione respondebant, mutua centum cubitorum distantia.

℣. 26. CÆLATÆ PALMÆ ERANT, UNA HINC, ET ALTERA INDE. Ad singulorum conclavium latera, quo loco paries conclavia dividens respondebat, atque ad utrumque latus utriusque portæ atrii, qua parte vestibulum spectabant, insculptæ erant palmarum imagines pro parastada. Puto in exteriori etiam portarum parte fuisse.

℣. 30. LATITUDINE QUINQUE CUBITORUM. Versiculus hic cum superioribus comparatus non quinque, sed quinquaginta longeodum esse docet.

℣. 31. VESTIBULUM EJUS [atrii Sacerdotum] AD ATRIUM EXTERIUS, sive Israelis. Vestibulum hoc aditum dabat ex altero atrio in alterum.

℣. 34. ET VESTIBULUM EJUS, IDEST, ATRII EXTERIORIS. Eadem hic res est, quam supra, ℣. 31. animadvertit (32). Atrium Sacerdotum ab atrio Israelis pervium erat per vestibulum seu porticum, de qua mox.

℣. 38. PER SINGULA GAZOPHYLACIA OSTIUM IN FRONTIBUS PORTARUM. Hebræus (33): *Et in singulis conclavibus ostium in frontibus portarum*. Quæ verba obscuriorem sententiam reddunt. Hoc igitur sibi volunt (34): Lavabantur holocausta in conclavibus, ad utrumque vestibuli atrii Sacerdotum latus positis. *Gazophylacia*, seu thesauros, nominat hic Vulgata ea conclavia, quæ supra *thalamos* nuncupaverat. Jusserat Moyses, victimas in læva sive septemtrionali altaris parte immolari (35). Quamobrem ea omnia, quæ hic usque ad ℣. 44. habentur, ad septemtrionale dumtaxat hoc vestibulum spectant. Vide ichnographiam, Q d d.

IBI LAVABANT HOLOCAUSTUM. *Parabant*, inquit Chaldæus. Victimarum holocausto cremandarum pedes & viscera ibi lavabantur, allata illuc aqua ex iis luteribus, quos Salomon in eum usum conflaverat (36), in atrio Sacerdotum positis.

℣. 39. ET IN VESTIBULO PORTÆ, DUÆ MENSÆ. Ad singulas trium vestibuli conclavium fores geminæ erant mensæ, singulæ in singulis forium lateribus, ad parietem, quo tria hæc conclavia dividebantur. Quamobrem mensæ duodecim in vestibulo erant, utrinque sex.

UT IMMOLARETUR HOLOCAUSTUM. Has super mensas victimæ in sacrificium offerendæ jugulabantur. *Immolabit ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem, coram Domino*, inquit Moyses (37): *sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum*.

℣. 40. ET AD LATUS EXTERIUS ... DUÆ MENSÆ. Duodecim illis mensis, de quibus nuper, quatuor aliæ accedebant singulæ in singulis lateribus exterius positæ; *ad latus exterius* cellarum vestibuli septemtrionalis. Positæ erant istæ in angulis exterioribus; quæ vero & ℣. præcedenti exhibentur, interiora conclavis occupabant.

℣. 41. QUATUOR MENSÆ HINC, ET QUATUOR MENSÆ INDE, ut singulis conclavibus quatuor essent mensæ, ad utrumque latus binæ; una in angulo exteriori, altera in angulo interiori.

℣. 42. QUATUOR MENSÆ AD HOLOCAUSTUM DE LAPIDIBUS QUADRIS. Quatuor istæ mensæ, ad utrumque conclavis latus binæ, e secto lapide vel marmore constabant, cubito altæ, & cubito ac semis latæ. Super illas mactabantur, cædebantur, & lavabantur victimæ, uti jam animadvertimus. Instrumenta etiam ad id necessaria super illas pa-

 rata

(27) Favent huic opinioni Septuaginta: Καὶ περίστυλα τῆς αὐλῆς κύκλῳ τριάκοντα παστοφόρια. (28) Joseph. de Bello lib. VI. c. 14. in Græc. Αἱ στοαὶ μὲν τὸ εὖρος ἦσαν, κίονες δὲ αὐτὰς διεστῶτες ... ὑψηλοτάτων καὶ ἦσαν ἐπὶ τριάκοντα πήχεων. Vide & lib. XV. Antiq. c. 14. (29) Ezech. XLV. 21. 22. 23. 24. (30) והרצפה אל כתף השערים לעמת ארך השערים הרצפה התחתונה (31) ℣. 6. 7. 8. . . . 16. (32) Hebr. ℣. 31. ואלמו אל חצר החיצונה Et ℣. 34. ואלמו לחצר החיצונה Vide & ℣. 37. (33) ולשכה ופתחה באילים השערים (34) Villalp. Capell. (35) Levit. I. 11. (36) 2. Par. IV. 6. (37) Levit. I. 12.

reposita erant, culteri, vasa, clavæ, &c. Vide Ichnographiam *Q d d d*.

℣. 43. Labia eorum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum. Palmus quatuor digitos æquabat. Labium hoc attollebat sese supra planum mensæ, prohibebatque, ne caderent, & intacta servarentur instrumenta, & victimarum frusta mensis imposita. Revocare in mentem juvat, persimile labium addidisse Moysem duabus mensis in Sancto positis; mensæ nempe panum propositionis, & Altari thymiamatis (38). Chaldæus, Rabbini, & recentiores quidam (39) reddunt Hebræum (40): *Et unculi palmi unius*, e quibus suspendebantur victimæ ad exenterationem, & decorticationem.

℣. 44. Extra portam interiorem gazophylacia cantorum. Ingredienti in atrium Sacerdotum vel interius, ad utrumque latus vestibuli jam descripti occurrerunt conclavia Levitarum canentium voce & instrumentis, dum in Altari holocaustorum Sacra solemnia perficerentur (41). Conclavia ista occupabant utramque alam atrii interioris; alam nempe, quæ sinistra erat ingredienti portam septemtrionalem, & quæ ad meridiem respicit; & alam, quam dexteram habebat ingrediens portam orientalem ejusdem atrii interioris. Geminæ istæ alæ nectebantur in angulo, ex concursu lateris orientalis & septemtrionalis composito. Numerum cellarum, quæ geminas hasce alas occupabant, silet Ezechiel. Vide Ichnographiam *S S*.

℣. 45. Gazophylacium, quod respicit viam meridianam, Sacerdotum erit, qui excubant in custodiis Templi. Unicum gazophylacium ponitur hic pro serie multorum conclavium, & pro tota ædificii parte. Quæ ala latus meridionale portæ orientalis occupabat, id est, quæ sinistra erat ingredienti in atrium Sacerdotum, destinabatur habitationi *Sacerdotum, qui excubabant in custodiis Templi*, non tamen ad agendas excubias, vel ad custodiam portæ, quod munus erat Levitarum (42), sed ad custodiam rerum sanctissimarum domus Dei. Eorum curæ credita erant vasa aurea Sancti, & Sanctuarii; velamina pretiosa, thymiamata, &c. Illorum erat pariter confectio thymiamatis ad suffitum quotidianum; decoquebant panes propositionis, parabantque oleum pro aureo candelabro. Nec alius facile ab illis offerebat suffitum in Sancto, accendebat, extinguebatque lucernas, &c. Eamdem ferme munerum distributionem in Deserto servatam animadvertimus (43). Familia Caath, cujus diligentiæ assignata erat Arca fœderis, Mensa, Candelabrum aureum, Velamina, Vasa Sancti, & Sanctuarii, meridionalia Tabernaculi tenebat. Vide Ichnographiam *S S*.

℣. 46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium Altaris. Quæ dextera erat ala ingredientibus in atrium ex vestibulo meridionali, quæque ad septemtrionem respiciebat, offerebat habitationes Sacerdotum, qui Altare holocaustorum curabant. Inspiciebant illi, excipiebant, offerebant victimas Sacerdotibus ministrantibus, parabantque illas ad sacrificium, &c. Creditum illis erat pariter vinum, oleum, sal, simila, quæ cum carnibus sacrificii offerenda erant. Sacerdotes actu ministrantes, sedes suas alibi paratas habebant. Vide Caput xli. 13.

Isti sunt filii Sadoc. Posteri Sadoc Summi Sacerdotis offerendis sacrificiis in Altari holocaustorum addicti erant. Vide infra Caput xliii. 19. xliv. 15. xlviii. 11.

℣. 47. Mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum. Tantum erat spatii ab una ad alteram ædificii alam, Area, vel platea atrii hujus centum cubitis in quadro patebat. Vide Ichnographiam Templi, *F F F*.

℣. 48. Vestibulum Templi. Vestibulo Templi latitudo e septemtrione ad meridiem, erat cubitorum viginti. Hiatus portæ quatuordecim cubitos dimetiebatur (44); & portæ illius murus crassus erat cubitis quinque: *Mensus est vestibulum quinque cubitis inde*. Quod supererat muri ad utrumque portæ latus, tres utrinque cubitos referebat (45). Qui sex cubiti detracti e cubitis viginti, latitudinem vestibuli dimetientibus, offerunt pro hiatu portæ cubitos quatuordecim. Ichnographia *I*.

℣. 49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum (e septemtrione ad meridiem) et latitudinem undecim cubitorum. In Templo Salomonis vestibuli latitudo decem cubitos non superabat (46). Huic conciliando discrimini, Commentariorum Scriptores censent, vestibulum hoc fuisse cubitorum decem & semis; Authores vero sacros, pro solemni ipsis more numeros fractos reticendi, rotundum substituisse, alterum quidem hemicubito auctum, ut essent undecim; alterum vero dempto, ut decem referrent (47). Malunt alii, pavimentum vestibuli usurpasse sibi hemicubitum de limine portæ, e qua patebat ingressus, tantumque pariter occupasse e limine portæ Sancti, ut cubitum haberet ex alieno. Septuaginta (48) Editionis Romanæ, & Complutensis legunt duodecim cubitos, sed Codex Basileensis habet decem; quam genuinam lectionem reputamus. Vide Ichnographiam *I*.

Octo gradibus ascendebatur ad eam. Hebræus corruptus videtur: fert enim (49): *Et in gradibus, quibus ascendent ad illud, & columnæ duæ, &c.* quæ verba nullum sensum reddunt. Sed levi mutatione correctus Textus legit: *Decem gradibus ascendebatur ad eam*; quæ pariter lectio est Septuaginta (50). Secunda Editio Aquilæ, & Theodotion ferunt: *Undecim gradibus*. Symmachus: *Octo*.

Columnæ erant in frontibus, una hinc, et altera inde. Æneæ sunt columnæ ingentes, quarum dimensionem, & descriptionem habes in Libris Regum (51).

(38) Exod. xxv. 24. & xxvii. 27. (39) Pagn. Mont. (40) והשפתים טפח אחד (41) 1. Par. xviii. 30. 31. (42) 1. Paralip. xxvi. (43) Num. iii. 28. 29. (44) Adduni hic Septuaginta mensuram latitudinis portæ, quæ neque in Hebræo, neque in Vulgata legitur: Τὸ εὖρος τοῦ θυρώματος πηχῶν δεκατεσσάρων. (45) Latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde. (46) 4. Reg. vi. 3. *Porticus erat ante Templum viginti cubitorum longitudinis, & habebat decem cubitos latitudinis.* (47) Villalp. Menoch. Tirin. (48) Καὶ τὸ εὖρος πηχῶν δώδεκα. (49) ובמעלות אשר יעלו עליו Lege עשר Decem pro אשר qui. (50) Καὶ ἐπὶ δέκα ἀναβαθμῶν ἀνέβαινον ἐπ' αὐτό. (51) 3. Reg. vii. 15. & 2. Paralip. iii. 15.

CA-

CAPUT XLI.

Descriptio Sancti, Sanctuarii, & Conclavium Templo adjunctorum.

℣. 1. ET introduxit me in templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis
hinc, & sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. 2. Et lati-
tudo portæ decem cubitorum erat: & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque
cubitis inde: & mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem
viginti cubitorum. 3. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos
cubitos: & portam, sex cubitorum: & latitudinem portæ, septem cubitorum.
4. Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cu-
bitorum ante faciem templi: & dixit ad me: Hoc est Sanctum sanctorum. 5. Et
mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum
undique per circuitum domus. 6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria:
& erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circui-
tum, ut continerent, & non attingerent parietem templi. 7. Et platea erat in ro-
tundum, ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gy-
rum: idcirco latius erat templum in superioribus, & sic de inferioribus ascendebatur
ad superiora in medium. 8. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata la-
tera ad mensuram calami sex cubitorum spatio: 9. Et latitudinem per parietem la-
teris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus. 10.
Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique,
11. Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam aquilonis, & ostium unum
ad viam australem: & latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.
12. Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare,
latitudinis septuaginta cubitorum: paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis
per circuitum: & longitudo ejus nonaginta cubitorum. 13. Et mensus est domus
longitudinem, centum cubitorum: & quod separatum erat ædificium, & parietes ejus,
longitudinis centum cubitorum. 14. Latitudo autem ante faciem domus, & ejus,
quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum. 15. Et mensus est lon-
gitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum; ethecas ex
utraque parte centum cubitorum: & templum interius, & vestibula atrii. 16. Li-
mina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscu-
jusque limen, stratumque lignum per gyrum in circuitu: terra autem usque ad fene-
stras, & fenestræ clausæ super ostia. 17. Et usque ad domum interiorem, & forin-
secus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus, ad mensuram. 18.
Et fabrefacta cherubim, & palmæ: & palmæ inter cherub, & cherub, duasque fa-
cies habebat cherub. 19. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem
leonis juxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu. 20.
De terra usque ad superiora portæ, cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete
templi. 21. Limen quadrangulum, & facies sanctuarii, aspectus contra aspectum.
22. Altaris lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo ejus duorum cubitorum: &
anguli ejus, & longitudo ejus, & parietes ejus lignei. Et locutus est ad me: Hæc
est mensa coram Domino. 23. Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario.
24. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem pli-
cabantur: bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. 25. Et cælata erant
in ipsis ostiis templi cherubim, & sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque
expressæ erant: quam ob rem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.
26. Super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum hinc, atque inde, in hu-
merulis vestibuli, secundum latera domus, latitudinemque parietum.

℣. 1. INTRODUXIT ME IN TEMPLUM. Descripto atrio & vestibulo, Propheta in Templum proprie dictum ingreditur. Ædificium erat, cujus tota moles sexaginta cubitos in longum, viginti in latum referebat; & in duas dividebatur partes, quarum intima, & sanctissima Sanctuarium appellabatur, dimetiebaturque viginti cubitos in quadrum, ac per transversum parietem a Sancto distinguebatur. Sanctum vero porrigebat sese in longum cubitis quadraginta, in latum viginti; & a vestibulo, interjecto muro, qui modo describendus suscipitur, discretum erat.

MENSUS EST FRONTAS, SEX CUBITOS LATITUDINIS; mensus est stipites portæ Templi, & singuli sex latitudinis cubitos referebant. In medio muri inter vestibulum & Sanctum patebat janua decem cubi-

cubitorum latitudinis; parietis, postium, liminis crassitudo erat sex cubitorum, & ad utrumque portæ obliquatum latus ducebatur paries cubitorum quinque; reliquum muri totam latitudinem Sancti occupabat, *Latitudinem Tabernaculi*.

℣. 2. Longitudinem ejus quadraginta cubitor. Suspicor tamen subducendos esse duos cubitos crassitudinis, quos occupabat paries inter Sanctum & Sanctuarium medius.

℣. 3. Mensus est in fronte portæ duos cubitos. Septum medium inter Sanctum & Sanctuarium duorum cubitorum crassitudinis erat, adeoque & mensuram eamdem referebant postes, & januæ limen. Hiatus portæ sex cubitos æquabat, ad cujus utrumque latus paries septem cubitorum porrigebatur. Totum hoc spatium reddebat viginti illos cubitos, qui totam Templi latitudinem dimetiebantur.

℣. 4. Viginti cubitorum ante faciem Templi. Mensus faciem Templi, seu potius Sanctuarii, longitudinem viginti cubitorum, ac latitudinem totidem reperit. Sanctuarium quadratum erat ædificium, viginti cubitorum longitudinis, latitudinis totidem. Vide supra ℣. 2.

℣. 5. Mensus est parietem domus sex cubitorum, et latitudinem lateris quatuor cubitorum. Paries Templi in fundamento crassus erat cubitis sex; *latera* vero, seu alæ Templo contiguæ, quatuor in latum cubitis porrigebantur; qua in re discrepabant a lateribus Templi Salomonis, quæ in priori contignatione cubitos quinque, in secunda sex, in tertia septem referebant (1); nostra autem hæc uno minora erant cubito in singulis contignationibus.

℣. 6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria; latera se invicem contingentia erant sex supra sexaginta. In toto hoc Capite ambiguum est nomen *latus*, quemadmodum & Hebræum *Zela* (2); sæpe enim valet asseres, seu majores illas tabulas, quibus vestiebantur lacunaria conclavium; sæpe vero sunt conclavia ipsa & cameræ, quæ Templo contiguæ circa illud regnabant. In hoc versiculo utramque significationem commode admittit; æque enim designare potest asseres, vel majores tabulas, tegentes porticus circa Templum; ut essent sex supra sexaginta in tria latera distributæ, referentesque singulæ duos circiter cubitos latitudinis, quo conficeretur lacunar ad tegendam longitudinem cubitorum sexaginta supra centenos circiter. Accipi etiam potest de conclavibus, totum Templi ambitum vestientibus. Fatemur tamen, ægre assignari posse conclavia sex supra sexaginta in eo, quod definivimus, spatio; unde Commentariorum Scriptores plerique nonnisi tria supra triginta conclavia admittere coguntur. Quin & Josephus (3) triginta tantummodo memorat. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta Regiæ Editionis triginta tria semel habent. Quod si admittatur, assignari possent sexdecim cameræ quatuor cubitorum in quadro ad tergum & ad utrumque latus Templi, occupantes spatium centum septuaginta duorum cubitorum, quod sic conficitur: Sexaginta cubiti longitudinis Templi bis repetiti; viginti latitudinis ejusdem Templi; & duodecim resultantes ex duplici ingenti pariete e septemtrione ad meridiem; totidem bis repetiti pro pariete orientali; adde duo spatia quatuor cubitorum in quadro ad angulos, qui Templum nonnisi in puncto anguli tangebant: in totum sunt cubiti centum septuaginta duo. Superest conclave alterum decimum septimum, quod non ægre ex isto spatio decerpitur; cameræ enim tres supra triginta, quatuor cubitorum in quadro, longitudinem cubitis centum & triginta duobus non majorem occupabant; erit igitur aliquid spatii pro pariete intermedio, cameras hasce distinguente, & uno cubito crasso. Ichnographia *a a a*.

℣. 7. Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, ex una contignatione ad aliam ducentem. Scalæ istæ respondebant utrique extremitati conclavium ad Orientem, & ex ipsa muri crassitudine expressæ erant, teste Josepho. Vide 3. Regum vi. 7. Hebræus (4): *Et dilatabatur, & circuibat inter ascendendum pro habitaculis*. Paries domus vel Templi singulis contignationibus, prout altius ascendebat, plus relinquebat spatii, sensim in arctius se contrahente muro ædificii primario. Vide 3. Reg. vi. 6.

Idcirco latius erat Templum in superioribus. Seu potius, ædificia ista, quæ Templo incumbebant, latius se explicabant per singulas contignationes, ut secunda contignatio amplior esset prima. Hebræus (5): *Idcirco Templum dilatabatur superius*. Proprie quidem contrahebat se potius quam dilataretur; cum inter ascendendum muri ejus uno crassitudinis cubito exterius gracilescerent. Sed Hebræorum stylo tunc aliquid dilatari dicitur, cum aliis latius se explicandi spatium relinquit. Ita & Deus *sanctificare se in hominibus* dicit, cum occasionem illis præbet sanctitatem suam agnoscendi.

℣. 8. Vidi in domo altitudinem per circuitum &c. Sensum Textus non assequor. Hebræus ita (6): *Vidi in domo altitudinem undique a fundamento costarum pleno calamo vel sex cubitorum, apud illam*. Sermo est ibi de colle sex cubitis prominente, cui insidens Templum, super planam soli superficiem altius attollebatur. Collis iste vel tumulus assurgebat a fundamentis laterum Templi altitudine cubitorum sex. Collis vel tumuli hujus necessitatem demonstrat ascensus in vestibulum Templi per scalam graduum octo vel decem. Ezech. xl. 49.

℣. 9. Latitudinem per parietem lateris forinsecus, quinque cubitorum. Crassitudo muri trium contignationum circa Templum regnantium, quinque cubitos referebat, ut uno cubito gracilior esset muro interiori Templi.

Et erat interior domus, in lateribus domus. Templum proprie dictum e latere septemtrionali, occidentali & meridionali, ædificio illo trium contignationum circumscribebatur. Hebræus (7): Murus exterior domus Templo contiguæ erat quinque cubitorum, *& locus discretus appendicum istarum, quæ adhærebant Templo*. Inter appendices hasce ædificii & murum, distinguentem Templum a conclavibus Sacerdotum, spatium erat vacuum cubitorum quinque. Vide ℣. sequentem, & Ichnographiam *F F*.

℣. 10. Inter Gazophylacia latitudinem viginti cubitorum, in circuitu domus undique. Quo religiosius esset domus Dei obsequium & veneratio, & quo magis ab habitaculis Sacerdotum domus illa sancta distingueretur, paries exædificatus fuit ad utrumque latus loci sancti, quinque cubitis distans a Templo, & viginti a cellis Sacerdotum e regione positis. Meminit Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. muri hujus intermedii, quem in Templo Salomonis ad altitudinem trium cubitorum attollit. Ichnographia *L L L*.

℣. 11. Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam aquilonis. Portæ laterum istorum, quæ locus erant ad orandum destinatus, conversæ erant, hæc ad septemtrionem, illa ad meridiem. Persuasum habuisse videtur S. Hieronymus, appendices istas Templo contiguas loca fuisse orationi destinata; vel forte censuit, portas

hasce

(1) 3. Reg. vi. 5. 6. (2) והצלעות צלע אל צלע שלש ושלשים פעמים (3) Joseph. Antiq. lib. viii. cap. 2. (4) ורחבה ונסבה למעלה למעלה לצלעות (5) על כן רחב לבית למעלה (6) וראיתי לבית גבה סביב סביב מיסדות הצלעות מלו הקנה שש אמות אצילה (7) ואשר מנח בית צלעות אשר לבית

hesce aditum præbuisse in Templum, quod locum orationis appellat. Eamdem vocem, quam hic reddit *ad orationem*, in ℣. 9. verterat, *interiorum domum*. Hebræum *Munach* sonat *separatum*. Locus erat discretus inter Templum & murum intermedium, de quo modo. Commode etiam ita Textus redditur (8): *Ostium appendicum istarum e regione loci segregati, ostium unum ad aquilonem, & ostium unum ad austrum*. Tres istæ contignationes, quæ Templi partes complectebantur, nonnisi per duas portas ingressum permittebant; quarum una ad meridiem, altera ad septemtrionem proxime ad vestibulum Templi. In vestibulo illo ad dexteram & ad sinistram duæ erant scalæ in cochleæ morem, in muri crassitudine expressæ, in ipsa trium contignationum extremitate, ferebant autem illæ ad portas tres, aditum præbentes ad tria hæc latera ædificii. Apud Josephum (9) contignatio hæc series est continuata cellularum, quæ sibi invicem perviæ erant per angustas laterales januas. Ichonographia *a a b b*.

ET LATITUDINEM LOCI AD ORATIONEM QUINQUE CUBITORUM. Ad literam (10): *Latitudinem loci segregati, &c.* Inter Templum & septum muri, de quo in ℣℣. 9. & 10. interstitium erat cubitorum quinque; inde usque ad habitacula Sacerdotum spatium cubitorum viginti intercedebat. Atrium istud, centum patens cubitis, dimidia sui parte a Templo occupabatur; adde e singulis lateribus cubitos viginti quinque, videlicet quinque pro loco discreto, & viginti e septo muri usque ad conclavia Sacerdotum: ex his summa centum cubitorum conficitur. Ichnographia *F F*.

℣. 12. ÆDIFICIUM, QUOD ERAT SEPARATUM VERSUMQUE AD MARE, LATITUDINIS SEPTUAGINTA CUBITORUM. Hebræus (11): *Ædificium*, seu murus, *quod erat ante segregationem versus mare*, seu plagam occidentalem, *latitudinis septuaginta cubitorum; & paries hujus ædificii quinque cubitorum latitudinis; & longitudo ejus nonaginta cubitorum*. Murus ambiens locum illum discretum, circa Templum regnantem, latitudinem quinque cubitorum & altitudinis facile tantumdem deferebat. Excurrebat vero a latere occidentali cubitis septuaginta, quos sic conficimus: Quinquaginta cubiti pro latitudine Templi, & appendicum ejus; quinque e singulis lateribus pro loco segregato; quinque pariter e lateribus singulis pro crassitudine muri; omnino cubiti septuaginta. Idem murus ab oriente ad occidentem cubitis nonaginta protendebatur, quos cubitos ita recensemus: Templum cum circumjacentibus ædificiis cubitos octoginta & unum in longitudine referebat; adde decem cubitos pro vestibulo, vel, si mavis, quinque pro latitudine loci secreti, & pro ejus muro totidem: omnino cubiti nonaginta. Ichnographia *L H I L*.

℣. 13. ET MENSUS EST DOMUS LONGITUDINEM CENTUM CUBITORUM. Mensura Templi ducta a muro illud ambiente e latere occidentali usque ad frontem vestibuli, centum & unum cubitos æquabat; quinque assignatis pro loco secreto; novem pro muro, & cameris Templo contiguis; sexaginta pro Sanctuario & Sancto, decem pro vestibulo; duodecim pro utroque ingenti pariete occidentali & orientali Templi, in totum cubiti centum & unus. Ichnographia *G H I*.

ET QUOD SEPARATUM ERAT ÆDIFICIUM . . . CENTUM CUBITORUM. Ædificium hoc separatum longe diversum est ab illo, de quo in ℣℣. 8. 9. 10. Hebræum *Gazerah* (12) sonat separationem, divisionem, & spatium quod inter separationes intercedit (13). Hic autem vix ambigo, quin designet solum illud quod erat inter cellas, totum ambientes atrium Sacerdotum; quod centum cubitorum spatium tenebat. Ichnographia *F F*. Probabile est etiam, designare habitacula Sacerdotum e regione Templi, ejusdem cum illo longitudinis, ducta mensura a portis septemtrionali & meridionali versus occidentalem plagam.

℣. 14. LATITUDO ANTE FACIEM DOMUS, ET EJUS QUOD ERAT SEPARATUM CONTRA ORIENTEM, CENTUM CUBITORUM. Cum atrium Levitarum centum cubitis in quadro pateret, exceptis cellulis circum regnantibus; constat utique apertissime, solum illud, quod erat ad orientem Templi & ædificia ex eodem latere illud spectantia, centum pariter cubitos e septemtrione ad meridiem ex uno ad alterum angulum retulisse. Ichnographia *F R R*.

℣. 15. ET MENSUS EST LONGITUDINEM ÆDIFICII CONTRA FACIEM EJUS, QUOD ERAT SEPARATUM AD DORSUM: ET ETHECAS EX UTRAQUE PARTE CENTUM CUBITORUM; mensus est longitudinem ædificii ex opposito & retro post locum separatum, ac porticus duorum laterum, centumque longitudinis cubitos æquasse deprehendit. Vox *Etheca* in Vulgata ex Hebræo *Athikim* (14) expressa videtur, ac sonare potest Chaldaice segregatum vel avulsum, ac tantummodo occurrit apud Ezechielem (15) in hac Templi descriptione. Nihil de illa sive in Libris Regum, sive alibi, ubi de Templo sermo est. Hujus significationem nonnisi divinando assignant Interpretes. Ubicumque vero occurrit, designare potest vel porticum, vel ambulacrum. Literalis significatio vocis *Etheca*, seu potius *Ectheta*, ut est in correctissimis S. Hieronymi Codicibus (16), hæc traditur ab eodem Sancto Doctore in Commentario: *Ecthetas Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia; sive Mæniana, ab eo, qui primus invenit*. Sed in Capite sequenti vox *Athikim* redditur porticus, quæ genuina ejus significatio videtur. Designat igitur Propheta, parietem illum excurrentem retro post Templum, & post habitacula Sacerdotum & porticus centum cubitis constitisse. Cum equidem parallelus esset ejusdemque longitudinis ac facies orientalis habitaculorum, de quibus in ℣. 14. communem cum illis longitudinis mensuram retulisse oportet.

℣. 16. LIMINA ET FENESTRAS OBLIQUAS, ET ETHECAS IN CIRCUITU PER TRES PARTES. Hebræus ad literam (17): *Limina* portarum, *& fenestras clausas*, cancellatas, *& Athikim*, porticus, *circa ad tria latera* Templi; quarsum enim latus, quod occidentale erat retro post Templum, nullum habebat porticuum ductum, sed nudus erat paries (18). Hunc Textum cum præcedenti versiculo continuandum censeo: *Mensus est Templum interius, vestibula atrii*, [16] *limina & fenestras*. Assignatis singulis dimensionibus trium alarum regnantium circa Templum, sicut & reliquorum omnium, quæ sancto huic loco exteriora erant; interiorum ejus singulas partes dimetitur. Primum igitur omnium occurrit *vestibulum atrii*, id est porticus ante Sanctum, in atrium Sacerdotum obversum: cum vero dimensiones ejus accurate exhibuerit superius Capite XL. 48. 49. omittenda hic censet. Transfert dein calamum mensorium *ad limina* tum vestibuli cum Templi, ad fenestras can-

---

[8] ופתח הצלע למנח פתח אחד דרך הצפון ופתח אחד לדרום
[9] Joseph. de Bello Jud. lib. VI. cap. 14. Περὶ δὲ τὸν ναὸν ... ὄικοι τρίστεγοι ... Et lib. VIII. Antiq. cap. 2. Περιῳκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν οἴκοις . . . . καὶ τὰς εἰσόδους αὐτοῖς δι' ἀλλήλων κατεσκεύασε.
[10] ורחב מקום המנח חמש אמות
[11] והבנין אשר אל פני הגזרה פאת דרך הים רחב שבעים אמה וקיר הבנין חמש אמות רחב סביב סביב וארכו תשעים אמה
[12] והגזרה והבניה
[13] Genes. XV. 17. Psalm. CXXXV. 13.
[14] ומדד ארך הבנין אל פני הגזרה אשר על אחריה ואתיקיהא מפו ומפו מאה אמה
[15] Vide Ezech. XLI. 15. 16. & XLII. 3. 5.
[16] Vide nov. Edit. Hieronym. tom. I. pag. 714.
[17] הספים והחלונים האטמות והאתיקים סביב לשלשתם
[18] Joseph. de Bello lib. 6. cap. 14. Τὸ πρὸς δύσιν μέρος οὐκ εἶχε πύλας, ἀλλὰ διηνεκὲς ᾠκοδόμητο κατὰ τοῦτο τὸ τεῖχος.

cancellatas patentes supra palmarum aliorumque ornamentorum anaglyphia, quæ vice parastadum circa Templum disposita erant.

CONTRA UNIUSCUJUSQUE LIMEN, STRATUMQUE LIGNO PER GYRUM IN CIRCUITU: e regione singularum portarum; vestitis undique per circuitum omnibus ligno. Hebræus (19): Mensus est *contra limen operiam ligno circum circa*. Retulit mensuras omnes Templi interioris, quod hic designatur signo quodam ipsi peculiari, nempe locum esse vestitum & incrustatum undique ligno; vestibulo enim pavimentum erat marmoreum. Ichnographia *GHI*.

TERRA AUTEM USQUE AD FENESTRAS. Designari his posset, a pavimento usque ad fenestras Templi ædificium velut obrutum fuisse tribus illis atiis ædificii, a quibus exterius circum tegebatur, uti jam animadvertimus. Maluerim ego tamen, Angelum dimensum fuisse *terram*, id est pavimentum (20) & totam altitudinem *usque ad fenestras*, quæ lucem admittebant e loco superiori ad habitacula, undique latera & tergum loci sancti occupantia, usque ad altitudinem cubitorum quindecim (21). Ichnographia *aaa*.

℣. 17. ET FENESTRÆ CLAUSÆ SUPER OSTIA, ET USQUE AD DOMUM INTERIOREM ET FORINSECUS. Fenestræ Sancti & Sanctuarii superiores portis, vel saltem quindecim cubitis pavimento altiores, lucem e libero cœlo trahebant, ut versiculo præcedenti diximus. *Domus interior* est hic Sanctuarium, penitissimus Templi locus. Ichnographia *G*. Illud autem *forinsecus* designabat partem ædificii; quæ Sanctuario exterior erat, nempe Sanctum. Ichnographia *H*. Singulas hasce partes Angelus dimensus est.

ET OMNEM PARIETEM IN CIRCUITU INTRINSECUS ET FORINSECUS AD MENSURAM. Phrases illæ *intrinsecus & forinsecus* hic pariter de Sanctuario & Sancto usurpantur. Singula hæc Angelus ad mensuram revocavit.

℣. 18. ET FABREFACTA CHERUBIM ET PALMÆ. Ex 3. Reg. 23. & sequ. constat, Sanctum & Sanctuarium insculpta undique fuisse anaglyphis palmarum, quæ ædificiis erant loco parastadum vel columnarum; inter hasce vero columnas medios Cherubim expressos fuisse scimus.

DUASQUE FACIES HABEBAT CHERUB, hominis nempe & leonis, quarum altera hinc ad alteram palmam, altera ad oppositam versa erat. [℣. 20.] Cherubim formam variam incertamque fuisse, in Exodo 25. 18. animadvertimus. Quaterna facie instruebantur ii, quos Ezechiel Dei currum vehentes vidit (22): hi dumtaxat bina, quod fortasse operis essent anaglyphi, dimidia tantum crassitie prominentis; vel geminæ illorum facies, retro absconditæ ad parietem, cui jungebantur.

℣. 20. DE TERRA [seu pavimento] USQUE AD SUPERIORA PORTÆ. Templi altitudo triginta cubitorum erat 3. Regum 1. 6. januæ, quatuordecim Ezech. xl. 48. palmarum & Cherubim, eadem quæ januæ: fenestræ supra januam, & descripta mox ornamenta patebant.

℣. 21. LIMEN QUADRANGULUM, non rotundum in superiori parte; non enim intelligendum est, portam quatuordecim undique in quadrum cubitis patuisse, cum ea forma portæ non conveniat.

ET FACIES SANCTUARII ASPECTUS CONTRA ASPECTUM. Sequentem versiculum ex Hebræo reddo (23): *Quod ad Templum attinet, postes* [portarum] *quadrati erant, & facies Sanctuarii geminos aspectus habebat, alteram sicut alterum*. Scilicet, portarum postes obliquata latera intus vel extra non habebant, quo facilius fores verterentur; sed rectum utrinque angulum referabant: neque fores in medio poste suspensæ erant, sed ad alterutrum angulum, quemadmodum adhuc nostra ætate fit in quibusdam conclavibus, quæ duplicibus foribus instruuntur, cujusmodi aliqua in Templo erant ℣. 23. Vide nos in 3. Reg. vi. 31. 34. ubi Sanctuarii porta pentagona fuisse dicitur.

℣. 22. ALTARIS LIGNEI TRIUM CUBITORUM ALTITUDO. Altare thymiamatis significat, e pretioso ligni genere confectum, aureisque laminis obductum, forma arcæ simili.

ANGULI EJUS, ET PARIETES EJUS. Septuaginta (24): *Et cornua habebat, & basis illius & parietes illius ligni*. Vide Exod. xxx. 1. 2. Eadem erat forma Altari thymiamatis, sed ampliori & pretiosiori, quam Mosaico.

℣. 23. DUO OSTIA ERANT IN TEMPLO ET IN SANCTUARIO: porta scilicet, quæ aditum ex Sancto ad Sanctuarium dabat, duplici valva instruebatur, quarum altera intra Sanctuarium, altera intra Sanctum vertebatur. Vide quæ diximus ℣. 21.

℣. 24. ET IN DUOBUS OSTIIS EX UTRAQUE PARTE, BINA ERANT OSTIOLA, ostiolum scilicet valvis incisum, bifore, quemadmodum valvæ. Vel potius, singulæ valvæ in geminas fores scindebantur, simul nexas, adeo ut valvis non omnino patentibus, aditus daretur, apertis dumtaxat minoribus valvis: quamquam non satis scio, utrum hoc proprie significet Hebræus; aptiorque & simplicior videtur hæc explicatio (25): *Geminæ fores singulis portis: duæ valvæ plicatiles, duæ uni portæ, & duæ alteri*. Hoc tantummodo vult, singulis foribus geminas valvas fuisse.

℣. 25. CÆLATA ERANT IN IPSIS OSTIIS TEMPLI CHERUBIM. In ipsa valvarum crassitie cælata erant Cherubim & palmæ opere anaglyptico, eadem forma, iisdemque dimensionibus, quibus reliquæ circa Sanctum ac Sanctuarium imagines: ita ut, clausis tum Sanctum versus, tum Sanctuarium foribus, constanti undique alternoque ordine palmæ & Cherubim inspicerentur.

QUAMOBREM ET GROSSIORA ERANT LIGNA IN VESTIBULI FRONTE, ut palmarum & Cherubim, de quibus mox, anaglypticum opus exciperent. Hebræus (26): *Et trabs lignea* erat *ante vestibulum extrinsecus*, ℣. 26. *& fenestræ clatratæ, & palmæ utrinque, ad latera vestibuli, & assium Templi & trabium*. Hæc ad vestibulum, non ad Templum pertinent. Vestibulum undique tabulis crassioribus, sive axibus solidis operiebatur. (Trabes nuncupat Hebræus, ob crassitiem ac firmitatem). Palmarum imagines variis identidem intervallis insculptæ fuerant; supra vero clatratæ fenestræ, quemadmodum in Templo.

℣. 26. IN HUMERULIS VESTIBULI, sub parastadis vestibuli, *& costarum* vel assium *Templi, & trabium*. Vide superiorem ℣.

---

[19] נגד הסף שחיף עץ סביב סביב

[20] Terra usurpatur hoc sensu ℣. 20. *A terra usque ad desuper portam, Cherubim & palmæ.*

[21] Vide 3. Reg. vi. 10.

[22] Ezech. i. vi.

[23] ההיכל מזוזת רבעה ופני הקדש המראה כמראה

[24] Καὶ κέρατα εἶχεν, καὶ ἡ βάσις αὐτοῦ, καὶ οἱ τοῖχοι αὐτοῦ ξύλινοι. ומקצעותיו לו וארכו וקירותיו עץ

[25] ושתים דלתות לדלתות שתים מוסבות דלתות שתים לדלת אחת ושתי דלתות לאחרת

[26] ועב עץ אל פני האולם מהחוץ (26) וחלונים אטמות ותמרים מפו ומפו אל כתפות האולם וצלעות הבית והעבים

CAPUT XLII.

Descriptio & usus conclavium e regione Templi in atrio Sacerdotum. Atrii exterioris amplitudo.

℣. 1. ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem. 2. In facie longitudinis, centum cubitos ostii Aquilonis, & latitudinis quinquaginta cubitos. 3. Contra viginti cubitos atrii interioris, & contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. 4. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad Aquilonem: 5. Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora; quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificii. 6. Tristega enim erant, & non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis a terra cubitis quinquaginta. 7. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus quinquaginta cubitorum, 8. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum; & longitudo ante faciem templi centum cubitorum. 9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori, 10. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam Orientalem, in faciem ædificii separati, & erant ante ædificium gazophylacia. 11. Et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis: secundum longitudinem eorum, sic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & similitudines, & ostia eorum. 12. Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum: ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus. 13. Et dixit ad me: gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est. 14. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestienturque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum. 15. Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem; & mensus est eam undique per circuitum. 16. Mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum, 17. Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. 18. Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. 19. Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. 20. Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium, & vulgi locum.

℣. 1. EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS; vel extra Templum, in atrium Sacerdotum; certe enim Propheta in atrium populi, vulgo atrium exterius, nunc non venit. Atrium Sacerdotum modo exterius, modo interius ex varia locorum inspectione appellatur; exterius quidem, si cum ipso Templi ambitu, interius, si cum atrio populi comparetur.

INTRODUXIT ME IN GAZOPHYLACIUM, QUOD ERAT CONTRA SEPARATUM ÆDIFICIUM, ET CONTRA ÆDEM VERGENTEM AD AQUILONEM. Separatum Templi ædificium est murus, quo cingebatur undique Templum, & a cæteris ædificiis separabatur. Vide Ezech. 41. 9. Muri hujus e regione, ad boream & austrum, conclavia erant, quæ hic ab Ezechiele describuntur, tradito etiam illorum usu. Vide Ichnographiam *LRS*.

℣. 2. IN FACIE LONGITUDINIS CENTUM CUBITOS, Ab oriente in occidentem, a septemtrionali atrii Sacerdotum porta, centum cubitis longitudo, quinquagenis latitudo porrigebatur.

℣. 3. CONTRA VIGINTI CUBITOS ATRII INTERIORIS, ET CONTRA PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE. Septemtrionale latus atrii Sacerdotum ex meridie ad spatium illud viginti cubitorum, de quo supra c. 41. 10. obversum erat; ex altera parte atrium exterius seu populi, lapidibus stratum (1), spectabat. Ichnographiam adi, *RSEF*.

UBI ERAT PORTICUS JUNCTA PORTICUI TRIPLICI. Intelligi Hebræus potest (2) de triplici porticuum ordine simul junctarum, atque e regione positarum, vel de tribus porticibus, quarum altera alteri, quasi triplicis instar contignationis, imminerent. Confer hunc locum cum ℣. 6. hujus

Ca-

(1) Vide Ezech. 40. 17.

(2) אתיק אל פני אתיק בשלשים

Capitis, & cum ℣. 26. Capitis XLI. Vel denique, id quod probabilissimum mihi est, de tribus porticibus, tria atrii Sacerdotum latera ambientibus; latus enim occidentale porticibus æque uti reliqua, non abundabat. Vide Ichnographiam. Omnes atrii hujus porticus simplices erant, teste Josepho (3); idque ipsum innui videtur luculentissime ℣. 6. Neque ita necesse erat conclavia atrii populi porticibus abundare, uti atrii Sacerdotum; ingens enim populo spatium faciendum erat, quo is per solemnes Religionis dies in atrio in ejus usum condito contineretur; cum Sacerdotibus, Templi ministerio addictis, numeroque minoribus, vastæ adeo porticus inutiles essent. Duas in nostra Templi Ichnographia dedimus, relicta legentibus vel addendi, vel recensendi, vel delendi ex arbitrio potestate.

℣. 4. Ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum. Contignatio, quam hic describimus, quinquagenos latitudinis cubitos habebat; quo e spatio si porticum decem cubitis latam demas, cubiti adhuc quadrageni conclavibus, parietum crassitiei, & columnarum loco relinquentur. Major externusque paries cubitis sex crassus erat, totidem anterior, qui in arcum sinuabatur: datisque in crassitiem muri conclavis cubitis duobus, sex & viginti cubiti areæ conclavium supererunt. Si duplicem decem cubitorum porticum admittas, cubitos viginti habebis ante conclavia, eorumque longitudinem tantumdem minues.

Ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Loci hujus sententiam ægre explicaveris. Hebræus (4): *Versus interiora, via cubiti unius*; seu, *versus interiorem viam, cubitus unus*. Nempe, præter latitudinem ambulacri, sex cubitorum, limbus erat cubiti unius, per totam ambulacri longitudinem protensus, instar illius: quem in majori vestibulo vidimus cap. 40. & 41. basis loco suppositum parastadibus, conclavium parieti hærentibus, vel etiam sedilium usui relictum.

Ostia eorum ad aquilonem. Spectato Angeli & Ezechielis situ, qui in atrio & ad meridiem stabant.

℣. 5. Gazophylacia in superioribus humiliora. Finge animo trium contignationum ædificium: statim intelliges superiora conclavia cæteris humiliora & leviora. Hebræus (5): *Conclavia superiora retracta* erant, *quia absumebant porticus magis quam cubicula inferiora, & media ædificii*: Cum porticus secundæ ac tertiæ contignationis humiliores essent, necesse erat, ut humiliora pariter ibi essent conclavia, quam in prima contignatione: ita mediæ contignationis cubicula humiliora erant inferioribus, & supremæ adhuc mediis humiliora.

℣. 6. Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum. Secundæ & tertiæ contignationis cubicula pari altitudine non surgebant, sed humiliora in singulis contignationibus erant. *Non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum*, ut infima contignatio: ante cubicula enim ambulacra erant seu porticus, nullæ tamen columnæ. Porticus ex amplioribus fenestris diem excipiebant.

Propterea eminebant de inferioribus et de mediis a terra, cubitis quinquaginta. Vel, ex Hebræo (6): *Propterea decisum erat* (imminutum, retractum, constrictum) *præ inferioribus cubiculis & mediis a terra*. Superior contignatio cæteria humilior erat, quod columnas non habebat, sed tantummodo porticus. Hæc verba, *cubitis quinquaginta*, Textum implicant, & in Hebræo non habentur. Nusquam legimus, hujus contignationis amplitudinem quinquaginta cubitorum fuisse: vix tricenos cubitos illi damus.

℣. 7. Et peribolus exterior secundum gazophylacia. Reddere malo (7): *Murus dividens, exterius prominens secus conclavia, versus atrium populi, longitudinis cubitos quinquagenos habebat*. Hanc esse genuinam loci hujus explicationem, procul dubio discimus ex proximo statim versiculo, qui ait, conclavium atrii exterioris & interioris camdem fuisse mensuram, cubitos quinquaginta.

℣. 8. Longitudo ante faciem Templi, centum cubitorum. A septemtrionali atrii latere ad meridianum transit Angelus; & ante Templum prætergrediens, conclavium latitudinem, centum scilicet cubitorum, metitur. Vide supra XLI. 14. & Ichnographiam *F R*.

℣. 9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ... ab atrio exteriori. Conclavia orientale Templi latus occupantia, centum cubitis porrecta a septemtrione in meridiem, ut idem superiori versiculo animadvertit, in ipso longitudinis dimidio magnificum habebant vestibulum, quo aditus ab exteriori atrio in atrium Levitarum dabatur. De hoc cæterisque vestibulis actum est Capite XL. Ichnographia *M*.

℣. 10. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem, in facie ædificii separati, et erant ante ædificium gazophylacia. Meras tenebras hic locus habet. Ita nos Hebræum vertimus (8): *Hæc longitudo periboli atrii, orientem versus, e regione separationis, & e regione ædificii conclavium*. Latitudo ædificii, Templo ad orientem oppositi, a solo atrii interioris, usque ad exterius atrium, cubitos quinquagenos habebat. Mendum aliquod in Hebræo hic esse suspicor. Confer hunc versiculum cum septimo.

℣. 11. Et via ante faciem eorum, quæ ad orientem spectabant, quemadmodum & ante ea, quæ septemtrionem respiciebant, de quibus supra, ℣. 4. Denique conclavia omnia, atrium Sacerdotium ambientia, similia inter se erant. Ichnographia *R S*.

℣. 12. Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respicientes ad notum, &c. Hæc erant ostia conclavium, in ambulacro meridiem spectante positorum: hoc etiam ostium, in capite ambulacri, quod ante separatum vestibulum erat, in commodum ingredientium ex oriente (9). Meridiana Templo pars similis omnino erat alteri, quæ ad Templi septemtrionem erigebatur; & paries, quo altare a cæteris ædificiis segregabatur, ostium habebat ad meridiem par alteri, quod in eodem pariete ad orientem patebat, commodo illorum, qui intra muri hujus ambitum pedem inferrent. Meridianum ostium in capite viæ sive aditus a meridie pandebatur, in extrema parietis parte, cum orientalis porta in medio longitudinis parietis ejusdem pateret. Meminit Josephus parietis cubito uno editi, impuros ab altari segregantis (10). Hunc Propheta hoc loco innuit; ejusque Textus a Librariis corruptus esse videtur. Ichnographia *L L*.

℣. 13. Hæc sunt gazophylacia sancta; quippe omnium

(3) Joseph. lib. VI. de Bello c. 14. Αἱ στοαὶ πρὸ τῶν γαζοφυλακίων σφόδρα μὲν καλοῖς, καὶ μεγάλοις ἀνέχοντο κίοσιν. ἦσαν δὲ ἁπλαῖ, καὶ κάλλει μεγέθει τῶν κάτω κατ' οὐδὲν ἀπελείποντο.

(4) אל הפנימית דרך אמה אחת

(5) והלשכות העליונות קצרות כי יוכלו אתיקים מהנה מהתחתנות ומהתיכנות בנין

(6) אל כן נאצל [vel נאכל] מהתחתנות ומהתיכנות מארץ

(7) וגדר אשר לחוץ לעמת הלשכות דרך החצר החיצנה אל פני הלשכות חמשים אמה

(8) ברחב [Lege ברחב] גדר החצר דרך הקדים אל פני הגזרה ואל פני הבנין לשכות

(9) וכפתחי הלשכות אשר דרך הדרום פתח בראש דרך דרך בפני הגדרת הגינה דרך הקדים בבואן

(10) Joseph. lib. VI. cap. 14. de Bello: Περιέστεφε δὲ τοῦτο ναὸν, καὶ τὸ θυσιαστήριον, εὔλιθόν τε καὶ χαρίεν γεῖσον ὅσον πηχυαῖον ὕψος, ὃ διεῖργεν ἔξωθεν τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ἱερέων. Vide & Antiq. lib. VIII. cap. 2. ubi murum hunc tribus cubitis editum fuisse ait.

omnium proxima Templo: ibi *vescentur Sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta Sanctorum*, scilicet qui hebdomadario munere funguntur in altaris holocaustorum & Sancti ministerio. Hebræus (11): *Sacerdotes qui appropinquant ad Dominum, Sancti Sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum*, res nempe sanctissimas, veluti victimarum in altari consecratarum carnes, quibus vesci, & in Templo dumtaxat, unis Sacerdotibus licebat: hujusmodi erant carnes sacrificii pro peccato. Vide *Levit.* VI. 25. *&c.*

℣. 14. NON EGREDIENTUR DE SANCTIS IN ATRIUM EXTERIUS. Repetit legem hanc Capite XLIV. 17. 18. 19. Eamdem tacite innuerat Moyses, ubi ait, Pontificem minoresque Sacerdotes sacris vestibus uti debere, cum in Tabernaculum ministraturi ingrederentur (12): quibus verbis docere videtur, nefas fuisse, iis vestibus extra Tabernaculum uti. Alibi sancit (13), ut Sacerdos, cineres altaris extra tabernaculum gerens, sacras vestes ponat, aliisque induatur, castris egressurus. Ita hic loquitur Ezechiel, ut morem ante captivitatem institutum, ac post captivitatem iterum oriturum innuat. Eadem lex in Ecclesia Christiana locum habet, apud quam Sacerdotes ac Dei ministri extra Ecclesiam propriis Ordinum suorum ornamentis uti, præterquam sacrorum rituum, aut ministrandorum Sacramentorum causa, nefas habetur (14).

℣. 16. MENSUS EST QUINGENTOS CALAMOS IN CALAMO MENSURÆ. Murus exterior, totusque atrii exterioris ambitus calamos vel perticas habebat quingentas, sive *cubitos quingentos*, uti habent Septuaginta, S. Hieronymus, Rabbini, & Interpretes, & Hebræus ipse innuit (15). *Mensus est Angelus ab oriente in calamo mensuræ, quingentos calamos*. Vel ad verbum, *quingentos cubitos calamorum in calamo mensuræ*. Descriptæ hactenus dimensiones cum iis quæ diximus, conveniunt; atque asserit Josephus lib. 6. de Bello cap. 14. montis Templi cacumen vix stadia quatuor in quadro, scilicet passus quingentos habuisse; spatium certe multo angustius, quam perticas quingentas, quæ passus bis mille & quadringentos conficiunt. Porro certum est, aream Templi, Josephi ætate, latiorem fuisse, quam sub Ezechiele. Quamobrem tenendi sunt cubiti quingenti in quadro, qui passus ducentos & quinquaginta conficiunt, seu pedes mille, digitorum duodecim singulos. Adde spatium ultra murum atrii exterioris, cubitis quinquaginta patens, adeoque cubitis centum latius, quam atrium de quo mox diximus, ex quibus passus quinquaginta colliges: atque hos si reliquis addas ducentis & quinquaginta, passus trecentos latitudinis conficies. Non absimile vero judico columnas illas & porticus atrium sacerdotum ambientes perpetuo ductu regnasse usque in superiorem partem nulla interruptione disjunctas. Substructiones vero illas, quæ assurgebant in extremis illarum & retro, plura habuisse solaria invicem communicantia per scalas intra conclavim eractas perinde ac res habebat sese in conclavibus quæ Sanctum & Sanctuarium ambiebant; quibus lux ex exteriori pariete communicabatur. Ex descriptione templi, quale ætate sua supererat, apud Josephum intelligimus columnas totam superiorem templi & atrii partem occupasse, sitasque retro columnas ita compositas esse atque dispositas in altitudine & latitudine, ut magnitudini ædium illarum responderent.

℣. 20. DIVIDENTEM INTER SANCTUARIUM ET VULGI LOCUM; sacrum a profano; locum Deo sacrum, Ethnicis, externis & immundis clausum, ab altero unicuique indiscriminatim patente, seu viris seu fœminis, puris impurisque, Ethnicis ac ceteris, Josephi ætate, ipso teste lib. 6. de Bello cap. 14. in ipso hujus atrii ingressu murus erat trium cubitorum altitudine, variis operibus distinctum, in quo identidem surgebant columnæ, inscriptæ legibus munditiem indicantibus necessariam iis, qui in Templum ingrediebantur; hæ quidem Græcis, illæ Romanis literis; vetantesque ne quis externus intro pedem ferret, pœna mortis indicta. Vide & Antiqu. l. 15. c. 14. & Philon. Legat. ad Cajum p. 703.

---

(11) הכהנים אשר קרובים ליהוה קדשי הקדשים (12) Exod. XXVIII. 42. 43. (13) Levit. VI. 11.
(14) Vide Diff. 5. de Confess. c. 42. Duran. Rational. lib. 1. c. 3. §. 48. Durant. de Ritib. Eccles. lib. 2. c. 9.
(15) מדד רוח הקדים בקנה המדה חמש קנים בקנה מאות [alias אמות] המדה Septuag. ℣. 16. Διεμέτρησε πεντακοσίους ἐν τῷ καλάμῳ τοῦ μέτρου. Et ℣. 17. Πηχῶν πεντακοσίων. Ita & ℣. 18. Hieronym. ℣. 20. *Mensus est longitudinem quingentorum cubitorum.*

CAPUT XLIII.

Deus gloria sua fulgens sese Ezechieli exhibet in Templo. Altare holocaustorum describitur. Quo ritu purgetur.

℣. 1. ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem. 2. Et ecce
gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem: & vox erat ei quasi
vox aquarum multarum, & terra splendebat a majestate ejus. 3. Et visionem, se-
cundum speciem, quam videram, quando venit, ut disperderet civitatem: & species
secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar: & cecidi super faciem
meam. 4. Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respicie-
bat ad Orientem. 5. Et elevavit me spiritus, & introduxit me in atrium interius;
& ecce repleta erat gloria Domini domus. 6. Et audivi loquentem ad me de do-
mo, & vir, qui stabat juxta me, 7. Dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei,
& locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æter-
num: & non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, & reges eo-
rum in fornicationibus suis, & in ruinis regum suorum, & in excelsis. 8. Qui fa-
bricati sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos; &

murus erat inter me, & eos: & polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus, quas fecerunt: propter quod conſumpſi eos in ira mea. 9. Nunc ergo repellant procul fornicationem ſuam, & ruinas regum ſuorum a me: & habitabo in medio eorum ſemper. 10. Tu autem, fili hominis, oſtende domui Iſrael templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam; 11. Et erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt: Figuram domus, & fabricæ ejus exitus, & introitus, & omnem deſcriptionem ejus, & univerſa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, & omnes leges ejus oſtende eis, & ſcribes in oculis eorum: ut cuſtodiant omnes deſcriptiones ejus, & præcepta illius, & faciant ea. 12. Iſta eſt lex domus in ſummitate montis: Omnis finis ejus in circuitu, ſanctum ſanctorum eſt: hæc eſt ergo lex domus. 13. Iſtæ autem menſuræ altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum, & palmum: in ſinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio ejus uſque ad labium ejus, & in circuitu, palmus unus: hæc quoque foſſa altaris: 14. Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & a crepidine minore uſque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius. 15. Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum: & ab Ariel uſque ad ſurſum, cornua quatuor. 16. Et ad Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus. 17. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus verſi ad Orientem. 18. Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi ſunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum; ut offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis. 19. Et dabis Sacerdotibus, & Levitis, qui ſunt de ſemine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. 20. Et aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu; & mundabis illud & expiabis. 21. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in ſeparato loco domus extra ſanctuarium. 22. Et in die ſecunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare ſicut expiaverunt in vitulo. 23. Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. 24. Et offeres eos in conſpectu Domini: & mittent ſacerdotes ſuper eos ſal, & offerent eos holocauſtum Domino. 25. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus, immaculatos offerent. 26. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum ejus. 27. Expletis autem diebus, in die octava, & ultra, facient ſacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

℣. 1. DUXIT ME AD PORTAM, QUÆ RESPICIT AD VIAM ORIENTALEM. Menſus omnem muri atrii exterioris ambitum, Angelus Ezechielem ad portam orientalem reduxit, unde metiendi initium fecerat Ezech. XLII. 15.

℣. 2. ECCE GLORIA DEI ISRAEL. Deus in curru ſedens Cherubinis vecto, qualis deſcriptus eſt ſupra c. VIII. IX. apparuit. In Templum ingredi per orientalem portam viſus eſt currus, eumque ſequutus eſt in atrium uſque Sacerdotum Ezechiel ℣. 5. & 13.

℣. 3. QUANDO VENIT AD DISPERDENDAM CIVITATEM. Vel, cum is in Templum veniens, inde Angelos emiſit in eorum necem, qui frontem ſignon notatam non gererent (1). Septuaginta (2): *Quando veni ut ungerem civitatem.* Hebræus (3): *Cum veni ad perdendam civitatem.* Cum me Jeroſolymam tranſtulit Deus, ut ſpiritu intuerer eorum cædem, qui nullo ſigno in fronte notarentur. N tam hanc ſpectavere Septuaginta, cum verterent: *Ut ungerem civitatem.*

℣. 6. ET VIR QUI STABAT JUXTA ME (℣. 7.) DIXIT AD ME. Et vir qui mihi haſtenus comes fuit, prope me ſtabat. Et dixit mihi Dominus. Hoc proprie volunt Hebræus (4), Chaldæus, Septuaginta (5), aliique. Quamquam & cum S. Hieronymo ita intelligi poteſt: Et vir, ſive Angelus, qui ſtabat juxta me, mihi dixit, &c. At ipſa oratio ſatis docet, vocem eſſe Dei, ex adyto Sanctuarii ſonantem, ceu tonitru, ſeu maris fluctum. Cæterum in conſequentibus Angelus ipſe loquitur; & Ezechielem ducere pergit. Vide a ℣℣. 12. 13. &c. uſque ad Caput XLIV. ℣. 5.

℣. 7. NON POLLUENT ULTRA IN FORNICATIONIBUS SUIS, ET IN RUINIS REGUM SUORUM. Nominis mei ſanctitatem profanis ſuperſtitionibus, & Regum ſuorum ſepulcris non violabunt. Ad verbum (6): *In fornicationibus ſuis, & in cadaveribus Regum ſuorum.* Numina in Templo meo colentes, Regeſque ſuos intra montis mei ambitum ſepelientes (7). Teſtibus Regum Libris, Regia monumenta in Regiis hortis erant, in monte Sion, cujus pars erat mons Moria, cui Templum inſidebat. Conditus ſepulcro eſt David in civi-

(1) Ezech. IX. 4. 5.
(2) Ο' τῷ εἰσπορεύεσθαί με τοῦ χρῖσαι τὴν πόλιν.
(3) בבאי לשחת את העיר
(4) ואיש היה עמד אצלי
(5) Septuag. Καὶ ὁ ἀνὴρ εἱστήκει ἐχόμενός μου. Καὶ εἶπε πρός. Vide Theodoret.
(6) בזנותם ובפגרי מלכיהם.
(7) Cornel. Vatab.

civitate David (8), in monte Sion, prope Templum, posita. Eumdem sepulturæ locum habuere Salomon (9), Roboam (10), Abia (11) Asa (12), Josaphat (13), Joram (14), Ochozias (15), Joas (16), Amasias (17), Azarias (18), Joathan (19), Achaz (20). Domi suæ sepultus est Manasses, in horto Ozæ (21), uti & Manassis filius Amon (22). In Regia sepulcra illatus non est Ozias, sed in eodem horto, ubi ea sepulcra erant (23). Denique sepulcra Regum Juda non longe a Regiis ædibus stabant, junctæque Templo ædes Regiæ, quemadmodum dolens ait hic ℣. 8. Ezechiel. Si fidem habes Josepho Antiq. lib. 7. cap. ult. Regum sepulcra humi effussa erant ea arte, ut ægre illorum aditus cerneretur. Diffident in hujus explicatione Interpretes, cum nullus Historiæ locus narret, visio datum esse Regum alicui, quod Templum sepulcro violaverit. At nullus etiam, præter hunc, Prophetarum locus illos arguit, quod Regias ædes prope Templum condiderint. Septuaginta (24): Polluerunt Templum meum *scortatione sua, & cædibus ducum suorum*. At nullum Israelis Regem in Templo cæsum novimus. Alii de humanis cadaveribus interpretantur, Diis, quos *Reges suos* nuncupant, mactatis, vel de Numinibus suis, quibus cadaverum appellationem tribuunt. Hæc tamen exquisitiora sunt quam par est, & explicatio quam primo loco dedimus, quicquid arduum est explanat.

℣ 8. Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum. Palatio Regum Juda ostium erat cum Templo conjunctum, qua unis ipsis aditus in Templum erat. Porro illud in Occidentali Templi parte erat, & a Levitarum manu custodiebatur, testibus Paralipomenis (25); atque in Libris Regum porta postica seu custodum appellatur. Ex Regiis ædibus per ascensum seu porticum ad eam portam deveniebatur (26). Nullam Ezechiel portam Templo posticam ponit; at locus suspicandi est, olim sub Regibus aliquam fuisse, idque hoc loco damnat Deus, ceu rem Domus suæ majestate indignam. In supremo Herodis Templo quatuor erant ad occidentem portæ, Josepho teste (27), quarum una in Regias ædes, cæteræ ad suburbia ipsamque in urbem deferebant.

Murus erat inter me et eos. Regum ædes Templo jungebantur. Hæc quidem verba ad amussim intelligenda non sunt: at certe Regum ædes proximæ omnino Templo erant, ipsique conjunctæ media cryptoporticu, de qua supra. Propius adhuc in supremo Templo accesserant, authore Josepho.

℣. 9. Ruinas (sepulcra) Regum suorum. Vide supra, ℣. 8. Reducta captivitate, nemo certe Regum cadavera e veteribus monumentis eruit: at nemo deinceps ibi conditus fuisse legitur.

℣. 10. Ostende domui Israel Templum; Templi descriptionem, quam vidisti; vel, ichnographiam quam exarasti, illis perlege.

Et confundantur ab iniquitatibus suis. Junge hæc cum præcedentibus: Templi hujus, indignissime a se violati, ichnographiam videant, ut sanctissimo hoc spectaculo moniti resipiscant, ipsosque tandem pudeat flagitiorum, quibus iram meam in sacrum hunc locum provocavere, meque illius excidium pati coegerunt.

℣. 11. Universa præcepta ejus; ritus omnes in sacrificiis servandos: quicquid agendum est a Sacerdotibus populoque in illius obsequio. Vel: Dimensiones partium Templi, quales tibi per Angelum exhibui (28).

℣. 12. Omnes fines ejus in circuitu, sanctum sanctorum est. In universo Templi ambitu, ab ipso ejus clivi initio usque ad verticem, nullum deinceps ædificium construetur, nullum prorsus sepulcrum, hortus, aliudve quid, quod in usus hominum sit. Sanctum omnino erit, sacrum, atque ab omni usu secretum, præter unum Dei cultum. Huic legi parum religiose obtemperatum esse, legimus in Josepho Antiq. l. 15. c. 14. Asmonæi Principes turrim in lateri septemtrionali excitaverant, quæ deinde supremis Judaicæ Reipublicæ temporibus celeberrima fuit Turris Antonia. Quatuor etiam portæ in latere occidentali fuerunt, uti supra diximus, quarum una ad Regias ædes deducebat: quamquam alibi idem Josephus Templum describit muris editissimis cinctum, ab ipsis radicibus usque ad verticem, præter orientalem plagam.

Si fides Judæis sit, ingens adeo erat populi obsequium, nedum erga universum Templi ambitum, verum etiam montem totum, cui illud insidebat, ut nefas unicuique haberetur illuc ascendere scipionem manibus tenenti, aut pedibus calceatis, vel pulvere inquinatis; pecuniam zona vel sudario clausam gerere; humi vel super pavimentum spuere; ex altera ad alteram portam, brevioris viæ causa, transire: qualibet vero porta quis ingressus esset, gravi modestoque corporis habitu illuc incedendum erat, quo sibi proposuisset. Qui anathemate seu funeris luctu tenebantur, ad montem sanctum non communi exterorum more, sed obliquo corpore, læva parte prius introducta, gradiebantur. Levitæ, cæterique omnino Israelitæ, cum a Templo discederent, nunquam illi humeros dabant, sed capite & corpore in alterutram partem inclinato, summo obsequio retrocedentes ibant, donec penitus e Templo egrederentur. Rabbinicas hujusmodi animadversiones minimi facimus, cum nihil tale imperet Lex, aut veteris novique Testamenti Scripturæ, & Josephus tradant; quamquam hic ritus, quorum aliqui pueris digni ac nullius momenti videntur, describit. Illud solummodo hic sancitur, ne quis eadem porta, qua ingressus est, egrediatur Ezech. XLVI. 9.

℣. 13. Istæ mensuræ altaris, in cubito novissimo, optimo. Hebræus ad verbum (29): *Et hæ mensuræ altaris, in cubitis. Cubitus est cubiti unius & palmi*. Cubitus, quo mensus est Angelus altare, idem erat, quo ad Templi mensuras usus fuerat; palmo scilicet seu quatuor unciis longior Babylonico (30).

In sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine. Fundamentum seu basis in ipsa atrii area sedebat, totoque cubito circa altare exporrigebatur (31): quamobrem cum altare duodecim cubitos undique haberet, basis quatuordecim ex quaterno latere cubitis patebat. Fundamento huic altare insistebat; totaque altaris altitudo basim etiam complectebatur. Sunt qui (32) pro hac basi scrobem unius cubiti interpretentur, circa altare effossam, quo flueret cruor ad altaris basim effusus; unde subterraneis ductibus in torrentem Cedron manabat. Censent alii, Hebræam vocem (33), quæ proprie *sinum* sonat, significare limbum quemdam, cubiti unius altitudine, quo totum circa altaris fastigium ambiebatur, ubi dispone-

[8] 3. Reg. II. 10. [9] 3. Reg. XI. 43. [10] 3. Reg. XIV. 31. [11] 3. Reg. XV. 8.
[12] 3. Reg. XV. 24. [13] 3. Reg. XXII. 51. [14] 4. Reg. VIII. 24. [11] 4. Reg. IX. 28.
[16] 4. Reg. XII. 21. [17] 4. Reg. XIV. 20. [15] 4. Reg. XV. 7. [19] 4. Reg. XV. 38.
[20] 4. Reg. XVI. 20. [21] 4. Reg. XXI. 18. [22] 4. Reg. XXI. 26. [23] 2. Par. XXVI. 23.
[24] Ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῶν, καὶ ἐν τοῖς φόνοις τῶν ἡγουμένων αὐτῶν. [25] 1. Par. XXVI. 16. & 1. 3. & 4. Reg. XI. 2. & XVIII. 11. [26] Vide 4. Reg. X. 12. XI. 20. & 2. Par. IX. 11. & 1. Par. XXVI. 16.
[27] Joseph. Antiq. lib. XV. cap. 14. [28] Vatab. [29] ואלה מדות המזבח באמות אמה אמה וטפח
[30] Ezech. XL. 5. [31] Chald. [32] Villalp. Sanct. Cornel. Menoch. Capell.
[33] Septuag. Κόλπωμα. חיק Kimchi. Vatab.

bantur ligna ad cremandas hostias. Prima explicatio aptissima omnium videtur, & cum consequentibus optime omnium nectitur.

DEFINITIO EJUS USQUE AD LABIUM EJUS, ET IN CIRCUITU PALMUS UNUS. Limbus erat hic altitudine quatuor digitorum, circa basim, de qua mox, in extrema illius ora. Putat S. Hieronymus, neque res probabilitate caret, limbum hunc circa basim altaris ductum fuisse, ut fusum cruorem exciperet, unde in per subterraneos ductus fluebat: *Hæc quoque fossa altaris*. At Septuaginta cum consequentibus jungunt, contraria prorsus sententia (34): *Et hæc altitudo altaris*. Chaldæus: *Hæc dispositio altaris*. Æquior videtur hæc explicatio.

℣. 14. DE SINU TERRÆ USQUE AD CREPIDINEM NOVISSIMAM, DUO CUBITI. Vel, a basi, quæ in summa soli superficie sita erat, duorum cubitorum eminentia erat usque ad limbum unius cubiti, quo altare cingebatur. Non satis aperte docet Propheta, utrum hæc limbus fuerit, additus inferiori parti, cujus crassities seorsum accipienda sit; an simplex contractio, ex ipso altari detrita, quæ nihil illius proceritati adderet.

ET A CREPIDINE MINORE, USQUE AD CREPIDINEM MAJOREM, QUATUOR CUBITI. Cur alter hic limbus major appellatur, cum uno tantum cubito latus sit, quemadmodum primus; & minor sit extensione, si eum fuisse ponas meram altaris contractionem, e breviori longitudine quam priore detritam? Idcirco fortasse, quod priore altior esset, longiusque ab area & priore basi removeretur. Sunt qui censeant, alterum hunc limbum, seu contractionem sive basim, uti voluetis, in usum Sacerdotum fuisse, ut circum graderentur, cum ligna & victimas super altaris verticem disponerent, quin pedibus in altare ascenderent. At si obsequii & religionis causa pedibus aram terere autos non fuisse putas, ejusque rei causa cubitalem hunc limbum, & quatuor cubitis humiliorem vertice altaris ductum fuisse circum altare arbitratis, id nihilo minus temere fingis, quam male ominatam futilemque illam religionem. Primo enim, fieri non poterat, ut Sacerdos super hunc limbum stans, quatuor cubitis, septem nempe circiter pedibus, humiliorem altari, ad illius fastigium proceritate corporis perveniret, aut quicquam in eo faceret. II. Cum vertex altaris cubitis duodecim in latum porrigeretur, quis ad medium usque altaris ex loco quatuor cubitis inferiori pertingeret? III. Denique cum in orientali altaris latere gradus essent, quibus Sacerdotes ad componenda in altari ligna & victimas ascenderent; quorsum limbi hujusmodi, si nefas erat Sacerdotibus altius ascendere quam super limbum mox descriptum, iique obsequii causa ipsum altare pedibus terere non audebant?

℣. 15. IPSE AUTEM ARIEL QUATUOR CUBITORUM. A limbo, de quo superior versiculus, usque ad altaris fastigium, quatuor cubiti. Ita totius altaris sublimitas decem vel duodecim cubitorum erat: decem, si duplicem limbum, mox recitatum, meras fuisse putes altaris contractiones: duodecim vero, si limbos hujusmodi extra altare excurrisse ponas cubito uno in quadrum, intacta altaris crassitie. Postremam hanc explicationem maxime omnium probo, ut par latitudini altitudo altaris conficiatur. Cubitum unum basi damus; cubitum unum a basi usque ad priorem limbum; limbo huic cubitum unum latitudinis; hinc ad alterum usque limbum, cubitos quatuor; alteri huic limbo cubitum unum latitudinis; hinc denique usque ad altaris fastigium, cubitos quatuor: omnino duodecim cubitos. Salomonici Templi Altare (35) cubitis decem in altum, vicenis in latum & quadrum porrigebatur: in Templo ab *Herode* restituto, cubitis quindenis in altum, quadragenis in quadrum patebat (36). Altare nuncupat hic Propheta *Arielem* (37), scilicet *Leonem Dei*, vel *Montem Dei*, quod in medio Sacerdotum atrio collis instar surgeret; vel victimas quotidie ibi crematas voraret, ceu leo. Eodem *Arielis* nomine Isaias (38) montem Sionem, vel urbem Jerosolymam donat.

AB ARIEL USQUE AD SURSUM, CORNUA QUATUOR (39). Ab altari cornua quatuor surgebant. Ad singula quatuor altaris capita cornua singula seu pyramides attollebantur, de quibus in Exodo satis (40). Quæ altaris materies fuerit, non docemur; at ære indutum fuisse omnino videtur, uti Salomonicum (41). Ænea etiam erant cornua, quæ hic describuntur. Josepho (42) & Philone (43) testibus, post captivitatem altare holocaustorum e rudibus lapidibus constructum est: ac reducta captivitate, Templi & Altaris Ichnographia ab Ezechiele tradita, penitus servata fuisse non videtur: illius enim verba visionis potius, quam legis aut sanctionis omnino servandæ loco habita fuere.

℣. 16. ET ARIEL DUODECIM CUBITORUM in longum latumque. Docent Rabbini (44), duodecim hosce cubitos ab ipso altaris meditullio sumendos esse, ut quatuor & viginti cubitos in quadrum Altare porrigeretur. Ajunt etiam, Altare statim reducta captivitate ædificatum, octo & viginti cubitos in quadrum in ipso fastigio habuisse. Vide quæ diximus in ℣. superiorem, ubi duodecim dumtaxat in quadrum cubitos Altari Ezechielis damus. Judæi profecto nulla se lege adstringi putavere, ut altare intra certos longitudinis ac latitudinis fines clauderent.

℣. 17. ET CREPIDO QUATUORDECIM CUBITORUM LONGITUDINIS. Duplex erat Altari limbum, ℣. 14. unicuique limbo quatuordecim ex quaterno latere longitudinis cubiti, uno enim cubito undique extra Altaris crassitiem uterque prominebat: porro Altare cubitis duodecim in quadrum porrigebatur.

ET CORONA IN CIRCUITU EJUS DIMIDII CUBITI, in summa Altaris ora, undique illud ambiens, quemadmodum mensæ panum propositionis (45), Altari thymiamatis (46), Arcæ (47), mensisque in quibus victimæ parabantur (48), suæ singulis erant coronæ, seu limbi circa supraque surgentes. Ornamenti genus erat apud Judæos, ac fortasse communi usu ferebatur, ut quodlibet mensarum genus limbo suo instrueretur, ne caderent ea quæ mensis imponebantur. Hujusmodi limborum altitudo æqua proportione ubique mensarum latitudini & altitudini aptatur.

SINUS EJUS, UNIUS CUBITI. Fundamentum seu basis, Repetit dicta ℣. 13.

GRADUS EJUS VERSI AD ORIENTEM. Ascensus ad altaris fastigium ex oriente erat, ore in occidentem verso. Gradus hi usque ad Altaris verticem, uti videtur, perveniebant, utrinque ad certam altitudinem protecti, nequa Sacerdotis ad Altare ascendentis pars nuda conspiceretur (49). In Templo ab Herode restituto ascensus ad meridiem erat, clivo usque ad verticem facili ac suavi. Vide Josephum de bello Jud. l. 6. c. 14.

℣. 18. HI SUNT RITUS ALTARIS, cum dedicandum erit, ut ibi holocausta & consuetæ victimæ offerantur.

℣. 19.

(34) הארץ גב המזבח וזה Septuag. Καὶ τὸ ὕψος τοῦ θυσιαστηρίου. (35) 2. Par. iv. 1. (36) Joseph. de Bello lib. vi. cap. 14. (37) Septuag. Ἀριήλ. וההראל Infra והאריאל (38) Isai. xxix. 1. *Væ Ariel, Ariel civitas quam expugnavit David .... Et circumvallabo Ariel, & erit tristis & mœrens, & erit mihi quasi Ariel*. (39) ומהאריאל ולמעלה הקרנות ארבע (40) Exod. xxvii. 2. (41) 2. Par. iv. 1. & 4. Reg. viii. 24. (42) Joseph. Antiqu. lib. vi. cap. 14. Κατεσκευάσθη δὲ ἐκ λίθων ἀτμήτων, ἐφ' οὓς οὐκ ἦλθε σίδηρος. (43) Philo, de victimas offerentibus. Vide & 1. Macc. iv. 47. (44) Tract. Middot. c. 3. par. 1. & Gemare. de sacrificiis. (45) Exod. xxv. 25. (46) Exod. xxx. 3. (47) Exod. xxv. 11. (48) Ezech. xl. 43. (49) Vide nos in Exod. xx. 26.

℣. 19. SACERDOTIBUS ET LEVITIS, QUI SUNT DE SEMINE SADOC. Hebræus (50): *Dabis* hanc legem *Sacerdotibus Levitis, qui sunt de semine Sadoc*. Levitarum non meminit Textus seorsum a Sacerdotibus. Pontificatus ad Sadoci familiam sub Saule translatus, ibi semper deinceps fuit, Ithamari posteris sub Salomonis exordium sacro munere prorsus exutis (51). Vide nostram Dissertationem de Pontificum Hebræorum successione.

℣. 20. PONES SUPER QUATUOR CORNUA. Sacerdoti Altare dedicanti imperabis, ut mactati vituli cruore cornua quatuor, coronam, limbos & basim altaris liniat. Hic, uti passim, fieri dicitur id quod solummodo imperatur aut faciendum edicitur.

℣. 21. IN SEPARATO LOCO DOMUS EXTRA SANCTUARIUM. Vel, extra Sanctum locum, extra Templi septa, at super montem, in quo conditum est Templum. Vel, extra atrium Sacerdotum, non in altari holocaustorum. Prior tamen explicatio accommodatior menti Legis est, imperantis, ut victima expiationis pro Pontificis peccato (52) extra castra cremaretur, ejusque cineres projicerentur (53). Denique ut eodem in loco cremaretur vitulus, quo dedicatum erat Altare, & Sacerdotes expiati (54). Non jubet Ezechiel, hostiam, de qua agitur, extra urbem cremari, sed *in separato loco Domus*, Templi, in aliqua montis Templi parte, in eum usum destinata.

℣. 22. HIRCUM CAPRARUM (55) hircum e capellarum grege ablatum. Ita loquitur Scriptura cum hircum vel hœdum significat. Mihi tamen non magnopere probatur; *hircum caprarum* hic esse hœdum, quasi diceret hœdum capræ filium; quemadmodum nonnullis Interpretibus placet (56).

℣. 24. MITTANT SACERDOTES SUPER EOS SAL; super victimas, ex lege Levitici II. 13. *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies .... in omni oblatione tua offeres sal.*

℣. 26. IMPLEBUNT MANUM EJUS; consecrabunt; Dicere videtur Textus, Altaris manus esse implendas: id quod nonnisi tropice explicari potest, ducta ex eo metaphora, quod Sacerdotum manus implerentur, iique in muneris sui exercitio ponerentur, ubi consecrabantur (57). Septuaginta (58), favensibus Interpretum plurimis, legunt: *Sacerdotes implebunt manus eorum*. Veteres tamen Græci Interpretes Vulgatam & Hebræum sequuntur (59). Chaldæus (60): *Offerent oblationes ejus*, altaris. Aptior est Septuaginta Interpretum explicatio. Sacerdos qui cæteros consecraverit, singulorum consecratorum manum implebit. Sanctius *manum* pro spatio usurpat: Consecrabunt Sacerdotes, vel implebunt Altaris manum, scilicet partes, quibus illud componitur, quas complectitur. Id tamen exquisitius æquo est.

℣. 27. ET QUÆ PRO PACE OFFERUNT; hostias pacificas, quæ Deo offeruntur laudis, grati animi, gratiarum actionis, spontaneæ religionis, aut voti nuncupati causa. Vide Levit. III. 12. VII. 12. XIX. 5.

(50) ונתתה אל הכהנים הלוים אשר הם מזרע צדוק Septuag. Δώσεις τοῖς ἱερεῦσι τοῖς Λευίταις, &c. (51) 3. Reg. II. 22. (52) Levit. IV. 3. .... 12. (53) Levit. VI. 11. (54) Ibid. cap. VIII. 17. 18. 61. Vide Hebr. XIII. 11. (55) במפקד הבית מחוץ למקדש (56) Sanct. Cornel. Menoch. (57) Vide Exod. XXVIII. 41. XXIX. 9. & 35. 3. Reg. XIII. 33. Judic. XVII. 5. 12. 2. Paralip. XXIX. 31. (58) Καὶ πλήσουσι χεῖρας αὐτῶν. Vide Pagn. Mont. Vatab. Tigur. (59) ומלאו ידו (60) ויקריבון קרבניה

CAPUT XLIV.

Orientalis porta clausa erit, quod per eam ingressus sit Deus. Israelitæ arguuntur, quod externos in Templum induxerint. Sacerdotes & Levitæ idolorum superstitione inquinati, & a sacro ministerio ejecti. Sacerdotium posteris Sadoci confirmatur. Leges Sacerdotum in Templo ministrantium.

℣. 1. ET convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad
orientem: & erat clausa. 2. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa
erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel in-
gressus est per eam, eritque clausa principi. 3. Princeps ipse sedebit in ea, ut co-
medat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam
ejus egredietur. 4. Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus:
& vidi: & ecce implevit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam.
5. Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, &
auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis cœremoniis domus Do-
mini, & de cunctis legibus ejus: & pones cor tuum in viis templi per omnes exi-
tus sanctuarii. 6. Et dices ad exasperantem me domum Israel: Hæc dicit Dominus
Deus: Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel: 7. Eo quod inducitis filios
alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, &
polluant domum meam: & offertis panes meos, adipem, & sanguinem: & dissolvi-
tis [illegible]n meum in omnibus sceleribus vestris. 8. Et non servastis præcepta san-
ctuarii mei: & posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismet-
ipsis. 9. Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena, incircumcisus corde, & in-
circumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus, qui est
in medio filiorum Israel. 10. Sed & Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore
filiorum Israel, & erraverunt a me post idola sua, & portaverunt iniquitatem suam:

11. Erunt

11. Erunt in sanctuario meo æditui, & janitores portarum domus, & ministri domus: ipsi mactabunt holocausta, & victimas populi: & ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis. 12. Pro eo, quod ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis: idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, & portabunt iniquitatem suam: 13. Et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum, sed portabunt confusionem suam, & scelera sua, quæ fecerunt. 14. Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, & in universis, quæ fient in ea. 15. Sacerdotes autem, & Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem, & sanguinem, ait Dominus Deus. 16. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, & ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas. 17. Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris, & intrinsecus. 18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore. 19. Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis, & non sanctificabunt populum in vestibus suis. 20. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient; sed tondentes attondent capita sua. 21. Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. 22. Et viduam, & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel: sed & viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient. 23. Et populum meum docebunt, quid sit inter sanctum, & pollutum, & inter mundum, & immundum ostendent eis. 24. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, & Sabbatha mea sanctificabunt. 25. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem, & matrem, & filium, & filiam, & fratrem, & sororem, quæ alterum virum non habuerit, in quibus contaminabuntur. 26. Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. 27. Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus. 28. Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. 29. Victimam & pro peccato, & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israel ipsorum erit. 30. Et primitiva omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotum erunt: & primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui suæ. 31. Omne morticinum, & captum a bestia de avibus, & de pecoribus non comedent Sacerdotes.

℣. 1. AD VIAM PORTÆ SANCTUARII EXTERIORIS, QUÆ RESPICIEBAT AD ORIENTEM. Cum Deus sese Ezechieli gloria sua circomdatum exhibuisset, ingressusque fuisset Templum per orientalem atrii Sacerdotum portam (1), illum sequutus Ezechiel, eadem porta Templum subiit. Descriptis deinde ab Angelo Altaris holocaustorum, in medio atrio positi, dimensionibus, illum rursus in atrium populi Angelus duxit; minime vero per orientalem portam, qua primum ingressus fuerat, sed per septemtrionalem, ipsumque præteriens docuit, portam orientalem clausam esse, in posterum qualibet indiscriminatim die non aperiendam, quod ingressus per eam Deus, sua illam præsentia consecraverit. *Porta hæc clausa erit; non aperietur, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Sex totis hebdomadæ diebus clausa, sabbathis & Neomeniis patebit: ante illam populus vota faciet, eaque per hos dies ad vesperam usque non claudetur. Ita idem ipse Ezechiel hunc locum explicat infra XLVI. 1. 2.

℣. 2. CLAUSA ERIT PRINCIPI. PRINCEPS IPSE SEDEBIT IN EA, UT COMEDAT PANEM CORAM DOMINO. Peculiaris erat, & a cæteris secretus, in Templo Regibus Juda locus, instar solii, e regione orientalis portæ atrii Sacerdotum, unde ii vota Deo faciebant. Ibi posuerat Salomon (2) *basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ*, vel atrii populi. Eumdem locum tenuere qui deinde secuti sunt Reges. Præterea diuturno usu veluti lege obtinuerat, ut per Orientalem portam in atrium Sacerdotum ingrederentur; idque vetat hoc loco Angelus, jubens clausam tota hebdomada servari, ac sabbathis tantummodo festisque diebus recludi. Eadem porta ante captivitatem, uti videtur, tota hebdomada, præter Sabbathum, clausa erat, ut innuit Liber Regum IV. (3); ac Regis jussu, privatæ religionis causa venientis, recludebatur, isque per atrium interius transibat. Docet hic Angelus futurum, ut Rex hujusmodi commodo non utatur, atque extra atrium Sacerdotum, in ingressu vestibuli portæ orientalis sedeat. Ibi Rex sede-

[1] Ezech. XLIII. 1. 2. 4. [2] 2. Par. VI. 12. 13. [3] 4. Reg. XVI. 18.

sedebit, ut comedat panem coram Domino, particeps hostiarum pacificarum sit, quarum carnes coram Domino comedebantur, parato ex iis hilari atque officioso convivio, intra ipsum Templi septum absumendo. Inde in exterius atrium redibit, quin intra Sacerdotum atrium pedem inferat. Vide supra xxvi. 12. Si quod religionis sacrificium Rex aliquo hebdomadis die faceret, ea porta pandebatur, ut infra dicitur xlvi. 12. minime vero secus.

℣. 3. PER VIAM PORTÆ VESTIBULI INGREDIETUR, ET PER VIAM EJUS EGREDIETUR. Per exteriorem porticus januam ultro citroque gradietur; per eamdem omnino portam, quin ulterius progrediatur. Singulis vestibulis duplex erat porta, interior altera, & altera exterior. Vide Ezech. xlvi. 2. ubi hæc fusius explicantur.

Sunt qui censeant (4), portam orientalem, quæ deinceps clausa fore dicitur, portam fuisse Templi vel Sancti, ac Principem ante illam sessurum, esse Pontificem. At ex iis quæ hactenus diximus, satis superque hæc sententia refellitur. Patres vulgo (5) locum hunc de Maria Dei parente interpretantur, porta scilicet semper clausa, quod per illam Deus Israelis transierit. Eadem & ante & post partum virgo, solium, templum, sedes Jesu Christo fuit, Deo vero, veroque Israelis Regi.

℣. 4. PER VIAM PORTÆ AQUILONIS. In atrium exterius, non ex porta orientali, sed ex septemtrionali me duxit. Cum Ezechiel prope eam portam esset, ex atrio jamjam egressurus, e regione Templi, iterum Dei gloriam vidit, quæ antea sese illi exhibuerat, & in imum Sanctuarii adytum secesserat. Vide sup. Ezech. xlvii. 2. . . 6.

℣. 5. PONE COR TUUM IN VIIS TEMPLI, PER OMNES EXITUS SANCTUARII. Inspice omnes Templi vias, omnesque exitus Sanctuarii. Vel: *Egressus omnes ingressusque speculare*; ordinem ibi servandum, ritusque in eo exercendos; denique quicquid ad Templum, extra vel intra, pertinet, in iis tum quæ ad ipsum, tum quæ ad Ministros spectant. Apud Hebræos, ingressus egressusque sunt ipsum vitæ institutum, quicquid aliquis agit, aut in moribus habet.

℣. 7. EO QUOD INDUCITIS FILIOS ALIENOS INCIRCUMCISOS CORDE, ET INCIRCUMCISOS CARNE, IN SANCTUARIO MEO. Toto hoc Capite *Sanctuarium* absolute pro Templo usurpatur. Arguit Judæos Deus, quod externos, hominesque nedum carne, verum etiam corde incircumcisos intra Templum admiserint. Externi omnes carne incircumcisi erant; at aliqui ex his fortasse corde circumcisi fuere, Deum venerantes colentesque in exteriori parte Templi, humillimo animi sensu, quem Deus nunquam aspernatur; at hujusmodi homines, carne non circumcisos, in Domum Dei introducere nefas erat. Homines vero & carne & animo non circumcisos introducere, flagitium erat morte piandum, testibus Josepho & Philone. Notissima est Judæorum seditio in S. Paulum, quod externos ethnicosque in Templum induxisse diceretur (6). Animadvertit Josephus (7), post captivitatem in atrio, quod Gentium appellabatur, erectas fuisse columnas, cum epigraphis, externos monentibus, ne in Templum ingrederentur. Interdum tamen gravissimas ob causas passos fuisse legimus Judæos, ut externi in atrium usque Sacerdotum evaderent: nunquam vero permisere, ut intra Templi adytum ac Sanctuarium pedem quisquam inferret. Cum Ptolemæus Philopator eo ingredi frustra conaretur, obvios habuit Judæos, mori potius quam id pati volentes (8). Heliodorus intra thesauri locum ingressus (9), statim Angelorum manu mulctatus est. Antiochus Epiphanes (10) & Pompejus (11) in sanctissimum Templi adytum venere; at cedentibus injuriæ & vi Sacerdotibus: at nihil tunc miserius aut tristius visum est Hebræis, quam sacra Ethnicis patefacta, inquit Josephus.

Ante Babylonicam captivitatem, nullum occurrit Ethnici alicujus exemplum, in Templum introducti, nisi fortasse Jeremiæ ætate, qui in Lamentationibus 1. 10. ita queritur: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Hoc certe de populo credi nequit, cui genus hoc injuriarum molestissimum erat. Quamobrem hæc potius explico de Templi profanatione, inductis illuc Ethnicorum Diis, eorumque Sacerdotibus. In tantis flagitiorum & impietatum turbis nullum prorsus erat inter Judæos Ethnicosque discrimen, omnisque indiscriminatim gens in Templum veniebat, ut profanos ibi Deos veneraretur.

ET OFFERTIS PANES MEOS, ADIPEM, ET SANGUINEM, ET DISSOLVITIS PACTUM MEUM. Dum exteriori ac sensibili cultu me prosequimini, flagitiis provocatis. Exteriorem cultus speciem servatis, dum fœderis mei leges sceleribus violatis.

℣. 8. POSUISTIS CUSTODES . . . IN SANCTUARIO MEO VOBISMETIPSIS. Custodes sanctionum, quas de Sanctuarii mei ministerio tuli, posuistis ministros, quales vobis placuere, ex arbitrio, ad libidinem, me non consulto, meaque voluntate spreta. Aliquid fortasse vitium innuit, quo munerum Templi distributio corrumpebatur. Neglexistis ordinem, lege mea, vel a Davide in muneribus Templique ministeriis institutum: omnia gratiæ, ambitioni, &c. dedistis.

℣. 10. LEVITÆ QUI RECESSERUNT A ME . . ℣. 11. ERUNT IN SANCTUARIO MEO ÆDITUI. Quo tempore Jeroboam notissima seditione a Davidis familia & Tribu Juda desciscens, novam in Israelis Regno religionem instituit, quam multos potuit Sacerdotes ac Levitas in superstitionem traxit. Hos igitur innuit Propheta Levitas ac Sacerdotes (12): Ii nimirum Sacerdotio non fungentur in Templo Jerosolymis post captivitatem restituto; sed vix ærarii portarumque custodes, aut excubitores, vel simile aliud munus habebunt. Ab Altari semoti, Sacerdotibus servient in variis Templi ministeriis, quæ nunc Levitis debentur, at a Sacerdotibus longe inferiora Sacerdotali dignitate existimantur. Post captivitatem, census accuratissime habitus est eorum Sacerdotum, qui familiæ suæ titulos ac nomina proferre non possent (13); iique omnes exclusi sunt Sacerdotio, carniumque pro peccato immolatarum usu, dum Propheta aliquis a Deo productus, aliter pronunciaret. Sanciverat Moyses, nequis vitio aliquo deformis (14), quamquam familia Sacerdotali satus, ad altare aut Sanctuarium accederet, minime tamen vetuit, ne cibis Sacerdotum in Templo communibus uterentur; quemadmodum neque hic vetat Ezechiel. Expleta tunc fuisse videntur ea, quæ Deus per Samuelem Ithamari posteris minitatus est, Heli Pontificem alloquens (15): *Ecce dies veniunt, & videbis æmulum tuum in Templo, in universis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus*

(4) Theodoret. Rabb. Pisc. (5) Hieronym. & Theodoret. hic; Cyrill. Jerosol. catech. 12. Ambros. lib. de Instit. Virgin. cap. 8. & ep. 42. primæ Class. nov. edit. Chrysostom. tom. 3. Homil. de S. Joan. Bapt. Bernard. homil. 2. in Missus est. Et alii passim. Vide & Interpretes Catholicos. (6) Act. xxi. 28. *Insuper & Gentiles induxit in Templum, & violavit sanctum locum istum.* (7) Joseph. de Bello Jud. lib. vi. cap. 14. & lib. vii. cap. 4 Vide & Philon. Legat. ad Caj. (8) 3. Macc. 1. 9. 10. 11. & sequenti. (9) 2. Macch. iii. 23. (10) 1. Macch. 1. 23. (11) Joseph. de Bello Jud. lib. 1. cap. 5. (12) Cornel. Sanct. Menoch. (13) 1. Esdr. ii. 62. & 2. Esdr. vii. 64. (14) Levit. xxi. 17. & seq. (15) 1. Reg. ii. 30. & seq. & iii. 14.

bus diebus . Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo; sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ moriatur, cum ad virilem ætatem venerit . . . Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet . . . Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis, dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis . Versiculus 15. ubi Sadoci familia perfidis hisce Levitis ac Sacerdotibus, Israel flagitia secutis, opponitur, illos ex Ithamari familia fuisse suadet. Meminere Regum Libri (16) Sacerdotum nonnullorum, qui ob exhibitum in sacrilegis excelsorum Juda sacrificiis ministerium, authore Josia pulsi sunt Sacerdotio, atque Altaris conscendendi jure spoliati: *Tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum*. Si quis idola coluisset, statim jus Sacerdotii amittebat, uti docent Hebræorum Juris periti (17).

℣. 15. Sacerdotes et Levitæ filii Sadoc. Hebræus (18): *Sacerdotes Levitæ*, genere Levitico. Posteri Sadoci integram Deo fidem servaverant; eorumque familia ab ipso Salomonis Regno ad finem usque, Pontificatus jure potita est. Merus Levita ex ea familia nullus erat.

℣. 16. Accedent ad mensam meam, ut panes propositionis inferant, & suffitus in aureo Altari intra Sanctum crement.

℣. 17. Cum ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur. Ingredi portas atrii interioris, idem est ac inire ministerium in atrio Sacerdotum; quo tempore Ministri, relictis consuetis vestibus, lineis induebantur, quibus uti dumtaxat in Templo fas erat (19). *Divina Religio alterum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi*, inquit S. Hieronymus.

Nec ascendet super eos quicquam laneum; quod lana ex animali sit, cui aliquid vitii inesse poterat, ipsaque ex membrana post animalis mortem tonderi potuerit. Quicquid ex re mortua erat, apud Veteres in rebus Religionis immundum censebatur, indignumque quo quis in Templis uteretur. Ægyptii Sacerdotes vestibus nonnisi lineis, & junceis soleis induebantur (20). Apud Romanos (21) *Flamini*, Jovis Sacerdoti, *non licebat neque calceos neque soleas morticinas habere*.

℣. 18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum. Pileos quosdam gerebant Hebræi Sacerdotes, circa caput vittis adstrictos. Vide Exodum xxix. 9. Leviticum viii. 13. & nos in Exodum xxviii. 4.

Feminalia linea, seu latiora cingula, instar tunicæ brevioris. Vide Exod. xxviii. 42.

Non accingentur in sudore (22). *Non violenter, arcte atque constricte, instar vinctorum, esse cingendos*, ait S. Hieronymus, *ne in ministeriis Sacerdotalibus atque Leviticis inhabiles fiant*, & sudorem exprimant. Hebræus aliter vertitur (23); Septuaginta (24): *Non accingentur violenter*. Alii: Non accingentur laneis, quæ sudorem movent (25), vel in renibus, vel in aliis corporis partibus, quæ facile sudore manant (26). Circa mammas accingentur, & sub alis (27).

℣. 19. Non sanctificabunt populum in vestibus suis, ad plebem accedentes, populumque tangentes, sacris vestibus induti; id enim populum consecraret, eumque ne communia & familiaria negotia agere posset, omnino prohiberet. Qui sacras res indigne tangit, inquinatur; qui digne ac rite, sanctus efficitur. Sacræ vestes in usum dumtaxat Domini Ministrorum erant: si quis laicus eas tetigisset, ipse purgari & flagitium expiare jubebatur. *Qui tetigerit ea, sanctificabitur*, inquit Moyses Exod. 30. 29. scilicet per antiphrasim, inquinabitur.

℣. 20. Caput non radent. Brevem comam gerebant Hebræorum Sacerdotes, ut alibi docuimus (28). Quæ hic Ezechiel de tempore ac ratione tonsuræ, Legis libri non tradunt.

Comam non nutrient; neque omnino raso vertice, velut Isidis Sacerdotes (29), neque promissis capillis, uti vulgus solet; sed forfice identidem tondebunt, at ita ut ad vivam usque cutem non radant. Hebræus (30): *Et cæsariem non dimittent*; quæ verba hic plerique ita interpretantur: Crescere non sinent, promissam non gerent. Septuaginta (31): *Comas suas non nudabunt*, ad cutem usque non radent. Theodoreto authore (32), Hebræus & Syrus ferunt: *Comas suas non nutrient*, promissas non gerent.

℣. 21. Vinum non bibet, cum in atrium Sacerdotum venerit, munere functurus. Vide nos in Leviticum x. 9. Tradit Josephus de Bello lib. 6. c. 15. Sacerdotes toto ministerii tempore vino abstinere, obsequii causa erga Religionem, nequid imprudentes in ministerio peccent.

℣. 22. Viduam aut repudiatam non accipient. Hoc Moyses uni Pontifici interdixerat (33).

℣. 25. Ad hominem mortuum non ingredientur. Vide Leviticum xxi. 1. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum*.

℣. 26. Postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. Sacerdos funere parentum inquinatus, aliorumve superiori versiculo recensitorum, quibus justa persolvere Sacerdos permittitur, septem totis diebus in labe sua erit, ex Lege (34); quibus elapsis, totidem alios dies ab ingressu atrii Sacerdotum, suique muneris exercitio removebitur (35). De septem hisce postremis diebus nihil imperabat Lex, vel Nazaræis, qui quolibet sordium genere severissima lege interdicebantur; neque desunt Interpretes, qui Sacerdotem septem dumtaxat diebus purgari, atque abesse ab Altari debuisse contendant: priori tamen explicationi magis favere videtur Textus.

℣. 27. In die introitus sui in sanctuarium . . . offeret pro peccato suo. Elapsis quatuordecim purgationis suæ diebus, ubi Sacerdos muneris sui exercitium iterum inire voluerit, hostiam pro peccato offeret. Hostiæ genus hic non traditur: at ob Nazaræorum expiationem Moyses geminas columbas imperat, alteram pro peccato, alteram pro holocausto. Num. vi. 11. 12.

Sunt qui censeant (36), tum hoc tum superiore versiculo spectari Sacerdotum purificationem, qua die initiantur, atque in sacri ministerii exercitium immittuntur. Hi decimam partem ephi similæ offerebant, teste Moyse, igne penitus absumendam, partim mane, partim vespere (37).

℣. 28. Non erit autem eis hæreditas. Nullus iis ager erit. Pars nulla in Israelitidis distributione Tribui Levi fuit; cujus pars Deus erat: alebantur vero rebus Templo oblatis, decimis

ac

(16) 4. Reg. xxiii. 9. (17) Maimon. Halac. Biar Hammikdesch c. 9. (18) הכהנים הלוים Septuag. Οἱ ἱερεῖς οἱ Λευῖται. (19) Vide Exod. xxviii. 40. & sup. Ezech. xii. 14. (20) Vide Herodot. lib. 3. c. 37. (21) Servius in Æneid. iv. (22) Joseph. lib. vi. de Bello Jud. cap. 15. in Græc. Ἐλαστήρ δὲ τὰς μυιὰς ἄχρι αἰδοίων δεδεμένον ἀκλύστως. (23) לא יחגרו ביזע (24) 70. Οὐ περιζώσονται βίᾳ. (25) Jarchi, Junius, Pisc. (26) Pag. Vat. Munst. Chald. Kimchi, Gemmarr. Massechet Sevachim c. 2. (27) Braun. de vestitu sacerdot. c. 1. art. 9. (28) Levit. x. 6. xxi. 5. (29) Juvenal. Satyr. 6. *Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.* (30) ופרע לא ישלחו (31) Septuag. Καὶ τὰς κόμας αὐτῶν οὐ ψιλώσουσι. (32) Theod. ex Heb. & Syro: Τὰς κόμας αὐτῶν οὐ θρέψουσι. (33) Levit. xxi. 13. 14. (34) Num. xix. 16. Vide & Num. vi. 9. (35) Hieron. Kimchi, Lyran. Sanct. Vatab. &c. (36) Vide Sanct. hic. (37) Levit. vi. 20.

ac primitiis, quæ a populo conferebantur (38). Hebræus (39), Septuaginta, cæteræque Versiones negantem particulam non habent: *Erit eis hæreditas*; vel: *Hæc illis hæreditas erit: ego illis hæreditas & possessio*.

℣. 30. Omnia libamenta, liquores super Domini altare fusi. Hebræus (40): *Et omnis elevatio*, quicquid coram Domino tollitur & offertur, *ex omnibus elevationibus vestris, Sacerdotum erit.* Elevationes, sive oblationes in altum sublatæ, sunt panis, simila, fructus, qui in Templum conferuntur; pectus & armus hostiæ pacificæ: atque hæc Sacerdotum erant (41).

Primitiva ciborum vestrorum. Hebræus (42): *Primitias conspersionum vestrarum*. Pais conspersionis Sacerdotibus offerri solebat. Vide nos in Numeros xv. 20.

---

(18) Vide Num. xxiii. 12. & xviii. 20. & Deuteron. xviii. 11. (19) והיתה להם לנחלה Septuag. Καὶ ἔσαι αὐτοῖς κληρονομία, ἐγὼ Κύριος. (40) וכל תרומות מכל תרומותיכם לכהנים (41) Vide nos in Exod. xxix. 24. (42) ראשית עריסותיכם Septuag. Πρωτογεννήματα ὑμῶν.

CAPUT XLV.

Locus urbis Sanctæ, domicilii Sacerdotum, Templi ac Principis. Statera, pondus, mensura æqua. Primitiæ Principi offerendæ. Sacrificia solemnium dierum.

℣. 1. Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine vigintiquinque millia, & latitudine decem
millia: sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum. 2. Et erit ex omni
parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum: & quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gyrum. 3. Et a mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, & latitudinem decem millium, & in ipso erit
templum, sanctumque sanctorum. 4. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, &
in sanctuarium sanctitatis. 5. Vigintiquinque autem millia longitudinis, & decem
millia latitudinis erunt Levitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia. 6. Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel.
7. Principi quoque hinc, & inde in separationem sanctuarii, & in possessionem civitatis, contra faciem possessionis urbis: a latere Maris usque ad Mare, & a latere
Orientis usque ad Orientem: Longitudinis autem juxta unamquamque partem a termino Occidentali usque ad terminum Orientalem. 8. De terra erit ei possessio in
Israel: & non depopulabuntur ultra principes populum meum: sed terram dabunt
domui Israel secundum tribus eorum. 9. Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis
principes Israel: iniquitatem, & rapinas intermittite, & judicium, & justitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. 10. Statera justa,
& ephi justum, & batus justus erit vobis. 11. Ephi, & batus æqualia, & unius
mensuræ erunt; ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori
ephi: juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. 12. Siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, & vigintiquinque sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt. 13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro hordei.
14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum
faciunt: quia decem bati implent corum. 15. Et arietem unum de grege ducentorum, de his quæ nutriunt Israel in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica,
ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. 16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel. 17. Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbathis, & in universis solemnitatibus domus Israel: ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum,
& pacifica ad expiandum pro domo Israel. 18. Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium. 19. Et tollet sacerdos de sanguine, quod erit pro peccato: & ponet in
postibus domus, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrii
interioris. 20. Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, &
errore deceptus est, & expiabis pro domo. 21. In primo mense, quartadecima die
mensis,

mensis, erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur. 22. Et faciet princeps in die illa pro se, & pro universo populo terræ, vitulum pro peccato. 23. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarum quotidie. 24. Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet: & olei hin per singula ephi. 25. Septimo mense, quintadecima die mensis, in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies; tam pro peccato, quam pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

℣. 1. CUMQUE CŒPERITIS TERRAM DIVIDERE SORTITO (1), SEPARATE PRIMITIAS DOMINO. Reduces post captivitatem, novam regionis divisionem institueris, aliam ab ea, quæ sub Josue habita est, cum populus Palæstinam primum ingrederetur. Ita vero distributio fiet: Primum omnium separabitur spatium cubitorum vicies & quinquies millenorum longitudine, a septemtrione ad meridiem, & decies millenorum ab oriente in occasum: vel, cubitos quinquies & vicies mille ad Templi septemtrionem, totidemque ad meridiem, Templo in media longitudine posito; cubitos decies mille ad occasum Templi, totidemque ad ortum, Templo in media latitudine (2). Quamobrem totum hoc intervallum cubitos quinquagies mille longitudinis, latitudinis vero vicies millenos complectebatur. Totus hic ager ob Templum, urbem Sanctam, Principis, Sacerdotum, Levitarum, ac populi, sedes eo loco habituri, domicilium, segregabatur. Hæc fusius explicantur Capite XLVIII. Vide Tabulam, EE, FF, GG.

Quod mensuræ genus significet, non tradit Propheta; cubitos tamen ab eo innui, post Theodoretum aliosque plures (3) arbitramur. Neque aliter explicandum esse docet ℣. 2. ubi de Templi mensuris agit. Quingentos Templo cubitos quaterno ex latere tribuit Ezechiel, tum hic, tum Capite XLII. 15. 16. Denique si perticas, non cubitos, hic intelligas, multo ampliorem aream habebis, quam unius urbis locum, & Principum & Levitarum partem, si cum reliqua regionis longitudine comparetur. Porro perticæ quinquagies mille Gallicas leucas minores conficiunt quinque & viginti, passibus bis mille & quingentis in singulas. Quamobrem si æqua singulis Tribubus agri portio tribuatur, Palæstinam trecentis circiter & quinque ac viginti leucis in longum porrectam fuisse, necesse esset, id quod omnino a vero abest: si enim Palæstinæ longitudinem ab Emath usque ad Cadesbarne metiaris, ipsomet teste Ezechiele (4), universa regio quinquaginta leucas non superat.

Cæterum ne hic postulaveris, ut absolutissime expletam rerum supremis hisce Capitibus descriptarum fidem temporibus captivitate Babylonica inferioribus demonstremus; sive enim omnia, quæ a Propheta imperantur, explere nequiverint, sive hæc a Deo ad amussim non exigi putaverint, ea certe exequi Judæi neglexere. Cæterum res viribus major non erat; ac probabile omnino est futurum fuisse, ut, si Tribus omnes simul uno animo rediissent, universaque statim regio incolas suos habuisset, descripta ab Ezechiele ichnographia, & tradita ab ipso regionis distributio servaretur. At major populi pars, concessam a Cyro facultatem ac libertatem minimi faciens, ac pluris, quam par erat, acquisitas in aliena regione sedes & consuetudines æstimans, ea facultate uti noluerunt, turmatim ac multorum annorum spatio in Palæstinam reversi; quamobrem inæquali prorsus ordine ac ratione incolas suos regio recuperavit. Inter primas dumtaxat turmas, cum Zorobabele & Esdra reversa, veteres Tribuum sedes distributæ sunt, quantum fieri pro ratione temporum potuit (5).

℣. 2. ET ERIT EX OMNI PARTE SANCTIFICATUM QUINGENTOS PER QUINGENTOS, QUADRIFARIAM PER CIRCUITUM, ET QUINQUAGINTA CUBITOS IN SUBURBANA EJUS PER GYRUM. Ex hoc spatio, in loci sancti sedem secernetur area quingentorum cubitorum undique in quadrum; & quinquaginta cubiti circa ob suburbia. Verti Hebræus potest (6): *Et erit ex hoc* spatio *pro sanctuario quingentorum cubitorum* area *in quadratum, & quinquaginta circum pro area libera.* Templum cubitos quingentos in quadratum habebat, uti vidimus (7); & ager circa Templum, inter murum atrii populi, alterumque sex cubitis editum (8), quo totus montis vertex cingebatur; hic, inquam, ager cubitis quinquagenis patebat; quamobrem postremus hic murus e quaterno latere cubitis sexcentis in longum porrigebatur. Vide Tabulam *A*.

℣. 3. ET A MENSURA ISTA MENSURABIS LONGITUDINEM VIGINTI QUINQUE MILLIUM, ET LATITUDINEM DECEM MILLIUM. Ex quingentorum horumce cubitorum centro, quod in ipso Templi meditullio erat, longitudo cubitorum quinque & viginti millium a septemtrione in meridiem, & a meridie in septemtrionem, & latitudo cubitorum decem millium ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem explicabatur, uti animadvertimus in ℣. 1. quamobrem hæc vigintiquinque millium longitudo, & latitudo decem millium cubitorum bis accipienda est, quemadmodum animadvertitur Capite XLVIII. 10. Vide Tabulam *A*, *B*, *C*, *D*, *E*.

℣. 4. SANCTIFICATUM DE TERRA ERIT SACERDOTIBUS. Pars modo descripta Sacerdotibus erit, ℣. 4. Levitis, ℣. 5. & Principi, ℣. 7. Ea in area ædificabitur Templum, Ministrorum Domini domicilium, Principis palatium, & urbs sancta, ℣. 6. At peculiaris Sacerdotum sedes erit sanctus locus, Templum quod quadrata sexcentorum cubitorum area clauditur, juncto simul spatio, circa atrium Sacerdotum expanso. Vide Caput XLVIII. 11. & Ichnographiam, *A*.

℣. 5. VIGINTI QUINQUE MILLIA ... ERUNT LEVITIS. Levitæ spatium cubitorum viginti quinque millium a septemtrione in meridiem, decem millium latitudinem ab ortu in occasum, hæreditatis loco, obtinebunt. In medio hoc spatio Templum surget; & circa Templum urbs sancta in quadratum, ex dimensionibus supra cap. XLVIII. 15.... 17. descriptis ac præterea urbs altera in usum artificum, ex alia Tribu præter Leviticam (9). Vide Tabulam *B*, *D*, *C*, *E*.

IPSI POSSIDEBUNT VIGINTI GAZOPHYLACIA, ut ibi mo-

(1) ובהפילכם את הארץ *Cum facietis cadere terram*: Sortem innuere videtur: at familiaris ea est in hisce rebus dicendi forma: cæterum hæc distributio procul dubio per sortem acta non est. Vide infra ℣℣. 1. 2. 3. Capitis XLVIII. (2) Vide Ezech. XLVIII. 9. 10. (3) Sanct. Tirin. Jan. Castal. (4) Ezech. XLVII. 17. 19. (5) Vide 1. Esdr. III. 1. & 2. Esdr. III. & VIII. 1. & XI. 1. & 3. *Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, Sacerdotes & Levitæ, &c.*
(6) יהיה מזה אל הקדש חמש מאות בחמש מאות מרבע סביב וחמשים אמה מגרש לו סביב (7) Ezech. XLII. 16.
(8) Ezech. XL. 5. (9) Ezech. XLVIII. 18. 19.

morentur, dum Templo inserviunt. Hebræus (10): *Ipsis in possessionem viginti cubicula*, viginti domicilia in usum janitorum, cantorum, aliorumque Templi Ministrorum. Aliter legisse videntur Septuaginta (11): *In possessionem urbes, ut habitent*. At universa orationis series satis docet, aliquid e Lege Moysis detrahi, quæ urbes aliquot in sedem Levitis largitur: unica hic illis traditur, cubitorum in quadro quingentorum (12), ac duodeviginti millium per circuitum (13). Ichnographia, *B*.

℣. 6. Possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, et viginti quinque millia longitudinis ... omni domui Israel. In Levitarum hæreditate; decem millium cubitorum latitudo sumetur, quinque scilicet millium ab occasu, totidemque ab ortu, & vigintiquinque millium longitudo a septemtrione ad meridiem, in populi sedem, urbem sanctam frequentantis. Hanc divisionem luculentissime innuit infra Caput xlviii. 15. 18. 19. Vide Ichnographiam seu Tabulam *FF*.

Secundum separationem Sanctuarii. Vel, ex septuaginta Interpretum sententia: *Quemadmodum id quod est Templo destinatum*. Sanctus erit hic locus, non secus atque reliqua Levitarum hæreditas. At infra (14) solum hoc profanum appellatur. Vertendum igitur est ex Hebræo (15): Solum hoc urbi destinatum erit, quæ futura est sedes filiorum Israel, *secus spatium separatum ab Sanctuarium*. Revera horum Israelitarum urbs e regione & secus Templum Domini urbemque a Levitis occupatam jacebat. Tabula *EE*, *FF*.

℣. 7. Principi quoque hinc et inde locum dabis, ex utraque parte possessionis Levitarum ad ortum & occasum. Hujus partis latitudo a septemtrione ad meridiem, & longitudo ab occasu ad ortum sumetur. Ut hæc probe teneas, inspice Tabulam *GG*, & ℣. 21. Capitis xlviii. ubi Principis locus in geminas æquas partes divisus cernitur, quæ pariter spatium cubitorum vigintiquinque millium longitudine, latitudine vero viginti millium conficiunt; unaquæque vero pars cubitos duodecies mille & quingentos complectebatur, viginti millium latitudine. Tabula *GG*.

℣. 8. Et non depopulabuntur ultra populum. Certa Principibus sedes certusque census decernitur, infra, ℣℣. 13. 14. 15. neque illis sit populum vexandi ac diripiendi causa, dum sumptus causantur sibi necessarios, utpote gentis universæ Principibus, quos necesse sit plura in usum sacrificiorum comparare, ℣. 17. &c. Vide apud 1. Reg. Lib. viii. 11. & seq. *jus Regis*, & quid Reges a subditis exigere solerent.

Sed terram dabitis Domus Israel, ex Tribuum ordine. Divisionem hanc non fortuita sors, sed Princeps instituet, ex uniuscujusque Tribus ordine & amplitudine.

℣. 9. Separate confinia vestra a populo, neque imbecilliorum hæreditates invadite, dum agrum vestrum ex finitimorum agris augetis. Septuaginta (16): *Separate violentias vestras a populo meo*. Chaldæus (17): *Auferte offendicula vestra*. Interpretes plerique reddunt Hebræum (18): *Exactiones*, tributa & vectigalia, quæ iniquissime a populo exigitis.

℣. 11. Ephi et batus æqualia, et unius mensuræ erunt. Utraque hæc mensura pars cori decima erat. Porro corus seu chomer pintas continebat 298. hemipintam, hemisextarium, & aliquanto amplius, ephi & batus pintas 29. hemipintam, quartam & octavam pintæ partem; & paulo amplius. Totum hunc locum, qui de mensuris Hebræorum est, male omnino reddiderunt Septuaginta. Pondera, mensuras & numismata, quibus post captivitatem usurus erat populus, accuratius describit Ezechiel, ne populus, Chaldæorum mensuris ac ponderibus assuetus, ea in Palæstinam transferret.

℣. 12. Siclus autem viginti obolos habet. Hebræus (19): *Siclus viginti gerah*. Siclus ad Gallicum numisma solidos habebat duos & triginta, denariolos quinque, atque ex octo denarioli partibus tres.

Viginti sicli, et vigintiquinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt. Brevius dixisset: *Sexaginta sicli mnam faciunt*. Quamobrem mina libras Gallicas continebat 97. solidos sex, denariolos decem & dimidium.

℣. 13. Et hæ sunt primitiæ, quas tollatis (20). Offeretis, separabitis, Principi exhibendas (21): tributum hoc Principi exhibebitis; levissimum certe si cum iis conferantur, quæ in primo Regum Libro iii. (viii.) 15. 17. Rex a populo exacturus dicitur, varia scilicet servitia operasque ab hominibus ac jumentis, atque ex agris & gregibus decimas.

Sextam partem ephi de coro frumenti. Pro singulis tritici coris vel chomerim, sextam ephi partem Principi, sexagesimam nimirum ex tritico cæterisque leguminibus; unum e sexaginta manipulis, e sexaginta chomerim unum, &c.

℣. 14. Mensura quoque olei, pars sexagesima; unus e sexaginta coris. Olei mensura batus est, tritici ephi; eadem tamen est & bati & ephi capacitas. Vel (22): *Hæc mensura olei; batum olei* accipiet Princeps *ex coro; decem bati* sunt *corus*. Ex oleo decima pars Principi dabatur. Hæc sententia probatissima est inter omnes (23).

℣. 15. Arietem unum de grege ducentorum, ex iis gregibus quos alit populus. Ex bestiis sacrificio aptis, ceu bobus, arietibus, hœdis, Princeps decimas habebit, unam scilicet ex ducentis: illius tamen erit sacra facere, quæ recensentur hic & ℣. 27.

℣. 17. Et super Principem erunt holocausta. Jam ante captivitatem id servabatur, ut diximus alibi (24): incertum tamen: utrum ex Principis officio, an ex privata religione. Salomon (25) & Ezechias (26) id magno sumptu agebant; Redux e captivitate populus tertiam sicli partem in singula capita tributi nomine indixit, ut consuetorum sacrificiorum sumptibus consuleret (27); quæque hic Ezechiel præscribit neglecta fuere.

℣. 18. In primo mense, una mensis ... expiabis Sanctuarium. Vel, Sacerdotibus qui tunc futuri sunt, imperabis, ut Sanctuarium expient cruore vituli immolati ea ratione, quæ hic & proximo statim versiculo describitur. Ritus hic nusquam apud Moysem legitur, ac novus omnino videtur; imo neque servatum post captivitatem invenimus. Celebrandus erat quotannis prima & septima die mensis primi anni sancti, ut Templum & Altare sordibus filiorum Israel purgaretur, ipsique ad Pascha Domini, die decimaquarta ejusdem mensis peragendum, dignius pararentur, ℣℣. 21. 22.

℣. 19. In quatuor angulis crepidinis altaris. Plures erant Altari crepidines, seu limbi, uti vidimus (28). Singuli harum crepidinum, vel tantummodo superioris, anguli cruore liniebantur.

℣. 20.

(10) להם לאחזה עשרים לשכות (11) Εἰς κατάσχεσιν πόλεις τοῦ κατοικεῖν. (12) Ezech. xlviii. 16. (13) Ibid ℣. 15. (14) Ezech. xlviii. 15. *Prophana erunt urbis in habitaculum, & in suburbana.* (15) לעמת תרומת הקדש (16) Ἐξάρατε τὰς καταδυναστείας ἀπὸ τοῦ λαοῦ μου. (17) סלקו תקלתכון (18) הרימו גרשתיכם Vide Pagn. Mont. Munst. Cast. Vatab. &c. (19) והשקל עשרים גרה (20) זאת התרומה אשר תרימו (21) Vide ℣. 16. *Omnis populus terræ tenebitur primitiis his Principi in Israel.* (22) וחק השמן הבת השמן מעשר הבת מן הכר עשרת הבתים חמר (23) Chald. Menoch. (24) Vide 2. Par. xxxi. 3. (25) 3. Reg. 12. 23. (26) 2. Par. xxxi. 3. (27) 2. Esdr. x. 32. 33. (28) Ezech. xliii. 14.

℣. 20. SIC FACIES IN SEPTIMA MENSIS primi, die septimo ante Paschatis Festum. Septuaginta (29): *Et ita facies in mense septimo, prima mensis*, qua die Festum buccinarum habebatur (30).

℣. 25. SEPTIMO MENSE, QUINTADECIMA DIE MENSIS. In solemni Tabernaculorum Festo eadem hæc omnia faciet (31) quæ supra de Paschate dicta sunt: eumdem victimarum numerum, idemque genus, & iisdem ritibus per totam octavam ea die Princeps offeret.

(29) Καὶ οὕτως ποιήσεις ἐν τῷ μηνὶ τῷ ἑβδόμῳ, μιᾷ τοῦ μηνός. כן תעשה בשבעה בחדש (30) Num. xxix. 1.
(31) Num. xxix. 12. & sequ.

CAPUT XLVI.

Leges de aperienda orientali porta atrii Sacerdotum. Qua porta Regi populoque in Templum veniendum sit, & qua egrediendum. Varia sacrificiorum genera. Templi culinæ.

℣. 1. HÆC dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, quæ respicit Orientem,
erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbathi aperie-
tur, sed & in die Calendarum aperietur. 2. Et intrabit princeps per viam vesti-
buli portæ deforis, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustum ejus,
& pacifica ejus: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non clau-
detur usque ad vesperam. 3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in
Sabbathis, & in Calendis, coram Domino. 4. Holocaustum autem hoc offeret prin-
ceps Domino; in die Sabbathi sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum. 5.
Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus:
& olei hin per singula ephi. 6. In die autem Calendarum vitulum de armento im-
maculatum: & sex agni, & arietes immaculati erunt. 7. Et ephi per vitulum, ephi
quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus ejus:
& olei hin per singula ephi. 8. Cumque ingressurus est princeps, per viam vesti-
buli portæ ingrediatur, & per eandem viam exeat. 9. Et cum intrabit populus ter-
ræ in conspectu Domini in solemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, ut
adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ
Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertetur per viam portæ,
per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. 10. Princeps autem in me-
dio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur. 11. Et
in nundinis, & in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arie-
tem: de agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus: & olei hin per sin-
gula ephi. 12. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica
voluntaria Domino, aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, & faciet holocau-
stum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die Sabbathi: & egredietur; claude-
turque porta, postquam exierit. 13. Et agnum ejusdem agni immaculatum faciet
holocaustum quotidie Domino: semper mane faciet illud. 14. Et faciet sacrificium
super eo cata mane sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut mi-
sceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, juge, atque perpetuum. 15. Faciet
agnum, & sacrificium, & oleum cata mane mane: holocaustum sempiternum. 16.
Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis, hæreditas
ejus, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. 17. Si autem dederit le-
gatum de hæreditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissio-
nis, & revertetur ad principem: hæreditas autem ejus filiis ejus erit. 18. Et non
accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed
de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis: ut non dispergatur populus meus unus-
quisque a possessione sua. 19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere
portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: &
erat ibi locus vergens ad Occidentem. 20. Et dixit ad me: Iste est locus, ubi co-
quent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant
in atrium exterius, & sanctificetur populus. 21. Et eduxit me in atrium exterius,
& circumduxit me per quatuor angulos atrii: & ecce atriolum erat in angulo atrii,
atriola singula per angulos atrii. 22. In quatuor angulis atrii atriola disposita,
qua-

quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant. 23. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: & culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum. 24. Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

℣. 1. PORTA ATRII INTERIORIS, QUÆ RESPICIT AD ORIENTEM, CLAUSA ERIT SEX DIEBUS. Vide supra XLIV. 2.

℣. 2. INTRABIT PRINCEPS PER VIAM VESTIBULI PORTÆ DEFORIS. In limine vestibuli portæ orientalis atrii interioris stabit, ingredi minime ausus. Vide supra XLIV. 2.

℣. 4. SEX AGNOS IMMACULATOS ET ARIETEM. Binos dumtaxat agnos sabbatho plusquam cæteris diebus, Moyses imperaverat. Num. XXVIII. 9.

℣. 5. SACRIFICIUM EPHI PER ARIETEM. Hebraicam vocem *minchah* (1), quæ similam significat, nunquam non junctam cruentis sacrificiis, vertit *sacrificium* tum hic, tum Capite superiori ℣. 24. Ephi pintas 29. capiebat, hemipintam, hemisextarium, octavam pintæ partem, & aliquanto amplius. *Hin*, quæ mensura erat olei similæ inspergendi, pintas quatuor, hemipintam, hemisextarium, octavam pintæ partem, quinque uncias cubicas, & paulo amplius.

IN AGNIS AUTEM SACRIFICIUM QUOD DEDERIT MANUS EJUS. Hebræus (2): *Et pro singulis agnis dabit in oblationem munus manus suæ*. Circa agnos, olei & similæ mensuram non decernit, sed singulorum religioni relinquit. Vide ℣℣. 7. & 11. ubi eadem res legitur.

℣. 6. IN DIE CALENDARUM VITULUM . . . ET SEX AGNI ET ARIETES. Hebræus (3); *In die mensis vitulus, & sex agni, & aries*. Pro calendarum sacrificio Moyses Num. XXVIII. 11. vitulos binos, arietem & septem agnos præscripserat. Singulis vitulis addendi erant tres assarones similæ oleo conspersæ; singulis arietibus gemini assarones, singulis agnis singuli. *Assaron* decima pars erat *ephi*, quam farinæ mensuram in singulos vitulos & arietes, addito hin olei unicuique *ephi*, decernit hic Ezechiel ℣. 7.

℣. 9. NON REVERTETUR PER VIAM PORTÆ, PER QUAM INGRESSUS EST, ne humeros Templo vertat, & obsequium testetur; fortasse etiam ut turbæ, nimiusque ad januas concursus prohiberetur. Hac tamen lege Princeps non tenebatur, cui per eamdem portam ingredi atque egredi fas erat, uti Ezechiel animadvertit (4).

℣. 10. PRINCEPS IN MEDIO EORUM CUM INGREDIENTIBUS INGREDIETUR, ET CUM EGREDIENTIBUS EGREDIETUR. Princeps in Templum cum populo veniet, simulque cum illo aliqui per eamdem portam ingredientur & egredientur. Principis sedes erit in ipso atrii Sacerdotum ingressu, in porta vestibuli; at per eamdem, qua populus, portam ingredietur & egredietur, atque inde in domum suam proficiscetur. Animadvertendum est, ante captivitatem Regibus Juda peculiarem fuisse portam e Regiis ædibus in Templum, uti Paralipomena, & Templi Ichnographia docent; porta occidentalis Principi tantummodo deserviebat. At in secundo Templo ab Ezechiele descripto, nullæ ab occidente portæ futuræ erant. Nullas certe ex eo latere describit Ezechiel; neque in ea parte Principis ædes esse debebant; longeque ab ea aberant in nova regionis distributione (5). Rex ad Templum accedebat, egrediens ingrediensque, more cujuslibet e vulgo. Sedes illi erat sub porticu atrii Sacerdotum, ipsique licebat per eamdem portam egredi, qua venerat, & orientalem atrii hujus portam recludere, cum is aliquod privatæ religionis sacrificium offerret.

℣. 11. IN NUNDINIS ET IN SOLEMNITATIBUS ERIT SACRIFICIUM EPHI PER VITULUM. Hebræus (6): *In Festis, & in conventibus erit oblatio ephi similæ*. Repete quæ supra ℣. 7.

℣. 12. CUM AUTEM FECERIT PRINCEPS SPONTANEUM HOLOCAUSTUM .... APERIETUR EI PORTA QUÆ RESPICIT AD ORIENTEM. Porta, quæ totius hebdomadæ tempore clausa est, Principi aperietur, cum is sacrificium aliquod privatæ religionis præter legem obtulerit.

℣. 13. AGNUM FACIET HOLOCAUSTUM QUOTIDIE DOMINO. Illud hic holocaustum tantummodo significat, quod mane singulis diebus ante cætera sacrificia cremabatur: at alterum simile quotidie in vesperis eodem ritu fiebat (7).

℣. 14. FACIET SACRIFICIUM SUPER EO CATA MANE MANE, SEXTAM PARTEM EPHI. Locutio hæc, *cata mane mane*, singulis diebus mane, ex Græco *cata*, & Latino *mane* conflata est. Hebræus (8): *In mane, in mane*. Agno in holocaustum cremato addebatur sexta pars ephi similæ, & tertia pars hin olei, scilicet pinta una & dimidia, octava pintæ pars, uncia cubica, & paulo amplius.

℣. 16. SI DEDERIT PRINCEPS DONUM ALICUI DE FILIIS SUIS, HÆREDITAS EJUS FILIORUM SUORUM ERIT. [17]. SI AUTEM DEDERIT LEGATUM (9), &c. Altera Lex Principi Israelis. Certum illi agrum hæreditatis loco dederat Deus (10), secus Leviticum. Hanc hæreditatem Regis semper familia obtinebit, mutato nunquam domino. Soli hujus partem largiri quidem poterit Rex filio, qui hæreditario jure in posterum illa fruetur. At partem hæreditatis distraxisse non dicitur, cum hæreditas extra familiam non vagetur. Quod si quam terræ suæ partem subdito tradat, hic ad annum usque jubilæum ea potietur; quo demum anno fundus ad Regem redibit, ex Mosaicæ Legis mente (11), quæ Tribuum singularum hæreditatem denique ad dominum reverti jubet.

℣. 19. ET INTRODUXIT ME PER INGRESSUM, QUI ERAT EX LATERE PORTÆ, IN GAZOPHYLACIA SANCTUARII. Ingressus est Propheta per septemtrionalem atrii Sacerdotum portam, ubi paulo antea Dei gloriam viderat, atque omnia, quæ a Capite XLIV. ℣℣. 4. 5. hucusque leguntur, audiverat. Ex hac porta (Tabula *Q*) in vestibulum venit per portam ad latus positam in parte ædium Sacerdotibus data, secus hanc ædificii alam (*S*); (12) ad vestibuli dexteram, occidentem versus. In extrema horum conclavium parte, ad occidentem, locum vidit Ezechiel, ubi carnes victimarum pro peccato coquebantur (*T*): *Et erat ibi locus vergens ad occidentem*. ℣. 20. *Iste est locus, ubi coquent Sacerdotes pro peccato & pro delicto*. Non quarumlibet victimarum carnes ibi coquebantur, cum peculiares iis culinæ essent (*PP*) (13); sed eæ solummodo, quas in interiori atrio, & a sanctificatis Sacerdotibus absumi necesse erat. Hujusmo-

[1] מנחה איפה Septuag. Θυσίαν καὶ πέμμα, *Sacrificium & collisionem*. [2] לכבשים מנחה מתת ידו [3] ביום החדש פר . . . וששה כבשים ואיל תמימים Septuag. Μόσχος, . . . καὶ ἓξ ἀμνοί, καὶ κριός. [4] Sup. XLIV. 2. & XLVI. 2. 5. [5] Ezech. XLVIII. 21. [6] בחגים ובמועדים תהיה המנחה Septuag. Ἐν ταῖς ἑορταῖς, καὶ ἐν ταῖς πανηγύρεσιν. [7] Levit. VI. 9. *Hæc est lex holocausti: cremabitur in altari tota nocte usque mane*. [8] בבקר בבקר Septuag. Τὸ πρωῒ πρωΐ. [9] וכי יתן מתנה מנחלתו Septuag. Ἐὰν δῷ δόμα. [10] Ezech. XLV. 7. [11] Levit. XXV. 10. 11. *Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad familiam pristinam, quia Jubilæus est*. [12] Vide supra XLII. 13. [13] ℣. 21. 22. 23. 24.

jusmodi erant partes victimæ ob peccata vel delicta, & similes oblationes iis additæ. Has extra atrium Sacerdotum deferri, veritum erat (14); idemque hic vetat Ezechiel: *Ut non efferant* Sacerdotes *in atrium exterius, & sanctificetur populus*; exterior sanctitas, quam contactis rebus sacris referet, illum communibus societatis officiis imparem efficiat, illumque purgari cogat labe, quam involuntario etiam carnium sanctarum contactu retulerit. Vide supra XLIV. 19. Leviticum, VI. 26. Par omnino peccatum est, si vel sancta tetigeris, quæ non licet; vel impura, quorum contactu interdiceris.

℣. 21. EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS..., ET ECCE ATRIOLUM ERAT IN ANGULO ATRII; atria minora ad singulos atrii hujus angulos, sub dio, cubitorum quadraginta longitudine, latitudine triginta, in quibus nutriebatur ignis ob coquendas hostiarum pacificarum partes, quas hostias pia privatorum religio in Templo offerebat; ex iis pro partibus convivia familiæ, amicis, pauperibus, viduis, orphanis, in Templo & coram Domino instruebantur.

℣. 22. ATRIOLA DISPOSITA, Hebræus (15): *Atriola alligata*. cum reliquo ædificio juncta; vel potius, atria fumosa; ideirco quod, cum ex ætate nullus esset caminorum usus, quales nostris temporibus fumo extra domum ferendo viam præbent, fumus tunc libere vagaretur; quamobrem necesse erat, ut atrii parietes fumo nigri essent. Septuaginta aliter legunt, redduntque (16); *Aulæ parvæ*.

℣. 23. ET PARIES PER CIRCUITUM..., ET CULINÆ FABRICATÆ ERANT SUBTER PORTICUS. Hebræus (17): *Et series erat circa atria, & culinæ erant subter eas series circa*. Septuaginta censuere, circum atria fuisse porticus (18). Mihi tamen magis probatur, ibi fuisse longo ordine caminos, ubi excitabatur ignis, vel focos, quibus lebetes imponebantur.

[14] Levit. VI. 26. *Ipsa est lex hostiæ pro peccato..., Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi, quicquid tetigerit carnes ejus sanctificabitur*. Vide & Num. XVIII. 9. [15] חצרות קטרות
[16] Αὐλὴ μικρά. Legunt חצרות קטנות [17] וטור סביב בהם ומבשלות עשוי מתחת הטירות סביב
[18] Καὶ ἐξέδραι κύκλῳ αὐτῶν. Aquil. Στιβάδες, *accubita*; Summ. Περιφράγματα, *separationes*.

CAPUT XLVII.

Fons sub Orientali porta Templi scaturiens, & progrediendo crescens, defluit in mare mortuum, ejusque aquas dulces facit. Terra sancta, Israelitis atque exteris distribuenda, limites.

℣. 1. ET convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem; aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. 2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam, quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes a latere dextro.
3. Cum egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos. 4. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua; 5. Et mensus est mille,
& traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. 6. Et dixit ad me: certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis. 7. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. 8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, &
exibunt, & sanabuntur aquæ. 9. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & vivent omnia, ad quæ venerit torrens. 10. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ, 11.
In littoribus autem ejus, & in paludibus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.
12. Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum; non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam. 13. Hæc dicit Dominus Deus; Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Joseph duplicem funiculum habet. 14. Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus: super quam levavi manum meam, ut darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem: 15. Hic est autem terminus terræ: ad plagam Septemtrionalem, a mari magno via Hethalon, venientibus Sedada, 16. Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci, & confinium Emath, domus Tichon, quæ est juxta terminum

minum Auran. 17. Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon, terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem: terminus Emath plaga Septemtrionalis. 18. Porro plaga Orientalis de medio Auran, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israel, Jordanis disterminans ad mare Orientale. Metiemini etiam plagam Orientalem. 19. Plaga autem australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades: & torrens usque ad mare magnum: & hæc est plaga ad Meridiem australis. 20. Et plaga Maris, mare magnum a confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga Maris. 21. Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel. 22. Et mittetis eam in hæreditatem vobis, & advenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: & erunt vobis indigenæ inter filios Israel: vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel. 23. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

℣. 1. CONVERTIT ME AD PORTAM DOMUS, ET ECCE AQUÆ EGREDIEBANTUR SUBTER LIMEN DOMUS. Peragrato populi atrio (1), per portam septemtrionalem in atrium Sacerdotum ducitur Ezechiel; utque ad Templi portam pervenit, fontem vidit, sub orientali ea porta scaturientem, cujus aquæ ad meridiem altaris holocaustorum præterlabentes, atque ad dexterum Templi latus (2); & ad lævum iis, qui ore vestibulum versos & altare prædictum starent, ab occasu in ortum fluebant, & in vallem Cedrun manantes, denique in mare mortuum desinebant.

Nemo certe est, qui Templum aquis hisce, quales hic describuntur, rigatum fuisse contendat; siqua enim scaturigo sanctum locum rigasset, frustra Salomon tanto sumptu & mare æneum & cæteros luteres, continendis in Templi usum aquis conflari jussisset. Similis fontis meminere nonnulli ex Prophetis; & recentiores quidam Templum fontibus nonnullis riguum fuisse ajunt. At illorum verba tropice explicanda sunt, non secus atque hæc Ezechielis; hi aquas innuunt Jerusolymam atque in Templum, paulo ante excidium, derivatas. Joel III. 18. futurum aliquando vaticinatur, ut *stillent montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes Tribus Juda eant aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*. Zacharias XIV. 8. *Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale, medium earum ad mare novissimum*, occidentale: *in æstate & hyeme erunt*. Si veras aquas in Templo futuras post captivitatem significabant, cur Zacharias, Jerosolymis post captivitatem vivens, de hac scaturigine veluti olim futura loquitur? Secundum Templum videbat Zacharias; Joel Salomonicum; uterque fontem e Templo egressurum prædicunt: verus igitur fons neque in primo neque in secundo Templo fuit. Quamobrem pro eo fonte gratiam & doctrinam Evangelii, Sancti Spiritus effusionem, sacras Baptismatis aquas intelligi necesse est. Dogmata sua interdum Christus cum fonte comparavit; se vero ipsum aquæ vivæ fontem esse tradidit (3).

Piscinas in Templo positas narrat Aristæas (4) & Eupolemus (5): quorum primus uberem adeo ibi esse ait aquarum copiam, per canales sub Templi solo effossos assidue fluentium, ut perennis fontis loco haberentur, earumque stillicidia ad stadia quinque, passus nempe 625. porrigi. Asserit vero, sese doctum fuisse in locum stadiis quatuor a Templo dissitum, unde aquarum fragor, per plumbeos subterraneos canales in Templum fluentium, exaudiebatur, ex quo ingentem illarum copiam, ceu perspicuo argumento, intellexit. Hæc tamen esse nequeunt quæ a Prophetis describuntur, nisi illos hyperbolicis locutionibus rem maxime simplicem auxisse putes.

Tacitus Annal. l. 5. luculentius fontem in Templo perennem tradit: *Templum in modum arcis, propriique muri, labore atque opere ante alios. Ipsæ porticus, quis Templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes & piscinæ, cisternæque servandis imbribus*. Has tamen aquas eo ductas a Pilato credimus, paulo ante Romanorum obsidionem, & urbis Templique excidium, ut innuit Josephus de bello l. 2. c. 13. Hujusmodi fortasse aquæ sunt, quæ a Viatoribus (6) & indigenis *Fons signatus* appellantur, describuntur piscinæ & ductus, & Salomonis opus esse creduntur. Porro hic fons leuca una & dimidia a Bethleem abest ad meridiem, in Hebronis itinere. Tres ibi sunt scaturigines, quæ iterum sese colligentes, in varias tres piscinas manant, quarum prima quadringentis passibus infra ad meridiem jacet, longitudine passuum centum amplius & quinquaginta, latitudine, centum, quinque vel sex perticarum altitudine, quadratis lapidibus undique constructa, & in imo induta arenato. Aquæ ex hac piscina in alteram fluunt, deinde in tertiam, ex qua per aquæductum lapideum, sesquipede latum undique, Jerosolymam usque, tribus leucis dissitam feruntur: at ipsius aquæductus ambitus decem leucas superat, cum per montes vagetur. Maxima hujus aquæ pars ad Turcicum Delubrum desinit, quod Salomonis Templum nuncupant; reliqua ad Xenodochium, ubi olim Salomonis Regiam fuisse existimant. Nemo tamen dixerit, hos aquæductus, atque has aquas intra Jerosolymam ac Templum derivatas, a Prophetis innui, nobiliora enim sunt verba & adjuncta, quibus illas describunt, quam ut communibus aquis conveniant. Hi procul dubio *fontem aquæ salientis in vitam æternam* (7) innuebant. De aquis erumpentibus e templo vide D'Arvieux lib. 2. pag. 231.

℣. 2. EDUXIT ME PER VIAM PORTÆ AQUILONIS . . . AD VIAM QUÆ RESPICIEBAT ORIENTEM. Per septemtrionalem atrii Sacerdotum portam prodiit Ezechiel, quod orientalis clausa esset, uti supra vidimus. Circum eundum igitur fuit, ut ad exteriorem portæ orientalis frontem perveniret, & aquæ ex eo latere fluentis, magnoque impetu ex ea porta exundantis, cursum sequeretur: *Ecce aquæ redundantes ex latere dextro*.

℣. 3. CUMQUE EGREDERETUR VIR AD ORIENTEM e Templo, secus aquas mensus est mille cubitos, quo spatio aqua Prophetæ talum non superabat, nudis pedibus procul dubio ambulantis, cum ex atrio Sacerdotum egrederetur.

℣. 5. QUIA INTUMUERANT AQUÆ, &c. Hebr. (8): *Quia intumuerant aquæ, aquæ natatiles, quæ vadari nequeunt*. Adeo creverant aquæ, ut nonnisi

[1] Ezech. XLVI. 21. [2] *Ad latus templi dextrum, ad meridiem altaris.* [3] Joan. IV. 13. 14. VII. 38. Vide Isai. XII. 3. & LV. 1. [4] Aristæas, lib. de septuag. Interpret. [5] Eupolem. apud Euseb. lib. 9. Præparat. [6] Roger, Voyage de Terre-sainte, livre 1. c. 14. p. 113. & 220. Vide & Maundrel Voyage de Jerusalem p. 148. [7] Joan. IV. 14. [8] כי גאו המים מי שחו נחל אשר לא יעבר

natatu superari possent. Septuaginta (9): *Quoniam excrevit* (exundavit) *aqua, ut impetus torrentis, quem non trajicient.*

¥. 8. AQUÆ ISTÆ QUÆ EGREDIUNTUR AD TUMULOS SABULI ORIENTALIS, ET DESCENDUNT AD PLANA DESERTI, INTRABUNT MARE, ET EXIBUNT. Hebræus (10): *Aquæ istæ quæ egrediuntur limitem versus, ad orientem, descendunt in desertum* (vel in agrum), *& venient ad mare, ad mare egressus.* Sunt qui censeant, aquas e Templo egredientes, in duos ramos divisas fuisse, quorum alter ad mare Galilææ, nomine *Gelilah* seu confinii, & *maris orientalis* designatum, ferebatur, alter in *mare deserti* (11), in mare mortuum, quod *mare egressus* dicitur, quod eo influat Jordanes. Censent alii, verba hæc ex simili Zachariæ Prophetæ loco (12) explicanda esse, prædicentis futurum ut aquæ Jerosolymis prodeuntes dividantur, & partim in mare orientis, quod Hebræis est *Mare Tiberiadis,* influant, partim in *mare posterius,* scilicet Mediterraneum, ad occidentem Palæstinæ. Nos tamen hæc non probamus, dicimusque, unum mare mortuum sub omnibus hisce nominibus *maris orientalis, maris deserti,* vel *Araba,* esse intelligendum I. Enim Mare mortuum nihilo minus orientale est Jerosolymæ, quam Tiberiadis; neque ullum occurrit argumentum, quo mare Tiberiadis mare orientis appellatum fuisse doceamur; at Sodomæ Lacus hoc nomine donatur infra ¥. 18. II. Aquæ natura sua Jerosolymis labuntur in Mare mortuum, cujus locus humilior est Jerosolymæ situ; eo etiam addito, quod iter ab urbe ad illud mare non ita montibus impeditur. III. *Gelilah,* seu confinii, vel tumulorum (13) appellatione designatur regio secus Jordanem, non longe a mortuo mari, ubi Israelitæ trans Jordanem incolentes, expugnata Chananitide, altare statuerunt, ut æternum esset monumentum conjunctionis suæ cum Israelitis cis amnem positis (14), eumque locum Eusebius & S. Hieronymus in Tribu Beniamin collocant. IV. Denique nihil habet Propheta toto hoc Capite, quod eas aquas in duplicem ramum sese dispercuisse significet; ac dumtaxat aquarum meminit in mare mortuum seu Lacum Sodomæ influentium. *Et sanabuntur aquæ* maris mortui, subdit Ezechiel, ex hujusmodi aquarum commercio. Lethiferum animalibus saporem, & amaritiem, ex quibus celeberrimum est illarum nomen (15), amittent.

¥. 9. ERUNT PISCES MULTI SATIS, ubicumque hæ aquæ fuerint. Sodomæ Lacus pisces nullos patitur: *Nullum corpus animalium recipit,* inquit Plinius.

VIVENT OMNIA, AD QUÆ VENERIT TORRENS. Humus, quam rigaverit, quantumvis sterilis & ingrata, uberrima statim & fœcunda efficietur. Sanari, vel in vitam revocari tunc dicitur terra, regio, aliudve quidlibet malum, perniciosum, inutile, eversum, ubi restauratur, melioremque in conditionem convertitur. Ea regio aquis scatebat amaris, perniciosis, sterilitatem afferentibus in ea loca, quæ ipsis rigabantur; nitro enim acerrimo, quo abundabant, illa complebant. Tales habebat aquas Sodomæ Lacus, fons Elisæi prope Jerichuntem 4. Reg. II. 19. aquæ amaræ, quas Moyses correxit Exod. XV. 23.

¥. 10. AB ENGADDI USQUE AD ENGALLIM SICCATIO SAGENARUM ERIT. Mare mortuum tam uberi piscium copia abundabit, ut illius oræ piscatorum retibus undique occuperentur. *Engaddi,* authore S. Hieronymo, circa meridionalem hujus maris oram jacebat, *Engallim* in opposita ad septentrionem (16). Putat vero, cum reliquo Interpretum vulgo, Engaddi eamdem esse ac Thamar, quæ infra legitur ¥. 19. At contrariam huic sententiam ibi tuebimur. Engallim ex hoc tantum Ezechielis loco noscitur. Septuaginta legunt *Agallim,* vel *Enaglim,* seu *Enagallim.* S. Hieronymus in Libris de Locis Hebraicis ait, *Agallim* sive *Ægallim* in Moabitide contineri, octo millibus passuum ab Areopoli, ad meridiem. Putat vero jure optimo, hanc ab Isaia XV. 8. in vaticinio adversus Moabum significari. Certe tamen hujus non meminit hoc loco Ezechiel; sed potius Gallim, urbis Beniamiticæ, quam Isaias XXV. 44. cum Bethel & Anathoth conjungit. Vide I. Reg. XXV. 44. *Engallim* sonat *Fontem Gallim,* eaque prope Jordanis ostia in mare mortuum influentis collocatur.

¥. 11. IN LITORIBUS ET IN PALUSTRIBUS NON SANABUNTUR. Mare mortuum secus litora & in paludibus, ubi resides stagnant aquæ, salem & amaritiem retinebit. Porro hæc loca in regionis commodum relinquentur, ut sal suppeditent, sive asphaltum; solent enim Hebræi salis nomine nitrum, asphaltum, naphtam, bitumen, salem, & tali similia significare. Hoc ex integra verborum fide adamussim non evenisse, jam animadvertimus; at prius explicandum est ex verborum sono, ut deinde ad moralem tropicumque sensum gradus fiat. Hi maris Sodomæ anguli, hæ palodes, quæ salubrium aquarum mistione nunquam correctæ sunt. Schismaticos & Hæreticos designant, Christi spiritu non viventes, ab Ecclesia segregatos, malosque Christianos, qui Ecclesiæ dedecori sunt, cujus membra sunt, sed corrupta & sanie manantia.

¥. 12. ERUNT FRUCTUS EJUS IN CIBUM. Fructus, quos ejus maris oræ ferent, iidem non erant, qui nunc sunt, intus atri fœtidoque pulvere pleni (17): *Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere; atra & inania, velut in cinerem vanescant.* Sodomæ humus, damnata olim & exusta, pulcherrimas arbores feret, nunquam non virides, quæ singulis mensibus fructus eximios pariant, & foliis medicinæ opportunis frondescant: *Erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.* Hæc aptissime ad Evangelica dogmata referuntur, & ad sacrorum voluminum studium, quæ instar arborum sunt, nunquam non fructibus onustarum, quorum frondes, Sanctorum scilicet ac Patriarcharum exempla, animarum vulneribus prosunt.

¥. 13. IN DUODECIM TRIBUBUS ISRAEL: QUIA JOSEPH DUPLICEM FUNICULUM (partem) HABET. Tredecim futuræ erant partes in Ezechielis distributione, cum suam Levitis designet Ezechiel, & in Josue distributione duodecim dumtaxat fuerint, quod nulla esset Levitis: at in utraque, Tribus Josephi in duas divisa est, Manassen & Ephraimum, quorum singulis peculiaris hæreditas fuit. Vide Tabulam.

¥. 14. POSSIDEBITIS EAM SINGULI, ÆQUE UT FRATER SUUS, at sub Josue partium magnitudo, par numero subditorum singulas Tribus componenti, accommodata est. Hæc porro mystica partium æqualitas fortasse significat, nullum in Ecclesia futurum inter Judæos Ethnicosque discrimen, & Christum communis omnium salutis causa venisse, omnesque indiscriminatim populos ad dogmatum suorum notitiam, ac Regni sui possessionem vocasse.

¥. 15. AD PLAGAM SEPTEMTRIONALEM, A MARI MAGNO (mediterraneo) VIA HETHALON, VENIENTIBUS

(9) Ὅτι ἐξύβριζε τὸ ὕδωρ ὡς ῥοῖζος χειμάῤῥου, ὃ οὐ διαβήσονται. (10) המים האלה יוצאים אל הגלילה הקדמונה וירדו על הערבה ובאו הימה אל הימה המוצאים Septuag. Εἰς τὴν γαλιλαίαν τὴν πρὸς ἀνατολάς, καὶ κατέβαινεν ἐπὶ τὴν Ἀραβίαν. (11) Vide Num. XXII. 1. XXVI. 3. Deuteron. III. 17. IV. 49. Josue XII. 16. (12) Zach. XIV. 8. עד ים הערבה ים הערבה ים המלח (13) Josue XXII. 10. 11. *Ad tumulos Jordanis* אל גלילות הירדן Aquila vertit hic, θῖνας, *tumulos arenarum.* Sym. μεθόριον, *confinium.* (14) Josue XXII. 10. (15) Vide, si lubet, Tacit. lib. 5. Hist. Solin. cap. 38. Joseph. Strabon. Plin. (16) Vide Hieron. hic, & infra ¥. 19. ubi de Thamar. (17) Tacit. lib. 5. Histor.

vibus Sedana. Hethalon nostros Geographos latet. Si hunc locum conferas cum Numeris (18), ubi iidem limites describuntur, invenies *montem montium*, seu montem altissimum, qui Hethaloni hujus loci respondet. Hanc sententiam secutus esse videtur S. Hieronymus, in hujus loci Commentario. Septuaginta Editionis Romanæ *Hethalon* ceu loci nomen non usurpant, redduntque (19): *A mari magno descendente & secante, in ingressu Emaseldam*. Syrus fert *Hethron*. Nobis tamen minime dubium est, quin Hethalon Syriæ urbs sit, *Cathela*, in Itinerario Antonini, inter Antiochiam, unde XLIX. millibus passuum, & Laodiceam, a qua XVI. millibus passuum abest. Eadem fortassa est ac *Bathalle* Ptolemæi lib. 5. & *Bethilet* apud Juditham II. 13. in Græco. *Catelas* etiam, XVI. millibus passuum a Laodicea, legitur in Itinerario Burdigalensi.

Sedana, vel *Zedad* (20), ignoti situs.

℣. 16. Emath, Emesa, vel Amisa; celeberrima Syriæ civitas (21).

Berotha. Hanc nonnulli esse putant Berytum ad Mediterraneum; alii, ceu Junius & Grotius *Barathemam*, in extremis Arabiæ desertæ finibus (22). At neutra esse videtur, repugnante locorum situ. Nos urbem quærimus, Israelitidi septemtrionalem, Hethalonem inter & Emesam. Quamobrem potius est Beroth Librorum Regum, quam David Adarezero Syriæ Regi aripuit (23). Nota etiam est in iis locis Berœa: at hæc longo nimis intervallo ab Emesa distat.

Sabarim quæ est inter terminum Damasci. Urbem hanc apud Geographos nusquam lego. Num forte est Ourarin urbs regionis Phams sive Emesæ, illius nempe quam Scriptura appellat Emath, jacetque in plaga Orientali ad Meridiem vergenti urbis ejusdem nominis. Abulfeda Descrip. Arabiæ.

Domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran. *Auran* apud Ptolemæum est in Arabia deserta, Damascum versus. *Tichon* seu *Beth-Tichon* nos prorsus latet, nisi sint *Bethacinæ* Plinii. Sunt qui pro communi nomine usurpent, ut sit *tractus medianus*. Chaldæus: *Piscina Albitica in finibus Auran*. De *Auran* vide nos in Dictionario, & Relandum.

℣. 17. A mari usque ad atrium Enon. *Enon* sive *Enan* apud Numeros XXXIV. 9. legitur, in descriptione borealium Terræ promissionis finium; ibique diximus, fortassa Gaanam Ptolemæi lib. 5. cap. 15. esse, Damasco septemtrionalem. Potius tamen esse videtur *Ina* Ptolemæi, vel *Ænos* Tabularum Peutingeri, Damasco Meridionalis, duorum circiter dierum itinere a Damasco. *Enna* fontem significat; ac fortasse sonat fontem amnis Thennaris, in iis locis fluentis.

Ab aquilone ad aquilonem: terminus Emath. Urbs Emath in media ferme longitudine finium Palæstinæ jacebat, ad septemtrionem. Porro ii fines a Mediterraneo usque ad Euphratem, ducta per mediam Emath linea, porriguntur. Vide Tabulam.

℣. 18. Plaga orientalis, de medio Auran, et de medio Damasci. Linea describetur, per Auran & Damascum, ad montes Galaad. Ita Auran septemtrioni vicinior erat, quam Damascus. Posterior hæc notissima est in Scripturis. Israelitarum ditio montibus Galaaditicis ad orientem claudebatur, exclusis Arabibus Scenitis, desertam Arabiam frequentantibus. Hinc Orientales fines ad Mare mortuum, Mare orientale tum hic, tum ℣. 8. nuncupatum, descendebant.

℣. 19. Plaga australis a Thamar, usque ad aquas contradictionis Cades. *Thamar*, seu *Hazason Thamar*, eadem esse creditur, quæ *Engaddi*, quam S. Hieronymus supra v. 10. in meridionali Maris mortui fine collocat. At in Libro de nominibus Hebraicis tradit, Engaddi in Jerichuntis agro, ad Mare mortuum jacere, opobalsami feracem. Quamobrem Thamar omnino ab Engaddi secernenda est. Utramque distinguunt Geographi, omnesque uno consensu Engaddi ad Mare mortuum, non longe ab Jerichunte, collocant: Thamar vero ad Maris mortui meridiem sita erat, multo supra Engaddi. Sejungunt etiam Ptolemæus, & Peutingeri Tabulæ, uti & nos.

Aquæ contradictionis ad Cadesbarne, clarissime apud Moysem Num. XX. 13. sunt. Septuaginta pro *Thamar* legunt *Theman & palmas* (24). *Thamar* Hebraice palmam significat, *Theman* vicus est Idumææ (25).

℣. 20. Plaga maris (occidentalis), mare magnum (mediterraneum) a confinio per directum, donec venias Emath. Ne ita usurpaveris, quasi Emath mari allueretur; sed oras Mediterranei omnes usque ad locum, cujus a regione est Emath, ad Judæos spectasse intelligito. Finge animo directam lineam ab oriente in occidentem, ab Emesa quæ ad Orontem est, usque ad Mediterraneum. Ibi fines occidentales desinunt. Septuaginta (26): *Usque ex adverso ingressus Emath, usque ad ingressum istum*. Limitum occidentalium finis in locum desinit a regione ingressus Emath positum, linea a mari usque ad eum ingressum descripta. Id tamen cum Geographiæ legibus pugnat. Vide quæ alibi diximus (27) de Hebræorum imperio in oras Mediterranei.

℣. 22. Vobis et advenis. Neque sub Josue, neque sub Zorobabele ullam externis partem in regione sua concessere Judæi. Quamobrem usurpanda hæc sunt ceu vaticinium rei sub Jesu Christo eventuræ, quo tempore in Israelis hæreditatem venerunt advenæ, veraque Promissionis terra potiti sunt, ablato Judæorum atque Ethnicorum discrimine: *Non est distinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*. Rom. X. 12.

---

(18) Num. XXXIV. 7. הר ההר Septuag. Τὸ ὄρος τὸ ὄρος. Vulg. *Montem altissimum*. (19) Edit. Rom. Ἀπὸ θαλάσσης τῆς μεγάλης τῆς καταβαινούσης, καὶ περισχιζούσης τῆς εἰσόδου Ἡμασελδάμ. Edit. Complut. & alii Codd. Ὁδοῦ Ἀιθαλὼν τῆς εἰσόδου Σαδάδα. (20) צדדה Septuag. Σαδάδα, alii Σαράδα. (21) Vide nos in Num. XXXIV. 8. & Theodoret. hic. (22) Ptolem. lib. 5. c. 19. Βαραθηνα, vel Βαράθεμα. (23) 2. Reg. VIII. 8. (24) Θαιμὰν καὶ φοινικῶν. (25) Genes. XXXVI. 34. Jerem. XXV. 23. Job VI. 19. Baruc III. 22. (26) Καὶ ἀπέναντι τῆς εἰσόδου Ἡμὰθ, ἕως ἀπέναντι αὐτοῦ. Hebr. מגבול עד נכח לבוא חמת (27) In Numeros XXXIV.

CAPUT XLVIII.

Regionis distributio inter Israelis Tribus. Templi & sanctæ urbis locus. Levitarum & Principis pars. Urbis portæ,

ỳ. 1. ET hæc nomina tribuum a finibus Aquilonis juxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem juxta viam
Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan una. 2. Et super terminum Dan,
a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Aser una. 3. Et super terminum Aser,
a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Nephtali una. 4. Et super terminum
Nephtali, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Manasse una. 5. Et super terminum Manasse, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ephraim una. 6. Et
super Ephraim, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ruben una. 7. Et super terminum Ruben, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, Juda una. 8. Et
super terminum Juda, a plaga Orientali usque ad plagam Maris, erunt primitiæ,
quas separabitis, vigintiquinque millibus latitudinis, & longitudinis, sicuti singulæ
partes a plaga Orientali usque ad plagam Maris, & erit sanctuarium in medio ejus.
9. Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo
decem millibus. 10. Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum: ad Aquilonem
longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad
Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia:
& erit sanctuarium Domini in medio ejus. 11. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis
Sadoc, qui custodierunt cœremonias meas, & non erraverunt, cum errarent filii Israel, sicut erraverunt & Levitæ. 12. Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum. 13. Sed & Levitis similiter juxta fines
sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti & quinque millium, & latitudo decem millium. 14. Et non venumdabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. 15. Quinque millia autem, quæ supersunt in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, & in suburbana: & erit
civitas in medio ejus. 16. Et hæ mensuræ ejus: ad plagam Septemtrionalem quingenta & quatuor millia: & ad plagam Meridianam quingenta & quatuor millia: &
ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem,
quingenta & quatuor millia. 17. Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem
ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta. 18. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii: & erunt fruges ejus in panes his,
qui serviunt civitati. 19. Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel. 20. Omnes primitiæ vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia
in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, & in possessionem civitatis. 21.
Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii, &
possessionis civitatis e regione vigintiquinque millium primitiarum usque ad terminum
Orientalem: sed & ad Mare, e regione vigintiquinque millium usque ad terminum
Maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitiæ sanctuarii, & sanctuarium templi in medio ejus. 22. De possessione autem Levitarum, & de possessione
civitatis in medio partium principis: erit inter terminum Juda, & inter terminum
Beniamin, & ad principem pertinebit. 23. Et reliquis tribubus: A plaga Orientali
usque ad plagam Occidentalem, Beniamin una. 24. Et contra terminum Beniamin,
a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Simeon una. 25. Et super terminum Simeonis, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Issachar una.
26. Et super terminum Issachar, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem,
Zabulon una. 27. Et super terminum Zabulon, a plaga Orientali usque ad plagam
Maris, Gad una. 28. Et super terminum Gad, ad plagam Austri in Meridie: &
erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare
magnum. 29. Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel: & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. 30. Et hi egressus civitatis: A plaga Septentrio-

nali

nali quingentos & quatuor millia mensurabis. 31. Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a Septentrione, porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una. 32. Et ad plagam Orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Joseph una, porta Beniamin una, porta Dan una. 33. Et ad plagam Meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una. 34. Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quatuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephtali una. 35. Per circuitum, decem & octo millia, & nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

℣. 1. A FINIBUS AQUILONIS. Boreales Israelitidis fines luculentius hic describit Ezechiel, quam supra, XLVII. 15. 16. Notissimas tres urbes nominat, *Hethalonem*, *Emath*, *Enan*, quarum prima prope Mediterraneum sita est, tertia prope Damascum, secunda in media lineæ septemtrionalis longitudine. Descriptis regionis limitibus, singularum Tribuum partes tradit; factoque initio a septemtrione, partem primam Tribui Dan, tum Asser, Nephthali, Manasse, Ephraim, Ruben & Juda, septem nimirum Tribubus, assignat; sequitur deinde pars Domini, Sacerdotum, Levitarum, ac Principis; ad meridiem; ducto prope urbem sanctam initio, Benjamin, Simeon, Issachar, Zabulon & Gad. Peculiares uniuscujusque Tribus limites non describuntur, quod pares unicuique Tribui partes essent. Non semel animadvertimus, traditam ab Ezechiele distributionem minime esse servatam, ac tropicam fuisse potius & mysticam. Alius plane ordo in regionis distributione sub Josue servatus est, uti satis docet Tabula, quam in hoc Caput ære insculptam dedimus, cum altera Josue collata.

℣. 8. SUPER TERMINUM JUDA, A PLAGA ORIENTALI, USQUE AD PLAGAM MARIS, ERUNT PRIMITIÆ, Judam inter & Benjaminum erit pars, quæ veluti primitiæ, & Domini, Sacerdotum, ac Principis hæreditas, segregabitur. Tota hæc regio quinque & viginti millibus cubitorum in latum a septemtrione ad meridiem, & quinquagies mille cubitis ab oriente ad occidentem inter Tribus Juda & Benjamini porrigetur. Cubiti quinquies & vicies mille conficiunt passuum duodecim millia, sive leucas sex, cubitis duobus in passus singulos datis. Sane multo longius fuit Terræ Promissionis spatium, quamvis a Jordane ad Mediterraneum metiaris. Verum ut varios Ezechielis locos una concilies, ter idem spatium sumendum est. Duplex erat Regi portio, cubitorum quinque & viginti millium singulæ. *GG*. Unica ejusdem spatii Levitis. *EE*, *FF*.

ERIT SANCTUARIUM IN MEDIO EJUS, Templum scilicet. Vide Tabulam, quam ob hujus loci explicationem dedimus.

℣. 10. PRIMITIÆ SANCTUARII SACERDOTUM AD AQUILONEM LONGITUDINIS VIGINTI QUINQUE MILLIA. Vel (1): *Hi sunt, quorum futura est hæc divisio*, cum dimensionibus hic descriptis: *Sacerdotum erit, & erit Templum Domini in medio ejus* soli. (℣. 11.) *Sacerdotum*, inquam, *e familia Sadoc . . . .* (℣. 12.) *Erit his pars in medio terræ, sancta & Domino sacra, prope partem Levitarum*. Tota hæc tellus inter Sacerdotes, Levitas & Principem distribuetur. In medio Templum, ibique domicilium erit Sacerdotibus: Levitæ urbem & suburbia possidebunt.

℣. 13. LEVITIS JUXTA FINES SACERDOTUM VIGINTI QUINQUE MILLIA. Urbs, quæ Levitarum erit, Templum in medio ipsius positum undique ambiet. Tota Levitarum hæreditas cubitis quinquies & vicies mille in longum, ac totidem in latum porrigetur, comprehenso simul quinquies mille cubitorum spatio (2), quod suburbiorum loco erit urbi artificum Israelitarum, ad ortum & occasum. At Levitarum civitas octo & decem cubitorum millia ambitu complectetur (3), & cubitos quater mille & quingentos in singulis quatuor lateribus. Vide ℣. 16.

℣. 14. NON VENUNDABUNT EX EO. Hæreditatem hanc distrahere non licebit, quemadmodum urbes, quas Moyses Levitis dederat (4).

℣. 15. QUINQUE MILLIA AUTEM QUÆ SUPERSUNT IN LATITUDINE . . . PROFANA ERUNT URBIS IN HABITACULUM ET SUBURBANA. Solum Levitis datum quinque & viginti cubitorum millia in quadratum complectebatur (5). At Levitarum civitas quater mille & quingentos in quadrum solummodo occupabat (6): cubiti adhuc decies mille distribuendi supererant, ex quibus quinquies millium latitudo, longitudine quinque & viginti millium ab ortu in occasum, veluti alterius urbis loco relinquebatur; vel, si placet, suburbiorum, domicilio laicorum, qui Sacerdotibus ac Levitis, Templum urbemque incolentibus, serviebant (7). Aliud etiam mille cubitorum latitudine spatium, quinque & viginti millium longitudine, a septentrione solummodo ad meridiem, relictum est in usum agrorum hortorumque, quibus annona laicis hisce hominibus sufficeretur. Animadverte, nullam telluris partem culturæ relinqui inter Levitarum & Principis fundus, sed tantummodo ad ortum & occasum, quæ latera nulla re impediebantur.

℣. 16. AD PLAGAM SEPTEMTRIONALEM QUINGENTA ET QUATUOR MILLIA; cubiti quater mille & quingenti, quibus tota urbis latitudo ac longitudo continebatur, comprehenso etiam Templo; quamobrem quadrata erat urbis forma, hac diametri longitudine, cubitorum vero decem & octo millium ambitu; uti diximus ℣. 15. Tabula *A B*.

℣. 17. SUBURBANA CIVITATIS AD AQUILONEM DUCENTA QUINQUAGINTA. Suburbia hæc latitudine cubitorum ducentorum & quinquaginta, & totius urbis longitudine, alia plane sunt ab iis, quæ ℣. 15. leguntur. Hæc enim secus spatium quingentorum & quater millium cubitorum, urbi datum ℣. 16. excurrebant; erantque veluti discrimen inter urbem Levitarum, & alteram laicorum, quibus altera urbs, in usum artificum relicta, frequentabatur. Vide Tabulam *cccc*.

℣. 18. QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT IN LONGITUDINE, DECEM MILLIA IN ORIENTEM, ET DECEM MILLIA IN OCCIDENTEM, ERUNT SICUT PRIMITIÆ SANCTUARII; sancta erunt, non secus ac reliqua Levitarum portio; sacræ hæreditatis loco habebuntur, quæ nec vænire, neque mutari liceat: tellus erant domicilio & annonæ populi, suburbia seu secundam urbem incolentis, destinata. Vide ℣. 15.

Porro

(1) ℣. 10. ולאלה תהיה תרומת הקדש לכהנים . . . . והיה מקדש יהוה בתוכו ℣. 11. לכהנים המקדש מבני צדוק ℣. 12. והיתה להם תרומיה וגו׳ (2) Ezech. XLVIII. 15. (3) Vide ℣. 35. (4) Levit. XXV. 32. 34. *Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi; si redemptæ non fuerint, in Jubilæo revertentur ad Dominos . . . suburbana vero eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.* (5) ℣. 20. (6) Vide ℣. 16. & 13. (7) Vide ℣. 18.

Porro id animadvertit Ezechiel, nequis locum esse profanum putaret, atque a reliquorum Israelitarum domicilio minime discrepantem, cum supra dixerit, urbem, quam populus incolebat, esse *profanam* (8). At profanæ appellatio illud solummodo hic significat, locum fuisse, quem populus & laici frequentarent, neque uni Levitarum commodo servatum, quamvis in Leviticæ hæreditatis situ contineretur.

℣. 19. Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus Tribubus Israel. Sacerdotes ac Levitæ in Israele ceu nobile & clarum genus erant (9), uno Dei cultu, Legis studio, judiciis & populi institutione occupatum. Nefas illis erat, humilibus ac laboriosis agri exercitationibus, sordidisque ac servilibus civitatis artibus operam dare. Prope horum urbem Ezechiel alteram collocat, quolibet operarum atque artificum genere promiscue frequentatam, cujusmodi homines in quavis indiscriminatim Tribu eo convenire fas erat. Tabula *EE*. Hæc tamen lex & consecratio, quæ erga Judæorum Sacerdotes neglecta est, omnino in Christiana Ecclesia floret, ubi Clerici omnibus nobilium hominum immunitatibus fruuntur, onerosis Reipublicæ muneribus vacant, unoque Dei cultu, Legis studio, prædicatione Evangelii, cæterisque Hierarchicis exercitationibus tranquillissime occupantur; severissimis etiam sanctionibus coerciti, ne servilem se turpiter & indigne quæstuosam artem exerceant, neque spernendi Sacerdotii occasio populo exhiberetur, ubi parum nobilibus indignisque Divino Ministerio muneribus operam darent.

℣. 20. Omnes primitiæ per viginti quinque millia in quadrum. Telluris portio, complectens Templum, sanctam urbem, quæ sedes Levitarum erat, suburbia artificum domicilio relicta, agrosque circum jacentes, cubitis quinquies & vicies mille in quadrum porrigebatur. Tabula *A E F*.

℣. 21. Quod autem reliquum fuerit, Principis erit. Principis fundus juxta Leviticum erat ad occasum atque ad ortum; ex utraque scilicet parte spatium quinque & viginti millium cubitorum longitudine ab ortu in occasum, duodecim millium & quingentorum latitudine a septemtrione in meridiem. Par erat intervallum tum supra, tum infra, inter Tribum Juda & Benjamini ad boream & meridiem; & Levitarum fundum, qui Judam & Benjaminum ad boream & meridiem, & Regis patrimonium ad ortum & occasum spectabat. Vide Tabulam.

℣. 28. Erit finis de Thamar, usque ad aquas contradictionis Cades: hæreditas contra mare magnum. Vide superius Caput, ℣. 19. Præferre videtur S. Hieronymus hanc versionem, *Torrens ejus mare magnum versus*, Vulgatæ, *Hæreditas*, &c. Hebraica vox (10) *nachal* & torrentem & hæreditatem sonat; putatque idem Hieronymus, hic ab Ezechiele innui torrentem a deserto fluentem per Rhinocoruram, quem vulgo ceu meridionalem Judææ finem habent.

℣. 30. A plaga septemtrionali, quingentos et quatuor millia mensurabis. Singula urbis latera quater mille & quingentis in longum cubitis porrigebantur, uti diximus ℣. 16. Triplex erat in singulis muri lateribus porta, totusque urbis ambitus decem & octo cubitorum millia complectebatur, ℣. 25. Tabula. *B. d d d d*.

℣. 35. Nomen civitatis ex illa die Dominus ibidem. Nunquam id nominis obtinuit Jerosolyma; neque unquam obtentura fuisse dici omnino potest, quamvis ad amussim ex Ezechielis descriptione restaurata fuisset. Mos Scripturarum est dicere, rem aliquam vel hominem certo nomine appellandum, ubi iis laudibus floreret, quæ eam appellationem mererentur. Messiæ adventum prædicens Isaias (11), ait, nomen illi futurum Emmanueli, Admirabili (12), Consiliario, Deo forti, Patri futuri sæculi, Principi pacis; quod nimirum iis virtutibus ornandus esset, quæ his nominibus convenirent. Salomon nominandus traditur *Jedidiah* (13), Dilectus Deo; Jerosolyma, Civitas Justi (14), urbs Deo placens (15), quæsita Civitas, & non derelicta, solium Domini (16), &c. Neque veteri nomine exuenda erat, ut hæc usurparat, sed innumeris adeo Divinitus beneficiis cumulanda, ut nobilissimis hisce appellationibus digna censeretur. Christiana Ecclesia Jerosolymæ dignitatibus successura erat, eoque verissime fruitura, cujus causa Civitas Domini appellanda esset: *Dominus ibidem*. Certissima illi est Jesu Christi promissio (17): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*.

(8) ℣. 15. חל הוא Aquila. Βέβηλον. Symmac. & Theod. Λαϊκόν. Septuag. Προτείχισμα. (9) Exod. xix. 6. (10) נחלה על הים הגדל (11) Isai. vii. 14. (12) Isai. ix. 6. (13) 2. Reg. xii. 25. (14) Isai. i. 26. (15) Isai. lxii. 4. 12. (16) Jerem. iii. 17. (17) Matth. xxviii. 20.

Finis Commentarii in Ezechielem.



I
CHA
Jux
E

Cap. x
executi
data fu
Captiu


Litter
Israel
quid S

A. Ten
bitoru
el 45.

B. Un
Cubito
ambit

ab Ecclesia Jesu Christi timendum esset,

Dan



IN

IN DANIELEM PROLEGOMENON.



Aniel e genere Davidis Regumque Juda prognatus, in prima adhuc ætatis juventa, anno quarto Joachimi Regis Juda captivus Babylonem translatus est. Selectus autem cum tribus sociis, ut in Aula Nabuchodonosoris Principi serviret, liberaliter educatus est. Exculti supra cæteros in omnibus scientiis Chaldæorum, sapientiæ sibi plurimum compararunt; & quod caput est, in corruptissima Aula, morum sanctimoniam servarunt, nulla vitiati labe in tantum, ut a cibis etiam e Regia mensa sibi concessis abstinerent.

Primum Sapientiæ Danielis specimen exhibuit innocentia Susannæ, adversus maledictorum calumnias asserta, simul & vindicata. Daniel. XIII. Ingentem sibi ex ea re viri sapientis famam apud fratres suos Babylone comparavit; cum interim aliud accidit, quo idem sibi nomen apud Regem & viros Sapientes ejus Regionis peperit. Nabuchodonosori per quietem objecta est species ingentis simulacri, variis metallis conflati, quod avulso e monte lapide penitus confractum, in cineres favillasque redactum est, Daniel. II. Summa erat Chaldæorum in somniis observandis superstitio, quo studia sapientum ejus gentis omnia collineabant. Exciderat Principi somnium; quare non interpretationem modo a Sapientibus exquirebat, sed ut sibi pariter in memoriam revocarent, quid ipse per quietem spectasset. Cum id posceret, quod fieri non posset, omnes capitali supplicio damnati sunt. Daniel, re intellecta, statim ad Regem convolat; cui & exposuit somnium, expositumque interpretatus est. Plaudere Nabuchodonosor, summis illum honoribus cumulare, Præfectum provinciæ Babyloniæ constituere, & Principem Sapientum Divinorumque omnium apud Chaldæos.

Fortuna sua elatus Nabuchodonosor, Deum e mente excusserat, tum & omnem rerum a se gestarum sibi gloriam usurpabat. Accidit inter hæc, ut per quietem proceram quamdam arborem, statim dejectam concisamque, spectaret, cujus radix humi mansit, truncus vero ferreis æneisque vinculis constrictus est, Daniel. IV. 7. & seq. Accitus illico ad interpretationem somnii Daniel, Regi nunciavit, ingens malum ejus capiti imminere; sciret proinde sese ad belluæ conditionem redactum iri & ex Aula pulsum: quare, ait, peccata tua eleemosynis redime. Viri monitum surdis auribus excepit; quamobrem cum aliquando Babylonem aspiciens Nabuchodonosor, de illa a se aucta ornataque sibi plurimum gratularetur, continuo facta sibi voce audivit, e consortio hominum Regnoque abigendum se, mox ad carpendas dentibus herbas in bovis morem redigendum. Dictis fides stetit; nam subita vi morbi emotæ mentis factus Nabuchodonosor, belluæ morem & ingenium induit. Extorris igitur ex Aula & Urbe, septennio vitam errabundus in belluæ morem traduxit.

Septennio elapso, Regnum recepit, atque aurea statua consecrata, mandavit, ut cum musicorum instrumentorum concentus streperet, prostrati omnes, quicumque imperio suo parerent, simulacrum adorarent, Daniel III. Aberat facile Daniel: ejus vero socii jussionibus Regis morem genere recusantes, in fornacem ardentem conjecti sunt: at in medio ignis incolumes fuere. Prodigii magnitudinem admiratus Nabuchodonosor, Judæorum religionem edicto commendavit, in quo simul & somnium excisæ arboris, & quæ deinde secuta sunt, posteritatis memoriæ commendavit, Daniel. III. 98. &c. IV. I. &c.

Evilmerodachus, filius Nabuchodonosoris, patrium Regnum adiens, nihilo remissior erga Danielem fuit. Biennio, juxta Berosum, regnavit; viduatumque ejus morte Imperium habuit Balthassar ejus filius; cujus Regis tempore plurima per visum Daniel spectavit. Primo igitur, sub ipsum Balthassaris initium, quatuor animalia e mari emergentia vidit, quibus portendi intellexit quatuor Imperia, proxime Chaldaico Imperio successura, Daniel. VII. Secundum hæc, per hircum & arietem, cornibus sese mutuo impetentes, in somnis sibi objectos, designati didicit, hirco quidem Alexandrum Magnum, Dan. VIII. ariete vero Darium, Regum Persarum postremum, ab Alexandro victum.

Lauto convivio Balthassar Regni Magnates viros pariter & fœminas excepit; & largiore vino incalescens, jussit afferri vasa Templi Jerosolymitani, olim a Nabuchodonosore Babylonem translata. Cum igitur convivis in sacris vasis, quasi profana essent, ministraretur, subito objecta manus species hæc in pariete grandioribus characteribus scripsit: *Mane*, *Thekel*, *Pharez*. Arcanis notis evolvendis accitus Daniel, prodidit imminere necem, atque Regni in alium Regem translationem. Nec oraculi fides diu desiderata est; eadem enim nocte Balthassare occiso, Darius Medus, alio nomine Astyages, regnavit. Sub eo Rege integra manserunt omnia, ab aliis Danieli collata, quin & plurimum auctæ dignitates & munera.

Ad illud tempus spectant visiones Danielis capitibus IX. X. XI. XII. recitatæ. Angelus Gabriel Prophetæ per visum aperuit mysterium septuaginta hebdomadum ex annis, non diebus; quibus evolutis, Messias neci tradendus erat, sacrificia ac Legis ritus abolendi. Prophetæ deinde oculis objecta sunt mala, ab Antiocho Judæis inferenda, quibus sane indicabatur, quid ex Antichristo ab Ecclesia Jesu Christi timendum esset.

Dario

Dario Medio vita functo, Cyrus in se unum Imperia Persarum & Medorum conciliavit. Ejus edicto, patrias sedes repetendi data Judæis facultas. Sed Daniel Babylone mansit, cui nihil e pristinis honoribus & dignitatibus sub Cyro detractum est. Ad eum Regem spectant historia Belis & Draconis occisi, de quibus Caput XIV.

Danielis fama, ipso etiam superstite, increbuerat adeo, ut proverbio usurparetur, quod ab Ezechiele c. XXVIII. 3. in Regem Tyri εἰρωνικῶς dictum novimus: *Ecce sapientior es tu Daniele.* Ipsius etiam Dei nobilissimum de Daniele elogium legimus c. XIV. 14. 20. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Eumdem Prophetam comparat Grotius Metrodoro Scepsio, Mithridati adeo caro, ut nihil majoris momenti Mithridates sine ejus consilio susciperet. Sed Philosophus quidem iste invidia obtrectatorum oppressus, tandem jussu Regis capitali supplicio interiit. Felicior Daniel, cui non semel paratum invidia maledicorum a Rege supplicium, Deus semper avertens, mali nihil accidere passus est.

Ita cum eo viro egisse Deus videtur, ut Oracula ejus dignitati & muneribus responderent. Cum enim Rempublicam administraret, & in splendidissima totius Orbis Regia versaretur, Deus illi futuras Imperiorum vices Regumque expeditiones aperuit. Cum vero populum suum ingenti amore prosequeretur, Deus illi adventum magni Liberatoris, certumque ejus rei tempus reseravit. Auctus vero a Deo somnia interpretandi virtute, plura hominibus occulta explicavit. Permisit Deus quandoque, ut mysticæ quædam somniorum species Regibus exhiberentur, quorum occultum sensum Danielem docuit.

Rabbinorum quidam (1) olim nullum non moverunt lapidem, ut Danielem e numero Prophetarum excluderent. I. Quod eunuchus esset, cujus generis homines e cœtibus Israelitarum Moyses excludendos præcepit, Deut. XXIII. I. II. Quod extra Terram promissionis versaretur, extra quam spiritus prophetiæ nemini datur. III. Quod tædium & mœror exilii vix Prophetiæ œstrum pateretur. IV. Tandem, quod Daniel vitam egerit commodam & delicatam, summisque semper dignitatibus parem, cum cæteri Prophetæ despicatissimum austerumque vitæ genus exercuerint.

Sed has calumnias in virum sanctum solam Judæorum invidiam struxisse, Theodoretus in cap. ult. Dan. animadvertit; cum enim apertum omnibusque remotia ambagibus & Messiæ adventum, & certum ejus rei tempus prædixisset, e re sua esse censuerunt, si virum communibus suis studiis contrarium reprobarent. Contra veteribus Hebræis ante adventum Jesu Christi accidit, qui novis hisce simultatibus nondum occupati, Danielem non probasse tantum, sed magnopere commendasse videntur. Magnificis verbis illum laudat Ezechiel XIV. 14. 20. XXVIII. 3. Qui Canonem Scripturarum exaraverunt, suum illi inter Prophetas locum dedere. Matthatias Macchabæus Danielem ejusque tres socios non sine honoris elogio commemorat (2); & quod caput est, Jesus Christus Matt. XXIV. 15. & Marc. XIII. 14. Danielem addito Prophetæ titulo laudat: *Abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta.*

Josephus Antiqu. lib. 10. cap. XII. ita virum commendat: *Omnis eximia felicitas ut Prophetæ excellentissimo contigit, & viventi tam apud Regem, quam apud populum gratioso, & post obitum sempiternam memoriam consecuta. Libri ejus, quos conscriptos reliquit, etiam nunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus cum eo eloquia miscuerit. Non solum enim futura prædixit, quemadmodum alii Prophetæ, verum etiam tempus, quo eventura essent, præfiniit. Et cum alii Prophetæ calamitates prædicerent, ideoque malam gratiam apud Reges & multitudinem vulgarem inirent; hic bonarum rerum Vates fuit, ut propter faustam ominationem quidem benevolentiam omnium sibi conciliaret; propter eventuum vero certitudinem, fidem sibi apud universum mortalium genus compararet.* Hanc de Daniele opinionem habebant veteres Judæi; a quibus non inter Prophetas modo, sed & inter summos Prophetas locum obtinebat.

In Perside versatus Daniel, ibi tandem diem clausit; neque enim utendum sibi censuit facultate, cæteris Judæis a Cyro data, sed ad obitum usque amplissimis Reipublicæ muneribus gerendis occupatus, perpetuo favore pollebat Regum Chaldæorum, Medorum, & Persarum, ad quos Imperium Babylonicum transiit. Majorem vitæ partem Susis egit, ubi & plurima sibi per visum objecta spectavit. Quo anno, & an Babylone obierit, incertum. Affirmat Pseudo-Epiphanius de vita & morte Prophetarum; Beniamin vero Tudelensis asserit (3), vidisse se ejus tumulum in Chuzestan, quæ olim urbs Susæ appellabatur, Metropolis Elamiticæ regionis. Spectatam etiam sua ætate turrim in urbe Ecbatanis Metropoli Mediæ, a Daniele, uti quidem ferebatur, ædificatam, Josephus Antiq. lib. 10. cap. ult. est author. Porro opus illud elegantissimum ac solidum, post tot annorum seriem, mox ædificatum primo spectantibus videbatur. Sepulcrum erat Regem Persarum & Medorum, ejusque custodiæ Sacerdos e genere Hebræorum destinatus erat. Ita Josephus.

Stylo utitur Daniel jejuno, languido, nec satis magnifico, ut animum & ingenium hominis captivitate & exilio dolentis exhibere videatur. Verum granditate rerum styli humilitas abunde compensatur.

Inter Libros Danielis nomine inscriptos, alii quidem sine controversia eidem Authori tribuuntur; de aliis vero diu disceptatum est. Quidquid Hebraice & Chaldaice scriptum superest, nemine

---

(1) Vide Hieron. Præfat. in Dan. & Theodoret. Præfat. Comment. in Daniel. (2) 1. Macchab. II. 59. 60. *Ananias, & Azarias, & Misael credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.* (3) Beniamin Itinerar. p. 78. Ita & Abulfarag.

mine repugnante admittitur: quæ autem Græce tantum scripta supersunt, hæc non ab omnibus æque probata sunt. Hebraicam, vernaculam nimirum, linguam adhibuit; at ætate adhuc puer in Chaldæam translatus, cum regionis linguæ assuevisset, nonnulla Chaldaice Libro inseruit, præsertim ubi verba alicujus refert, veluti cum recitat edictum Nabuchodonosoris (3), quod Chaldaicis literis mandatum fuisse constat; colloquium cum Magis a se factum, & Regibus Nabuchodonosore, Balthassare, & Dario Medo (4); quæ omnia documentum sunt apertissimum de Scriptoris sinceritate, quippe qui vel ipsa loquentium verba religiose recitet. Cum vero historicum agit, facta referens, non verba, & cum vaticinia sua tradit, mero Hebraico utitur. Vide Danielem II. 4.

Versus 24. 25. &c. usque ad 90. capitis tertii, & duo posteriora capita, Græce tantum servantur. Nihil autem ea lingua a Daniele scriptum constat; sed facile Hebraicis sive Chaldaicis literis ab illo mandata, ab alio demum Græce expressa sunt. Unde enim Græcum Theodotionis nostra adhuc ætate servatum provenit (5), si nullum unquam Hebraice extitit? Nostra quidem ætate Hebraica interciderunt, quæ olim habebantur. Lusus verborum, Græcis ejusdem Libri vocibus tantum expressus, inter *σχῖνον Schinon*, lentiscum, & *σχίσει Schisei*, scindet (6), & inter *πρῖνον Prinon*, ilicem, & *πρίσει Prisei*, secabit (7), locum suspicioni faciunt, utrum ex Hebræo Versio adornata sit; neque enim Hebræis vocibus verborum lusus illi valent. Sed hæc tanta non sunt, ut de toto Opere ambigamus; præstat enim totam eam rem Interpreti tribuere, qui lusum altero lusu reddidit, nihil detrahens historiæ veritati, quam ut ex eo unico argumento de tota causa deterius judicetur. Historiæ quidem Susannæ, Beli, & Draconis apud Josephum desiderantur, a quo facile omissas credimus, quod alio quam Hebræo sermone expressa narratio in dubium a Judæis revocaretur. Porro ex S. Hieronymo (8), hisce narrationibus parum æquo, singulares Judæorum de illis opiniones discimus. Alii enim duos illos senes, tentatæ Susannæ reos, miscebant cum Sedecia & Achabo, quos Nabuchodonosor in sartagine frixit, uti Jeremias XXIX. 22. refert. Profecto quicumque ea opinione tenebantur, totam Susannæ historiam admittebant, præter id quod de seniorum supplicio ibidem legitur. Nolebant enim lapidibus confectos, sed combustos obiisse; iisque damnandis non Judæos, sed Nabuchodonosorem tulisse sententiam. Iisdem rationibus ducti reliqui Judæorum fere omnes, totam historiam ceu fabellam, indignam quæ in Synagoga legeretur, rejiciebant; contendentes, nunquam fieri potuisse, ut in alieno solo captivi Judices suos & Prophetas lapidibus obruere auderent (9).

Inter veteres Christianos Scriptores de authoritate horum capitum, quæ Græce tantum scripta supersunt, plurimum disceptatum est. Porphyrius, Christiani nominis osor, omnia hæc ad fabulas amandavit; uti & universam Danielis prophetiam post factum procusam contendebat. Ejus calumniis sese opponentes Eusebius, Apollinaris & Metrodorus, Danielis quidem scripta vindicarunt; de cæteris vero, nempe historia Susannæ, Belis, & Draconis judicarunt, *non se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam sacræ Scripturæ authoritatem habeant*, ait S. Hieronymus Præfat. in Dan. Censebant porro, hæc omnia literis mandata fuisse opera Habacuc filii Jesu e Tribu Levi; Danielem vero, de quo ibi, alterum plane esse a Propheta, quod ex inscriptione apud Septuaginta deducebant; est autem inscriptio ejusmodi: *Prophetia Abacum filii Jesu e Tribu Juda. Homo quidam erat Sacerdos nomine Daniel, filius Abda, conviva Regis Babylonis.* Verum Inscriptio illa in nostris Exemplaribus nuspiam extat; nec sane magnam meretur fidem, utpote deducta e Versione, olim Septuaginta nomen præferente, mendosa oppido & fidei parum assertæ (10), quam Ecclesia ante S. Hieronymum penitus deseruerat, ut Versionem Theodotionis, quamquam Christiani nominis adversarii, adoptaret.

Julius Africanus in sua ad Origenem epistola, apertissime Historiis hisce refragatur, & S. Hieronymus, Præfatione in Danielem, *Apud Hebræos*, inquit, *nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli Draconisve fabulas*. Verum idem ipse Hieronymus ejus dicti in invidiam a Rufino vocatus, respondit (11): *Non enim quid ipse sensissem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi* (12). Et alibi (13) tradit de illis: *In toto orbe dispersæ sunt;* addens, a Græcis omnibus, & Latinis, Syris pariter, & Ægyptiis legi, probarique. Addit insuper, historiam Susannæ in vulgatis Editionibus in ipso Danielis limine spectari, ubi a Theodotione, tanquam in proprio sibi loco, quippe quæ tempore præcedit, constituta fuerat.

Quod ad Julium Africanum spectat, Origenes scripta de hoc argumento epistola, ejus objectiones ita refellit, ut simul veritatem historiæ Susannæ assereret (14). Omnia vero quæ ab illo contra eam historiam disputabantur, illam, & singulas consensu quodam, quæ in textu Hebraico desiderabantur, historias impugnabant. Profecto si omnia, quorum nullum superest Hebraicum exemplar, æque rejicienda sunt; quis unquam liber a labe erit immunis? Nonne traditio, & Ecclesiæ authoritas, quæ libros illos in canonem recipit, satis habet momenti, ut suspensam ea de re mentem impellat? Hic sane, si alias unquam, locum habet illud Deut. XIX. 14. *Non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua*. Adversarium suum

(3) Daniel. III. 98. 99. 100. IV. 1. 2. & seq. 34. (4) Dan. II. 4. & seq. III. V. VI. VIII. (5) Vide Præfationem S. Hieronymi in Danielem, ubi innuere videtur, Septuaginta, Aquilam & Symmachum, ea capita Græce legisse, sed obelo notata. (6) Dan. XIII. 54. 55. (7) Ibidem ℣. 58. 59. (8) Hieron. in Dan. XIII. 4. ex Origen. Stromat. lib. 10. (9) Hieron. in Jerem. XXIX. 22. *Unde a plerisque, ac pene omnibus Hebræis, ipsa quasi fabula non recipitur, nec legitur in Synagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi Principes & Prophetas suos haberent potestatem?* Et in Jovin. lib. 2. p. 431. (10) Hieron. Præfat. in Dan. (11) Apolog. cont. Rufin. l. 2. pag. 421. nov. edit. (12) Hieron. Præfat. in Daniel. (13) Hieron. in Isai. XII. 1. Vide not. in eumdem loc. nov. Edit. (14) Vide & tract. 31. in Matth.

ſuum pone ſequutus Origenes, nihil omittit eorum, quæ ab Africano contra capitum & hiſtoriarum, de quibus agimus, veritatem objiciuntur. His Origenis argumentis adjungi poſſunt teſtimonia Patrum Græcorum, & Latinorum omnis ætatis (15), ex illis ſententias tamquam e reliquis Scripturis canonicis laudantium.

Innuere videntur Talmudiſtæ, Danielis Scripta a Patribus magnæ Synagogæ poſt captivitatem Babylonicam in Canonem Scripturarum cooptata fuiſſe, nec aliunde facile quam a Judæorum traditione S. Iſidorus lib. VI. Origen. c. 2. diſcere potuit, Scripta Danielis & Ezechielis, Synagogæ Patribus a nonnullis tribui. Id autem aſſerendum ſibi ducebant, quod negarent, prophetiæ ſpiritum extra terram promiſſionis communicari cuiquam potuiſſe. Validum omnino argumentum! Suſpicatur Spinoſa in Tract. Theolog. Edit. cap. 10. ſeptem priora hujus Libri capita ex Annalibus Chaldæorum, poſt expiatum opera Judæ Macchabæi Templum, derivata fuiſſe. A Daniele vero nonniſi quinque ſuccedentia capita ſcripta concedit. Conjecturam hanc ducit, quod ſeptem priora capita Chaldaice ſcripta putaverit: quod ab illo quidem aſſertum veritati repugnat; totum enim primum caput, & tres priores verſus ſecundi Hebræum præſeferunt. Unde vero Mathatias, Pater Judæ Macchabæi, hauſerat quæcumque ex capitibus III. & V. Danielis laudat, ſi poſt obitum ejuſdem Mathatiæ, & Judæ Macchabæi ejus filii, literis illa primo mandata ſunt? An ſatis eſt Spinoſæ res audacter aſſeruiſſe, ne minimo quidem dicti ſui aſſertore producto?

Inſcripta Danielis nomine vaticinia pſeudonyma eſſe, & ab Impoſtore quodam in Judæa ſub Antiocho Epiphane procuſa, Porphyrius commentus eſt (16). Ut vero auram ſibi apud credulos captaret, res, quas oculatus teſtis ſpectaverat, fatidico quodam fuco obvolviſſe & ornaſſe: *ſi quid ultra vero opinatus ſit*, addebat Porphyrius, *quia futura neſcierit*, *eſſe mentitum*. Sed extra controverſiam poſitum eſt, Danielem diu ante motam ab Antiocho perſecutionem in Judæos, Babylone oracula fudiſſe, quæ plane ſi Porphyrius negare auſus fuerit, impudentiſſimus ipſe bipedum habebitur. Hæc ſi vera ſint, profecto tanti calumniatoris *impugnatio teſtimonium veritatis eſt*, ait S. Hieronymus; *tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixiſſe, ſed narraſſe præterita*.

Danielis nomine alia quædam circumferuntur, Eccleſiæ authoritate nunquam recepta. In Decreto Gratiani cauſa XXVI. qu. 7. damnatur Liber *Somnialia Danielis*; quem Authoris Chriſtiani recentiſſimi commentum eſſe, ex Veterum omnium de illo ſilentio D. Huetius deducit. Opus iſtud vix aliud eſſe arbitror quam quod laudatur a nonnullis ſub nomine *Onirocritica Danielis*, ſive *Conjectorius*; (17) erant autem conjectationes quædam ſomniorum ad auctoritatem illis conciliandam ſub Danielis nomine ingeſtæ. Quin & ſub tanto nomine obtruſi ſunt libelli alii ſuperſtitioſi, magici, geomantici, pyromantici, ab Orientalibus Remle appellati. Fertur (18) Nicephorus Phocas cum incidiſſet in librum viſionum Danielis nomen præferentem, offerentemque nomina Imperatorum, quin & certos annos vitæ ſingulorum, ſimulque velut exhibentem ſub oculis variam eorum fortunam, ac tandem futuros eventus Principum Saracenorum, his deceptus impoſturis bellum indixiſſe Maabiaſto Arabum Regi, qui infeſta arma duxerat in ditionem Romanorum uſque Rhodum. Verum res illi ceſſerunt adverſæ, fuſus enim fugatuſque ignominia plenus coactus fuit redigere ſe Conſtantinopolim.

In Chronico Paſchali ſingularia quædam de Daniele leguntur, quæ cum alibi non reperiantur, fidei ſunt maxime ſuſpectæ. Si fides auctori huic habeatur, Daniel jucundo & pulchro erat aſpectu, ſed vultu aliquanto graciliori, & ſtatura juſto minori. Divina revelatione didicit futurum ut Nabuchodonoſor Rex transformaretur in brutum bovino capite & reliquo corpore leonino; id quod miſero inferendum erat animadverſionis pro lubricitate ſua quam leonina figura repræſentabat. Hoc miſeri Principis infortunium dolens Propheta, reliquis omnibus ad rei novitatem accurrentibus continuit ſe ab eo aſpectu, id tantummodo agens, ut pro ejus ſalute inſtaret apud Deum. Neque transformatus Rex quieſcebat, ſi quando per intervalla rediret ad mentem; tunc enim reſolvebat ſeſe in lacrymas: ad XL. vices ſingulis diebus orabat inſtanter. Tanta vero erat Principis transfiguratio, ut quis eſſet ne Dæmon quidem agnoſceret. Tandem Daniel oraculo pronunciavit Nabuchodonoſorem reſtituendum eſſe in priſtinum, quod & precibus ſuis obtinuit, impetravitque inſuper, ut ex ſeptem annis pœnitudinis illi a Deo definitæ, tota ea periodus redigeretur ad ſeptem menſes, quibus abſolutis & priſtina illi facies & dimiſſa gubernacula redderentur. Ita reſtitutus toto dein vitæ tempore a carne vinuque abſtinuit, uſus tantum leguminibus, vel herbis aqua elixatis ex præſcripto Prophetæ gratias pro accepto beneficio acturus. Porro Danieli inditum eſt a Nabuchodonoſore Balthaſſaris nomen, communicata illi filii ſui appellatione, quin & adoptione recipere illum in filium & hæredem tentavit: recuſavit tamen Propheta, dictitans: avertat Deus ut hæreditatem patrum meorum deſeram, ejuſque loco hæreditatem incircumciſi recipiam. Vitæ curſu abſoluto ſepulturæ mandatus fuit in antris ſepulcris regum deſtinatis. Montes Babylonis pluribus miraculis reddidit illuſtres, pronunciavitque *cum fumigabit quod eſt in Aquilone, tunc inſtabit finis Babylonis*. *Cum vero ab Oriente adve-*

(15) Vide Ign. Mart. Epiſt. ad Magneſianos; Athan. epiſt. ad Serapion. & ad Marcell. & in Synopſi; Ambr. lib. 3. de Spir. S. c. 3. Tertull. lib. de corona militis; Cypr. epiſt. 21. Clem. Alex. lib. 4. Strom. Orig. ad Afric. & tract. 31. in Matth. & homil. 2. in Levit. Chryſoſt. hom. de Suſan. Method. ſingulari opere de Daniele & Suſanna, cujus meminit Georg. Syncell. Gregor. Nazianz. hom. 15. in laudem S. Cypr. Sever. Sulpit. lib. 2. hiſt. Sacræ; Ruf. lib. 2. adverſ. Hieron. Auguſt. ſerm. 343. nov. edit. Fulg. ad Ferrand. Alcimus Avit. Vienn. ad Fuſcinam ſororem. Vide Natal. Alex. Hiſt. Vet. Teſt. tom. 2. pag. 321. (16) Vide Hieron. Præfat. in Daniel. (17) Vide Fabricium apocriph. V. T. pag. 1137. & auctores quos laudat, & Herbelot Biblioth. Orient. pag. 283. 709. (18) Vide Fab. pag. 1136. 1137.

adveniet aqua munda, tunc Deus in terra tanquam homo recipiet in se omnes iniquitates mundi, ac propterea in crucem agetur a Sacerdotibus legis. Statimque spiritus gratia effundetur in omnes gentes terræ. Cum vero mundus igne conflagrabit, tunc finis totius terræ adveniet; & cum in Austrum fluent aquæ, revertetur populus in terram suam. Si autem sanguis fluat cædes erit Beliæ per totum mundum. Hæc omnia vix credo alterius esse auctoris quam Christiani. Joannes Malela in chronico aliud etiam adjicit, ejusdem tamen fidei de Cyro & Daniele. Cum Prophetam interrogasset Cyrus, num forte ipse victoriam relaturus esset de Croeso vel secus, cunctantem Danielem mandavit in lacum leonum projici. Certior tamen factus intactum relinqui innoxium hominem a leonibus, jussit educi, statimque provolutus ad ejus pedes veniam deprecatus est, rogavitque ut a Deo victoriam e Croeso Rege potenti, & Domino universi orbis ad id usque invicti sibi postularet. Tunc Propheta: vinces Croesum, & captivum habebis; de te enim Deus, qui visibilia hæc omnia condidit, per Prophetam suum Isaiam ita locutus est: *sic dicit Dominus uncto meo Cyro &c.* Apud Pseudo-Athanasium (1) occurrit Liber quidam apocryphus, sed nobis prorsus incognitus, eodem Prophetæ nomine inscriptus.

Versio Græca nostræ ætatis a Theodotione, uti supra innuimus, adornata est (2). Versio Septuaginta diu antea intercidit; præter ea, quæ ex illa, uti ex Symmacho & Aquila, fragmenta in nova Hexaplorum editione servata sunt. Versio Græca hodie superstes nomen Septuaginta præferens tanti mendis inficitur, ut capita ecclesiæ eam deserant, ait S. Hieronymus in Danielem c. 2. Sententiæ, quæ in Hebræo desiderantur, obelo seu veru apposito Origenes notaverat, cujus deinde exemplum sequutus est S. Hieronymus in sua Latina Versione, ex Hebræo Chaldæoque adornata, junctis insuper e Græco & Latino additionibus.

(1) Synops. tom. 2. nov. edit. pag. 201. (2) Hieron. Præfat. in Dan. & Comment. in Dan. IV. 5.

TABULA CHRONOLOGICA
HISTORIÆ DANIELIS.

Anno Mundi.

DAniel Babylonem ducitur. *Dan.* I. 3. 7.
Nabopolassar, Nabuchodonosoris pater, moritur.
3398 Joakim a Nabuchodonosore desciscit. 4. *Reg.* XXIV. 1.
3399 Susannæ historia, a Daniele liberatæ. *Dan.* XIII.
3401 Somnium Nabuchodonosoris de ingenti simulacro, ex variis metallis conflato, a Daniele
3402 explicatum. *Dan.* II. 1. 2. *&c.*
Daniel ejusque socii summis inter Chaldæos dignitatibus aucti. *Dan.* II. 48. 49.
Nascitur Cyrus e Cambyse & Mandane.
3405 Joakim Rex Juda a Chaldæis capitur & necatur.
Ejus loco regnat Jechonias, mensibus tribus, diebus decem.
Succedit Sedecias, supremus Judæorum Rex, annis undecim.
3416 Capitur Jerosolyma, & Templum evertitur. 2. *Par.* XXXVI.
3434 Nabuchodonosor Babylonem revertitur, absolutis expeditionibus in Phœniciam, Judæam, Ægyptum, &c.
Magnam arborem, mox cædendam, per quietem videt. *Dan.* IV. 7.
3435 In furorem lapsus, vitam inter feras septennio agit. *Dan.* IV. 32. 33.
3442 Post septem furoris annos, quibus ab hominum consuetudine abfuit, in Regnum revertitur Nabuchodonosor. *Dan.* VI. 31.
Aureum simulacrum a Nabuchodonosore dedicatum, ac tres Danielis socii in fornacem conjecti, atque inde vi divina servati. *Dan.* III.
3442 Moritur Nabuchodonosor, post tres & quadraginta Regni annos. *Berosus.*
3442 Succedit patri filius Evilmerodachus, annis duobus. *Berosus.*
Is Jechoniam libertati restituit. *Jerem.* LII. 31.
3444 Balthasar, Evilmerodachi filius, sub hujus anni exitum, Regnum capessit. *Dan.* VII. 1.
3444 Quatuor bestiæ, quatuor magna Imperia significantes, Danieli per visum objiciuntur. *Dan.* VII.
3447 Visio arietis & hirci, sese mutuo cornu petentium. *Dan.* VIII.
Balthasar eadem nocte, qua sacra vasa profanaverat, occiditur. *Dan.* V.
3449 Darius Medus, apud Xenophontem *Cyaxares*, & *Astyages* apud Danielem XIII. 65. Astyagis Medorum Regis filius, magnus avunculus Balthasaris, in Chaldæorum Imperium illi succedit. *Dan.* V. 30. 31. Vide & *Isai.* I. *&c.*
Danielis visiones, descriptæ Capitibus IX. X. XI. XII.
Cyrus a Medis desciscit, anno Darii Medi primo vel altero. *Dan.* X. 5.
3455 Daniel in leonum lacum mittitur. *Dan.* XI.
3456 Darius Medus, alio nomine Astyages, moritur: Cyrus succedit. *Dan.* XIII. 65.
3457 Finis Judaicæ captivitatis, primo Cyri anno Babylone imperantis. 2. XXXVI. 22. 1. *Esdr.* I. 1. Inchoatam vero libertatem intellige. Tota vaticinii Jeremiæ fides, absolutam libertatem Judæis pollicentis post annos septuaginta, expleta denique est sub Dario Hystaspis filio, anno Mundi 3485. quo Darius restaurandi Templi potestatem Judæis fecit.
3468 Historia Belis & Draconis. *Dan.* XIV.
3550 Septuaginta Hebdomades, a Daniele prædictæ, incipiunt. *Dan.* IX. 24.
Nehemias Jerosolymam rediit. 2. *Esdr.* II. 1. 6.

Si Tabulam hanc Chronologicam cum altera in Libros Historicos exarata, & cum temporum notis, subinde ad varia Commentariorum loca positis, compares, non leve discrimen invenies. Hujus dissidii causa est, quod in cæteris Usserium ferme sequuti sumus; hic aliud iter instituimus. At vide Tabulam Chronologicam universalem, quam in Biblico Dictionario dedimus, vel in fronte Historiæ Veteris & Novi Testamenti, ubi hæc dissidia conciliamus.

DISSERTATIO
DE SEPTUAGINTA HEBDOMADIS DANIELIS.

Aliorum observatione scitum est, lata de Messia vaticinia eo apertiora esse, quo ad ejus tempora propius accedunt. Cujus rei documentum exhibet, si quid aliud, luculentissimum Liberatoris adventus & Christi Domini interitus, post evolutas LXX. hebdomadas, Danielis oraculo prænunciati. Apertam adeo veritatem, & argumenti exinde in rem nostram deducti pondus, Judæi nunquam non sensisse visi, nullum non moverunt lapidem, ut molestæ sibi veritati tenebras offunderent. Patres & Authores Ecclesiastici vicissim omnem posuerunt operam, quo fidem oraculi in Jesu Christo impletam demonstrarent; quibus etiam in hac Dissertatione nos adstipulatores adjungimus. Est autem in ea re aliquid, de quo nemo in Ecclesia dissentiat, nimirum de Messia latum esse oraculum; sed ad eum scopum non omnes eadem via collineantes, varia invexerunt ex variis deducta supputationibus systemata.

Cum itaque Daniel oraculum Jeremiæ de restauranda Jerosolyma post LXX. annorum ruinam attentius legeret (1), Dominum supplex rogavit, ut ejus occultus sensus sibi panderetur. Angelus Gabriel virum conveniens, ita affatus est (2): *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & Sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Sciscitanti Prophetæ Angelus non directe quidem ad quæstionem respondit; sed interroganti de exitu LXX. annorum captivitatis, post sex vel septem annos mox solvendæ. Angelus ea occasione aliud longe majoris momenti mysterium, post LXX. hebdomadas referandum, pandit; interitum nempe Messiæ, ad quem oracula omnia & promissiones spectabant.

De hisce hebdomadis, ex quo demum constarent, quod habuerint exordium, quem exitum, diu multumque ambigitur. Origenes decem annos in singulos dies computans, hebdomadas singulas ex LXX. annis conflavit, cui proinde tota LXX. hebdomadarum periodus summam conficit 4900. annorum (3). Ex singulis Jubilæis, nempe ex XLIX. sive L. annis, vel septem hebdomadis annorum, singulas illas Rabbini constituunt (4), alii ex singulis sæculis, quibus LXX. hebdomadæ reddunt 7000. annos. Sanior tamen & recepta apud Interpretetes sententia, dies pro annis usurpat, ut LXX. hebdomadæ summam conficiant 490. annorum. Hæc annos numerandi ratio peculiaris erat Hebræis, quibus annus Sabbaticus post singulas annorum hebdomadas recurrebat (5). Quod autem Prophetam de hebdomadis annorum loquutum esse demonstrat, illud est, nimirum pro dimidio unius hebdomadæ tres annos & semis ab illo assignari. Lege caput IX. 27. collatum cum capite XII. 7. Stilo etiam Prophetarum dies pro anno censetur (6). Neque apud Profanos ignota septimanas annorum supputandi ratio. Varro de se ipso loquens (7), narrat ineunte duodecima hebdomada, nempe anno LXXXIV. voluminum septuaginta hebdomadas scripsisse, nempe CCCCXC. & Apollodorus (8) author est, Cadmi ætate hebdomadas ex octo annis constitisse.

Exordium harum hebdomadum facile, uti quidem apparet, definitur, ab iis saltem, qui ejus periodi exitum cum Baptismo vel obitu Christi componunt; nihil enim illis nisi retrograda supputatio conficienda est. Sed ea, in qua versamur Chronologiæ nocte factum est, ut plurimum inter Commentatores de ea re ambigatur. Ad exitum quod spectat, alii in Macchabæis ponunt, alii in natalitiis Messiæ; alii in eversione Templi per Romanos; alii in exitu Mundi.

Josephus & Porphyrius olim, teste S. Hieronymo in Præfat. lib. XI. Comment. in Isai. hanc de hebdomadis quæstionem agitaverant; & si quis conjecturæ locus remaneat, exitum statuerunt in persecutione Judaica per Antiochum Epiphanem; ad hanc enim Porphyrius ea omnia revocat, quæ in Libro Danielis leguntur (9); & Josephus (10) ad illam pariter refert excidium Templi, & intermissa triennio sacrificia; quæ omnia hujus Danielis oraculi veluti appendices haberi possunt (11). Eadem visa sunt Authori primi Macchabæorum I. 57. eadem Sixtus Senensis sæculo XVI. defendit; sicut & nostra ætate Eques Marshamus, Estius, nec prorsus abludit P. Harduinus, quemadmodum infra fusius disputabimus. Prætereundum hic ducimus Judam quemdam, qui hoc argumentum sub Severo Imperatore agitavit (12); quid enim sentiret in ea re, incertum est.

S. Hippolytus Martyr supputationem suam ducebat ab anno I. ante solutam captivitatem, simul statuens, ab illa usque ad natalitia Jesu Christi, LXII. hebdomadas; exitum vero postremæ hebdomadæ ante exitum Mundi rejiciendum putavit. Sed hujus sententiæ plura sunt incommoda. I. Plus nimio contrahit tempus illud, quod a primo anno Cyri & soluta captivitate ad usque natalitia Filii Dei interjacet. II. Reliquum vero temporis, exitum vaticinii spectans, plus nimio a ceteris partibus oraculi segregat.

Julio Africano primus (13) hujus periodi annus com-

(1) Dan. IX. 2. *Ego Daniel intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.* Vide Jerem. XXV. 11. *Erit universa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Et Jerem. XXIX. 10 *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos.* (2) Daniel IX. 24. ... 27. (3) Origen. Tract. 29. in Matt. (4) Rabb. apud Lyran. in Dan. IX. & Galatin. l. 4. c. 14. (5) Levitic. XXV. 8. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum.* (6) Vide Ezech. IV. 6. & Apocal. XII. 6. & XIII. 5. (7) Varro apud A. Gell. l. 3. c. 10. Ex Varrone lib. 1. de Hebdomadibus. *Tum ibi addit se quoque jam duodecim annorum hebdomadas ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomades Librorum conscripsisse.* (8) Apollodor. Biblioth. l. 3. c. 4. Ἦν δὲ ὁ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη. Vide Suidam in Cadmo, & Clementem Alexandr. lib. 1. Strom. (9) Porphyr. apud Hieronym. Præfat. expositionis in Dan. (10) Antiq. lib. 10. c. ult. (11) Dan. IX. 26. 27. (12) Apud Hieron. de Script. Eccl. (13) Jul. Afric. lib. V. Tempor. apud Hieron. in Dan. IX.

componitur cum vigesimo Artaxerxis, ex quo impetrata est a Nehemia facultas cum Judæam repetendi, cum mœnia Urbis farciendi (14); exitus vero statuitur in obitu Christi, anno, ut ipse quidem putat, xv. Tiberii. Censet autem, annos, de quibus apud Prophetam, lunares fuisse; quod item pluribus aliis Viris doctissimis visum est (15); satisque constat, ejus systema præ Vetustis omnibus commodissimum esse; dignum proinde quod, paucis mutatis, plures doctissimi nostræ ætatis Interpretes defendendum susceperint.

Ducit eam periodum S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. a primo anno Cyri Babylone regnantis, soluta captivitate, usque ad eversionem Templi per Titum. Laudat in eam rem Esdræ testimonium (16), facile e quarto Libro petitum, quamquam frustra in impressis locus quæritur; innuere autem in illo Esdra videtur futurum, ut Messias Jerosolymis pareat, post LXII. & septem adhuc hebdomadas evolutas, quibus Judæa bellis vacavit; sed nihil in eo testimonio satis distinctum, nihilque cohærens supputationibus optimorum Chronologorum, a Cyro usque ad postremam Templi eversionem, majorem multo quam 490. annorum summam conficientium.

Origenes in ea se dissidet; nam Stromatum libro x. (17) ejus periodi exordium constituebat primo anno Darii Medi, quo oraculum Danielis latum est (18), & exitum componebat cum Jesu Christi natalibus. Sed Tract. XXIX. in Matth. ab Adamo repetens Danielis hebdomadas, per totum spatium 4900. annorum ad usque Christum, sive eversionem Jerosolymæ deducebat; quod ab ipso assertum est, juxta invectam a se supputationem, hebdomadam in LXX. annos deputantem. Frustra absurdam hanc opinionem refutandam susciperemus.

Imperitiam suam rerum Chronologicarum, & historiæ Persarum prodidit in suo systemate Tertullianus in Libro adversus Judæos; periodum enim a Dario Medo (19) exursus, ejus hebdomadam LXII. & dimidiam, nempe annos 437. ad usque natalia Jesu Christi perducit, assignatis pro Regno Darii annis XIX. Obiisse vero statuit Jesum Christum anno XV. Tiberii; atque inter Christi exordia, & Urbis per Romanos eversionem, constituit LIII. annorum intervallum. Tot errores, quot verba in hac hypothesi; nihilque ex illa commodi, nisi quod jugem Ecclesiæ traditionem demonstrent de Septuaginta hebdomadis, ad Christi natalitia sive obitum deducendis, earumque exitu in eversione Templi Jerosolymitani statuendo.

Eusebius Cæsariensis (20) tres sententias recitat. I. Exordium ejus periodi repetit ab anno primo Cyri; claudit autem hebdomadam LXIX. in Hircano Summo Sacerdote, quem postremum Unctum Domini, sive postremum verum Sacerdotem Judæorum fuisse putat. Reliquam heddomadam, a prioribus longo spatio avulsam, ita distribuit: Jesus Christus in exordio illius Baptismate tinctus est, in medio ejus spatio cruci suffixus; eaque exeunte, fides Christiana ab Apostolis nunciata.

Altera hypothesis primam hebdomadam refert ad annum sextum Darii Hystaspis, absoluto Templo Jerosolymitano memorabilem, tum LXIX. hebdomadam componit cum obitu Hircani Summi Sacerdotis; reliqua deinde omnia, quemadmodum in priori hypothesi, distribuit. Tandem in ultima hypothesi liberam cuique facultatem permittit, ut quemcumque demum annum caput hujus periodi statuat, sive nempe primum Cyri, vel sextum Darii Hystaspis, exitum vero sive ineunte, sive absoluto Hircani Sacerdotio. Septuagesimam vero hebdomadam, cæteris diuturniorem, LXX. annorum spatio definit; ejus exordium in Baptismo Christi, exitum in Regno Trajani. Mirari subit, viro adeo rerum scientiæ & Chronologiæ perito hæc in eo argumento excidisse, ut ejus hypotheses in tam multis peccent. Monstrosum est plane illud de septuagesima hebdomada a cæteris avulsa; nec sane minus mirandum, quod illius spatium longius quam cæterarum protrahatur.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Cathech. XII. a Dario Medo, quem ipse male cum Dario Hystaspis miscet, hanc periodum repetens, exordium Regni ejusdem Principis consignat ad LXVI. Olympiadem. Anno Regni illius octavo restitutam Jerosolymam censet; ac tandem natalitia Jesu Christi componit cum CLXXXVI. Olympiade; totumque temporis a Dario usque ad natalitia Jesu Christi intervallum 483. annis, nempe LXIX. hebdomadis annorum dimetitur. Nihil vero reliquum addit de septuagesima hebdomada, quæ potissimum ad propheticum oraculum majoris est momenti. Gemina fere habet Sulpicius Severus in Historia Ecclesiastica, qui pariter silentio septuagesimam hebdomadam præterit, totamque periodum repetit ab anno XII. Darii Ochi [corrige Hystaspis] usque ad eversionem Templi Jerosolymitani, quam in exitu LXIX. hebdomadæ collocat.

S. Joanni Chrysostomo hom. 3. adv. Jud. tom. I. spatium est CCCCLXXXIII. annorum inter vigesimum Artaxerxis & excidium Templi per Romanos, quos duos terminos oraculo Danielis constituit. Exactius aliquid habet Theodoretus in Dan. IX. cui LXII. hebdomadæ annorum lunarium ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani usque ad obitum Summi Sacerdotis Hircani numerantur; hunc ille Sacerdotem, non secus ac Eusebius, postremum legitimorum Sacerdotum Hebræorum deputat. Exinde ad usque prædicationem Christi spatium est Theodoreto septem hebdomadarum. Superest septuagesima, quam mediam jam evolutam Jesus Christus obitu suo consecravit, Legisque Sacrificia, ad meritum & vim impetrandi quod attinet, cessavere; assignato reliquo ejusdem hebdomadæ spatio prædicationi Evangelii per Apostolos; & fœderi renovato cum Judæis illis, qui Christo per eam occasionem sese adjunxerunt.

Quidam apud S. Augustinum (21), totum hoc vaticinium de Antichristo exponentes, periodi hujus exitum cum mundi universi excidio componunt. Quorum ille, sicut & S. Hieronymus, impudentiam vituperat, qui audeant de rebus loqui humanam scientiam excedentibus, quas nonnisi divinitus facta revelatione comperras habere possimus. *Magis eligo cautam ignorantiam confiteri*, ait S. Augustinus, *quam falsam scientiam profiteri*.

Veteres Judæi, authore S. Hieronymo in Dan. IX. a Dario Medo, unde repetunt septuaginta hebdomadas, usque ad eversionem Urbis per Titum, assignant LXX. hebdomadarum intervallum. Octo reliquas excipit universæ gentis excidium sub Adriano. Nec illi quidem negare audebant, Messiam, quamquam alium a Christo, Danielis oraculo spectari. Plus aliquid illos, quam e re sua, fassos esse arbitrati Judæi recentiores, tene-

(14) 2. Esdr. I. c. II. 5. &c. (15) Peter. I. II. in Dan. 3. parte, Disput. de Septuag. Hebdomad. (16) Καὶ ὅπως ἐγένετο Χριστὸς Βασιλεὺς Ἰουδαίων ὁ γέμβρ... πληρουμένων τῶν ἑπτὰ ἑβδομάδων ἐν Ἱερουσαλήμ. Καὶ ἐν ταῖς ἑξήκοντα δύο ἑβδομάσιν ἡσύχασεν ἅπασα ἡ Ἰουδαία, καὶ ἐγένετο ἄνευ πολέμων, καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς, Ἅγιος τῶν ἁγίων ἐλθὼν, καὶ πληρώσας τὴν ὅρασιν, καὶ τὸν Προφήτην, ἐχρίσθη τὴν σάρκα τῷ πνεύματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. (17) Apud Hieron. in Dan. IX. (18) Dan. IX. 1. (19) Videtur cum Dario Notho miscuisse; sed revera ad literam loquitur de Dario, quo regnante oraculum editum est: constat autem, ad Regnum Darii Medi spectare, Dan. IX. 1. (20) Demonstr. Evang. lib. VIII. & apud Hieron. in Dan. IX. (21) August. Epist. 197. nov. Edit. Vide & Hieron. in Dan. IX. p. 1114. nov. edit. Ubi de Apollonio Laodiceno.

bras huic veritati offundere conantur. Sunt ex illis, qui tempus nati Messiæ jam inde evolutum affirment; sed ne veniret, crimina Judæorum obstitisse. Alii diris devovent eos, qui tempora supputarint, veriti, ne id studii plus aliquid lucis, quam e re illorum sit, veritatis amatoribus contulerit. Hillel transisse præscriptum a Prophetis adventus Messiæ tempus fatetur; frustra proinde venturum Messiam expectari; venisse enim jam inde sub Ezechia, quo tempore Prophetarum oracula omnia impleta sunt.

Sed doctissimis Judæorum contrahere visum est tempus inter Cyrum & eversionem Templi interjectum; quare totam Monarchiæ Persarum a Cyro periodum intra LII. annos definientes (22), quatuor in illa Reges pro decem constituunt. Qua semel invecta Chronologia, frustra quis a Cyro adusque Jesu Christi obitum CDLXXXVI. annos numaraverit. Ducunt autem septuaginta hebdomadas a prima Templi eversione per Nabuchodonosorem; ex qua ad eversionem usque Templi per Titum, spatium deputant CDXC. annorum. Geminos autem Unctos agnoscunt, Cyrum, in septima hebdomada; Agrippam II. post novissimam Urbis obsidionem Romæ occisum. Excepit hæc omnia, inquiunt, eversio Urbis *per Ducem*, nempe Titum; quæ Urbis desolatio ad usque bellum Gog & Magog, deinde a Messia expugnandorum, perseverabit. Ita plane philosophantur cum Rabbinis in gente sua clarissimis Jarchi & Abrabanel.

Tales adversarios, quibus summa est imperitia & pervicacia, frustra quis adductis argumentis refutaverit. Judæi enim nec profanos Authores legunt, nec veram Chronologiam a limine quidem salutarunt. Authores magni & parvi Chronici Judæorum recentiores sunt, quam ut aliquid in eam rem conferant; ille enim sæculo XII. hic sexto scripsisse creditur (23). Uterque hic Scriptor minime comparandus est cum Græcis Latinisque Scriptoribus, quibus utimur, aut cum Josepho, qui illos sequitur. Porro gemini illi Messiæ ab Hebræis inducti, nec menti nec verbis Danielis satis respondent. Quæ de occisione Junioris Agrippæ per Vespasianum post novissimam Urbis Metropolis obsidionem narrantur, commenta sunt Judæorum; nam satis quietam Romæ vitam duxisse Principem illum anno XIV. Domitiani, ex nummorum fide intelligimus. Sed ille curarum æstus, quo Rabbini jactantur, veritatis hujus oraculi indicium est, si quod aliud, apertissimum; venisse enim jam inde a pluribus sæculis Messiam nullo luculentiori argumento docemur, quam quod Rabbini offundendis huic veritati tenebris nihil relinquunt intentatum. Dionysius Carthusianus epistolam Rabbini Samuel ad Rabbinum Isaac refert, in quam suspicionis aliquid apud me creat major, quam pro Judæo, sinceritas. En integram.

„ Amplius videtur etiam, Domine mi, Danie-
„ lis prophetiam, quæ scribitur IX. capite, com-
„ pletam esse, ubi sic dicit: Postquam consum-
„ matæ, &c. Et non est, Domine mi, dubium,
„ quin destructio perpetuæ desolationis sit ista
„ captivitas, in qua jam sumus. Nam jam sunt
„ mille anni, & aperte dicit Dominus per Pro-
„ phetam, quod erit desolatio perpetua, propter
„ occisionem Christi; & sicut est desolatio nostra
„ post occisionem Christi. Non comminatus est
„ desolationem perpetuam, nisi post occisionem
„ Christi. Et si voluerimus dicere, quod ante
„ occisionem Christi fuerimus in desolatione,
„ respondent nobis Christiani, quod ante illam
„ mortem non fuit desolatio nisi septuaginta an-
„ nis; & post hoc fuimus reducti in terram pro-
„ missionis, & fuimus apud Deum in gratia &
„ honore. Certe, Domine mi, non vidi evasio-
„ nem contra populum, qui de facto probat no-
„ bis, quod post quam reædificatione Templi
„ fuere completæ septuaginta hebdomadæ (sup-
„ ple, annorum), quæ sunt anni abbreviati, tunc
„ fuit Jesus occisus a patribus nostris, & postea
„ venit Dux scilicet Titus, & populus, scilicet
„ Romani, & fecerunt nobis secundum prophe-
„ tiam istam. Hodie sunt mille anni, & sic in
„ ira Dei sumus, & tamen in ipso speramus.
„ Et si dicitur, quod Christus nondum venit,
„ sed cito sit venturus, & habebimus terram pro-
„ missionis, & reædificabimus civitatem, & ha-
„ bebimus gratiam Dei, & honorem in terra
„ nostra, & ista desolatio sit temporalis & non
„ perpetua; respondent nobis Christiani: Quæ
„ adhuc occisiu Christi, & adventus Titi, & po-
„ puli Romani, & desolatio pejor, quam ista, in
„ qua modo sumus, quia sunt mille anni? Heu,
„ mi Domine, non est excusatio seu evasio con-
„ sonans.

Quicumque ex nostris Interpretibus (24) Oraculum Danielis cum hac Hebræorum Chronologia componere studuerunt, revocare hebdomadatum periodum coacti sunt ad quartum annum Sedeciæ, ut scilicet ab ea epocha adusqua Templi eversionem per Romanos, annorum CDXC. summam conficiant. Sed præstat totam illam supputationem, vitiosam oppido, rejicere, atque in serie Regum post Cyrum nodi hujus prophetici solutionem requirere. Certum enim omnino est, Angelum de re futura sermonem instituisse, nec de re quacumque & incerta; ait enim; *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*. Inde repetendum est ejus periodi exordium, quod olim etiam veteribus Judæis visum est, iis præsertim qui arma in Romanos sumpserunt. Sperabant enim, mox proditurum Messiam, cejus ope prostratæ illorum res erigerentur; uti inter cæteros testatum reliquit Rabbinorum hujus postremi sæculi doctissimus (25).

Recepta communi suffragio nostra ætate apud Theologos, & Interpretes sententia (26) docet, annum vigesimum Artaxerxis Longimani cum primo Hebdomadarum esse componendum. Postrema hebdomada Jesus Christus, cruentum sacrificium Patri oblatus, veteribus sacrificiis atque figuris finem imposuit; atque in illo demum terminus imponitur LXX. Hebdomadis, sive CDXC. annorum periodo. Neque eadem omnibus supputandi ratio placet; quin & in ea re tantum libertati datum est, ut vix duo inter se omnino conveniant; quamquam fere omnes in illud collineant, quod a nobis jam propositum est. Nec sane aliter melius dubia omnia submoventur, atque historia sacra cum profana juncto fœdere conciliantur. Supersedemus tamen a molestis supputationibus afferendis, da quibus Chronologi.

Illud tamen monere operæ pretium duximus, totum opinionum dissidium in novem, vel decem annorum discrimine versari. Tot enim superesse videntur summæ CDXC. annorum inter XX. Artaxerxis adusque baptismum, sive prædicationem Jesu Christi. Huic autem difficultati respondet D. Le Pellejier (27), allatis argumentis demonstrans, vigesimum Artaxerxis apud Nehemiam (28) decimum esse Artaxerxis sine socio regnantis; par enim annorum spatium regnaverat cum Xerxe Patre suo, in societatem accitus. Ita plane dubitationes omnes subducuntur. Obiit J. Christus medio spatio postremæ hebdomadæ, nempe trien-

nio

(22) Seder-Olam Rabba c. 29. 30. & Seder-Olam Sutha. Vide Gana, Zemach, David. (23) Basnage, Histoire des Juifs lib. 6. chap. 22. art. 18. (24) Lyran. Burgens. Varab. Galat. (25) Manasse Ben-Israel de termino vitæ. (26) Ita Jul. Afric. Chrysost. Theod. Beda, Carth. Rupert. Zonar. S. Anton. Galat. Perer. Usser. ad ann. 3550. Lamy Appar. Chronologic. (27) Dissertation sur l'Arche de Noé chap. 22. pog. 455. & Suiv. 470. 471. (28) 2. Esdr. I. 1; II, 17. 18.

nio & dimidio post prædicationis initium. Ejus obitu vetus fœdus abrogatum, novum sanguine ipsius obsignatum est; abolita sacrificia, & cæremoniæ legales, novumque fœdus confirmatum Apostolorum opera, quibus præconibus & administris usus est Deus cum Judæis atque Ethnicis toto spatio trium annorum & dimidii post Christi obitum ad fidem conversis, usque ad postremæ hebdomadæ finem: evoluto eo spatio, Ecclesia Jesu Christi, semel constituta, novis in dies accessionibus crevit.

Huic systemati ardua sunt plura: I. Obitum Christi, firmatumque postrema hebdomada fœdus, non statim excepit sive excidium Jerosolymæ sive Templi, pervicacium Judæorum dispersio, ac tandem abominatio desolationis; quæ omnia proxime obitum Messiæ consequutura, & ante exitum hebdomadarum implenda fore, Daniel ipse prædixerat. Ait enim Propheta: post Messiæ obitum, *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit Populus, cum Duce ventura, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

II. Nunquam eo pervenerunt ejus assertores, ut post septuagesimam hebdomadam cessasse prorsus sacrificia Templi Jerosolymitani demonstrarent; cum potius quatuor annorum decadibus post obitum Jesu Christi perseveraverint. III. Quis ille *Unctus Domini*, post septimam hebdomadam, ex Danielis oraculo, proditurus, alter plane a *Christo Domini* post sexagesimam secundam septimanam neci tradendo? IV. Nulla satis congrua ratio afferri potest, cur Propheta spatium assignaverit XLIX. annorum, nempe VII. hebdomadarum, a secundo anno Artaxerxis pro restituendis mœnibus & munitionibus Jerosolymæ, iniquissimis omnino temporibus. V. Tandem Propheta diserte duos vaticinii sui terminos distinguit, alterum post VII. alterum post LXII. evolutas hebdomadas, ex quo pariter geminæ memorabiles epochæ distinguendæ videntur, cum in vulgari hypothesi nihil tale occurrat; neque enim VII. primas hebdomadas factum aliquod insigne a cæteris distinguit.

His forte ducti rationibus recentiores quidam Chronologi, LXX. hebdomadarum finem constituunt persecutionem Antiochi Epiphanis, idquod olim etiam Porphyrio, Josepho, & Authori primi Macchabæorum visum fuisse supra animadvertimus. Veterem hanc opinionem e situ ac tenebris in lucem nostra ætate Marshamus Canon. Ægypt. sæcul. 18. revocavit. Ita vero ille: Darius Medus, quo regnante Daniel oraculum suum edidit, idem qui apud Æschylum (29) memoratur, Susas urbem expugnavit. Porro ille censet, tres illas hebdomadas jejunii, a Daniele suscepti (30), ex annis constitisse, productumque a Propheta jejunium a capta urbe eversoque Templo per Nabuchodonosorem usque ad captas a Dario illo Susas, nempe XXI. annorum spatio. Excepit deinde primo Darii anno (31) Danielis visio, ex quo usque ad primum Cyri Babylone regnantis annos XLIX. sive VII. annorum hebdomadas idem Marshamus enumerat. Porro Cyrus ipse est Christus Domini: *Usque ad Christum Ducem hebdomades septem*; vel, si malueris, tot annorum spatium constituendum est usque ad reditum Zorobabelis & Summi Sacerdotis Jesu, quos ambos Christos Domini Zacharias IV. 14. appellavit *Duos filios olei*. Norat autem Daniel evolutas jam tres hebdomadas annorum, sive XXI. annos captivitatis populi, cum ipse Angelum alloqueretur. Dicit autem ab illo, septem tantum hebdomadas sive XLIX. annos superesse, ut septuaginta anni captivitatis a Jeremia prædictæ absolverentur.

Hebdomades sexaginta duæ, quibus evolutis, *rursum*, ait Propheta IX. 25. *ædificabitur platea & muri*, ducendæ sunt a soluta captivitate usque ad primum annum Antiochi Epiphanis. Vix enim captivitate liberatus populus nihil habuit antiquius, quam ut prostratum Templum repararet; quamquam sæpe intermissum opus non nisi post XXXI. annos, nempe septimo Darii Hystaspis, stetit. Tunc cœpere sacrificia, CCCXLII. annis, nempe usque ad Antiochum Epiphanem, producta, eaque anno septimo illius regni intermissa, secundo Judæ Macchabæi anno rediere. Est autem, ex Marshami calculis, ab anno primo Cyri usque ad secundum Judæ Macchabæi, LXIII. hebdomadarum annorum, adjectis sex mensibus, nempe CDXLIV. annorum & dimidii intervallum.

Ita vero hypothesim suam probat: Templum Jerosolymitanum eversum est anno XLI. Nabopolassaris, Per. Jul. 4107. adde his 444. summam conficies annorum Per. Jul. 4551. qui nempe annus componitur cum secundo Regni Asmonæorum, initi a parta per Judam de Apollonio victoria (32), purgatoque Templo, atque Sacrificiis restitutis.

Superest annus Per. Jul. 4551. cum secundo Judæ Macchabæi componendus. Porro Regnum Asmonæorum claudit Jerosolymæ expugnatio per Herodem & Sosium; Coss. Agrippa & Gallo, an. Per. Jul. 4677. Tota ejus Regni periodus, authore Josepho, clauditur CXXVI. annis; quibus detractis a summa 4677. annorum superest annus 4551. primus initi a Juda Macchabæo Regni.

Ea igitur quo pacto, juxta Marshamum, tota hebdomadarum Danielis ratio constat. I. Septem hebdomadæ, sive XLIX. anni a primo Darii Medi usque ad primum Cyri excurrerunt. II. Hebdomadæ LXII. sive anni CDXXXIV. numerantur ab inito per Cyrum Regno usque ad primum Antiochi. III. Succedit hebdomada, sive septem annorum periodus, ab Epiphane ad usque profanationem Templi deducens. IV. Jungitur hebdomadæ dimidium sive tres anni & dimidius, ut a profanatione per Antiochum usque ad expiationem Templi ejusdem per Judam Macchabæum perveniatur. Exponit autem illud (33), *Christus occidetur*, de Sacrorum cessatione, & dispersione Sacerdotum sub Epiphane; legit enim cum Græco: *Unctio destruetur* (34). Ac tandem arbitratur, hoc Danielis oraculum, quod capite IX. 24. 25. 26. 27. expressum est, ad idem propositum ferri, quo alterum capitibus VII. & VIII. descriptum, nempe ad persequutionem Antiochi in Judæos.

Sed in eo systemate illud maxime vitiosum reprehenditur, quod constitutam hucusque Ecclesiæ authoritate sententiam evertat, Christianæ Ecclesiæ utilissimam adversus Ethnicos & Judæos, dum totius oraculi vim intra Cyrum, Epiphanem, Templi excidium, & Sacerdotum dispersionem definit. Actum est enim de Christo ejusque obitu; actum de confirmato fœdere, everso Templo; actum de oraculo Christianæ Religionis veritatem asserente.

Miscendos etiam statuit Darium Medum, post Balthasarem regnantem, & Darium priscum, Susarum expugnatorem; quod sane ambiguum est pluribus. Multo etiam majoris indaginis res est, quæ ab ipso asseritur, Regem illum, quo rerum potiente Daniel oraculum edidit, & Cyri exordia solo XLIX. annorum sive septem hebdomadarum intervallo separari: repugnat enim huic Authoris opinioni historiarum & monumentorum, quæ supersunt, omnium fides. Ratum etiam constituit, quod maxime, & ægre fuerat probandum, annos LXX. captivitatis apud Jeremiam, componi cum

(29) In Persis. (30) Dan. X. 2. 3. (31) Dan. IX. 1. 2. (32) I. Macchab. III. 11. IV. 52. (33) Dan. IX. 26. (34) Ἐξολοθρευθήσεται χρῖσμα.

anno eversæ Jerosolymæ per Nabuchodonosorem. Nostris Chronologis visum est, periodum illam statuendam esse anno IV. Joachimi Regis Juda, & duodevigesimo ante eversam urbem & Templum. Nec minori temeritate dimetitur CDXL. annorum intervallo totum illud spatium, quod inter Cyri crepundia & Judam Macchabæum interjacet, discrepat enim universa ejus Chronologia ab Usseriana, intra D. annorum spatium, non minus LXXX. annorum dissidio. Hæc sane majora videntur, quam ut illius Scriptoris hypothesim sequamur.

Accusatus a P. Lamy Oratorii P. Harduinus de asserto Marshami systemate, egregie se ipsum purgavit (3). Nec sane injuria, cum non semel, nec una in re ab Anglo illo dissideat; & quod caput est, defendit Harduinus, omnem oraculi illius fidem impletam in obitu Jesu Christi eversaque Urbe & Templo ob tanti parricidii ultionem; quod autem sub Macchabæis in Onia summo Sacerdote, violataque Templi religione per Antiochum Epiphanem contigit, non nisi emblemate quodam futuris Jesu Christi eventibus (4), & iis quæ deinde expectanda fuerant, prælusisse. Hoc P. Harduini systema, cum Marshamus nihil aliud spectaret, quam Macchabæos, nihil de futuris Jesu Christi eventibus curans.

Ita proinde totam hujus oraculi seriem exponit Harduinus in Chronologia V. T. impressa Parisiis, anno 1696. & fusius in ejusdem Operis Apologia adversus P. Lamy. Angelus ita Danielem affatur: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: Ego veni ut indicarem tibi* (5). Christus in gente sua ungendus erit, neci tradendus in urbe metropoli. In sceleris ultionem Deus urbem sanctam Templumque evertet, dissipato insuper populo tanti criminis reo. Sed hæc longe majoris momenti aliis in Messia implendis præludent.

Ducito igitur summam LXX. hebdomadarum ex annis constantium, quarum periodus figuras omnes Messiæ, in ipsius vita & post ejus obitum implendas, complectetur. Ita vero hebdomadas distribues. Primarum septem caput est tempus ab oraculo Jeremiæ XXV. 11. deductum, quo scilicet Propheta LXX. annorum captivitatem populo suo minatus, eo evoluto spatio in patriam revocandum fore prædicit. Porro septem illæ hebdomades ferme jam fluxerunt, cum in primum Cyri, nempe Christi mei (6), annum desinant. A primo Cyri anno, & exitu LXX. annorum captivitatis succedunt LXII. hebdomadæ annorum, quas excipit Judas Macchabæus, alter e meis Unctis, & figura Messiæ.

Post septem hebdomadum, in Cyro desinentium, periodum, *Sanctus Sanctorum ungetur*; nempe Jesue, filius Josedechi, Summus Sacerdos, sacro muneri fungendo restitutus, victimas, ut olim, mactabit. Post LXII. hebdomadas inter Cyrum & Judam, alterum Sanctum Sanctorum ungendum, necique tradendum scias; quod de Onia Summo Sacerdote accipiendum ast neci tradito Antiochiæ (7), ante profanatam ab Antiocho Epiphane Templi religionem. Summus ille Sacerdos virtutis invidia neci traditus, dignam gerit figuram Jesu Christi, supplicio in urbe Jerosolyma perempti; quemadmodum & profanatio Templi sub Antiocho Epiphane alteri præludit, capta urbe Metropoli a Romanis. Hactenus doctus ille Jesuita.

Non vacat hic vitia omnia recensere, quæ a P. Lamy in ea hypothesi deprehenduntur: hoc tantummodo animadversione dignum duco, numerari ab illo LXII. hebdomadas annorum inter geminos Unctos, nempe inter Cyrum & Judam Macchabæum. Qui vero potuit Judas neci tradi exeunte sexagesima secunda hebdomada? *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*; cum ipse in medio septuagesimæ hebdomadæ restituisse sacrificia, Templumque expiasse dicatur? Verum, inquit P. Harduinus, Christus ille neci traditus exeunte LXII. hebdomada, ipse est Onias Summus Sacerdos Antiochiæ peremptus. Si ergo Onias Christi nomine a Daniele designatur, cur eodem nomine significatur Judas Macchabæus? Etantne duo simul Christi, duosque coævos viros ejusdem nominis, propheticum oraculum ad literam spectabat? Scitum est, Oniam diem clausisse Antiochiæ tribus sive quatuor annis ante expiatum a Juda Templum. Adde, verba illa, *Ut ungatur Sanctus Sanctorum*, sive de unctione Sacerdotali, qua initiatus est Jesu Filius Josedechi exeunte septem hebdomadarum periodo usurpari, sive de initiato Onia post LXII. evolutas hebdomadas, quod utrumque arduum est & incommodum. I. Præter Scripturæ morem accidit, neque unquam allatis ab Harduino locis demonstratur (8), Summos Sacerdotes *Sancti Sanctorum* titulo designari. II. Fallitur vir doctus, eum initiatum Oniam statuit exeunte sexagesima secunda hebdomada; nam eodem anno, ex P. Harduino, occisus, Sacerdotium XXX. annis antea susceptum reliquit.

Cæterum ejus systema nihil habet fidei repugnans; statuit enim Jesum Christum tanquam universæ prophetiæ scopum, quo primum collineasse Spiritum Sanctum certat; nihil etiam invehit a moribus Prophetarum abhorrens, quibus solenne est, ut insigni aliquo Veteris Testamenti facto typum constituant & figuram Messiæ; ut scilicet oraculi fide demonstrata, æquioribus deinde mentibus alterius sensus, in Messia deinde implendi, veritatem persuadeant. Nihil etiam Fidei repugnare viri docti systema ex eo constat, quod nullam plane sententiam Ecclesia cæteris præferendam statuerit; atque in varias opiniones abeuntes Patres, & Doctores Catholici integram nostris Interpretibus reliquerint, ut quamcumque demum maluerint, hypothesim tueantur: quare non desunt Interpretes Catholici ejusdem opinionis assertores (9). P. Harduini meditamenta bodie antiquata sunt, & merito utpote quæ antiquitati & menti Ecclesiæ adversari deprehenduntur. Quin & fratres ejus improbarunt illa & impugnarunt. Nos eamdem viam secuti, alterum systema procudendum suscipimus, forte minoribus incommodis obnoxium.

Angelus Gabriel, Prophetam allocutus, venisse se a Deo interpretem dixit, ut postulata ab ipso Propheta omnia exponeret; nempe Jeremiæ oraculum de LXX. annis captivitatis, quo Prophetæ vota tendebant (10). Eadem occasione, alterum, ait Angelus, tibi mysterium pandam: *Septuaginta hebdomades* (annorum nempe, spatium CDXC. annorum conficientes) *abbreviatæ sunt* (nempe constitutæ) *super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio* (Jeremiæ nempe, sive aliæ Danielis) *& Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum* (Templo Domini scilicet vetus religio per expiationem restituatur). *Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis* (ad Jeremiam habiti (11) de restituenda urbe post natum captivitatis) *usque ad Christum Ducem*, a quo in libertatem restituemini (nempe Cyrum Unctum (12) Domini) *hebdomades septem* (sive XLIX. anni); quibus evolutis, *ædificabitur* Urbs, & Templum (13).

Post Cyrum, restitutosque in libertatem Judæos, sue-

[1] Harduin. de LXX. hebdomad. Daniel. adversus R. P. Bern. Lamy. In edit. Operum Harduini, apud de Lorma, pag. 882. &c. [4] Harduin. Ibid. pag. 885. col. 1. [5] Dan. 12. 23. &c. [6] Isai. XLV. 1. [7] 2. Macchab. IV. 32. 33. 34. [8] Harduini Defensi pag. 857. 888. [9] Estius, Sixtus Senensis, Biblioth. lib. 8. Hæres. 12. pag. 644. Harduin. locis cit. [10] Cap. 12. 1. 2. [11] Jerem. 51. 19. [12] Isai. XLV. 1. [13] Esdr. 15. 12. 13.

succedent hebdomades *sexaginta duæ*, *& rursum ædificabitur platea*, *& muri in angustia temporum*; nempe rerum potientibus Persis, & Græcis, negotium Judæis facient Samaritani, veteres Judæorum hostes magis quam finitimi. Tandem *post hebdomadas* LXII. *occidetur Christus* (Onias summus Sacerdos Antiochiæ) *& non erit ei Populus* (hæres (14) e genere suo). *Et civitatem*, *& sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo* [Antiocho], *& finis ejus vastitas*, *& post finem statuta desolatio*.

Hebdomada hæc postrema confirmabit *pactum multis*, Domini nempe cum probis Israelitis (15), qui partibus Macchabæorum, & Religioni faventes, adversarios se præbuerunt ceteris ab avita religione desciscentibus; *In dimidio hebdomadis deficiet hostia*, *& sacrificium*, *& erit in Populo abominatio desolationis* (Idolum Jovis in Templo constituetur), *& usque ad consummationem*, *& finem* (nempe hebdomadæ) *perseverabit desolatio*.

Huc collineant oracula omnia Prophetæ, quæ nempe recitantur capitibus VII. VIII. IX. X. XI. XII. Utique enim Daniel eventus omnes gentis suæ in Oriente a Cyro usque ad Antiochum Epiphanem persequitur. Idem autem factum variata pluries specie exhibet, ut scilicet altius in mente hominum ejus veritas imprimatur. Semel & iterum Deus Danieli grande illud & memorabile factum exposuit. I. Sub emblemate quatuor animalium e mari emergentium (16). II. Objecta decem cornuum specie (17). Tristes illæ ac variæ futurarum calamitatum species, in urbis Templique, suis sub ruinis tunc sepultorum, excidium desinentes, in eas angustias virum redegerant, ut consulenda Jeremiæ vaticinia statuerit, quo exitum captivitatis, futuramque Urbis & Templi restaurationem scrutaretur. Cum vero anceps sollicitusque revolveret, num anni septuaginta ab illo præscripti tempus calamitatum protogandarum designaret, sive potius finiendarum periodum, querelas ea de re suas cum Domino instituit. Heu, Domine! nondum res Urbis prostratæ restitutæ sunt, nondum Populi captivitas soluta est; tu vero novum veteribus oneribus addis, malis mala continuas! Quando ergo miseris ærumnarum finis imponetur? Quando Liberator prodibit, *ut adducatur justitia sempiterna*? Jeremias solvendam captivitatem post LXX. annos prænunciavit: quis ergo annorum finis?

Ea accepta occasione, Angelus Gabriel docet Danielem res post *Christum Regem* futuras, nempe post Cyrum, ex vaticinio Isaiæ XLV. 1. 13. adusque *abominationem desolationis*, totam ejus temporis historiam prosecutus, quod a restituta Jerosolyma & Templo sub Cyro adusque desolationem sub Antiocho jacet. Hæc omnia peragenda spatio LXX. hebdomadarum nuncians, ita totum illud tempus distribuit. Post habitum Domini sermonem ad Jeremiam, *ab exitu sermonis*, usque ad Cyrum Regem unctum, & a Domino pro restituendo in libertatem populo destinatum: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro .... ipse ædificabit Civitatem meam*, *& captivitatem meam dimittet*; hæc, inquam, duo *hebdomades septem*, nempe XLIX. annorum intervallum disterminabit.

Res plane congruit; nam ab anno captæ Urbis, Per. Jul. 4126. & Mundi 3416. adusque primum Cyri, Mundi 3468. anni XLIX. interjacent. Porro hæc annorum periodus non conficit quidem summam LXX. annorum captivitatis apud Jeremiam; sed septem illarum decadum exordium constituendum est anno quarto Joakimi, Mundi 3398. plurimis adductis in captivitatem Babylonicam Judæis memorabili (18). Supra jam animadvertimus, S. Hippolytum Martyrem septem priores hebdomadas Danielis ante Cyrum duxisse; & Petrus Blesensis (19) verba illa usque *ad Christum Regem* de Cyro Rege Persarum interpretatur.

Verum, ut LXX. hebdomadarum oraculum assequamur, ipsum consuli Prophetam oportet. Narrat ille (20), se non plane assecutum hujus ænigmatis mysterium, inquietum animo iterum ad consulendum Dominum se contulisse; votique tandem compotem factum, Angeli Gabrielis eloquio didicisse omnia. Eo igitur docente, brevioribus verbis intellexit Imperii Persarum excidium, quod in Alexandrum translatum, deinde cum ejus Imperio universo, in partes scindendum erat. Tum fusius Gabriel mala omnia exponit, ab Epiphane in Judæos inferenda (21). Cum igitur Angelus mysterium LXX. hebdomadarum expositurus, non nisi de persecutione Antiochi disserat, conjecturæ non exiguus locus datur, eo tendere LXII. hebdomadarum periodum, a Principe Uncto usque ad abominationem desolationis, nempe usque ad Macchabæos evolvendam, ut ad Antiochum deducat.

Hisce LXX. hebdomadis peractis, ait Angelus: *Finem accipiet peccatum*, *& delebitur iniquitas*, *& adducetur justitia sempiterna*, *& implebitur visio & prophetia*, *& ungetur Sanctus Sanctorum*: quibus verbis spectatum credimus illud Jeremiæ, L. 18. 19. *Ego visitabo Regem Babylonis*, *sicut visitavi Regem Assur*, *& reducam Israel ad habitaculum suum*. *In tempore illo*, *ait Dominus*, *quæretur iniquitas Israel*, *& non erit*, *& peccatum Juda*, *& non invenietur*, *quoniam propitius ero eis quos reliquero*. Hæc Jeremias apertissime de solvenda captivitate, evertendoque Cyri armis Imperio Chaldæorum: spectat autem oraculum sive ad annum captæ Jerosolymæ, sive ad alterum proxime succedentem.

Horum igitur oraculorum fides implenda expectabatur, sive post evolutas septem hebdomadas, sive LXII. aliis succedentibus elapsis. Ad nostram hypothesim pronius arbitramur, in exitu VII. hebdomadarum impletum oraculum constituere; id enim adstruunt Israelis soluta captivitate felicitas, Babylonis ruina & calamitas, apertis verbis in oraculo sub ea epocha expressa. Tunc sane Deus, scelerum populi sui oblitus, id commisit, ut idololatria editione Juda & Jerosolymæ penitus abigeretur, ungeretur iterum *Sanctus Sanctorum*, Templo scilicet dedicato sacrificia restituerentur.

Macchabæorum Libri (22) statuunt ad exitum hebdomadæ LXII. ea, quæ olim de abominatione desolationis in loco sancto prædicta sunt; ait enim, ex Danielis oraculo: *Ædificavit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super altare Dei*. Persuasum igitur habebat Author, Danielis hebdomadas in ipso Antiochi Regno desiisse. Omittenda autem censeo argumenta Chronologica a Marshamo & P. Harduino in hanc sententiam adducta, quibus scilicet, inita periodo illa ab exordio Cyri, ad annum decimum Epiphanis & secundum Judæ Macchabæi numerari annos CCXLI. demonstrant. Usserius tamen non nisi CCCLXXII. annos recenset.

Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, idest, Summus Sacerdos Onias; ac deinde altera proxime succedente hebdomada, in medio ejus cursu sacrificia in Templo cessarunt, ac cedente religione, abominatio desolationis successit. Is rerum status tribus annis & dimidio, ad exitum scilicet septuagesimæ hebdomadæ, mansit; nam eo elapso termino, Judas Macchabæus purgato Templo, Sacrificia cultumque Domini revocavit, quemadmodum ex Macchabæis (23) intelligimus.

De

[14] Dan. IX. 26. יכרת משיח ואין לו [15] 1. Macch. II. 27. *Omnis qui zelum habet legis*, *statuens testamentum*, *exeat post me*. Et 2. Macch. VIII. 1. [16] Dan. VII. [17] Dan. VIII. [18] Vide 2. Par. XXXVI. 6. [19] Petr. Bles. lib. 1. advers. perfid. Jud. Ex Petro Alfonso Judæo converso, apud Harduin. [20] Daniel. X. 1, 2, 4. 12. 21. [21] Daniel. XI. 12. [22] Maccab. I. 17. [23] 2. Macch. IV. 36. & 52.

De Uncto Domini hæc Angelus addit: *Et non erit populus, qui eum negaturus est* (24); seu potius, non erit hæres, qui Summum Pontificatum post illum obtineat. Utrumque ad fidem veritatis. Cum enim Onias Antiochiam ad causam pro se diceodam vanisset, Menelaum invasi Sacerdotii, violatæque Templi Jerosolymitani religionis accusavit. Andtonicus, qui Regis vicibus absente Epiphane fungebatur, auro Menelai corruptus, Oniam dolo malo ex asylo Daphnes, quo confugerat, eductum statim neci tradidit. Erat Oniæ filius ejusdem nominis; qui eum se frustra avitum Sacerdotium postulaturum intelligeret, æmulos nactus potentissimos, in Ægyptum concessit, ubi comiter a Judæis exceptus, ædificato ibidem Templo Domini, sacris illius præfuit. Ita plane sua fides stetit oraculo, quo nullus neci Oniæ tradito futurus hæres prænunciabatur.

Hisce tamen conjecturis, non levibus plane nec futilibus, quibus exitus LXX. hebdomadarum in purificatione Templi per Judam Maccbabæum constituitur, nequidquam obstantibus, tutissimum tamen atque optimum censemus, ejus periodi exitum constituere in obitu Christi, initium vero anno XX. Artaxerxis Longimani: septuagesimæ hebdomadæ caput in Baptismo Christi, qua dimidio sui cursu evoluta, Christus obiit, atque inde post tres annos & dimidium tota denique periodus absolvitur. Neque nos incommoda hujus sententiæ dissimulavimus; sed quæ hypothesis dubitationes omnes subducit? Verba ipsa vaticinii pronnm habent sensum in Jesu Christo & Messia vero Uncto Domini, expiandis sceleribus Juda, Israelis, atque omnium denique mortalium necato. Cum illo enim perpetuo assedit justitia; ipse Sanctus Sanctorum initiatus est, sive in re sive in typo Ecclesiæ suæ, Ecclesiæ scilicet sanguine ipsius formatæ, purificatæ, & per Spiritum Sanctum veritate & gratia consecratæ.

Norant Veteres Judæi, Messiam circa ea tempora proditurum, quibus Jesus Christus apparuit; evideas plane argumentum, exitum LXX. hebdomadarum eodem tempore illos constituisse. Veterea Christiani omnes ita Oraculum interpretati sunt; & sub Augusti ac Tiberii Regno in eam expectationem arrectæ gentes omnes, Desideratum cunctis gentibus venturum opperiebantur. Post hæc omnia, nihil supererat desiderandum, quam ut vir aliquis produceretur, in quem omnes Messiæ notæ apud Veteres Prophetas expressæ convenirent. Hæc satis esse videbantur, ut homines agnoscere virum possent; & si qui noscere recusarent, pervicaciæ accusarentur. Prodiit interim Christus, qui magno prodigiorum apparatu Filii Dei & Messiæ personam gessit. Omnes in illo spectabantur expressæ a nobis notæ; ipse enim verus Christus est & Unctus Domini (25), neci traditus, ab omnibus derelictus, prole carens, cui nemo par est; sed hærede & successore relicto. Reliquit enim Ecclesiæ suæ Principes Apostolos, quos Patres constituit innumeræ propemodum turbæ Filiorum Dei, Fratrum & cohæredum Jesu Christi (26). Ab illo data peccantibus venia, deleta iniquitas, expiata prævaricatio (27); ab illo æternum justitiæ Regnum in mundo constitutum est (28). Ejus necem sequutum est excidium Urbis & Templi, omni præcisa restaurationis spe; sacrificia abrogata & penitus suppressa; abominatio in loco Sancto constituta (29). Quid horum negare audeant Judæi? Simile nescio quid sub Macchabæis spectatum est, quod tamen futuris hisce tamquam figura quædam prælusit. Nunquam tamen Judæis venit in mentem, ut Messiam venisse per ea tempora dicerent. Interim Judæorum atque Ethnicorum immensa multitudo, quorum posteritate Ecclesia Christiana componitur, causam contra illos dicentes, Jesum Christum verum esse Messiam ex impleta Oraculorum in illo fide testantur (30).

Qua ætate Jesu Christus prodiit, *percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur* (31). Unde porro fama illa per orbem, nisi ea Judæa, ubi vetustissima atque probatissima oracula servabantur? Cur eo potissimum tempore rumor increbuit, nisi quod viri ejus gentis doctissimi proditurum eo tempore Messiam certa quadam ex Oraculis Prophetarum deducta traditione tenerent? *Pluribus*, ait Tacitus Histor. lib. V. cap. 14. *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur.*

Josephus Judæus & Sacerdos, rerum ac religionis gentis suæ peritissimus, tradit, De bello, lib. VII. cap. 12. nihil sollicitasse magis Judæorum in defectionem animos, quam quod vaticiniis quibusdam, præpostero sensu acceptis, ax Judæa oriturus Princeps, totius orbis imperio pollens, spondebatur. Plures Judæorum Sapientes hæc pro se oracula interpretati, in expectationem temporalis Principis erigebantur, qui detracto genti dominationis Romanæ jugo, Regnum per universum late orbem propagaret. Hæc vulgo apud Judæos recepta persuasio; qua in re falli illos ita concedimus, ut neque Josephus meliora ominaretur, oraculorum fidem in Vespasiano, cum Imperator in Oriente salutatus est, impletam arbitratus. Magi Jerosolymam post natum Christum venientes, nedum aspectu novi sideris, sed multo etiam magis sparsa novi Regis in Oriente prodituri fama acciti sunt, Matt. II. 1. 2. Nec Romæ ignotum, quod in toto ferme Orbe vulgatum erat; nam Virgilius Eclog. IV. initio, de natalitiis filii Pollionis usurpat carmina Sybillæ, aureum sæculum, atque divinum quemdam infantem, magnificis sententiis celebrantia.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.
Jam nova progenies Cælo demittitur alto.

---

[24] Daniel. IX. 26. יכרת משיח ואין לו *Excidetur Unctus, & non ei.* [25] Luc. IV. 17. Act. XXVI. 27. X. 37. 38. [26] Rom. VIII. 17. 1. Petr. III. 7. [27] Luc. XXIV. 45. 46. Rom. III. 24. Coloss. II. 2. 13. 14. [28] Luc. I. 35. Act. XI. 27. III. 14. Rom. II. 26. 1. Cor. I. 30. 2. Cor. V. 21. [29] Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. [30] Vide Matth. XI. 13. Hebr. I. 1. 2. Rom. I. 4. [31] Sueton. in Vespas. cap. VII.

IN

IN HEBDOMADAS DANIELIS

MEDITATIONES NOVÆ

AUCTORE P. GREGORIO BERTHELET.

CONvenire inter omnes debet versiculos XXIV. XXVII. cap. IX. Danielis abditum ita sensum habere, ut assequi ægerrime possit. Itaque postulationem illam Angeli Gabrielis ut dictis suis mentem adhiberet Propheta: *tu ergo animadverte sermonem & intellige visionem*, Daniel. IX. 23. æquissimam extitisse agnoscamus oportet. Oraculum hoc, quod modo discussioni subjiciendum est, de Messiæ adventu Judæi veteres exponebant. Juxta stabilitam ab illis supputationem, quam ex numero hebdomadarum conficiebant, ducta in computum singularum hebdomadarum periodo, inspectisque notis a Daniele expressis, Messias eo potissimum temporis articulo in mundum prodiisse debuit, quo Christus venit in lucem. Sanctissimæ illud vitæ institutum a Joanne Baptista susceptum suspicionem illis indidit, num ipse esset tandiu expectatus Messias: *Tu es qui venturus es; an alium expectamus?* Luc. VII. 19. Igitur si Judæi, qui Messiam in Jesu Christo noscere recusarunt, non ideo profecto difficiles ea in re se præbuerunt, quod cernerent Jesum alieno a designatione Prophetæ tempore prodiisse; sed ex eo potissimum retenti sunt, quod in Christo non ea agnoscerent signa, quibus juxta eorum opinionem, Messias distinguendus erat. Futurum enim rebantur, ut Messias mundum universum suo subjecturus esset imperio.

Tradit Josephus de Bello lib. 7. cap. 12. nihil magis contulisse ad fovendam augendamque Judæorum in Romanos defectionem, quam quod ex male pervasa oraculorum quorundam veritate futurum crederent exorturum e suo genere Principem, orbis universi domitorem gloriosum. Hanc ipsam opinionem de Messia hucusque ab illis expectato hodie pariter Hebræi retinent. Qui enim per universam terræ faciem dispersi sunt Judæi idem pariter ac olim Judæi Hierosolymitani opinantur de tempore adventus Messiæ: hisce vero omnibus una sic reputandi ratio lucurrit, oraculum Danielis, quod in eandem omnes sententiam interpretantur. Pronum est credamus persuasionem illam in omnia dispersionis suæ loca secum illos tulisse, & ab ipsis magistris didicisse Paganos, qui ejusdem traditionis adumbrationes quasdam in carminibus Cumææ Sybillæ tributis expresserunt. Virgilius Ecl. IV.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo;
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Totum per Orientem rumor pervaserat, ex Judæa proditurum Regem totius orbis domitorem: *In Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*, ait Svetonius in Vespasiano. Gemina habet Tacitus Annal. lib. 5. cap. 14. *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore ut valeret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur.*

Veteres Ecclesiæ Patres atque fere omnes Commentariorum Scriptores oraculum, quod nobis explicandum proponimus, perinde [nec immerito illi quidem] habuerunt, ac si unum esset ex maximis de veritate adventus Messiæ argumentum adversus Judæorum ostinatam pervicaciam: *Illud in præfatione commoneo, nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo; non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit docet:* ait S. Hieronymus in procemio in Danielem. Cum tamen ventum est ad explicandum oraculum istud indendumque verbis sensum justum & implexa inter se gemina oracula distinguenda; [duo enim sunt, alterum de adventu Messiæ, de novo fœdere ab eo stabiliendo cum Judæis, ac de ejus obitu: alterum de eversione templi urbisque Jerusalem per Romanos] cum res est de annorum hebdomadalium finibus distinguendis, de epochis collocandis, de certo termino periodo huic assignando, de monstrando tandem vaticinia illa præstituto in tempore fidem suam obtinuisse, tunc versantur in angustiis, abeuntque in diversa: ut tot sint sententiæ, quot homines quæstionem hanc versantes. Ambages hasce sentiens S. Hieronymus, nihilque satis certi demonstratum esse intelligens, satius duxit se continere, singularumque sententiarum argumentis expensis, rem integram lectoribus suis permittere; *Scio*, inquit in Daniel. 9. *de hac quæstione ab eruditissimis viris varie disputatum, & unumquemque pro captu ingenii sui dixisse quod senserat. Quia igitur periculosissimum est de magistrorum ecclesiæ judicare sententiis, & alterum præferre alteri, dicam quod unusquisque senserit, lectoris arbitrio relinquens cujus suppositionem sequi debeat.* Certum fixumque teneo Judæos, qui Messiam ad certum tempus quo reipsa prodiit expectabant, aliter ac nos Danielis hebdomadas supputasse; vix enim alioqui devenire potuissent ad tempus fixum, quo revera Messias venit. Certum insuper mihi est, supputationem illam, quam majorum traditione tenebant, quæque super alias justissima censenda est, ad seros nepotes non pervenisse, ut nec illam resciverint Christiani scriptores, quorum opera ad nos transmissa sunt. Hinc tanta sententiarum varietas derivata est in re, quæ olim exploratissima habebatur.

Quidam, ut S. Hyppolitus martyr apud Hieronym. in Dan. IX. caput hebdomadarum Danielis constituunt quinquagesimum annum ante finem Babylonicæ captivitatis, scilicet mundi 3418. Porro ille, septem hebdomadas annorum computans, annos XLIX. conficit usque ad primum Cyri in Chaldæa regnantis, qui Mundi est annus 3468. Ex hoc anno, qui idem est cum reditu e captivitate, usque ad annum natalem Jesu Christi numerat LXII. alias hebdomadas annorum, reddentes 434. annos, eamque periodum annis prioribus 3468. adjicit. Ex his tamen omnibus nonnisi ad annum mundi 3092. pertingit, quod sane multum adhuc distat ab exordio Jesu Christi nempe anno 4044. & multum etiam longius ab eversione templi per Romanos anno 4074.

Julius Africanus apud Hieron. ibid. hebdomadas septuaginta exorditur, qui Judææ restituit Nehemiam auctum facultate reparandæ urbis & mœnium Jerusalem, anno Mundi 3550. Periodum vero hanc anno emortuali Jesu Christi, quem componit cum quintodecimo imperantis Tiberii, absolvit. Censet insuper annos hebdomadarum illarum septuaginta reddentes annos 490. extitisse lunares, adeoque redigendas ad 475. solares circiter. Ex hoc autem quid conficitur, nisi ut summa annorum 4026. expleatur? Is vero annus ab emortuali Christi superatur decennio.

Clementi Alexandrino apud eumdem ibidem incipiunt hebdomadæ septuaginta a primo anno Cyri Babylone regnantis; desinunt vero ejus opinione in ever-

eversione templi sub Tito. Verum quid agetcum excurrant anni ultra 490. ab exordio Cyri scilicet anno 3468. usque ad annum 4074. quo templum a Romanis eversum est? Superfluunt anni 116.

Si Origenem audias, primo anno Darii Medi Daniel per visum Angelum loquentem auscultavit [annum mundi quo res gesta est nullum signat] cœptam periodum hanc anno natali Jesu Christi claudit. Alibi ita numerat hebdomadas, ac si singulæ LXX. annos complerent, ut septuaginta hebdomadæ sint anni 4900. Prioris hebdomadæ primum annum in ipso mundi exordio collocat; postremæ vero novissimum cum exordio J. Christi conjungit. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. XII. ponit priorem Danielis hebdomadam in Dario Medo, quem præpostere confundit cum Dario filio Hystaspis regnantis ab anno sextæ & sexagesimę Olympiadis Mundi 3512. & anno octavo regni sui urbem Judęorum metropolim restituentis. Christum vero natum statuit anno Mundi 3992. His vero ita stabilitis, hebdomadas novem & sexaginta, sive annos 483. supputat ab exordio Darii, qualem sibi fingit, usque ad Christum natum. De septuagesima hebdomada nihil mutit.

Eusebius Cæsariensis Demonstr. Evang. lib. 8. tres varias sententias oraculum Danielis explicantes proponit; quarum alia primum septuaginta hebdomadarum & primum regni Cyri annum Mundi 3468. conjungit; hebdomadæ vero sexagesimæ postremum annum cum priori Pontificatus Hircani, quem credit esse novissimum unctum, vel Summum Sacerdotem legitimum Judæorum. Pontificatus vero illius exordium fuit annus Mundi 3942. quo neci traditus ille fuit ab Herode anno 3974. Hebdomada septuagesima ab auctoribus hujus sententię transfertur ad Baptisma Christi abluti sacris aquis in exordio ejusdem hebdomadę, & in medio ejusdem interfecti. Quod reliquum est hebdomadis anni scilicet tres & semis in annuncianda Jesu Christi fide ab Apostolis impensum est.

Alterius sententiæ exordium prioris e septuaginta hebdomatibus idem est cum sexto Regni Darii Hystaspis, & anno Mundi 3485. exitus sexagesimæ nonæ hebdomadæ necem Hircano Summo Pontifici infert. Septuagesima vero hebdomada ad Baptismum Christi translata est.

Tertia tandem opinio, quam ipse Eusebius concepit, priorem e septuaginta hebdomatibus ducit a primo Cyri sive a sexto Darii Hystaspis; postremam vero hebdomadam (quam LXX. annos æquare censet) auspicatur ab exordio sive ab exitu acceptæ ab Hircano sacræ dignitatis, & ad exordia Trajani perducit.

S. Chrysostomus hom. 3. adv. Judæos intervallum hebdomadarum novem & sexaginta sive annorum 483. constituit a vigesimo Artaxerxis, cadente in annum 3551. ad vastatum a Romanis templum; quæ sane periodus non excurrit ultra annum 4034. Eversio vero templi nonnisi anno 4074. contigit. Theodoretus in cap. IX. Dan. cohærens S. Chrysostomo, firmat anno vigesimo Artaxerxis epocham hebdomadarum sexaginta duarum, sive annorum 434. Lunarium, qui nonnisi solares annos 421. explent, periodum vero istam absolvit in obitu Hircani Summi Sacerdotis, anno 3974. ex quo dein usque ad Baptismum Christi numerat septimanas XLIX. annorum lunarium. Ex Christi Baptismo septuagesimam septimanam supputat.

Judęi ævo S. Hieronymi, ut ipse testatur in c. IX. Dan. caput septuagiata hebdomadarum Danielis cum Darii Medii anno primo jungebant; hebdomadam vero sexagesimam secundam complebant in everso a Tito sacro ædificio. Reliquas usque ad septuagesimam rejiciebant ad deletam funditus gentem sub Adriano. Judæi nostrates periodum septuaginta hebdomadarum statuunt in eversione prioris templi sub Nabuchodonosore anno 3416. cum supputatione instituta pertingunt usque ad eversionem secundi templi a Tito dejecti, quæ periodus est annorum 490. Profecto illi, ut inanem annorum numerum absque fructu conficiant, supputandi rationem plane singularem, quæ nec historiæ sacræ, neque profanæ congruat, sibi construerunt.

Ex tam multis scriptorum opinionibus hic exactis, quæ firmiori nititur fundamento, & majori scriptorum calculo comprobatur, Julii Africani sententia est, ea nempe, quæ (uti jam diximus) illigat initium septuaginta hebdomadum anno vigesimo Artaxerxis, & in obitu Christi resolvit. Hujus systematis, cujus primas tantum lineas auctor ille adumbraverat, opus totum nostrates licet compleverunt, adhuc tamen multa remanent ardua, quas nemo adhuc sustulit. I. Septuaginta hebdomades annorum lunarium sive anni 490. lunares, & 476. solares additi 3450. non majorem periodum quam annorum 4076. ferunt. II. Intra hoc annorum intervallum templi eversio nequaquam comprehenditur.

Eques Marshamus in Chron. sæc. 18. pag. 614. impetrare a se non valens ut opinionem hanc admitteret, aliam excogitavit plane suam. Supputat ille septem hebdomadas annorum, idest annos 49. ab anno primo Darii in Perside regnantis, qui Mundi est 3419. (hoc enim ipso anno Danielem hæc per visum spectasse censet) usque ad annum primum Cyri Babylone regnantis annum Mundi 3468.

Ex hoc ipso periodum ducit hebdomadum LXII. idest annorum 434. usque ad eum annum, quo Antiochus Epiphanes rerum potitus est. Ab exordio Epiphanis usque ad violationem templi statuit ille hebdomadam VII. annorum; ex quo usque ad expiationem ejusdem Templi per Judam Macchabæum est illi medium hebdomadis idest anni tres & semis; quæ tota summa exhibet annos 444. Hi vero additi anno 3468. deducunt usque ad annum 3912. quod multum excurrit ultra annum 3840. quo Judas Macchabæus templum expiavit, sunt enim anni LXXII. superflui.

Porro ille verba versiculi XXVI. hebraica יכרת משיח *exterminabitur unctio* exponit de abolito toto Sacerdotali ministerio: imo verbo ad insectationem Antiochi Epiphanis refert omnia, quæ leguntur in versiculis XXIV. XXVII. Hæc Anglici Scriptoris interpretatio extenuat, imo funditus evertit firmissimum argumentum pro asserendo dogmate christiano contra Judæos & Paganos de Messiæ adventu & obitu. Opponit se pariter testimonio Jesu Christi, qui Danielis dicta hæc accipit de eversione templi per Romanos: *cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta* Matth. XXIV. 15. Utique systematis hujus primum membrum de anno aditi a Dario Medo Persarum regni Mundi 3419. & captivitatis Babylonicæ (cœptæ anno 3397. anno vigesimo primo) verum esse potuerit: nunquid tamen admiserimus Danielem sub imperio Regum Babyloniæ natum vaticinia sua signasse annis Regis alieni, nempe Darii, qui Chaldææ regnum nonnisi post Balthasarem anno mundi 3448. obtinuit? Hoc igitur primo anno Darii Medi, qui Mundi est 3448. propheta edoctus fuit primum per visum de adventu Messiæ, & templi eversione; nec citius vaticinia hæc statui possunt. Membrum alterum, in quo sibi demonstrandum assumit nonnisi periodum hebdomadum sexaginta trium & semis, idest annorum 444. intercurrere a primo anno Cyri Babylone regnantis usque ad expiatum a Juda Macchabæo templum, adstruit chronologicam rationem plane contrariam illi, quam sacri omnes chronologi agnoverunt. Neque enim viri illi docti deprehenderunt nisi annos 372. a reditu e captivitate usque ad expiationem illam templi (anno mundi 3840. assignandam) adeoque & oraculum Danielis aliam iannit vexationem, aliamque templi desolationem quam quæ inducta est ab Antiocho Epiphane a Daniele superius in capitibus VII. VIII. XI. XII. descripta.

pta. Etsi autem ambo hæc vaticinia affinitatis habent aliquid, spectata vexantium potentia (Epiphanis scilicet & Titi); inspecta etiam utrinque idolorum invectione in templum; non recte tamen ex hoc inferas ambo illa confundi oportere, neque unum extitisse utrinque consilium & causam.

Superest nunc, novam aliam proferam interpretationem ad oraculum hoc Danielis (quod crucem hucusque fixit interpretibus) exponendum. Profecto mihi non sumo refutanda Julii Africani meditamenta, quæ justissima inter cætera omnia hucusque excogitata semper judicavi; conabor tamen ad terminum illum pertingere quo tendit chronologus iste doctissimus; diversa tamen via, ut iter istud meum eversionem templi a Romanis & Messiæ adventum simul conjungat cum fine hebdomadarum, quas Daniel stabilivit.

Dan. ix. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

ỿ. 25. Scito igitur & animadverte: ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades VII. *& hebdomades* LXII. *erunt. Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.*

ỿ. 26. Et post hebdomades LXII. *occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est; & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

ỿ. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo desolatio abominationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

Ad pervadendum intimum horumce versiculorum sensum animadvertisse opus est I. contineri hisce gemina vaticinia simul juncta & admixta, alterum de Messiæ adventu, alterum de vastatione templi injuria Romanorum. Nec novum est exemplum, in Psalmis præsertim, de vaticiniis variis & distinctis simul commixtis & confusis, ceu illud Isaiæ: *ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet. Qui antequam sciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Duo hic distinguere licet oracula; aliud de adventu Messiæ divino miraculo a Virgine concipiendi: *Ecce Virgo concipiet.* Neque enim hæc Virgo designat Isaiæ uxorem, cui tunc jam erat filius adultior; neque pariter Virginem, quam ducturus esset Propheta, cum illa, ex qua alterum filium genuit, appellata jam fuerit superius Prophetissa, nempe uxor Prophetæ. Verba hæc *Virgo concipiet, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, vaticinium ferunt singulare cum altero plane admixtum & conjunctum, protendens ortum *Casebas*, qui filius erat alter Isaiæ. Sunt etiam in eodem vaticinio alia plura ad Messiam referenda cum aliis implexa, quæ Cyrum respiciunt. Pariter Jesus Christus vaticinium de adventu mundi implicat cum eversione proxima templi, auctoribus Romanis.

II. Noscendum est, quot annorum periodum septimanæ ab Angelo Gabriele definitæ ferant; num æqualis sit omnibus, num aliarum longiores, aliarum vero breviores. Qua in re agnoscendum est, apud Hebræos septenarium numerum religiosum haberi, quod in Mundi conditione Deus intra sex dies opus compleverit, septimo cessaverit. Hinc supputationes suas omnes in septenarium conferunt. Erant apud illos septimanæ dierum, quarum postrema dies sabbathum; erant septimanæ septimanarum idest septimanæ diebus XLIX. constantes, cujusmodi ratione Pascha cum Pentecoste conjungebat septimana una; erant septimanæ sabbaticæ septem annos æquantes, quarum postremo anno ager otiabatur; erant septimanæ septimanarum ad XLIX. annos porrectæ, annum jubilarem inserentes, quibus annis evolutis herus captivum suum, si Judæus esset, manumittere cogebatur; erant septimanæ decem annorum; numerus enim denarius non minus sacer erat apud illos quam septenarius, forte quod totidem essent præcepta Dei. Geminos hosce numeros denarium & septenarium multiplicabant inter se, & sæpe alterum ex altero. *Septuplum dabitur ultio de Cajen; de Lamech vero septuagies septies*: Gen. IV. 24. & Daniel VII. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei.* Norant etiam septimanas septimanarum, constantes decem annis in singulas, vel, si mavis, septimanæ erant decem annorum in septem ductæ, quæ annos LXX. conficiebant.

III. In his Angeli verbis, distinguendæ sunt plures septimanæ septimanarum, sive septimanæ annorum, singularumque initium & finis determinandus; præsertim vero definiendum est exordium & exitus hebdomadum sexaginta duarum, quas complere debuit vaticinii, quod erat inter alios potissimum, exitus. Quicumque operam suam contulerunt ad explicandum oraculum istud Danielis, nihil aliud sibi proposuerunt, quam investigationem septuaginta hebdomadum ex septem annis in singulas constantium, inferentiumque periodum annorum 490. Exordium sibi aliquod præstituunt calculi, quem absolvunt in ortu seu baptismo Christi, qui & scopus est vaticiniorum Danielis. Mihi vero alia est supputatio; statuo enim hebdomades sexaginta duas decem annorum in singulas, nempe annorum 620. periodum. Exordium ejus conjungo cum priori anno Darii Medi Mundi 3448. eodem scilicet, quo Daniel ab Angelo hæc audivit; quam annorum telam prædico anno Mundi 4068. eodem scilicet, quo Vespasianus suam in Judæa expeditionem suscepit.

Alterum septenarium septimanarum decem annorum in singulas (quæ conficiunt annos LXX.) jam cœperat, cum Daniel cœleste istud ostentum spectavit; prior hebdomada cœpit anno Mundi 3398. quarto Joachimi in Juda regnantis, quo postremum anno Nabuchodonosor Jerosolymæ optimates in captivitatem deduxit; absolvenda vero illa fuit anno I. Cyri, Mundi 3468.

Alterius septenarii caput est annus mundi 3416. cum Nabuchodonosor templum igne vastavit, idemque annus erat Sedeciæ XI. Finis hujus extitit annus 3986. quintus Darii Hystaspis, innovantis & proclamantis eodem ipso anno edictum olim a Cyro datum anno regni sui primo, ut urbs Jerusalem restitueretur. Ejus vero innovatio ideo repetenda erat, quod iniquitate osorum Judaici nominis prius illud suspensum & antiquatum erat.

Ex nostra sententia tertium annorum septenarium collocandum est inter annum 3486. & 3556. Eodem tempore vel circiter Nehemias urbem Jerusalem mœnibus cinxit, ejusque munimenta sarcivit impetrata ab Artaxerse Longimano facultate anno regni ejus vigesimo, Mundi 3550.

Secundum hæc periodum instituimus duarum & sexaginta hebdomadum, decem annorum in singulas, quæ simul annos 620. reddunt; exordium ejus figentes anno I. Darii Medii, Mundi 3448. & finem anno Mundi 4068. quo Romanorum expeditio in Judæam cœpit.

Intra hanc 620. annorum periodum accipimus septimanam annorum LXX. quam ducimus ex anno 3498. eodem scilicet, quo Christus natus est; eamque claudimus anno 4068. Intra hanc ipsam hebdomadam futurum erat, ut Messias toto vitæ suæ spatio compositurus esset novum fœdus cum pluribus e gente sua; quod semel stabilitum post mortem suam confirmaret per Apostolos suos, quoadusque gens quædam extera una cum Duce suo veniret, everteret urbem & templum, exterminaret totam gentem, & in captivitatem deduceret.

cetet. Romanorum hoc bellum in Judæos media hebdomada decem annorum perſeveravit, quinquennio ſcilicet, cœpto anno 4068. Porro favilla iſta viribus ſemper aucta eſt, quoaduſque totum plane templum corripuerit anno 4074. atque tunc demum ſacrificia & oblationes (quæ ibi nunquam ante id tempus ceſſaverant) penitus deſierunt.

Hæc ſunt meditamenta noſtra, quæ componi poſſe credimus cum textu hebraico Danielis, vertendo illum paulo immutata punctorum ratione; paulo, inquam; aliter ac apud Septuaginta, Syriacum, & Uulgatam exprimitur.

Primo anno regni Darii, filii Aſſueri (ſeu Aſtyagis e ſtirpe Medorum) in Chaldæa rerum potientis, & tertio Cyri in Perſide regnantis, quinquageſimo captivitatis (cœptæ anno IV. Joachimi Regis Juda, anno Mundi 3398.) ac Mundi 3449. Daniel oracula Jeremiæ legens, animadverterat exprimi in iis futurum, ut captivitas Judæorum ultra LXX. annos non prorogaretur, iiſque demum completis, gens in libertatem aſſereretur: *cum cœperint in Babylone compleri* LXX. *anni*, *viſitabo vos*. Jerem. xxix. 10. & xxv. 11. cumque nullam cerneret imminentis hujus liberationis præviam lucem, metuebat, ne ſponſio iſta Dei certæ alicui conditioni alligaretur, ejuſque eventum in aliud tempus prorogaretur. Hæc meditans, vultum ſuum & oculos convertit in eam orbis plagam, in qua jacebat Jeruſalem, verſuſque in preces, addito jejunio ſimulque ſacco aſſumpto, ac in cinere provolutus, humiliori habitu ſcelera ſua totiuſque populi coram Deo confeſſus eſt in hanc fere ſententiam intima mentis ſuæ ſenſa exprimendo: audi humilis famuli preces, ſumme Deus, qui ad nutum rebelles tuos punis, quique fœderis a te ſanciti leges ſancte obſervas, qui & miſereris omnium amore te & obſequio proſequentium. Crimen in te admiſimus, terga a te convertimus, ad voces Prophetarum tuo nomine loquentium, aures ſurdas præbuimus. Summa æquitate egiſti in nos, meritoque te flagellante punimur.

℣. 16. 19. Ut ad miſerendum nobis flectaris obſecramus, & tam nobis mitis ſis rogamus, quantum ſeverius animadvertiſti. Averte oculos tuos iratos ab urbe Jeruſalem, cujus hodie miſera ſuperſunt rudera, memoria recolens hanc olim fuiſſe urbem ex tuo, quod ferebat, nomine venerabilem. Detorque fulmen tuum a populo tuo, qui hodie ludibrio eſt omnibus gentibus, inter quas jacet diſperſus merito ſcelerum a majoribus ſuis patratorum. Lumina tua converte in montem olim ſolum templi tui, quod templum hodie deſolatum & everſum eſt. Id vero beneficii non quidem juſtitiæ noſtræ merito impetraturos confidimus, ſed ea ſpe, quam in tua clementia collocavimus.

Has preces ad tres continuas hebdomadas nempe dies XXI. Daniel prorogavit; cum vero poſtremus jam dies illuceſceret, ac Propheta operi eidem ſuo inſiſteret, quo tempore offerebatur holocauſtum veſpertinum in templo, *tempore veſpertini ſacrificii*, Angelus quidem Gabriel, qui antehac ſub hominis imagine ſe illi ſpectandum præbuerat, obtulit ſe iterum roganti, & in hanc ſententiam loquutus eſt: Daniel, vix ad precandum numen animum adjeciſti, Deus tibi homini ſibi gratiſſimo, *vir deſideriorum es*, aures benignas præbuit; idcirco me ad te deſtinavit, ut futuros eventus gentis ſuæ, templi, urbiſque Jeruſalem prænunciarem, *nunc egreſſus ſum ut docerem te & intelligeres*. Mente igitur adverte, & intimum verborum meorum ſenſum pervade.

℣. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam*; ſeptimanæ ſeptimanarum decem annorum in ſingulas conficientes annos LXX. jam fixæ & determinatæ ſunt decreto Dei pro futuris viciſſitudinibus, quæ gentem tuam urbemque ſanctam agitabunt. (1) *Ut conſummetur prævaricatio*, antequam, ſeu quoaduſque prævaricatio ſiſtatur, claudatur, & veluti alligetur, ut a ſuo curſu cogatur deſiſtere. *& finem accipiat peccatum*, quoaduſque ſcelerum remiſſio fiat literis patentibus Dei ſigillo munitis.

Et deleatur iniquitas; antequam iniquitas Dei oculis abſcondatur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta ſunt peccata* Pſ. aaai. 1. *& adducatur juſtitia ſempiterna*, quoaduſque æterna juſtitia in terram revertatur: *& impleatur viſio & prophetia*; antequam ea, quæ prophetis extra ſe raptis revelata ſunt, fidem ab eventu obtineant: *& ungatur Sauctus Sanctorum*: antequam Sanctus antonomaſtice ungatur: Spiritus Domini ſuper me eo quod unxerit me Dominus, ad annuntiandum manſuetis miſit me (2) & recipiat (a Deo Patre) deſtinationem ſuam.

Harum ſeptimanarum altera jam cœpit, quarum prior exorta eſt anno 3398. abſolveturque anno 3468. cum Cyrus gentem tuam in Judæam remittet; altera occepit anno 3416. ac deſinet anno 3486. tunc vero templum reſtaurabitur.

℣. 25. *Scito igitur & animadverte ab exitu ſermonis*, Hebræus fert *Scies & intelliges*; noſces ex eventu veritatem eorum, quæ tibi pando, ut iterum ædificetur Jeruſalem; antequam ſeu uſque ad illud tempus, quo urbs in veterem formam reſtituetur.

Uſque ad Chriſtum ducem hebdomadas ſeptem. Ante adventum Chriſti populi mei ductores effluent ſeptem hebdomades decem annorum, annos ſeptuaginta ferentes, incipienteſque ab anno 3486. nempe ab eo quo templum reſtitutum eſt, anno VII. Darii Hyſtaſpis, abſolventurque anno 3556. cum Nehemias & munimentis & ædificiis reparaverit urbem data ſibi in eam rem facultate ab Artaxerſe Longimano anno regni ſui xx. & mundi 3550. (3)

Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum; intra breve ſpatium temporis urbs ejuſque munimenta reſtaurabuntur.

Et poſt hebdomades LXII. *occidetur Chriſtus*. Ad finem vergentibus hebdomadibus hiſce duabus & ſexaginta ואחרי השבעים ושנים in noviſſima periodi hujus hebdomada Chriſtus neci tradetur יכרת excidetur (de terra viventium). *Et non erit populus ejus, qui eum negaturus eſt*: Hebræus fert tantummodo ואין לו & non ei. Septuaginta reddiderunt, *& judicium non eſt in eo*; inique cum illo agetur & immerito. *Et civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo*. Poſt hæc extera gens ſub duce ſuo (Tito) veniet, urbem templumque perdet. ישחית in hanc mentem exponitur Gen. XVIII. 32. *non perdam civitatem propter decem*: & Pſ. LXXVIII. 38. *& non diſperdet eos*; *& finis ejus vaſtitas*; nec curſum vaſtationis ſuæ diſrumpet, quemadmodum exundans amnis non ante accurrendo deſiſtit quam regionem totam vaſtaverit.

Vaſtatio iſta & deſolatio decurrendo creſcet uſque ad finem belli; ita enim liaum adeo eſt ועד קץ מלחמה נחר צת משממות *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*. Chriſtus initum

[1] Ita interpretor voces haſce שבעים שבעים נחתך לכלא הפשה punctorum ratione immutata: ſignificari etiam poſſunt ſeptimanæ & ſeptimanæ, vel tandem *hebdomados ſeptuagena*, ideſt ex annis ſeptuaginta. Non diſſimiles loquendi phraſes recurrunt in Scriptura velut Gen. VII. 2. *ex omnibus animantibus tolles* Septem ſeptem ideſt ſeptem ex ſingulis generibus. Gen. XXXII. 16. *& dedit in manibus ſervorum ſuorum gregem gregem*, ideſt ſingulis famulis gregem ſuum. Iſai. LVIII. 2. *me die die quærunt*. Hebræum נחך ſingulare eſt, quamquam ejus rectua plurale ſit, quod pariter commune eſt apud Hebræos; ita Geneſ. I. 14. *fiat luminaria*, Gen. XLIX. 22. *filiæ diſcurrit*, pro filiæ diſcurrunt. [2] Iſai. LXI. 1. [3] 2. Par. XXXVI. 22. 23. & 1. Eſdr. 1. 1... 7. & Eſdr. VII.

tum a se fœdus addito majori robore confirmabit una in hebdomada septuaginta annorum, quæ anno natalis sui cœpta, & usque ad ejus mortem & ultra producta est; confirmabit autem per Apostolos suos ab anno natali suo Mundi 4008. usque ad annum 4068. quo Romanorum armis edomita Judæorum gens in captivitatem abducetur.

Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Hac evoluta annorum septuaginta hebdomada, Romani arma in gentem inferent, bello media hebdomada decem annorum perseveraturo, nempe quinquannali bello. Incipiet anno 4068. absolveturque anno 4073. Hoc tandem anno templum armis expugnabitur, profanabitur, igne ultore delebitur, neque tunc amplius excipiet sacrificia cæterasque oblationes ceu panis, vini, olei &c. ut antehac semper.

Et erit in templo abominatio desolationis. Hebræus legit ועל כרף שקוצים משמם *& super omnes alas sive angulos*. Et in omni latere urbis & templi Romanorum insignia desolatoris (Titi) imaginibus picta erigentur.

Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Nec antea ruina a Deo decreta cessabit ועד כלה נחרצה quam urbs tota & templum exterminetur

Hunc sensum indo quatuor postremis versiculis cap. IX. Danielis; id tamen mihi nequaquam arrogo, ut credam, rem mihi melius successisse, quam aliis viris doctissimis, qui meditamenta sua in eam rem nobis dederunt. Tantummodo mihi persuadeo, admisso plurium septimanarum discrimine, ut sint septimanæ decennales, tunc fieri commode posse, nulla facta vi primævo textui, & facile demonstrari oracula Danielis de solutione captivitatis, templi, urbisque restitutione, de adventu Messiæ, de eversione secundi templi & urbis per Romanos, exitum suum obtinuisse ad certum tempus a Daniele definitum. Si vero exordia & fines harum hebdomadarum satis exacte non respondent chronologiæ optime supputatæ, hoc ideo evenisse credo, quod rationes istæ temporum usque adeo exactæ non sint, ut non interdum aliquibus annis abundent vel deficiant, ex quo defectu vel superfluitate factum est, ut tempori ab Angelo Gabriele definito adamussim non congruant.

Die XXVIII. Junii 1744.

D. GREGORIUS BERTHELET.

In hoc systema novum Animadversiones

P. AUGUSTINI CALMET.

Systematis hujus author statuit Hebræis in usu fuisse septimanas annorum septuaginta decem annorum in singulas; *quod optime fundatum est ex Scriptura. Scitum est enim fuisse illis septimanas dierum septem; item decem in singulas; ita pariter & decem constantes annis periodum annorum septuaginta conficientes*. ℣. *Isai*. XI. 15. 17. *Jerem*. XXV. 11. 2. *Paral*. XVI. 21. *Jerem*. XXIX. 10. *Zach*. I. *Danielis oraculum* IX. 24. 25. 26. 27. *scopum habet duplicem, nempe Urbis eversionem ex Romanis, & Messiæ adventum & interitum*

A Danielis ætate adusque Urbem & Templum a Romanis eversos spatium septuaginta hebdomadum certum fixumque intercedit. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum &c.

I. Epocha.	Annus quartus Joakim quo Nabuchodonosor Judæos manumisit	Anno Mundi 3398. 70.	
		3468.	
II. Epocha.	Undecimus annus Sedeciæ quo Templum exustum est a Chaldæis.	3416. 70.	
		3486.	
III. Epocha.	Quintus annus Darii filii Hystaspis, qui Templi reparationem curavit; quod factum est a Nehemia.	3486. 70.	
		3556.	
			Juxta meum systema
IV. Epocha.	A restituto per Nehemiam Templo usque ad natum J. C. hebdomades 62. decem annorum conficiunt annos 620. caduntque in annum 4006.	3486. 620.	3556. 434.
		4006.	4000.



DISSERTATIO
DE METAMORPHOSI NABUCHODONOSORIS.

POST prorogatos per universum late Orientem Regni sui fines, Nabuchodonosor Rex Chaldææ fastu tumens & ambitione, Babylonem regressus est; pacisque ac victoriarum fructibus colligendis intentus, ad ornandam amplissimam Urbem curas omnes converterat. Accidit inter hæc, ut per quietem proceræ cujusdam arboris dejectæ, confractæ atque concisæ, speciem sibi exhibitam cerneret, ejus arboris truncus solummodo & radix servata sunt; sed arbor eversa, vinculisque sive annulis ferreis & æreis constricta. Arcanum illud ænigma Daniel Regi pandens, arboris specie Regem ipsum ejusque Imperium designari ait; sciret autem, Deum fastu ejus indignatum, ad agendam ferarum more, procul a consuetudine hominum, in agro vitam ipsum damnasse. Dan. iv. 22. Ibi vero rore Cœli perfusum, atque aeris injuriis expositum, herbam carpturum instar bruti, donec ad mentem revocatus nosceret, mortalibus Regibus Immortalem & Altissimum dominari. Aliquanto post, Rex ille dum secum glorrabundus agitabat, quæ & quanta Babylone fecisset, subita voce easdem sibi minas intentari audiit. Nec mora, statim in bovem conversus, ex aula cœtuque hominum pulsus, ad belluarum ordinem redactus est.

Novum adeo mirumque factum pluribus conjecturis variisque opinionibus locum præbuit. Origenes apud Hier. in Dan. iv. pro consueto sibi more arduos Scripturæ locos ad allegorias flectendi, putat Nabuchodonosoris nomen Luciferum e Cælo lapsum a Propheta describi. Vix enim historico & literali sensu constare posse omnia, quæ apud Prophetam de ea re leguntur, arbitratus est. Qui enim, inquit, fieri potuit, ut homo bovis formam caperet? Hæc Poetis quidem socios Ulyssis, & Diomedis in aves luposque conversos narrantibus, ridemus. Potuisset ne vero Princeps delicatissimus, atque mollioris vitæ deliciis assuetus, nudus integro septennio injurias aeris tolerare, solis herbis agrestibusque fructibus pasci? Quo pacto tam longo temporis spatio derelictus, belluarum immanitatem superaret? Eo vero absente, quis Chaldæorum Imperium moderatus est? Quomodo autem, a suis olim abjectus, postea receptus & solio iterum impositus est? Tandem insignem adeo & memorabilem historiam silentio ne pressissent Historici profani, cum minoris momenti plura de eodem Principe literis consignata posteritati tradiderint? Ita differit Origenes.

Sed neque tanti Viri nomine, neque validis in specie argumentis quisquam hactenus moveri potuit. Nemo enim hujus historiæ veritati refragari ausus est, quamquam non sine opinionum dissidio, quo carere argumentum adeo difficile & extraordinarium minime poterat. His tamen non rei ipsius veritas, sed rei præstitæ ratio negotium facit.

Sex in hoc argumento variæ sententiæ distinguendæ sunt: I. Origenis, de qua supra. II. Bodini (1), putantis, Nabuchodonosorem in verum taurum transisse, ut forma & mente pariter hominis deposita, taurus omnino fieret; denique ita corpore & anima in ferum transisse, uti Alberto Pericof accidisse narrant (2). Cum enim ille æque locuples & avarus, unius noctis jactura greges universos, plurium annorum sudore, iniquitate, & scelere collectos amisisset, moleste adeo & acerbe rem tulit, ut mœrore furens, in Cœlum globum tormentarium explodere ausus fuerit, simul indigna plurima jactans. Nec mora; sanguineis quibusdam guttis sudare aer visus; homo autem impius in canem nigerrimum conversus, morticinia gregis sui voraci dente lacerare canis more aggressus est. Hanc narrationem Cluverius non ex fide testium utcumque, sed oculatorum refert.

Alios autem juvat (3), metamorphosim illam ad externam modo corporis formam, non vero ad animam referre; quod etiam in Apulejo contigisse, vi carminum Magicorum in asinum, corporis tantum specie, translatu, retenta hominis mente & spiritu, ipse de se Apulejus (4) testatur. Ita etiam accidisse narrat S. Augustinus (5) Viris quibusdam Italis, qui post gustatum caseum magica arte paratum, equi speciem subito induisse ipsi se sentiebant dolebantque; coacti enim erant eo habitu veneficis certo quodam tempore servire; quo evoluto, veterem formam recuperabant. Sed vir sanctus doctusque nonnihil præstigio rem totam tribuit, quemadmodum infra demonstrabimus. Herodotus (6) ex narratione Scytharum & Græcorum in Scythia commorantium tradit, Neuros ejus regionis populos, solitos quotannis in lupos converti, certa quadam temporum periodo; qua elapsa, iterum homines fieri.

Familiare id esse in Livonia, Gaspar Peucerus testatur. Plinius, quem credulitatis non raro viri docti accusant, ipse vicissim eodem nomine, sicut & mendacii, Græcos accusat (7); venditant enim illi, familiam esse hominum in Arcadia, in qua singuli lupum hac ratione induunt, nimirum, unum ex gente Antæi cujusdam forte familiæ lectum, ad stagnum quoddam regionis duci, vestituque in quercu suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurarique in lupum, & cum cæteris ejusdem generis congregari per annos sex. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reverti ad idem stagnum; & cum tranaverit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito novem annorum senio. Addunt, eamdem recipere vestem. Narrant, Demarchum seu Dæmenetum in sacrificio, quod Arcades Jovi Lyceo, seu Lupo, humana etiamtum hostia faciebant; immolati pueri exta degustasse, & in lupum convertisse: eumdem decimo anno pristinæ formæ restitutum esse. Refert Bartholinus (8) Constantinum Manassem in ea fuisse sententia, ut crederet, Nabuchodonosorem *de humana forma in porci figuram commutatum*.

Rabbinis nonnullis visum est (9) subita metempsycosi animam Nabuchodonosoris in aliud cur-

(1) Bodin. Demonolog. lib. 2. cap. 6. Vide Jo. Georg. Bucheim. Dissert. singular. de Metamor. Nabuchod.
(2) Cluver. Appendic. ad Epitom. hist. lib. 10. (3) Vide Maldonat. hic; Tertull. de Pœnit. c. 12. & 13.
(4) Apulej. De asino aureo. (5) De Civit. l. 18. c. 18. (6) Herod. lib. 4. c. 105. (7) Plin. lib. 8. cap. 22. (8) De Morbis Biblicis c. 23. (9) Rabb. quidam apud Hofsten.

corpus traducere; locumque ea cedente factum esse, ut bovis anima substitueretur, ex qua bovini mores ingeniumque; quantum tamen hominis figura, quæ semper manebat, patiebatur. Evoluto septennio, anima suum repetens conturbenium, bruti animam migrare coegit. Hæc sane opinio Pythagoricis metempsychoseos assertoribus, adeoque & Judæis, olim & nunc etiam idem systema seculis arrideret.

Alii vero turbatum mentis statum in Nabuchodonosore censuerunt (10), & fascinatione quadam præstrictos oculos intuentium; illi, ut brutum se reputaret; his vero, ut brutum videre sibi viderentur. Omnia igitur, juxta hos Authores, integra erant, nihilque mutatum, nisi opiniones. Legimus in vita S. Macarii, apud Historiam Lausiacam, ductam fuisse ad virum sanctum puellam, quam in jumentum transfiguratam parentes, & quicumque itineris socii se dederant, rebantur; cum nihil tale puellæ accidisset. Vir Sanctus, re intellecta, submuta ab eorum oculis fascinatione, dolum prodidit. S. Augustinus nunquam sibi in animum potest inducere, tantum valere Dæmones, ut homines in bruta transfigurent; id enim majus illorum viribus esse arbitratur (11); illud vero, quod de veneficis Italis supra ex illo narravimus, præstigium esse merum turbatæ hominum mentis putat; mali enim spiritus ludibrio equos se & asinos esse, insuetis sarcinis oneratos, credebant, cum nihil reapse dorso gestarent.

Opinionem suam singulari quadam narratione probat, quam præteriisse pœniteret. Pater Præstantii cujusdam vim Magicorum carminum in se ipso senserat; somno enim ita insolito correptus fuit, ut spatio plurium dierum expergisci minime potuerit. Denique experrectus narravit, sese quo tempore somno tenebatur, in jumentum translatum, sarcinam panis ad milites cujusdam manus una cum aliis equis vexisse. Vera dixisse deprehensus, id tamen merum fuisse somnium arbitrabatur (12). Quare sive Dæmon oculos illum in lecto intuentium fascinaverat, sive id præstigii iis accidit, qui vidisse se equum rebantur; eodemque Dæmonis ludibrio vir ille iter fecisse sibi videbatur, cum quietus maneret.

Denique recepta communi suffragio & maxime probata sententia docet (13), Nabuchodonosorem Dei vindicis manu percussum in phrenesim incidisse; in eam nempe morbi speciem, quam lycanthropiam appellant; cujus vi turbata mente, ac morbida vi effervescente, bovis, lupi, felis, & canis non speciem quidem, sed mores ingeniumque reipsa quis sibi adsciscit. Ita Rex bovem se esse persuasus, cœpit curvato dorso manibus pedibusque reptare, herbas carpere, veluti cornu petere, in agro vagari, cœtus hominum fugere, comam unguesque ferino more negligere. Ad novum prodigium stupentes Babylonii, furentem vinxere, uti Daniel innuit (14): *Alligetur vinculo æreo & ferreo*; nihilque cum illo mitius, quam cum furente & mania laborante egerunt. Sed elapsus tandem, in agrum, communem cum belluis vitam acturus, convolavit. Neque id morbi genus ignotum est Medicis, scriptisque de Medicina Libris.

Cum naturæ vitio morbus inducitur, sanguini melancholico, diluto, arenti, fervido, unde morbidus quidam calor viscera depascit, deputatur. Solent ii, qui eo laborant, insolito quodam robore pollere, ut vinculis catenisque frustra interdum vinciantur. Longam quandoque inediam & vigilias prorogant, & ingentis frigoris incommoda non sentiunt. Morbi autem periodus interdum intra plures annos, interdum paucis diebus absolvitur; nec pharmaca vi morbi compescendæ desunt. Sed divinitus immissa in Nabuchodonosorem mania tamdiu duravit, quamdiu Oraculum diu antea latum definierat. Quæ tamen non prohibent, quin morbo inducendo ipsa corporis habitudo plurimum contulerit, quibus Deus opportune Regi superbissimo in ordinem redigendo usus est.

Frequentissima suppetunt ejus morbi exempla. Aetius lib. 2. cap. 11. ex Galeno narrat, mania laborantes ita secum agi putare, quasi in lupos canesque conversi essent: noctu Februario mense vagari, & per sepulcra oberrantes, hæc vel illa suffringere. Diogenes Laertius in vita Heracliti narrat, Philosophum tetro quodam humore correptum, emoto mentis statu misanthropum evasisse, ut ne custodia quidem inhiberetur, quin fuga dilapsus, sese in montes ferino more, herbis victitaturus, proriperet. Homerus Iliad. Σ Bellerophontem exhibet arva & deserta loca perrantem, cor suum abrodentem, & cœtus hominum fugientem, tetro humore maniaque agitatum. Sunt qui canis more latreat, ululent ceu lupi, rugiant instar leonum, ex Urbibus sese cœtibusque hominum proripiant, nihil præter antra & deserta quærentes. Alii emotæ menti ludibrio, e butyro, vitro, nive constare se credunt. Alii in elephanti proboscidem nasum suum productum putant; alii tandem persuasum habent, largo imbre nimboque viscera sua perfundi. Spectati olim, qui viva se cadavera crederent, omni cibo pervicacissime abstinuerint. Quædam morborum symptomata feles, cuniculos, mures, gallos gallinaceos ex hominibus reddunt. Quid tandem a turbata mente alienum?

Plerumque tamen solent eo morbo affecti sibi persuadere, se se in bruta transfigurari; nec tamen propterea a statu mentis dejiciuntur, conantes tantummodo earum bestiarum mores ingeniumque imitari. Quare si species lupi obtinuerit, ululant illi, mordent, homines fugiunt, crudasque maxime ovium carnes vorant; denique, lupi moribus student, & in cæteris sani in eo tantummodo desipiunt. Si cujus persuasione illi errorem agnoverint, continuo valetudini restituuntur. Sed raro id ratiocinatione obtinetur, sæpius purgantibus & refrigerantibus remediis. Cum Pastor Melampus forte vidisset capellas vorato helleboro purgari, earum lac paulo post degustatam eam herbam expresso, geminis filiabus Regis Proeti propinavit. Porro hæ in vaccas se conversas esse credebant; quod morbi genus ira Bacchi sive Junonis, qua elegantiores se esse puellæ jactitaverant, inductum e fabulis discimus. Melampi pharmacum præsentissimum fuit; nam restituto mentis statu, ambæ convaluerunt.

Sed hunc mentis statum, non secus ac sermonis facultatem, retinuit ne Nabuchodonosor toto metamorphoseos suæ septennio? Id sane e re videbatur divinæ providentiæ, quæ hominem in ordinem redigere, atque resipiscendi tempus concedere meditabatur. Tertullianus (15) persuasum habet, ærumnam suam sensisse Regem, totoque septennio egisse pœnitentiam; & ejusdem exemplo in pœnitudinem versos subjectus illi populus

(10) Medina l. 2. de Recta in Deum fide c. 7. Vier de præstig. Dæmon. l. 1. c. 24. (11) August. lib. 8. de Civit. c. 18. *Nec corpus quidem ulla ratione crediderim Dæmonum arte vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti.* (12) August. ibid. *Quod ita ut narravit factum fuisse compertum est. Quæ tamen ei sua somnia videbantur.* (13) Hieron. Theodoret. Maldon. Peter. Cornel. Sanct. hic; Franc. Vales. de Sacra Philos. c. 80. Mercurial. lib. 6. Var. Lect. c. 10 D. Th. de regim. Princip. lib. 2. cap. ult. Ruper. de Trinit. lib. 6. de Vict. Verb. c. 29. Del Rio lib. 2. Disq. Magic. c. 18. Barthol. de Morb. Bibl. Vives, Leonard. Coquæus ad August. lib. 18. de Civit. alii. (14) Dan. IV. 12. Hieronym. in Dan. IV. pag 1089. *Cum perspicuum sit omnes furiosos, ne se præcipitent, & alios ferro invadant, catenis ligari.* (15) Tertull. de Pœnitentia cap. 12. Vide Maldon. hic.

tantum apud Deum valuisse, ut Regis sanitatem, & restitutionem in Regnum impetrarent: *Pœnitentia Babyloniorum Regem in Regna restituit; diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus.*

Quid equidem profuisset virum puniri, si neque pœnam sentire, neque agnoscere posset; si in partem voluptatis morbum mentis accepisset, quemadmodum in aliis mania laborantibus observamus? An aliquis, persuasus lupum se vel bovem induisse, molestiam ex ea re plurimam capit? An hominem se non esse dolet? Ne cogitat quidem; nec unquam talem se fuisse in mentem forte succurrit. Accidit, ut quispiam mentis ludibrio eximias tragœdias a peritissimis Tragœdis actas spectare sibi videretur: solitarius tota die in theatro agebat, identidem pro objecta inanium spectaculorum specie plaudens. Amici, propinato helleboro, aliisque remediis adhibitis, ab errore virum revocarunt. Quare ille mœstus ajebat: Horat. lib. 2. Epist. 2.

.... Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Si cum Nabuchodonosore ita agebatur, miti profecto cum illo pœna animadversum est; nihil enim ille de suo supplicio sentiebat, in partem voluptatis habens, quod in pœnam datum erat.

Sed contraria his opinio prævaluit, habetur que persuasum, Regem statu mentis emotum toto septennio brutum egisse; ita sermonis facultate amissa, ut mutum bovem non cibo tantum, ingenio, actionibus, sed etiam voce exhiberet, quantum tamen figura hominis, deformata licet, semper in viro manens, pateretur (17). Quare manibus pedibusque reptabat, comam unguesque negligebat, ut etiam atque etiam bovi similis fieret. At enim, inquies, ubi pœna & tumentis animi dejectio? An levis supplicii genus erat, talem tantamque ærumnam non sentire, sibique in eo statu placere? Quid excogitari poterat tristius, quam miseriam suam non sentire? Ficta illa felicitas non fictæ miseriæ loco habenda est. Tertullianus censuit, Nabuchodonosorem speciem tantummodo bovis induisse, mente & intelligendi facultate retenta, quod non singulare modo habendum est, sed ambiguum etiam & erroneum.

Formam ille humanam retinuerat, plurimum tamen deformatam, & corpore adeo pessime disposito, anima non aliter quam carcere utebatur. Mens turbata, nihil nisi turbatum animo exhibebat. Omnes hominis ratione utentis functiones errare cogebantur, quod ratio & mens omnis alto sopore tenereorur. Eam speciem vir ille exhibebat, quam solent dormientes, seu largo vino madentes, statu mentis deturbati, quibus neque se, neque alia noscere, sopitis spiritibus & organis, integrum est. In id unum ratione valebat, ut mores omnes ingeniumque bovis in memoriam revocaret, quo similior omnino bovi fieret. Ita errore constituto, recte quidem ex mentis ludibrio, ex veritate autem non recte ratiocinatus, aliisque insuper ex aliis consequutionibus deductis, errorem alte perbibit. Is rerum status quamvis a viro statu mentis emoto minus sentiretur, hæc tamen in re tanta doloris vacuitas non minimum addebat cumulum calamitati. Vix tamen cœperat morbo convalescere, cum se colligens, intellexit tandem quid sibi esset faciendum. Id vero exhibitum in tanto Rege exemplum, Babylonios simul omnes in ordinem redegit, tum & venturis sæculis ultionis divinæ monumentum reliquit, ne quis unquam mortalium erigere in Deum cervices, Deum, inquam, tanto malorum pondere mortalium superbiam deprimentem, auderet.

Plura ex insito fabellarum amore Judæi huic historiæ addiderunt. Persuasum habent, toto septennio vacuum paterna valetudine Regnum, Evilmerodachum ejus filium suscepisse, tantaque subjectos sibi populos tyrannide oppressisse, ut statim post valetudinem prodiens Nabuchodonosor, ingentibus popoli ab Evilmerodacho abalienati studiis ad Regnum repeteretur. Vix Regno restitutus pater, filium in arctum carcerem detrusit, ubi nactus Jechoniam Regem Judæorum, summam cum illo necessitudinem habuit. Factum inde, ut aliquamdiu post, fatis functo Nabuchodonosore, Evilmerodachus rerum potitus Jechoniam libertati restitueret. Metuens vero, addunt, ne, ut antea, Nabuchodonosor iterum appareret, ejus cadaver in ccc. partes dissectum, vorandum totidem vulturibus dedit; ut omnis, si fieri posset, illius memoria aboleretur (18).

Ex eodem fonte, uti videtur, orta sunt, quæ de forma in belluam translati Nabuchodonosoris feruntur. Sunt qui (19) instar Cherobim apud Ezechielem I. hominis simul & leonis, aquilæ & bovis in se uno formas conciliasse crediderint, quibus, inquiunt illi, belluarum figuris crimina illius potissima, quorum merito plectebatur, designabantur, nimirum arrogantia, sævitia, crudelitas, & luxuria. Malunt alii (20) anteriora & caput vituli, posteriora vero leonis viro aptare; digno satis emblemate turpium sensos voluptatum, quibus addicebatur, tum & sævitiæ atque impotentiæ, qua in devictos populos erat: luxuriam taurus, sævitiam leo exprimunt. Nihil horum ex Scripturæ fide, in qua de forma bovis sive tauri viro indita, ne verbum quidem.

At enim si tota Regis metamorphosis in vitio errantis phantasiæ collocanda est, cui bovis indoles affectata accedebat, ubi prodigium? Nihil enim frequentius, quam phantasiæ vitio correpti homines, quo si laboraverint, continuo translatos se in belluas putant; id super omnia conati, ut ingenium eorum brutorum exprimant. Nonne vidimus ætate nostra viros, qui se tamquam equos curari juberent, & cætera sibi præstari omnia, quæ equis (21) solent, fœnumque ad præsepe comederent? Quot etiam errantis phantasiæ persuasione Deos se, Reges, Angelos, quamquam in cavea sive in angusto conclavi clausi, censuerunt?

Optime illi quidem; verum & si aliud omne abfuisset miraculum, nonne prodigio saltem deputandum erat, visum a Nabuchodonosore somnium, ac deinde a Propheta expositum, de metamorphosi ipsius per septennium, uno anno antequam contigeret? nonne prodigium esset, & quidem insigne, totam ejus morbi periodum ita definiisse Prophetam, ut exordium ipsius exitumque designaret? Hæc omnia poterant incredulas mentes eo ducere, ut crederent, totam eam rem non causis a natura ordinatis, sed divinæ providentiæ consilio, superbum Regem in ordinem redigere volentis, accepto esse referendam. Quamvis voce tantum cœlitus elata post annum a somnio Rex præmonitus fuisset, quam vocem statim metamorphosis secuta est; id unum sufficeret, ut prodigium apertissime demonstraretur. Habuerit ille affecti sanguinis vitio insitam a natura in morbum propensionem; quod tamen morbo subito corriperetur, nec facile potuit anno ante eventum prænunciari, neque assignato adamussim tempore contingere, si prodigium omne abfuisset.

Est igitur, cur in ea re validam aliquam manum intelligamus, momento phantasiam & cogitationes turbantem, humores subvertentem, sanguinem,

(17) Greg. Magn. lib. 5. Moral. c. 5. & lib. 1. Pastoral. c. 4. Sanct. hic. (12) Vide Hier. in Isai. xiv. Lyran. in Isai. 52. Tostat. in 4. Reg. xxv. Histor. Scholast. in v. Dan. (19) Vide Pseudo-Justin. quæst. 44. ad Orthod. (20) Doroth. & Pseudo-Epiph. de vita & Morte Prophet. Ita & Chron. Alexand.
(21) D. Bernier.

guinem, bilem noxio quodam fervore incendentem, qua tandem nova indoles novique plane pristinis repugnantes mores viro inducerentur. Poterant quidem diu antea sanguis humoresque eam sibi habitudinem induxisse: hæc tamen omnia subito fieri naturali plane ratione non poterant; quemadmodum inductus subito morbus statim removeretur, non nisi divino prodigio factum est. Qui enim aliter poterat fervor sanguinis & humorum subito compesci, vulnus tam altum phantasiæ illatum obduci, omnia in ordinem redigi, eademque omnia octo annis antea a Propheta prænunciari? Dicant qui vacuam præjudiciis mentem habent, utrum hæc omnia naturæ ordinem non excedant? Quotus quisque est peritissimus Medicus, qui periodum morbi exacte adeo indicarit, tantumque sibi de arte sua polliceatur, ut præscripto tempore valetudini restituendum ægrotum norit? An ille scire unquam poterit, ad quem fervoris gradum ascendere debeant humores, ut ne minimum quidem prætereant, & quo deinde momento defervescant?

Bartholinus de morb. Biblic. cap. 13. in ea est sententia, morbum Nabuchodonosoris tetro melancholiæ humore inductum suisse; quo deinde humore per canales capillorum, pilorum, & unguium corporis excreto, valetudo Principi restituta est. Eidem etiam dissipando humori plurimum contulisse pluvias & rorem, quibus sæpe perfundebatur, arbitratus est; nec modicum etiam contulerit, addo ego, sylvestrium herbarum aptus purgandis humoribus ventrique laxando cibus, accedente maxime frigore rigidioris aeris; norunt enim Medici purgamina omnia, quæcumque tandem fuerint, præsentissimum esse mamæ pharmacum. Sed his etiam omnibus accedentibus, unus Deus poterat exacte momentum definire, quo post septennium morbus desineret; eoque tantum decente poterat hæc omnia Daniel prædicere. Quare hac saltem ratione prodigium aliquod ea in re agnoscere cogimur.

Huic historiæ in dubium revocandæ silentium profanorum Historicorum objiciunt: sed frustra illi, postquam nostra ætate omnia Chaldæorum & historiæ Orientalis vetera monumenta interciderunt. Fac autem remansisse quantum satis fuisset, ut ejus rei memoria servari posset: si apud illos frustra rem quæreres, accurate adeo apud Danielem, Authorem coævum, & oculatum rei testem, descriptam, omnis exinde invidia non in Danielem creanda esset, sed in alios ejusdem regionis Authores, qui rem ad posteritatis memoriam literis consignare e re sua esse non duxissent. Porro in rebus historicis illa semper cæteris præferenda sunt, in quibus majores veritatis notæ apparent, & minori laborant sive corruptionis, sive assentationis, sive doli suspicione. Daniel vero eas sibi dotes vindicat, non supra cæteros tantum, quorum fragmenta de historia ejus regionis supersunt, sed cæteros etiam qui rem literis consignare potuissent; illustri enim genere natos, amplissimus habebatur in universa regione vir, favore Regum Chaldæorum pollens; pius item, rebus, quæ scribebat, coævus, monumenta proferens certissima, & publica, edictum scilicet Principis, quod totum rerum eventum describit. Præferat, si quis potest, æqualis meriti, ingenii, & dignitatis Historicum, res Nabuchodonosoris narrantem, qui prodigium illud silentio præsterit, de cujus deinde authoritate suspicio in Danielem creanda sit.

Verum nunquam id commisit altum divinæ providentiæ consilium, ut Sacræ Historiæ ea saltem in re Profana refragaretur; nam in raris illis, hodie extantibus, historiæ Chaldaicæ monumentis, unum servavit, satis aperte hanc historiam innuens. Alphæus apud Eusebium Præparat. l. 9. cap. ult. Megasthenem vetustum Chaldææ historicum laudat, referentem, Nabuchodonosorem peractis expeditionibus, demum reversum, divino subito œstro abreptum, exclamasse: *Babylonii, calamitatem vobis prædico, a qua nec Belus noster Pater, nec Regina Baltis nos poterunt prohibere. Mulus Persa has regiones venturo tempore invadet, & Deorum nostrorum auxilio innixus, & Medorum viribus auctus, vos omnes in servitutem rediget.* Hæc de Cyro, e Persa patre & Meda matre nato, explicanda sunt. Post hæc dicta, ait Historicus, Nabuchodonosor *evanuit*. Porro œstrum illud nihil est aliud, quam primus morbi accessus, quo actus Nabuchodonosor, in bovem transisse se ratus, cœtu hominum toto septennio sese interdixit.

Ut nostræ hypothesi extrema manus imponatur, modo sententiæ omnes illi oppositæ refutandæ sunt. Origenis sententia, totam hanc historiam ad allegoriam revocantis, nihil haberet satis novum, quod in viro allegoriarum studiosissime admiraremur, nisi rei veritatem negasse ille videretur. Nihil plane tam repugnat figuræ & allegoriæ, quam historia tam accurate a Propheta narrata, semel, iterum, & tertio repetita, in somnii interpretatione a Propheta anno antea prædicta, ac tandem data cœlitus voce Regi denunciata. Profecto si hæc ad allegoriam detorquenda sunt, ubi veritas & historia?

Si quis autem inditam Nabuchodonosori figuram bovis vel alterius belluæ contenderit, mutata etiam in brutum hominis anima, ille certe nulla necessitate coactus prodigia prodigiis cumulabit. Neque enim Prophetæ textus eo nos adigit, ut credamus id quod vix fieri posse intelligimus. Porro illud axiomatis loco habendum est, ne adjecta prodigiorum sarcina delicatas mollesque incredulorum mentes opprimamus. Major est profecto Dei sapientia, quam ut miracula Omnipotentiæ suæ frustra prodigere credatur. Nonne suo ipse consilio repugnasset, si reo Nabuchodonosori alterum substituisset, ut ejus loco superbiæ illius pœnas subiret? Tunc plane ejus sorti impius quicumque invideret, si sceleribus suis expiandis sperare tandem posset, ut stupiditatem bruti indueret; illa enim levissima tolerata pœna munda sibi esse omnia, in pristinum tandem statum restitutus, consideret. Ipse tandem Nabuchodonosor hypothesim illam evertit; ait enim, se crimen denique suum agnovisse, sublatisque in Cœlum oculis id tandem a Deo impetrasse, ut in pristinam conditionem restitueretur, Dan. IV. 31. 32.

Æquiora multo sensisse videntur ii, qui nihil mutatum in anima putantes, totam metamorphosim in exteriori corporis superficie agnoscunt; quemadmodum de Actæone in cervum translato, de Iphigenia in cervam, de Lycaone in lupum, memoriæ proditum est. Æquiores, inquam, illi; aptum est enim hominis corpus, ut in varias formas mutetur. Insignis Physionomus indicare in ore cujusque hominis aggressus est lineamenta quædam brutorum, quibus mores quosdam in singulis hominibus designari credit, a bruto, cujus lineamenta præseferunt, non abhorrentes. Hic Lupi ferocitate, hic Leonis, hic Ursi, iste calliditate Vulpis, ille voracitate suis distinguitur; quod scilicet singulorum illorum animalium singuli lineamenta præleferant. Huic opinioni favere Sacer Textus videtur; resipiscens enim Nabuchodonosor, post impetratam criminum a Deo veniam, ait Daniel. IV. 33. *Figura mea reversa est ad me.* Verum ut plenus his verbis sensus constet, an bovis figura Principi inducenda est? Satis est profecto, si errantis phantasiæ judicio ipse sibi visus in bovem converti, cujus etiam indolem adoptaverit, errore demum correcto, detractam opinione sua hominis formam veluti sibi restituerit, affectatos bovis mores negligens, hominisque cultum, quem antea destituerat, iterum sumens.

Metempsychosis, juxta Pythagoræorum opinionem, non nisi post obitum inducebatur. Nec enim anima vivum corpus deserebat, ut alteri locum faceret. Est quidem Doctoribus Judæi familiaris opi-

opinio, animam quandoqua in corpus animatum dascendera, ut proinde duæ illic maneant animæ contubernales: sed genus est Metempsychoseos toti antiquitati ignotum, cujus axemplum in Nabuchodonosore exhibitum non credimus. Nec me latet, Philosophos quosdam in ea fuisse santentia, vel saltam ita sensisse putari, aut serio aut oblectationis causa, animas a corporis domicilio egressas, liberas discurrere aliquando, vetusque deinde contubernium repetere. Lepidas sane in ea re narrant historiolas, contigisse scilicet, ut animæ vagandi libidina longius excurrentes, cum non satis mature ad corpus regredi possent, post longiorem moram venientes, corpora compererint sive in rogis absumpta, vel sapulcro condita, veluti machinas inertes, & vitali motu ignequa destitutas. Addunt da quibusdam mulierculis veneficis in Dania, quas viri creduli pretio conducebant, ut gesta in regionibus remotissimis discerent; quorum illæ votis aod tis, statim ad ea locs animas legabant, brevi redituras vel ex locis ccc. lencarum intereapedine dissitis. Cum tamen fabellis istis nec Philosophi præstantiores, nec Theologi satis delectentur, præstat, ut metamorphosi Nabuchodonosoris explicandæ alteram plane rationem ineamus.

Quod tandem ad illorum sententiam spectat, quæ totam illam metamorphosim constituit in præstigio, quo oculi Regem intuentium tenerentur, adjecta facile in mente Principis impressiona quadam, illis non dissimili, quibus ab Incantatoribus fascinati in equos sa vel asinos translatos, & sarcinas vahere coactos, immoti licet, opinantur; quod, inquam, ad hanc sententiam spectat, partem tantum difficultatis, vel, si mavis, nihil illa subducit. Si enim bruti speciem induisse Nabuchodonosorem dixerimus, nulla erat fascinationis in oculis intuentium necessitas. Nec sane major fuisset, si turbatæ phantasiæ ludibrio novam sibi formam Rex, opinione tantum sua, induxisset: sive enim recta de illo adstantea opinarentur, sive non, semper tamen illi persuasioni suæ inhæsisset, bovem se essa arbitratus. Tandem si nihil mutatum est, sive in corpore sive in humoribus ejusdem Principis, fateor ego quidem, potuisse Dæmonem ita fascinara intuentium oculos, ut bovem se cernera arbitrarentur; non tamen satis assequi possum, cur Rex ex aula facessere, & belluæ vitam toto septennio agere, solis, hyemis, cæterisque aeris vicissitudinibus expositus, voluerit; eodamqua deinde termino evoluto, protensis in Cœlum manibus pristinum vitæ habitum recuperarit, ac Babyloniis sesa exhibens, Regno restitutus fuerit.

Si quis vero contenderit, mutua fascinatione Regem & populum ita detentos fuisse, ut alter se in taurum transfiguratum crederet, hi vero paria de illo sentirent; ægre, fateor, in animum inducerem, longa adeo fascinatione & populum universum & Regem teneri potuisse. II. Ne leve quidem ajus rei vastigium in Sacra Scriptura, ubi nulla malorum Spirituum mentio; totum enim Divinæ potentiæ accepto refertur; potentiæ, inquam, tumidos & ambitiosos homines in ordinem redigantis, in impios digna ultione animadvertantis. Hæc ego omnia sine fascinatione, sine inducta metamorphosi sive metempsychosi, sola vi morbi exponenda suscepi; quod proinde systema, tamquam maxime simplex, cæteris præferendum visum est.

COMMENTARIUS LITERALIS IN DANIELEM.

CAPUT PRIMUM.

Daniel, Ananias & Azarias destinantur servitiis Aulæ Nabuchodonosoris; quare literis & sermone Chaldæorum erudiuntur; paratisque e mensa Regia dapibus vesci recusantes cælesti a Deo lumine affatim illustrantur.

℣. 1. ANno tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis
in Jerusalem, & obsedit eam: 2. Et tradidit Dominus in manu ejus Joa-
kim regem Juda, & partem vasorum domus Dei: & asportavit ea in terram Sennaar
in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui. 3. Et ait Asphenez
præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & ty-
rannorum, 4. Pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos
omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio
regis, ut doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum. 5. Et constituit eis rex an-
nonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse, ut enutriti
tribus annis, postea starent in conspectu regis. 6. Fuerunt ergo inter eos de filiis
Juda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. 7. Et imposuit eis præpositus eunucho-
rum nomina, Danieli Balthassar; Ananiæ Sidrach; Misaeli Misach; Azariæ Ab-
dena-

denago. 8. Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit eunuchorum præpoſitum, ne contaminaretur. 9. Dedit autem Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. 10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum, & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coævis veſtris, condemnabitis caput meum regi. 11. Et dixit Daniel ad Malaſar, quem conſtituerat princeps eunuchorum ſuper Danielem, Ananiam, Miſaelem, & Azariam: 12. Tenta nos, obſecro, ſervos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum. 13. Et contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio: & ſicut videris, facies cum ſervis tuis. 14. Qui, audito ſermone hujuſcemodi, tentavit eos diebus decem. 15. Poſt dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio. 16. Porro Malaſar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatque eis legumina. 17. Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam, in omni libro, & ſapientia; Danieli autem intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum. 18. Completis itaque diebus, poſt quas dixerat rex, ut introducerentur: introduxit eos præpoſitus eunuchorum in conſpectu Nabuchodonoſor. 19. Cumque eis locutus fuiſſet rex, non ſunt inventi tales de univerſis, ut Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias, & ſteterunt in conſpectu Regis. 20. Et omne verbum ſapientiæ, & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, invenit in eis decuplum, ſuper cunctos ariolos, & magos, qui erant in univerſo regno ejus. 21. Fuit autem Daniel uſque ad annum primum Cyri regis.

℣. 1. ANNO TERTIO REGNI JOAKIM, REGIS JUDA, VENIT NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS IN JERUSALEM. Certior factus Nabuchodonoſor, Rex Babylonis, Satrapam, cui Cœleſyriæ & Phœniciæ præfecturam demandaverat, excuſſo ſervitutis jugo ad Regem Ægypti defeciſſe; filium Nabuchodonoſorem, Regis titulo auctum (1), eo miſit, ut eas Provincias revocaret ad officium. Illis ſubactis, junior Princeps copias duxit in Jeroſolymam, anno Joakimi Regis Juda tertio exeunte (2), & ineunte quarto (3). Porro Urbs expugnata fuit, ejuſque Rex captivus in hoſtium poteſtatem devenit; quem Nabuchodonoſor primo quidem deducere Babylonem meditatus fuit, deinde mutato conſilio permiſit, ut oneroſis conditionibus Jeroſolymæ regnaret. Igitur ex hoc anno 3398. exordium ducimus ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. Quo temporis ſpatio fatis functo Nabopolaſſaro, Nabuchodonoſor coactus quam citiſſime Babylonem redire, Duces ſuos oneravit mandatis, ut captivos, inter quos Daniel & ſocii, Babylonem raperent (4).

℣. 2. TRADIDIT DOMINUS IN MANU EJUS . . PARTEM VASORUM DOMUS DEI, ET ASPORTAVIT EA IN TERRAM SENNAAR. Templum Jeroſolymitanum Nabuchodonoſor diripiens, pretioſiſſima quæque, & ditiſſimi operis vaſa ſecum abſtulit Babylonem, urbem ſitam *in terra Sennaar* (5). Sed vaſorum ejuſmodi nonniſi partem aliquam ſecum tulit, iis relictis quæ neceſſaria eſſent, ut ſacrificia reſque Divinæ peragerentur. Aliquanto poſt, ſub Jechonia, alia longe plura tranſtulit, quæ ut commodius aſportaret, concidit in fruſta (6). Denique Templum penitus diripuit, diruptumque in cineres favillaſque redegit ſub Sedecia (7) A. M. 3416.

Legimus hic in Scriptura, Nabuchodonoſorem vaſa domus Domini intuliſſe (8) *in domum Dei ſui, in domum theſauri Dei ſui*. Porro collocata creduntur in Templo Beli, omnium Babylonis Fanorum ſumptuoſiſſimo & ditiſſimo. Ita enim nobiliſſimi hujus Templi divitias Diodorus Siculus commendat (9): *In ſummo Templi tres ingentes ſtatuæ, Jovis, Junonis, Opiſque: quarum Jovis adhuc extat* (verba ſunt Scriptoris a Diodoro recitati; ipſius enim ætate & fanum & ſimulacra perierant), *longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis ſimili pondere in aurea ſella reſidet; ad cujus genua duo adſtant leones, juxtaque ſerpentes argentei: ponderis quiſque eſt talentorum triginta. Junonis ſtans ſignum, ponderis eſt talentorum octingentorum. His omnibus communis eſt menſa aurea manufacta, longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quingentorum. Duo præterea carcheſia talentorum trigiata erant, totidemque thuribula, utrumque talentorum triginta. Crateres ex auro tres: quorum Jovi dicatus talenta mille & ducenta Babylonica pendebat, aliorum quiſque ſexcenta*. Docet Abydenus (10), Nabuchodonoſorem originem ſuam ex Belo cœptam aſſeruiſſe; seducemque illum e ſuis expeditionibus omnem in eo curam poſuiſſe, ut ex hoſtium manubiis Templum Numinis illius ornaret. Tandem Fanum illud Beli evertiſſe Xerxem, ab expeditione in Græcos reducem, Arrianus eſt author.

In Paralipomenis (11), Textus Hebræus legit, Principem illum intuliſſe *in palatium ſuum Babylone*: ſed eadem Hebræa vox, quæ *palatium* deſignat, de Templo etiam non raro uſurpatur. Inſuper facile credimus, prædæ hujus partem in ſacro, partem vero in Regio ærario conditam fuiſſe. Quæ Balthaſar profanis compotationibus cum uxoribus ſuis polluit, hæc utique domeſticum Regiarum ædium, vel ſaltem privati Sacelli ærarium ſuffecit. Daniel. v. 2.

℣. 3. AIT REX ASPHENEZ PRÆPOSITO EUNUCHORUM;

(1) Communis erat cum horum, tum plerorumque Orientalium mos, ut hæredem Regia appellatione donarent, cum ad gravem aliquam expeditionem vel illum mitterent, vel ipſi proficiſcerentur. Herodot. l. 2. Plutarch. in Artaxerxe. (2) Jerem. xxv. 1. collatum cum Daniel. 1. 1. (3) Uſſer. ad an. M. 3397. Varab. Genr. &c. (4) Beroſ. apud Joſeph. Antiq. l. x. c. 11. (5) Geneſ. x. 10. Vide Euſeb. in locis, voce Sennaar, & Hyſtiæum apud Joſeph. Antiq. l. 1. c. 5. (6) 4. Reg. xxiv. 13. (7) 4. Reg. xxv. 13. & ſeq. (8) ומקצת כלי בית האלהים ויביאם ארץ שנער בית אלהיו ואת הכלים הביא בית אוצר אלהיו (9) Diodor. lib. 2. c. 4. Confer Herodotum lib. 1. c. 181. 182. 183. (10) Abyden. Aſſyriac. apud Euſeb. Præp. l. 4. (11) 2. Par. xxxvi. 7. ויתנם בהיכלו בבבל

rum, seu potius, Principi Præfectorum Aulæ Nabuchodonosoris. Eunuchi nomen vulgo tribuebatur Præfectis Aulæ Regum Orientis; quippe qui plerumque ex Eunuchis eligerentur. Quin & Judæorum opinio asserit (12). Danielem ejusque socios tres, Nabuchodonosoris jussu, sectos fuisse; atque ita fidem stetisse suam oraculo illi Isaiæ xxxix. 7. *De filiis tuis*, Ezechia, *qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis*. Sed inepte illi; nam in textu hujus oraculi, sicut & in altero, quem modo expendimus, *Eunuchus* usurpari commode potuit de viro quocumque, ministerium aliquod in Aula gerente.

De semine Regio et tyrannorum; nempe de stirpe Regum Juda, æque ac de genere cæterorum Principum, quos Nabuchodonosor suo imperio submiserat. *Tyranni* nomen, quod hic adhibet Latinus Interpres, in deteriorem sensum non usurpatur. Neque enim olim odiosa erat Tyranni appellatio, cui deinceps creavit invidiam nimius authoritatis abusus Principum quorumdam in iis regionibus, in quibus Reges Tyrannorum titulo insigniebantur. Alio plane consilio, quam ut virum offenderet, Latinus Rex de Ænea loquens, ajebat Virg. lib. 7.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Hebræus legit (13): *De semine regio & de Partemin*. Septuaginta in nostris Editionibus legunt *Phorthommin*, seu *Portemmin*; docet tamen S. Hieronymus hic, eam Versionem Theodotioni deberi, cum Septuaginta & Aquila reddiderint: *Electos*; Symmachus: *Parthos*. Theodoretus adscribit Symmacho Versionem ferentem *Electos*. Recentiorum Criticorum plures (14) ajunt, *Partemim* derivari ex Græco *Protimoi*, primarii; vel ex *Protoi*, primi. In quorum sententiam nos eo facilius concedimus, quod nulla satis patens occurrat in Hebræo, & Chaldæo radix vocis *Partemin*; & in hoc Libro nonnullæ sese offerant voces e Græco derivatæ. Meminit Xenophon (15) summorum quorundam Præfectorum, quos *Entimos* & *Homotimos* appellat, quique præ foribus Regiæ perpetuo vigilabant, præsto semper ad nutum Regum Persarum.

℣. 4. In quibus nulla esset macula; nullum scilicet naturale corporis vitium (16), quos proceri corporis elegantia commendaret. Eximia corporis forma in honore & æstimatione erat apud Persas, qui e Regis majestate esse arbitrabantur, si ministeriis ille suis neminem non eximium corpore deligeret: *Nam facies multum valuit* (17). Lege olim cautum fuit apud Persas, teste Procopio lib. 1. de Bello Pers. ne quis, vel ex ipso Rege satus, ad Imperium eveheretur, qui aliquo corporis vitio deformis esset.

Eruditos omni sapientia, cautos scientia, doctos disciplina. Tria hæc a nonnullis (18) ita distinguuntur: *Eruditos omni sapientia*, id est, in iis quæ ad scientiam naturalem pertinent. *Cautos scientia*, doctos scilicet humanis scientiis, quæ per ratiocinium mentis acquiruntur, Grammatica, Logica, Rhetorica. Denique *doctos disciplina*, morum seu morali facultate instructos. Sed præstat de scientiis generatim omnibus accipere, quæ tunc apud Chaldæos obtinebant, vel de ingenio ad illas percipiendas idoneo (19).

Qui possent stare in palatio Regis. Hebræus (20): *Quibus vigor esset ad standum*, vel ad serviendum *in palatio Regis*. Adolescentes, quibus vigor inerat ætatis & corpus optime constitutum, ut belli & Aulæ munia obire strenue valerent.

Ut doceret eos literas, et linguam Chaldæorum. Chaldæorum sermo & literarum apices longe diversi erant a literis & vernaculo Hebræorum sermone (21); modo vero Hebræorum & Chaldæorum elementa unum idemque sunt. Porro adolescentes isti primo omnium docendi erant elementa & linguam Chaldæorum, deinde ad scientiarum Chaldaicarum studium transferendi.

℣. 5. Constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis. Inter domesticos adlegit. Id olim moris apud Reges Persarum obtinebat, ut domesticis non pecunia, sed res ad victum necessariæ pro stipendio suppeditarentur; panis, vinum, carnes: hæc autem omnia primo mensæ Regis imposita, deinde distribuebantur inter domesticos (22). Hebræus ad verbum (23): Dedit illis Rex *de pane suo & de vino potus sui*. Censet Grotius, vocem *Phat-bag* designare genus illud panis in Oriente familiarissimum, quod *Potibasis* appellabatur (24). Malunt alii, ea voce proprie significari *panis buccellam* (25). Ludovicus de Dieu asserit, designari dapes delicatissimas, plane oppositas leguminibus aliisque cibis plebejis & sine arte paratis. Vide infra v. 8. 13. 15. & xi. 26.

℣. 6. Fuerunt inter eos de filiis Juda. Inter adolescentes e numero Principum superatorum, & Optimatum Aulæ selectos, quatuor fuere ex Judæis, qui Babylonem captivi venerant. Porro quatuor isti e Regia stirpe orti creduntur.

Imposuit eis nomina. Pro Hebræis nominibus Chaldaica dedit; quæ nominum mutatio argumentum erat imperii & auctoritatis (26). Nomina olim servis a dominis imponebantur.

Daniel (27), quod est, *Deus Judex meus*, vel Judicium Dei; *Balthasar* (28), sive, juxta vim pronunciationis Chaldaicæ, *Beltesazar*, thesaurus Baalis, vel depositum arcanorum sive thesauri Baalis.

Misael, Hebraice (29) est qui a Deo venit, vel qui Dei est. *Misach* Chaldaice (30) qui spectat ad Deam Sesac; Numen inter Babylonios celebre, cujus meminit Jeremias xxv. 26.

Ananias (31), Mihi gratificatus est Deus, vel Deo gratus. Sidrac (32) a nonnullis redditur Inspiratio solis (33); sive Deus ille qui mali author est, sit nobis propitius; sive Deus nos a malo servet (34).

Azarias (35), Deus auxilium meum. *Abdenago*, sive *Abed nago* (36), servus Dei Nago, quo nomine Sol sive Lucifer matutinus designatur; vel servus fulgoris ignis. Chaldæi olim ignem colebant. Sunt qui legendum velint *Abed-nebo*, servus Dei *Nebo*, cujusmodi Numen apud Babylonios omnes erat in honore.

℣. 8. Posuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de Mensa Regis. Duplici potissimum ex causa noluit Daniel cibis e mensa Regis ministratis vesci; primo quidem quod Ethnici indiscriminatim dapum genus omne caperent, adeoque nec abstinerent illis, quorum usu Judæi interdicebantur (37). Huc potissimum spectabat mos Judæorum, cibos capere cum alienis renuentium (38). Insuper mos erat Ethnicis, in ipso vescendi exordio

(12) Hebræi apud Hieron. in hunc locum. Vide & Theodoret. & in Isai. xxi. (13) מזרע המלוכה ומן הפרתמים (14) Drus. Grot. Jun. Vide ad Esther. 1. 3. & vi. 9. (15) Xenophon l. 1. 2. 8. Cyropæd. (16) אשר אין בהם כל מום Οἷς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς μῶμος. (17) Lucret. lib. 5. (18) Lyranus. (19) Vatabl. (20) אשר כח בהם לעמד בהיכל המלך (21) Vide 4. Reg. xviii. 26. (22) Athenæus Dipnos. ex Heraclide Cumano lib. 4. & l. 2. c. 14. (23) בפת בג המלך ומיין משתיו (24) Athen. lib. 2. ex Dinonis Hi. Persicorum. (25) פת *Buccella, frustum*, Genes. xviii. 5. Judic. xix. 5. בג Cibus, Ezech. xxv. 7. Gejer. (26) Genes. ii. 19. 20. xli. 45. 4. Reg. xxiii. 34. & xxiv. 17. (27) Daniel, דני אל (28) Beltesazar בלטשאצר (29) Misael מישאל (30) Misac מישך (31) Hananiah חנניה (32) Sidrak שדרך (33) Junius, Villac. (34) Grotius. (35) Hazariah עזריה (36) Abed-nago עבד נגו (37) Levit. xi. Deut. xiv. (38) Vide, si places, Judith. xii. 2. Act. xx. 18. xi. 3. Joan. iv. 9. &c.

dio frustulum aliquod panis & parum vini in aram projicere ad cultum Numinum; ubi deerat ara, igni dabantur: quo ritu, eorum quidem opinione, reliqua omnia, quibus convivium instruebatur, consecrata Numini censebantur (39).

℣. 10. Si viderit vultus vestros macilentiores. Hebræus (40): *Tristiores*, dejectiores, magis extenuatos (41).

℣. 11. Dixit Daniel ad Malasar. Hic Aulæ ministrabat sub imperio Asphenez Principis Eunuchorum, de quo ℣. 3. Porro Eunuchorum Princeps votis Danielis, exhibitis ℣. 9. obsequi recusaverat; at Malasar æquiorem se illi præbuit, cum presertim Daniel rogaret ut periculum sui fieret, solis ne leguminibus victitans, ore deterior efficeretur. Interpretum quidam (42) censent, Malasar vocem esse genericam, quamunus, non proprium hominis nomen significetur. Syntaxis Textus (43) opinioni huic favet, reddique potest *Præfectus oris*, sive *annonæ*.

℣. 17. In omni libro et sapientia. Græcus (44): *In omni grammatica & sapientia*. Literatura omnigena instructi, eorum quæ ad artes, scientiam & sapientiam Chaldæorum pertinebant, nihil inexploratum habebant. Scite admodum animadvertit S. Hieronymus ad ℣. 8. nunquam commissurum fuisse Danielem, ut scientias hasce Chaldæorum disceret, si quid in ea re peccati se patraturum suspicatus fuisset. Didicit autem, non ut ductum illarum sequeretur, & ad ipsarum leges vitam institueret, sed ut judicium de illis ferret, illarumque inanem fallaciam melius aperiret: *Discunt autem, non ut sequantur, sed ut judicent atque convincant*. Eodem consilio se illis accommodant, quo Moyses omnia sapientiæ Ægyptiacæ arcana pervasit. Actor. vii. 22.

Intelligentiam omnium visionum et somniorum. Nonnisi Divino lumine afflata mens, missa a Deo somnia intelligit atque scrutatur; quæ vero somnia naturalia sunt, absurde utique conetur quis certis regulis explicare, ut futuros eventus discat. Plane enim fortuito casu somnia illa accidunt & sæpissime ex varia corporis & animi somniantis habitudine petuntur. Quæ vero cœlitus immittuntur somnia, ad aliquid significandum data sunt, & arcanam eorum explicationem Deus sæpe servis suis, uti Josepho & Danieli, reserat. Vanitati huic somniorum addictos maxime fuisse Chaldæos, discemus infra ii. 2. Hic autem docet Scriptura, Danielem nonnisi Dei munere obtinuisse ut scientiæ hujus summum apicem attingeret: *Dedit Deus Danieli intelligentiam omnium visionum*.

℣. 18. Completis diebus. Triennio post quam Præfectorum curæ dati fuerant (45).

℣. 20. Invenit in eis decuplum super cunctos Ariolos et magos. Sciscitando Rex intellexit, multo eruditiores esse illos, quam magistros & doctores suos. Vox Hebræa (46) *Chartumim*, quam nos reddimus Ariolos, in Græco vertitur *Incantatores*. Alii accipiunt de genethliacis & Astrologis. Vox (47) *Asaphim* affinitatis habet plurimum cum Græco *Sophos*, sapiens, quo nomine olim designabantur illi, qui id genus studiorum sectabantur, quibus deinde philosophiæ appellatio data est. Porro sapientiæ studium apud Chaldæos obtinuisse ante quam ad Græcos transiret, ignorare neminem arbitror. Pythagoras, inter vetustissimos Græciæ Philosophos facile primus, scientiæ suæ aliquid accepisse Babylone & a Chaldæis, diu post Nabuchodonosoris regnum, asseritur (48). Radix vocis *Asaphim* nonnisi in Chaldæo occurrit. Viri quidam docti derivari illam ex Græco *Sophoi* (49) suspicantur. Septuaginta & Vulgata optime reddiderunt *Magos*, qui regionis illius Philosophi erant. Porro id nomen tunc erat in honore.

℣. 21. Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri Regis. In honore fuit & dignitate sub Nabuchodonosore & successoribus, donec Imperium e Chaldæis ad Persas Cyro authore transiit. Dan. xi. 1. Quin & sub eo Principe nihil amisisse dignitatis suæ discimus ex Capite xiv. 1. Vide etiam Caput vi. 18.

(39) Theodoret. Grot. Jecchides, Sanct. Alii. (40) פניכם זעפים (41) Τὰ πρόσωπα σκυθρωπά. (42) Kimchi, Polan. Jun. Tremel. &c. (43) ויאמר אל המלצר (44) Sym. Theod. Ἐν πάσῃ γραμματικῇ, καὶ σοφίᾳ. Heb. בכל ספר וחכמה Interpres Origenis, Homilia xxii. in Numeros, *In omni arte Grammatica*. Ita Symmachus apud Hieronymum. (45) Hieron. Maldonat. (46) החרטמים Theod. Ἐπαοιδούς. Septuag. Σοφιστάς. (47) האשפים Theod. Τοὺς μάγους. Septuag. Φιλοσόφους. (48) Usserius in annum mundi 3497. ait, Pythagoram, in Ægypto a Cambyse captum, ductum esse Babylonem, ubi is cum iis Philosophis consuetudinem habuit. Jamblic. & Malchus, sive Porphyr. vit. Pythag. (49) Ita Grot. L'Empereur. Author Ecclesiastici capite vi. ℣. 23. ducere videtur vocem Σοφία ex Hebr. צפן abscondere.

CAPUT II.

Somnium Nabuchodonosoris de simulacro hominis plurium metallorum admistione conflato. Hujus expositionem a Chaldæorum Conjectoribus nequidquam tentatam, Daniel, assequitur; quem proinde Rex prosequitur summis honoribus.

℣. 1. IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo. 2. Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua: qui cum venissent, steterunt coram rege. 3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium; & mente confusus, ignoro, quid viderim. 4. Responderuntque Chaldæi regi Syriace: Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, & interpretationem ejus indicabimus. 5. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit a me: nisi indicaveritis mihi somnium, & conjecturam ejus, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. 6. Si autem somnium, & conjecturam ejus narraveritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis a me: somnium igitur, & interpretationem ejus indicate mihi. 7. Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis

servis suis, & interpretationem illius indicabimus, 8. Respondit rex, & ait: certe novi, quod tempus redimitis, scientes, quod recesserit a me sermo. 9. Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi, donec tempus pertranseat: Somnium itaque dicite mihi, ut sciam, quod interpretationem quoque ejus veram loquamini. 10. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus, & potens verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo. 11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. 12. Quo audito, rex in furore, & in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis. 13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel, & socii ejus, ut perirent. 14. Tunc Daniel requisivit de lege, atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. 15. Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, 16. Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. 17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque, & Misach, & Azariæ sociis suis indicavit negotium: 18. Ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto, & non perirent Daniel, & socii ejus cum cæteris sapientibus Babylonis. 19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: & benedixit Daniel Deum cœli, 20. Et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo, & usque in sæculum: quia sapientia, & fortitudo ejus sunt. 21. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam: 22. Ipse revelat profunda, & absconditа, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est. 23. Tibi, Deus patrum nostrorum, confiteor, teque laudo: quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi, quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. 24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex, ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo. 25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda, qui solutionem regi annuntiet. 26. Respondit rex, & dixit Danieli, cujus nomen erat Balthassar: Putasne vere potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem ejus? 27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi. 28. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria, qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt: 29. Tu, rex, cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt. 30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires. 31. Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statua sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. 32. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære. 33. Tibiæ autem ferræ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. 34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. 35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. 36. Hoc est somnium: Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. 37. Tu rex regum es: & Deus cœli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi. 38. Et omnia, in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum. 39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum ter-

tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. 40. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc. 41. Porro quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. 42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. 43. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. 44. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. 45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus. 46. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias, & incensum præcepit, ut sacrificarent ei. 47. Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. 48. Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. 49. Daniel autem postulavit a rege: & constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misac, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

℣. 1. IN ANNO SECUNDO REGNI NABUCHODONOSOR. Qui fieri potest, ut annus iste secundus cohæreat dictis capite superiori de Nabuchodonosore, qui, Jerosolyma capta, Danielem transtulit Babylonem; translatumque Danielem triennali studio (1) scientias omnes Chaldæorum assequutum esse, ac periculo coram Rege facto, reliquis omnibus regioni illius Auguribus superiorem se exhibuisse. Profecto annus tunc fluebat saltem quartus Nabuchodonosoris. Sunt qui (2) hoc contigisse putent altero anno, ex quo Daniel ad Regem ductus fuerat. Referendum alii (3) censent ad annum alterum post vastatam ab eo Principe Jerosolymam. Sed Textus diserte consignat in *annum secundum Regni Nabuchodonosoris* (4). Ita ergo rem totam componimus. Nabuchodonosor renunciatus est Rex a Nabopolassare patre suo anno 3397. statimque profectionem adornavit in Syriam & Phœniciam, defectionem Præsidis illarum provinciarum compressurus. Anno 3398. Jerosolymam cepit, & Danielem cum sociis captivos transtulit Babylonem. Inter hæc, obiit Nabopolassar anno 3399. & Nabuchodonosor unicus Imperii Assyriaci rector salutatus fuit. Denique per quietem noctis spectavit somnium, de quo hic, anno 3401. qui & annus secundus erat regni ejus post obitum patris, quartus captivitatis Danielis (5), & quintus ab inita cum Nabopolassare patre suo Imperii societate.

CONTERRITUS EST SPIRITUS EJUS, ET SOMNIUM EJUS FUGIT AB EO. Hebræus (6): *Et agitatus est spiritus ejus*; fluctuavit, & variarum cogitationum æstu jactatus est; *& somnus ejus fractus est*; post somnium illud, vel soporem conciliavit nullum, vel inquietum & interruptum, ut hominis solliciti & anxii. Syrus: *Insanivit animus ejus, & perduravit in eo somnus ejus*; somnium scilicet alte se menti ejus impresserat. Græcus (7): *Conterritus est spiritus ejus, & somnum ejus fugit ab eo*: cogitans, veluti mentis impos factus est, quippe quem somnii præcedentis terror corripuerat; rei quidem per quietem spectatæ oblitus fuerat, sed vestigia illius aliqua adhuc in mente impressa retinebat, quibus, si monitor aliquis accederet, facile rem totam revocasset. Vertunt quidam Hebræum: *Spiritus ejus consternatus fuit*; & somnium ejus; vel *somnus interruptus* (8).

℣. 2. PRÆCEPIT AUTEM REX, UT CONVOCARENTUR ARIOLI, ET MALEFICI, ET CHALDÆI. Dedimus supra Dan. 1. 20. expositionem duarum primarum vocum, occurrentium in Textu, *Chartumim* & *Ascbaphim*, quæ hic redduntur *Arioli & Magi*. Tertia occurrit in Hebræo vox (9) *Mecasphim*, quam Vulgata vertit *Malefici*; designare autem censet S. Hieronymus (10) Magorum genus illud, qui sanguine & victimis utuntur in usum magicæ artis, & futuros rerum eventus inspectione cadaverum scrutantur. Alii (11) Necromantas, qui mortuorum animas carminibus evocant. Quam Septuaginta adhibent, vox proprie significat magiam operantes succo herbarum aliorumque medicaminum, uti olim Circe, quæ esu cujusdam pharmaci homines in bestias convertebat (12).

CHALDÆI (13). Cum nomen istud de Philosophis usurpatur, genus quoddam hominum designat, quorum erant sedes ab aliis diversæ ad Euphratem (14), quique a publicis muneribus & vectigalibus exempti erant, occupati studio Physices & Astrologiæ. Porro illi horoscopos formabant, futurosque eventus astrorum contemplatione præsagiebant, totamque vitam addicebant serviriis Deorum, divinationi, futurorum prædictioni, imminentibus malis averruncandis, bonis procurandis ope expiationum, sacrificiorum, vel incantationum. Porro illi Augures agebant, somniorum conjectores, patrandarumque prodigiorum virtutem sibi arrogabant. Futura certo nosse extis victimarum consultis censebantur. Scientias illi suas veluti

[1] Daniel. 1. 5. 18. [2] Junius. [3] Plures apud Munst. Perer. Gejer. Tir. Hieron. Hebr. Grot. &c. [4] בשנת שתים למלכות [5] Vide Usser. ad hos annos; Joseph. Beros. rerum Chaldaic. lib. 3. Vide, si placet, & Gejer. Vighman, l'Emper. Menoch. [6] ותתפעם רוחו ושנתו נהיתה עליו [7] Καὶ ἐξέςη τὸ πνεῦμα αὐτῦ, ἢ ὁ ὕπνος αὐτῦ ἐγένετο ἀπ' αὐτῦ. [8] Vide Pagnin. Mont. Ge. Jacchid. [9] מכשפים Græc. φαρμακοί. [10] Hieronym. hic. [11] Men. Tir. Grot. [12] Homer. Odyss. K. [13] כשדים Casdim. [14] Diodor. Sicul. lib. 1. pag. 51. Vide eumdem, lib. 2. pag. 83. 84. Vide & Strabon. lib. 6.

veluti per manus e patre in filium tradentes, plerumque peritissimi evadebant. Hæc de illis Diodorus Siculus; a quo etiam discere licet, quæ potissima fuerint eorum placita de rebus Physicis, & quanta esset nominis eorum fama apud Babylonios. Diodorus aliique nonnulli censuerunt, hosce Philosophos originem ab Ægypto retulisse: sed Cicero de Divin. l. 1. veterum omnium Philosophorum vetustissimos esse contendit; docetque Josephus Antiq. l. 1. c. 9. vel ipsam Astronomiæ scientiam Chaldæos Ægyptiis tradidisse.

℣. 3. Mente confusus ignoro quid viderim. Hebræus (55): *Somniando somniavi, & spiritus meus fluctuat, & anxiatur ad sciendum somnium*. Frustra laboro mente, frustra anxius & sollicitus sum, ut memoriam præteritæ rei revocem. Vel: *Somniando somniavi, & spiritus meus anxiatur ad detegendum occultum sensum*; vel planius, ad revocandam ejus memoriam.

℣. 4. Responderuntque Chaldæi Regi Syriace. Singulos vernaculo sermone loquentes Daniel in hoc Libro inducit. Historiam ille quidem Hebraice scribit; sed plerumque Chaldaice vel Syriace (olim enim ambo hæc idiomata (16) miscebantur) ea refert, quæ Syriace vel Chaldaice recitata fuerunt; nempe Regis & Magorum dialogum; explicationem somnii Nabuchodonosoris a Daniele factam; edictum Regis, decernens cultum simulacro a se excitato (17); alterum edictum (18), quo narrat somnium aliud de magna quadam arbore, a Daniele expositum; historiam convivii Regis Balthasaris (19), profanationem vasorum sacrorum, & terribile illud spectrum, exhibens manum scribentem in pariete, *Mane, Techel, Phares*; exordium Regni Darii Medi (20), & honores Danieli decretos; denique visionem quatuor belluarum, totidem summa Imperia designantem (21). Hæc omnia Chaldaice scripta sunt, tenentque totum spatium a ℣. 4. Capitis II. usque ad exordium Capitis VIII. Porro Chaldæus sermo perinde familiaris erat Prophetæ (22), ac Hebræus, illi vernaculus.

℣. 5. Peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur. Chaldæus (23): *Frusta fietis, & domus vestræ in loca turpia redigentur*, vel in sterquilinium, quo sordes omnes & naturæ superflua egeruntur. Alii (24): *Domus vestræ diripientur*. Hujus generis supplicia familiaria erant in iis regionibus; occurrunt enim iterum infra Capite III. 29. juxta Hebræum, & in Esdra (25). Exhibet etiam Historia exempla hominum in frusta cæsorum. David plaustris inductis contrivit Ammonitas bello captos (26). Samuel trucidavit Agag Regem Amalecitarum (27); Gedeon spinis laceravit corpora civium Socoth (28). Orpheum dilaceravit Thraciarum mulierum furor. Bessum pari supplicio affecerunt Darii necessarii, quibus Alexander Magnus parricidam hunc neci tradendum permisit (29). Mutilationum vel abscissionum membrorum varia genera ad reos plectendos familiarissima erant apud Persas (30).

℣. 8. Certe novi quod tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. Rem protrahere nitimini, ut somnium meum tandem menti recurrat (31), vel sollicitudo mea evanescat; & ego ad alia distractus, nihili faciam somnium (32). Aliter: Redimere tempus satagitis, ut supplicium vestrum differatur, & ut procuretis dolosam & ambiguam aliquam explicationem, aut nunquam, aut alio, quam nostro tempore, implendam (33). Nunc igitur hoc eodem tempore jubeo certum & minime vagum edi responsum. Similem loquendi phrasim adhibet Apostolus Ephes. v. 16. monens Ephesios, *ut redimant tempus, quoniam dies mali sunt*; idest, tempus suum impendant Domino & rebus salutis æternæ, nihil curantes rerum temporalium & quietis suæ dispendia; scientes, hoc maximum esse lucrum & compendium optimum, si omnium potius fiat jactura, quam ut aliquid negligatur temporis, quo æternitas nobis comparatur. Arioli Nabuchodonosoris in eo sollicitudinem suam ponebant, ut redimerent tempus, quo vitæ suæ consulerent caverentque sibi omni studio, arte, ac nisu, a Regis indignatione.

℣. 9. Una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi, donec tempus pertranseat. Hæc vos solicitudo tenet, ut fallaci aliqua & dolosa interpretatione tempus redimatis. Textus hujus sententiæ satis obscurus est. Porro ita redditur ad verbum (34): *Non alia est lex vestra* (consilium nempe & mens) *nisi ut præparetis sermonem mendacem & corruptum ad dicendum coram me, donec tempus mutetur*. Vel potius: Uno eodemque judicio vos omnes interficiam (una scilicet lege, & communi omnibus sententia) *nisi exposueritis somnium meum; & si decipere me studueritis paratis arte, & in speciem veri quæsitis verbis, volentes redimere tempus*; rem protrahere. Supplendam hic censui particulam *si*, ex phrasi præcedente, juxta Hebraicæ & Chaldaicæ dialecti naturam. Perinde est autem, ac si Nabuchodonosor nunciaret: Edite certum responsum, ne fallacia verba in meam deceptionem struatis; neque enim decipi me patiar. Si somnii mei interpretationem assequi valetis, vel ipsum pariter somnium attingere pronum erit: *Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini*.

℣. 11. Exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio. Pronum erit nobis, ope artis nostræ & Deorum familiarium, quod nobis narraveris somnium exponere; at divinare somnium ignotum, quod e memoria excidit, ejusque aptam edere expositionem, res est supra vires hominum, & plane digna superno Numine, quocum nullum est artis nostræ comercium. Chaldæi, uti reliqui omnes Ethnici, norant Deos superiores & inferiores, alios aliis subditos (35). Porro illi imprudentes offerebant argumentum, quo Danielis Deo superior authoritas asserebatur; ab illo enim aperiendum erat Danieli somnium, quod Magis suis detegere Dæmones & Dii Chaldæorum non potuerunt (36).

℣. 13. Egressa sententia, Sapientes interficiebantur. Cogebantur in unum, ut omnes simul interficerentur. Interpretum plures (37) censent, imperium illud Regis jam expleri cœpisse, ut qui primi obviam occurrerunt Magi, interierint. Daniel, cui Magi minime aperuisse creduntur (38) causam, cur a Rege vocarentur, ne gloriæ illorum officeret, totum ad se avocans interpretationis somnii honorem; Daniel, inquam, inscius & imprudens, communis sententiæ fatum subiisse se intellexit; quærebatur enim ad decem

vir-

[15] ותפעם רוחי לדעת את החלום Græc. Καὶ ἐξέστη τὸ πνεῦμά μου, τοῦ γνῶναι τὸ ἐνύπνιον. [16] Vide 4. Reg. XVIII. 26. Et 1. Esdr. IV. 7. [17] Dan. cap. 3. [15] Dan. III. ℣. 98. & IV. per totum. [19] Dan. V. [20] Ibid. cap. VI. [21] Cap. VII. [22] Vide sup. Dan. 1. 4. 17. 20. [23] הדמין תתעבדון ובתיכון נולי יתשמון [24] Οἱ οἶκοι ὑμῶν διαρπαγήσονται. Ita & Syr. & Arab. [25] 1. Esdr. VI. 11. [26] 1. Par. XX. 3. & 2. Reg. XII. 31. [57] 1. Reg. XV. 31. [28] Judic. VIII. 16. [29] Diodor. Sicul. lib. 17. [30] Vide Strabon. lib. XV. Xenoph. lib. 1. de Expedit. Cyri; Plutarch. in Artaxerse; Brisson. de Regno Persar. lib. 2. pag. 347. [31] Saadias, Gejer. [12] Munster. [31] Grotius. [34] חדה היא דתכון ומלה כדבה ושחיתה הזמנתון למאמר קדמי עד די עדנא ישתנא [35] Vide Stanley, Histor. Philosoph. par. 13. cap. 1. 2. 3. &c. [36] Hieron. Sanct. [37] Maldon. Gejer. Grot. Menoch. Villet, Cornel. a Lap. &c. [38] Hieron. ex Hebræis.

vir innocens, qui rem, de qua agebatur, penitus ignorabat.

℣. 14. DANIEL REQUISIVIT DE LEGE ATQUE SENTENTIA AB ARIOCH PRINCIPE MILITIÆ REGIS. Reddi etiam potest Textus (39): & Daniel mutare fecit legem & consilium Arioch Principis *Carnificum*, interfectorum, vel Cocorum, vel Prætorianorum *Regis*. Præfectus hic idem agebat munus apud Nabuchodonosorem, quod Putiphar Socer Josephi apud Regem Ægypti (40). Porro tunc nec probro erat nec dedecori Optimatibus Aulæ & militiæ, si ministerium suum exhiberent ad puniendos reos, quos Princeps damnaverat. Banaias, Dux supremus copiarum Salomonis, missus est ad avellendum ab altari, & interficiendum Joabum (41); idemque pariter Adoniam Regis fratrem neci tradidit (42). Verti potest Chaldæus: *Daniel æqua Ariocho persuasit*; argumenta exhibuit adeo æqua & opportuna, ut persuaserit ab incepto desistere.

℣. 15. QUAM OB CAUSAM SENTENTIA A FACIE REGIS ESSET EGRESSA. Textus ad verbum (43): *Propter quid lex adeo festina a facie Regis?* Unde tam præceps executio sententiæ tam subitæ & violentæ?

℣. 16. DANIEL INGRESSUS ROGAVIT REGEM UT TEMPUS DARET SIBI. Quo pacto Daniel impetrare potuit a Nabuchodonosore, quod cæteris ariolis denegatum est? Promisit fortasse, sese, divina fretum ope, nedum interpretaturum, verum etiam objectum Regi in quiete somnium in memoriam revocaturum, cui rei impares esse se Chaldæi, & Arioli professi fuerant. Tempus illi tantummodo postulaverant, ut procuderent interpretationem fallacem & dolosam, quemadmodum Rex subodoratus fuerat (44). Scite ille discrimen novit inter justam Danielis petitionem, cujus virtutem non ignorabat, ac scientiam & fallacem versutiam Magorum, quorum inscitia & artes ipsæ se prodebant in ambiguis illis & nutantibus sermonibus, quos ad Regem habuerant.

℣. 17. INGRESSUS EST DOMUM SUAM; in partem ædium sibi destinatam; domicilium enim in Regiis ædibus habebat, utpote Regius Præfectus (45).

℣. 18. SUPER SACRAMENTO ISTO. Latina vox *Sacramentum* (46) usurpatur sæpe pro arcano, respondetque Græco vocabulo *mysterion*, quod idem significat (47). Porro vox *mysterium* derivari videtur ex Hebræo *mistar* (48) vel *mustar*, latens, incognitum.

℣. 19. TUNC DANIELI MYSTERIUM PER VISIONEM NOCTE REVELATUM EST. Uni Danieli revelatum fuisse Regis somnium, & interpretatio creditur (49); revelatum autem per quietem noctis, communior sententia docet (50). Suspicantur alii (51), Danielem ac tres ejus socios noctem egisse orantes, atque insomni Danieli Deum per visum omnia retulisse. Porro vigilasse illum, innuit precatio, & gratiarum actio, quas hic Deo exhibet. Verum commode illi quidem potuit dormienti somnium immitti; ac deinde experrectus in preces facile conversus est.

℣. 20. SAPIENTIA ET FORTITUDO EJUS SUNT. Qui ingenium, rerum scientiam & sapientiam hominibus largitur, Deus est (52). Illi authori, illi domino debetur, quidquid potestatis, quidquid imperii, quidquid roboris inest Regibus, virisque Principibus. Denique si quid habemus virtutis, solertiæ, scientiæ, ab illo accepimus: *Omnis sufficientia nostra ex Deo est* 2. Cor. III. 5.

℣. 21. MUTAT TEMPORA, ET ÆTATES. Versus omnino Daniel in contemplationem somnii Nabuchodonosoris, quo portendebantur vices & successio magnorum Imperiorum, humili animo agnoscit coram Deo, tempus, diuturnitatem, erectionem & dejectionem Regnorum & Imperiorum ab illius nutu unice pendere.

℣. 22. NOVIT IN TENEBRIS CONSTITUTA, ET LUX CUM EO EST. Oculos illius fugit nihil; ipse dominus lucis: *lux cum ea est*; ipse lucis arbiter & largitor. Nox & tenebræ nihil ad illum: *Nox sicut dies illuminabitur* (53). Lucem inhabitat inaccessam (54); & tenebrarum profunda rimatur: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus* Hebr. 4. 13.

℣. 27. ARUSPICES, qui scilicet extorum victimæ inspectione divinant. Hanc genuinam esse significationem Chaldææ vocis *Gazerin* (55), Symmachus, S. Hieronymus & Grotius censent. Morem hunc exta consulendi familiarem fuisse Chaldæis, docet Ezechiel (56): *Exta consuluit*. Malunt alii (57) *Gazarin* ipsos esse Chaldæos, de quibus supra ℣. 2. Ars illorum in eo facile versabatur, ut numeris varie compositis divinarent; cujusmodi genus hominum, quique & *amuleta* conficiunt, Arabes appellant *Gazerones*. Apud Rabbinos *Gazera* est Fatum; ut non inepte suspicemur, Magos hosce ex iis circulatoribus fuisse, qui bonam fortunam nunciant.

Censet Saadias, *Gazerin* certæ gentis nomen esse; cui fulciendæ conjecturæ animadvertere juvat, *Gaziuram* vel *Gaziuram* nomen esse vetustæ urbis in Cappadocia. Ibi locorum Magi, *Pyreti* appellati, frequentes incolebant, & Persicorum Numinum Templa erant plurima. Templa ista, teste Strabone lib. 15. mane singulorum dierum adibant Magi, oraturi per horam, tenentes inter precandum manu fasciculum virgarum, & capite habentes tectum pileo vel mitra, cujus vittæ ad labia usque demissæ pendebant. Mos divinandi per virgas in Ezechiele diserte exprimitur (58). Verbum *Gazar* Arabice est *abscindere*. Hodie apud Turcas (59) *Bazar* nomen est Magorum, qui consulentibus se tradunt virgam, ajentes: Revoca in mentem id de quo me consulis; & ego de iis quæ cogitas, reddam tibi rationem. Simul autem virgam recipiens Magus, tres lineas in atra arena imprimit, & delet statim; tum iterum tres alias describit, simulque obliterat; atque ita demum rem, de qua consulitur, pandit. Num tota hæc superstitio nomine *Gazar* vel *Gazer* a Daniele designatur? Vide Caput III. ℣. 3. ubi in hanc vocem novas conjecturas damus.

℣. 28. QUÆ VENTURA SUNT IN NOVISSIMIS TEMPORIBUS; seu futuro tempore. Textus ad literam (60); *In venturis diebus*. In veteri Testamento & familiari Prophetarum consuetudine, locutio hæc, *In novissimis temporibus*, adventum Messiæ & regni illius jacta fundamenta designat. In novo accipiuntur sæpe de suprema Judicii die, & secundo Jesu Christi adventu.

[39] דניאל התיב עטא וטעם לאריוך רב טבחיא די מלכא Græc. Τῷ Ἀριὼχ τῷ ἀρχιμαγείρῳ, *Principi coquorum*. Ito Arab. [40] Genes. XXXIX. 1. [41] 3. Reg. II. 30. 34. [42] Ibid. ℣. 25.
[43] על מה דתא מהחצפה מן קדם מלכא [44] Vide ℣. 9. [45] Supra I. 4. 15. 19.
[46] על רזא רבה Græc. ὑπὲρ τοῦ μυστηρίου τούτου. [47] Μυστήριον Chrysostomo est τὸ ἀπόῤῥητον καὶ θαυμαστὸν, & ἀγνοούμενον. [48] מסתר a סתר abscondit. [49] Ita Maldonat. &c. [50] Hieronym. Lyr. Mald. Gejer. [51] Villet, ex Albert. [52] Infra, ℣. 23. *Sapientiam & fortitudinem dedisti mihi*. [53] Psalm. CXXXVIII. 12. [54] 1. Timot. VI. 16. [55] גזרין Græci Γαζαρηνοὺς Hieron. hic: *Pro Aruspicibus, quod nos vertimus, in Hebræo Gazarenos habet, quod solus Symmachus, θύτας, (seu θύτας) interpretatus est, quod Græci solent ἱεροσκόπους appellare, qui exta inspiciunt, ut ex his futura prædicant*. [56] Ezech. XXI. 21. ראה בכבד *Consideravit jecur*. [57] Constant. l'Empes.
[58] Ezech. XXI. 21. *Divinationem quærens, commiscens sagittas*. [59] Vide Eugéne Roger, Terre Sainte, liv. 2. ch. 16. pag. 316. [60] באחרית יומיא

℣. 31. INTUITUS EJUS ERAT TERRIBILIS. Reddi potest Textus (62): *Imago ejus terribilis*, nova, mira, supra fidem.

℣. 37. TU REX REGUM ES. Titulus Regibus Persarum familiaris (63). Nabuchodonosor omnes ætatis suæ Reges superabat. Nunquam Chaldæorum Imperium iis opibus floruit, quibus sub Nabuchudonosore. Virtute & rerum gestarum numero ac fama Herculem ipsum vicit, teste Megasthene (64). Victricia arma in Libyam usque & Iberiam intulit, & utraque expugnata, ad lævam Ponti Euxini plagam colonias ex iis gentibus duxit. Babylonem tanta magnificentia & celeritate ornavit, ut pene fidem superet. Nam cinxisse illam triplici muro, spatio quindecim dierum, affirmant Historici, eidemque tribuuntur prodigia illa hortorum, quos concamerati fornices suspensos regebant; hortorum, inquam, quos Antiquitas inter Orbis miracula recensuit (65). Fuse prosequitur Scriptura illius victorias de Phœnicibus, Syris, Ægyptiis, aliisque minus notis gentibus.

℣. 38. TU ES ERGO CAPUT AUREUM. Creditur simulacrum illud, per quietem noctis oblatum Nabuchodonosori, quatuor summa Imperia designasse, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Horum primom tunc regens Nabuchodonosor, capite aureo simulacri exprimebatur.

℣. 39. POST TE CONSURGET REGNUM ALIUD MINUS TE, ARGENTEUM. Imperium istud argenteum, quod Nabuchodonosoris Imperium excipiebat, Regnum est Persarum, Cyro authore constitutum. Magnitudine Assyriaco vel Chaldaico tum in eo concedebat, quod recentius illo esset & brevius; si præsertim mensura Imperii Assyriorum & Chaldæorum ex Nemrodo ducatur. At quamvis caput illius desumatur a Nino, anno Mundi 2737. quingentis & viginti annis floruit, ex Herodoto (66), vel septingentis & triginta, si finis Regni Assyriaci constituatur in expugnatione Babylonis per Cyrum sub Nabonido, vel Labynito, postremo Assyriorum Rege, ex Beroso & Megasthene (67). Sed & Regnum Persarum in eo concedebat Assyriaco, quod angustius esset, & minus validum. Licet enim Cyrus & successorum illius plerique Provincias plurimas obtinuerint; fateamur utique necesse est, longe inferiores fuisse Nino, Semiramide, Sardanapalo, & Nabuchodonosore, si fides Historicis habeatur.

REGNUM TERTIUM ALIUD ÆREUM. Imperium Græcorum, ab Alexandro Magno super ruinas Imperii Persarum constitutum. In eo autem a reliquis Imperiis distinguitur, quod *imperabit universæ terræ*. Revera Alexander Magnus tres Orbis partes victoriis peragravit; totam sibi Asiam utque trans Indum submisit; Africam fere totam subegit, & in Europa ditionem suam longe lateque prorogavit. Ab Indis redux, obvios habuit Babylone ex universis ferme Orbis Provinciis Legatos, qui Regem salutaturi vel gratulaturi, vel munera oblaturi venerant. Præter Asiæ Legatos, quos miserant Reges, & liberæ Civitates; adfuerunt & Legati ex Africa, Carthaginienses, & Africanorum reliqui, qui oras maris illius incolebant, usque ad columnas Herculis; Æthiopes, & gentes vicinæ Templo Jovis Ammonis. Misit & Europa Legatos, liberæ Civitates Græciæ, Macedones, Thraces, Illyrici, Scythæi; venerunt & ex gentibus quibusdam Italis, ex Brutiis, Lucanis, & Hetruscis; ex Insulis pariter Siciliæ & Sardiniæ; ex Hispanis & Galliis, quas olim gentes penitus ignoraverant Macedones (68): confluxere autem omnes, Victoris Asiæ & Triumphatoris, cujus nominis fama undique per Orbem sonabat, imperium subituræ.

℣. 40. REGNUM QUARTUM ERIT VELUT FERRUM, cui peculiare erit *comminuere & conterere omnia, quomodo ferrum comminuit & domat omnia*. His indiciis aperte designatur Imperium Romanum, quod contrivit & in cinerem favillasque redegit Imperia omnia, quæ olim ante se in Europa, Africa, & tota ferme Asia floruerant. Viribus illius restitit nihil: non Assyrii, non Persæ, non Græci tantum olim valuerunt, quantum postea Romani. Hæc vulgaris est Scriptorum fere omnium loci hujus interpretatio (69).

At Recentiorum nonnulli (70) putavere, quartum hoc Imperium Lagidarum esse in Ægypto & Seleucidarum in Syria. Contendunt autem alii quidem, Imperium Jesu Christi designari lapide sponte e monte avulso, alii vero expressum agnoscunt Imperium Romanum; quorum sententiam pronam maxime & simplicem, magisque validam existimamus. Imperium æneum, Alexandri Regnum utique designat; quod vero proxime huic succedit, aliud esse oportet quam Romanorum, uti non una ratione demonstratur. Prima quidem, quod imperium Romanorum cum Alexandri imperio nullo nexu conjungitur. Secunda, quod diu post Alexandri Regnum coaluit. Tertia, quod nihil illi erat cum Republica Judæorum, quo potissimum spectabat Daniel. Quarta, quod unicum erat Regnum, nec proinde commode exprimitur emblemate utriusque cruris, cui simulacrum innitebatur. Quinta, quod Messias, ad quem totum hoc vaticinium collineat, venturus erat post quarti hujus Imperii excidium. Venit autem Jesus, cum Romanorum Imperium maxime floreret.

Si autem quartum hoc Imperium aliud est a Romano, vix alteri congruit, quam Regno Ægyptiorum & Syrorum. Utrique illi Imperio conveniunt ea, quæ hic a Daniele exhibentur. Junguntur hæc Alexandro uti successores decessori, atque uti crura corpori. Crura simulacri, nec ejusdem cum reliquo corpore sunt naturæ, nec metalli. Seleucidæ, & Lagidæ partem Imperii Alexandri ad sese traxerunt, non jure successionis, nec hæreditatis, nec electionis a populo factæ, quippe qui alterius essent sanguinis & familiæ. Quod Reges fuerint, secundæ fortunæ suæ & virtuti debent.

Quatuor illa, de quibus Daniel 11. 40. singula in Regnis hisce recurrunt. Primo diuturnitas, ferro significata, quod & Regum illorum sævitiam & impotentiam in populum Dei designat. Ex historiis discimus, quot quantisque malis Judæi a Regibus Syriæ & Ægypti affecti fuerint. Secundo, *comminuent & conterent* reliqua omnia Imperia. Quot duces & Principes vicit Seleucus Nicator, & Ptolemæus filius Lagi? Seleucus præsertim Imperium suum nunquam antea firmavit, quam post exitium Antigoni, Nicanoris & Demetrii; quemadmodum & Ptolemæo stabile Imperium peperit excidium Perdiccæ & reliquorum hostium. Tertio, divisio Imperiorum, & materies, qua pedes constabant, ferrum nempe & argilla, veluti ob oculos exhibent dissidia, inter utrumque hoc Imperium fere perpetua, & misturam illam indolis bonæ & malæ, quæ Principes Seleuci & Ptolomæi successores vitiabat; cum nemo unus egregias illorum laudes, virtutem, prudentiam, sapientiam omnes simul in se collegerit; quin & vitiis insignes se præbuerint. Quarto, molimina Principum illorum, conantium concilia-

(62) ורוה דחיל (63) Brisson. lib. 1. de Reg. Persar. pag. 4. 5. (64) Apud Euseb. Præpar. lib. x. cap. 42. Vide & Joseph. contra Appion. lib. 1. & Strabon. Geograph. lib. xv. (65) Vide Beros. apud Joseph. Antiqu. lib. x. cap. 11. & Abyden. apud Euseb. Præpar. lib. ix. cap. 41. (66) Herodot. lib. 1. cap. 95. (67) Vide Usser. ad an. M. 3466. (68) Vide Diodor. an. 1. Olymp. 14. pag. 622. 623. (69) Vide Med. oper. lib. 4. Ep. 6. Hieron. hic, Theodoret. Perer. Sanct. Maldon. Cornel. Menoch. Lyr. Tirin. Calov. alios passim. (70) Grot. Jun. Pisc. Polan. l'Empere. Villet.

ciliare inter se fœdera & connubia, quæ irrita semper & inania cesserunt, non obscure designantur iis verbis: *Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*. Antiochus *Deus*, Rex Syriæ, duxit Laodicen & Berenicen, Ptolemæi Philadelphi filias; Antiochus Magnus filiam Cleopatram nuptum tradidit Ptolemæo Epiphani, Regi Ægypti: sed connubia illa jungendo utrique Imperio adeo non valuerunt, ut potius illa inter se magis magisque commiserint, & sævissimis bellis causam & fomitem præbuerint.

Denique si locus hic Danielis comparetur cum iis, quæ leguntur infra, VII. 7. & VIII. 22. facile intelligemus, Prophetam unam eamdemque rem sibi proposuisse, ut idem utrobique exprimeret; & singula, quæ ab illo afferuntur, non alteri melius congruere, quam Imperio Seleucidarum & Lagidarum.

Imperium Messiæ significatur lapide sponte e monte evulso. Lapis crevit in montem, & omnia mundi Regna dejecit: hæc nobis explicanda infra supersunt. Sed quis prohibet, quin lapidis hujus figura Romanorum Imperium exprimatur? Multa sunt enim utrinque peculiaria. Primo: lapis est a simulacro plane diversus; quare Imperium designat quatuor cæteris nulla affinitate conjunctum. Secundo, e parvo lapide magnus mons efficitur. Imperium Romanum e crepundiis humilibus plane & neglectis in immensam potestatem & gloriam crevit. Tertio, lapis dejecit simulacrum, & omnia illius metalla contrivit: ita & Romanorum Imperium evertit Imperia, quæ toto tunc Orbe eminebant, præsertim Syrorum & Ægyptiorum. Quarto denique, Imperium istud coaluit quo tempore reliqua Imperia stabant: *In diebus Regnorum illorum*. Romanorum Respublica futuræ magnitudinis jecit fundamenta, quo tempore Græci, Reges Ægypti & Syriæ sese mutuo conficiebant. Hæc Imperio Romano conveniunt.

Sed & alia sunt, quæ prono sensu usurpata, deducunt vel invitos ad Imperium aliud, nempe ad Regnum Jesu Christi. Primo, lapis modicus e monte abscinditur *sine manibus*. Quis autem negaverit, formando atque erigendo Romanorum Imperio non conspirasse hominum manus, virtutem nempe bellicam, sapientiam, strenuitatem, prudentiam, ambitionem, vim, totam denique humanarum libidinum atque æstuum turbam? Secundo, Imperium, de quo Daniel, *suscitabit Deus, & in æternum non dissipabitur*. An peculiaria hæc sunt Romanorum Imperio? nonne descripta in Historia legimus illius initia, incrementum, & lapsum? nonne expressam videmus ambitionem, atque omnia hominum gesta, qui illud condidere, & ad fastigium provehendo operam & manum contulerunt? Tertio, Regnum illud *alteri populo non tradetur*. Quamdiu Romanorum Imperium stetit, semel, iterum, & sæpius exteris regendum commissum fuit. Quam sæpe hostium furori patuit; donec tandem cessit in prædam barbarorum, a quibus dilaceratum, dissipatum, eversum periit? Quarto, si Romanorum Imperium reliqua omnia evertit, & ipsum pariter cecidit. Non est itaque, cur de illo verissime affirmetur Danielis oraculum: *Et ipsum stabit in æternum*.

Itaque fateamur oportet, oraculum hoc Prophetæ de quinto quodam Imperio, nulli præter quam Imperio Jesu Christi proprie convenire; quamquam & fieri potuit, ut Propheta seu potius Spiritus Sanctus aliquid in descriptione addiderit de imperio Romano, ceu figura Regni Jesu Christi; quemadmodum & in cæteris Prophetis Deus oraculis de Jesu Christo latis alia quædam miscere solet oracula, ad res aliquas historicas & privatas pertinentia; quæ cum ad sensum impleta tendantur, apertissimum suppeditant argumentum, Ethnicis, & incredulis probans dogmata longe nobiliora & celebriora, ad Jesum Christum unice spectantia. Magnitudo, amplitudo vires Imperii Romani, gloriam Imperii Messiæ portendebant. Quæ Romanis authoribus eversa sunt Imperia, vim nunciati palam Evangelii designat. Illud ipsum tempus, quo Imperii gloria maxime fulsit sub Augusto, epocha est nativitatis Jesu Christi, qui fundamenta jecit Imperii spiritalis, longe augustioris Romanorum Imperio; & longe illud superantis gloria, dignitate, amplitudine.

Totum hoc systema continua narrationis serie exposuimus, ut melius illius constantia & nexio sentiatur. Prosequemur autem in Commentario explicationem oraculi, ex communi sententia, quæ nomine quarti Imperii, Romanorum Regnum expressum censet.

℣. 41. Quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream: Regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur; idest, Regnum, e ferro licet ortum, dissilet in partes. Romanorum Imperium commode exhibetur sub imagine hominis, varias vitæ ætates obeuntis (68). Infantiam egisse censet Florus toto eo tempore, quo sub primis Regibus fuit. Adolevit sub Consulibus a Bruto, quo usque Italiam universam Romani submiserunt. Juventæ ipsumque ætatis robur floruit ab expugnata Italia usque ad Augustum, qui pacem vasto huic Imperio conciliavit, quique ditionem suam ferme tam late extendebat, quam late patebat Orbis. Degeneravit autem in Senectutem ab Augusto, & deinceps, cum bellis civilibus & Imperatorum socordia deteri Imperium cœpit, variarum Provinciarum amissione debilitatum. Ut hanc imaginem ad illud, quod modo expendimus, oraculum transferamus, reputandum est, Imperium ferreum, conterens atque confringens cætera, ipsum esse Romanum Imperium, florens tum sub Consulibus, qui victricia arma ultra fines Italiæ promoventes, Regna & innumeras Provincias subegerunt; cum sub Imperatoribus Julio Cæsare, Augusto, Tiberio. Deinceps ferrum purum degeneravit in scoriam ferri, in misturam ferri & argillæ; excepit enim egregios illos Principes fere continua series Imperatorum nequissimorum, qui summa authoritate ad summa vitia abutebantur; quique in animum, vacuum bellica virtute & prudentia, induxerunt tyrannidem, qua & suos opprimebant, & exteros provocabant; quique tandem nugarum suarum levitate contemptum aliorum subibant. Dum fragile hoc & debile Imperium defluebat, coalescebat interim Imperium Jesu Christi, æternum & incorruptum, quod nec ad aliam gentem unquam transferetur, & Regna cætera dejiciet, ut ad ℣. 44. differemus.

℣. 43. Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt. Pompejus uxorem duxit Juliam, Julii Cæsaris filiam; & M. Antonius Octaviam Augusti. Hæc utique connubiorum societas perpetuam animorum connexionem inter Capita Reipublicæ paritura sperabatur; sed frustra; neque enim sive civiles illorum simultates tollere, sive ambitionem temperare valuit. Julius Cæsar arma infesta tulit in Pompejum; eoque victo Romanorum simul libertati vincula conjecit. Augustus & Antonius sese invicem commiserunt, & altero succumbente, Augustus solus Imperium invasit, quod & hæreditaria successione transmisit ad posteros. Porro stabiliendo suo Imperio nihil omisit intentatum, fœdera, adoptiones, connubia adhibuit; addidit quæcumque humana prudentia Principem ambitiosum docet, ut familiæ suæ Regnum asserat perpetuum. Sed frustra omnia: *Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*. Dissidium in illam irrepsit, invexitque secum turbam promiscuam cæ-

(68) L. Flor. lib. 1. initio.

cædium, proditionum, scelerum. Domum Cæsaris Nero delevit. Quæ interpretatio versiculos 41. 42. & 43. exponit de Imperiis Ægypti ac Syriæ, potior habenda est, uti supra monuimus.

℣. 44. In diebus autem Regnorum illorum, suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur: Verba Textus Regnum Jesu Christi non obscure præseferunt. Designatur illud nomine lapidis sponte avulsi e monte, conterentisque argillam, ferrum, æs, argentum & aurum (69). Divinum hoc Regnum longe diversum est a Regnis, de quibus supra. Imperium est humano quocumque Imperio augustius, nam *Suscitabit Deus Cæli Regnum*, lapis est *abscissus sine manibus*. Ambitione & sævitia pleruinque magna Imperia coalescunt; nihil simile Imperio Jesu Christi asserendo valuit; humanum nihil in illo. Primo quidem aspectu *parvi lapidis* sponte e monte avulsi speciem exhibet; e sinu enim Patris egrediens, prodiit e Virgine Parente (70); qua in re nihil humanæ opis fuit. Percussit lapis iste statuam *in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum* (71); & statim lapis *factus est mons magnus, & implevit universam terram*.

Cum Jesus Christus primo se obtulit mundo spectandum, & Ecclesiæ suæ jecit fundamenta, vix major erat lapide parvo, qui durissimis metallis, ferro, æri, argento, auro comminuendis impar videbatur, id est, nihil exhibebat validum ad dejicienda tot opulentissima Imperia, Romanum præsertim, quod reliqua simul omnia suo veluti sinu continebat. Nihilo tamen secius angusto paucorum sæculorum spatio colossum dejecit atque contrivit, id est sustulit errorem, Dæmonem, Idololatriam, quæ in Imperio Romano tamquam in arce sua invaluerant. Qui Ecclesiam insectati fuerant Imperatores, omnipotenti brachio victi cesserunt, locumque dederunt aliis Imperatoribus fidelibus & Jesu Christo submissis. Atque ita demum factum est, ut Jesus Christus reliqua Imperia deleverit; non temporalem illorum potentiam aggressus, sed impietatem, superstitionem, infidelitatem, crimina superans.

Regnum quod in æternum non dissipabitur, et Regnum ejus alteri populo non tradetur. Duo hic exhibentur adeo peculiaria Regno Jesu Christi, ut nulli alteri Imperio, nec futuro, nec præterito, congruant. Cernere quidem licuit Imperia Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Ægyptiorum, quin & Romanorum dissolvi, & ex uno in alterum Regnum ac gentem migrare. Unicum Filii Dei Imperium æternitati par stabit. Septem denique sæculis restitit conatibus omnibus Mundi, Inferni, Dæmonis, insectantium odio, hæreticum furori; factæ a Jesu Christo promissiones securæ semper & certæ perseverant, quibus spes facta est non inanis Ecclesiæ Christianæ de perpetua illius stabilitate, ut parem cum sæculo exitum sit habitura.

℣. 46. Danielem adoravit, et hostias, et incensum præcepit ut sacrificarent ei, Chaldæus (72): *Adoravit, & dixit ut darentur ei oblationes*, panes & libamina, *& fragrantia*. Danielem suspexit Nabuchodonosor, veluti lapsum e Cælo Numen; sed Propheta Sanctus satis aperte demonstraverat, quid de natura Numinis sentiret, docueratque, unum esse Deum Cæli, qui abdita panderet (73). Quare nonnisi summo horrore abjecit munera illa cultumque religiosum, quæ Rex, divinum aliquid inesse viro ratus, obtulerat. Ita pariter Lycaones venerant oblaturi Apostolo sacrificia (74); & Alexander Magnus Jaddum supplex procumbensque adoravit (75).

℣. 47. Vere Deus vester Deus deorum est. Veritatis evidentia persuasus Nabuchodonosor, agnovit omnibus Numinibus præstare Deum Danielis, superiorem reliquis, qui Dei nomen per summam injuriam arrogabant. Novit utique, illum, qui abdita & futura pervaderet, peculiari Numinis titulo ornari. Sed nondum persuasum habuisse videtur, Deum Judæorum unicum esse Numen; superiorem illum tantummodo cæteris regionis Diis constituit, qui cultoribus suis ea reserare, quæ Deus aperuit Danieli, non valuerunt.

℣. 48. Constituit eum Principem super omnes provincias Babylonis. Recusaverat Daniel honores divinos, temere sibi a Rege oblatos; sed accepit præfecturam Provinciarum Babylonis, quam summam totius Imperii fuisse, ex eo facile intelligimus, quod Babylon Regni Metropolis esset.

Et præfectum magistratuum super cunctos sapientes; super illos nempe, de quibus sermo fuit supra ℣. 2. super Ariolos, magos, excantatores, Chaldæos, somniorum conjectores, &c. Muneris hujus officio nihil utique superstitiosum, Idololatricum nihil, solidæ pietati & Religioni contrarium imperabatur; cavisset enim vir pius, ne in hoc discrimen veniret. Textus ad litteram (76): *Præfecit eum Principem Satraparum, & super omnes sapientes Babel*. Sub ejus Imperio constituit Principes hominum istorum, qui inanem hanc sapientiam profitebantur.

℣. 49. Constituit super opera Provinciæ Babylonis Sidrach, &c. Sociis suis munus hoc illustre Daniel procuraverat. Curabant illi operarios, quos Rex in agro conducebat (77), quique juris Regii agros & arbores colebant. Summo olim agriculturæ studio veteres Persarum Reges tenebantur (78); invisebantque per constitutos Præfectos provincias, qui illarum culturam sedulo inspicerent. Quicumque Magistratus seu Præfecti officio suo hac in re deessent, amovebantur; quæque vicissim gentes artem in hac re sua illis approbassent, prorogato latius pro ditionum amplitudine agro donabantur. Censuit S. Hieronymus hic, Danielem impetrasse sociis munus judicandi in illis Provinciis; placet aliis (79), Danielem exquisivisse Regis assensum, ut illos rerum ditionis suæ administros ad nutum suum constitueret. Sed vox Chaldæa labores agriculturæ propriæ designat (80).

Ipse autem Daniel erat in foribus Regis; in aula, prope Regem. Fores Principes familiari Orientalium sermone sunt aula Regis. Daniel unus erat inter supremos Aulæ ministros. Opinatus fuit Marshamus (81), verbis hisce designari, Danielem præfecturam gessisse vectigalium, ut illi uni incumberet provincia vectigalium omnium, quæ in Regium ærarium inferebantur. Telonium suum constituisse censet in porta Eulæi, prope Susas, ubi celebrem illam visionem spectavit (82). Sententiam hanc prorsus negligo. Animadversum est supra Danielis & sociorum præfecturam non se porrexisse latius, quam in totam provinciam Babylonis.

(69) Infra ℣. 45. (70) Vide Justin. Mart. Dialog. cum Tryphon. & August. Tract. ıx. in Joan. & Tract. ıı. in primam Joan. (71) Supra ℣℣. 34. 35. (72) לדניאל סגד ומנחה וניחחין אמר לנסכה לה (73) Supra ℣. 28. (74) Act. xiv. (75) Joseph. Antiq. l. xi. c. 8.
(76) ורב סגנין על כל חכימי בבל (77) ומני על עבידתא די מדינת בבל (78) Vide Xenophon. in Oeconomico. Et lib. 8. Cyropæd. ubi notat ἔργων ἐπιστάτας. (79) Jun. Gint. (80) Ludovic. de Dieu. Vide Genes. ıı. 5. ııı. 23. &c. עבד את האדמה (81) Marsham. Can. Ægypt. sæcul. xvııı. p. 565.
(82) Dan. vııı. 2.

CA.

CAPUT III.

Simulacrum aureum a Rege Babylonis erectum; cui negantes cultum tres socii Danielis accusantur apud Regem; damnatique in succensam fornacem injiciuntur. Deus illos ab igne illaesos servat. Oratio illorum in medio fornacis. Edictum Nabuchodonosoris pro Judaeis latum.

℣. 1. NAbuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura provinciae Babylonis. 2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & judices, duces, & tyrannos, & praefectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuae, quam erexerat Nabuchodonosor rex. 3. Tunc congregati sunt satrapae, magistratus, & judices, duces, & tyranni, & optimates, qui erant in potestatibus constituti, & universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuae, quam erexerat Nabuchodonosor rex: stabant autem in conspectu statuae, quam posuerat Nabuchodonosor rex. 4. Et praeco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: 5. In hora, qua audieritis sonitum tubae, & fistulae, & citharae, sambucae, & psalterii, & symphoniae, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. 6. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. 7. Post haec igitur statim, ut audierunt omnes populi sonitum tubae, fistulae, & citharae, sambucae, & psalterii, & symphoniae, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguae, adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex. 8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldaei accusaverunt Judaeos: 9. Dixeruntque Nabuchodonosor Regi: Rex, in aeternum vive: 10. Tu, rex, posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubae, fistulae, & citharae, sambucae, & psalterii, & symphoniae, & universi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream: 11. Si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis. 12. Sunt ergo viri Judaei, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant. 13. Tunc Nabuchodonosor in furore, & in ira praecepit, ut adducerentur Sidrach, Misach, & Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis. 14. Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis: Vere ne, Sidrach, Misach, & Abdenago, deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis? 15. Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubae, fistulae, citharae, sambucae, & psalterii, & symphoniae, omnisque generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam, quam feci: quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis, & quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea? 16. Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi. 17. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare. 18. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. 19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago, & praecepit, ut succenderetur fornax septuplum, quam succendi consueverat. 20. Et viris fortissimis de exercitu suo jussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis. 21. Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, 22. Nam jussio regis urgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. 23. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. *Quae sequuntur, in Hebraeis voluminibus non reperi.* 24. Et ambulabant in medio flammae laudantes Deum, & benedicentes Domino. 25. Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait: 26. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum: & lau-

dabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula. 27. Quia justus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera. 28. Judicia enim vera fecisti, juxta omnia, quæ induxisti super nos, & super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem: quia in veritate, & in judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. 29. Peccavimus enim, & inique egimus recedentes a te, & deliquimus in omnibus: 30. Et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus, sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset. 31. Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti: 32. Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, prævaricatorumque, & regi injusto, & pessimo ultra omnem terram. 33. Et nunc non possumus aperire os: confusio, & opprobrium facti sumus servis tuis, & his, qui colunt te. 34. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum. 35. Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum: 36. Quibus locutus es pollicens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris. 37. Quia, Domine, imminuti sumus plus, quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. 38. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, 39. Ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. 40. Sicut in holocausto arietum, & taurorum & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. 41. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. 42. Ne confundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ. 43. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo, Domine: 44. Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur: 45. Et sciant, quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum. 46. Et non cessabant, qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis, 47. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem: 48. Et erupit, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. 49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace. 50. Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. 51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: 52. Benedictus es, Dominus Deus patrum nostrorum: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula: & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis. 53. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis, & supergloriosus in sæcula. 54. Benedictus es in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula. 55. Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super cherubim: & laudabilis, & superexaltatus in sæcula. 56. Benedictus es in firmamento cœli: & laudabilis, & gloriosus in sæcula. 57. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 58. Benedicite Angeli Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 59. Benedicite cœli Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 60. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 61. Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 62. Benedicite sol, & luna Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 63. Benedicite stellæ cœli Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 64. Benedicite omnis imber, & ros Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 65. Benedicite omnes spiritus Dei Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 66. Benedicite ignis, & æstus Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 67. Benedicite frigus, & æstus Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 68. Benedicite rores, & pruina Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 69. Benedicite gelu, & frigus Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 70. Benedicite glacies, & nives Domino: lau-

laudate, & superexaltate eum in sæcula. 71. Benedicite noctes, & dies Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 72. Benedicite lux, & tenebræ Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 73. Benedicite fulgura, & nubes Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 74. Benedicat terra Dominum: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 75. Benedicite montes, & colles Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 76. Benedicite universa germinantia in terra Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 77. Benedicite fontes Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 78. Benedicite maria, & flumina Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 79. Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 80. Benedicite omnes volucres cœli Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 81. Benedicite omnes bestiæ, & pecora, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 82. Benedicite filii hominum Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 83. Benedicat Israel Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula. 84. Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 85. Benedicite servi Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 86. Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 87. Benedicite Sancti, & humiles corde Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. 88. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. Quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. 89. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. 90. Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate, & confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus. *Hucusque in Hebræo non habetur; & quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.* 91. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? qui respondentes regi dixerunt: Vere, rex. 92. Respondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. 93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis. 94. Et congregati satrapæ, & magistratus, & judices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos. 95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus deorum, Sidrach, videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutaverunt; & tradiderunt corpora sua ne servirent, & ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo. 96. A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare. 97. Tunc rex promovit Sidrach, Misach, & Abdenago in provincia Babylonis. 98. NABUCHODONOSOR rex, omnibus populis; gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. 99. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare 100. Signa ejus, quia magna sunt: & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus regnum sempiternum: & potestas ejus in generationem, & generationem.

℣. 1. NABUCHODONOSOR REX FECIT STATUAM AUREAM, ALTITUDINE CUBITORUM SEXAGINTA, LATITUDINE CUBITORUM SEX. Ex ea, quæ hic statuitur simulacri proportione facile intelligimus, non hominis statuam fuisse, sed facile simulacrum supra columnam erectum, cujus altitudo una cum ipsa basi miscetur. Vox Chaldæa *Zelum* (1) sonat imaginem, figuram, imitationem. Veteres Assyrii & Chaldæi conflata e variis metallis Numina colebant, ut hic legimus, & infra Capite XIV. & apud Baruchum (2). Sed qui illis successerunt Persæ, nullo effigiata simulacro Numina colebant; erant autem Numina ista ignis, aqua, tellus (3), Sol, Luna, Venti, (4) & Fluvii (5). Nonnisi serius humanæ formæ statuas consecrarunt. Id moris, hactenus in gente sua

(1) עבר צלם די דהב Septuag. Εἰκόνα χρυσῆν. (2) Baruc VI. 3. *Videbitis in Babylonia deos aureos & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari.* (3) Laert. in Prooemio. (4) Herodot. l. 1. c. 131. (5) Arnob. lib. 6. *Ridetis, temporibus priscis Persas fluvios coluisse.*

sua ignotum, primum invexisse Darium Ochum, simulacro Deæ Tanais, vel Anaidis dedicato Babylone, tradit Berosus (6).

Igitur Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, morem ætatis gentisque suæ secutus, aureum simulacrum erexit, atque consecravit in Numen. Sed cujus Numinis imago erat? Censet Grotius, figuram prætulisse Nabopolassaris, patris Nabuchodonosoris, quem Rex paterni amoris causa inter Deos cooptare meditabatur. Malunt alii, Nabuchodonosorem sui ipsius simulacrum erexisse, ut divinos sibi honores conciliaret (7). Sed in toto hoc Capite Nabuchodonosor, sermonem habens cum Misach, Sidrach, & Abdenago, non queritur de injuria sibi vel sui ipsius simulacro irrogata, sed de negato ab illis cultu Numinibus & statuæ jussu suo erectæ (8). Et Capite IV. 5. monet, nomen *Balthasar* ex nomine Dei sui conflari; & ex Capite XIV. discimus, Belum religiosissimum fuisse Provinciæ illius Numen; ex quo colligere licet, Numinis hujus imaginem in simulacro hoc expressam fuisse.

In campo Dura Provinciæ Babylonis. Urbs *Dura* in Mesopotamia ad Tygrim occurrit apud Ammianum Marcellinum (9); cujus meminit Polybius lib. 5. & facile etiam Procopius sub nomine *Dariæ*. Est Ptolemæo *Duraba* lucus in Mesopotamia, & campus *Decra* in Susiana. Theodotion legit hic *Deira*, & Symmachus *Duraum*. Septuaginta reddunt (10) claustrum, vel septum, veluti designaturi formam veterum Templorum Persidis, quæ atria erant sub dio, murorum ambitu septa, in quorum medio erat Ara, ubi perpetuus & sacer ignis ardebat (11). Author Historiæ scholasticæ contendit, *Dura* amnem esse Babylonis; cui tamen tamdiu negabimus fidem, donec optimi alicujus Geographi testimonium non produxerit.

Accidisse hæc labente Regno Nabuchodonosoris inde arguimus, quod in edicto, cujus exordium legitur in fine hujus Capitis, lata occasione prodigii hic narrati, Nabuchodonosor expositum sibi a Daniele somnium recitet (12). Docet insuper, ad brutorum conditionem redactum se, ex Aula pulsum fuisse, ac denique rediisse in pristinum (13): hæc autem omnia ad postremos Regni ejus annos pertinent. Itaque immerito prorsus asseritur, tres illos juvenes ad fornacem damnatos, adolescentes fuisse in primo ætatis flore, cum potius maturæ ætatis, & quinquagesimo anno superioris fuerint. Apud Diodorum Siculum occurrit statua quadraginta pedibus procera existens Babylone in templo Beli, quo tempore Xerses templum illud evertit. Pone simulacri illius basim sive columnam pedibus XX. assurrexisse, simulacrum vero extitisse pedum XL. justæ dimensiones simulacri Danielis deprehendentur.

℣. 3. Satrapæ. Chaldæus (14): *Achas Darpenaia*, quod Græci reddiderunt Satrapas, literis nonnullis in principio, & aliquibus in fine submotis, euphoniæ gratia. Theodotion vertit *Consules*; alii, Magnates, Duces, inter Regios Præfectos principes. Eorum nomen occurrit apud Esdram 8. 36. & Esther 3. 2. qui cum agerent in Imperio Regum Persarum, indicant fieri potuisse, ut nomen illud dignitatis ex Aula Regum Chaldææ ad Persas transierit; quin & facile etiam longius accersitum est; censet enim Grotius, *Achas Darpenata* vocem esse origine Assyriacam. Sunt qui ea ipso ejus etymo exponant illam *Magnus* (15), *Manens in facie Regis*. In Esdra redditur a Septuaginta (16): *Domestici Regis*; & ab Authore Vulgatæ: *Satrapæ, qui erant de conspectu Regis*. Visum est aliis vocem Chaldaicam (17) reddere, *Janitores Majestatis*, excubias Regis. Apud Nahum 3. 17. legere est *Taphsar* inter Præfectos Regis Assyriæ; & in Jeremia (18) unus est ex Præfectis Regis Chaldeæ.

Magistratus. Chaldæum (19) *Sigenaia* non modo occurrit in Esdra, Nehemia, & Daniele, qui Chaldæum in Scriptis suis interseruerunt; sed & in Isaia, Jeremia, Ezechiele, qui puro putoque Hebræo usi sunt. Reddi autem solet vox hæc Princeps, Satrapa, Imperator, Magistratus.

Judices. Vox Chaldæa: *Pachavata* (20) designare potius videtur Præfectos Provinciarum, adhibeturque in eamdem significationem ab Esdra (21) Esther (22), tertio Regum (23), & Paralipomenis; nec Theodotion (24), Syrus, Arabs aliter exponunt.

Duces: Vox Chaldaica (25) casu redditur *Magistratus*, *Senatores*, *Præsides*, *Judices*, quorum est curæ leges servare & interpretari. Sunt qui censeant, destinatos fuisse *Adar gazerim* ad disigendos menses, & interponendum mensem Adar (26), cum annus lunaris tredecim esset mensibus, & ad annunciandam lunæ phasim in exordio mensium: sed hæc omnia casu, non certo argumento dicuntur; prius enim demonstrandum esset, Chaldæum annum lunarem fuisse. Sermo est apud Procopium (27) de Præfectis quibusdam, quos Persæ appellabant *Varize*; quæ vox non male derivatur ex *Adar-Gazer*, dempto *Adar*, quæ honoris vox est, ac si diceretur: *Dominus* vel *Magnificus*.

Recurrit sæpe in hoc Libro (28) nomen *Gazeræorum*, qui ipsissimi sunt plane ac *Adar Gazerata*; redditurque vox hæc Aruspices, vel futurorum eventum Conjectores. *Gazer* sonat abscindere, decernere; & *Gazerat* (29) decretum, certum & stabile propositum. Igitur munus *Gazerim* illud erat, ut panderent ea, quæ Deus decreto suo statuerat, resque futuras, quæ non penderent ex hominum voluntate, prænunciarent. Offerunt se cum Magis, Chaldæis, aliisque accersitis ad divinandum & explicandum somnium Nabuchodonosoris. Daniel II. 27. IV. 4.

Tyrannos, Præfectos. Tyrannus olim supremus quisque Princeps appellabatur. Chaldæum (30) *Gadbraia* a plerisque Interpretibus accipitur *de Præfectis ærario* (31) vel Regii Ærarii dispensatoribus. Apud Esdram (32) appellantur *Gasbar*. Suspicor nomen Gobriæ, in Historia veterum Regum Persidis frequens, derivari ex *Gadbria*, ac designare Præfectum Ærario, vel aliam quampiam dignitatem. Non semel Græci in appellativa converterunt nomina dignitatis & officii; ut *Surena*, *Rabsaces*, *Rabsaris*, &c.

Orti-

(6) Vide Clement. in Protreptico, & Beros. lib. 3. Hist. (7) Lyr. Muast. Tir. (8) Vide ℣℣. 12. 14. 15. &c. (9) Ammian. lib. 29. cap. 11. Isidor. Characen. (10) Septuag. Περίβολος, apud Hieron. hic. (11) Vide Strab. l. 15. pag. 500. (12) Daniel. IV. (13) Ibid. ℣℣. 32. 33. (14) אחשדרפניא Theod. Ὑπάτοι. (15) אחש *Magnus*. Et דרי פנים *Manentes in facie Regis*. Kimchi, l'Empe. Vatab. (16) Δοῦλοι τοῦ βασιλέως. (17) אחש *Dignitas*, seu *Majestas*, & דרבני *Darban*, *janua*. Ita Hotting. & Gejer. (18) Jerem. LI. 27. טפסר (19) סגנים seu סגניא *Segenim* Hebraice. Vide 1. Esdr. IX. 2. & 2. Esdr. II. 16. IV. 14. V. 7. XII. 40. XIII. 11. & Daniel. II. 48. III. 27. VI. 7. Isai. XLI. 25. Jerem. LI. 23. 28. 57. Ezech. XXIII. 6. 23. (20) פחותא (21) 1. Esdr. VI. 13. & VIII. 36. 2. Esdr. II. 7. III. 7. 15. (22) Esth. VIII. 9. IX. 3. (23) 3. Reg. 15. & 2. Paral. IX. 13. (24) Τοπάρχας. (25) אדרגזריא *Adargazraia*. Theodot. Ἡγουμένους. (26) Vide Clop. & Lud. de Dieu. (27) Procop. lib. de Bello Persico: Οὐαρίζης. (28) Daniel. II. 27. IV. 4. V. 7. 11. גזרין Vulg. *Aruspices*. Theodot. Γαζαρηνοὺς, seu Γαζαρέις, apud Hieron. (29) גזרת Daniel. IV. 14. & 21. *Decretum vigilum*. *Decretum altissimi*. (30) גדבריא Theodot. Τυράννοι. (31) Jun. Tremel. Pisc. Oecol. Saad. Grot. (32) 1. Esdr. 1. 8. גזבר

Optimates, qui erant in potestatibus constituti. Chaldæum *Tedabrei* (29) significare *Jurisconsultos*, a plerisque (30) creditur. Idem facile nomen est ac illud, quod infra dicitur (31) *Haddabrei*, vel *Dabrobi*, quod sonare credo *viros a consiliis*, ex Chaldæo *Dabar*, consilium; vel qui jussa Regis exponunt, qui ejus mandata deferunt, ex *Dabar*, verbum.

Nec Author Vulgatæ, nec Theodotion reddiderunt vocem *Tiphtata* (32), quæ adhuc superest in Chaldæo, & titulus est dignitatis. Probabile est, designare Doctorem, Oratorem, sive Legum Interpretem. *Patha*, unde *Tiphtei*, Hebræis & Chaldæis est suadere; & *Peti* Arabice est docere, judicare, consulere. Ex eadem radice gignitur nomen *Mufti*, quo summus rerum sacrarum Antistes apud Turcas distinguitur.

℣. 5. Sonitum tubæ, et fistulæ, et cytharæ, &c. Musica hæc instrumenta, fuse a nobis deducta in Psalmis, hic prætereunda censemus; illud tantummodo animadvertentes, legi in Chaldæo nomina *Sabca*, vel *Sambuca*, *Psanterim*, *Symphonia*, *cythara*, quæ ex Græco petita videntur, præsertim *Psanterim*, e Psalterio; *Zumphonia* ex *symphonia*; reliqua vero duo, *sambuca* & *cythara*, ex Oriente in Græciam una cum instrumentis ipsis transiisse videantur.

℣. 6. Mittetur in fornacem ignis. Ignis familiare regionis illius supplicium erat (33); quod & subiisse Abrahamus ante exitum e Chaldæa fertur (34).

℣. 8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi, accusaverunt Judæos. Affectatam quamdam malamque æmulationem præferunt Chaldæi illi, Judæos accusantes eo tempore, quo Instrumenta musica pulsari cœperunt, Quærebant utique ac præstolabantur diu antea opportunam hanc occasionem illos perdendi. Accusant vero nonnisi tres Danielis socios; quamvis enim reliqui omnes Judæi, & præ cæteris Daniel, colere simulacrum recusaverint, Viris tamen dignitas & fama invidiam ab ejus capite avertebat; vel potius causationem aliquam prætendens, longe adeo a discrimine se una cum plerisque Judæorum subduxerat, ut tunc quidem inimicorum inquisitiones vitaverint. Porro invidiæ creandæ tribus illis viris Sidrach, Misach, & Abdenago plurimum contulit vitorum fortuna & dignitas, quæ malam invidorum æmulationem in se concitarunt.

℣. 9. Rex in æternum vive. Solemnis erat formula salutandi Regis, quoties ad alloquium aliquis accedebat. Vide infra VI. 6. 21. Simili verborum officio salutatus Rex Persidis legitur (35): *Rex in æternum regna*.

℣. 14. Verene Sidrach .... Deos meos non colitis? Chaldæus varie redditur, cum hic semel (36), & alibi nusquam, occurrat vox, quam Theodotion & Vulgata reddiderunt, *Vere ne?* Alii vertendum malunt; *Nonne mirum est?* vel, molestam non est; vos Numinibus meis cultum negare? Alii (37): Serio ne hoc reputatis? num leve hoc esse & ludicrum putatis, cultum Deorum meorum negligere? Recidit id in sententiam Vulgatæ.

℣. 15. Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea? Disce hinc inconstantiam & levitatem Nabuchodonosoris, qui olim experimento agnoverat summam potestatem & supremum Dei Judæorum Imperium (38).

℣. 18. Quod si noluerit. Sive Deus noster velit opem nobis præstare, sive recuset, scito, statuisse nos cultum ullum religiosum Idolis tuis non reddere. Chaldæus (39): *Et si non: Notum sit tibi, Rex, quod Deos tuos non colimus*.

℣. 20. Viris fortissimis de exercitu suo; militibus, Regis custodibus. Chaldæus ad literam: *Viris fortibus robore, qui erant in exercitu suo*. Veterem morem sequutus Nabuchodonosor, prætorianos milites ad reos plectendos adhibet.

℣. 21. Cum braccis suis. Utebantur olim Persæ braccis, quas *Sarabaras* (40), sive, ut habet hic Chaldæus, *Sarabellas* appellabant. Erant autem vittæ variis coloribus, quibus femora obvolvebant. Genus id vestis norant etiam mulieres (41) Semiramidis exemplum secutæ (42). Dalmatæ hodie pariter eodem nomine *Sarabaras* vocant ampliora illa femoralia, quibus utuntur. Aquila, & Theodotion servavere Chaldaicam vocem *Saraballa*, quam Symmachus reddidit *Anaxuridas*, feminalia (43).

Et tiaris. Chaldæum *patesch* (44) vel *petâse* accedit proxime ad Græcum *petasos*, quod sonat pileum angusti ambitus, qualis est pileus Mercurii. Tiaram Persarum Græci Scriptores appellant *pilan*, quo pariter nomine distinguitur pileus ille sine inverso labio, quo olim utebantur servi apud Romanos. Reges persidis tiaram ferebant rectam; reliqui inclinatam (45).

Et calceamentis. Chaldæus (46), *Carbelat*; quod Theodotion interpretatur *tibialia*; Alii exponunt de tegmine capitis, ad modum galeæ. Ad literam vox Chaldaica designare potest cristam ardeolæ vel galli gallinacei (47); sed cum supra sermo fuerit de capitis tegmine, præstat legere in Chaldæo XXI. *Crabelat*, vel *Crepilat*, calceos. Narrant veteres *crepidas* Persarum (48): est autem discrimen fere nullum inter *crepidam* & *crepilam*.

℣. 22. Viros illos, qui miserant Sidrach .... interfecit flamma ignis. Ex versiculis 46. & 48. hujus capitis intelligimus, viros hosce correptos non fuisse flammis, nisi postquam tres socios in ignem injecerunt, & fornacem violento nimis igne succenderunt: tunc enim erumpens flammæ globus subito illos corripuit & cremavit.

℣. 24. Ambulabant in medio flammæ. Versiculus hic & sequentes, usque ad nonagesimum primum, desunt hodie in Hebræo; expressi sunt autem ex Græco Theodotionis; & in vetustis Bibliorum manuscriptis Codicibus notantur obelo seu veru, ut in Hebræo deesse significentur.

℣. 27. Omnia opera tua vera, æqua, recta; vel potius fidelia, certa, non mutantur, nec variantur; quæ sunt vitia hominum, varias perpetuasque cogitationum, consiliorum, operum vices subeuntium. Quæ mutatio, & varietas operibus Dei inesse videtur, alteri omnino causæ, quam levitati & inconstantiæ, debentur. *Opera mutas, non consilium*, ait S. Augustinus (49).

℣. 33. Opprobrium facti sumus servis tuis. Misera hæc captivitatis conditio, quam merito pravorum operum subivimus, argumentum est nobis opprobrii; quippe qui ab Ethnicis irridemur, tam-

(29) תרבריא Theod. Μεγάλοι ἐπ' ἐξουσιῶν. (30) Jun. Tremel. Pisc. Grot. Tig. Saad. & Rab. Nathan. (31) Vide ℣. 91. הדברוהי & Dan. VI. 7. הדבריא. (32) תפתיא. Vide Constant. L'Empereur. (33) Vide Jerem. XXIX. 22. (34) Genes. XI. 31. & 2. Esdr. IX. 7. (35) Ælian. Var. Hist. lib. 1. cap. 31. (36) הצדא שדרך לאלהי לא איתיכון Theod. Εἰ ἀληθῶς. (37) Vide Grot. Ludovic. de Dieu, Jun. Tremel. Pisc. [illegible] (38) Dan. II. 47. *Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum*. [illegible] (39) והן לא ידיע להוא לך [illegible] (40) Vide Hesychium, Suidam, & Isidor. lib. 19. Origin. & Brisson. lib. [illegible] (41) Philostrat. Icon. in Rhodogyn. (42) Justin lib. 1. *Igitur brachia & crura [illegible] caput tegit* [illegible] (43) Chald. בסרבליהון Sym. Ἀναξυρίδας. Aqui [illegible] Theod. [illegible] Σαράβαρα. (44) בפטישיהון (45) Xenophon. Anab. lib. 2. [illegible] (46) בכרבלתהון Theodot. [illegible] (47) Vide Grot. hic, Gesner. [illegible] Alex. lib. 2. Pædag. cap. [illegible] [illegible] (49) Confess. lib. 1. cap. 4.

tamquam inanem Religionem, inanemque in Deo nostro spem sectemur.

℣. 34. PROPTER NOMEN TUUM. Si peccata nostra pœnam & supplicia merentur, ita nos punias rogamus, ut nihil invidiæ in gloriam tuam erceitur. Nobile hoc & liberale Hebræorum votum non semel in Scriptura expressum legitur (50).

℣. 38. NON EST IN TEMPORE HOC PRINCEPS, ET DUX, ET PROPHETA. Nihil ejusmodi supererat in Judæa; sed in captivitate sui erant Principes Tribuum, qui in Captivos aliquam authoritatis umbram retinebant. *Principes captivitatis* sæpe ab Hebræis Doctoribus memorantur. Legimus de Joachimo (51): *Sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis caput Joachin Regis Juda de carcere*. Et 1. Par. v. 6. *Beera, quem captivum duxit Theglath phalasar, & fuit princeps in Tribu Ruben*. Animadvertere juvat in Esdra & Nehemia (52), ex captivis illis qui redierunt Babylone, fuisse quosdam, qui Principes Magnarum familiarum habebantur. Denique in judicio de Susanna lato (53) offerunt sese Judices & Seniores, qui aliquam reginimis formam inter Judæos captivitatis exhibent. Nonne Prophetæ totius gentis agniti sunt Ezechiel & Daniel? Ezechiel sedem habebat ad amnem Chobar in Mesopotamia; Daniel Babylone versabatur. Hoc igitur dicit Azarias, caruisse tunc Judæos Regibus & Principibus absoluta potestate imperantibus, defuisse Prophetas authoritate fultos, & formam Reipublicæ suis legibus constitutæ, & nemini subjectæ.

℣. 40. SIC FIAT SACRIFICIUM NOSTRUM IN CONSPECTU TUO HODIE. Cum illa, ad quam redacti sumus, captivitatis conditio opem implorare tuam, oblatis in Templo cruentis sacrificiis, non patiatur; hoc quod unice nobis datur, sacrificium cordis humilis & lugentis ne spernas.

℣. 43. DA GLORIAM NOMINI TUO. Gloriam nominis tui, libertate nobis concessa, exere. Sentiant hodie fideles tui vim brachii tui omnipotentis; coganturque nominis tui osores, tibi uni totam inesse Numinis omnipotentiam, fateri.

℣. 46. NAPHTHA. Genus est hoc bituminis, quod prope Babylonem gignitur, ac facile ignem concipit, de quo Plinius lib. 2. *Huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam*. Liquor est crassus, qui e fontibus quibusdam Babylonis colligitur; ac duplex illius genus est; nigrum, quod pro oleo in usum lucernarum adhibetur; album quod flammam adeo acrem & extingui difficilem concipit, ut semel incensus ne aquæ quidem affusæ cedat. Suffocatur tantummodo, oppressus luto, aceto, alumine, seu visco (54).

STUPA ET PICE. Stupa facile oblita erat pice vel resina; cujusmodi olim erat usus in obsidionibus Urbium ad inferendum ignem (55); quid enim alioqui valuisset stupa ad fornacem incendendam?

MALLEOLIS; sarmentis. Græca vox (56) designat lignorum vel aridorum ramorum fascem. Latinum *malleolus* est genus quoddam fascium pice oblitorum, qui in obsessas Urbes sive in Milites, testudine ad suffodienda mœnia subeuntes, jaciebantur (57).

℣. 48. INCENUIT QUOS REPERIT: milites nempe, qui Sidrach, Misach, & Abdenago in fornacem conjecerant. Vide ℣. 22.

℣. 53. IN TEMPLO SANCTO GLORIÆ TUÆ: in Cœlo nempe: neque enim Templum Jerosolymitanum tunc stabat. Idem Cœlum infra, ℣. 54. appellatur: *Throni Regni tui*.

℣. 55. QUI INTUERIS ABYSSOS. Maris profunda, & immensas aquarum voragines scrutaris, ut nihil te lateat.

QUI SEDES SUPER CHERUBIM, velut in curru tuo. Hanc ideam nobis frequenter ingerit Scriptura *Ezech.* x. 1. *& seq.* 1. *Reg.* IV. 4. 2. *Reg.* VI. 2. 4. *Reg.* XIX. 15. *Psal.* XVII. 10. LXXIX. 2. *Isai.* XXXVII. 16 *&c.*

℣. 60. AQUÆ OMNES, QUÆ SUPER COELOS SUNT. Vide quæ disseruimus in Genesim 1. 6. & in Dissertatione de Systemate mundi ex mente veterum Hebræorum.

℣. 61. OMNES VIRTUTES DOMINI; astra scilicet & planetæ, quæ omnia in Scripturis, *militia Cœli* (58) appellantur.

℣. 65. OMNIS SPIRITUS; venti scilicet & halitus, ita enim hic locus exponendus est, cum supra ℣. 58. vocati fuerint Angeli; & infra ℣. 86. animæ Justorum invitentur.

℣. 66. IGNIS ET ÆSTUS. Græcæ voces (59) elementarem æstivumque ignem designant; sed negocium facessit proxime sequens versiculus, in quo *frigus & æstus* simul ad Dei laudes excitantur (60), & vox Græca, quæ reddita est *æstus*, eadem ferme utrobique recurrit. Cur enim æstivus calor bis repetatur? Manuscripti quidam Codices legunt in ℣. 67. *frigus & æstus*; ac si scilicet versiculo 66. ignis ejusque calor, versiculo autem 67. frigus hyemis & æstivus ardor ad laudes Dei concinendas invitarentur. Sed intacta licet naturali vocum significatione, reputari commode potest ℣. 66. sermonem haberi de calore æstivo, & ℣. 67. de vi quadam frigoris, quæ perinde interdum atque ignis plantas & corpora urit & exsiccat. Vide dicta ad Genesim XXXI. 40. *Glacies* & frigus exhibentur ℣. 69. Editio Romana ad ℣. 69. transfert ea, quæ in nostra Vulgata legimus ℣. 67. atque omittit illud: *Benedicite gelu & frigus*.

℣. 86. SPIRITUS ET ANIMÆ JUSTORUM. Sermo hic est de animabus Sanctis e corpore segregatis; supra enim invitaverat homines, Sacerdotes, Israelitas, *servos Domini* seu Levitas, & infra ℣. 90. invitat *omnes Religiosos*; ac denique ℣. 87. *omnes sanctos & humiles corde*.

℣. 88. QUI ERUIT NOS DE INFERNO; de sepulcro; sæpe enim Inferni nomen de morte & sepulcro usurpatur. Hic autem mors & sepulcrum veluti synonyma conjunguntur. Qui nos eripuit e discrimine ignis.

℣. 91. TUNC NABUCHODONOSOR. Hic redit Chaldæus Danielis Textus, interruptus a ℣. 24. hujus capitis.

OPTIMATIBUS. De voce *Optimates*, Vide quæ supra diximus ℣. 3.

℣. 92. QUATUOR VIROS SOLUTOS, SPECIES QUARTI SIMILIS FILIO DEI. Quartus iste, in medio trium Hebræorum sese offerens spectandum, unus erat ex Angelis, vel juxta nonnullos (61), ipse Dei filius, e tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis secunda. Sed prior sententia magis probatur (62); idem est autem Angelus, de quo sermo fuit

---

[50] Josue VII. 9. 2. Macch. VIII. 15. & hic, ℣. 43. [51] 4. Reg. ult. ℣. 27. [52] Vide 1. Esdr. II. & 2. Esdr. VII. [53] Dan. XIII. [54] Strabo lib. XVI. & Plutarch. in Alex.
[55] Vide Sanct. hic. Virgil. Æneid. lib. 2.

Stupea flamma manu, solisque volatile ferrum
Spargitur.

[56] Κληματίδα. [57] Nonius Marcell. *Malleoli, manipuli spartei pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudinem jaciuntur*. Vide, si lubet, & Veget. lib. 4. cap. 20. & Ammian. Marcell. lib. 23.
[58] Deuteron. XVII. 3. 4. Reg. XVII. 16. XXI. 3. XXIII. 4. Isai. XXIV. 21. Jerem. VIII. 2. & passim.
[59] Πῦρ καὶ καῦμα. [60] Ψῦχος καὶ καῦσων. Edit Rom. Ψῦχος καὶ καῦμα. Vide Petr. in textu huj. vers.
[61] Quid. ex Antiq. apud Hieron. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 10. & 21. & advers. Praxeam cap. 16. Iren. lib. 4. cap. 37. & lib. 5. cap. 5. Author Serm. de Consum. mundi, sub nom. Hippolyti; Rupert. lib. 6. de Vict. Verbi, cap. 21. Isidor. Clar. Munst. Villet. Pol. [62] Hieron. hic, & 70. Petr. Sanct. Cornel. Tirin. Grot. Vat. Menoch. &c.

fuit ℣. 49. Solemne est Scripturæ, Angelos *Filiorum Dei* nomine appellare. Docet Jobus, *Filios Dei* (63), idest Angelos stetisse coram solio majestatis Dei; & astra matutina, una cum *Filiis Dei*, laudes illius in ipso mundi exordio ingeminasse (64). S. Augustinus non semel (65) demonstravit, ea quæ de Filio Dei per visum exhibito in veteri Testamento leguntur, accipienda esse de Angelis, quorum ministerio Dei Filius apparuisse dicitur. Interpretum quidam (66) censent, Nabuchodonosorem res veræ Religionis minime edoctum exhibitam sibi putasse speciem semidei alicujus ceu Herculis, Apollinis, Mercurii, vel Dei alicujus inferioris e superioribus Diis orti. Opinio hæc probabilis est admodum in inani Græcorum Theologia, a qua parum abludebant dogmata Chaldæorum, quippe qui varios inter Numina ordines agnoscerent, & gemina ferme de Angelis sentirent.

℣. 94. Odor ignis non transisset per eos; non pervenisset; seu potius, vestes eorum ne odorem quidem retulissent, quem ignis admotus lanæ imprimit. Tradunt Veteres, circulatores fuisse quosdam, qui se divinitus afflatos jactitarent, quibus flammæ parcerent (67). Affirmat Strabo, illos quos Feroniæ Numen implesset, nudis inoffensisque pedibus super stratos carbones ambulasse (68). Sermonem habens Virgilius de Sacerdotibus Apollinis, cui Fanum erat in monte Soracte, canit Æneid. XI.

. . . . . *Medium, freti pietate, per ignem*
Cultores multaque premunt vestigia pruna.

Sed & ipsis quoque Ethnicis authoribus (69) discimus, ad vim ignis coercendam illos linire pedes medicatis quibusdam pharmacis consuevisse. Nihil tale hic putari de Hebræis potest; subito enim & ex improviso capti, supplicium antea sibi non prædictum subjerunt.

Sarabala. Græcus legit Sarabasa; S. Hieronymus paulo inferius ℣. 47. vocem eamdem reddit: *cum bracchis suis*. In Syriaco est *Anaxurides*, quod itidem sonat *Bracchæ*. Chaldaicam hanc esse vocem agnoscit S. Hieronymus, ac fatetur integumentum esse crurium & tibiarum. Eo vestium genere tibias & crura protegente hodie pariter Orientales utuntur. Tertullianus de pallio vocem hanc *Sarabara* accipit de capitis tegmine; Rabbini vero de pallio quæ vestis est superior; nec ab ea expositione recentiores plures interpretes abhorrent. Vide Lexicon Martinii V. *Sarabarum*.

℣. 96. Dispereat, et domus ejus vastetur. Chaldæus (70): *Membratim lanietur, & domus ejus latrina fiat*. Vide quæ supra, & in Esdram (71) disseruimus de animadversionibus hisce, quas nec aliæ gentes ignorabant.

Neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare. Chaldæus (72): *Non est Deus alius qui possit eruere sicut hic; sive, qui possit sic eruere*. Quicumque ita disserentem hic & alibi (73) de Hebræorum Deo Nabuchodonosorem audierit, inducet in animum, rectæ illum fidei ita adhæsisse, ut sincerum ejus cultum tenuerit. Sed proximo statim Capite demonstrabimus, nihil in religione solidi illum admisisse, & quæ hic promit recta & sincera, illius animum errore depravatum corrigere non valuisse.

℣. 97. Tunc Rex promovit Sidrach .... in provincia Babylonis. Commissas illis Præfecturas confirmavit. Vox Chaldæa sonat, in pristinum statum & dignitatem restituere (74). Septuaginta Editionis Romanæ addunt (75): *Amplificavit eos, & dignos habuit, qui præessent omnibus Judæis, qui in Regno sunt*.

℣. 98. Nabuchodonosor Rex omnibus populis, &c. Edictum est pro Judæis latum; quod Daniel Chaldaice, ceu monumentum certissimum recitat; nec immerito statim post ereptos e succensa fornace tres illos Hebræos (76) latum esse censemus. Exordium hic statui potest Capitis quarti, quod edicti hujus seriem prosequitur.

(63) Job I. 7. & II. 1. (64) Ibid. XXXVIII. 7. Vide & Psalm. LXXXVIII. 7. (65) August. lib. 3. de Trinit. cap. 11. & contra Maxim. Arian. lib. 2. (66) Dionys. Carthus. & alii quidam. (67) Jamblic. Sect. 3. cap. 4. (68) Strabo lib. 4. (69) Varro apud Servium. (70) יתעבד וביתה נולי ישתוה (71) 1. Esdr. VI. 9. Dan. II. 5. (72) די יכל להצלה כדנה (73) Dan. II. 47. & IV. 31. . . . 34. (74) באדין מלכא הצלח לשדרך . . . במדינת בבל (75) Τότε ὁ βασιλεὺς κατὸ.θωσε τὸν σεδράχ . . . & ηὔξησεν αὐτοὺς, καὶ ἠξίωσεν αὐτοὺς ἡγεῖσθαι πάντων τῶν Ἰουδαίων τῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. Ita Codices mss. & Theodoret. (76) Theodoret. hic, & alii plures e recent.

CAPUT IV.

Proceram arborem dejectam Nabuchodonosor per quietem noctis videt; cujus somnii ænigma Daniel explicat. Rex septennio inter bruta animalia degit. Dei manum agnoscens, Regno suo restituitur.

℣. 1. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo:
2. Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. 3. Et per me propositum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionem somnii indicarent mihi. 4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, & aruspices, & somnium narravi in conspectu eorum, & solutionem ejus non indicaverunt mihi. 5. Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Balthassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso locutus sum. 6. Balthassar princeps ariolorum, quoniam ego scio, quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra. 7. Visio capitis mei in cubili meo: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. 8. Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum:

lum: aspectu illius erat usque ad terminos universæ terræ. 9. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro. 10. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit. 11. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus. 12. Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo, & æreo, in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ. 13. Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum. 14. In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum. 15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ego Balthassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est. 16. Tunc Daniel, cujus nomen Balthassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora, & cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex, ait: Balthassar, somnium, & interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Balthassar, & dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis sit. 17. Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aspectus illius in omnem terram: 18. Et rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli. 19. Tu es rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cœlum, & potestas tua in terminos universæ terræ. 20. Quod autem vidit rex vigilem; & sanctum descendere de cœlo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vinciatur ferro, & ære in herbis foris, & rore cœli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum. 21. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem: 22. Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud. 23. Quod autem præcepit, ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris: regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem. 24. Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. 25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. 26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. 27. Responditque rex, & ait: Nonne hæc est Babylon magna; quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? 28. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te. 29. Et ab hominibus ejicient te, & cum bestiis, & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud. 30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitudinem Aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium. 31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem, & generationem. 32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ; & non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? 33. In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perveni, & figura mea reversa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita

est

est mihi. 34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera ejus vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

℣. 5. EGo Nabuchodonosor. Pergit Edictum, vers. 98. superioris Capitis inceptum.

Quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo. Theodotion (1): *Abundans eram in domo mea, & florens in throno meo*. Post adjectas Imperio Syriam, Phœniciam, Judæam, Ægyptum, & Arabiam, gloria & viribus auctus Nabuchodonosor, rediit Babylonem; tot rebus prospere gestis superbiens, partaque victoriis pace luxurians; ac nihil in tota late Asia prospiciens, quo authoritatem & Imperium non porrigeret: eum subito tristis somnii terrore quietem illius turbavit Deus.

℣. 4. Arioli, Magi, Chaldæi, et Aruspices. Quid singula hæc nomina significent, expendimus supra ii. 2. *Gazeræi*, qui sub *Aruspicum* nomine hic exhibentur, nos exercuerunt supra iii. 3.

℣. 5. Donec collega ingressus est Daniel. Nomen *Collegæ*, quod olim legebatur apud Theodotionem, Symmachum & Aquilam, in Græcis Vulgatis Editionibus hodie desideratur. Sed Theodoretus, & Codex alius a Nobili laudatus ferunt (2): *Donec alius* (Divinus) *Daniel* appellatus *venit coram me*. Hæc genuina est significatio Chaldæi Textus (3); ut nobis plane novum contingat, Interpretes illos mox laudatos reddidisse *Collegam*, nisi forte verba in hunc sensum usurparint: *Donec Daniel, qui est alter ego*, vices meas gerit, amicus & collega meus (4), *accessit*. Probabile est, S. Hieronymum usum esse Codice mendoso, ferente *Hetairas* amicus, pro *Eteros*, alter (5); vel forte nomen *Collegæ* hic usurpatur non de Collega Regis, sed de collega Divinorum, & Chaldæorum, qui eo se jam antea contulerant (6). Sunt qui vertendum censeant (7): *Donec tandem Daniel ingressus est ante me*. Hoc postremum cum litera satis congruere videtur.

Balthassar, secundum nomen Dei mei. Nomen *Balthassar* sonat *thesaurum Baal*; idemque nomen Danieli inditum fuit pro avito, quo antea appellabatur (8). Neque hic moror opinionem quorundam (9), putantium, Nabuchodonosorem uno eodemque nomine & filium suum & Danielem appellasse, quod ambos Regni successores destinasset.

Qui habet spiritum Deorum sanctorum in semetipso. Ethnicæ superstitionis dogmatibus imbutus Nabuchodonosor, Numinis profani aliquid in Daniele cernere sibi videbatur, uti S. Hieronymus animadvertit (10). Nabuchodonosor spiritu Dæmonis alicujus afflari Danielem arbitrabatur. Sed Theodoretus (11) censuit, Principem hunc, a Daniele antea edoctum, verum Sancti & Prophetici Spiritus afflatum in illo agnovisse, Theodotion verterat (12): *Qui habet spiritum Dei sanctum in semetipso*. Hanc interpretationem idcirco reprobat S. Hieronymus, quod Textus ad literam in plurali ferat (13): *Spiritum Deorum Sanctorum*. At ignorabat ne vir doctissimus, nomen *Elohim* de vero & genuino Numine interdum usurpari? Est autem hæc persuasio, genuinæ non secus ac fucatæ Religioni communis, seu potius per universas late gentes opinio pervulgata, solius esse Numinis futurorum arcana pervadere. Pharao audiens somnii sui interpretationem a Josepho datam, in eamdem viri admirationem, ac Nabuchodonosor Danielis, prorupit (14): *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei*, vel Deorum *plenus sit?*

℣. 6. Balthassar Princeps Ariolorum. Hoc honoris titulo Daniel insignitus fuerat a Nabuchodonosore jam inde ab exposito emblemate prioris illius somnii de simulacro e variis metallis conflato. Dan. ii. 48.

℣. 7. Ecce arbor in medio terræ. Familiare est Prophetis, Principes designare ducta ex arboribus comparatione (15); & arboris species, per quietem alicui occurrens, virum aliquem eximium designabat, ex veteri dogmate Indorum, Persarum, & Ægyptiorum (16). Sed his dogmatibus nihil incertius, futilius nihil; pronum est enim Deo sexcenties objicere homini dormienti proceræ alicujus arboris imaginem, quæ nihil minus designet, quam virum aliquem eximium; sicut & vario & multiplici emblemate magnum aliquem virum exhibere potest.

℣. 10. Ecce vigil et sanctus de Cœlo descendit. Vigilem hunc e Cœlo demissum, Angelum esse, nemo ambigit. Hunc autem Chaldæus appellat *Hir* (17), unde Ethnicos *Iridem* suam, Deorum nunciam, sumpsisse S. Hieronymus suspicatur (18). Ex ℣. 14. discere videmur, Chaldæos olim perinde accepisse *Vigiles* hosce & *Sanctos* in Cœlo, ac consessum quemdam Judicum, vel cœtuum spirituum beatorum, qui de singulorum hominum sorte cognoscerent, ac judicarent. ℣. 14. *In sententia Vigilum decretum est, & sermo sanctorum & petitio*; decretum est nempe, arborem hanc excidio destinari, &c.

℣. 11. Fugiant bestiæ. Bestiæ quæcumque circures & feræ, sub arbore versantes, subjectas Nabuchodonosori gentes designabant (19). Porro illæ Regem mania furentem fugerunt, deseruerunt, obsequium & fidem negantes.

℣. 12. Alligetur vinculo ferreo et æreo in herbis, quæ foris sunt; alligetur scilicet sive truncus arboris, sive arboris radix. Vinculis igitur constrictus est, sive stipes; sive relictus in terra truncus, sive arbor dejecta. Hoc postremum probo; neque enim vinciendi erant catenis sive filius, sive Regnum ipsum Nabuchodonosoris, quæ duo exhibentur sub emblemate radicis arboris, vinculis alligandæ; sed fatum hoc manebat Nabuchodonosorem, expressum imagine arboris dejectæ, & inter herbas agri neglectæ.

Cum feris pars ejus in herba terræ. Transitus hic fit a sensu tropico ad simplicem. De arbore ista agitur veluti de homine, qui mania occupatus vinculis coercetur; vel qui sub dio relinquitur in agro, aeris injuriis expositus, coactusque herbis vesci cum bestiis.

℣. 13. Cor ejus ab humano commutatur, et cor feræ datur ei. Peculiari Dissertatione expedimus, quo morbo correptus fuerit Nabuchodonosor, quæ in illo metamorphosis acciderit.

(1) Εὐθηνῶν ἤμην ἐν τῷ οἴκῳ μου, εὐθαλῶν ἐπὶ τοῦ θρόνου μου. Theodoretus addit: Καὶ πίων ἐν λαῷ μου, Et pinguis in populo meo. (2) Ἕως οὗ ἕτερος εἰσῆλθεν ἐνώπιόν μου Δανιήλ. (3) עד אחרין על קדמי דניאל (4) Perer. Sanct. Cornel. (5) Legebat S. Hieron. Ἑταῖρος, amicus, pro Ἕτερος, alius. (6) Vide Drus. hic, & Ludov. de Dieu, Grot. (7) Pagn. Tig. Jun. Tremel. Pisc. Montan. Castal. (8) Dan. i. 7. (9) Fals. Epiphan. & Dorot. vit. Prophet. (10) Hieron. hic, Grot. Sanct. (11) Theodoret. hic & Cornel. Tir. Vat. (12) Ὃς πνεῦμα Θεοῦ ἅγιον ἐν ἑαυτῷ ἔχει. In editis, πνεῦμα Θεοῦ ἅγιον. Ita & Theodoret. (13) די רוח אלהין קדישין בה (14) Genes. xli. 38. רוח אלהים (15) Ezech. xxxi. 3. & xvii. 5. 6. Jerem. xxii. 15. Psal. xxxvi. 35. (16) Grot. hic. Achmet. cap. 200. (17) עיר וקדיש Theodot. Εἴρ καὶ ἅγιος. (18) Hieron. hic. Author Commentarii in Psalmos sub ejus nomine, Ps. lxxvi. 4. recitat ex Daniele: Et ecce ir, idest, vigil. Scol. Rom. edit. Ἀντὶ τοῦ εἴρ οἱ ό, Ἄγγελον ἡρμήνευσαν. Οἱ δὲ λοιποὶ ἐγρήγορον. (19) Theodoret. ad ℣. 9.

SEPTEM TEMPORA MUTENTUR SUPER EUM. In hoc rerum statu septennio maneat. Hæc communior est expositio (20). Alii (21) *septem* hæc *tempora* interpretantur æstates tres & hyemes quatuor; seu tres hyemes & quatuor æstates, quibus conficiuntur septem anni tempora, vel tres anni & dimidius. Pseudo-Epiphanius & Dorotheus in vita Prophetarum, & Scriptor Historiæ Scholasticæ ajunt, Deum precibus Danielis permotum septem illos annos ad totidem menses redegisse; alii totam hanc periodum septem hebdomadibus claudunt. Alii, nihil statuentes, opinantur, *septem* hæc *tempora* diuturnum tempus designare. Familiare est Danieli, nomen *temporis* pro anno usurpare (22); quamobrem septem tempora pro totidem annis hic posita esse certo putamus. At enim qui fieri potuit, ut tam diu perseveraret Nabuchodonosor in statu naturæ adeo opposito? Quis Regni clavum interim moderatus est? quomodo res adeo nova, & supra naturam, veteres Historicos latuit? Consule hac de re Dissertationem nostram de Metamorphosi Nabuchodonosoris.

℣. 14. DOMINATUR EXCELSUS IN REGNO HOMINUM. Largitur & adimit imperia pro arbitrio: omnis Regum potestas ab illo est; tota ab illo regnantium authoritas. Omnis igitur quicunque est homo cervicem illi subdat; coram illius majestate contremiscat, & potentissimus quisque Imperator diadema suum ante illius pedes demittat. *Ex Jove honor* omnis, gloria, dignitas, inquit Homerus (23). Armenis persuasum est Tiridatem Regem suum ob scelus male habiti S. Gregorii Illuminatoris maximum gentis suæ apostolum transformatum fuisse in suem, ut Nabuchodonosor in bovem. Male habiti Regis sanitatem S. Gregorius impetravit, venia criminum ejus postulata, qui & resipuit. Itiner. Million. pag 866.

℣. 16. CŒPIT INTRA SEMETIPSUM TACITUS COGITARE QUASI UNA HORA. Sunt qui opinentur, tamdiu muratum fuisse Prophetam, quod non statim vaticinandi spiritus illi adfuerit; alii vero silentii causam referunt in spiritum a spectris eo somnio oblatis commotum. Suspicantur alii, amicitiam & obsequium erga Regem diutius illum continuisse, ne tristia & molesta oracula pronunciaret. Quidam credunt, Danielem, qua erat prudentia, diu substitisse, ut meditaretur quibus verbis rem totam proderet, & quam iniret viam, ut somnii arcanum Regi patefaceret; vel pariter ut eliceret a Rege imperium loquendi. Denique sunt, qui agitatæ mentis Prophetæ causam referant in impressionem Spiritus Sancti dum primitus Prophetam afflaret; accidit enim interdum, ut Prophetæ deliquium animi paterentur, cum primo sentirent Deum, qui mysteria reseraturus adesset (24). Chaldæus sic reddi potest (25): *Et Daniel stupefactus fuit*, hæsit tacitus longo temporis spatio. Vox *Schaach*, quæ redditur a Vulgata & Theodotione *una hora*, designat etiam diuturnum temporis spatium, non vero unam omnino horam, qualem nostro more supputamus.

SOMNIUM ET INTERPRETATIO EJUS NON CONTURBENT TE. Chaldæus (26): *Somnium non terreat te*, vel ne angat te. Theodotion (27): *Ne festinaveris*. Sentiens Rex, Danielem despondisse animis, illum confirmavit.

℣. 23. REGNUM TUUM TIBI MANEBIT. In locum tuum nemo alius substituetur; post evolutam septem annorum periodum tua tibi restituentur. Interim Regni gubernaculum moderati fuerunt, nomine Nabuchodonosoris, Regni illius Proceres cum filio Evilmerodacho.

℣. 24. PECCATA TUA ELEEMOSYNIS REDIME. Id age, ut Dei severitatem flectas, ac resipiscendi gratiam, & peccatorum veniam piis largitionibus impetres. Vel, stude piis largitionibus tuis imminens capiti tuo supplicium avertere. *Peccatum* sæpe pro peccati pœna usurpatur. Chaldæus (28): *Interrumpe*, desere *peccatum tuum justitia, & iniquitates tuas miserando afflictis*. Coerce licentiam tuam, totum te justitiæ trade; revertere ad Dominum, mores corrige, piasque largitiones in sinum pauperum effunde, ut illorum precibus Dei clementiam promerearis. Commode etiam sententia hæc planius, ut in Vulgata, accipitur: *Peccata tua eleemosynis redime*. Familiari Scripturæ stylo *justitia* pro *eleemosyna*, vel misericordia erga pauperes usurpatur; quem sensum nomini justitiæ adstruere alterum sententiæ hujus membrum videtur; uti & apud Isaiam 58. 8. *Anteibit faciem tuam justitia tua*. Et alibi (29): *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Eamdem interpretationem sectati sunt Theodotion, S. Hieronymus, Syrus, Arabs, & optimi plures Interpretes (30).

℣. 25. OMNIA HÆC VENERUNT SUPER NABUCHODONOSOR REGEM. Minarum in Regem impium executionem distulit Deus, anni unius spatium largiens, ut resipisceret; sed cum in crimine pervicacem nosceret, impleta jam iniquitatum illius mensura, flagellum excussit, & ad Brutorum conditionem illum redegit. Ita Theodoretus, aliique plures cum illo (31). Verum S. Hieronymus cum ingenti manu Sacrorum scriptorum (32) censet, Nabuchodonosorem, minis Danielis territum, illiusque exhortationibus persuasum, ad pias largitiones, piorumque operum exercitium sese contulisse; idque anni moram ex Deo impetrasse. Sententiam Omnipotentis pœnitentia mutavit: *Dei sententia commutata est, non vanitate judicii, sed eorum conversione, qui meruere indulgentiam*. Cum tamen bonum semel cœptum omisisset, atque ad pristinam superbiam rediisset, visa Babylonis magnificentia, *bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ*.

℣. 27. NONNE HÆC EST BABYLON CIVITAS MAGNA, QUAM EGO ÆDIFICAVI? Babylonem extruxerat Nemrod, paulo post celebrem Babylonicam turrim conditam (33). Auxit ornavitque multis accessionibus Semiramis, sed maximam & totius Orientis pulcherrimam effecit Nabuchodonosor (34); nam & tantum adjecit veteri urbi, ut novæ urbis loco haberi posset: cinxit triplici muro; decoravit Beli Templo magnifici operis, ejusdemque structuræ ædibus regiis, quas cum veteri patris sui domo continuavit. Insuper & hortos struxit, quos concamerati fornices substrati regebant, & Veteres inter Orbis miracula celebravere. Sunt equidem qui grandia hæc opera, & præsertim urbis mœnia, Semiramidi tribuant (35); sed plane his contrarius est Berosus; molisque hujus authorem Nabuchodonosorem Abydenus appellat.

De altitudine & vastitate mœnium discors est Scriptorum sententia: quidam enim stadia quinque & sexaginta super trecenta ambitu suo complexa esse affirmant (36); alii stadia trecenta sexaginta & octo (37); passuum millia sexaginta nonnulli (38); alii trecenta octoginta stadia (39); sunt qui (40) trecenta

(20) Vide Theodoret. Vat. Grot. Cornel. Menoch. Tirin. Castal. Jun. Peter. Sanct. &c. (21) Quid. apud Theodoret. (22) Vide Dan. VII. 25. XI. 13. XII. 7. *Tempus & tempora, & dimidium temporis*. (23) Iliad. XVII. Ἐκ δὲ τιμή. (24) Vide Dan. X. 8. Ezech. II. 1. & III. 23. (25) אשתומם כשעה חדא Theodot. Ἀπηνεώθη ὡσεὶ ὥραν μίαν. Grot. *Modico tempore*; alii *horam unam*. (26) אל יבהלך (27) Theodot. Μὴ κατασπευσάτω σε. (28) וחטיך בצדקה פרק ועויתך במחן עניין (29) 2. Cor. IX. 9. (30) Hieron. Theodoret. Grotius, Munster. Castal. Peter. Sanct. Cornel. Catholici passim. (31) Vide Sanct. hic. (32) D. Thom. Hugo Card. Dionys. Carth. Lyran. (33) Genes. X. 10. (34) Joseph. ex Beroso, Antiq. lib. X. c. 11. & lib. I. contra Appion. & Euseb. lib. 9. Præp. cap. ult. & Clitarch. apud Diodor. Sic. lib. 2. (35) Ctesias & Justin. lib. 1. (36) Clitarch. apud Diodor. lib. 1. (37) Quint. Curt. lib. 5. (38) Plin. lib. 6. c. 26. & Solin. Polyhist. (39) Herodot. (40) Ctesias apud Diodor.

centa & sexaginta; & qui (1) trecenta octoginta quinque. Plinio & Solino sunt altitudinis pedum ducentorum, & latitudinis quinquaginta. At Strabo & Q. Curtius altitudinem ad pedes quinque & sexaginta, latitudinem ad duos & triginta definiunt. Tantum opus intra annum stetisse, ut quotidie ad stadii mensuram, id est passus centum quinque ac viginti, cresceret ædificium, Q. Curtius affirmat; sed Beroso, & Abydeno testibus, intra quindecim dies totum absolutum fuit. Hæc erat Urbis magnificentia, quæ expressit a Nabuchodonosore illud: *Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi?*

℣. 31. Post finem dierum oculos meos ad Cœlum levavi. Mitiore oculo me respexit Deus, statimque emota suo statu mens rediit ad officium: Domino me humilem submisi, magnitudinem virium illius, & justitiam indignationis agnoscens; ad illum confugi, & misericordiam impetravi. Hæc verba Nabuchodonosoris si expendantur, illum sincere resipuisse dixeris, ut tamquam proselytus Religionis Judaicæ haberi queat. S. Augustino mens fuisse videtur, Nabuchodonosoris casum fuisse Numinis beneficium, quo illum deduceret ad salutem (2): *Hoc enim erat in occulto judicio & misericordia Dei, ut illis Regibus eo modo consuleret ad salutem*. Author Libri de Prædestinatione & Gratia (3) Pharaonem cum Nabuchodonosore comparans, demonstrat, utrique Principi exitum fuisse plane diversum; cum Pharao sub Dei cædentis flagello animum in nequitia obfirmaverit; Nabuchodonosor vero utili pœnitentia crimen expiarit. Id est, ex mente & verbis Pererii, *idem medicamentum, ejusdem manu Medici confectum, uni profuit ad salutem, alteri cessit ad exitum*. Nullius hominis conversionem desperandam prorsus esse, demonstrat S. Hieronymus (4), exemplo Nabuchodonosoris, qui ad mentem sanam rediit, cum brutum septenniu egisset. Censet Theodoretus (5), Nabuchodonosorem a Deo impetrasse veniam & Regnum pristinum, eoquod supplicio edoctus, summam Dei potentiam agnovisset. Dionysius Carthusianus, Lyranus, Pererius, & Cornelius a Lapide opinionis hujus duces Recentioribus se præbuerunt.

Sed aliis nullum satis firmum argumentum de perfecta Nabuchodonosoris conversione, ejusque salute occurrit. Gerit enim ille in Scripturis personam Principis inconstantis, qui de Deo plane loquens, modo summus est in obsequio, modo in contemptu audacissimus. Cum enim fassus fuerit Danieli (6): *Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum*; Sociis Danielis, ipsius simulacrum colere recusantibus, plane diversum se præbuit (7): *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Et in eo, quod modo versamus, Edicto Belum habere se pro Deo agnoscit; ait enim de Balthasare (8): *Cui nomen Balthasar, secundum nomen Dei mei*. Animadvertit etiam S. Hieronymus, spiritum superiorem, quo Daniel afflabatur, a Numinibus datum agnuvisse (9): *Nec mirum, si erret Nabuchodonosor, & quidquid super se cernit, non Deum, sed Deos arbitretur*. Nihil autem in hoc Edicto honorificum Deo effatur, nisi quod laude & gloria dignum professus, potestatem illius & justitiam agnoscit; sed nihil de culto, nihil de famulatu illi præstando addit. Denique Isaias de Nabuchodonosore, juxta doctissimos Interpretes (10), agens, ait (11), illi ad inferos descendenti nigros omnes atri illius Regni incolas procurrisse obviam, in ejus obsequium. Sententiæ, quæ Nabuchodonosori favet, accedere S. Thomas non audet (12); quin & probare videtur opinionem eorum, qui verba illa Authoris Libri de Prædestinatione & Gratia, *Pœnitentiam meruit fructuosam*, explicant de commodis hujus vitæ, quibus Nabuchodonosor donatus fuit, ubi Regnum pristinum recuperavit. Nihil certi hac in re tradi, & Nabuchodonosoris pœnitentiam, ejusque salutem ambiguam esse & incertissimam, Sanctius affirmat (13). Quod etiam nobis in hac Quæstione probatur. Nomen S. Augustini, qui falso reputatus fuerat Scriptor Libri de Prædestinatione & Gratiæ, sententiæ de salute Nabuchodonosoris maximum favorem conciliaverat; modo vero & aliud esse a Sancto Doctore opus, & Scriptorem habere suspectum, non semel S. Augustino oppositum, constat.

℣. 32. Tam in virtutibus Cœli, quam in habitatoribus terræ. Supremum imperium Deus in Angelos & in homines, in Potestates cœlestes ac terrestres exercet. Vel potius, summa potestate, quæcumque decrevit, in astra virosque principes agit. *Virtutes Cœli* interdum pro astris usurpantur (14). Divinos honores Chaldæi olim Soli cæterisque cœlestibus Corporibus deferebant. Probabile est, Nabuchodonosorem superioris ordinis Deum esse Hebræorum reputasse, ut Cœlestibus astris, quæ ipse colebat, præesset. Quæ in fornace succensa spectaverat prodigia, apertissimo illi erant argumento, Deum pro imperio agere in ignem, quem a Sole manare rebatur. Grotius: *Quicquid efficere vult, id efficit*, per Angelos, *per Vigiles*, quorum meminit supra ℣. 10. & *per homines etiam domesticos*.

(1) Strabo lib. 16. Vide Bochart. Phaleg lib. 1. cap. 12. (2) August. Ep. 111. nov. edit. col. 322. (3) Author lib. de Prædest. & Grat. c. 15. In 1. Append. tom. 10. nov. Edit. pag. 58. (4) Hieronym. Ep. ad Lætam. (5) Theodoret. ad cap. v. Dan. Vide, si placet, fals. Epiphan. & Dorotheum de Vit. Prophetarum. (6) Dan. II. 47. (7) Dan. III. 15. (8) IV. 5. (9) Hieronym. in Daniel. cap. XIV. ℣. 5. (10) Hieron. S. Thom. Haymo, Hugo alii. (11) Isai. XIV. 9. 10. 11. (12) D. Thom. in cap. IV. Dan. (13) Sanct. in Daniel. cap. IV. ad fin. (14) Matth. XXIV. 29. *Virtutes cœlorum movebuntur*.

CAPUT V.

Convivium sacrilegum Balthassaris; qui Sacra Templi Hierosolymitani Vasa profanat. Manus super parietem scribens, Mane, Thecel, Phares, *per visum apparet; cujus Scripturæ arcana Daniel reserat*.

℣. 1. BAlthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat ætatem. 2. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex, & optimates ejus, uxoresque

que ejus, & concubinæ. 3. Tunc allata sunt vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem: & biberunt in eis rex, & optimates ejus, uxores, & concubinæ illius. 4. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos. 5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & rex aspiciebat articulos manus scribentis. 6. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur. 7. Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens rex, ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit. 8. Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi. 9. Unde rex Balthasar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est: sed & optimates ejus turbabantur. 10. Regina autem, pro re, quæ acciderat regi, & optimatibus ejus, domum convivii ingressa est, & proloquens ait: Rex in æternum vive; non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. 11. Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se, & in diebus patris tui scientia, & sapientia inventæ sunt in eo: nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum; pater, inquam, tuus, o rex: 12. Quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque, & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum, inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Balthasar: nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. 13. Igitur introductus est Daniel coram Rege. Ad quem præfatus Rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus Rex de Judæa? 14. Audivi de te, quoniam spiritum Deorum habeas; & scientia, intelligentiaque, ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. 15. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi, & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere. 16. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris. 17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram Rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem ejus ostendam tibi. 18. O Rex, Deus Altissimus, regnum, & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. 19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus, & linguæ, tremebant, & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat: 20. Quando autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est: 21. Et a filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec cognosceret, quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum, & quemcumque voluerit, suscitabit super illud. 22. Tu quoque filius ejus Balthasar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: 23. Sed adversum dominatorem cœli elevatus es: & vasa domus ejus allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis: Deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti: 24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est. 25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares. 26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. 27. Thecel: appensus es in statera, & inventus es minus habens. 28. Phares: divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. 29. Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. 30. Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus. 31. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.

ỳ. 1.

℣. 1. BALTHASAR REX. Caput hoc, ordine Chronologiæ servato, inter septimum & octavum collocandum esset. Balthasar nepos erat Nabuchodonosoris. Tradit Josephus (1), Evilmerodachum successisse Nabuchodonosori; deinde regnasse *Neglissorem* vel *Neriglissorem*, tum Laborsodachum, ac denique Balthassarem, de quo modo. Hanc opinionem S. Hieronymus, aliique plures ex Interpretibus secuti sunt. Theodoretus (2), & cum illo frequens Scriptorum turba, putat, Nabuchodonosorem duos liberos reliquisse, Evilmerodachum, qui statim patri successit, & Balthasarem, qui post fratrem regnavit. Est aliis Balthasar filius Evilmerodachi, non frater (3); quamquam & fatentur, non statim post Evilmerodachum Imperium obtinuisse.

Ita vero digerunt successionem Principum post Nabuchodonosorem. Evilmerodachum, ejus filium & successorem post biennale Regnum sustulit *Neriglissor* sororis vir; Neriglissorem post quartum Regni annum excepit *Laborosoarchodus*, ejus filius, novem mensibus Rex (4). Denique Balthasar, qui filius Evilmerodachi statuitur, Regno admotus fuit, quod gessit annis septem & decem. Hunc autem miscendum censent cum Nabonido Berosi, Labinitho Herodoti, & Nabonidocho Abydeni. Ita sacram cum profana Historia Perezius & Usserius conciliant. Apud Scripturam (5) soli occurrunt Evilmerodachus & Balthasar; disertisque verbis futurum dicitur, ut Regnum Chaldææ serviat Nabuchodonosori *& filio ejus, & filio filii ejus*. Et 2. Par. 36. 20. docet Hebræos servisse Nabuchodonosori, ejusque filiis usque ad Regnum Cyri: *Servivit Regi, & filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum*. Sed uno assensu Historici profani exhibent seriem quatuor Principum, qui post Nabuchodonosorem regnarunt. Reputandum est igitur, Sacros Scriptores e re sua duxisse, ut de Neriglissore & Laborosoarchodo verba facerent, utpote quia usurpatores erant Regni, nihilque commune habebant cum Historia Judæorum; satis habuisse, ut posteritati servarent nomina, & aliquid e rebus ab Evilmerodacho gestis, & Balthasare filio Nabuchodonosoris; sive Principes illos, profanis notus, nunquam Babylone regnasse.

Profecto si expendatur Scripturæ & profanorum Historicorum Textus, ægre admodum inter se conciliantur. Sacer enim Textus diserte adeo & sæpe filium Nabuchodonosoris Magni Balthasarem nuncupat, ut non facile alium sensum admittat. Regina mater Balthasaris, Nabuchodonosoris Uxor, filium ita alloquitur (6): *Est vir in Regno tuo, qui Spiritum Sanctorum habet in se; & in diebus patris tui scientia & sapientia inventæ sunt in eo; nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus Principem Magorum constituit eum .... cui Rex imposuit nomen Balthasar*. Quid his verbis apertius? Idem pariter Balthasar, sermonem ad Danielem convertens, ait (7): *Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus Rex de Judæa?* Deinde Propheta ad Balthasarem, commemorato celebri Nabuchodonosoris casu (8): *Tu quoque filius ejus Balthasar non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia*. Insuper Baruch ita de Nabuchodonosore & Balthasare agit, ceu de Principibus simul regnantibus, vel saltem de Principe tunc regnante, deque destinato illius hærede (9): *Orate pro vita Nabuchodonosoris, & pro vita Balthasar filii ejus ... ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor, & sub umbra Balthasar filii ejus*.

Respondeti his potest: I. Familiare esse Hebræis, nomen filii indiscriminatim usurpare de filio, nepote, quin & abnepote, & in Textu recitato IV. Libri Regum nonne apertissime exprimitur futurum, ut Hebræi pareant Nabuchodonosori ejusque filiis? quamquam nullo argumento demonstrari potest, alios Nabuchodonosori liberos, præter Evilmerodachum, fuisse. II. Quo tempore Baruch scribebat, creditur Evilmerodachus in carcere detentus squalluisse; tunc autem Balthasar ceu hæres Regni designatus habebatur. Fertur Evilmerodachus, agens in carcere, amicitias cum Jechonia Judæorum Rege conciliasse. III. Non obscure distinguit Scriptura duos Reges, Evilmerodachum & Balthasarem. In quarto Libro Regum legimus, Evilmerodachum primo Regni sui anno educto e carcere Jechoniæ primas dedisse sedes supra reliquos aulæ suæ Principes. Denique, ad Balthasarem quod attinet, fuse de illo agit Daniel in hoc & sequenti Capite; ejusque Caput VIII. inscribitur anno Balthasaris tertio. Statuendum est igitur, quatuor tantummodo Principes Imperium Chaldæorum revera tenuisse, Nabopolassarem, Nabuchodonosorem, Evilmerodachum, & Balthasarem; alios vero, de quibus Berosus & Josephus, Reges fuisse minores vel Satrapas, summis hisce Regibus inferiores.

Quod vero quæstionis hujus est cardo, Berosus, Polyhistor & Megasthenes filium Nabuchodonosori unum tantummodo Evilmerodachum constituunt; & ne verbo quidem meminerunt Balthasaris, qui unus idemque esse cum Nabonido, vel Labynitu nonnisi divinando asseri potest. Ita hi agunt de Nabonido, veluti de privato homine Babylonio, nullo necessitudinis vinculo cum Evilmerodacho, vel Neriglissore ejusve filio conjuncto, nulliusque nominis & dignitatis (10). Asserunt insuper, Nabonidum commisso prælio cum Cyro, victum secessisse Borsippum, ubi cum se dedisset victori, clementiam illius in se eximiam expertus est, missusque in Caramaniam, ut vitæ reliquum tranquillius ageret. Debuit hic funestus esse Balthasaris exitus? Josephus Historicus, qui in primo Libro adversus Appionem servavit fragmentum Berosi, quo biennii Regnum Evilmerodacho, quadriennii Neriglissori, novem mensium Laborosoardocho, septem & decem annorum Nabonido asseritur; Josephus, inquam, in decimo Antiquitatum Libro Capite XII. tradit, Evilmerodachum regnasse annis duodeviginti, Neriglissorem quadraginta, Laborosoardochum novem mensibus, Balthasarem, alio nomine Nabrandelum, septem & decem. Discere hinc licet, quanta fides habenda sit testimonio Scriptorum ejusmodi, qui temporum adscriptiones mire adeo mutant. Consule Dissertationem a nobis præfixam Commentario in Isaiam de magnis Imperiis Orientis, cum Historia sacra collatis.

BALTHASAR FECIT GRANDE CONVIVIUM OPTIMATIBUS SUIS MILLE, ET UNUSQUISQUE SECUNDUM SUAM BIBEBAT ÆTATEM. Chaldæus paulo aliter (11): *Balthasar Rex fecit grande convivium Principibus suis mille, & coram mille vinum bibebat*; id est, unus Balthasar bibebat pro mille, vel plus quam mille; quæ verba hyperbolice dicta exprimunt potatorem strenuum, qui hac oblata occasione vel se ipsum superavit, exemploque suo cæteros excitabat ad potum. Scitum est, olim Persas decori sibi duxisse, si strenue potarent; nec levem victoriam putabant, ubi æmulos potando vicissent (12). Vertunt alii: *Rex bibebat coram mille convivis*.

[1] Joseph. lib. 1. contra Appion. pag. 1045. ex Beros. Item lib. x. Antiqu. cap. 12. Et ex eo Hieron. hic.
[2] Theodoret. hic. Euseb. in Chronic. Sulpic. lib. 2. Hist. Lyran. [3] Maldon. Perer. Polan. Gejer. Usser. Vide Hieronym. in Isai. XIII. 17. [4] Grotius putat, eumdem esse Balthasarum Danielis.
[5] Jerem. XXVII. 7. Servient ei (Nabuchodonosor) omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus.
[6] Dan. v. 11. 12. [7] Ibid. ℣. 13. [8] Ibid. ℣. 21. 22. [9] Baruc. 1. 11. 12.
[10] Beros. apud Joseph. Lib. 1. contra Appion. Κοινῇ τινι Βαβυλωνίων παραδοθῆναι Ναβοννήδῳ τινὶ ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως. [11] בלשאצר מלכא עבד לחם רב לרברבנוהי אלף ולקבל אלפא חמרא שתה
[12] Vide nos in Esther 1. 8.

vivis. Discretus ab illis vescebatur, ita tamen, ut nemini visus, reliquos ipse videret.

Docet Athenæus (14), Regem Persidis, cum Præfectos suos habet convivas, discretum ab illis vesci, ita tamen, ut mensa instruatur in triclinio ante & adversus Regium conclave, ut per expansum januæ Regii conclavis velum Rex lateat discumbentes, Regem vero ipsi non lateant. Cum vero festi alicujus solemnis occasione Rex peculiari quodam honore donaturus est suos, duoderim ex illis ad se accitos jubet simul vinum potare, ipse interim solus segregatusque peculiare merum exhauriens. Alii (15) Textum sic exponunt: *Rex fecit convivium Principibus suis mille*, & coram singulis erat cyathus, assistebatque singulis vir ad ministrandum, & merum affundendum. Theodotion (16) ita vertit: *Balthasar Rex fecit grande convivium Optimatibus Principibus mille, & e regione ipsarum vinum pro mille*. ℣. 2. *Et bibens Balthasar dixit in gustu vini, ut afferentur vasa aurea, &c.*

℣. 2. Vasa aurea et argentea; quæ Nabuchodonosor e Templo Hierosolymitano rapuerat. Vide Danielem 1. 2.

℣. 5. Apparuerunt quasi digiti manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis Aulæ regiæ. Facile Rex solitarius discumbebat, uti supra animadvertimus, positumque e regione illius erat ingens candelabrum, simile candelabro Templi Hierosolymitani, vel alteri, quod describit Homerus in Ædibus Alcinoi (17); vel lucernis illis apud Virgil. Æneid. 1.

. . . . *Dependent lychni laquearibus aureis*
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

E regione & ad lumen lucernæ illius, vidit Balthasar manum nescio quid in pariete exarantem.

℣. 6. Compages renum ejus solvebantur. Sponte fluxit urina (18), ut in metu improviso fit. Aliter: Solvebantur compages renum, id est solutis artubus elanguit, ut sustineri non posset (19): Genua ejus ad invicem collidebantur, in subito, quo correptus fuerat, terrore & tremore artuum totius corporis (20). Virgil. Æneid. 6.

. . . . *Sed tarda trementi*
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.

℣. 7. Quicumque legerit Scripturam hanc. Sive terror vim menti Regi ejusque ariolis ademerit ad legendum, sive literis scripta esset in ea regione ignotis, ceu vetustis Hebraicis, Phœniciis, Samaritanis (21); sive *legere* hic valet interpretari; nemo certe scripturam assequutus est. Porro in Linguis Orientalibus, ubi rarissimus est usus vocalium, & literarum sensum plerumque aperit ipsa pronunciatio vel nexus sermonis; nec novum est nec insuetum, ut illos pariter, qui callent linguam & characteres, lateat vocula solitaria, & nullo sermonis nexu cum aliis conjuncta, cujusmodi sunt illæ: *Mane, Thecel, Phares*. Fac alicui in Hebræo probe versato occurrere, e. g. voculam solitariam *Dbr* דבר: nunquam percipere illam valebit, eum literæ illæ decem omnino diversis significationibus servire possint, pro varia pronunciandi ratione. Ita pariter accidere potest in Chaldæorum lingua, qua fortasse tres istæ voces descriptæ erant.

Purpura vestietur, et torquem auream habebit. Reges Chaldæorum eadem adhibebant ornamenta, eadem dabant præmia & honoris insignia, ac Reges Persidis, qui his successerunt. Discimus enim ex Græcis, purpura olim usos esse Reges Persarum, illorumque optimates (22). Alexander Magnus, & qui successere, purpuram adhibuerunt, veluti peculiare dignitatis suæ ornamentum, quod raro aliis concedebant (23). Torques vero aureus insigne erat dignitatis longe spectatissimum, quod a Principibus concederetur (24).

Tertius in Regno meo erit. Tertius a me erit; seu potius, unus erit ex tribus summis Regni Principibus. Darius Medus (25) eumdem honoris gradum Danieli servavit, tres eligens supremos Præfectos super centum viginti Satrapas, quibus Provincias suas regendas dedit. Apud Davidem etiam tres erant summi Imperatores, cæteris minoribus Ducibus copiarum præpositi (26).

℣. 10. Regina domum convivii ingressa est. Porphyrius, teste S. Hieronymo, censuit Reginam hanc Balthasaris uxorem fuisse. Sed legimus hic ℣. 2. uxores regiasque pellices convivio illi adfuisse. Origenes ap. Hieron. hic, & Theodoretus matrem Balthasaris malunt; alii aviam; quamquam omnes conveniunt uxorem fuisse illam Nabuchodonosoris Magni; ex quo colligas unam eamdemque fuisse cum Regina Amiyt (27), Astyagis filia, sorore Darii Medi, & Cyri amyta. Hujus gratia Nabuchodonosor paravit superbos illos hortos, concameratis fornicibus fultos, tantopere a Veteribus celebratos. Fuse agit Herodotus lib. 1. cap. 185. de Regina Nitocri matre Labynithi, quo regnante Cyrus Babylonem expugnavit. Qui Balthasarem cum Labynitho miscendum censent, misceant pariter necesse est Nitocrim cum Regina, de qua hic Daniel.

℣. 11. Est vir in Regno tuo, qui spiritum Deorum habet. Fieri utique poterat, ut Balthasar non statim exploratum haberet Danielem. Agebat ille quidem munus aliquod Susis a Rege commissum, ibidemque tertio Balthasaris anno versabatur (28). Probabile est tamen, præfecturam ariolorum, & Provinciæ Babylonis jam illi desiisse; agebat tamen in Urbe, cum statim adfuerit, paratus explicare illa eadem nocte arcanum scriptarum vocum, quæ per visum apparuerant.

℣. 16. Ligata dissolvere. Hæc loquendi phrasis hodie pariter non ignota in epistolis Regum Persidis, designat (29) Judicem peritum, multæ intelligentiæ Ministrum, qui obvolutissima quæque extricet, & nodos quolcumque solvat.

℣. 17. Munera tua tibi sint. Dicta sunt hæc officio quodam verborum; infra enim accipit ea, quæ hic specie quadam officii respuit. Exhibet se paratum ad omne Regis imperium servitio plane gratuito.

℣. 19. Quos volebat, interficiebat. Animadverte suprema illorum Principum potestatem & absolutam; subjectas sibi gentes perinde ac vilissima servorum capita habent. Expeditionem in Græcos suscepturus Xerxes, accitis ad se Regni Optimatibus in hæc verba locutus fertur (30).: *Ne viderer meo tantummodo usus consilio, vos contraxi; cæterum mementote parendum magis, quam suadendum.*

℣. 23. Qui habet flatum tuum; in cujus manu est anima tua. Ad literam (31): *Flatum tuum.*

Cum

[14] Athenæus lib. 4. cap. 12. ex Heraclide Cumano. [15] Scholiast. Græc. apud Drus. Grot. Arab. [16] Βαλτάσαρ ὁ βασιλεὺς ἐποίησε δεῖπνον μέγα τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ χιλιάρχοις, (Edit. Rom. & Theodoret. Αὐτοῦ χιλίοις) καὶ κατέναντι τῶν χιλίων ὁ οἶνος (idest, τοῖς χιλίοις αὐτοῦ. Theodoret.) ℣. 2. εἶπεν δὲ Βαλτάσαρ, ἐν τῇ γεύσει τοῦ οἴνου. [17] Homer. Odyss. H. vers. 100. [18] Maldon. Menoch, Grot. Sanct. Vide Psal. 29. 7. & xxxii. 21. [19] Vide Psalm. lxviii. 24. Ezech. xxix. 7. Gejer. &c. [20] Vide Nahum 11. 10. Isai. xxxv. 3. Job iv. 4. [21] Hebræi apud Grot. [22] Xenophon. lib. 8. Cyropæd. Plut. in Alexand. lib. 18. Vide, si places, Brisson. de Regno Persar. lib. 1. [23] Vide 1. Macchab. viii. 14. [24] Genes. 41. 42. Vide Xenophon. Anabas. lib. 1. & Cyrop. lib. 1. & 3. Esdr. iii. 6. Joseph. Antiqu. lib. xi. cap. 6. collatum cum Esther vi. 8. [25] Dan. vi. 1. 2. [26] 2. Reg. xxiii. 8. 9. 17. 19. [27] Polyhistor apud Cedrenum. [28] Dan. viii. 1. 27. [29] Chardin, Voyage de Perse, pag. 228. [30] Valer. Maxim. lib. xi. c. 5. extern. ex 2. [31] נשמתך בידה

Cum spiritus certum sit vitæ indicium, sæpe pro vita usurpatur (32).

℣. 26. Mane: Numeravit Deus Regnum tuum (33). Diuturnitatis imperiorum, & vitæ mortalium anchor est Deus; ipso enim regente, ipso se subducente stat solium & cadit.

℣. 27. Thecel (34). Appensus es in statera, ceu nummus argenteus, & justo pondere minor deprehensus es. Balthasar vitam egisse fertur perditi moris, impiam, libidinosam (35). In Jovis manu stateram, qua justam fatorum mensuram hominibus distribuat, Homerus constituit (36). Singula Balthasaris opera Deus hic in statera appendit.

℣. 28. Phares (37): Divisum est Regnum tuum, et datum est Medis et Persis, Qui Balthasarem & Nabonidum unum eumdemque Regem esse constituunt, locum hunc interpretaturi, docent, Cyrum Regem Persarum subegisse Babylonem totumque Chaldæorum Imperium. Hæc si admittantur, quæ fides maneat oraculo, prædicenti futurum, ut Imperium inter Persas Medosque distraheretur? Sub Cyro in unum potius coaluit, quam divisum fuit in plures. In nostra vero sententia Regnum hoc utique scissum fuit, sublato enim Balthasare, Darius Medus, & Cyrus Rex Persidis, divisis inter se hujus vasti Regni Provinciis, ille quidem Chaldæis, Assyriis, & Medis, Cyrus vero Persis imperavit.

℣. 29. Indutus est Daniel purpura ... et prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in Regno suo. Hæc omnia actutum præstita sunt, nocte adhuc perseverante, coram Aula universa, & mille iis Principibus, regiæ mensæ Convivis. Eadem nocte Balthasar interfectus fuit (38) a Neriglissore, sororis viro, juxta Berosum. Mane alterius diei palam in foro prædicandi erant honores Danieli collati, nisi Regis mors, quæ statim accidit, intercederet. Porro honoribus hisce tunc quidem statim caruit Propheta; sed non inferiores accepit post confirmatum in Regno Darium, quem ceu legitimum Imperii hæredem sequutus est. Exercitus Cyri intra Babylonem pervasit per arentem alveum Euphratis, cujus aquæ in paludes derivatæ fuerant. Dies tunc festa & publicæ lætitiæ agebatur, totaque Urbs occupabatur conviviis. Regem in suis ædibus trucidarunt milites Gadatæ & Gobriæ (39) Optimatum Babylonis, quos fœde habitos in Aula Babylonis ad Cyrum descivisse, Xenophon narrat.

℣. 31. Darius Medus successit in Regnum, Cyaxares nempe, filius Astyagis, & Cyri ac Balthasaris avunculus, ut alibi animadvertimus. Anthor est Xenophon, Cyaxarem continuisse se in Media, dum Cyrus tentabat armis Babylonem. Nobis vero persuasum est, utrumque Principem venisse in expeditionem; & quamvis Cyrus partes sibi potissimas in labore pugnæ, & gloria victoriæ arrogaverit; utilitas tamen victoriæ major Cyaxari parta est. Nihil hic Daniel de bello, quod tunc agebatur inter Babylonios & Medos, cujus tamen non obscure meminerunt Isaias (40) & Jeremias (41), profanique Scriptores, qui tamen inter se plurimum dissident. Darius Medus ipse est Astyages, qui infra in Græco Danielis, Cap. XIII. 65. legitur; apud Septuaginta appellatur Artaxerxes, capite VI. 1. & apud Xenophontem, *Cyaxares*. Juvat etiam animadvertere, Darium titulum sibi usurpare Regis Medorum & Persarum capite VI. 8. 12. 15. Vide & V. 28.

(32) Vide Genes. 41. 7. (33) מנא מנא אלהא מלכותך (34) שקל תקילתה במאזניא (35) Berosus apud Joseph. Οὗτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως, καὶ ἀσελγῶς. (36) Homer. Iliad. XXII. (37) פרס פריסת מלכותך ויהיבת למדי ופרס. (38) ℣. 30. *Eadem nocte Interfectus est Rex Chaldæorum*, Beros. ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. (39) Vide Xenophont. Cyropæd. lib. 7. (40) Isai. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. (41) Jerem. L. LI.

C A P U T VI.

Daniel apud Darium Medum in pretio & honore. Invidia Satraparum in Danielem. Regis Edictum, ne quis audeat alium a Rege adire quicquam postulaturus. Daniel in lacum leonum projicitur; sed illæsus evadit. Edictum pro Religione Judæorum latum.

℣. 1. PLacuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo. 2. Et super eos Principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non sustineret molestiam. 3. Igitur Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo. 4. Tunc rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde principes, & satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis: nullamque caussam, & suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa, & suspicio non inveniretur in eo. 5. Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. 6. Tunc principes, & satrapæ surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei: Dari rex, in æternum vive. 7. Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, & satrapæ, senatores, & judices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum: Ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo, & homine, usque ad triginta dies, nisi a te, rex, mittatur in lacum leonum. 8. Nunc itaque, rex, confirma sententiam, & scribe decretum: ut non immutetur, quod statutum est a Medis, & Persis, nec prævaricari cuiquam liceat. 9. Porro rex Darius proposuit edictum, & statuit. 10. Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fene-

stris

ftris apertis in cœnaculo fuo contra Jerufalem tribus temporibus in die flectebat genua fua, & adorabat, confitebaturque coram Deo fuo, ficut & ante facere confueve-
rat. 11. Viri ergo illi curiofius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, & ob-
fecrantem Deum fuum. 12. Et accedentes locuti funt regi fuper edicto: Rex, num-
quid non conftituifti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis, & homini-
bus, ufque ad dies triginta, nifi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos
refpondens rex, ait: Verus eft fermo juxta decretum Medorum, atque Perfarum,
quod prævaricari non licet. 13. Tunc refpondentes dixerunt coram rege: Daniel
de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, & de edicto, quod conftituifti:
fed tribus temporibus per diem orat obfecratione fua. 14. Quod verbum cum au-
diffet rex, fatis contriftatus eft, & pro Daniele pofuit cor, ut liberaret eum, & uf-
que ad occafum folis laborabat, ut erueret illum. 15. Viri autem illi intelligentes
regem, dixerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum, atque Perfarum eft, ut omne
decretum, quod conftituerit rex, non liceat immutari. 16. Tunc rex præcepit; &
adduxerunt Danielem, & miferunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli:
Deus tuus, quem colis femper, ipfe liberabit te. 17. Allatufque eft lapis unus, &
pofitus eft fuper os laci: quem obfignavit rex annulo fuo, & annulo optimatum fuo-
rum, ne quid fieret contra Danielem. 18. Et abiit rex in domum fuam, & dor-
mivit incœnatus, cibique non funt allati coram eo, infuper & fomnus receffit ab eo.
19. Tunc rex primo diluculo confurgens, feftinus ad lacum leonum perrexit: 20.
Appropinquanfque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus eft eum:
Daniel, ferve Dei viventis, Deus tuus, cui tu fervis femper, putafne valuit te libe-
rare a leonibus? 21. Et Daniel regi refpondens, ait: Rex in æternum vive: 22.
Deus meus mifit angelum fuum, & conclufit ora leonum, & non nocuerunt mihi:
quia coram eo juftitia inventa eft in me: fed & coram te, rex, delictum non feci.
23. Tunc vehementer rex gavifus eft fuper eo, & Danielem præcepit educi de la-
cu: eductufque eft Daniel de lacu, & nulla læfio inventa eft in eo, quia credidit
Deo fuo. 24. Jubente autem rege, adducti funt viri illi, qui accufaverant Danie-
lem: & in lacum leonum miffi funt, ipfi, & filii, & uxores eorum: & non perve-
nerunt ufque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia offa eo-
rum comminuerunt. 25. Tunc Darius rex fcripfit univerfis populis, tribubus, &
linguis, habitantibus in univerfa terra: Pax vobis multiplicetur. 26. A me confti-
tutum eft decretum, ut in univerfo imperio, & regno meo, tremifcant, & paveant
Deum Danielis. Ipfe eft enim Deus vivens, & æternus in fæcula: & regnum ejus non
diffipabitur, & poteftas ejus ufque in æternum. 27. Ipfe liberator, atque falvator,
faciens figna, & mirabilia in cœlo, & in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum.
28. Porro Daniel perfeveravit ufque ad regnum Darii, regnumque Cyri Perfæ.

℣. 1. PLACUIT DARIO, ET CONSTITUIT SUPER REGNUM SATRAPAS CENTUM VIGINTI. Jofephus, S. Hieronymus, & cum his plures opinati funt, Darium Medum, Babylone expugnata, in Mediam, ducto fecum Daniele, rediiffe; ibi vero edidiffe fanctionem, quam hic legimus. Verum fi hæc gefta non funt Babylone, putandum eft tamen acta fuiffe potius Sufis, quam in Media. Vide infra, Caput VIII.

Numerus Provinciarum centum & viginti amplitudinem Imperii Darii fatis demonftrat. Trecentas & fexaginta Satrapias continuiffe docet Jofephus (1); fed mendum in ejus narrationem plane irrepfit, tametfi, ut in nonnullis Codicibus, legerentur trecentæ; fub Regibus enim Cyri fucceffforibus, poft omnes illius victorias, additofque pariter triumphos Darii Hyftafpis, atque conjuncta in unum Imperia Perfarum & Medorum, Imperium univerfum centum & viginti feptenis Satrapiis definiebatur (2). Darius Medus agit hic Principem fupremum Babylonis; Præfecturas diftribuit, Regnum dividit in partes, conftituitque, ut ab omnibus geftorum fuorum ratio deferatur ad tres fupremos Regni Præfectos, quibus reliquos fubjecit.

℣. 2. ET SUPER EOS PRINCIPES TRES, EX QUIBUS DANIEL UNUS ERAT. Munus & dignitatem, quam olim a Balthafare paulo ante ejus obitum obtinuerat Daniel (3), a Dario recepit. Chaldæus legit hic *Sarchim* (4) pro *Principibus*. Theodotion: *Conftituit fuper eos Ordinatores tres*. Tres fuperioris ordinis Satrapæ, qui de rebus omnibus decernebant, quique Præfectis reliquis imperabant. Vox *Sarchim* in hoc tantummodo Capite legitur; poftamque fufpicor pro *Sarnim* (5), quod nomen erat primæ dignitatis apud Perfas, recurritque fæpe in Hebræo, ut Satrapas Philifthæorum defignet. *Surenæ* apud Perfas *poteftatis fecunda poft Regem* erant (6). Illorum erat, diadema Regio Capiti imponere, ubi primum Regnum iniret (7). Facile eft autem lingua Chaldaica fcribere *Sarchim* pro *Sarnim*, uti literas utriuf-

(1) Joseph. Antiq. lib. x. cap. 14. & VIII. & Jofeph. Antiq. lib. XI. 6. (2) Vide Jofeph. Antiq. lib. XI. cap. 4. & 3. Efdr. 12. & Efther 1. (3) Dan. v. 7. 29. (4) ועלא מנהון סרכין Sym. Ἄρχοντας. Aquil. Ζωνωτμεῖς, Theodor. Τακτικούς. (5) *Sarnim* סרנים *Sarchim* סרכים (6) Ammian. Marcel. l. 30. (7) Τὸ [illegible] [illegible] ἐπίθεσιν τὸ διάδημα πρῶτος. Plut. in Craffo.

utriusque vocis intuentibus constabit.

℣. 4. Rex cogitabat constituere eum super omne Regnum. Cum Darius Regni Chaldaici imperium iniit, ætatis erat jam inclinatæ; agebat enim annos duos & sexaginta (8): meditabatur itaque in partem curarum Danielem adsciscere, collato illi Principatu inter tres *Principes Ordinatores*, vel Principes Satraparum Regni.

Satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danielis ex latere Regis (9); accusandi scilicet Danielem in iis, quæ Regiarum essent partium. Criminis læsæ Majestatis reum agere moliebantur, ait Grotius; vel potius, removere illum a latere Regis tentabant; vel, diem illi dicere de male gesto munere; sed frustra illi, quod conatus omnes sincera viri fides everteret.

℣. 6. Satrapæ subripuerunt Regi; incautum Regem fefellerunt. Chaldæus (10): *Cum tumultu convenerunt Regem*. Venerunt simul omnes simulata sollicitudine anxii, ut ab invito extorquerent Edictum, quod poscebant.

℣. 7. Ut decretum Imperatorium exeat et Edictum. Chaldæus (11): *Ut statueret statutum Regis, & roboraret* decretum *ligatum*, vel obsignatum. Literæ olim obvolvebantur, alligabantur; tum obsignabantur sigillo. Rogabant, ut decretum suum irrevocabili sanctione firmaret.

Qui petierit aliquam petitionem a quocumque Deo et homine, nisi a te ...... mittatur in lacum leonum. Cum Satrapæ iniquo essent animo in Danielem, quem Regis amicitia pollentem ægre patiebantur, livorem tamen suum sub ea specie celavere, ut debitum uni Deo obsequium, Regi conciliarent; suadebantque, ut subjectæ omnes Imperio gentes cogerentur, per mensis spatium quidquam a nemine, nisi ab uno Rege postulare. Nihil equidem ineptum magis aut monstruosum proponi poterat; Darius tamen in occultas insidias incautus, nihilque mali suspicans, incidit. Animadvertere supra licuit dementiam Nabuchodonosoris, qui sese Numinis esse aliquid rebatur (12). Nabuchodonosor, alius Rex Ninivitanus, de quo Judith ℣. 29. uni sibi adsciscere divinos in universo orbe honores audebat: *Ut sciat omnis gens, quod Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est*. Hoc sibi politicum dogma constituerant Reges Persidis. Cyri successores (13): *Persas non pie tantum, sed etiam prudenter, Reges suos inter Deos colere; majestatem enim Imperii salutis esse tutelam*.

℣. 8. Scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis. Lege sanctum erat in Persarum Imperio, ut si quæ Sanctio seu lex rite, & de consensu Principum, Regi a consiliis, lata fuisset, staret irrevocabilis, abrogandæ illius facultate vel ipsi pariter Regi adempta (14).

℣. 10. Apertis fenestris suis contra Jerusalem, pro veteri more Judæorum (15). Qui in agro & in cæteris regionibus degebant, Jerosolymam versus ora vertebant; qui vero Jerosolymis erant, versa ad Templum facie orabant. Solemni die Dedicationis Templi Deum rogaverat Salomon, ut pias porrigeret aures iis, qui in cæteris quibusque terris conversi ad Templum orarent 3. Reg. VIII. 48.

Tribus temporibus in die. Tertia, sexta, & nona diei hora, ait S. Hieronymus (16). Mos hic e Synagoga transivit ad Ecclesiam. Vide dicta in Psalmum V. 2. & in Acta, III. 1.

℣. 11. Curiosius inquirentes, invenerunt Danielem. Chaldæus (17): *Venerunt cum tumultu*, impetu, strepitu, & *invenerunt Danielem*. Ex improviso cubiculum ingressi, Prophetam in genua Deum suum orantem deprehenderunt.

℣. 15. Intelligentes Regem, &c. quid vellet Rex, noscentes. Utitur hic Chaldæus eadem voce, quam versiculo superiori exposuimus: *Venerunt cum tumultu*; turmatim venerunt, ℣. 6.

℣. 17. Annulo suo, et annulo Optimatum. Exhibent hæc Imperium Monarchicum, Aristocratia temperatum. Nihil majoris momenti sine Optimatibus suis agit Rex, & quidquid de consilio illorum decretum est, mutari non potest.

Ne quid fieret contra Danielem. Chaldæus (18): *Ut non mutaretur quod decretum fuerat in Danielem*. Ne Rex, vel amici Danielis illum eruerent.

℣. 18. Cibi non sunt allati coram eo. Chaldæus (19): *Non est producta musica coram eo*. Vel ex aliis (20): *Suffimenta incensa non sunt coram eo*.

℣. 19. Primo diluculo consurgens. Chaldæus: (21) *Diluculo surrexit ad lucem*; idest, eo se contulit ad lumen ardentium facium, ante diei exortum (22). Vel ex aliis (23): Statim ac dies fulsit.

℣. 22. Coram te, o Rex, delictum non feci. Nosti qua fide tibi servierim; nunc autem si quid contra sanctiones tuas egi, ut majori Domino obtemperarem.

℣. 23. Credidit Deo suo; spem suam in Deo collocavit, seu credidit Deo suo. Author Epistolæ ad Hebræos XI. 33. fidei Danielis tribuit, quod leonum ora clauserit: *Per fidem ..... obturaverunt ora leonum*. Vox Chaldæa (24) exponi potest de fide, spe, & fiducia.

℣. 24. Adducti sunt ..... ipsi, et filii, et uxores eorum. Lege Talionis falsi delatores eodem supplicio puniuntur, quod ipsi in alios provocavere. *Paterno debent perire supplicia, in quibus paterni criminis exempla metuuntur* (25). Suppliciorum ejus generis, parentibus totique familiæ communibus, crebra suppetunt exempla, ut in Dathan & Abiron (26), Achan (27), & Amano (28). Hic peccata puniendi mos familiarissimus erat apud Persas. *Abominandæ leges, per quas ob noxas unius omnis propinquitas perit* (29).

℣. 28. Porro Daniel perseveravit usque ad Regnum Darii, Regnumque Cyri Persæ. Duo hæc Regna præ cæteris memoratu dignissima sunt. Daniel in honore fuit sub his quinque Principum Regnis, Nabuchodonosoris, Evilmerodachi, Balthasaris, Darii, Cyri. Vide Caput XIV. 1.

(8) Dan. V. 31. (9) בעין עלה להשכחה לדניאל מצד מלכותא (10) הרגשו על מלכא
(11) לקימה קים מלכא ולתקפה אסר (12) Dan. III. 15. *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?*
(13) Curt. lib. 8. (14) Vide Esth. I. 19. & VIII. 8. Diodor. lib. 14. Plutarch. in Themistocle; Procop. de Bello Persico. (15) Vide Hieron. ad Ezech. VIII. 16. 17. (16) Hieron. hic. Vide Act. II. 15. III. 1. & X. 9. (17) הרגישו והשכחו (18) די לא תשנא צבו בדניאל (19) ודחון לא הנעל קדמוהי
(20) Lud. de Dieu. (21) בשפר פרא יקום בנגהא (22) Τὸ πρωῒ ἐν τῷ φωτί. Theodoret. hic: Τοῦτ' ἔστιν ἅμα ... ὄρθρῳ, πρὸ τοῦ λυκαύγους, ... [illegible] (23) Pag. Gior. Tigur.
(24) די הימן באלהה Theodor. Ὅτι ἐπίστευσεν ἐν τῷ Θεῷ αὐτοῦ. Vide Sanct. hic. (25) Rescript. Arcad. & Honorii. Vide Jun. hic. (26) Num. XVI. (27) Josue VII. (28) Esther XVI. 18.
(29) Ammian. Marcel. lib. 23.

CA.

ftris apertis in cœnaculo fuo contra Jerufalem tribus temporibus in die flectebat genua fua, & adorabat, confitebaturque coram Deo fuo, ficut & ante facere confueverat. 11. Viri ergo illi curiofius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, & obfecrantem Deum fuum. 12. Et accedentes locuti funt regi fuper edicto: Rex, numquid non conftituifti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis, & hominibus, ufque ad dies triginta, nifi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos refpondens rex, ait: Verus eft fermo juxta decretum Medorum, atque Perfarum, quod prævaricari non licet. 13. Tunc refpondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, & de edicto, quod conftituifti: fed tribus temporibus per diem orat obfecratione fua. 14. Quod verbum cum audiffet rex, fatis contriftatus eft, & pro Daniele pofuit cor, ut liberaret eum, & ufque ad occafum folis laborabat, ut erueret illum. 15. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum, atque Perfarum eft, ut omne decretum, quod conftituerit rex, non liceat immutari. 16. Tunc rex præcepit; & adduxerunt Danielem, & miferunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis femper, ipfe liberabit te. 17. Allatufque eft lapis unus, & pofitus eft fuper os laci: quem obfignavit rex annulo fuo, & annulo optimatum fuorum, ne quid fieret contra Danielem. 18. Et abiit rex in domum fuam, & dormivit incœnatus, cibique non funt allati coram eo, infuper & fomnus receffit ab eo. 19. Tunc rex primo diluculo confurgens, feftinus ad lacum leonum perrexit: 20. Appropinquanfque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus eft eum: Daniel, ferve Dei viventis, Deus tuus, cui tu fervis femper, putafne valuit te liberare a leonibus? 21. Et Daniel regi refpondens, ait: Rex in æternum vive: 22. Deus meus mifit angelum fuum, & conclufit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo juftitia inventa eft in me: fed & coram te, rex, delictum non feci. 23. Tunc vehementer rex gavifus eft fuper eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductufque eft Daniel de lacu, & nulla læfio inventa eft in eo, quia credidit Deo fuo. 24. Jubente autem rege, adducti funt viri illi, qui accufaverant Danielem: & in lacum leonum miffi funt, ipfi, & filii, & uxores eorum: & non pervenerunt ufque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia offa eorum comminuerunt. 25. Tunc Darius rex fcripfit univerfis populis, tribubus, & linguis, habitantibus in univerfa terra: Pax vobis multiplicetur. 26. A me conftitutum eft decretum, ut in univerfo imperio, & regno meo, tremifcant, & paveant Deum Danielis. Ipfe eft enim Deus vivens, & æternus in fæcula: & regnum ejus non diffipabitur, & poteftas ejus ufque in æternum. 27. Ipfe liberator, atque falvator, faciens figna, & mirabilia in cœlo, & in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum. 28. Porro Daniel perfeveravit ufque ad regnum Darii, regnumque Cyri Perfæ.

℣. 1. PLACUIT DARIO, ET CONSTITUIT SUPER REGNUM SATRAPAS CENTUM VIGINTI. Jofephus, S. Hieronymus, & cum his plures opinati funt, Darium Medum, Babylone expugnata, in Mediam, ducto fecum Daniele, rediiffe; ibi vero edidiffe fanctionem, quam hic legimus. Verum fi hæc gefta non funt Babylone, putandum eft tamen acta fuiffe potius Sufis, quam in Media. Vide infra, Caput VIII.

Numerus Provinciarum centum & viginti amplitudinem Imperii Darii fatis demonftrat. Trecentas & fexaginta Satrapias continuiffe docet Jofephus (1); fed mendum in ejus narrationem plane irrepfit, tametfi, ut in nonnullis Codicibus, legerentur trecentæ; fub Regibus enim Cyri fucceffonibus, poft omnes illius victorias, additifque pariter triumphis Darii Hyftafpis, atque conjuncta in unum Imperia Perfarum & Medorum, Imperium univerfum centum & viginti feptenis Satrapiis definiebatur (2). Darius Medus agit hic Principem fupremum Babylonis; Præfecturas diftribuit, Regnum dividit in partes, conftituitque, ut ab omnibus geftorum fuorum ratio deferatur ad tres fupremos Regni Præfectos, quibus reliquos fubjecit.

℣. 2. ET SUPER EOS PRINCIPES TRES, EX QUIBUS DANIEL UNUS ERAT. Munus & dignitatem, quam olim a Balthafare paulo ante ejus obitum obtinuerat Daniel (3), a Dario recepit. Chaldæus legit hic *Sarchim* (4) pro *Principibus*. Theodotion: *Conftituit fuper eas Ordinatores tres*. Tres fuperioris ordinis Satrapæ, qui de rebus omnibus decernebant, quique Præfectis reliquis imperabant. Vox *Sarchim* in hoc tantummodo Capite legitur; pofitamque fufpicor pro *Saraim* (5), quod nomen erat primæ dignitatis apud Perfas, recurritque fæpe in Hebræo, ut Satrapas Philifthæorum defignet. *Surenæ* apud Perfas *poteftatis fecundæ poft Regem* erant (6). Illorum erat, diadema Regio Capiti imponere, ubi primum Regnum iniret (7). Facile eft autem lingua Chaldaica fcribere *Sarchim* pro *Sarnim*, uti literas utriuf-

[1] Jofeph. Antiq. lib. x. cap. 14. & VIII. & Jofeph. Antiq. lib. xi. 6.
[2] Vide Jofeph. Antiq. lib. xi. cap. 4. & 1. Efdr. 12. & Efther 1.
[3] Dan. v. 7. 29.
[4] ועלא מנהון סרכין Sym. Ἄρχοντας. Aquil. Συντακτάς, Theodot. Τακτικούς.
[5] *Sarnim* סרנים *Sarchim* סרכים
[6] Ammian. Marcel. l. 30.
[7] Τὸ γένος μὲν ὃ ἐξ ἀρχῆς ἑκάστοτε Βασιλεῖ γινομένῳ Πάρθων ἐπιτιθέναι τὸ διάδημα πρῶτος. Plut. in Craffo.

utriusque vocis intuentibus constabit.

℣. 4. Rex cogitabat constituere eum super omne Regnum. Cum Darius Regni Chaldaici imperium iniit, ætatis erat jam inclinatæ; agebat enim annos duos & sexaginta (8): meditabatur itaque in partem curarum Danielem adsciscere, collato illi Principatu inter tres *Principes Ordinatores*, vel Principes Satraparum Regni.

Satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere Regis (9); accusandi scilicet Danielem in iis, quæ Regiarum essent partium. Criminis læsæ Majestatis reum agere moliebantur, ait Grotius; vel potius, removere illum a latere Regis tentabant; vel, diem illi dicere de male gesto munere; sed frustra illi, quod conatus omnes sinceta viri fides everteret.

℣. 6. Satrapæ surripuerunt Regi; incautum Regem fefellerunt. Chaldæus (10): *Cum tumultu convenerunt Regem*. Venerunt simul omnes simulata sollicitudine anxii, ut ab invito extorquerent Edictum, quod poscebant.

℣. 7. Ut decretum Imperatorium exeat et Edictum. Chaldæus (11): *Ut statueret statutum Regis, & roboraret* decretum *ligatum*, vel obsignatum. Literæ olim obvolvebantur, alligabantur; tum obsignabantur sigillo. Rogabant, ut decretum suum irrevocabili sanctione firmaret.

Qui petierit aliquam petitionem a quocumque Deo et homine, nisi a te ...... mittatur in lacum leonum. Cum Satrapæ iniquo essent animo in Danielem, quem Regis amicitia pollentem ægre patiebantur, livorem tamen suum sub ea specie celavere, ut debitum uni Deo obsequium, Regi conciliarent; suadebantque, ut subjectæ omnes Imperio gentes cogerentur, per mensis spatium quidquam a nemine, nisi ab uno Rege postulare. Nihil equidem ineptum magis aut monstruosum proponi poterat; Darius tamen in occultas insidias incautus, nihilque mali suspicans, incidit. Animadvertere supra licuit dementiam Nabuchodonosoris, qui sase Numinis esse aliquid rebatur (12). Nabuchodonosor, alius Rex Ninivitanus, de quo Judith ℣. 29. uni sibi adsciscere divinos in universo orbe honores audebat: *Ut sciat omnis gens, quod Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est*. Hoc sibi politicum dogma constituerant Reges Persidis. Cyri successores (13): *Persas non pie tantum, sed etiam prudenter, Reges suos inter Deos colere; majestatem enim Imperii salutis esse tutelam*.

℣. 8. Scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis. Lege sanctum erat in Persarum Imperio, ut si quæ Sanctio seu lex rite, & de consensu Principum, Regi a consiliis, lata fuisset, staret irrevocabilis, abrogandæ illius facultate vel ipsi pariter Regi adempta (14).

℣. 10. Apertis fenestris suis contra Jerusalem, pro veteri more Judæorum (15). Qui in agro & in exteris regionibus degebant, Jerosolymam versus ora vertebant; qui vero Jerosolymis erant, versa ad Templum facie orabant. Solemni die Dedicationis Templi Deum rogaverat Salomon, ut pias porrigeret aures iis, qui in exteris quibusque terris conversi ad Templum orarent 3. Reg. VIII. 48.

Tribus temporibus in die. Tertia, sexta, & nona diei hora, ait S. Hieronymus (16). Mos hic e Synagoga transivit ad Ecclesiam. Vide dicta in Psalmum v. 2. & in Acta, III. 1.

℣. 11. Curiosius inquirentes, invenerunt Danielem. Chaldæus (17): *Venerunt cum tumultu*, impetu, strepitu, *& invenerunt Danielem*. Ex improviso cubiculum ingressi, Prophetam in genua Deum suum orantem deprehenderunt.

℣. 15. Intelligentes Regem, &c. quid vellet Rex, noscentes. Utitur hic Chaldæus eadem voce, quam versiculo superiori exposuimus: *Venerunt cum tumultu*; turmatim venerunt, ℣. 6.

℣. 17. Annulo suo, et annulo Optimatum. Exhibent hæc Imperium Monarchicum, Aristocratia temperatum. Nihil majoris momenti sine Optimatibus suis agit Rex, & quidquid de consilio illorum decretum est, mutari non potest.

Ne quid fieret contra Danielem. Chaldæus (18): *Ut non mutaretur quod decretum fuerat in Danielem*. Ne Rex, vel amici Danielis illum eruerent.

℣. 18. Cibi non sunt allati coram eo. Chaldæus (19): *Non est producta musica coram eo*. Vel ex aliis (20): *Suffimenta intensa non sunt coram eo*.

℣. 19. Primo diluculo consurgens. Chaldæus: (21) *Diluculo surrexit ad lucem*, idest, eo se contulit ad lumen ardentium facium, ante diei exortum (22). Vel ex aliis (23): Statim ac dies fulsit.

℣. 22. Coram te, o Rex, delictum non feci. Nosti qua fide tibi servierim; nunc autem si quid contra sanctiones tuas egi, ut majori Domino obtemperarem.

℣. 23. Credidit Deo suo; spem suam in Deo collocavit, seu credidit Deo suo. Author Epistolæ ad Hebræos XI. 33. fidei Danielis tribuit, quod leonum ora clauserit: *Per fidem ..... obturaverunt ora leonum*. Vox Chaldæa (24) exponi potest de fide, spe, & fiducia.

℣. 24. Adducti sunt ..... ipsi, et filii, et uxores eorum. Lege Talionis falsi delatores eodem supplicio puniuntur, quod ipsi in alios provocavere. *Paterno debent perire supplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur* (25). Suppliciorum ejus generis, parentibus totique familiæ communibus, crebra suppetunt exempla, ut in Dathan & Abiron (26), Achan (27), & Amano (28). Hic peccata puniendi mos familiarissimus erat apud Persas. *Abominandæ leges, per quas ob noxas unius omnis propinquitas perit* (29).

℣. 28. Porro Daniel perseveravit usque ad Regnum Darii, Regnumque Cyri Persæ. Duo hæc Regna præ cæteris memoratu dignissima sunt. Daniel in honore fuit sub his quinque Principum Regnis, Nabuchodonosoris, Evilmerodachi, Balthasaris, Darii, Cyri. Vide Caput XIV. 1.

(8) Dan. v. 31. (9) בעין עלה להשכחה לדניאל מצד מלכותא (10) הרגשו על מלכא
(11) לקימה קים מלכא ולתקפה אסר (12) Dan. III. 15. *Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?*
(13) Curt. lib. 8. (14) Vide Esth. I. 19. & VIII. 8. Diodor. lib. 14. Plutarch. in Themistocle; Procop. de Bello Persico. (15) Vide Hieron. ad Ezech. VIII. 16. 17. (16) Hieron. hic. Vide Act. II. 15. III. 1. & X. 9. (17) הרגישו והשכחו (18) די לא תשנא צבו בדניאל (19) ודחון לא הנעל קדמוהי
(20) Lud. de Dieu. (21) בשפר פרא יקום בנגהא (22) Τό πρωί ἐν τῷ φωτί. Theodoret. hic: Τοῦτ' ἔστιν ἔτι σκότους ὄντος, πρὸ τοῦ λυκόφωτος, εἰς ὃ δεδήλωται λαμπάδων. (23) Pag. Grot. Tigur.
(24) די הימן באלהה Theodot. Ὅτι ἐπίστευσεν ἐν τῷ Θεῷ αὐτοῦ. Vide Sanct. hic. (25) Rescript. Arcad. & Honorii. Vide Jun. hic. (26) Num. XVI. (27) Josue VII. (28) Esther XVI. 18.
(29) Ammian. Marcel. lib. 23.

CA-

CAPUT VII.

Visio quatuor bestiarum, totidem Imperia designans. Judex æternus. Regnum filii hominis. Quarta bestia, ejusque cornua.

℣. 1. ANno primo Balthasar regis Babylonis Daniel somnium vidi: visio autem capitis ejus in cubili suo: & somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summatimque perstringens, ait: 2. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. 3. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ inter se. 4. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra: & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei. 5. Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit: & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas. 6. Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi avis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. 7. Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem. 8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. 9. Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus, quasi lana munda: thronus, flammæ ignis: rotæ ejus, ignis accensus. 10. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Judicium sedit, & libri aperti sunt. 11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni: 12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus, & tempus. 13. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum. 14. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: & potestas ejus: potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. 15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbaverunt me. 16. Accessi ad unum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me: 17. Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. 18. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum. 19. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis: dentes, & ungues ejus ferrei: comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat: 20. Et de cornibus decem, quæ habebat in capite, & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua; & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquens grandia, & majus erat cæteris. 21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis, 22. Donec venit antiquus dierum, & judicium dedit sanctis Excelsi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt sancti. 23. Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam. 24. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. 25. Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret: & putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. 26. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem. 27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient. 28. Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me, verbum autem in corde meo conservavi.

℣. 1.

℣. 1. ANNO PRIMO BALTHASAR. Hactenus Historica Danielis; nunc Prophetica exordiuntur. Balthasar (1) idem est Rex, cujus exitum legimus Capite v. & cui Darius Medus successit, Capite vi.

SUMMATIM PERSTRINGENS, AIT. Chaldæus: *Respondit & dixit*.

℣. 2. QUATUOR VENTI PUGNABANT IN MARI MAGNO. Ventis hisce portendebatur agitatio, turbæ, motus, quos magna illa Imperia, de quibus statim, inductura erant in Mundum, maris magni nomine designatum (2).

℣. 3. QUATUOR BESTIÆ, quibus totidem magna Imperia describebantur. Bestiæ istæ ex terrestribus erant, quamvis e mari emergerent; alii partim avi similes, cæterum monstra erant nova & inusitata.

℣. 4. PRIMA QUASI LEÆNA; vel ex Chaldæo, *sicut leo* (3). Emblema est hoc Imperii Chaldæorum, quod olim exhibitum fuit Nabuchodonosori in capite aureo simulacri (4). Leo, animal generosum, trux, Rex animalium terrestrium, exprimit magnitudinem, robur, sævitiam Regum, qui præcesserunt, & successerunt Nabuchodonosori, & ipsius pariter Nabuchodonosoria ingenium. Hunc enim Principem Isaias v. 20. & Jeremias iv. 7. cum leone comparant.

ALAS HABEBAT AQUILÆ. Sub eadem imagine pingitur Nabuchodonosor ab Ezechiele xvii. 3. Jeremia (5), & Habacuco (6). Volandi pernicitas, vitæ diuturnitas, sublimis in aerem volatus, robur, & rapacitas Aquilæ apprime congruunt cum Imperio Assyriorum & Chaldæorum.

EVULSÆ SUNT ALÆ EJUS. Fatis functo Balthasare, Imperium Nabuchodonosoris inter Darium Medum & Cyrum Regem Persarum divisum est; cujus partem Neriglissor, Laborosoardochus, & Labynitus fortasse obtinuerunt.

COR HOMINIS DATUM EST EI. Superbos hosce Principes, qui Divinos sibi honores arrogabant, demissiora sapere coegit Deus. Ad brutorum conditionem Nabuchodonosor redactus est, Balthasar Dei potentiam fateri coactus, in ædibus suis periit.

℣. 5. BESTIA ALIA SIMILIS URSO. Typus hic est Imperii Persarum, in quo cernere licet sævum & crudele ursi ingenium cum robore conjunctum. Severissimum & crudelissimum Imperium Persæ exercuerunt. Quæ apud illos obtinebant supplicia, non sine horrore leguntur (7). In somnio Nabuchodonosoris idem Imperium effingitur pectore & brachiis argenteis simulacri.

IN PARTE STETIT. E latere Chaldææ surrexit Cyrus; ursus contra leonem stetit in prælium, paravit se ad certamen. Judæi sic explicant (8): *Stetit in parte*; abstinuit a Judæis.

TRES ORDINES ERANT IN ORE EJUS, ET IN DENTIBUS EJUS; ut exprimeretur potantia triplex Persarum, Medorum, & Chaldæorum in unum conjuncta (9); vel triplex mundi pars, oriens, septemtrio, & meridies, quo Persarum Imperium sese porrexit (10). Græci quidam Codices legunt (11): *Tres costæ in ore ejus*. Alii (12): *Tres alæ in ore ejus*. Reddi potest Chaldæus (13): *Tres costæ in ore ejus*; tria ossa, quæ exerebat (14). Designatur hisce summa illius voracitas; quamobrem sic illi dicebatur: *Surge, comede carnes plurimas*.

Cyrus perpetuis fermo bellis occupatus fuit, de quo & illud in Historia narratur, Tomyrim Scytharum Reginam abscissum ejus caput injecisse in vas humano cruore plenum, exprobrantem: *Satia te sanguine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti* (15). Cambysem, Xerxem, Darium Hystaspis, aliosque Cyri successores, ambitiosissimos fuisse Principes constat, ut *prædonum* nomine Cyrum, ejusque milites, qui Babylonicum Imperium diripuerunt, Jeremias, li. 48. 56. appellaverit.

℣. 6. ECCE ALIA QUASI PARDUS. In tertia hac bestia noscimus Alexandrum Magnum, Imperii Persarum eversorem, & Græci conditorem. In statua Nabuchodonosoris est venter æneus; crura vero ferrea illius successores exprimunt (16). Pardus leone minor est corpore, non robore; pelle tegitur varia, & animal est perniciissimum.

Alexander Magnus ingenio erat plane igneo, strenuus & intrepidus ad prodigium; modica militum manu Imperium totius Orbis maxime formidandum aggredi ausus est, & mira celeritate subegit. Alæ, quæ pardo adduntur, illius pernicitatem apprime significant. Sciscirantibus, qua ratione tam brevi tempore tam multa vicerit, respondebat Alexander (17): *Nihil differens*. Mores vero illius plane inæquales, & ingenii boni malique varietatem maculosa bestiæ hujus pellis egregie refert. Staturam Alexandri justo minorem, brevem ejus vitam & imperium in brevi bestiæ hujus corpore agnoscere licet.

ALAS HABEBAT QUATUOR .... ET QUATUOR CAPITA, Quatuor alæ, & capita totidem unum idemque facile designabant, nempe quatuor Principes, qui post ejus mortem Imperium diviserunt, ex quibus quatuor validissima Imperia nata sunt. Ptolemæus in Ægypto regnavit, Seleucus in Syria, Antigonus in Asia, apud Macedones Antipater (18). Nisi forte capita hæc quatuor totidem sint Mundi partes, quas Alexander victoriis peragravit; vel quatuor majores copiarum illius Præfecti; Perdiccas, qui Macedonum equitatui præfuit; Seleucus, cui parebant equites externi (19); Meleager Regii Satellitii Dux; Ptolemæus peditum Imperator. Vel denique quatuor Imperia, quæ Alexander in se uno conciliavit; Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, & Persarum, ac denique Græcorum.

℣. 7. BESTIA QUARTA TERRIBILIS ATQUE MIRABILIS. Nulla peculiaris figura quartæ huic bestiæ inest: peculiare est illi, quod terrorem metumque & mala plane innumera pariat. Vulgo explicatur de Romanorum Imperio. Veterum quidam (20), & Recentiorum plures (21) accipiunt hæc de Regibus Alexandri successoribus, iis præsertim, qui in Syria & in Ægypto regnavere, quibus negotii plurimum fuit cum Judæis: idemque S. Hieronymus (22) docet ea, quæ de Antichristo exponi solent, impleta fuisse ad verbum in Antiocho, ceu typo infestissimi hujus Jesu Christi adversarii. Breviter hic exponemus interpretum istorum sententiam, uti supra præstitimus (23), nihil interim detrahentes systemati, quod fre-

(1) Chald. Balsazar בלשאצר (2) Theodoret. hic. (3) כאריה (4) Dan. ii. (5) Jerem. xlviii. 40. xlix. 22. Thren. iv. 19. (6) Habac. i. 8. (7) Vide, si placet, Theodoret. hic; & Brisson. de Regno Persar. lib. 2. p. 325. & sequ. (8) Vide Hieron. hic. (9) Hieron. Vat. Grot. Mald. alii. (10) Theodoret. Pisc. Pol. (11) Τρία πλευρά ἐν τῷ στόματι αὐτῆ. Ita Edit. Complut. Theodot. Edit. Rom. Τρεῖς πλευραί. (12) Τρία πτερά ἐν τῷ στόματι αὐτῆ, apud Theodoret. (13) תלת עלעין בפמה (14) Gejer. Jun. Grot. (15) Justin. lib. 1. (16) Dan. ii. 39. (17) Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. (18) Theodoret. & Hieron. Philippum hic pro Antipatro ponit: at Philippus imaginem ac nomen Regis habuit; Antipater Macedonibus revera imperavit. (19) Grot. (20) Porphyrius apud Hieron. & alii etiam pietatis magistri apud Theodoret. in Dan. vii. post ℣. ult. (21) Jun. Piscat. Polan. Grot. Vide supra ad Dan. ii. ℣. 40. (22) Hieron. in Dan. xi. ℣. 21. & sequ. p. 1127. nov. Edit. *Cumque multa quæ postea lecturi, & expositori sumus, super Antiochi persona conveniant, typum eum volunt Antichristi habere; & quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo ex toto esse complenda*. Vide & in Dan. viii. 24. (23) Vide ad Dan. ii. 40.

frequentiori Interpretum suffragio probatur, & quartum hoc Imperium pro Romano usurpat.

Quarta hæc bestia, trux adeo & fera, pluribus notis distinguitur: ut autem de Imperio Syriæ & Ægypti accipiatur, suadet primo, quod *interficienda esset*, & *corpus ejus tradendum ad comburendum igni* (24) ante adventum Jesu Christi, *filii hominis*, de quo hic (25): id autem cum Romano Imperio congruere non videtur. II. Cornu istud, cui inerat *os loquens grandia*, quod & *faciebat bellum adversus sanctos* (26), Antiochum Epiphanem significat, impium Regem, in Judæos infestissimum, in Deum illorum contumeliosum, cui unicum votum erat, *ut posset mutare tempora & leges*; ritus nempe solemnes, sacra, moresque nationis (27). Scitum est pariter, Sanctos, idest Judæos; ipsumque pariter Templum *traditum fuisse in manu ejus usque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*, idest tribus annis & dimidio (28), quo temporis spatio Judæos insectatus fuit.

Quam de illo Sancti (29), idest Macchabæi, & Judæi retulerunt victoriam, ea toto orbe celebratur; sed triumphi Macchabæorum omnes, potentia, & Regnum, partaque Judæis fratribus libertas nonnisi leviter adumbiant victoriam, qua Jesus Christus, Sancti, Apostoli, Fideles de errore, Mundo, ac Dæmone triumpharunt; rudis etiam delineatio sunt Regni æterni Jesu Christi in Ecclesia (30). Explicationis hujus veritas prodibit clarior, si Caput hoc conferatur cum Capite secundo & undecimo, ubi idem, sed aliis expressum figuris, repetitur.

Dissimilis erat cæteris Bestiis. Imperium Successorum Alexandri Magni non uno discrimine a cæteris præcedentibus differt. Nunquam sub uno Rege totum coaluit; & primo quidem summa authoritas in Aridæum fratrem Alexandri Magni collata est; sed hunc melius Regis larvam dixesis, quam Regem, qui Regni clavo ineptus, nunquam vere regnavit. Hercules, filius Alexandri & Barsinæ, utpote ex illegitimo connubio natus, ab hæreditatis successione rejectus est. Alexander, filius posthumus Alexandri Magni & Roxanæ, ætatem regno aptam non attigit. Itaque vasti hujus Imperii membra in varia Regna divisa sunt (31). Vix alio hic avertit oculos Propheta, quam ad ea, quæ ad Judæos utcumque referuntur; atque his potissimum Judæis quartum hoc Imperium terribile adeo fuit & violentum, ut obvia quæque devorarit, dilaniarit, contriverit.

Qui portendi hisce verbis Romanorum Imperium censent, animadvertunt, hoc a reliquis Imperiis discrepasse plurimum, non modo forma regiminis, sed potissimum in magnitudine, robore, ac potentia.

Habebat cornua decem; Reges totidem, ut Angelus Danieli infra exponit (32). Nomina illorum dederat Porphyrius; quæ tamen servanda posteris S. Hieronymus non censuit. Nusquam quærendi sunt Reges isti, nisi in Syria, & inter eos qui Antiocho Epiphani præcessere; succedit enim ille decem his Regibus, exhibeturque sub emblemate cornu plantati in loco decem aliorum cornuum, quæ ante illud ceciderunt. Suppetit nobis series septem Regum (33), qui in Syria Antiocho Epiphani præcesserunt; sed ante Seleucum Nicatorem Præfecti quidam occurrunt, ut Ladomedon Mitylenæus (34), quibus post decessum Alexandri Syria & Phœnicia creditæ fuerunt. Antigonus, ejusque filius Demetrius, eas provincias addito Regis titulo tenuerunt. Tres isti additi septem illis, quorum meminimus, conficiunt *decem cornua*, quæ Antiochi Epiphanis Regno præcesserunt.

Veterum & Recentiorum Interpretum plerique accipiunt hæc de Antichristo, ex quo Ecclesiæ Dei ærumnæ imminent. Quæ Judæis mala Antiochus Epiphanes intulit, viva sunt utique imago malorum, quæ supremum filii Dei adventum preventura sunt: cum autem Antichristi Regnum adhuc remotum sit, veritas Propheticorum oraculorum de illo nondum demonstrari potest. Quare satis habendum est, ut præterita considerentur, & cum verbis Propheticis comparentur. Sunt autem præterita pignus certum eorum, quæ in posterum implenda servantur.

Alii Propheticum hoc Oraculum de Imperio Vespasiani latum suspicantur. Decimus is fuit a Julio Cæsare Romanorum Imperator, qui cadentibus tribus præcedentibus Imperatoribus evectus est ad Imperium; hinc illud: *Tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus*; a facie scilicet cornu, quod super alia sese erexit (35). *Fecit bellum adversus Sanctas*; Judæus nempe, quorum Rempublicam evertit. Ipse ministrum se præbuit Judicii Altissimi Dei, & armis ultus est injuriam Jesu Christo ejusque Fidelibus irrogatam (36). *Sanctas Altissimi contrivit* (37), bellum intulit Judæis *ad tempus & tempora, & dimidium temporis*; tribus annis & dimidio. Nihil prohibet quominus aptetur captæ a Romanis Jerosolymæ pars illorum, quæ a Scriptura prænunciata sunt de Regno Antichristi, de secundo Dei Filii adventu, ac de malis ab Antiocho Epiphane in Judæos inferendis. Interpretationes hujusmodi cohærere possunt inter se: unum idemque Oraculum plures ad res referri, variisque sensibus subesse potest. Jam alibi animadvertimus, vaticinium Danielis de abominatione desolationis, posita in loco sancto, accipi de malis ab Antiocho Epiphane irrogatis, de ruina Jerosolymorum ex Romanis, & furiis Antichristi ante Judicium supremum.

Sunt qui (38) rem esse hic censeant cum Turcarum Imperio, cujus amplitudo, opes, sævitia, odium in Ecclesiam, ingenium quartæ hujus bestiæ referunt. Sed vix credo, opinionem hanc defendi posse, nisi admittatur, Oraculum de illa expositum, nunquam totam fidem suam expleturum esse, nisi postremi Judicii die, & simul agnoscatur, Imperium hoc exordium esse Imperii Antichristi.

Malunt alii, dicta hæc accipi oportere de Diocleriano, vel Juliano Apostata Imperatoribus. Ille, post longam Imperatorum seriem succedens, apte decem cornuum emblemate pingitur. Super ruinas elapsorum Principum solium collocavit; Aprum in Oriente, Carinum in Dalmatia interfecit; Epideum Achilleum in Ægypto vicit, quos tres æmulos habuit Imperii. Eo rerum potiente, in summam potentiam crevit Imperium; tantæque fuit superbiæ Princeps, ut divinos sibi honores arrogaverit; edicta contumeliis referta tulerit in Ecclesiam; & violentissimo odio fideles vexaverit. Cernere hic licet plures ejus tyranni notas, quem Propheta depingit.

Qui Julianum Apostatam præferunt, animadvertunt, ante illum Christianos persecutiones passos fuisse decem. Parvum illud cornu, quod in me-

[24] ℣℣. 11. & 26. [25] ℣℣. 13. 26. 25. [26] ℣℣. 20. 24. 25. [27] Vide 1. Macc. 1. 41. 47. 48. [28] Joseph. Prolog. de Bello Judaico. [29] ℣. 22. *Regnum obtinebunt Sancti.* [30] ℣. 27. *Regnum, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum detur populo Sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum est; & omnes Reges servient ei, & obedient.* [31] *Maximum in terris Macedonum regnum, nomenque; inde a morte Alexandri distractum in multa regna est.* Livius, lib. 45. [32] ℣. 24. *Porro cornua decem, ipsius regni decem Reges erunt.* [33] 1. Seleucus Nicator, 2. Antiochus Soter, 3. Antiochus Deus, 4. Seleucus Callinicus, 5. Seleucus fulmen, 6. Antiochus Magnus, 7. Seleucus IV. cognomine Philopator, frater Antiochi Epiphanis. [34] Justin. lib. 13. [35] Dan. VII. 20. [36] Ibid. ℣. 22. [37] Ibid. ℣. 25. [38] Abenezra, Vat. Calov.

medio decem aliorum surgit, Julianum exhibet. Quæ tria cornua ante illum ceciderunt, tres Constantini liberos referunt. *Oculi ejus hominis* sunt Principis politica, eloquentia, & excultum bonis artibus ingenium. *Os loquens grandia* sunt contumeliæ, quas in Jesum Christum evomuit: is insectatus est Sanctos, totamque Religionem Christianam funditus evertere conatus est. At satis ne habendum est, si quo in Principe aliquid cum oraculo congruat, ut statim illi aptetur vaticinium, quod certe respicit Imperium successorum Alexandri Magni, & Jesu Christi Regno præcessit? Diocletianus viginti annis regnavit; Julianus duobus annis & dimidio; uterque post constitutam Ecclesiam; nec plura requirenda sunt, ut ambo ab hoc Oraculo excludantur. Igitur prior interpretatio retinenda est, ut oraculum de malis ab Antiocho Epiphane illatis accipiatur.

HABEBAT CORNUA DECEM; & inferius cap. VIII. 8. *quatuor cornua subter ipsum*. Et in Apocaly. V. 6. *Habentem cornua septem*; & XIII. 1. *Cornua decem*. Id nobis monstrosum apparet, nec Daniel & S. Joannes spectrum illud nisi in spiritu viderunt; non tamen novum omnino censendum est, illi enim, qui loca extera peragrarunt (39), vidisse se affirmant in Insula Cypri & in Barbaria arietes quinque, sex, & septem cornibus superbos. Mos est Prophetarum familiaris si quid divina visione cernunt, illud perinde ac fert natura constituere: nihil hic prodigii & supra naturam nisi mera rei significatio.

℣. 8. CORNU PARVULUM ORTUM EST DE MEDIO EORUM. Antiochus Epiphanes, inter liberos Antiochi Magni natu minimus, missus est Romam obses, ibique tamdiu fuit, donec a Seleuco fratre revocatus est.

TRIA DE CORNIBUS PRIMIS EVULSA SUNT A FACIE EJUS. Seleucus IV. fato cessit, vix ac Antiochus Epiphanes ejus frater, in Asiam redux, Athenas pervenerat. Demetrius, filius Seleuci, adhuc adolescens, a paterna hæreditate, veniente Epiphane, exclusus est. Ptolemæus Philometor, Rex Ægypti, quem plures Regem postulabant, absistere coactus fuit; Antiochus in Regni possessione solus mansit post lapsum trium cornuum, Seleuci, Demetrii, & Heliodori (40). Versiculum hunc cum ℣. 24. hujus Capitis, & ℣. 9. sequentis Capitis si quis comparet, aliam pariter expositionem commode admittet.

Antiochus tria cornua fregit, coactis ad obsequium tribus Regibus: *Tres Reges humiliavit*, ℣. 24. Opes suas auxit, *& factus est grandis contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem*; Capite VIII. 9. Duo hæc loca in unam eamdemque rem fecri, unum idemque designare cum Oraculo, de quo hic, videntur. Antiochus Epiphanes felicissimo exitu cum Ptolemæo Philometore Rege Ægypti pugnavit. Ægyptum invasit, & nullo negotio subegit (41). Tum victricia arma vertens in Artaxiam, Armeniæ Regem, qui Provincias Orientis in illum sollicitabat, impetu facto fregit hostes, Regemque captivum duxit (42). Denique aggressus est *Fortitudinem*, id est Jerosolymam; Judæam occupavit, ubi fœda illa & impia, de quibus in Libris Macchabæorum, exercuit. Sunt igitur in promptu tria cornua, quæ dejecit; Ptolemæus Philometor Rex Ægypti; Artaxias Rex Armeniæ; & Regnum Dei Altissimi, quod armis aggressus rapuit, in potestatem suam Templum, Urbem, & gentem redigens (43). Vide Caput VIII. 10. 11. 25.

OCULI QUASI OCULI HOMINIS ERANT IN CORNU ISTO. Primo quidem Antiochus optimi Principis personam gessit, mores simulavit populares; sed cum alienam personam diu agere non potuerit, brevi factum est, ut in suorum contemptum veniret (44). Simulatæ clementiæ fuco illos sibi illexit, qui Ptolemæi partes secuti, primo quidem novo Regi parere recusaverant.

OS LOQUENS INGENTIA, superba, audacia, impia. Hujus Oraculi impleta fides constat ex Libris Macchabæorum (45); ejusque veritas potissimum paruit in Edicto illo plane impio, quo Leges reliquarum gentium abrogandas, redigendasque omnes ad Græcorum instituta suscepit (46).

℣. 9. THRONI POSITI SUNT, ET ANTIQUUS DIERUM SEDIT. Deum judicem sensit Antiochus, Sanctorum hostis, qui diræ animadversionis sententiam subiit. Vide 2. Macchab. cap. 6. *Antiquus Dierum* ipse est Deus, æternus vivorum pariter & mortuorum judex. Exhibetur hic Deus sub imagine Principis, qui produci jubet ante se Libros & Commentarios rerum bene vel male gestarum a suis, ut pro merito singulis rependat: *Judicium sedit, & libri aperti sunt* ℣. 10.

℣. 11. ASPICIEBAM PROPTER VOCEM SERMONUM GRANDIUM, QUOS CORNU ILLUD LOQUEBATUR, vel potius *loquutum fuerat*. Intentum me tenuit expectatio videndi, qualemnam pœnam daturum esset cornu ob tot contumelias, quas in Deum evomuerat.

VIDI QUONIAM INTERFECTA ESSET BESTIA; juxta latam ab Antiquo dierum sententiam. Redux e Perside Antiochus, horribili corporis cruciatu correptus interiit. In ipso reditu certior factus est, Judæos jugum recusare, & Judam Macchabæum secundis præliis clarere; quo nuncio furens, juratus affirmavit, eversurum se funditus Jerosolymam, ut ex urbe sepulcrum cæsorum Judæorum fieret (47). Gravem in caput suum Dei manum sensit. Curru enim, quem nimio impetu urgebat, everso, ex lapsu statim interiit. At in eo, quo misere angebatur, cruciatu ad Deum supplex confugere coactus est, simulatæ & inutilis pœnitentiæ lacrymis (48). Quo sublato electæ gentis Rege adversario, successores Principes impares fuerunt, ut malis illos plurimis afficerent. Nequitiam illorum coercuit Deus, arctisque limitibus vires clausit usque ad præstitutum illud tempus, adventui Jesu Christi destinatum. Hæc omnia docet ℣. 12.

℣. 12. ALIARUM QUOQUE BESTIARUM ABLATA ESSET POTESTAS, ET TEMPORA VITÆ CONSTITUTA ESSENT EIS USQUE AD TEMPUS ET TEMPUS. Aliarum bestiarum nomine utique non designantur ii, qui Antiocho præcesserunt; *cornua* namque illa dejecta fuerant illo exoriente. Igitur his designantur Syriæ Reges ejus successores, quibus Deus potestatem ademit vexandi populum, & vitæ ac temporis Imperii spatium contraxit usque ad præstitutum illud tempus, quo venturus erat *Filius hominis cum nubibus Cœli*, ut sequenti versiculo exprimitur, id est usque ad adventum Jesu Christi. Jam ad Libros Macchabæorum (49) animadvertimus, quo pacto sensim Judæi a servitute Regum Syriæ sese subduxerint, & per quos gradus ademerit Deus Principibus hisce vires, quas intemperanter adeo in Judæos exercuerant.

℣. 13. ECCE IN NUBIBUS CŒLI QUASI FILIUS HOMINIS VENIEBAT. Jesus Christus venit in Mundum

(39) Religiosus quidam ex ordine Charitatis in suis epist. MSS. (40) Vide Appian. Syriac. & Usser. ad annum mundi 3829. (41) Vide Hieronym. in Daniel. XI. ubi is verba Porphyrii recitat, hoc probantis ex Callinico Sutore. (42) Appian. Syriac. pag. 117. 131. & Porphyr. apud Hieron. ad Dan. XI. (43) Vide, si placet, Theodoret. ad Dan. VIII. 9. (44) Vide Diodor. in Excerpt. Vales. p. 305. 306. Athen. lib. V. cap. 1. 4. & lib. X. cap. 12. & Usser. ad an. 3429. (45) 1. Macc. I. 23. *Intravit in sanctificationem cum superbia . . . 25. Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.* (46) Ibid. ℣. 44. *Scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus, & relinqueret unusquisque legem suam.* (47) 2. Macc. IX. 4. 5. (48) Ibid. vers. 8. & seq. (49) Vide 2. Macc. IX. 2. 21. 211. & seq.

dum post annos circiter sexaginta post Syriæ Regni excidium (50). Filius hominis innuitur a Propheta, Capite secundo, sub emblemate lapidis sponte evulsi e monte, dejicientis & in pulverem redigentis simulacrum (51). Ita vero hic describitur, ut Prophetæ verba nonnisi secundo illius adventui conveniant. Matth. xxvi. 64. *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus Cæli*.

℣. 14. Potestas ejus potestas æterna. Totus hic versiculus luculenter adeo Regnum æternum Jesu Christi exhibet, ut vividius pingi nequeat. Huc spectare videtur Jesus Christus iis verbis Matth. xxviii. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra*.

℣. 15. Horruit spiritus meus; ego Daniel territus sum in his. Chaldæus (52): *Coarctatus fuit spiritus meus, ego Daniel in medio vaginæ*. Vel: *Spiritus meus contritus fuit in corpore meo*, intra me.

℣. 18. Suscipient autem Regnum sancti Dei altissimi; nobilissimi Sancti Dei, in possessionem Regni venient. Hunc genuinum esse hujus loci sensum, non vero, uti vertit Theodotion, *Sancti Dei altissimi*, ex Chaldæo discimus (53). Duo grandia spectacula Danielem occupabant, quatuor bestiæ, & Antiqui dierum judicium. Primo quidem innuerat Angelus, quatuor illarum bestiarum emblemate quatuor Imperia designari; judicioque Dei Sanctos in possessione Regni fore constituendos. Hæc autem modo latius tradere aggreditur.

℣. 19. Dentes et ungues ejus ferrei. Chaldæus & Græcus: *Dentes ejus ferrei, & ungues ejus ænei*. In versiculis 7. 8. 9. expositio versiculorum 19. 20. 21. 25. continetur.

℣. 21. Bellum faciebat adversus sanctos. Antiochus vexavit armis Macchabæos; fortior illis fuit, totumque furorem in illos exhausit: sed non diu. Summus Judex sedit ad judicium, & iniquissimum hostem damnavit. Jesus Christus apud Matthæum xxiv. 30. 31. iisdem ferme verbis describit ultionem, qua ipse in Judæos hostes suos animadvertet, quos & neci tradet. Venturum se ait in nubibus Cœli, omnibus viribus suis stipatum, ut illos judicet deleatque.

℣. 23. Regnum quartum, quod majus erit omnibus Regnis. Difficile admodum esset demonstrare, Imperium successorum Alexandri Magni, seu opibus seu magnitudine vetustiora Imperia superasse. Chaldæus planius legit (54): *Quod differt ab omnibus Regnis*. Ita verterat Theodotion, & Author Vulgatæ ℣. 7. ubi allatum est discrimen inter quartum hoc Imperium & reliqua superiora. Si quis Vulgatæ literam retinendam maluerit, majores hasce opes accipiet de viribus non directe, sed velut ex obliquo majoribus. Antiochus enim mala inferens Judæis, superavit omnes, majoresque in illos exercuit vires, quam alius quisquam Syriæ Rex antea.

℣. 24. Potentior erit prioribus, et tres Reges humiliabit. Demonstrandum hic non suscipimus, Antiochum Epiphanem opibus vicisse vel Seleucum Nicatorem, Regum Syrorum primum, sive Antiochum Magnum, ejusdem Epiphanis patrem, cui vastam Imperii partem corrasefrunt Romani. Sed odio & potentia in Judæorum perniciem elapsos Reges superavit. Potentior fuisse reliquis non legitur in Chaldæo; qui fert tantummodo (55): *Ipse differt a prioribus*. Tres Reges, quos ipse fregit, supra ℣. 8. designavimus, nempe Selaucum ipsius fratrem, Demetrium ex fratre nepotem, & Heliodorum Regni Syriæ usurpatorem; vel Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti, Artaxiam Regem Armeniæ, & Rempublicam Hebræorum, cui Deus ipse per se regio nomine præest.

℣. 25. Sermones contra excelsum loquetur. Chaldæus (56): *Loquetur ex latere Altissimi*, more accusatoris, qui latus illius, quem accusat, tenet. Symmachus apud S. Hieronymum hic: *Sermones quasi Deus loquetur* Vide ℣. 8.

Putabit quod possit mutare tempora et leges. Antiochus Epiphanes conatus est mutare Leges, mores, sacra, dies festos Judæorum. Vide 1. Macchabæorum 1. 41. 47. 48. 49.

Tradentur in manus ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis. Hisce verbis tres annos & dimidium designari, uno suffragio plerique sentiunt. Solemne est Danieli, *tempus* pro *anno* usurpare; ita e. g. (57): *Septem tempora mutabuntur super* Nabuchodonosorem; id est, septem anni. Similis locutio recurrit apud S. Joannem in Apocalypsi (58), ubi eumdem sensum refert. Josephus in Præfatione ad priorem de Bello Judaico Librum luculenter asserit (59), tribus annis & dimidio cessatum esse a sacrificiis diurnis in Altari offerendis. Cæterum nos ad Libros Macchabæorum demonstrasse putamus, profanationem hanc tres integros annos non superasse (60). Cui conciliando discrimini reputari potest, a lato per Antiochum Epiphanem Edicto, ut gentes omnes Religionem Græcorum sequi cogerentur, usque ad expiatum Templum, spatium intercessisse annorum trium & dimidii; post Edictum vero illud, minori quidem libertate sacrificia illa in Templo Domini oblata fuisse, sed nonnisi per triennium penitus cessasse.

℣. 26. Ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. Chaldeus (61): *Et potestatem ejus auferent ad delendum & perdendum usque in finem*; id est, auferat potentiam, qua abutebatur ad perdendum & evertendum; vel potius, adimet ejus potentiam, & perpetuo exitio tradet. Hęc autem in Antiocho ejusque successoribus omnino impleta fuisse constat.

℣. 27. Magnitudo Regni, quæ est subter omne Cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi: sive uti legit Chaldęus (62): *Detur populo Sanctorum altissimorum Dei*. Hęc oraculi verba ad literam non congruunt. Imperio, quod Deus contulit Macchabæis, eorumque successoribus, qui Rempublicam Judaicam usque ad Jesum Christum gessere. Neque enim par tantis tamque magnificis promissionibus Imperium, aut absolutum vastumque tenuerunt. Unum est Jesu Christi & Ecclesię illius Imperium, quod omnem oraculi vim exęquat & implet.

℣. 28. Hucusque finis verbi. Nec plura tunc Angelus adjecit.

(50) Syriæ Regnum desiisse credimus anno Mundi 3939. quo anno cæsus est Mithridates, & Phœnicia & Cœlesyria in populi Romani provincias redactæ sunt. Vide Usserium. (51) Dan. 11. 44.
(52) אתכרית רוחי אנא דניאל בגו נדנה (53) ויקבלון מלכותא קדישי עליונין Ita & vers. 22. 25. 27.
(54) די תשנא מן כל מלכותא (55) והוא ישנא מן קדמיא (56) ומלין לצד עליא ימלל
(57) Dan. iv. 22. Vide etiam viii. 14. & xii. 7. (58) Apocal. xii. 14. collatum cum xi. 2. & xiii. 5.
(59) Ἀντίοχος ὁ κληθεὶς Ἐπιφανὴς, εἷλε κατὰ κράτος Ἱεροσόλυμα, καὶ κατασχὼν ἔτεσι τρισὶ, καὶ μησὶν ἓξ ὑπὸ τῶν Ἀσαμωναίου παίδων ἐκβάλλεται τῆς χώρας. (60) 1. Macch. iv. 36. 52. (61) ושלטנה יהעדון להשמדה ולהובדה עד סופא (62) Ita Chald. Vide sup. vers. 18.

CA-

CAPUT VIII.

Visio arietis bicornis, & hirci uno cornu instructi; cujus cornu loco quatuor surgunt. Visionem hanc Gabriel interpretatur. Regis insani molimina, victoria, lapsus, exitium.

℣. 1. ANno tertio regni Balthasar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio, 2. Vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai. 3. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & unum excelsius altero, atque succrescens. Postea 4. Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est. 5. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. 6. Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. 7. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem: & comminuit duo cornua ejus, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus. 8. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque crevisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli. 9. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. 10. Et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli: & dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas. 11. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. 12. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. 13. Et audivi unum de sanctis loquentem: & dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio, & juge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? 14. Et dixit ei: Usque ad vesperam, & mane, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium. 15. Factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. 16. Et audivi vocem viri inter Ulai, & clamavit, & ait: Gabriel, fac intelligere istum visionem. 17. Et venit, & stetit juxta ubi ego stabam: cumque venisset, pavens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. 18. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: & tetigit me, & statuit me in gradu meo, 19. Dixitque mihi: Ego ostendam tibi, quæ futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum. 20. Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est, atque Persarum. 21. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. 22. Quod autem fracto illo, surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. 23. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones. 24. Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum 25. Secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu ejus: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. 26. Et visio vespere, & mane, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. 27. Et ego Daniel langui, & ægrotavi per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat, qui interpretaretur.

℣. 1. ANNO TERTIO REGNI BALTHASAR. Caput hoc Hebraice scriptum est; superius vero Chaldaice. Tertius hic est annus initi a Balthasare Regni.

℣. 2. CUM ESSEM IN SUSIS CASTRO, QUOD EST IN ÆLAM REGIONE, Latini quidam Codices ferunt (1): *In Ælam civitate*. Ita etiam Symmachus verterat. Plerumque in Scriptura tribuitur Susis nomen Palatii (2), quod ibi Regum Chaldææ ædes essent. Reges Persidis post Cyrum ibi, pro consueto more, aliqua anni parte versabantur; quin & perpetuam ibidem fixisse sedem Darium Hystaspis, ejusque Successores, opinamur. Urbem hanc, inquit Plinius l. 6. c. 27. *Susarum reparavit ornavitque Darius Hystaspis, qui sedem ibi suam constituit*. Urbs erat regionis Ælam, sive Elymaidis, cujus & Metropolis creata est, ex quo Reges Persidis sedem in illa fixerunt, eamque accessionibus plurimis ornarunt (3). Qui illam subjecit, & Regno Chaldæorum addixit, non alius fuisse videtur a Nabuchodonosore (4). Regionem Ælam inter illas recenset Jeremias, quæ inebriandæ erant vino furoris Domini, a Rege Nabuchodonosore porrecto (5). Fatis functo Balthasare, Susæ & Elymais ad Cyrum facile desciverunt. Sed Darius Medus utramque redegit in potestatem, Urbemque diripuit, quemadmodum discere videmur ex gemino carmine Æschyli, quod de Dario Medo explicatur (6). Postremos vitæ suæ annos Susis egisse Daniel creditur. Sepultum in Chuzestan, Metropoli regionis Ælam, ibique sepulcrum ejus monstrari, asserit Beniamin (7). Susas Danielem contendisse, ad invitendum Mardochæum & Estherem, P. Harduinus (8) suspicatur; ratus Assuerum, Estheris virum, patrem fuisse Darii Medi, qui Regi Balthasari successit. In his plane conjecturis a reliquis Chronologis toto Cœlo aberrat.

SUPRA PORTAM ULAI amnis. Hebræum *Ubal*, quod hic redditur *porta*, & ℣. 3. *palus*, juxta plerosque nostrates Interpretes (9) sonat *fluvium*. Symmachus hic reddit *paludem*. Sed quæ versio *fluvium* reddit, omnium probatissima est. *Ulai* ipse est Eulæus amnis, Geographis notus, qui Susianam ab Elymaide distinguit (10). Ad hunc amnem Daniel visionem hanc spectavit; quemadmodum & alteram ad Tigrim (11); & Ezechiel ad Chaboram (12). Amabant Prophetæ occultos recessus, & loca ab urbibus remota.

℣. 3. ARIES UNUS STABAT ANTE PALUDEM, HABENS CORNUA EXCELSA, ET UNUM EXCELSIUS ALTERO. Reddi potest Hebræus (13): *Aries stabat ante fluvium*. Aries iste, uti Gabriel exposuit infra XI. 20. ipse erat Rex Persidis & Mediæ, Cyrus, Imperii Medo-Persici primus Author, qui maternum genus ex Media per Mandanem, & paternum ex Perside per Cambysem referebat. Dario Medo, alio nomine Cyaxari vel Astyagi, in Medorum Imperio successit, cum antea Persis tantummodo imperaret. Duo hæc Regna Persarum & Medorum, uni eidemque commissa, duobus erectis cornibus arietis facile designantur; e quibus illud, quod Persidem referebat, præ illo, quod Mediam, altius emicabat. Vel forte duo cornua duo sunt rami successorum Cyri (14). Sublato enim Cambyse, ejus filio, Imperium transiit ad Darium Hystaspis, mansitque ejus posteris usque ad Darium Condomanum, filium Arsanis, quo armis Alexandri Magni victo, Persarum quoque Imperium cum illo cecidit.

Porro secundum istud cornu, Imperium hoc Persarum, vel, si mavis, ramus alter successorum Cyri ex Dario Hystaspe, qui alienus erat a familia Cyri, prætertos Reges longe superavit. Victricia arma ad Scythiam usque, & maris Ægæi Insulas, Darius provexit. Xerxes ejus filius, expeditione in Græciam suscepta, specimen exhibuit Principis omnium in toto Orbe potentissimi. Stupens enim narrat Historia prodigiosum belli illius apparatum, cui simile nullum hactenus spectatum fuerat. Sunt qui credant, cornu illud cætera superans designare Darium Condomanum, Regum Persarum ultimum, cui potentia & opibus ipse pariter Cyrus multo inferior fuit (15). Constat utique, in Arietem hunc, insignem cornibus, impetum ab hirco factum fuisse; Alexander vero in Darium Condomanum invectus fuit.

℣. 4. POSTEA VIDI ARIETEM CORNIBUS VENTILANTEM CONTRA OCCIDENTEM, ET CONTRA AQUILONEM, ET CONTRA MERIDIEM. S. Hieronymus, ratus Arietem hunc plane alium esse ab Ariete versiculi superioris, supplevit illud *Postea*, quod in Hebræo deest. Idem est autem Aries uno celsior cornu, quod & *succrescebat*, qui quatuor Mundi partes cornibus petit. Non suppetit quidem nobis ratio, qua demonstremus, Darium Condomanum partes Occidentis, Septemtrionis, & Austri re ipsa lacessisse armis; regnavit enim biennio pacificus: illum altero anno regnantem, & antequam quidquam moliretur alicujus momenti in finitimos, Alexander Magnus aggressus fuit. Sed reputandum non est, unum tantummodo Principem exhiberi hic a Daniele sub emblemate *Cornu insignis*. Designat enim omnes Cyri successores sub unius nomine; omnibus enim unum erat idemque propositum, unum consilium. Cambyses in Ægyptios atque Æthiopes arma tulit, Darius Hystaspis a Græcis petiit terram & aquam, quos recusantes vi cogere ad Imperium meditatus est. Scythas invasit; bellumque ad redigendam Ægyptum novas res molientem paraverat. Vasta patris consilia prosequuturus, & expleturus filius ejus Xerxes, movit in Ægyptum, quam & ad Imperium coegit. Immensas plane copias duxit in Græciam, nihilque ex irrito illo conatu relatum est, nisi ut major fomes præberetur odio & simultati inter eas gentes, bellum traheret in Asiam, ac denique excidium Imperii Persarum urgeret. Scopus igitur potissimus ambitionis Regum Persidis, & theatrum bellorum ab illis gestorum fuit Septemtrio quoad Scythicam expeditionem; Occidens quoad Græcam; quoad Ægyptiacam meridies; atque ita factum est, ut tres Mundi partes aries iste cornibus peteret.

℣. 5. ECCE AUTEM HIRCUS CAPRARUM VENIEBAT AB OCCIDENTE .... ET NON TANGEBAT TERRAM. His verbis exprimitur, qua celeritate Alexander Magnus vicerit. Si quis conferat expeditionum ipsius numerum cum brevitate Regni, vix in animum induxerit, fieri potuisse, ut unus idemque vir tantum terræ spatium tam brevi peragrarit. Viginti natus annis cum successisset Philippo Macedoni (16) patri suo, communi Græcorum omnium assensu, exceptis Lacedæmonibus, Dux belli Persici renunciatus est. Altero anno movit e Macedonia cum triginta millibus circiter peditum,

(1) Vide nov. Edit. S. Hieronymi tom. 1. pag. 1069. (2) בשושן הבירה Theod. Ἐν Σούσοις τῇ βάρει. Vide 2. Esdr. 1. 1. (3) Vide Strabon. lib. 15. (4) Jerem. XLIX. 34. 35. & seq. (5) Vide Jerem. XXV. 25. (6) Æschyl. Vide Marsham. sæcul. 18.
Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ.
Τὸ δ' αὖ Σύσων [illegible].
(7) Beniamin Tudel. Itiner. pag. 75. (8) Harduin. Chronol. vet. Test. (9) Xantes, Montan. Jun. & Tremel. Piscat. Munst. L'Emper. אובל a יבל seu הוביל, unde יובל fluvius. Jerem. XVII. 8. Isai XXX. 25. & XLIV. 4. (10) Vide Plin. lib. VI. cap. 27. (11) Dan. X. 4. (12) Ezech. 1. 1. (13) עמד לפני האובל (14) Ita Theodoret. hic. (15) Vide infra vers. 40. & seq. & cap. XI. 2. & Grot. hic. (16) Vide Usser. ad an. M. 3668. 3669. & seq. Et ibid. Authores ab eo laudatos.

tum, & equitum quatuor millibus, secum ferens talenta argenti vix septuaginta, ob militum stipendium, nempe centum sexaginta octo millia librarum Gallicarum, sumptis bis mille quadringentis libris in singula talenta; adjecitque unius mensis annonam. Hoc apparatu profectus est ad excidium Imperii Persici, omnium eo usque validissimi ac formidandi. Minus autem quam quadriennio (17) omnes vastissimi hujus Imperii regiones subegit, ubique hostes vicit fugavitque. Post Darii obitum, Alexander annos non ultra sex, & menses decem vixit. Quo temporis intervallo tot provincias percurrit, tam multas subegit, vicit tot prælia, ut historiæ hæc narranti ægre fidem habeamus. Hircus iste, *qui veniebat ab Occidente*, idem plane est ac venter æneus simulacri (18), & Pardus Capitis superioris (19). Profecto Chaldææ & Susis Macedonia & Græcia sunt Occidentales.

Habebat cornu insigne inter oculos suos. Cornu istud unicum esse videtur Alexander, cujus Imperii hæres ex asse nemo fuit; vel qui victoriarum suarum gloriam nemini communicavit. Vel denique, cornu istud, inter oculos eminens, designat animi strenuitatem, vigilantiam, industriam, sedulitatem. Solemne erat Alexandro, exhibere se in imaginibus arietinis cornibus ornatum; satum enim se jactabat ex Jove Ammone, qui arietina cornua in capite gerebat. Vulgari Orientalium sermone, cornu robur, magnitudinem, Imperium, gloriam designabat.

℣. 6. Et venit usque ad Arietem ... et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. His coloribus pictum Alexandrum facile agnoscas. Fusis ille Ducibus Darii, ad vada Granici, omnem vertit curam, ut cum Dario ipso confligeret; commissoque ad Issum prælio, plenam victoriam retulit. Darius proripuit sese in remotissimas ditionis suæ partes; cumque, nullo dato respirandi spatio pone sequutus Alexander, tandem assequutus est, & secundo prælio vicit ad Arbela. Ibi accidit, *ut veniret usque ad Arietem cornutum: & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ: & percussit Arietem, & comminuit duo cornua ejus; cumque eum misisset in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare Arietem de manu ejus*. Verba sunt hæc ℣. 7. vivisque coloribus & ad oculos exhibent fortitudinem, strenuitatem, & intrepidum Alexandri animum, sed nihil habent de clementia hujus Principis, & teneris illis pietatis sensibus, quibus misertus fuit mortui hostis casum, & necessariorum Darii, qui sibi cesserant captivi. Idcirco autem hæc silet, quod unum hic Spiritus Sancti propositum sit, ut exhibeat certamen Arietis & Hirci; lapsum unius, & alterius victoriam. *Duo cornua* Arietis sunt bipartitum Imperium Persarum & Medorum, uni commissum.

℣. 8. Factum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua subter illud. Obiit Alexander post duodecim Regni, & duos supra triginta vitæ annos (20). *Cornu* istud *insigne* confractum est non tamen externo impetu. *Orta sunt quatuor cornua subter illud*, id est, quatuor Reges Provincias Imperii illius inter se diviserunt. Ptolemæo contigit Ægyptus; Antigono Asia; Seleuco Babylonia, cui deinde Syria accessit; Antipatro Græcia. Vastum Alexandri Imperium primo quidem in plures Præfectos distributum fuerat; sed quatuor hisce tantum mansit Regis nomen, qui hæreditatem Regni ad posteros transmisere. Quatuor hæc cornua supra designantur emblemate Danieli per visum exhibito c. 7. 6. quatuor alarum, & quatuor Capitum Pardi. Porro Daniel ubicumque meminit variorum Imperiorum ante adventum Messiæ, nullum spectat attentius, quam duo Regna Ægypti & Syriæ, inter quæ sita erat Judæa, & quibuscum illa majorem habuit rerum conjunctionem.

℣. 9. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum. Theodotion vertit (21) *Cornu validum*. Sed Capite vii. 8. eamdem Chaldæam vocem reddiderat: *Cornu modicum* (22), quæ genuina est vocis significatio. Est autem modicum cornu Antiochus Epiphanes, Antiochi Magni filius.

Factum est grande contra meridiem, et contra Orientem, et contra Fortitudinem. Magnam sibi gloriam Antiochus Epiphanes peperit ex bello in Philometorem Regem *meridiei*, vel Ægypti, & in *Artaxiam* Regem Armeniæ, quæ Orientalis terma est Susis, ubi Daniel scribebat (23). Denique altius se extulit *contra Fortitudinem*, vel in exercitum Domini, & Gentem Judaicam, uti non obscure exprimitur ℣℣. 10. 11. 13. 24. ubi *fortitudo* usurpatur pro Gente Judæorum, cui Deus Regem se, patronum, & præsidium esse profitetur. Locus hic convenit cum ℣℣. 8. & 28. Capitis vii. in quibus idem occurrit. Reddi potest Hebræum (24): *Factum est grande vehementer contra meridiem, contra orientem, & contra pulcritudinem*; terram nempe adeo eximiam & amœnam. Non semel in Scriptura nomen *terræ pulcritudinis*; seu *desiderabilis*, regioni Israeliticæ tribuitur (25).

℣. 10. Magnificatum est usque ad fortitudinem Cœli, et dejecit de fortitudine et de stellis. Extulit cornu usque ad exercitus Cœli, & deturbavit multos, qui perinde ac sydera ex alto micabant. Tanta verborum vi ac sublimitate exprimitur indictum ab Epiphane bellum in populum Dei, in Sacerdotes Domini, ejusque Leges & Templum. *Fortitudo Cœli* est gens sancta, quæ Deum habet Regem. *Stellæ Cœli*, quas dejecit immane illud cornu, sunt ex Judæis & Sacerdotibus ii, qui id commiserunt, ut impii Tyranni jussionibus obsequentes, Religionem suam ejurarent (26). Sancti, justi, viri docti sæpe in Scriptura cum stellis astrisque comparantur (27).

℣. 11. Usque ad Principem fortitudinis magnificatum est; id est, erexit sese usque ad hujus exercitus Principem, Deo ipsi quodammodo prævalere visus est; nam & Templum profanavit, polluit Altare, interrupit sacrificia, expilavit ærarium, ministros necavit, populum pervertit, fideles exagitavit, abolevit Leges, atque ethnicas superstitiones in Urbe, totaque regione constituit.

℣. 12. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata. Hebræus ad literam (28): *Exercitus datus est ei contra juge Sacrificium ob scelus*. Exercitus Cœli, de quo ℣℣. 10. & 11. (29), traditus est Antiocho, in pœnam jugis Sacrificii non rite oblati. Quid criminis ea in re commissum sit a Sacerdotibus, silet historia; quamquam meminit simultatis inter Sacerdotes, & ambitionis Jasonis, qui supremam

(17) Ab anno Mundi usque 3670. quem in Asia egit, usque ad 3674. quo mortuus est Darius Codomannus. (18) Dan. ii. 39. (19) Dan. vii. 6. (20) Vide, si lubet, Usser. ad an. M. 3681. pag. 399. & 400. (21) Κέρας ἓν ἰσχυρόν. Hebr. יצא קרן אחת מצעירה (22) Dan. vii. 8. קרן אחרי צעירה Theodot. Κέρας ἕτερον μικρόν. (23) Si locum quæris omnino orientalem Syriæ, oraculum hoc ad bellum refer, quod in apud Cilices gessit, in Tharsum & Mallotham urbes, quæ defeciverant (Vide 2. Macch. iv. 30.) vel ad bellum adversus Regum Ægyptiorum Duces, in Cypro Insula. (24) הגדיל יתר אל הנגב ואל המזרח ואל הצבי (25) Ezech. xx. 6. 15. Jerem. iii. 19. Vide & Dan. xi. 16. 41. & 2. Reg. i. 19. (26) Vide 1. Macch. i. 43. 55. & sequ. Et 2. Macch. iv. 14. & seqq. (27) Genes. xxii. 17. xxvi. 4. Exod. xxxii. 13. Deut. i. 10. 1. Par. xxvii. 23. Eccli. xliii. 23. Dan. iii. 36. & xii. 3. Matth. xxiv. 29. Marc. xiii. 25. Apoc. vi. 13. viii. 12. (28) וצבא תנתן על התמיד בפשע (29) Ita Vatab. Jun. Pisc. Polan.

sacrorum dignitatem, pulso Onia fratre, invesit. Jason ab Antiocho Epiphane (30) facultatem obtinuerat Gymnasii Jerosolymis erigendi, suisque Civibus Antiochenam civitatem emeret, omnemque movit lapidem, ut illos ad leges moresque Græcorum, suis abrogatis, induceret. Eo tempore factum est (31), *ut Sacerdotes jam non circa Altaris officia dediti essent, sed contempto Templo, & Sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis ejus injustæ*. Hoc igitur peccatum est Sacerdotum, & sacrorum negligentia, de qua Deus queritur, & quam severa adeo Antiochi armis punit. Neque enim in Judæos exarsit Antiochus, nisi post priora hæc crimina a Sacerdotibus commissa. Vide 2. Macch. v. 4.

Prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur; id est, suscipiet omnia, & nihil infeliciter. Veritas, sinceritas, & in promissis verbisque fides non semel violeta fuit tum a summis Sacerdotibus Jasone, Menelao, Lysimacho, cum ab Antiocho ejusque Ducibus, Summi Sacerdotes illi ingenium omne & artes contulerunt, addideruntque his dolum, mendacium, calumniam, pecuniam, munera, ut se mutuo perderent, & fœde emptam summam dignitatem sibi asserent. Apollonius, (32), cui Urbem Jerosolymam gubernandam Antiochus dederat, venit in Urbem, opperiensque diem sabbathi, inermem, nihilque metuentem populum trucidavit.

Onias Pontifex legitimus, inique a Sacerdotio pulsus, receperat sese Antiochiam, ut jus suum defenderet, urgeretque pœnam furtorum & sacrilegiorum Menelai. Cum tamen inimicorum opes viresque metueret, in asylo Daphnes sese continabat; at Menelaus, usus Antiochi absentia, qui obsequii aliquid & amoris erga Oniam retinebat, Andronicum Regis Ministrum in Oniæ interitum incitavit. Igitur Andronicus venit Daphnan, manumque porrexit Oniæ, argumentum pacis & amicitiæ, jureto spondens, nihil se gravius in illum illaturum; sed vix incautus ex asylo prodiit, neci eb Andronico, perfido justitiæ & fidei violatore, traditus est. *Cum venisset ad Oniam, & datis dextris cum jure jurando suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam* (33). Immane illud facinus horruere Judæi, & ipsi etiam Ethnici; idque audiens Antiochus flevit; extremoque supplicio in interfectorem Andronicum animadvertit. Fœdum hoc, turpe, & perfidum crimen in eo, quem modo versamus, loco facile damnatur; tunc enim accidit, ut veritas humi prosterneretur, & sinceritas conculcaretur. Altero abhinc anno, Antiochus Jerosolymam ingrediens, flagitia statim describenda commisit.

℣. 13. Dixit unus sanctus alteri nescio cui (34). Explicationem eorum, quæ per visum spectabit Daniel, unus Angelus ab altero requirebat (35). Nihil hic moramur quæstionem, quo pacto Angeli sese mutuo doceant, utrum visionum propheticarum interpretatione indigeant. Accommodat se Deus non raro ingenio illorum, quibus mysteria sua referat. Angelus socium interrogat, ut Danieli procuret explicationem eorum, quæ per visum spectaverat.

℣. 14. Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti: et mundabitur Sanctuarium; usque ad vesperam & mane fluent dies bis mille trecenti, & Sanctuarium mundabitur. Verba hæc, *usque ad vesperam & mane*, designant, dies hosce vulgares fuisse ex nocte & luce, pro consueta diei Hebraici ratione, qui incipit a vespera, & in quo nox diem præcedit. *Factum est vespere & mane dies unus*, ait frequenter Moyses in Genesi 1. 5. 8. 13. Dies bis mille trecenti reddunt sex annos & dimidium, quot fluxerunt ab anno 143. Græcorum, quo Antiochus Jerosolymam occupavit (36), usque ad annum ipsius amortualem 149. (37). Paulo antea Judas Macchabæus expiavit Templum, restituitque exercitium Religionis, & Sacrorum oblationes (38). Nec Sacrificia statim anno 143. cessavera; aliquandiu enim in sacro munere perseveratum est. Sed Antiochus hoc anno irrupit in Templum *cum superbia*, amoto Altari, Candelabro aureo, Mensa Panum propositionis, vasis sacris omnibus, & sacri Templi thesauris (39). Tunc recte dixeris pollutum fuisse Templum, nec servari ulterius potuisse, uti antea semper, ordinem sacrorum ac religiosi ministerii, quod sacra vasa direpta fuerint. At Sacrificia non cessarunt penitus, nisi triennio post, idest anno 145. (40) Seleucidarum; & Templum Antiocho permissum est tribus annis & dimidio, ex lato supra vaticinio (41): *Tradentur in manu ejus, usque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*. Tres isti anni cum dimidio, additi triennio vexationis quæ præcessit, conficiunt dies bis mille trecentos, de quibus hic (42). Symmachus legit bis mille quadringentos.

Tradit S. Hieronymus, legi hic a quibusdam bis mille ducentos dies, ut vexationis Judaicæ nonnisi sex circiter annos numerent; dies enim solidi bis mille trecenti non conficiunt nisi annos sex cum tribus mensibus, additis diebus decem & octo pro nostra numerandi ratione, quæ dies trecentos sexaginta quinque singulis annis tradit. Si quis vero lunarem annum teneat, cujus periodus trecentis quinquaginta & quatuor diebus conficitur, huic dies bis mille trecenti reddent sex annos & dimidium. Quæ tamen ratio fuerit anni Chaldaici, a Daniele servati, ignoratur.

℣. 16. Audivi vocem viri inter Ulai, et clamavit, et ait: Gabriel, fac intelligere. Ulai, uti animadvertimus, ipse est amnis Euræus, qui Susianam perluit. Vir loquens *inter Ulai*, id est, ab Insula in medio amnis, est Dei Filius (43), mandans Gabrieli, ut abditum visionis illius mysterium Danieli pandat. Verum Hebræi, S. Hieronymus, & alii ex Interpretibus censent, Angelum, qui spectandum se Vati præbuit, quique imperavit Gabrieli, ut visionem explicaret, non alium esse ab Archangelo Michaele (44).

℣. 17. In tempore finis complebitur visio; visio hæc implebitur, cum tempus præstitutum absolutum fuerit. Hebræus (45): *Ad tempus, finis visionis*. Visioni huic suus erit finis, implendæ tempus præstitutum; neque enim ex illis est, quarum implendarum tempus sit incertum, utpote quæ certis conditionibus alligantur. Visio est stata, certa, & determinata (46). Grotius sic explicat: *Ad tempus differtur implementum hujus visi*. Idem est ac inferius illud (47): *Visionem signa, quia post multos dies erit*.

℣. 19. Quæ futura sunt in novissimo maledictionis. Hebræus (48): *In novissimo iræ*. Præstituto eo tempore, quo Deus flagellum in populum suum prius, tum in adversarios excutiet.

℣. 20. Aries, quem vidisti ..... Rex Medorum

(30) 2. Macchab. iv. 7. 8. 9. 10. Vide & 1. Macc. I. 11. 15. (31) 2. Macch. iv. 14. (32) 2. Macch. v. 24. 25. (33) 2. Macch. iv. 32. 33. 34. (34) ויאמר אחד קדוש לפלמוני Septuag. Aquil. Theod. Τῷ φελμουνί, Sym. τινὶ ποτε. (35) Hieron. hic, & Theodoret. & alii passim. (36) 1. Macch. i. 21. (37) 1. Macch. vi. 16. (38) 1. Macch. iv. 52. (39) 1. Macch. 1. 23. (40) 1. Macch. 1. 54. 55. & sequ. Item. ℣. 12. 31. & sequ. (41) Dan. vii. 25. (42) Vide Usserium in annum Mundi 3834. & 3837. & 3839. 3840. (43) Theodoret. Isidor. (44) Hieronym. & apud illum Hebræi, Grot. Lyr. Gloss. Interlin. Sanct. (45) כי לעת קץ החזון (46) Vide ℣. 10. כי למועד קץ (47) ℣. 26. Vide & ℣. 19. כי למועד קץ (48) אשר יהיה באחרית הזעם Theodoret. Ἐν ἐσχάτου τῆς ὀργῆς.

DORUM ERAT, ATQUE PERSARUM. Hebræus (49): *Aries, quem vidisti habentem cornua, sunt Reges Medorum atque Persarum*. Ariete hoc exhibetur sive totum Imperium, sive tota series Regum Medo-Persarum. Seu potius, Arietis hujus *cornua* Reges Persarum sunt, atque Medorum. Vide versiculos 3. 4.

℣. 21. HIRCUS ..... REX GRÆCORUM EST. Hebræus מלך יון *Rex Javan*. *Javan* proprie Græcos designare probavimus ad Genesim, x. 2. 3. Hujus autem nominis *Javan* vestigia quædam soli ex omnibus Iones servavere. Vide quæ animadvertimus ad ℣. 5. de *Hirco*, qui Alexandrum Magnum designat.

℣. 22. QUATUOR REGES DE GENTE EJUS CONSURGENT. Hebræus (50): *Quatuor Regna de gente ejus stabunt*. Non paternum quidem ex illo genus referent, non sanguine, nec genere conjungentur, sed nationis tantum erunt ejusdem, Græci omnes. Quatuor hæc Regna sunt Ægyptus, Syria, Asia, Macedonia, quæ condidere Ptolemæus, Seleucus, Antigonus, Antipater. Vide ℣. 8.

NON IN FORTITUDINE ejus. A fortitudine, bellica virtute, potentia Alexandri longe aberunt.

℣. 23. POST REGNUM EORUM, CUM CREVERINT INIQUITATES, CONSURGET REX IMPUDENS FACIE. Post Regnum septem Regum Syriæ, æquata jam mensura criminum nequissimorum Judæorum (51), & sacrilegorum Sacerdotum, Deus producet Antiochum Epiphanem, in quo duo hæc notat Scriptura, impudentiam, & vim ingenii ad propositionum abdita pervadenda: *Intelligens propositiones*. Hebræus (52): *Intelligens ænigmata*. Ex Historiis discimus, Antiochum ad vilissima quæque, fœdissima, & Regia Majestate plane indigna animo inclinasse. Vide quæ de illo narrant Athenæus (53), Diodorus Siculus (54), Polybius (55), S. Hieronymus (56), & quæ nos ad Libros Macchabæorum (57). Ubi nos *impudens*, Hebræus legit (58): *Fortis facie*; quo designari potest frons ænea, & ad omne facinus parata; sive homo sævus, ferus, immitis, quem nihil flectat; austerus facie, sive oris habitus aspernanti similis, & impudenti. Antiochum *sævum & iracundum* Ammianus Marcellinus libro XXII. appellat.

Scientia ænigmatum; quam Daniel hic Antiocho vindicat, est ingenium viri callidum & vafrum, quo cum ille abusus fuerit, in deteriorem partem hic accipi necesse est. Versutæ hujus indolis argumenta tunc potissimum exhibuit, cum pravis artibus adscivit sibi Imperium, Philometori adolescentulo, fororis filio, debitum, amicitiam & tutelam simulans (59). Exhibuit pariter, ubi duo inter se fratres, Philometorem & Evergetem, commisit, ut utroque mutuis infestissimisque bellis infirmato, & victorem & victum facilius opprimeret. Idem pariter ingenium prætulit, cum per Duces & Præfectos copiarum primo dolis, deinde vi Judæos aggressus subegit (60).

℣. 24. ROBORABITUR FORTITUDO EJUS, SED NON IN VIRIBUS SUIS. Nemo quidem affirmaverit, Antiochum Epiphanem sive prudentia, sive animi virtute, seu viribus magnum aliquid unquam molitum fuisse. Syriæ solium ope Regum Eumenis & Attali occupavit, qui, pulso Heliodoro, Ptolæmei Philometoris factionem dissipavere. Ægyptum quidem subegit; sed res illi fuit cum puero, ab Eunuchis enutrito, consilio, experientia & viribus destituto. Armis tentatam cepit Jerosolymam, Templum diripuit, insectatus est Judæos; sed quantæ virtutis est, urbem capere minime munitam. Templum diripere, a Sacerdote patriæ ac Religionis proditore traditum; populum sine duce, sine ope, imbellem trucidare? Reddi potest Hebræus (61): *Roborabitur, sed non usque ad fortitudinem* Alexandri: eodem fermé sensu ac versiculo 22. legitur. *Quatuor Reges de gente ejus exurgent, sed non in fortitudine ejus*.

℣. 25. CONTRA PRINCIPEM PRINCIPUM CONSURGET; contra Deum, quem contumeliis, sacrilegiis, sceleribus, rerum sacrarum profanatione & piorum vexatione aggredietur.

SINE MANU CONTERETUR. Cadet, non hominum manu, sed a Deo percussus; misera enim morte peribit, atque in ipso moriendi articulo sese ob crimina juste puniri agnoscet (62): *Cœpit ergo gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga; per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus ..... ita ait: Justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire* (63).

Græcus legit (64): *Dolo corrumpet multos; & super perditione multorum stabit; quasi ova manu conteret*: Gemina habet Theodoretus; sed post illud, *super perditione multorum stabit*, addit: *Et surget in Principem Principum*; quæ pariter verba in pluribus Græcis Codicibus recurrunt.

℣. 26. VISIO VESPERA ET MANE: visio vespertina & matutina, seu potius visio, qua reseratum est tibi mysterium rerum implendarum certa periodo dierum, constantium ex vespere & mane, vel ex nocte & die. Denique ea quæ de periodo duorum millium & trecentorum dierum narrata sunt tibi, ℣. 14. Vel denique: *Hic finis est visionis dici illius*.

TU ERGO VISIONEM SIGNA, QUIA POST MULTOS DIES ERIT. Solemne erat Prophetis, adscriptiones dierum addere vaticiniis, eaque palam populo recitare, præsertim quæ brevi implenda expectabantur. Sed Danielem hic monet Angelus, ut vaticinium suum sibi condat, muniatque sigillo, ut moris est in epistolis. Quid indicaret sigillum, docet S. Hieronymus hic: *Ex verbo*, ait, *ostendens signaculi obscura esse quæ dicebantur ..... nec posse ante intelligi nisi rebus & operibus impleantur*.

℣. 27. FACIEBAM OPERA REGIS. Munerum, quæ olim gesserat Daniel, partem saltem aliquam sub Balthasare tenuerat. Ex superioribus (65) animadvertere licuit, commissam sibi a Nabuchodonosore habuisse præfecturam Provinciæ Babyloniæ; a Balthasare, ut res Susianas curaret, destinatus fuerat.

STUPEBAM AD VISIONEM, ET NON ERAT QUI INTERPRETARETUR. An non satis disertam hujus interpretationem ab Angelo Gabriele acceperat (66)? Hebræus legit (67): *Et non erat qui sciret*. Nemo hominum norat causam admirationis hujus & deliquii (68); seu potius: Cum Angelus Gabriel interpretationem suam absolvisset; ego mente confusus adhuc & turbatus hærebam; nam caligine quadam obsita hæc mihi tradebantur, ut clarum earum aspectum adhuc mihi desiderarer. Porro ita natura comparata sunt vel clarissima quæque vaticinia, ut ante eorum exitum tenebris semper & caligine tegantur.

(49) האיל ... בעל הקרנים מלכי מדי ופרס (50) ארבע מלכיות מגוי יעמדנה (51) Vide 1. Macc. I. 12. & 2. Macc. III. IV. (52) מבין חידות Συνιῶν προβλήματα. (53) Athen. l. v. c. 4. & lib. x. c. 12. (54) Diodor. Sicul. in excerptis Valesii pag. 322. (55) Polyb. apud Athen. lib. citat. (56) Hieron. in Dan. XI. (57) 1. Macc. l. 11. III. 30. (58) עז פנים Theodot. Ἀναιδὴς προσώπῳ. Vide Deut. XXVIII. 50. Prov. VII. 13. Eccle. VIII. 1. (59) Vide Liv. lib. 44. & 45. Polyb. Legat. Usser. ad an. M. 3835. 3832. Et Vaillant Hist. Reg. Ægyp. (60) Vide 1. Macc. I. 31. 34. & 2. Macc. V. 24. & Joseph. Antiq. lib. XII. c. 7. Polyb. Strabon. Nicol. Damasc. &c. Apud eumdem l. 2. contra Appion. (61) עצם כחו ולא בכחו (62) 1. Macc. VI. 10. 11. 12. &c. & 2. Macc. (63) 2. Macc. IX. 11. 12. (64) Δόλῳ διαφθερεῖ πολλοὺς, καὶ ἐπὶ ἀπωλείᾳ πολλῶν στήσεται, καὶ ὡς ᾠὰ χειρὶ συντρίψει. (65) Dan. II. 49. (66) A ℣. 20. usque ad ℣. 27. (67) ואין מבין Theodot. Καὶ οὐκ ἦν ὁ συνιῶν. (68) Maldon. Vat. Grot. &c.

CAPUT IX.

Danielis oratio. Tempus Messiæ adventui & exitio Jerosolymæ destinatum prædicit Gabriel, periodum scilicet LXX. hebdomadum, ex annis constantium.

℣. 1. IN anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum: 2. Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. 3. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in jejuniis, facco, & cinere. 4. Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro, Domine Deus magne, & terribilis, & custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. 5. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis. 6. Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. 7. Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, & habitatoribus Jerusalem, & omni Israel, his, qui prope sunt, & his, qui procul, in universis terris, ad quas ejecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. 8. Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt. 9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus a te: 10. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. 11. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam, & stillavit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei. 12. Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale numquam fuit sub omni cœlo, secundum quod factum est in Jerusalem. 13. Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos: & non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam. 14. Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos: justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus. 15. Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de Terra Ægypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccavimus, iniquitatem fecimus. 16. Domine, in omnem justitiam tuam: avertatur obsecro ira tua, & furor tuus a civitate tua Jerusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Jerusalem, & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. 17. Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi tui, & preces ejus: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum. 18. Inclina, Deus meus, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & civitatem, super quam invocatum est nomen tuum: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. 19. Exaudi, Domine, placare, Domine, attende, & fac; ne moreris propter temetipsum, Deus meus: quia nomen tuum invocatum est super civitatem, & super populum tuum. 20. Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. 22. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. 23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. 25. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum du-

cem,

cem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

℣. 1. IN ANNO PRIMO DARII FILII ASSUERI, DE SEMINE MEDORUM. Idem est Darius Medus, de quo supra cap. 5. 31. quique Balthasari Regi Chaldæorum successit. Primus Darii hujus annus, si cum primo Cyri Babylone regnantis concurreret, uti vulgaris opinio fert, anxium ubique Danielis animum non tenuisset finis septuaginta annorum desolationis Jerosolymæ, a Jeremia prædictæ; cum idem ipse annus Cyri finem imposuerit diuturnæ populi Dei captivitati: idemque fuerit primus Cyri annus, & postremus septuaginta annorum desolationis. Sed ex capite proximo constabit, primum hunc Darii annum concurrere cum tertio Cyri in Persis regnantis, adeoque plurimum adhuc superfuisse ex periodo annorum septuaginta captivitatis, quæ cum priore anno Cyri Babylone regnantis absolvenda erat.

℣. 2. INTELLEXI IN LIBRIS NUMERUM ANNORUM, DE QUO FACTUS EST SERMO DOMINI AD JEREMIAM. Sacros Scripturarum Codices, & præsertim Jeremiæ oracula Daniel sibi in captivitate servaverat, & ex iis didicerat vaticinium ferens futurum (1), ut universa regio Juda vastaretur, ac gens tota in servitute Babylonica totis septuaginta annis maneret; quibus evolutis, visitante Deo regionem Babylonicam, illam in æternam solitudinem redigendam fore. Norat Daniel, oracula quædam esse, quæ conditionibus adstringuntur (2), quorum expletio ex eo pendet, si in fide stabiles permaneant illi, quibus oraculum favet. Metuebat ille, ne fortasse crimina populi impedimento essent promissionibus Domini, ut periodus annorum septuaginta longius produceretur. Vaticinii partem impletam jam norat in ultione, quam Dominus funesta Balthasaris nece de domo Nabuchodonosoris exegerat, translato pariter in hominem externum Imperio; sed nulla spes affulgebat imminentis populi sui manumissionis. Hinc Prophetæ sollicitudo & precandi ardor.

℣. 4. CUSTODIENS PACTUM ET MISERICORDIAM. Qui datam fidem facile comples, servasque fœdera cum hominibus sancita; quique ab illis nisi indignis misericordiam tuam nunquam recipis; qui beneficiis tuis nos prævertis, nec unquam prior deseris (3): *Deus gratia sua semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.*

℣. 7. TIBI JUSTITIA, NOBIS AUTEM CONFUSIO. Tua in nos agendi consilia semper justissima sunt, ut nunquam merito de illis queramur. Nihil superest nobis, nisi ut demissi & supplices infidelitatem nostram & ingrati animi vitium deprecemur.

℣. 9. TIBI MISERICORDIA ET PROPITIATIO. Ex misericordia tua plane gratuita veniam & reconciliationem nobis spondemus. Justum indignationis tuæ scopum nos peccata nostra constituunt.

℣. 11. ET STILLAVIT SUPER NOS MALEDICTIO ET DETESTATIO, QUÆ SCRIPTA EST IN LIBRO MOYSI. Innuuntur hisce verbis execrationes, quæ passim in Lege leguntur; ut in Levitico XXVI. 16. &c. & diræ quæ pronunciandæ in monte Hebal præscribuntur (4); uti & eæ, quibus Moyses ore suo Israelitas, qui in Deum prævaricaturi fuissent, devovit (5). Hebræus, & Septuaginta ad verbum (6): *Et stillavit super nos maledictio, & juramentum scriptum in Lege Moysi servi Dei.* Juramentum hic sunt minæ, quas Deus, vel Moyses jurato protulerunt; vel diræ in Legis violatores, vel adjurationes ad servandam Dei Legem, in quibus Dei nomen, ut moris est in sacramentis nuncupandis, admiscetur.

℣. 13. NON ROGAVIMUS FACIEM TUAM, UT REVERTEREMUR AB INIQUITATIBUS NOSTRIS, ET COGITAREMUS VERITATEM TUAM. Hebræus (7): *Non deprecati sumus faciem Domini Dei nostri ad avertendum nos ab iniquitatibus nostris, & ad intelligendam veritatem tuam.* Tot mala & calamitates impetrare a nobis non valuerunt, ut ad te conversi ab errore nos revocaremus, profiteremurque *veritatis Dei*, minarum scilicet, illius quæ semper verissimæ sunt, vim nos experiri. Nec mentem ad id advertimus, Deum scilicet æque constantem esse & sincerum in minis, ac in promissionibus, ut summa fide promissiones impleat, & crimen certissime puniat.

℣. 14. VIGILAVIT DOMINUS SUPER MALITIAM, UT PUNIAT. Cum diu veluti alta quiete sopitus crimina nostra toleraverit, tandem expergiscitur ut puniat; vel potius, alto criminum sopore mersos nos Deus ad ulciscendum vigilans punit.

℣. 16. DOMINE, IN OMNEM JUSTITIAM TUAM, AVERTATUR, OBSECRO, IRA TUA; obsecro, Domine, pro tua justitia, ut iram tuam avertas. Hebræus (8): *Domine, secundum omnes justitias tuas, avertatur nunc ira tua, &c.* Antequam severitatem justitiæ tuæ experti noverimus, fac ut sentiamus clementiæ tuæ benignitatem. Græcus (9): *Domine, in omni misericordia tua avertatur ira tua.*

℣. 17. PROPTER TEMETIPSUM. Hebræus (10): *Propter Dominum.* Græcus: *Propter te, Domine.* Ne detur locus adversariis gloriæ tuæ jactandi, quod Templum tuum perpetuo everterint. Sin minus precibus te flectere valemus, si crimina nostra impares nos misericordiæ tuæ impetrandæ reddiderunt; vel rationem habere te decet gloriæ nominis tui, ut eversum Sanctuarium tuum restituas.

℣. 19. QUIA NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER CIVITATEM, ET SUPER POPULUM TUUM. Appellantur Urbs & populus Domini; sese tui esse juris gloriantur.

℣. 21. ECCE VIR GABRIEL, quem videram; seu potius Angelus, cui nomen Gabriel, qui hominis sub effigie se mihi spectandum obtulerat (11).

IN TEMPORE SACRIFICII VESPERTINI. Daniel Babylone, vel Susis versans, more Judæorum Jerosolymæ degentium, vigente adhuc Templo, loquitur. *Sacrificio vespertino*, holocausto perpetuo reliqua diei Sacrificia claudebantur; offerebatur enim exeunte die, occiduo Sole, & ante noctem. Hebræus in Numeris XXVIII. 4. fert: *Inter duas vesperas*; post nonam vespertinam horam, quæ & precibus destinata erat (12).

℣. 23. VIR DESIDERIORUM. Vir desiderio anhelans,

(1) Jerem. XXV. 11. 12. & XXIX. 10. (2) Vide Hieron. & Theodoret. hic. (3) Concil. Trident. Sess. 6. de Justific. cap. 11. (4) Deut. XXVII. 13. & seq. (5) Ibid. cap. XXVIII. & XXIX. (6) ותתך עלינו האלה והשבעה אשר כתובה בתורת משה Theodot. Ἐπῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ἡ κατάρα, καὶ ὁ ὅρκος, &c. (7) ולא חלינו את פני יהוה אלהינו לשוב מעונינו ולהשכיל באמתך (8) אדני ככל צדקתיך ישב נא אפך (9) Κύριε ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου ἀποστραφήτω δὴ ὁ θυμός σου. (10) למען אדני Theod. Ἕνεκέν σου, Κύριε. (11) Vide Cap. VIII. 16. (12) Act. III. 1. & X. 3. 30.

lana, in preces serventissimus (13); vel potius, vir Deo charissimus. Vernacula Hebræorum phrasi usurpatur (14), *Vasa desiderabilia*, pro rebus pretiosis: *Vineæ desiderii*; [Vulgata, *amantissimæ*] pro vinea eximia (15); *cibus desiderabilis* (16), pro optimo; *juvenes cupidinis* (17), pro formosis.

℣. 24. SEPTUAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATÆ SUNT SUPER POPULUM TUUM .... UT CONSUMMETUR PRÆVARICATIO. Vaticinium hoc late explicavimus scripta de hoc argumento Dissertatione; quare hic brevem illius explicationem dabimus. Hebræus legit (18): *Hebdomadæ septuaginta decisæ fiæ sunt super populum tuum ad consumendam prævaricationem*. Anxius sollicitudine Daniel, pandi sibi rogat tempus, quo absolvenda esset periodus annorum septuaginta captivitatis, Jeremiæ vaticinio prædicta. Sed Deus illi mysterium multo altius, & gravius reserat, id est, tempus absolvendæ prævaricationis, adventus Messiæ, Regni æternæ justitiæ, quo pariter oracula Prophetarum implenda erant. Hæc autem eventura spondet Deus post evolutas septuaginta hebdomades ex annis constantes, id est, post annos quadrigentos octoginta duos. Tu quæris tempus, quo suus dabitur exitus annis septuaginta captivitatis a Jeremia prædictis; ego tibi libertatem multo illa utiliorem ac magis necessariam prænuncio; libertatem scilicet, quam altera liberras a Jeremia prædicta nonnisi leviter adumbrat.

Tempus *abbreviatur* ad hebdomadas septuaginta. *Abbreviare* est hic destinare, statuere, absolvere; quemadmodum & in Isaia, x. 22. calamitas plena & certa dicitur, *consummatio abbreviata*. Ita vero tota hæc sententia paraphrastice exponitur: Periodus septuaginta hebdomadum fixa, constituta est, & invariabilis. Rem prænuncio, non ex variabili conditionis eventu pendentem, cujus sit expletio ex incerto futurorum, ex fide nempe vel infidelitate populi petenda. Promissiones hasce meas hominum nequitia extundere, seu in longius tempus prorogare non valet. Oraculum est eventu certum, implendum tempore præscripto hebdomadum septuaginta, cujus exordium ducitur ab edicto lato de farciendis mœnibus Jerosolymæ; exitus vero in obitu Messiæ, & Sacrorum abrogatione statuerut.

UT CONSUMMETUR PRÆVARICATIO, ET FINEM ACCIPIAT PECCATUM, ET DELEATUR INIQUITAS. Vertit Theodoretus: *Donec prævaricatio impleatur, & crimen consummetur*. Donec scilicet Judæi, cruci figentes Jesum Christum, supremam iniquitatis suæ mensuram impleant, extremamque operi reprobationis suæ manum imponant. Sed Textus Hebræus, & tota sermonis series abolitionem potius peccati, ejusque finem & expiationem designant. Hebræus ad verbum (19): *Ad consumendam prævaricationem, ad sigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem*. Tunc obsignari, tegi, oculi crimen dicitur, cum & Deus venia, & homo expiatione illud tollit.

UT ADDUCATUR JUSTITIA SEMPITERNA; ut spectandum se præbeat Jesus Christus, qui ipsa est justitia, totius justitiæ fons, æquitatis norma & exemplar (20). *Christus factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio*. 1. Cor. 1. 30.

UT IMPLEATUR VISIO ET PROPHETIA. Omnium, quæ in Veteri Testamento sunt, Jesus Christus finis est & argumentum, & ad illum sive directe, sive ex obliquo feruntur (21): *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti*. Egregie Tertullianus contra Judæos: *Christus est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro erant de eo nuntiata*.

ET UNGATUR SANCTUS SANCTORUM. Messias, Unctus Domini, Jesus Christus, ungatur S. Spiritu & virtute Dei: *Jesus a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute*. Isaias (22): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*. Act. x. 38.

℣. 25. AB EXITU SERMONIS, UT ITERUM ÆDIFICETUR JERUSALEM, USQUE AD CHRISTUM DUCEM, HEBDOMADES SEPTEM, ET HEBDOMADES SEXAGINTA DUÆ ERUNT. Septuaginta hebdomadas Angelus distinguit in partes tres; conficitur prima ex septem hebdomadibus, annis scilicet novem & quadraginta; quibus absolutis & mœnia etiam Jerosolymæ absolvenda erunt. Altera pars constat hebdomadibus *duabus & sexaginta*, vel annis quatuor & triginta supra quadringentos, quorum in exitu ungendus erit Christus. Addit denique hebdomadam annorum, in cujus dimidio Messias interficietur. Artaxerxis Edictum de restituenda Jerosolyma latum, ad annum illius vigesimum pertinet. Hinc cœpta mœnium restauratio, post annos undequinquaginta absoluta fuit. Inde usque ad annum Tiberii quintumdecimum, quo Jesus Christus aquis baptismatis tinctus fuit, anni quatuor & triginta supra centenos effluxerunt. Jesus tribus annis & dimidio prædicavit, necique tandem in ipso dimidio hebdomadæ septuagesimæ traditus est. Tunc autem veterum sacrificiorum ritus penitus abrogatus fuit, seu potius cessavit, utilitate eatens, ex oblatione alterius Sacrificii per mortem Servatoris confecti, cujus vetera illa sacrificia umbra erant & typus (23).

ÆDIFICABITUR PLATEA ET MURI IN ANGUSTIA TEMPORUM. Ex Libro Nehemiæ discere licet, quanto molimine Judæorum hostes conati fuerint illos prohibere, ne inceptam mœnium Jerosolymæ reparationem prosequerentur (24). Vertunt quidam: Restituentur mœnia *intra hoc angustum temporis spatium*. At numquid operi huic anni novem & quadraginta non sufficiunt? Nonne ipso Nehemia docente scimus, urbi claudendæ dies quinquaginta duos satis fuisse (25)? Muniendæ quidem Urbi adversus externam vim majus temporis spatium impendendum erat; sed in hanc rem anni novem & quadraginta plus nimio abundant.

℣. 26. POST HEBDOMADES SEXAGINTA DUAS OCCIDETUR CHRISTUS. Periodus hæc ab absoluta mœnium Jerosolymæ restauratione repetenda est: adeoque ab edicto Artaxerxis, quod latum est anno Regni illius vigesimo, adusque Jesu Christi obitum, spatium annorum triginta & octo supra quadringentos constituendum est; totidemque ad amussim nobis redduntur, ducta ratione ad calculum accuratissimæ chronologiæ.

OCCIDETUR CHRISTUS, ET NON ERIT EJUS POPULUS, QUI EUM NEGATURUS EST. Judæi, qui Jesum Christum ejurarunt, prodiderunt Romanis, & manibus militum illum in crucem egerunt, dignitatibus omnibus, quibus excellebant, spoliati, populi Dei jure ac nomine exciderunt. Hebræus (26): *Christus*, vel Messias *excidetur*, subducetur; *& nihil ei erit*. Phrasis hæc, quæ suspensam & minime integram sententiam reddit, varie explicatur. S. Hieronymus interpretatur de Christo,

[13] Hieronym. hic, Theodor. Tigur. [14] Dan. xi. 8. Nahum ii. 10. [15] Amos v. 11. [16] Dan. x. 11. [17] Ezech. xxiii. 6. xii.
[18] שבעים שבעים נחתך על עמך לכלא הפשע [19] לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון
[20] Jerem. xxiii. 6. & xxxiii. 16. *Dominus justus noster*. Isai. liii. 11. *Justificabit ipse servus meus multos*.
[21] Rom. x. [22] Isai. lxi. 1. & Luc. iv. 18. [23] Vide Theodoret. hic: Παυθήσεται ἡ κατὰ νόμον θυσία, τῆς ἀληθοῦς προσενεχθείσης θυσίας τοῦ ἀμώμου ἀμνοῦ, τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. [24] 2. Esdr. iv. vi. vii. [25] 2. Esdr. vi. 15. *Completus est autem murus xxv. die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus*. [26] יכרת משיח ואין לו *Occidetur Christus, & non erit ejus*. Ita Edit. nov. S. Hieron. pag. 1213. & mss. quædam.

ſto, qui rejectum a ſe populum infidelem, nunquam deinceps recepturus ſit. Alii ſic (27): *Non illi erit obediens ille populus, quem redempturus venerat.* Græcus (28): *Exterminabitur unctio; & judicium non erit in eo*; id eſt, ex Theodorione, Regia poteſtas, *judicii* & Sacerdotalis *unctionis* nomine expreſſa, deerit Judæis, ubi Jeſus Chriſtus paruerit. Judæam tunc moderabantur dati a Romanis Præſides; partemque illius Herodes & Philippus, filii Herodis Magni, tenebant; totumque adeo Regnum penes exteros erat. Sacerdotium gerebant homines nulla unctione legali initiati, qui nec dignitatem habebant perpetuam, repugnante Moyſis præcepto; totuſque ſucceſſionis ordo ſubverſus erat. Vertunt alii (29): *Occidetur Chriſtus, & nullum illi erit auxilium.* S. Auguſtinus (30) *Occidetur Chriſtus, & non erit ejus*, Urbis Jeroſolymæ. Judæos urbemque illorum deſeret.

Civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo. Veſpaſianus, vel Titus *cum populo ſuo*, copiis nempe Romanis, Urbem Jeroſolymam & Templum evertit.

℣. 27. Confirmabit pactum multis hebdomada una, fœdus cum pluribus initum confirmabit hebdomada una. Fœdus Jeſu Chriſti confirmatum, ſancitum, obſignatum fuit hebdomada ſeptuageſima, effuſione ſanguinis illius, & Evangelii promulgatione. Quod autem fœdus illud *cum multis* confirmatum dicitur, non prohibet, quominus pro univerſi Orbis reparatione Jeſus Chriſtus mortem oppetierit; deſignat enim tantummodo, non omnes fructu mortis illius eſſe gaviſos, ac præſertim Judæos pleroſque, qui incredulitatis pœna, a perfecto illius fœdere excluſi fuere. Hanc ſententiam ſpectaſſe videtur Jeſus Chriſtus iis verbis Matt. xxvi 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.*

Deficiet hostia et sacrificium. Nullius deinceps uſus efficientur ex obitu Servatoris, qui veterum omnium ſacrificiorum ſumma eſt, & conſummatio (31). Vide ſupra ℣. 25.

Erit in Templo abominatio desolationis. Hebræus (32): *Et ſuper alam abominationis deſolationum.* Nomine *Alæ* deſignari Templum, communis veterum Interpretum aſſenſus docet (33). Tribui hoc nomen maxime poteſt tecto & pinnaculo Templi (34); vel cellis totum hoc ædificium ambientibus. Tunc autem abominatio ſanctum hunc locum profanavit, cum Romani ibi ſigna erexerunt, imaginibus Deorum & Cæſarum picta; vel potius, abominatio hæc denotat fœdas illas cædes & ſacrilegia, quibus ab ipſis pariter Judæis in noviſſima urbis obſidione Templi religio violata fuit. Addit Propheta, abominationem ibidem perſeveraturam *uſque ad conſummationem & finem*; ſeu potius ex Hebræo (35): *Uſque ad ruinam deciſam*, uſque ad ultimam Templi ruinam; qui pronior eſt ſenſus hujus ſententiæ, cum voces Hebrææ deſignare plerumque ſoleant noviſſimum exitium, & ſeveriſſimam judiciorum Dei expletionem (36).

---

(27) Grot. (28) Septuag. Ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, καὶ κρίμα οὐκ ἔστι, (vel οὐκ ἔσται) ἐν αὐτῷ. (29) Vatab. L'Emp. Pagn. Gejer. Caſt. (30) Auguſt. Ep. 199. c. 7. n. 21. nov. Edit. Legit: *Occidetur Chriſtus, & non erit ejus.* (31) Hieron. in Dan. ix. *Quicquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus diaboli.* (32) ועל כנף שקוצים משמם (33) Ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἔσται. (34) Matth. iv. 5. Super pinnaculum Templi. Gr. Πτερύγιον. (35) עד כלה ונחרצה (36) Vide Iſai. x. 22. 23. xxviii. 22. Jerem. iv. 27. v. 10. &c.

CAPUT X.

Jejunium Danielis. Viſio illius ad Tigrim. Rex Perſidis reſiſtit Angelo Gabrieli, cui adjungitur S. Michael. Princeps Græcorum.

℣. 1. Anno tertio Cyri regis Perſarum, verbum revelatum eſt Danieli, cognomento Balthaſar, & verbum verum, & fortitudo magna, intellexitque ſermonem: intelligentia enim eſt opus in viſione. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, 3. Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum: donec complerentur trium hebdomadarum dies. 4. Die autem vigeſima & quarta menſis primi, eram juxta fluvium magnum, qui eſt Tigris. 5. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo: 6. Et corpus ejus quaſi chryſolithus, & facies ejus, velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens: & brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis. 7. Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum. 8. Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. 9. Et audivi vocem ſermonum ejus: & audiens jacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. 10. Et ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum. 11. Et dixit ad me: Daniel vir deſideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim ſum miſſus ad te. Cumque dixiſſet mihi ſermonem iſtum, ſteti tremens: 12. Et ait ad me: Noli metuere, Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum,

ut

ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. 13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & uno diebus: & ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum. 14. Veni autem, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. 15. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tacui. 16. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea: & aperiens os meum locutus sum, & dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. 17. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur. 18. Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortavit me, 19. Et dixit: Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare, & esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, & dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me. 20. Et ait: Numquid scis, quare venerim ad te? & nunc revertar, ut prælier adversum principem Persarum. Cum ergo egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. 21. Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis: & nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.

℣. 1. ANNO TERTIO CYRI REGIS PERSARUM. Verba hæc haberi possunt vel ut epilogus Capitis superioris, vel ut adscriptio temporum addita visioni, quæ in hoc & sequentibus duobus Capitibus narratur. Acta sunt hæc omnia anno primo Darii Medi (1), qui & tertius est Cyri Regis Persarum (2). Inter visionem hanc & superiorem, de qua in Capite ix. spatium est dierum unius & viginti (3); nam post revelata Prophetæ arcana, expressa Capite ix. anno Darii primo Daniel anxius & sollicitus Deum rogat, ut quæ sibi reserata fuere, planius aperiantur. His illius votis implendis, post preces viginti & unius dierum Gabriel sistit sese oranti; deinde vero Angelus pari dierum numero cum Rege Persarum decertavit (4). Porro hujus certaminis exordium fuit anno primo Darii Medi (5), & post dies unum & viginti per visum apparet Prophetæ anno tertio Cyri. Hinc recte colligas, annum Cyri tertium, & Darii Medi primum inter se congruere. Cum autem accipi hic tertius annus nequeat de Regno Cyri Babylonico; adhuc enim illud a Dario tenebatur, & Judæum populum captivitas adhuc premebat; angebaturque Daniel solicitus de exitu septuaginta annorum Jeremiæ vaticinio definitorum (6), quorum erat supremus annus idem, qui & primus erat Cyri Babylone regnantis; cum, inquam, hæc accipi nequeant de Babylonico Cyri Regno, adscribenda sunt tertio illius anno, quo Persis imperabat.

Sed quæ causa fuerit vaticinium inscribendi Regno Cyri, cum non sub ejus Regis, sed potius sub Darii Medi regno degeret? Idcirco scilicet, quod in hoc vaticinio sermo recurrat sæpius de Rege Persarum, apud quem Gabriel diebus uno & viginti detentus fuit. Operæ pretium censuit Propheta, annos illius Principis adscribere, minime ambigens, quin ad ipsum magna pars eorum, quæ sibi revelata fuerant, pertinerent, ac tertius ejus Regni annus epocha esset insignis ad genuinum oraculi sensum eliciendum. Insuper Danieli ad ripam Tigris vaticinium hoc inspiratum fuit, in loco nempe ditioni Cyri Regis Persarum proximo; adeoque & pronum erat, ut Regis illius annos lucubrationi suæ adderet, non neglectis tamen annis Darii Regis sui, penes quem amplissimam dignitatem gerebat. Dan. vi. 2. 28.

VERBUM VERUM, ET FORTITUDO MAGNA. Hebræus (7): *Veritas rei* (seu verbi) *& militia magna*, vel magnus exercitus, vel *magnum tempus* (8). Vox Hebraica usurpatur interdum pro tempore aliquo definito (9). Quæ hic referantur Danieli, implenda quidem nonnisi post multos annos fuerant; sed tempore tamen certo & definito.

INTELLIGENTIA OPUS EST IN VISIONE. Hebræus (10): *Et intelligentiam habuit in visione*; seu potius, visionis hujus intelligentia donatus fuit; vel mentem adhibuit, ut visionem, quæ sibi antea obversata fuerat, intelligeret, reconditum ejus sensum scrutans.

℣. 2. LUGEBAM TRIUM HEBDOMADARUM DIEBUS. Hebræus: *Tribus hebdomadis dierum*; ut distinguantur ab hebdomadis annorum, de quibus Capite ix. 24. Has etiam hebdomadas annorum esse censuit Marshamus Canon. Chron. sæc. 18. cujus tamen opinioni refutandæ unus hic locus sufficit. Jejunium prorogavit a tertia die primi mensis usque ad quartam & vigesimam ejusdem (11). Credibile est, inceptum illud jejunium non intermisisse diebus sabbathi, quin & ipso Paschali Festo, interim incidentibus; asserit enim non obscure, ℣. 3. solidis tribus hebdomadis a pane, carne, vino, oleoque abstinuisse.

Sed quæ causa tanti luctus & arcti adeo jejunii? Censet Theodoretus hic, Danielem luxisse oscitantiam populi, qui commodis sibi oblatis Babylone adlectus, nihil minus cogitabat, quam ut data sibi a Cyro facultate regrediendi in Judæam uteretur; atque ita captivitati & terræ alienæ libertatem & patriam posthabuit. Maluit Usserius (12), anxium detinuisse Prophetam, quod Samaritani pecunia corruptos aulæ Cyri Præfectos sollicitaverant, ut ædificium Templi prohiberetur. Nobis autem pro comperto est, mœstum fuisse Prophetam, quod in vaticiniis sibi exhibitis plura adhuc obscura & involuta cerneret. Angelus Pro-

(1) Cap. ix. 1. *Anno primo Darii filii Assueri.* (2) Cap. 2. 1. *Anno tertio regni Cyri Regis Persarum.* (3) Cap. x. 2. *Lugebam trium hebdomadarum diebus.* (4) Cap. x. 13. *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus.* (5) Cap. xi. 1. *Ego autem a primo anno Darii Medi stabam, ut confortaretur, & roboraretur.* Hebræus: *Ego autem a primo anno Darii steti ad roborandum & auxiliandum ei* [Michaeli, vel Israeli.] (6) Dan. 12. 2. Jerem. xxv. 11. 12. xxix. 10. 1. Esdr. I. 1. (7) ואמת הדבר וצבא גדול (8) Jun. Piscat. Grot. Castal. Vatab. Munst. Pag. Polan. &c. (9) Job vii. 1. xiv. 14. (10) ובינה לו במראה Καὶ σύνεσις ἐδόθη αὐτῷ ἐν τῇ ὀπτασίᾳ. Theodot. (11) Vide infra ℣. 4. (12) Usser. ad an. M. 3470. Vide 1. Esdr. 4. & 14.

Gabriel, qui solaturus illum venit, nihil eorum, quæ adducta sunt, commemorans, totus est in evolvendis rerum futurarum eventibus, planius explicans multa, quæ in præcedentibus obscure indicata fuerant (14).

℣. 3. Panem desiderabilem. Pane tantummodo vulgari, & vili cibo usus fuit, uti tunc mos ferebat in luctu. Abstinuit pariter vino, carne, oleo, quod accipi commode potest sive de unguento, sive de oleo ad unguendum corpus; seu denique de oleo ad vescendum.

℣. 5. Vir vestitus lineis. Septuaginta: *Vestitus bysso*. Symmachus (15): *Vestibus delectis*, splendidis. Hebraica vox *Badim* est proprie *linum* (16).

Auro obrizo, purissimo. Hebræus (17): *Auro Uphaz*. Uphaz nomen est regionis, unde aurum trahebatur, ipsissima est autem regio Ophir. Vide nostram Dissertationem de Ophir.

℣. 6. Corpus ejus quasi chrysolithus. Chrysolithus colore est ad cæruleum viride lætumque accedens, ut aureum nescio quid admistum viridi splendeat, vivamque lucem emittat, ac pellucidus sit. Hebræus (18): *Corpus ejus sicut Tharsis*. Nomen *Tharsis* designare hic mare censuit Theodotion, unde facile deducta est interpretatio, quæ chrysolithum reddit. Theodoretus exponendum censuit de auro purissimo e Tharsis vecto. Nobis certa sedet persuasio, hic & in Exodo vocem hanc usurpari pro gemma, sed quanam, arduum est definire (19).

℣. 10. Manus tetigit me. Manus, quam ego non agnoscebam, tetigit me, sustinuit, erexit. Sunt qui manum hanc de S. Spiritu accipiant (20); melius tamen manus Angeli Gabrielis sub hominis figura sese exhibentis existimatur.

℣. 11. Vir desideriorum. Mortalium jucundissime. Vide supra IX. 23.

℣. 12. Veni propter sermones tuos; veni precibus tuis accitus; seu potius, tui sermonis causa. Ut postulatis tuis satisfacerem, teque ea, quæ sciscitaris, docerem, veni.

℣. 13. Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. S. Hieronymus, Theodoretus cum Interpretibus plerisque (21) in hoc Principe Persarum agnoscunt Angelum, cui Deus Regni Persidis tutelam administrationemque commiserat. Per totam late antiquitatem pervagata opinio docuit, non hominibus modo singulis bonum Angelum datum esse custodem, sed & suum esse pariter Imperiis & Provinciis Angelum moderatorem & præsidem. Hunc vero Angelum Persarum restitisse ferunt Gabrieli, vel S. Michaeli, quod conaretur retinere diutius Judæos in Regno Persidis, ubi Persarum aliquos convertebant ad fidem, totamque ditionem largis Dei beneficiis cumulabant.

Contendunt alii (22), dicta hæc accipienda esse de malo Angelo, qui male æmulatus tantam Israelitarum felicitatem, ne libertati restituerentur, pro viribus nitebatur. Ægre equidem admittitur tanta opinionum pugna inter bonos Angelos, cum præsertim res esset de jussionibus a Deo latis, executioni mandandis. Sed pronum est totam hanc ratiocinationem in authores suos retorquere; nam si malus Angelus res Persarum curabat, quo pacto tamdiu valere potuit, ac resistere Gabrieli & Michaeli, postquam, nunciantibus illis, Dei apertissimam voluntatem didicit?

Mallerim ego potius Principem hunc Persarum interpretari Cyrum, qui totis uno & viginti diebus restitit Gabrieli monenti, ut is grande aliquod opus faceret, quale erat libertas populi Judaici, de qua Daniel sollicitis curis angebatur. Cyrum destinaverat Deus eversorem Imperii Chaldæorum & Medorum, & novi Persarum Imperii authorem. Prophetarum suorum oraculo spoponderat Deus futurum, ut is populi sui liberator esset. Molimen illud evertendi Chaldæorum Imperii grande erat adeo & ingens, ut monstri loco ducendum non sit, si Cyrus diu hæsit ambiguus, antequam monentis Angeli consilia sequeretur. Inesse mortalibus omnibus arbitrii libertatem, qua resistere queant, imo & resistere nos sæpe consiliis, quæ Deus intus in corde suggerit, nemo est qui inficias iverit. Quin & constat inter omnes, fieri sæpe, ut Angelorum ministerio Deus interdum ad aliquid agendum mortales impellat. Quam proponimus, Sententia Interpretes plures habet assertores, & cum Historia Darii & Cyri plane cohæret.

Michael, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum. Regem Persarum non deseruit Gabriel, ut veniret ad Danielem, nisi postquam in ejus adjutorium & locum venit Michael; ut Cyrum moneret, pertraheretque ad ea, quæ ex illo postulabantur. Eo pariter redeundum erat Gabrieli; post edoctum omnia Danielem. Vide infra ℣℣. 20. 21. & Caput XI. 1. Verti potest (23): *Michael inter Principes primus*.

℣. 14. Quoniam adhuc visio in dies; quoniam visioni implendæ multum adhuc temporis superest. Seu potius: Multa sunt adhuc tibi detegenda; tempus visionum nondum totum effluxit.

℣. 16. Quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea. Sub hac viri effigie Angelus Gabriel sese obtulit Prophetæ. Vide ℣. 18. & supra VIII. 15. & IX. 21.

℣. 20. Numquid scis quare venerim ad te? Jam supra ℣. 14. præmonuerat, venisse se ad narrandos futuros populi eventus. Nunc autem excitat Prophetæ mentem, exponens illi, atque animo versandum proponens, quanto ipse in honore esset apud Deum, a quo legationem Angeli principis missam ad se acciperet, quamvis Angelus tunc vincenda pertinacia Regis Persarum occuparetur.

Revertar, ut prælier adversus Principem Persarum. Veni ad te missus; statim ac te de rebus omnibus fecero certiorem, restituar pristinæ occupationi meæ, ut ad voluntatem meam Cyrum Regem pertraham. Vide ℣. 13.

Cum egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens. Nomine Principis Græcorum significatur hic sive Angelus Græciæ custos, qui Michaeli accessit socius, ut Regem Persarum urgeret; sive Alexander Magnus, qui menti Gabrielis obversabatur, ceu eversor futurus Imperii Persarum a Cyro conditi. Postremæ huic sententiæ favent ℣℣. 2. & 3. Capitis sequentis. Ordinem quemdam & subjectionem inter Genios Armeni recognoscunt docentes committi inter illos prælia, & alterum alteri repugnare. Vide Porphyr. de abstin. lib. 2. c. XXXIX. 40. & vitam Plotini art. X. pag. 346. 347.

℣. 21. Quod expressum est in Scriptura veritatis. Quod de præcedentibus visionibus scripto tradidisti. Verba vera quidem, sed obsignata (24), quæ sibi reservavi, quæque adhuc continent mysteria plura ignota, & non explicata.

(14) Confer Cap. IX. 30. 31. 32 44. cum Cap. XII. 7. 9. 11. 13. (15) Ἐνδεδυμένος ἐξαίρετα. (16) בדים Vide Exod. (17) בכתם אופז (18) וגויתו כתרשיש 70. *Mare* appellaverunt, cæteri *Tharsis*. Vide Hieron. (19) Vide nos in Exod. XXVIII. ℣. 20. (20) Ezech. I. 3. & Matth. XII 28. collatum cum Luc. XI. 20. (21) Hieron. hic, Lyr. Tir. Perer. Vat. Grot. Maldon. &c. Vide, si placet, & Origen. lib. 7. contra Cels. pag. 378. Et lib. 3. de Princip. cap. 3. Isidor. Pelus. lib. 2. Ep. 85. Chrysost. apud Phot. cod. 277. D. Thom. 1. part. qu. 113. art. 2. (22) Vide Rupert. lib. 9. de Victoria Verbi; Cassian. coll. 8. cap. 13. Theodoret. hic, Sanct. Calov. Pisc. &c. (23) מיכאל אחד השרים הראשנים Grot. Jun. Pisc. Gejer. (24) Dan. VIII. 26. XII. 4. 9.

NEMO EST ADJUTOR MEUS IN OMNIBUS HIS, NISI MICHAEL PRINCEPS VESTER. Urgenti mihi Regem Persidis, ut postulatis meis assentiretur, nemo opem tulit, nisi Michael Princeps, Dux, custos, gentis tuæ patronus. Michaelem ducem & defensorem Synagogæ tota antiquitas agnovit; idemque munus ipse apud Ecclesiam Christianam gerit.

CAPUT XI.

Imperium Persarum a Rege Græcorum eversum. Bellum inter Regem austri & aquilonis. Rex impius: ejus victoria & exitium.

℣. 1. EGo autem ab anno primo Darii Medi stabam, ut confortaretur, & roboraretur. 2. Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes: & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ. 3. Surget vero rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet, quod placuerit ei. 4. Et cum steterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli; sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his. 5. Et confortabitur rex Austri; & de principibus ejus prævalebit super eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio ejus. 6. Et post finem annorum fœderabuntur: filiaque regis austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes ejus, & qui confortabant eam in temporibus. 7. Et stabit de germine radicum ejus plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur provinciam regis aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit. 8. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti, & auri, captiva ducet in Ægyptum; ipse prævalebit adversus regem aquilonis. 9. Et intrabit in regnum rex austri, & revertetur ad terram suam. 10. Filii autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet prosperans, & inundans: & revertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore ejus. 11. Et provocatus rex austri egredietur, & pugnabit adversus regem aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu ejus. 12. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor ejus, & dejiciet multa millia, sed non prævalebit. 13. Convertetur enim rex aquilonis, & præparabit multitudinem multo majorem quam prius: & in fine temporum, annorumque veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis. 14. Et in temporibus illis multi consurgent adversum regem austri: filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, & corruent. 15. Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet urbes munitissimas: & brachia austri non sustinebunt, & consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo. 16. Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, & non erit, qui stet contra faciem ejus: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu ejus. 17. Et ponet faciem suam, ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, & recta faciet cum eo: & filiam fœminarum dabit ei, ut evertat illud: & non stabit, nec illius erit. 18. Et convertet faciem suam ad insulas, & capiet multas: & cessare faciet principem opprobrii sui, & opprobrium ejus convertetur in eum. 19. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget, & corruet, & non invenietur. 20. Et stabit in loco ejus vilissimus, & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prœlio. 21. Et stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. 22. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, & conterentur: insuper & dux fœderis. 23. Et post amicitias, cum eo faciet dolum: & ascendet, & superabit in modico populo. 24. Et abundantes, & uberes urbes ingredietur: & faciet, quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus: rapinas, & prædam, & divitias eorum dissipabit, & contra firmissimas cogitationes inibit: & hoc usque ad tempus. 25. Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adversum regem austri in exercitu magno: & rex austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis; & non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia. 26. Et come-

comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitusque ejus opprimetur; & cadent interfecti plurimi. 27. Duorum quoque regum cor erit, ut malefaciant, & ad mensam unam mendacium loquentur, & non proficient; quia adhuc finis in aliud tempus. 28. Et revertetur in terram suam cum opibus multis: & cor ejus adversum testamentum sanctum, & faciet, & revertetur in terram suam. 29. Statuto tempore revertetur, & veniet ad Austrum, & non erit priori simile novissimum. 30. Et venient super eum Trieres, & Romani; & percutietur, & revertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarii, & faciet: reverteturque, & cogitabit adversum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarii. 31. Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium; & dabunt abominationem in desolationem. 32. Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, & faciet. 33. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum. 34. Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo: et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. 35. Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. 36. Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum: et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. 37. Et Deum patrum suorum non reputabit: et erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam deorum curabit: quia adversum universa consurget. 38. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: et deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis. 39. Et faciet, ut muniat Maozim cum deo alieno, quem cognovit, et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram divídet gratuito. 40. Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex austri, et quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, et in equitibus, et in classe magna, et ingredietur terras, et conteret, et pertransiet. 41. Et introibit in terram gloriosam, et multi corruent: hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon. 42. Et mittet manum suam in terras: et terra Ægypti non effugiet. 43. Et dominabitur thesaurorum auri, et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Lybiam quoque, et Æthiopiam transibit. 44. Et fama turbabit eum ab Oriente, et ab Aquilone: et veniet in multitudine magna, ut conterat, et interficiat plurimos. 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria, super montem inclytum, et sanctum: et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei.

℣. 1. AB ANNO PRIMO DARII STABAM UT CONFORTARETUR. Hebræus (1): *In anno primo Darii, &c.* Loqui pergens Angelus Gabriel, cum Capite præcedenti professus fuisset, neminem sibi præter Michaelem auxilio fuisse adversus resistentem sibi Regem Persarum (2); addit hic, sese accessisse comitem Mihaeli primo anno Darii, ut auxilio illi esset & robori. Denique significat, utrumque hunc Angelum communi consilio agere, mutuamque sibi operam præstare in variis illis muneribus, quibus a Deo addicebantur.

℣. 2. ADHUC TRES REGES STABUNT IN PERSIDE, ET QUARTUS DITABITUR OPIBUS SUPER OMNES. De Cyro jam egerat Gabriel Capite superiori ℣. 13. 20. addit hic futurum, ut post illum succedant tres Persarum Reges, Cambyses, Smerdis, & Darius filius Hystaspis. Pseudo-Smerdis, apud Esdram l. 1. c. 4. 7. *Artaxerxes*, vel *Artaxasta*, apud Æschilum *Mardus*, apud Ctesiam *Sphendadates*, apud Trogum *Oropastes*, inter septem Magos (3), qui mortuo Cambyse Imperium invaserant, principem tenebat locum, fictamque gerebat personam Smerdis, alterius filii Cyri, quem frater Cambyses interficiendum curaverat. Regnum ille quidem tyrannice & sex tantummodo mensibus tenuit; at hic sermo est de serie & numero Principum, qui Cyro successerunt.

Princeps quartus, qui super præteritos Reges altius sese extollit, Xerxes est, cujus vires, opes, potentia, Historia universa celebrantur. *Concitavit ille omnes adversum Regnum Græciæ* numero ingenti copiarum, quas in Græciam duxit. Sub signis habuit, Trogo teste (4), septingenta millia suorum, & auxiliarium trecentamillia. Hunc numerum magnopere augens Herodotus l. 7. c. 60. asserit, fuisse illi sub armis peditum septem & decem centena millia, equitum millia octoginta, currus & camelos. Classis constabat triremibus mille ducenis septenisque, præter immensam minorum navigiorum sylvam. Proficiscens ille in Græcos, obvios in itinere quoslibet populos ad socianda secum in hostes arma cogebat (5).

℣. 3. SURGET VERO REX FORTIS, Alexander Magnus, qui Persarum Imperium evertit. Tota sermonis hujus series ad hunc non ambigue nos ducit.

℣. 4. CUM STETERIT, CONTERETUR REGNUM EJUS, ET DIVIDETUR IN QUATUOR VENTOS. Alexandro Magno e vivis sublato, totum ejus Imperium

(1) בשנת אחת (2) Cap. x. 21. *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.*
(3) Vide Valer. Maxim. lib. 9. cap. 2. & Ammian. Marcell. lib. 23. (4) Justin. lib. 1. cap. 10.
(5) Idem lib. 8. cap. 108. *Τὰς δὲ αἰεὶ προσλαμβάνων, συστρατεύεσθαι ἠνάγκαζε.*

rium in partes dissiluit quatuor, ex quibus totidem distincta Regna steterunt. Ptolemæo cessit Ægyptus, antipatro Græcia, Antigono Asia, Syria Seleuco. De hac Regnorum divisione Daniel non semel egit (6).

NON IN POSTEROS EJUS. Delatum fuit Imperium Aridæo, alio nomine Philippo, fratri Alexandri, dum pareret Roxanes, quam Alexander gravidam reliquerat. Verum nec Aridæus, nec Alexander filius Roxanes, nec Hercules Alexandri Magni nothus assequi unquam valuerunt, ut totum magni hujus Principis Imperium obtinerent; & ante quindecim ab ejus obitu annos, mater Alexandri, frater, & filii misera & violenta morte perierunt.

LACERABITUR REGNUM EJUS IN EXTERNOS, EXCEPTIS HIS, quatuor magnis Imperiis, de quibus jam egit. Lysimachus, filius Agathoclis, præfecturam obtinuit Thraciæ, Chersonesi, vicinarumque Regionum. Antipatro & Cratero tradita est Macedonia, Epirus, & Græcia universa. Penes Eumenem stetere Cappadocia, Paphlagonia, vicinæque Provinciæ, ad Pontum Euxinum. Leonatus præfectus est Phrygiæ minori ad Hellespontum. Menandro mansit administratio Lydiæ, Æolidis, & Joniæ. Cariam curavit Cassander, filius Antipatri. Cilicia, & Isauria assertæ sunt Philotæ; Laomedon Mytilenæus præfectus est Syriæ & Phœnicíæ; Neoptolemus Armeniæ; Arcesilas Mesopotamiæ; & Archon Babyloniæ; Atropates, Perdiccæ socer, acceptam ex Alexandro Medorum Satrapiam retinuit. Bactriana citerior & Sogdiana Philippo paruit; Persis Peucellæ; Phratapherni Hyrcania & Regio Parthorum; Tlepolemo Carmania; Oxiartæ Bactriana ulterior, & Paropamisades; Stasanori Aria & Droagiana; Scyno Susiana; Syburco Arachosia & Gedrosia; Pyrhoni, filio Agenoris, Regiones Indorum finitimæ. Indiarum reliqua manserunt Puro, uti Alexander decreverat (7).

Sed Præsidum istorum plerique mutuis bellis ceciderunt. Quatuor ex illis tantummodo perseverasse proprie censendi sunt, qui & præfecturam in Regium nomen & dignitatem mutantes, Regnum ad posteros transmiserunt. Mentem hic Daniel advertit tantummodo ad Reges Ægypti & Syriæ, a quibus unis arma populo Dei illata sunt, S. Hieronymus aliter exponit. Alexandri Imperium inter exteros divisum fuit, præter quatuor Regna Ægypti, Asiæ, Syriæ, Macedoniæ; nam in tota Imperii latitudine varii hinc inde Reges cæteri caput extulerunt, quorum nulla erat cum Alexandro Magno necessitudo, quique Regna constituerunt in Cappadocia, Armenia, Bythinia, Heraclææ, & ad Bosphorum. Atque ita *maximam in terris Macedonum Regnum nomenque, inde a morte Alexandri distractum in multa Regna est*, ait Livius (8).

℣. 5. CONFORTABITUR REX AUSTRI. Ptolemæus, filius Lagi, inter primos exercitus Alexandri Duces, Præfecturam gessit Ægypti, Libyæ, Cyrenaicæ, quæ meridionales sunt Judææ; atque illas annis quadraginta moderatus fuit. Is Regni diadema inter primos usurpavit, post sublatos liberos Aleaandri (9). *Hujus honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii Regis superesse potuerunt*. Ptolemæus variis belli victoriis Imperium suum longe lateque provexit; Cyprum insulam subegit (10), Judæam & Jerosolymam occupavit (11), in quam, religionis obtentu, die sabbathi ingressus fuit.

ET DE PRINCIPIBUS EJUS PRÆVALEBIT SUPER EUM. Unus ex Principibus, in Regno Alexandri Magni successoribus, potentia superabit Ptolemæum, filium Lagi, de quo hactenus. Tantæ hujus potentiæ Princeps est Seleucus Nicator, cui tota paruit Syria, Babylonia, Media (12), & vicinæ Regiones; accessit Judæa & Jerosolyma (13).

℣. 6 POST FINEM ANNORUM. Reges Ægypti & Syriæ fœdus inter se composuerunt. Plura omittit Propheta, ad ea solum spectans, quæ argumento suo serviunt, id est, ad Reges, quibus cum Judæis res aliqua intercessit. Ptolemæus Philadelphus, Rex Ægypti, & Antiochus Deus, Rex Syriç, infestissimis bellis per aliquot annos se mutuo lacessiverant (14). Denique Ptolemçus, cui bellum erat invisum, tradita Regi Syriç in uxorem filia Berenice, pacem composuit. Connubio huic conciliando socer generum coegit repudiare Laodicen, ex qua geminos liberos, Seleucum & Antiochum, genuerat. Berenice ingentem divitiarum vim, dotis nomine viro attulit, unde datum illi nomen *Phernophoro*, quod Grçce est, magnç dotis uxor.

NON OBTINEBIT FORTITUDINEM BRACHII, NEC STABIT SEMEN EJUS. Ab authoritate & favore brevi excidit Berenice; illius enim pertçsus Antiochus, repudiatam antea Laodicen in thorum revocavit. Metuens autem hçc, ne Principis inconstantia iterum Bereaicen assumeret, clam propinato veneno Antiochum sustulit, submisitque sicarios, ut Berenicen natumque illius Antiochum e vivis tollerent (15). Rem subodorata Berenice, recepit sese in asylum Daphnes prope Antiochiam, ubi militibus a Laodice missis circumsessa fuit. Ad rumorem obsidionis commotç Asiç Urbes, & frater Ptolemçus Evergetes, opem miserç afferre statim decrevere; sed antequam pervenirent, junior Antiochus in manus Laodices cadens, neci traditus est. Alte his sauciata Berenice ad arma ruit, currumque conscendens, Cençum, sçvissimum jussionum Laodices ministrum insecuta, jaculo prius frustra tentatum, deinde lapidis ictu dejecit, & curru super prostrati corpus acto convolavit, ad locum, ubi filium occultum detineri rebatur (16); sed ille jam interierat.

Interim necis hujus authores, veriti plebis vim, molientesque necem Berenices, puerum supposuerunt Principi necato persimilem, quem, regio stipatum satellitio, populo fraudis ignaro pro Rege obtruserunt. Tum Berenici obtulerunt prçsidium militum Gallorum, & locum palatii munitissimum, simul arctissimo Sacramento fidem suam illi obstringentes: at his fraudibus in suam potestatem redactam Berenicen jugularunt (17).

TRADETUR IPSA, ET QUI ADDUXERUNT EAM ADOLESCENTES EJUS, ET QUI CONFORTABANT EAM IN TEMPORIBUS. Hebræus (18): *Tradetur ipsa, & adducentes eam, & filius ejus, & sustinens eam in temporibus*. Narratum est supra, quo pacto Berenice ejusque filius in manus hostium traditi & proditi fuerint. Ex Polyæno (19) discimus fœminas, illius satellitio addictas, arreptis armis illam aliquandiu defendisse. Idem affirmandum est de militibus corporis ejus custodibus, cæterisque partium illius studiosis, præsertim de Ægyptiis, & antiquis ejus familiaribus, quos ab Ægypto secum duxerat. *Qui illam sustinet in temporibus*, designare potest medicum illius Aristarchum, qui nimis credulus verbis & juratis promissionibus ministrorum Laodices, author Berenici fuit, ut pacem componeret, & regias ædes ingrederetur, ubi neci tradita est.

℣. 7. ET STABIT DE GERMINE RADICUM EJUS PLAN-

[6] Dan. VII. 6. 7. & VIII. 8. 21. [7] Vide Usser. ad annum M. 3681. [8] Livius lib. 45. [9] Justin. lib. 15. [10] Vide Diodor. lib. 19. [11] Joseph. Antiq. lib. XII. c. 1. [12] Appian. Syriac. p. 122. Vide Grot. [13] Sever. Sulpit. Hist. Sacr. lib. 2. [14] Hieron. in Dan. XI. *Nemo profanorum nostra ætate superest, qui belli hujus meminerit*. Vide Vaillant. Hist. Reg. Ægypt. ad ann. Lagid. 75. [15] Vide Hieronym. hic, & Appian. Syriac. p. 130. [16] Justin. lib. 27. cap. 1. Valer. Max lib. 9. cap 10. [17] Polyæn. Stratag. lib. 8. Vide Usser. ad an. Mundi 3758.
[18] ותנתן היא ומביאיה והילדה ומחזקה בעתים [19] Polyæn. loco citato.

PLANTATIO, ET VENIET CUM EXERCITU. Exangue Berenicis cadaver tres ex illius satellitio Matronæ clam humi condiderunt, atque in ejus lecto alteram fœminam collocarunt, simulantes, vulneribus tantummodo affectam fuisse Berenicem, spemque faciebant populo, fore ut denique convalesceret. Quod eo consilio factum est, ut tempus suppeteret Ptolemæo Evergeti, ad opem ferendam venienti. Occurrit ille continuo cum valido exercitu, amice exceptus ab omnibus Syriæ Urbibus, quæ desciverant. In Syriam irrupit, Laodicen necavit, & Babylonem usque pervasit; Seleuciam, Cœlesyriam, Ciliciam, & Provincias superiores, totamque ferme Asiam a monte Tauro usque ad Indos occupavit (20); cum ne semel quidem cum illo congredi Seleucus Callinicus Syriæ Rex auderet.

℣. 8. INSUPER ET DEOS EORUM .... VASA QUOQUE PRETIOSA ..... CAPTIVA DUCET IN ÆGYPTUM. Cum Evergetes Syriam ita sine discrimine occupasset, turbis quibusdam Ægypti eo absente compescendis accitus, eo redire coactus est. Profecturus, Ciliciam nomine suo regendam commisit uni ex amicis suis Antiocho; & Xantippo, uni ex Ducibus copiarum, reliquas cis Euphratem Provincias credidit. E Regno Syriæ secum tulit talentorum argenti quadragena millia (21), & ex vasis statuisque pretiosis, inter quæ censebantur Numina a Cambyse olim ex Ægypto rapta, duo millia & quingenta. Ea occasione factum est, ut Ægyptii ob receptos Deos suos grati, cognomen *Evergetis*, seu Benefici, illi contulerint (22). Rem totam ita posteritati commendat vetus quædam inscriptio apud Allatium (23): *Sacris, quæ ab Ægypto Persæ abstulerant, receptis; ac cum reliqua congesta gaza in Ægyptum relatis.*

℣. 9. INTRABIT IN REGNUM REX AUSTRI, ET REVERTETUR AD TERRAM SUAM. Domesticæ seditiones Ptolemæum Evergetem in Ægyptum revocarunt (24). Pertransiens ille Jerosolymas, munera obtulit, & sacrificia eucharistica, rebus tam prospere gestis gratias agens (25).

℣. 10. FILII AUTEM EJUS PROVOCABUNTUR, ET CONGREGABUNT MULTITUDINEM EXERCITUS. Seleucus Callinicus, ex equo lapsus, interiens (26), liberos reliquit duos, videlicet, *Seleucum Ceraunum*, seu fulmen, & *Antiochum*, cui deinde *Magni* cognomen accessit. Ad Ceraunum natu majorem Regni hæreditas delata est, quam nec ultra triennium tenuit, nec in Ægyptum moliri quicquam valuit. Veneno sublatus fuit in Urbe quadam Phrygiæ, in expeditione adversus Attalum, qui partem Provinciarum illius occupabat (27). In ejus locum successit Antiochus frater, qui pacatis Regni seditionibus, redactisque in potestatem Provinciis, quæ sub elapsis Regibus sese imperio subduxerant, recuperavit Seleuciam ad ostia Orontis, quæ hactenus Ægyptiis paruerat, ac recta se contulit in Cœlesyriam, quam, tradente Præfecto Urbis Theodoto, cepit. Prælio vicit Duces Ptolemæi Philopatoris in faucibus prope Berytum, & partem Phœniciæ sibi adjunxit (28); quod veluti signum datum fuit bello Ægyptiis indicendo. Cum Philopator resistere Antiocho se nondum posse intelligeret, magnos belli apparatus clam moliebatur, fallens interim hostem, simulatas pacis propositiones alias atque alias suggerens. Denique in apertum bellum, productis undique copiis, deventum est, commissoque prælio in Libani faucibus, Philopatoris Duces fracti sunt.

Ita expugnatis Syria & Phœnicia, Antiochus, proximo statim anno in Ægyptum *Raphiam* usque processit. Ibi commisso prælio, ala Ægyptiorum sinistra fracta & dissipata cessit; dextera vero sinistram Antiochi alam fregit; ac celeberrimi hujus prælii victoria Philopatori stetit, Cœlesyria recuperata. Hæc omnia veluti sub oculis exhibet Danielis, quod modo versamus, oraculum. Antiochus *veniet properans*, & more torrentis *inundans*, & *transibit*, & *subsistet*, & *concitabitur*, & *congredietur cum robore ejus*. Hebræus ad verbum (29): *Et veniet, & inundabit, & transibit, & revertetur, & irritabitur usque ad fortitudinem*. Antiochus *venit* e Provinciis superioribus, ubi obitum fratris sui Cerauni intellexit: *inundavitque* torrentis more Syriam universam, & Urbes omnes secum rapuit; Libanum *pertransiens* Cœlesyriam, & Phœniciam superavit. *Stetit* aliquandiu Seleuciæ, pacis conditiones Ægypti Rege interim proponente. Denique *venit concitus* & furens *usque ad fortitudines* ad arces, quæ fines Ægypti tuentur. Relata a Ptolemæo victoria vivis coloribus sequenti versiculo pingitur.

℣. 11. PROVOCATUS REX AUSTRI EGREDIETUR, ET PUGNABIT ADVERSUS REGEM BABYLONIS. Verbis hisce ingenium Regis Ægyptii graphice exprimitur. Vide Polyb. l. 3. Philopator Princeps erat ingenio piger, animo fractus, bellicæ rei experientia carens, molli educatione, otio & voluptatibus fluens, sive consilium aliquod capere, sive susceptum exequi impar. Excitandus erat, stimulisque adigendus, ut ex alto sopore excitatus, de armis capiendis, & repellendo hoste, ipsum Regni limen jam attingente, cogitaret. Factum est denique, ut copias educeret; Ducumque suorum sapientissima administratione & virtute victoriam illam de Antiocho retulit, de qua nos ℣. superiore.

℣. 12. CAPIET MULTITUDINEM, ET EXALTABITUR COR EJUS .... SED NON PRÆVALEBIT. Hoc prælium Philopatori secundum & Antiocho infelix fuit, peditum decem millibus, ac trecentis equitibus amissis, & quater millibus ab hoste captis (30). Sed victor tanta victoria uti nescivit; *spoliasset* enim, ut verbis Justini lib. 30. utar, *regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset; contentus recuperatione Urbium, quas amiserat, quietis actaque pace avidi materiam arripuit*. Hinc Antiochus brevi rediit ad arma, ut ex ℣. sequenti constabit.

Verbis hisce, *Exaltabitur cor ejus*, Gabriel innuit, quam superbe & impotenter Rex Ægypti in Judæos sævierit, Jerosolymam veniens, post victoriam, pedem in Sanctum inferre summa audacia tentavit. Nec repelli valuit, nisi Dei manu, quæ sacrilegum tanta vi adegit in terram, ut motu & vita ferme privatus in Templo jacuerit, donec ope suorum efferretur. Frendens igitur furensque ex urbe exiit, sæva & extrema Judæis minitans. Nec falso: vix enim in Ægyptum restitutus, privilegiis omnibus Hebræos multavit, ac servitutem indixit, ni Religioni suæ renunciarent. Denique eo furoris devenit, ut recusantes parere conterendos elephantum pedibus tradere moliretur. Sed Deus miseros non sine prodigio liberavit, ut in tertio Macchabæorum libro narratur.

℣. 13. CONVERTETUR ENIM REX AQUILONIS, ET PRÆPARABIT MULTITUDINEM MULTO MAJOREM QUAM PRIUS. Antiochus Magnus ignaviam & socordiam Philopatoris Regis Ægypti spernens, de

[20] Vide Justin. lib. 27. c. 1. Appian. Syriac. pag. 130. Polyb. lib. 5. Hieronym. hic; Usser. ad ann. 3758. Vaillant. Hist. Reg. Ægypt. an. 79. Lagid. [21] Quadraginta millia talentorum argenti conficiunt libras 96000000 libris 2400. in singula talenta. [22] Hieron. in Dan. 11. [23] Marmor. Adulit. ab Allatio edit. Rom. an. 1631. [24] Justin. lib. 27. *Nisi in Ægyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset.* [25] Joseph. lib. 2. contra Appian. [26] Justin. lib. 27. cap. 3. [27] Polyb. lib. 4. Appian. Syriac. pag. 131. Justin. l. 29. Hieron. in Dan. 11. [28] Polyb. lib. 5. Vaillant. Hist. Reg. Ægypti ad an. 128. Lagid. [29] ובא בוא ושטף ועבר וישב ויתגרה עד מעזה [30] Polyb. lib. 5.

bello instaurando consilium agitavit. Igitur confecto bello trans Euphratem, in iis Provinciis validissimum exercitum conscripsit (31). Paulo post fatis functo Ptolemæo, Antiochus Rex Syriæ, & Philippus Macedoniæ Rex uno consilio statuerunt, Regno Ægyptiaco exuere Ptolemæum Epiphanem, puerum quadriennem (32), vel quinquennem (33), ac dividere inter se Regnum, utroque partem, quæ sibi maxime commoda esset, assumente; conventumque est inter illos, ut quisque arma eo inferret, quo sibi commodissimum esset (34). Philippus Cariam & Ægyptum invasit; Antiochus Cœlesyriam & Phœniciam.

In fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno. Post septem & decem annos ab amisso prælio ad Raphiam (36), Antiochus Magnus pacem cum Rege Ægypti violavit, hostili exercitu in Cœlesyriam ingressus. Id intelligens Ptolemæus Epiphanes, Scopam misit in Ætoliam ad conducendos milites, atque altero anno Scopas in Antiochum profectus est. Prælio ad Panium prope fontes Jordanis commisso, fractus fususque Scopas, Sidonem fugit, quam statim Antiochus exercitu decem millium strinxit. Porro Antiochus victoriæ præmium Regionem omnem, quam olim Ptolemæus Philopator subegerat relata ad Raphiam victoria, obtinuit.

℣. 14. In temporibus illis multi consurgent adversus Regem Austri. Meminimus supra conspirationis inter Philippum Regem Macedoniæ, & Antiochum Syriæ Regem initæ invadendi Regnum Epiphanis, atque inter se dividendi. Præterea Ægyptum tunc intestinæ seditiones & domestica bella misere dilacerabant; & quæ olim Regno paruerant Provinciæ, desciverunt, non ferentes intolerabilem Præfecti a Rege missi Agathoclis superbiam. Hæc S. Hieronymus in hunc locum narrat.

Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruent. Vulgo (37) hæc exponuntur de Templo Onion, in Ægypto condito, ad mentem oraculi Isaiæ xix. 18. perperam explicati. En illud: *In die illa erunt quinque Civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum: Civitas Solis vocabitur una. In die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, &c.* Cum Onias, filius Oniæ III. Summi Sacerdotis, patre orbatus, secessisset in Ægyptum, servitiis Ptolemæi Philometoris & Cleopatræ sese addixit, impetravitque ab illis facultatem construendi in Ægypto Templum Jerosolymitano simile, ut quidquid Judæorum esset in Ægypto, eo conveniret, muneribus Religionis suæ implendis. Hanc in rem elegit præfecturam Heliopoleos, non obscure designatam eo oraculo Prophetæ; *Civitas Solis vocabitur una*; Heliopolis enim Græce est Urbs Solis. Stetit itaque Templum illud, & de nomine conditoris sui *Onion* appellatum est (38). *Filios prævaricatorum* appellat Scriptura Judæos, qui Oniæ ejusque Templo favebant; neque enim nisi prævaricando construi poterat Templum in terra aliena, atque ita in partes distrahi cultus veri Dei, qui in uno singulari loco rite exhibendus erat, præsertim ex quo Dominus Templum Salomonis centrum sinceræ Judaicæ Religionis destinaverat.

Satis inter omnes constat, Oniam perperam exposuisse oraculum Prophetæ; hinc Angelus non ait quidem, Oniam oraculum Isaiæ implesse; sed tantum implendi illius consilium agitasse, vel implendi consilium simulasse; *Ut impleant visionem*. Quod autem facessit negotium, illud est, nimirum prædici hic a Propheta quid faciendum sit *in temporibus illis*, eo scilicet tempore, quo Antiochus Magnus expeditionem in Epiphanem adhibebat. Certum autem est, Templum Onion nonnisi post plures annos excitatum fuisse, regnantibus Ptolemæo Philometore & Cleopatra ejus sorore & conjuge (39). Altera igitur oraculo huic expositio quærenda est.

Filii rebellium seu prævaricatorum designant, ut opinor, Judæos, qui ad Antiochum desciverunt, deserentes legitimum Regem Ptolemæum Epiphanem, cæso Scopa ad fontes Jordanis. Defectiones nomine *prævaricationum* in Scriptura designari, satis constat. Habet enim, e. g. Isai. I. 2. *Prævaricatus est Moab in Israel*. Textus Hebræus hic designare potest (40): *Filii dividentium*. Filii divisionis, homines defectionis & sejunctionis. Congruunt hæc cum Judæis Jerosolymitanis, qui sponte se Antiocho dediderunt, receptosque in Urbem exercitum ejus & elephantes liberaliter aluerunt, & Regi suppetias tulere in obsidione arcis Jerosolymitanæ, occupatæ a præsidio Scopæ ibi relicto. Docent hæc omnia Josephus & Polybius (41).

Prævaricatores isti, seu rebelles, *extulerunt se ut implerent visionem*; defectione enim imprudentes servierunt consiliis Dei, qui Antiochum Epiphanem Regem Syriæ, filium Antiochi Magni, scelerum eorum ultorem destinaverat. Rati experturos se in Antiocho Magno patronum validumque defensorem, opinione sua frustrati quidem non sunt; quippe quem sibi beneficentissimum habuerunt; sed brevi. *Implenda* erat *visio*, & Judæos Imperio Regum Syriæ submitti necesse fuit, ut Antiochi Epiphanis, filii Antiochi Magni, tyrannidem experirentur; is enim illis fuit lapis offendiculi, ut caderent: *Et corruent* (42). Oraculi hujus impletam fidem noscere licet tum in Libris Macchabæorum, tum ex infra in hoc Capite dicendis.

℣. 15. Veniet Rex Aquilonis, et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas. Fuso fugatoque Scopa, Antiochus Magnus processit ad obsidionem Sidonis, Urbis munitissimæ, quo Scopas reliquias exercitus sui collegerat. Excitati protinus aggeres, admotaque ad oppugnandum necessaria pro more temporis illius. Scopas valide restitit. In auxilium propugnatorum viros bellicæ artis peritissimos miserat Rex Ægypti; sed Scopas unde annonam in Urbem traheret, omni via præclusus, se suosque dedere coactus fuit (43). Eodem anno Antiochus strinxit Gazam, quæ fidem Regis Ægypti sancte retinebat (44). Superiori versiculo animadvertimus, Principem hunc obsidionem pariter arcis Jerosolymitanæ suscepisse. En plura, quam necesse sit, ad adstruendam fidem verbis Gabrielis: *Rex Aquilonis comportabit aggerem, & capiet Urbes munitissimas, & brachia Austri*, seu Ægypti *non sustinebunt*. Altero anno, idem Princeps Urbes & arces plurimas Regis Ægypti subegit; cepit enim Zephirium, Solvam, Aphrodisiadem, Selinuntem, Coracesium; Corycon, Andriacen, Lymiram, Pataram, Xanthum, ac denique Ephesum (45).

℣. 16. Stabit in terra inclyta, et consumetur in manu ejus; ingredietur in terram illam.

[31] Hieron. in Dan. XI. *Incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregavit.* [32] Hieronym. hic. [33] Justin. lib. 30. [34] Polyb. lib. 3. Vide Hieronym. hic. [36] Vaillant. Histor. Reg. Ægypt. an. 125. Lagid. Vide Polyb. in excerptis Vales. pag. 77. 86. Liv. lib. 33. Justin. lib. 31. Hieronym. hic; Usser. ad ann. M. 3806. 3807. [37] Hieron. Pere. Sanct. Vatab. Mald. Munst. &c. [38] Vide nos in Isaiam XIX. Usserium, an. M. 3854. Joseph. Antiq. lib. XIII. cap. 6. & lib. VII. de Bello. [39] Usserius annos XLVII. ponit inter hoc bellum, & *Onion* institutionem. [40] בני פריצים Vide Judic. XXI. 25. & I. Reg. XXV. 10. [41] Joseph. Antiqu. lib. XIV. cap. 3. Vide Polyb. ibid. ex lib. XVI. [42] ונכשלו Theodot. ἀσθενήσουσι. [43] Hieron. hic. [44] Polyb. in Excerpt. Vales. [45] Vide Liv. lib. 33. Hieron. hic; Usser. ad an. 3807.

lam inclytam, quæ potentia illius contereretur. Ad verbum (46): *Stabit in terra pulcritudinis, & perficietur manu ejus*, sive per illum. Mali quidquam intulisse Antiochum Judææ, quæ *terræ pulcritudinis* nomine hic certissime designatur (47), nullibi legimus. Verba hæc, *Perficietur in manu ejus*, benigna significatione accipienda esse censentes, designare credimus beneficia, quibus promeruit sibi Judæos, & quam dedit Templi absolvendi facultatem (48). Recitat Josephus Antiq. l. 12. c. 3. scriptam ab eo Principe ad Ptolemæum unum e Ducibus suis epistolam, in qua post repensas meritas laudes Judæis sponte se famulatui suo addicentibus, mandat, ut quotquot ex ea gente per Regnum dispergebantur, abire liberi Jerosolymam permitterentur; ut vetus Urbi splendor rediret aucto incolarum numero; hisque addit a vectigalibus exemptionem per triennium. Mandat insuper, ut e regio ærario sumptus necessarii in vinum, oleum, thus, sal, frumentum, & victimas ad sacrificia, exhibeantur; denique ut e Libano, & aliis quibusque locis dentur ligna necessaria in Templum, porticus, & reliqua ædificia.

℣. 17. Et ponet faciem suam, ut veniat ad tenendum universum Regnum ejus. In medio victoriarum cursu Antiochus impegit in Romanos, qui assumpto pueri Epiphanis patrocinio, vastis illius consiliis obstiterunt. Statuit igitur bellum Romanum; sed ne quid timeret a Regno Ægypti, ex quo partem maximam jam avulserat, optimum censuit fallere puerum Regem, filiam suam illi nuptum tradens, atque ita illum in partes suas traductum, sperabat futurum, ut post Romanam expeditionem Regno penitus spoliaret, nemine molitionibus hisce obsistente (49).

Recta faciet cum eo, et filiam foeminarum dabit ei, ut evertat illud; sine dolo malo acturum se cum illo simulans, filiam suam illi despondebit, ut incautum perdat. Hebræus (50): *Et recti cum eo & faciet; & filiam mulierum dabit ei ad perdendum illam*; ad perdendam scilicet filiam suam; seu potius: *Ad perdendum Regnum*, sive; ut mulier illa exitio esset viro suo; in Hebræo enim & Græco articulus est fœmininæ significationis. Ministerio filiæ suæ uti voluit, ut Ptolemæum traheret in laqueos, in quos tamen ipse impegit; nam Cleopatra viri amorem & commoda paternis insidiis prætulit (51). *Justi* illi Antiocho faventes, sunt facile Judæi, quos ille tot beneficiis sibi devinxerat. Non semel in Scriptura nomine Justorum, vel Sanctorum, Judæos designari constat (52). Sub signis suis militantes Judæos quosdam habebat Antiochus. Raphiam usque processit, ut connubium filiæ suæ cum Rege Ægypti celebraret (53). Antiochus in dotem filiæ Cœlesyriam, Phœniciam, Judæam, & Samariam hac Lege dedit, ut illarum proventus inter utrumque Regem dividerentur (54).

Et non stabit, nec illius erit. Non successit Antiocho, ut Ægyptum raperet; tum quod Cleopatra consiliis ejus non favebat, cum pariter quod ministri Ptolemæi, rem subodorati, ita omnia compararunt, ut molimina illius frustrarentur (55).

℣. 18. Convertet faciem suam ad Insulas, et capiet multas. Insularum nomen designat plerumque apud Hebræos Insulas Ægæi, Græciam, oras, Asiam minorem. Quibus sic acceptis, omnes ab Antiocho relatæ in Asia minori victoriæ optime comprehenduntur his verbis: *Convertet faciem suam ad Insulas*. Sed uti supra animadversum est, designari hic potius censemus a Gabriele Græcam Antiochi expeditionem. Eo accitus ab Ætolis venit cum quadraginta tectis, & sexaginta non tectis navibus, præter ducenta navigia commeatibus onusta. Erant illi peditum dena millia, equi simul & elephanti sexcenti (56). Cum bellum a Romanis illatum sustinuit, toti fermo Asiæ, Græciæ, & Thraciæ imperabat, instructamque in Hellesponto ingentem classem tenebat. Captas esse ab illo Rhodum, Samum, Colophonem, Phocæam, aliasque plures *Insulas Ægæi*, S. Hieronymus est author.

Cessare faciet Principem opprobrii sui, et opprobrium ejus convertatur in eum; detinebit Principem, a quo ignominia obruetur, & ea, qua ceteros offuderit, ignominia in ipsum recidet. Hebræus (57): *Cessare faciet opprobrium, quo onerabatur, ne probrum suum in ipsum recidat*. Antiochus magnus, a Romanis ad Magnesiam victus, prope radices montis Sypili, conducere rebus suis censuit, si pacem cum illis componeret: atque ita *cessare fecit opprobrium* cædis a se relatæ. Noluit bellum producere, quamvis posset, ne *in novum probrum incideret*, ex novis hostium victoriis; metuensque pariter, ne forte bello captus, Romam traheretur in triumphum. Consilium hoc, quamquam probrum aliquod referebat, tutissimum erat, quin & honestissimum omnium, quæ in eo rerum statu menti occurrebant; si enim bellum pervicaciter secutus esset, accidisset brevi, ut penitus Regno exueretur. Ad casum hunc festive alludens Antiochus, *benigne sibi a Populo Romano factum esse dicebat, quod nimis magna procuratione* [tot Provinciarum] *liberatus, modicis Regni terminis* [ultra Taurum montem non excurrentibus] *uteretur* (58). Leguntur apud Historicos conditiones pacis indecoræ & onerosæ, quam tunc cum Romanis sancivit (59).

℣. 19. Convertet faciem suam ad Imperium terræ suæ; et impinget et corruet, et non invenietur. Hic finis erit Antiochi Magni. Intra veteres Regni sui limites coarctatus, oneratusque a Romanis ingenti tributo, obire statuit remotissimas Imperii sui Provincias, Susasque & Babylonem, ut necessariam pecuniam conficeret. Inter hæc, certior factus, in Templo Elymaidis divites gazas servari, de illo diripiendo statim cogitavit. Actutum igitur eo venit cum exercitu, causatus sese ab iis gentibus provocatum fuisse armis; convolansque ad Templum, pecuniam & quidquid erat pretiosissimum rapuit. Hujus rei nuncium ad vicinos Barbaros delatum, statim illos concivit ad arma; iique impetum facientes in Regem ejusque milites, omnes trucidarunt (60). Ita rem narrant Diodorus Siculus, Strabo, & Justinus. S. Hieronymus tradit neci datum fuisse Regem in prælio adversus Elymæos, & Aurelius Victor (61) necatum a suis asserit, quod in convivio, largiori vino perfusus, illos cecidisset.

℣. 20. Et stabit in loco ejus vilissimus, et in paucis diebus conteretur, non in furore, neg

(46) ויעמד בארץ הצבי וכלה בידו (47) Vide supra Dan. VIII. 9. & I. Reg. I. 19. & Jerem. III. 18. & Ezech. XX. 6. (48) Grot. hic, & Sanct. Hieron. *Consumetur, seu perficietur*. Theodotian. Συντελεσθήσεται ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. Idest, εὐοδωθήσεται, nempe ipse Antiochus. Ita Theodoret. (49) Vide Appian. Syr. pag. 88. & Hieron. hic. (50) וישרים עמו ועשה ובת הנשים יתן לו להשחיתה Theodor. Τὸ διαφθεῖραι αὐτήν. (51) Vide Hieron. hic. (52) Vide Num. XXIII. 10. Judith XI. 7. 9. Dan. VII. 18. 21. 22. 25. 27. VIII. 24. & XII. 7. (53) Livius lib. 35. (54) Joseph. Antiq. lib. XII. cap. 1. Διαμερισθέντων αὐτοῖς ἀμφοτέρων τῶν βασιλέων τῶν φόρων. (55) Hieron. hic: *Ptolemæus Epiphanes, & duces ejus, sentientes dolum, caute se egerunt. & Cleopatra magis viri partes, quam parentis fovit.* (56) Vide Appian. Syriac. pag. 92. Polyb. lib. 3. Justin. lib. 30. & 31. Liv. lib. 35. (57) והשבית קצין חרפתו לו בלתי חרפתו ישיב לו (58) Cicero pro Dejotaro. (59) Vide Polyb. Legat. 24. Diodor. Sicul. lib. Liv. lib. 37. Justin. lib. 31. (60) Ita Diodor. in Excerpt. Valef. pag. 292. & 298. Strabo lib. 16. Justin. lib. 32. Vide & Hieron. in hunc locum. (61) Aurel. Victor. de Viris Illustr. cap. 54.

NEC IN PRÆLIO. Profecturus Antiochus ad Provincias superiores, successorem suum Seleucum Philopatorem, filium natu majorem, renunciavit (61); debilem & inertem hominem (62), qui majoris momenti nihil in regno egit. Ab illo missus venit Heliodorus, sacrum Templi Hierosolymitani ærarium diripere jussus, quemadmodum secundus Macchabæorum liber c. 3. narrat. Id non obscure designant verba illa Textus Hebræi (63). *Stabit in loco ejus homo transferens exactorem glori æ Regni*; qui scilicet mittet Heliodorum, veluti exactorem suum, ad diripiendum Templum, sedem gloriæ Regis Regum.

Philopator, quique illi erant a consiliis, norant quid agitasset Antiochus Magnus de Ægypto; norant pariter & dolebant, sese nedum nihil profecisse e divisione regni illius quam moliebantur; sed & eo redactos fuisse ut dimidium tantummodo vectigalium Cœlesyriæ, Phœniciæ, Judææ, & Samariæ perciperent, quæ ante connubium Cleopatræ cum Ptolemæo Epiphane sibi integra cedebant. Cum Seleucus rebus agendis esset ineptus, Antiochum fratrem, Romæ obsidem, aptissimum fore censuit inferendis in Ægyptum armis. Ex Urbe igitur accito Antiocho, Demetrium filium eo misit obsidem. Sed antequam Antiochus pervenisset in Syriam, Seleucus perfidia Heliodori, Regnum affectantis, necatus est (64). Docet Propheta, Seleucum ignobili nece obiisse, non enim pugnando, neque se defendendo cecidit: *Non in furore, nec in prælis*. Regnavit annis duodecim circiter: *In paucis diebus conteretur*.

℣. 21. ET STABIT IN LOCO EJUS DESPECTUS, ET NON TRIBUETUR EI HONOR REGIUS. Reliqua oraculi hujus series, usque ad finem Capitis XII. spectat ad Antiochum Epiphanem. Judæorum hostem, expressum supra (65) sub emblemate minoris cujusdam cornu, quod post decem præcedentia cornua surrexit. Merito Gabriel de illo futurum prædixit: *Non tribuetur ei honor Regius*; quippe qui Regnum occupavit inauspicato, nullo scilicet jure paternæ hæreditatis, cum Seleucus frater filium hæredem legitimum reliquisset, non populi delectu. Reges Attalus & Eumenes, pulso Heliodoro, nequissimo Seleuci proditore, in solio Regni Antiochum, qui tunc opportune venerat in Syriam, collocarunt (66); Demetrio interim filio Seleuci Romæ obside. Scriptura hic Antiochum *despecti* titulo traducit, sive quod, cum obses fuerit Romanorum, notam aliquam probri incurrerat, sive quod Princeps esset ingenii minime probi & liberalis, sive tandem quod sceleribus Deo esset invisus. In Commentario ad Macchabæos (67) narravimus Principis hujus flagitia, profusiones, amentiam; quare hic ea repetere parcentes, Lectorem, qui plura voluerit, ad Athenæum, Diodorum, & Polybium (68) remittimus.

VENIET CLAM, ET OBTINEBIT REGNUM IN FRAUDULENTIA. Hebræus (69): *Veniet cum quiete*, instar hominis, qui graditur sine strepitu, *& apprehendet Regnum in blanditiis*, vel assentationibus, seu versutiis; vel denique eo irrepet ceu anguis. Artibus & simulatione affectatæ clementiæ capere sibi animos populi novit (70).

Principem hunc indolem affectasse popularem, usque ad contemptum, Diodorus Siculus est author (71). Sæpe ex Aula, insciis domesticis, furtim egrediens, comitantibus uno vel altero socio per Urbem erronum more discurrebat. Amabat comessationes, compotationes, consuetudinesque cum fœce vulgi, cum advenis, & gentibus ignotis. Si quando audisset, cœnam fieri a cœtu juvenum, eo statim se conferebat cum vino & fidicinis, ut socius admitteretur. Ambire interdum visus fuit munia Ædilis, vel Tribuni Urbis, nec humiles prehensationes, nec demississima quæque omittens, quæ Romæ a candidatis præstari didicerat. Manum igitur cujusque assentans, rogansque prensabat, postulans suffragia; quæ ubi deprecando obtinuisset, & populi suffragio accepisset dignitatem, majestate sua longe adeo inferiorem, munia illius tanta gravitate, assiduitate, cura, & diligentia obibat, ut a nonnullis humilis vir ingenii, ab aliis prudentia carens, ab aliis dementissimum caput reputaretur: quamobrem apud nonnullos non *Epiphanes* illustris, sed *Epimanes* stultus, furens audiebat.

℣. 22. BRACHIA PUGNANTIS EXPUGNABUNTUR A FACIE EJUS, ET CONTERENTUR. Heliodorus, Seleuci interfector, cum sectatoribus suis, & Regis Ægypti fautores, qui multa in Syriam moliebantur, victi fuerunt ab Attalo & Eumene, ac dissipati adventu Antiochi, cujus præsentia consilia illorum omnia evertit (72).

INSUPER ET DUX FOEDERIS. Commode hæc accipiuntur de Heliodoro, seditionis principe, qui Seleucum necaverat; seu potius de Ptolemæo Epiphane, viro sororis Antiochi Epiphanis, & superioribus Syriæ Regibus fœderato. Ptolemæus expeditionem suscepturus in Seleucum, Regem Syriæ, magno molimine bellum parabat; cum autem e Ducibus ejus quidam illum interrogasset, unde illi pecunia tantu apparatui necessaria: In amicorum ærariis, respondit. Territi amici, ac metuentes, ne, sese spoliatis necatisque, singulorum bona rapere cogitaret, prævertendum rati, incautum veneno sustulere (73). Atque ita providentia Numinis factum est, ut validissimo hoste submoto, patens ad solium aditus Antiocho daretur.

℣. 23. POST AMICITIAS CUM EO FACIET DOLUM. Antiochus Epiphanes ad solium Syriæ evectus, trahere ad se conabatur tutelam Regis Ægypti, sororis filii, pueri tunc septennis: sed delecti tutores pueri ætate minoris Eulajus, & Lenæus, Cœlesyriam repetierunt, quippe quam dicerent olim a Regno Ægypti per injuriam ab Antiocho Magno avulsam fuisse. Hic fomes fuit belli, quod brevi inter ipsum & sororis filium arsit. Interim Antiochus exteriores adhuc amicitiæ significationes cum Rege Ægypti servabat. Quin & Apollonium legavit Memphim, ut adesset solemni Philometoris inaugurationi; sed cum Apollonius invisum se & suspectum ibi esse intelligeret, idque Antiocho renunciasset, censuit Rex, paranda esse sibi arma adversus ministros Regis Ægypti. Vide 2. Macch. IV. 21. Igitur coacto exercitu, Joppen usque processit, ulterius proficisci non ausus: deinde peragrata Jerosolyma, Tyrum se recepit. Demum recta processit in Ægyptum cum exercitu terrestri, quem maritimo itinere classis comitabatur. Prælium commissum est ad Pelusium, quo victis Ægyptiis, Ptolemæus sponte se Antiocho dedit. Excepit illum benigne victor, ac præter cæteras amicitiæ significationes, muneribus etiam captivum prosequutus est: inde vero concedens Memphim (74), Regni possessionem pro

more

(61) 1. Macch. 12. 23. (62) Appian. Syriac. pag. 131. Hieronym. hic: *Qui nihil dignum Syria & patris gessit imperio, & absque ullis præliis ingloriùs periit.* (63) מעביר נגש הדר מלכות (64) Vide Appian. Syriac. Usser. ad ann. M. 3829. (65) Dan. VIII. 7. 8. 20. 24. (66) Appian. Syriac. pag. 116. 117. (67) 1. Macch. I. 11. & III. 32. (68) Athenæus lib. V. cap. 6. & lib. X. cap. 10. Et Diodor. in Excerpt. Valesi. & Polyb. lib. 26. (69) ובא בשלוה והחזיק מלכות בחלקלקות
(70) Hieronym. hic. (71) Diodor. in Excerp. Valesi. pag. 305. 306. (72) Vide, si placet, Appian. Syriac. 118. 117. Grot. hic. (73) Hieronym. hic. (74) Porphyr. ex Gallinico Sutorio, apud Hieron. in Dan. XI. *Parens puero Regi & amicitias simulans, ascendit Memphim, atque ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo totam Ægyptum sibi subjugavit.*

more & solemni regionis illius ritu inivit. Ita factum est, ut uno belli impetu totum fermo raperet ingens illud Regnum, quod sibi mira facilitate, exercitu pro tantæ molis expeditione plane modico, comparavit: ut verissime de illo affirmari queat, eo illum pervenisse, quo nec pater nec avi pertingere unquam valuerunt: *Et faciet quæ non fecerunt pater ejus, & patres patrum ejus*, ℣. 24. Indigne ferentes Alexandrini, juvenem Ptolemæum ita se dedidisse Antiocho, eumdemque Regem insignia Regni Ægyptiaci adscivisse, ad Regni solium Ptolemæum Evergetem, fratrem Philometoris, evocarunt; unde natum est bellum, de quo statim.

℣. 24. CONTRA FIRMISSIMAS COGITATIONES INIBIT, ET HOC USQUE AD TEMPUS; in urbes munitissimas expeditiones molietur; id autem non ultra certum tempus producetur. Hebræus (75): *Super munitiones cogitabit, & usque ad tempus.* Theodorion (76): *Inibit consilia in Ægyptum usque ad tempus*; quæ lectio optimam sententiam reddit.

℣. 25. ET CONCITABITUR FORTITUDO EJUS, ET COR EJUS ADVERSUS REGEM AUSTRI IN EXERCITU SUO. Non contentus sola administratione Ægypti Antiochus, supremum imperium affectans, Regnum universum ad se trahere cogitavit. Validissimum igitur exercitum instruxit cum quadrigis, elephantis, equitatu & classe non inferiori (77); tantoque belli molimine iterum invadens Ægyptum, prælium miscuit cum Ptolemæo Evergete, quem insigni victoria superavit. Causabatur restitutionem in Regno Ptolemæi Philometoris, filii sororis, quem Ægyptii destituerant, ut Ptolemæum Evergetem, illius fratrem sequerentur (78).

REX AUSTRI PROVOCABITUR AD BELLUM MULTIS AUXILIIS . . . ET NON STABUNT, QUIA INIBUNT ADVERSUS EUM CONSILIA. Regem Austri aggredietur cum validis auxiliis strenuus exercitus, qui tamen non stabit firmus, eo quod consilia in illum ineunda sint. Ptolemæus Philometor, Rex Ægypti, seu potius ejus nomine Antiochus Epiphanes, Rex Syriæ, clausum Alexandriæ Ptolemæum Evergetem cum validissimo exercitu obsidebit; sed tantus belli apparatus frustra cedet. Neque enim nisi rem suam quærens Antiochus *inibat consilia adversus eum*, cujus defensionem tanto ardore urgere videbatur. Soluta ille obsidione Alexandriæ, rediit in Syriam nondum absoluto bello, quod Regnum scindebat in partes, duosque fratres inter se committebat (79).

℣. 26. COMEDENTES PANEM CUM EO, CONTERENT ILLUM. Antiochus Epiphanes, qui rebus & amicitia conjunctissimus cum Philometore videbatur, exitio tamen illius unice studebat. Regnantem Memphi illum reliquit, cum frater ejus Evergetes Regem ageret Alexandriæ. Nec ambigebat ille futurum, ut ambo fratres mutuis bellis se invicem attererent, atque conficerent. Retinuit sibi Pelusium Urbem, unde aditus in Ægyptum patebat, ut, ubi res posceret, in Ægyptum irrumpere, & fratrem altero superiorem opprimere posset (80).

EXERCITUS EJUS OPPRIMETUR, ET CADENT INTERFECTI PLURIMI. Id facile contigit, cum ambo fratres, Philometor & Evergetes, mutuis se bellis lacesserent; seu potius, id consilii Antiochus meditabatur. Molitus fuit ambos fratres inter se in exitium utrinsque committere; sed longe aliter res cessit; pace enim simul composita, ii simul regnavere (81). Stylo Scripturæ res aliqua gesta esse dicitur, cum de illa gerenda consilium initum est, & omnia ad illam necessaria parantur.

℣. 27. DUORUM REGUM COR ERIT, UT MALEFACIANT, ET AD MENSAM UNAM MENDACIUM LOQUENTUR. Junior Philometor, rebus tandem suis melius inspectis, simulque intelligens malas in se artes avunculi Epiphanis, sibi pariter utendum dolis & artificio censuit. Hinc ambo Principes, communi discumbentes mensæ, simulatis amicitiæ & fiduciæ significationibus se invicem fallere satagebant. Vix reductis ab Epiphane ex Ægypto copiis, Philometor de componenda pace sermones primo quidem cum sorore sua Cleopatra, deinde cum fratre Evergete serendos curavit; qua deinde pace facta, Philometor exceptus est Alexandriæ, ubi pacifice cum fratre regnavit.

ET NON PROFICIET, QUIA ADHUC FINIS IN ALIUD TEMPUS. Nec Antiocho usuvenit, ut Philometorem falleret, nec Philometori, ut Antiochum ab Ægypto perpetuo arceret. Ægerrime enim ferens Antiochus, sese illusum esse ab utroque fratre, infestior quam antea, Regnum invasit (82); id quod ℣. 29. exprimitur.

℣. 28. REVERTETUR IN TERRAM SUAM. Redibit, non pacatis, sed turbatis rebus Ægypti; relictis, uti supra animadversum est, ambobus fratribus in mutuam perniciem armatis. Rediit ditatus spoliis Ægypti, & male animatus in Judæos.

ET COR EJUS ADVERSUS TESTAMENTUM SANCTUM. Cum obsidio Alexandriæ urgeretur, falsus de morte Antiochi rumor increbuit, & invidia creata fuerat in Judæos, quod id nuncium lætissimis auribus accepissent: ad hæc, Jason, qui summum Sacerdotium Antiochi authoritate invaserat, cum manu mille armatorum steterat coram mœnibus Jerosolymæ, & populo resistente cedere coactus fuerat. Ex his duo colligebat Antiochus, unde duplex irascendi causa in Judæos; se nimirum huic genti invisum esse, eamque, si daretur occasio, terga statim versuram, ut ad hostes sese conferret. Adversus Urbem igitur infesto agmine incedens, vi illam cepit (83), nihilque eorum, quæ armatus furor docet, omisit; trucidavit enim quadragena circiter millia civium, & totidem vendidit sub hasta, brevi trium dierum spatio. Irrumpens in Templum, locum sanctum polluit, secumque rapuit vasa omnia, thesauros, & ornamenta pretiosa, quæ mille octingentis talentis æstimabantur (84); atque ingenti adeo præda onustus, Antiochiam rediit: *Revertetur in terram suam.*

℣. 29. STATUTO TEMPORE VENIET AD AUSTRUM, ET NON ERIT PRIORI SIMILE NOVISSIMUM. Rediit in Ægyptum; & cum ad obsidionem Alexandriæ proficisceretur, septem millibus passuum ab Urbe distans, Legatos Romanos advenisse intellexit. Illos statim salutaturus adiens Antiochus, epistolas a Senatu datas accepit, quibus jubebatur ab armis in Ptolemæum inferendis abstinere. Deliberaturum se ea de re cum amicis respondit: sed unus e Legatis Popilius, virga, quam manu tenebat, circulum in arena describens circa Antiochum, monuit, actutum responderet. Tunc ille Romanis sese obtemperaturum dixit; nec post multos dies exercitum in Syriam reduxit. Habes id expressum ℣. sequenti.

℣. 30. VENIENT SUPER EUM TRIERES, ET ROMANI, ET PERCUTIETUR, ET REVERTETUR. Cave, ne ista accipias de Romano aliquo exercitu, qui in illum moverit. Absolvendi enim belli hujus tota ratio fuerunt tres Romanorum Legati C. Popilius, C. Decimius, & C. Hostilius, qui Antiochum re infecta redire coegerunt. Hebræus (86): *Venient in illam*

(75) ועל מבצרים יחשב מחשבותיו ועד עת (76) Καὶ εἰς Αἴγυπτον λογιεῖται λογισμοὺς αὐτοῦ ἕως καιροῦ.
(77) 1. Mach. 1. 17. 18. 19. (78) Liv. Decad. 5. lib. 4. Vaillant. Hist. Reg. Ægypti, an. 155. Lagid.
(79) Vide Polyb. Legat. 81. 82. & Liv. Decad. 5. lib. 4. (80) Livius lib. 45. (81) Liv. ibid. & Polyb. Legat. 89. (82) Polyb. & Liv. locis citatis. (83) 2. Mach. v. 10. & Joseph. lib. de Mach. & lib. 1. de Bello cap. 1. (84) Scilicet librarum millibus ter & quadragies centenis & viceni. Vide 1. Mach. 1. 23. 24. 2. Mach. v. 21. & seq. Joseph. Antiq. lib. XIII. cap. 16. (85) Polyb. Legat. 92. Liv. lib. 45. Vellejus Paterculus lib. 1. cap. 15. Valer. Max. lib. 6. cap. 4. Justin. lib. 34. &c.
(86) ובאו בו צים אתים

illam nautæ de Cethim, vel Macedones; venerunt enim re ipsa Legati Macedonicis vecti navibus, quas nacti fuerunt in portu Insulæ Deli; tradit enim Livius lib. 44. & 45. appulsos illos ad hanc Insulam, invenisse quadraginta minora navigia Macedonica, quibus probabile est, uti illos ad reliquum iter voluisse.

INDIGNABITUR CONTRA TESTAMENTUM SANCTUARII. Antiochus Epiphanes, ratus minus conducere sibi, si ipse iterum veniret Jerosolymam, en misit Apollonium, cum mandatis, ut neci traderet quoscumque viros aptos ad arma offenderet; fœminas vero & pueros venderet. Apollonius usque ad diem Sabbathi dissimulavit; cum autem populus diei sancti religionem veritus nihil minus quam defensionem curaret, invectus est in incautos Apollonios, obviosque trucidavit omnes, Urbem cremavit, mœnia dejecit, fœminas & pueros egit captivos, 1. Macch. 1. 30. & 2. Macc. v. 24.

REVERTETURQUE, ET COGITABIT ADVERSUM EOS, QUI DERELIQUERUNT TESTAMENTUM SANCTUARII. Hebræus (86): *Revertetur, & intelliget super derelinquentes Sanctuarium*. Redibit, ut illos favore & defensione prosequatur. Discimus ea 2. Macc. iv. 9. refractarios plures Judæos, & e Sacerdotibus multos jugum Legis Dei sponte excussisse, sanctisque gentis consuetudinibus abjectis, leges moresque Græcorum adoptasse. Prævaricatores istos Hebræorum reliqui ita execrabantur, ut ne vesci quidem cum illis vellent. Ab Antiocho tandem impetrarunt Edictum, quo Judæi sub capitis pœna religionem mutare jubebantur. Genuinam hanc fuisse persecutionis hujus causam, Scriptura quidem diserte non exprimit; sed via aliam fingere possumus; neque enim religionis studium inter potissimas curas Antiochum posuisse, usquam discimus. Judæos ille affligebat non amore promovendæ Numinum suorum religionis, sed ut indulgeret odio suo, apostatarum, falsorum fratrum, & pravorum Pontificum Judæorum, qui illius animum male in Judæos iratum magis magisque efferabant. Nemo sane in tota Historia acrior est in Judæos, quam prævaricatores isti, qui vexandis fratribus suis Ethnicos longe superabant. Non alius ab impio Menelao (87) Apollonium, de quo ℣. superiore, accivit.

℣. 31. BRACHIA EX EO STABUNT, ET POLLUENT SANCTUARIUM FORTITUDINIS. Viri isti potentes, sive, ut habet litera (88), *brachia* sunt Senatores Antiochi, qui Jerosolymam cogendis Judæis ad Sacra Ethnicorum venit (89); Apollonius nimirum, de quo sermo fuit supra, & alii crudelitatis Antiochi ministri, veluti Philippus, sub quo martyrium obiere senex Eleazar, & septem Macchabæi fratres (90); ac cæteri missi in Modin ut Matthatiam, ejusque filios ad sacra profana pertraherent (91).

ET AUFERENT JUGE SACRIFICIUM. Eodem anno & vi Edicti ab Antiocho lati de adigendis ad Sacra Græcorum subjectis gentibus, venerunt Jerosolymam Ministri cum mandatis, ut polluto Templo cultum Dei interdicerent (92).

ET DABUNT ABOMINATIONEM IN DESOLATIONEM. Collocato in Templo Domini Jovis Olympici simulacro, profano Numini illud dedicabunt (93). Erectis passim tota Urbe fanis & aris, impia in illis sacrificia offerre Judæos cogent (94).

℣. 32. IMPII IN TESTAMENTUM SIMULABUNT FRAUDULENTER. Commode hæc accipias sive de ministris Antiochi, qui subdolis promissionibus, blandisque verbis tentabant animos Judæorum, quos minis & suppliciis vincere non poterant. Sive de Judæis apostatis, qui nullum non moverunt lapidem, ut imbecilles fratres suos vel in eamdem secum impietatem traherent, vel saltem inducerent ad animi sensa externa impietatis simulatione tegenda 2. Macch. vi. 21.

POPULUS AUTEM SCIENS DEUM SUUM, OBTINEBIT, ET FACIET, sed qui ex populo noverit Deum suum, constanter Legi hærebit, & illi obtemperabit, Hebræus (95): *Intelligentes Dominum populi firmabunt se, & agent*; vel *refficeat & agent*. Sermo est de Judæis, qui Antiochi jussionibus fortiter restiterunt, malueruntque extrema subire potius, quam impiis Regis mandatis, vel sola obsequendi simulatione, parere. Inter hos eminet senex Eleazarus, & cum sanctissima parente septem fratres Macchabæi (96); & fœminæ illæ, quæ filios suos circumcisione initiarunt (97); sicut & ii qui in loca deserta se receperunt (98); ac denique Asidæi, quorum laudes Macchabæorum Libri (99) prosequuntur.

℣. 33. DOCTI IN POPULO, DOCEBUNT PLURIMOS, ET RUENT IN GLADIO. Respiciunt hæc potissimum Matthatiam cum liberis; quos Scriptura idcirco *doctos* appellat, quod Sacerdotibus in Israele scientiæ depositum creditum esset (1): *Labia Sacerdotum custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus*. Et (2): *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

℣. 34. CUMQUE CORRUERINT, SUBLEVABUNTUR AUXILIO PARVULO. Matthatias & Judas Macchabæi oppressæ genti, desertæque ferme Religioni succurrerunt viribus adeo exiguis, ut felix armorum & laborum utriusque exitus nonnisi faventis Numinis prodigium censeri queat.

ET APPLICABUNTUR EIS PLURIMI FRAUDULENTER. In exercitu Judæ quidam ex Hebræis erant legis parum studiosi, velut illi, qui raptam e Templo Ascalonitico prædam subduxerant, cujus rei causa in prælio ceciderunt (3); & ii qui nomen sibi apud homines facturi, Ducis injussu hostes adorti sunt (4). Denique Hebræus ita commode explicatur (5): Adjunxerunt se illi plures sensim, & sine strepitu; insinuarunt sese in ejus exercitum, qui lateralibus hisce incrementis sensim auctus crescebat. Vide 2. Macch. viii. 1. . . . 4. Hæc posterior interpretatio optima est.

℣. 35. ET DE ERUDITIS RUENT, UT CONFLENTUR ET ELIGANTUR; e doctis quidam succumbent, ut per ignem transilientes, lustrentur. Designantur hisce ii, qui mortem in specubus oppetere, quam arma capere die sabbathi maluerunt (6); vel Eleazarus, cæterique, qui acerbissima sub Antiocho supplicia passi sunt.

USQUE AD TEMPUS PRÆFINITUM: QUIA ADHUC ALIUD TEMPUS ERIT. Vexatio hæc usque ad certum tempus producetur; sed perfecta quies ab ea molestia tandem succedet. Vide ℣. 27.

℣. 36. FACIET JUXTA VOLUNTATEM SUAM REX . . . . . . ET MAGNIFICABITUR ADVERSUS OMNEM DEUM. Consilia sua facili lenique cursu procedere ac perfici, Antiochus intelliget. Ex Judæis plerique, cum Sacerdotibus plurimis & Samaritanis, primo quidem ad illum accesserunt, ac Deus ad tempus dissimulare visus est fœda illa & turpia, quibus Templi sui sanctitas violabatur. Tot secundis rebus velificantibus Epiphani, ille præter hominis modum evehebatur, ac religionem negligebat. Templum Jerosolymitanum diri-

(86) ושב ויבן על עזבי ברית קדש (87) 2. Macc. v. 24. Vide & 2. Macch. 1. 55. (88) וזרעים Theodot. [illegible]. Alius, [illegible], *semina*. (89) 2. Macch. vi. 1. (90) 2. Macch. vi. 11. vii. (91) 1. Macch. 11. 15. (92) 1. Macch. 1. 30. . . 46. . . 51. & 2. Macch. vi. 6. & v. 24. (93) 2. Macch. vi. 1. 2. (94) 1. Macch. 1. 50. & sequ. 57. *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*. (95) ועם ידעי אלהיו יחזקו ועשו (96) 2. Macch. vi. 18. & vii. (97) 1. Macch. 1. 63. (98) 2. Macch. 1. 56. (99) 1. Macch. 11. 42. vii. 17. 2. Macch. xiv. 16.
(1) Malach. 11. 7. (2) Osee iv. 2. (3) 2. Macch. xii. 40. (4) 1. Macch. v. 56.
(5) ונלוו עליהם רבים בחלקלקות (6) 1. Macch. 11. 29. 38. & 2. Macch. vi. 11. Joseph. Antiq. l. xii. c. 8.

diripuit, atque idem excidium aliis etiam Templis intulisse, Polybius est author (7).

ADVERSUS DEUM DEORUM LOQUATUR MAGNIFICA. Vide supra Caput VII. 8. & 1. Macchabæorum II. 6. in Græco; & 2. Macchabæorum VIII. 4. & IX. 8. X. 4. 34. 35. ac præsertim Ecclesiasticum XXXVI. 12. *Contere caput Principum inimicorum dicentium: Non est alius præter nos.*

DIRIGETUR, DONEC COMPLEATUR IRACUNDIA; prospere omnia illi cedent, donec ira Dei in illum ferveat; donec extremam impleat criminum suorum mensuram, ac Dei patientia ultimos fines attingat; seu potius: Donec furor Dei in populum suum expleatur. Vide 2. Macchabæorum VI. 12. 13. 15. 16. & VII. 6. 7. 32. &c. Nec enim singula suo tempore fient. Non semper Deus contrarius erit populo suo, converso tandem oculo illos respiciet. *Perpetrata quippe est definitio.* Hebræus (8): *Quia res decisa est, facta est.* Certa sedet Deo & fixa sententia; tempus designatum & definitum est. Vide supra IX. 27. XII. 9. 11. 12.

℣. 37. DEUM PATRUM SUORUM NON REPUTABIT. Religiones omnes de ridiculo traducebat Epiphanes. Præter Templum Jerosolymitanum Græcaque fana a se direpta, expilare etiam Elymaidis fanum moliebatur (9); bis tamen non prohibebatur, quominus interdum Religionis sacra quædam admitteret, suppeditaretque in victimas & sacra Templorum munera, sumptus, qui majorum magnificentiam superabant (10): hinc discas, nihil satis dignum Principe illum sapuisse, nec de Religione nisi absurda sensisse.

ERIT IN CONCUPISCENTIIS FOEMINARUM. De Antiocho ita S. Hieronymus, hic: *Antiochus luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse regiæ dignitatis, ut mimis quoque & scortis publice jungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.* Narrans Diodorus Siculus (11) pompam quamdam Antiochi, in Urbe Metropoli, asserit spectaculum sui in ea pompa fecisse octoginta Regis uxores, vectas sellis, quibus aurei pedes erant, quingentas vero pellices, insidentes sellis, argenteos pedes habentibus. Denique ex 2. Libro Macchabæorum IV. 30, discimus, pellicem quamdam suam, Antiochidem nomine, donasse illum duplici apud Cilices Urbe, Tharso nempe & Mallotha; quod indigne & graviter ferentes Urbium illarum Cives, descivisse ab Antiocho, redigendisque illis in fidem ipsum per se Regem eo venisse.

Textus Hebræus commode aliter exponitur (12): *Non curabit amicitiam fœminarum, nec ullum ex Diis.* Quæ plane contraria sunt iis, quæ supra adnotavimus. Censet Grotius, Antiochum in iis, quibus Judæos fecit, malis, nihil imbecilliori sexui pepercisse. Imperavit Apollonio, ut fœminas æque & pueros captivos ageret (13); quin & ejusdem jussu plures necatæ sunt (14); suspensis earum collo infantibus, quos circumcisione initiasse deprehensæ fuerant (15). Verti etiam potest, aliquibus mutatis: *Nullam rationem habebit desiderii Principum, neque Judicum*; non Optimatum Aulæ, non Præfectorum Provinciarum, non Urbium Magistratuum.

℣. 38. DEUM AUTEM MAOZIM IN LOCO SUO VENERABITUR; Maozim colet in loco, quem ipse huic Numini destinaverit. Quæ sit genuina significatio vocis hujus *Maozim* arduum est definire. Commode sic exponitur a. Adorabit Deum fortitudinis, simulacrum Jovis Olympici, quod ille in Templo Jarosolymitano collocabit; Deum patribus suis ignotum. Quamvis enim noverint illi Jovem Olympicum; nunquam tamen illum ibi, & *in basi*, in quâ collocatus est ab Antiocho, coluerunt. Nec alia aptiori appellatione Numen illud designare poterant Prophetæ, quam nomine *Dei fortitudinis*, tum ex loco, ubi consecratum fuerat, loco nempe munitissimo, appellato interdum in Scriptura (16) *Maoz*; tum etiam quod arcem ibi extruendam, veluti Numinis tutelam, curavit, uti etiam sequenti versiculo adnotatum est: *Et faciet, ut muniat loca fortia* (Hebr. *arces Maozim*, nempe locorum fortium) *cum Deo alieno, quem cognovit.* Cæterorum Numinum religionem negligens Antiochus, Deum hunc tamen honoribus cumulabat in loco patribus suis ignoto.

II. Sunt qui (17) dictum de vero Deo accipiant. ℣. 37. *Adversus universa consurget*, [38] *& adversus Deum fortissimum. In loco ejus venerabitur Deum alienum, quem ignoraverunt patres ejus*; [40] *& faciet munitiones in loco fortissimo* (in Templo Dei fortium) *Deo suo alieno.* Re ipsa quidem Antiochus arcem condidit prope Templum Domini Dei fortissimi (18), *Dei Maoz*, ubi simulacrum Jovis Olympici consecraverat. Deus Israelis nomine Dei fortis, vel Dei fortitudinis (19) a Daniele non semel designatur.

III. Malunt alii, Deum Maozim Martem esse, Deum armorum, Deum fortium. Forte etiam est Hercules *Azizus*, de quo Julianus Imperator in hymno (20). At hunc ne Deum Antiochus Epiphanes ejusque majores ignorabant? Quibus argumentis demonstratur, tantum Religionis erga Martem Antiocho insedisse?

IV. Porphyrius apud S. Hieronymum (21) censet, Deum Maozim cultum fuisse in Modin, vico Palæstinæ; ubi sedem habebant Macchabæi. Ab ipsis Antiochi ministris Numen illud ibi consecratum fuerat, quod ex eo vico nomen desumens, quamquam ipsissimus erat Jupiter, *Maozim* appellatum fuit. Verum hæc inter incertissima sunt. Jupiter Numen erat nec ignotum Antiocho, nec Patribus illius, & Numen *Modin* longe aliter ac *Maozim* scribitur. Inter varias hasce sententias, alteram a nobis propositam æquiorem planioremque, quamquam difficultatibus non careat, arbitramur.

℣. 39. ET FACIET UT MUNIAT MAOZIM CUM DEO ALIENO, QUEM COGNOVIT. Hebræus (22): *Et faciet munitiones Maozim cum Deo alieno, quem cognovit.* Arcem condet prope Templum Dei fortissimi, Deo alieno quem cognovit. Arcem condidit Antiochus, uti supra animadvertimus, propugnaculum Dei illius, quem ipse in Templo collocaverat.

MULTIPLICABIT GLORIAM, ET DABIT EIS POTESTATEM IN MULTIS, ET TERRAM DIVIDET GRATUITO. Hebræus (23): *Distribuet illis terram in præmium.* Beneficiis & gloriis cumulavit Antiochus cultores Dei illius, quem ipse in Templo Domini consecraverat, deditque illis solum, quod Judæi, fidei avitæ studiosi, deseruerant, vel donavit illos præfectura arcium Religionis illius.

℣. 40. TEMPORE PRÆFINITO PRÆLIABITUR ADVERSUS EUM REX AUSTRI. Ptolemæus Evergetes Rex Ægypti, nunquam ab armis in Antiochum Epipha-

(7) Polyb. apud Athen. lib. 6. cap. 6. Γεγονέναι δ' καὶ πλεῖστα τῶν ἱερῶν. (8) כי נחרצה נעשתה
(9) 1. Macch. VI. & 2. Macch. 12. (10) Polyb. lib. V. cap. 6. Ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις, & ταῖς πρὸς τοὺς Θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας. (11) Diodor. in Except. Vales. Vide & Athen. lib. 5. cap. 6. (12) ועל חמדת נשים ועל כל אלוה לא יבין Theodot. Καὶ ἐπὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα Θεὸν οὐ συνήσει. (13) 1. Macch. 1. 33. 34. (14) 2. Macch. V. 13. (15) 1. Macch. 1. 63. 64. (16) Ezech. XXIV. 25. (17) Jun. Piscat. Pol. alii quidam. (18) Vide Psalm. XXVI. 1. XXVII. 8. XXX. 3. XLV. 36. Prov. X. 29. Isai. XVII. 9. (19) Dan. XI. 31. חללו מקדש המעוז Vide & Dan. VIII. 10. 11. (20) Hymn. Sol. apud Julian pag. 24. Ἄζιζος. Vide Grot. hic. (21) Hieronym. in Isai. XXX. & in hunc locum. (22) ועשה למבצרי מעזים עם אלוה נכר אשר הכיר
(23) ואדמה יחלק במחיר Theodot. Καὶ γῆν διελεῖ ἐν δώροις.

pianem cessavit, donec pax inter illos, agentibus Romanorum Legatis, composita non fuit; uti supra ℣℣. 29. & 30. diximus. Hujus expeditionis, iis versiculis vix significatæ, historiam texera hic Angelum Gabrielem, arbitramur. Igitur Antiochus cum ingenti exercitu, *quasi tempestas*, irruit in Ægyptum, falcatos secum currus equitatumque ingentem trahens, idemque cum illo iter tenabat instructissima classis, quæ ad Pelusium stetit.

Vix Rhinocoruram venit, obviam occurrerunt Legati Philometoris, rogantes quid a Rege sui vellet Antiochus, postulantesque, ne armatus pedem in Ægyptum inferret. Quibus Antiochus neque se, neque classem recessuros dixit, nisi prius sibi traditis Insula Cypro & Pelusio, totaque regione, quæ circa ramum Nili, prope Pelusium fluentem, jacet; statuitque simul tempus, propositionibus hisce suis respondeaent, atque interim propius Memphim accedebat. Dedebant sese interim Ægyptii victori, seu sponte, seu vi. Cum tempus ad deliberandum Ptolemæo datum effluxisset, modicis itineribus perrexit Alexandriam; jamque pervenerat Eleusinam, quatuor millibus passuum ab illa, cum Legati Romanorum venerunt, coegeruntque vel nolentem in Syriam redire (24), quemadmodum supra adnotatum est.

℣. 41. Introibit in terram gloriosam, et multæ corruent. Supra narratum est, quo pacto Antiochus in Ægyptum penetravit, in Regionem scilicet adeo uberem, tam beatam, & feracem; ex quo facile intelligas, quam cladem intulerit exercitus victor, sub Principe sanguinis & ubinnis avido. Sed proxime sequens versiculus hæc de Judæa explicari jubet. Regio hæc sæpe appellatur in Scriptura *terra gloriosa*, vel pulcra (25). Si enim Antiochus meditabatur invadere Moabitas, Ammonitas, vel Idumæos, qua de re ℣. sequenti, optime tunc poterat, cum per Judæam transibat; præpostera autem erat expeditionis illius cogitatio, cum in Ægyptum jam venisset.

Hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon. Ex Arabibus ii, qui finitimi erant Ægypto, venienti se dediderunt; sed abstinuit a tentandis Idumæis & Ammonitis, ne nimia copiarum divisione exercitum suum plus æquo infirmaret (26).

℣. 43. Per Libyam quoque, et Æthiopiam transibit. Vel ipsis Geographiæ tyronibus constat, Antiocho pronum esse per Libyam atque Æthiopiam iter minime potuisse, ut ex Syria in Ægyptum proficisceretur, Itaque legit Hebræus (27): *Lubim & Cuschim in gressibus ejus*. Gentes istæ Regem pone sequuntur, in exercitu ejus militant. Demonstratum est alibi, *Cuschim* Ægypto vicinos designare Arabes in extrema ora septemtrionali Erythræi. *Lubim* occurrunt in Albania (28), & in Armenia. Apud S. Epiphanium l. 1. contra Hæres. §. 4. legas, Arcam Noe insedisse vertici montis *Lub* vel *Lubar*. Provinciæ istæ tunc in ditione Epiphanis continebantur.

Theodotion aliter in Hebræo legit, vertit enim (29): *Et ex Libyis, & Æthiopibus in munitionibus eorum*. Arces Regis Ægypti militibus ex Libya atque Æthiopia defendebantur. Utraque gens finitima erat Ægypto; hinc non immerito arbitramur, Ptolemæum, qui procul ex ipsa Græcia accivit auxilia (30), vicinas subditasque sibi gentes non neglexisse; aliqua enim saltem pars Libyæ & Cusch Ægypto parebat. Postremam hanc interpretationem optimam existimamus.

℣. 44. Fama turbabit eum ab Oriente et Aquilone. Turbavit animum Antiochi nuncius, referens, Provincias orientalas, & Artaxiam Regem Armeniæ ad septentrionem res novas moliri, & seditionem. Didicit etiam, cum adhuc in Ægypto versaretur, Judam Macchabæum novis iodies victoriis cædere Duces suos in Judæa, quæ septemtrionalis est Ægypto. Per idem tempus Parthos quoque in Antiochum descivisse, ex Tacito intelligimus (31).

Et veniet in multitudine magna, ut conteret et interficiat plurimos. Profecturus Antiochus in expeditionem trans Euphratem, Lysiæ, cui Regnum absens curandum dederat, dimidium totius exercitus dedit cum mandatis, ut gente Judæorum deleta, aliarum gentium Coloniis illuc transferret (32). Eo venerunt cum exercitu tres copiarum Syriæ Imperatores, Ptolemæus, Gorgias, & Nicanor (33); & quamquam Judaa variis secundis prœliis illos cohibuit, adhuc tamen Judæa sævissime vastata fuit, eademque velut hostilis regio, direptioni permissa, ab iis habita est.

℣. 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum et sanctum; figet tentorium habitaculi sui inter maria, &c. Nomen *Apadno* vertimus hic *habitaculi sui*, quod hæc esse genuina Hebræi significatio affirmeiut (34). Vertunt alii (35): *Figet tabernaculum equitatus sui inter maria, super montem sanctum fortitudinis*. Septuaginta: *Tunc figet tabernaculum suum inter maria*. Alii (36): *Figet tabernaculum tunicæ suæ*; eo quod, ait Fulletus, mos esset Romanis, e summo Imperatoris tentorio suspensa tunica purpurea signum prælii dare (37). Id forte adoptaverat Antiochus, qui diu obsidem apud Romanos egit. Sed hæc nimis longe petuntur.

Versiculum hunc spectare ad expeditionem Antiochi trans Euphratem, & ad mortem, quam in itinere illo oppetiit, Porphyrius censuit; cujus expositionem Religioni nostræ nihil nocere, S. Hieronymus fatetur. Integer versiculus ita reddi potest ex Hebræo (38): *Figet tentoria in Apadno duorum marium, prope montem Sanctum Zabi. Et veniet ad exitum suum, & non erit ei adjutor*. *Apadnu duorum marium* Mesopotamia esse potest. Probabile est enim, *Padan duorum marium* idem esse ac *Padan duorum amnium*, vel (39) *Padan Aram*, sive *Aram Naharaim*, quod Mesopotamiam certo significat. Amnes Tigris & Euphrates tantum aquarum trahunt, tunc præsertim, cum imbribus tument, ut maris nomen sibi merito vindicent. Quælibet aquarum receptacula uno communi nomine a Scriptura appellantur maria: *Congregationes aquarum vocavit maria*. Genes. 1. 10. Babylonem designat Isaias 21. 1. iis verbis: *Onus deserti maris*; quod scilicet Urbs illa jaceret ad confluentem Tigridis & Euphratis, in loco alluvionibus obnoxio. Jeremias LI. 42. prædicit futurum, ut ea Urbs destruatur, & *ascendat super Babylonem mare*; id est, aquæ inundantis Euphratis. Hic, quemadmodum & Tigris, verno tempore

(24) Vide Liv. lib. 45. Polyb. Legat. 92. Hieronym. hic. (25) Vide sup. Dan. XI. 16. vers. 9. &c. (26) Vide Hieron. hic. (27) ולבים וכושים במצעדיו (28) Plin. lib. 6. cap. 10. *Ab Albania confinis, tota montium fronte gentes Sylvarum fera, & infra Lubienorum*. (29) Καὶ Λίβυες, καὶ Αἰθίοπες ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν αὐτῶν. (30) Polyb. Legat. 89. & 91. (31) Tacit. lib. 5. cap. 8. *Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnisus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est; nam ea tempestate Arsaces defecerat*. Vide & Porphyr. apud Hieron. hic. (32) 1. Macchab. III. 32. . . 37. (33) Vide 2. Macch. VIII. 8. 9. & 1. Macch. III. 38. 39. (34) Ita Rabb. Pol. Vat. Gejer. (35) Symmac. Ἐπήξει τὰς σκηνὰς τῆς ἱππασίας αὐτοῦ, μεταξὺ τῶν θαλασσῶν. Ita & Scholiast. Græc. Ἐφαδανὼ, τοῦτ' ἐστι τῆς ἱππασίας, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἱππικὸν στρατόπεδον. (36) Fuller. Miscellan. lib. 5. ויטע אהלי אפדנו, ex אפד amicire, vestire. (37) Plutarch. in Fabio. (38) ויטע אהלי אפדנו בין ימים להר צבי קדש ובא עד קצו ואין עוזר לו * (39) Vide Genes. XXIV. 10. Deut. XXIII. 4. Judic. III. 8. Gen. XXV. 20. XXVIII. 2.

pore late inundabat (40); eademque anni tempestate Antiochus venerat in Mesopotamiam, ut Artaxiam Regem Armeniæ rebellem coerceret (41). Forte etiam Angelus locutionem hanc affectans, *Padan inter maria*, designat aquarum conceptacula, & lacus, qui sunt ad ostia Tigridis & Euphratis, atque in finibus Armeniæ (42).

MONS SANCTUS ZABI, est facile mons imminens Urbi *Tabe*, ubi Antiochus obiit (43). Literæ *tzade* & *then* sæpe indiscriminatim altera pro altera ponuntur. *Taba* Urbs erat in Perside, authore Polybio, & in Pretacene ex Q. Curtio lib. v. c.13. Ex Libris Macchabæorum discimus, Antiochum miserabili exitu in montibus interiisse: *Peregre in montibus miserabili obitu vita functus est*. Ibi locorum cum *ad exitum suum* venisset, & in ipso mortis limine constitutus, desertum se a Deo & *sine adjutore*, inter acerbos morbi cruciatus, & inutili sauciatus dolore, sensit. Vide 1. Macc. VI. 11. 12. & 2. Macc. IX. 9. &c.

Theodoretus, S. Hieronymus, aliique multi ex Interpretibus vindicant hæc Antichristo. Nec equidem negandum est, Antiochum Epiphanem imaginem fuisse luculentissimam, siqua usquam, maxime infesti hujus Jesu Christi adversarii (44). Ante Mundi exitum eventura credimus, sed longe horribilius, quæcumque Angelus Gabriel de malis ab Antiocho in Judæos inferendis prædicit. Sed cum Antichristi furiæ quæ futuræ sint, penitus ignoremus, ad executionem historicam & literalem quod attinet, sistendum censuimus in Historia Antiochi, ubi certa nobis & explorata occurrunt; cum de Antichristi injuriis nihil offeratur, nisi ex conjecturis inanibus, incertisque meditationibus petitum, quippe de re omnibus inexplorata, præter quam iis, qui testes futuri sunt. Quæcumque nobis de iis dicenda succurrerent, cum certi parum haberent, utilitatis nihil referrent.

CAPUT XII.

Felicitas Judæorum post ærumnas. Duos homines constitutos in utraque fluminis ripa Daniel per visum aspicit. Visi hujus expositio.

℣. 1. IN tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis
populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo Gentes esse
cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. 2. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper. 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. 4. Tu autem, Daniel, claude sermones, & signa librum, usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. 5. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis. 6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Usquequo finis horum mirabilium? 7. Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram, & sinistram suam in cœlum, & jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc. 8. Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? 9. Et ait: Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones, usque ad præfinitum tempus. 10. Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & impie agent impii, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent. 11. Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. 12. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 13. Tu autem vade ad præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum. *Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus. Quæ sequuntur usque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.*

℣. 1. IN TEMPORE AUTEM ILLO CONSURGET MICHAEL. Caput hoc cum superiore jungitur. Versante adhuc Antiocho in Provinciis trans Euphratem, Archangelus Michael, Judæorum propugnator, accurrit in suorum defensionem, adversus conatus Ptolemæi, Nicanoris, & Gorgiæ, qui Judæam invaserant, in varia copiarum agmina divisi; quæ simul omnia peditum quadraginta millia & equitum septena millia superabant. Totum hoc Caput de Antichristi tem-

pore

(40) Strabo lib. 16. Plin. lib. 18. cap. 18. (41) Porphyr. apud Hieronym. hic, Appian. Syriac. pag. 117. 131. (42) Vide quæ diximus hac de re in Genes. 11. Mela lib. III. cap. 8. (43) Polyb. in excerp. Vales. pag. 144. Α'ντίοχος ἐν Ταβαῖς τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον. (44) Hieronym. in Dan. XI. 21. *Antichristus pessimum Regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, Templumque violavit, recte typum sui habuisse credendus est.*

pore explicant Patrum & Interpretum plerique. Quam opinionem minime spernentes, in expositione literali & historica sistimus, & ad tempora Antiochi Epiphanis hæc referenda censemus cum Josepho (1), S. Chrysostomo (2), Porphyrio (3), Scaligero (4), Grotio (5), aliisque nonnullis commentariorum Scriptoribus. Nomen *Michael* (6) sonans, *Quis ut Deus?* persimile est nomini *Macchabæus*, quod ex primis literis singularum vocum sententiæ hujus componitur: *Quis similis tui in Diis Domine*.

VENIET TEMPUS, QUALE NON FUIT AB EO, EX QUO GENTES ESSE CŒPERUNT. Si quis mentem advertat ad rerum Judaicarum ætatis illius statum, facile intelliget, nihil hic exaggerationi indulgeri; nunquam enim alias in tantis angustiis populus gemuerat. Latum ante biennium ab Antiocho edictum adhuc integre vigens, severissime servabatur. Avitæ Religioni renunciare Judæi cogebantur (7); & si qui renuerent, sævissimis suppliciis torquebantur. Templi sanctitatem polluerant nefanda sacrificia, & facta turpiora (8); quibus accedebat Jovis Olympici simulacrum in loco Sancto (9). Cautum erat, ne circumcisione infantes initiaretur (10); jussæque, vel, si mavis, permissæ vicinæ quæque gentes miseros invadere, & vi adigere ad Religionem abjiciendam (11). Sacri Codices sedulo perquisiti ad ignem, ut dissiparentur (12); Judæorum plerique in superstitionem lapsi; Jerosolyma deserta, & mœnibus exuta; modicus ille populus, qui in fide perstiterat, extorris, coactusque recipere se in abditos specus, a perquisitionibus fictorum fratrum, & sævitie carnificum perfugia. Denique Antiochus, in expeditionem trans Euphratem profecturus, Lysiæ imperavit, Judaicum nomen deleret, ut ne illius quidem memoria superesset; jussitque, internecino bello illos atteri, eorumque Regionem aliis gentibus incolendam tradi (13). Tot afflictæ malis genti unica spes supererant sex vel septem millia male armatorum, duce Juda Macchabæo (14). Is tunc status erat Judæorum: quo quid miserius?

IN TEMPORE ILLO SALVABITUR POPULUS TUUS OMNIS, QUI INVENTUS FUERIT SCRIPTUS IN LIBRO. Tot inter calamitates, cum jam omnia proximam certamque ruinam minitari videbuntur, id committit Deus, ut salvi sint quicumque *scripti fuerint in Libro suo*, qui Dei esse dicentur, qui jussionibus illius & mandatis fideles paruerint. Quo magis ardua res videtur, eo dignior est summo Universi Imperatore. In libro adscribi, perinde est, ac inter prædestinatos (15), inter amicos, inter fidos Dei censeri. Qua loquendi forma exhibetur Deus ceu Princeps aliquis, tenens in albo descriptos Præfectos, milites amicosque, qui morientium, vel militiam deserentium nomina subinde delet. Vide Exod. XXXII. 33.

℣. 2. MULTI DE HIS, QUI DORMIUNT IN TERRÆ PULVERE, EVIGILABUNT. Nihil luculentius ad confirmandam mortuorum resurrectionem, quam totus hic versiculus, cujus hanc esse significationem pronam, simplicem, ac literalem, constat. Si quis tamen hæc metaphorice accipiat, optime accommodabit Judæis illis, qui ad evitandas hostium vexationes, veluti sese condiderant speluncis & cavernis, perinde ac vivi homines humi sepulti (16). Hyperbolica hæc melius conveniunt vernaculæ Hebræorum linguæ, quam nostræ; neque crebra desunt exempla in Prophetis (17), & in ipso pariter Evangelio Matth. XXIV. 24.

Cæterum cum scribitur: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*, non ita accipiendus est verborum sensus, ac si resurrectio omnes æque justos non maneret, sive Judæi, qui bonæ causæ tuendæ gratia se subduxerant in tutum, ad lucem iterum non forent redituri. Illud *multi* usurpatur pro *omnes*, designatque ingentem multitudinem eorum, qui in vitam restituentur (18); sicut & Judaicam gentem, quæ in nihilum ferme redacta videbatur, se ipsam quodammodo iterum producturam, atque ita auctum iri, ut oculis hominum iterum reviviscat populus, qui tamquam exanimum cadaver sepultus delituit; ac denique futurum, ut ingens numerus illorum, qui territi adversariorum furore latuerunt, iterum prodeant in lucem, & veluti e terra surgant.

EVIGILABUNT ALII IN VITAM ÆTERNAM, ALII IN OPPROBRIUM, UT VIDEANT SEMPER; ut illud semper ob oculos habeant. Luculenta sunt hæc, ut adstruant gaudium, luctumque sempiternum, illud bonorum præmium, istum vero malorum in altera vita supplicium. Nec nisi tropice accomodari possunt restitutis Judæorum rebus virtute Macchabæorum, prostratisque impiis & Judæis apostatis, debellato Antiochi exercitu. Scripturæ stylo verba evigilare, & revocare in vitam, nihil plerumque aliud significant, quam ingenti discrimine liberare, restituere valetudini, servare, ab oppressione & captivitate educere, &c. (19). Verba illa, *ut videant semper*, ita sonant in Hebræo (20): *Ad ignominiam æternam*.

℣. 3. QUI AUTEM DOCTI FUERINT, FULGEBUNT QUASI SPLENDOR FIRMAMENTI. Sacerdotes, penes quos est depositum scientiæ Legis, viri docti & fideles, qui ceu lucerna quædam populo fulserunt, quique alios consilio juverunt, veluti astra firmamenti fulgebunt. Gloria æterna in altera vita, in præsenti vero nunquam interitura nominis fama fruentur. Scite S. Hieronymus *hic*: *Tantum inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem interest, quantum Cælum distat & stellæ*. Accipi hæc omnia possunt de Macchabæis, cæterisque Sacerdotibus in Lege eruditis, qui Religionis studio, morum sanctitate, & scientia adversus hostium conatus, de quibus hactenus, Religionem tutati sunt. Juvat hæc componere cum ℣. 33. Capitis superioris. Hebræus legit (21): *Qui erudiunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti; & justificantes multos sicut stellæ in sæculum, & in æternitatem*. Iis vocibus *erudientes*, & *justificantes*, unum idemque significari hoc loco credimus, eos nempe, qui Legem & vias justitiæ docent. Theodotion, & vetus Vulgata apud S. Hieronymum ferebant: *Intelligentes, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & de justis plurimi quasi stellæ in æternum & ultra* (22).

℣. 4. CLAUDE SERMONES, ET SIGNA LIBRUM USQUE AD

(1) Joseph. Antiq. lib. x. ad fin. (2) Chrysost. homil. 3. contra Judæos. (3) Porphyr. apud Hieronym. hic. (4) Scalig. lib. 6. de Emend. Tempor. (5) Grot. hic. Vide & Pol. & Villet. (6) מיכאל מכבי nimirum מי כמוך באלים יהוה Exod. XV. 11. (7) 1. Macch. 1. 43. &c. (8) 2. Macch. VI. 4. 5. (9) 2. Macch. VI. 1. 2. (10) 1. Macch. 1. 46. 64. (11) 2. Macch. VI. 8. 9. (12) 1. Macch. 1. 59. (13) 1. Macch. III. 32. (14) 1. Macch. III. 42. & 2. Macch. VIII. 12. & sequ. (15) August. lib. XV. de Civit. c. 15. *Non Deum Liber iste commemorat, ne oblivione fallatur; sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita.* (16) Vide 1. Macch. 1. 58. 2. Macch. V. 27. & X. 6. 7. (17) Isai. XLI. 14. *Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel.* Ezech. XXXVII. 4. & sequ. *Ossa arida, audite verbum Domini.* (18) Psal. XCVII. 1. Isai. LII. 14. 15. Rom. V. 15. 19. & XII. 5. Vide Gloss. Rhetor. lib. 1. c. 15. Peter. & Gejer. hic; & August. lib. XX. de Civit. c. 23. & Theodoret. hic. (19) Vide 4. Reg. XIII. 21. 1. Par. XI. 8. 2. Esdr. IV. 2. IX. 8. Psal. XXIX. 4. XL. 3. LXX. 20. Eccle. VII. 11. & passim. (20) לדראון עולם Theodot. Αἰσχύνην αἰώνιον. S. Hieronymus legit, לראון עולם (21) והמשכילים יזהירו כזהר הרקיע ומצדיקי הרבים ככוכבים לעולם ועד (22) Theodot. Καὶ ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν, ὡς οἱ ἀστέρες. Ita Edit. Rom. & Complut.

AD TEMPUS STATUTUM. Vide supra Danielem VIII. 26. Isaiam, XXIX. 10. 11. Apocalypsin, XXII. 10. Vaticiniorum suorum volumina interdum sigillo obsignabant Prophetæ, nec nisi post aliquod tempus publici juris illa faciebant, tunc præsertim, cum rei eventus procul distabat.

PLURIMI PERTRANSIBUNT, ET MULTIPLEX ERIT SCIENTIA. Multos tenebit desiderium legendi & assequendi hoc vaticinium; sed vide, ne sigillum demas usque ad tempus præscriptum, usque ad tempus tibi significandum. Seu potius: Obsigna hæc, & populo futurum dicito, ut vaticinia hæc usque ad eorum eventum lateant. Tunc sigillum amovebitur, atque omnibus aperientur.

℣. 5. QUASI DUO ALII STABANT. Adstitisse creduntur duo Angeli Persarum Græcorumque custodes; & amnis, de quo hic, Tigris esse putatur (23).

℣. 6. ET DIXI VIRO, QUI ERAT INDUTUS LINEIS; Gabrieli scilicet, quem ita vestitum cap. X. v. exhibuit. Hebræus (24): *Et dixit viro*, quasi alter ex Angelis Gabrielem allocutus fuerit. Syrus, Arabs, & Theodoretus: *Et dixerunt viro illi*; duo nempe Angeli Gabrieli: *Usquequo finis horum mirabilium?* Vide supra VIII. 13. ubi Angelus edisseri sibi ab altero Angelo vaticinium rogat.

USQUEQUO FINIS HORUM MIRABILIUM? quando fiet, ut hæc prodigia impleantur? Vel, quando hæc omnia absolventur? Quamdiu mala ista perseverabunt? Quousque vaticinium hoc manebit occultum? Quando complebitur?

℣. 7. CUM ELEVASSET DEXTERAM ET SINISTRAM IN CŒLUM, ET JURASSET PER VIVENTEM IN ÆTERNUM. Gestus hominis, solemni sacramento sese obstringentis (25). Aperte autem indicat, sese alium esse a Deo, cum per Deum viventem juret.

IN TEMPUS ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS. Harum minarum veritas tota patebit intra *unum annum, duos annos & dimidium*. Vexatio eo, quem descripsimus, furore *tribus annis & dimidio* producetur. Jovis Olympici simulacrum collocatum est in Templo quintadecima die mensis Casleu, anni CXLV. Græcorum (26); & post triennium, id est anno Græcorum CXLVIII. quintadecima ejusdem mensis Casleu, cœpit lustrari Templum; sed offerendorum sacrificiorum initium prius duci non potuit, quam post diem vigesimam quintam ejusdem mensis (27). Sex mensibus antea, quam Idolum abominationi in loco Sancto constitueretur, Templum pollutum fuerat ab Apollonio, intermissa sacrificia, Urbs vastata, Cives occisi, vel dispersi, mulieres & pueri captivi & venditi. Hinc sumendum est exordium periodi triumannorum & dimidii, hic a Propheta designatæ, atque hæc est mens Josephi, semel, iterum & tertio in ejus Historia expressa (28); hæc pariter S. Hippolyti Martyris in Catenis Græcis. Denique huic opinioni adstipulantur doctissimi inter recentiores Interpretes (29). Vide supra, VII. 25. VIII. 14. & 12. 27. Una enim eademque res, sæpius & varie effigiata, Danieli exhibita fuit.

CUM COMPLETA FUERIT DISPERSIO MANUS (roboris) POPULI SANCTI, COMPLEBUNTUR UNIVERSA HÆC; cum completa fuerit dispersio cœtus populi sancti, &c. cum populus auxilio hominum penitus destituetur; cum brachiis manibusque mutilatus jacuerit, tunc Deus validissimam manum suam porrigens, e mediis hostibus illos educet. Nullum in tota Historia prodigium majus occurrit, quam libertas post tot Antiochi furias Judæis parta.

℣. 8. AUDIVI, ET NON INTELLEXI. Non semper Prophetæ oraculorum, quæ fundunt, occultum sensum habent exploratum. Studio illis ad eam rem, meditatione (30), seu peculiari Numinis revelatione opus est. Quæ nobis hodie perspicuitas apparet in plerisque illis vaticiniis, quæ de Jesu Christo & Ecclesiæ institutione lata sunt, plurima caligine ante rei eventum obruebantur. Id pariter acciderat oraculis, quæ Antiochi furias prænunciabant. Ante illorum exitum nodus erant plane Gordianus Judæis, quemadmodum & nobis adhuc ignota sunt vaticinia de furiis Antichristi. Hæc omnia Libri *sunt clausi, signatique sermones usque ad præfinitum tempus*.

℣. 10. ELIGENTUR ET DEALBABUNTUR. Hæc de Martyribus Macchabæorum, deque cæteris, qui sæviente Antiocho exilium, fugam, rerum suarum jacturam fortiter potius ferre, quam avitam Religionem deserere maluere, dicuntur. Vide Danielem, XI. 35.

NON INTELLIGENT OMNES IMPII; PORRO DOCTI INTELLIGENT. Judæi minus sancti, minusque rerum Religionis suæ periti, iniquius ferent, populum tot malis a Deo affici, rati fore, ut penitus a Numine gens tota destituatur; & vim ærumnarum non ferentes, succumbent. At eruditi, quique vias Domini probe exploratas habent, & qui norunt ærumnas plerumque indicia esse prædestinationis, & veluti cotes, quibus virtus acuitur, nosque iis ad felicitatem supernam duci; lætiori oculo hæc omnia aspicientes, ferent submissi, nec se opprimi sinent malis hisce, quæ diuturna minime fore intelligent.

℣. 11. A TEMPORE CUM ABLATUM FUERIT JUGE SACRIFICIUM, ET POSITA FUERIT ABOMINATIO...... DIES MILLE DUCENTI NONAGINTA. Dies isti 1290. tres annos & dimidium, additis diebus tredecim, pro nostro more, qui trecentos sexaginta & quinque dies in annum assignamus, conficiunt. Vexationi Antiochi nonnisi tres annos & dimidium supra c. XII. 7. dedimus; sed facile credimus, Scripturam semel quidem minimum numerum neglexisse, quem in altero loco supplevit; hic autem accuratiorem fuisse, quam ℣. 7. hujus Capitis. Illud certo constat, abominationem desolationis adamussim perseverasse tribus annis, ac diebus decem; a die nimirum quintadecima Casleu, anni 385. usque ad vigesimam quintam ejusdem mensis, anni 388. Non satis accurate definit Scriptura, qua die sacrificia in Templo cessarint; sed hic doceri videmur, mensibus sex ac diebus tribus antea sublata fuisse. Vexationis Antiochi aliam epocham habes Capite VIII. 14. Cum enim per intervalla sævierit, varia ejus rei exordia commode assignantur. Sedulo hic Scriptura distinguit sacrorum cessationem a dedicatione Idoli abominationis; quarum alia aliam sex mensibus præcessit. Si Danielis anni lunares sunt, uti facile credimus, ad bidui discrimen res devenies, cum solaris annus lunarem duodecim diebus superet, ut illius sint dies trecenti sexaginta quinque & horæ sex; hujus vero trecenti quinquaginta quatuor.

℣. 12. BEATUS QUI EXPECTAT, ET PERVENIT USQUE AD DIES MILLE TRECENTOS TRIGINTA QUINQUE. Dies isti reddunt annos tres ac dimidium, additis diebus octo & quinquagenis; qui postremi dies facile fluxerunt ab expiato Templo usque ad eam, quæ paulo post accidit, Antiochi mortem (31). Seu potius, dies sunt a Juda impensi dis-

(23) Hieron. Grot. Jun. Maldon. alii. (24) ויאמר לאיש Εἶπε, 70. Rom. Plura Exemplaria Latina: *Et dixit*. Theodot. Καὶ εἶπε; *Et dixi*; vel, *Et dixerunt*. (25) Genes. XIV. 22. Exod. VI. 8. Num. XIV. 30. Deut. XXXII. 40. 2. Esdr. IV. 15. &c. (26) 1. Macch. I. 57. (27) 1. Macch. IV. 52. (28) Joseph. Præfat. de Bello Jud. & lib. 1. c. 1. & lib. 6. c. 11. Ἐρημώθη δὲ [illegible]. (29) Vide Usser. ad an. M. 3836. Jun. Grot. & alios plures. (30) 1. Petri I. 11. 12. Dan. IX. 2. 3. Cor. XIV. 26. . . . 28. 29. (31) Vide 1. Macch. VI. 5. . . . 16. & 2. Macch. IX. 3. & sequ.

sipandis copiis Timothei, Bacchidis, & Gorgiæ (32).

℣. 13. Tu autem vade ad præfinitum. Vade, quiesce, unam fovens curam diei tibi ad moriendum destinati (33). Cæterum frueris dignitatibus, nec a gradu honoris, quem tenes, quoad vixeris, excides: *Stabis in sorte tua in finem dierum.*

(32) Vide 1. Macch. v. & 2. Macch. x.

(33) Theodoret. Vatab. Menoch. Peter.

C A P U T XIII.

Historia Susannæ injuste accusatæ, damnatæ, a Daniele liberatæ.

℣. 1. ET erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Joakim. 2. Et accepit
uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem
Deum. 3. Parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum
legem Moysi. 4. Erat autem Joakim dives valde, & erat ei pomarium vicinum domui
suæ: & ad ipsum confluebant Judæi: eo quod esset honorabilior omnium. 5. Et
constituti sunt de populo duo senes Judices in illo anno: de quibus locutus est Dominus:
Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur
regere populum. 6. Isti frequentabant domum Joakim, & veniebant ad eos omnes,
qui habebant judicia. 7. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur
Susanna, & deambulabat in pomario viri sui: 8. Et videbant eam senes quotidie
ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam ejus. 9. Et
everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque
recordarentur judiciorum justorum. 10. Erant ergo ambo vulnerati amore ejus,
nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum. 11. Erubescebant enim indicare sibi
concupiscentiam suam; volentes concumbere cum ea: 12. Et observabant quotidie
solicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: 13. Eamus domum, quia hora
prandii est: Et egressi recesserunt a se. 14. Cumque revertissent, venerunt in unum:
& sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in
communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam. 15. Factum est
autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri, & nudiustertius
cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat: 16.
Et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.
17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarii claudite,
ut laver. 18. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarii, & egressæ
sunt per posticum, ut afferrent, quæ jusserat: nesciebantque, senes intus esse absconditos.
19. Cum autem egressæ essent puellæ; surrexerunt duo senes, & accurrerunt
ad eam, & dixerunt: 20. Ecce ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt, &
nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscum.
21. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis,
& ob hanc causam emiseris puellas a te. 22. Ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ
sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero,
non effugiam manus vestras. 23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus
vestras, quam peccare in conspectu Domini. 24. Et exclamavit voce magna
Susanna: exclamaverunt autem & senes adversus eam. 25. Et cucurrit unus ad
ostia pomarii, & aperuit. 26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario,
irruerunt per posticum, ut viderent, quidnam esset. 27. Postquam autem
senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer: quia numquam dictus fuerat sermo
hujuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. 28. Cumque venisset populus
ad Joakim virum ejus, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus
Susannam, ut interficerent eam. 29. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam
filiam Helciæ uxorem Joakim. Et statim miserunt. 30. Et venit cum parentibus,
& filiis, & universis cognatis suis. 31. Porro Susanna erat delicata nimis, &
pulchra specie. 32. At iniqui illi jusserunt, ut discooperiretur (erat enim cooperta)
ut vel sic satiarentur decore ejus. 33. Flebant igitur sui, & omnes, qui noverant
eam.

eam. 34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus
suas super caput ejus. 35. Quæ flens suspexit ad cœlum, erat enim cor ejus fidu-
ciam habens in Domino. 36. Et dixerunt presbyteri: Cum deambularemus in po-
mario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis: & clausit ostia pomarii, & dimisit
a se puellas. 37. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit
cum ea. 38. Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem, cu-
currimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri. 39. Et illum quidem non qui-
vimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & apertis ostiis exilivit. 40. Hanc
autem cum apprehendissemus, interrogavimus, quisnam esset adolescens, & noluit in-
dicare nobis: hujus rei testes sumus. 41. Credidit eis multitudo, quasi senibus, &
judicibus populi, & condemnaverunt eam ad mortem. 42. Exclamavit autem voce
magna Susanna, & dixit. Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti
omnia, antequam fiant, 43. Tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra
me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt ad-
versum me. 44. Exaudivit autem Dominus vocem ejus. 45. Cumque duceretur ad
mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel.
46. Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus. 47. Et con-
versus omnis populus ad eum: dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es?
48. Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic fatui, filii Israel, non judicantes, ne-
que quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? 49. Revertimini ad
judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. 50. Reversus est ergo
populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrum, &
indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis. 51. Et dixit ad eos Daniel:
Separate illos ab invicem procul, & dijudicabo eos. 52. Cum ergo divisi essent al-
ter ab altero, vocavit unum de eis, & dixit ad eum: Inveterate dierum malorum,
nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius; 53. Judicans judicia injusta, in-
nocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem, & justum
non interficies. 54. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos collo-
quentes sibi. Qui ait: Sub schino. 55. Dixit autem Daniel: Recte mentitus es in
caput tuum: Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.
56. Et, amoto eo, jussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaan, & non Juda,
species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum: 57. Sic faciebatis filiabus
Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Juda non sustinuit iniquitatem
vestram. 58. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes
sibi. Qui ait: sub prino. 59. Dixit autem ei Daniel: Recte mentitus es & tu in ca-
put tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, &
interficiat vos. 60. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt
Deum, qui salvat sperantes in se. 61. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros
(convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis
sicut male egerant adversus proximum, 62. Ut facerent secundum legem Moysi: &
interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illa. 63. Helcias autem, &
uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna, cum Joakim marito ejus, & co-
gnatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis. 64. Daniel autem factus
est magnus in conspectu populi, a die illa, & deinceps. 65. Et rex Astyages ap-
positus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

℣. 2. ET ACCEPIT UXOREM NOMINE SUSANNAM. Historiæ hujus auctoritatem olim impugnatam fuisse, in Præfatione animadvertimus. Hebraice scripta nuspiam modo occurrit; utrum unquam alias Hebraice tradita fuerit, dubitatum est. Post Concilii Tridentini sententiam de illa ambigere nefas est; quare & nos illius veritatem eodem gradu, quo reliquum Librum, habemus. Accidit uno e tribus prioribus annis captivitatis Danielis, antequam a Nabuchodonosore ad Reipublicæ munera vocaretur. Appellatur hic *puer junior*. Nomen *Susanna* sonat Lilium. Matronam hanc absolutissimum conjugalis castitatis exemplar Scriptura proponit. Caput hoc in Codicibus Græcis toti Danielis Prophetiæ præfigitur.

℣. 5. CONSTITUTI SUNT DUO SENES JUDICES. Docent Hebræi (1), geminos hosce Judices ipsissimos esse Achabum & Sedeciam, de quibus ita Jeremias XXIX. 21. *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in uxore amicorum suorum*. Huic opinioni favere videtur Textus, ubi addit: *De quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone a Senioribus Judicibus, qui videbantur regere populum*. Hæc porro affinitatem referre ali-

(1) Hieron. in Jerem. XXIX. 22, Idem ex Origen. lib. X, Stromat. Vide & Origen. Epist. ad Afric.

aliquam videntur cum sententia mox laudata Jeremiæ, vel cum altera ejusdem Prophetæ c. XXIII. 14. *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantem, & iter mendacii*. At quo pacto Rex Babylonis in Sartagine illos torserit, quos in ℣. 22. hujus Capitis legimus neci traditos fuisse a Judæis, ex Sanctione Legis Mosaicæ, quæ adulterii reos lapidibus damnat (2).

Senum appellatio, quæ hic geminis hisce Judicibus traditur, ætatem illorum maturam jam & provectam non necessario indicat; cum præsertim vigorem ætatis exigat ardor ille impurus, quo erga Susannam flagrabant. Ætatis tamen maturæ fuisse illos, indicat Daniel his verbis, unum ex illis compellans (3): *Inveterate dierum malorum*. Universæ hujus historiæ conspectus satis demonstrat, quis fuerit Judæorum Babylone degentium status; licet enim captivi tenerentur, potiebantur tamen jure, causas Legis suæ, & rerum quæ inter ipsos privatim accidebant, cognoscendi.

℣. 6. FREQUENTABANT DOMUM JOACHIM; apud quem ad jus dicundum conveniebant. Vide ℣. 28.

℣. 7. CUM AUTEM POPULUS REVERTISSET PER MERIDIEM. Stata prandii hora apud Judæos meridies erat (4). In australibus regionibus, cum æstus maxime fervet, quisque se domum recipit meridie, itaut per eam diei horam eadem sit in compitis solitudo, atque apud nos in summo noctis silentio. Hinc major crevit Senibus hisce cupido conveniendi Susannam eo tempore maxime, quod libidini suæ serviret.

℣. 9. EVERTERUNT SENSUM SUUM. Græcus (5): *Everterunt cogitationem suam*, mentem, opinionem suam pro more illorum, quibus animi perturbatio mentem & rationem turbat.

℣. 10. VULNERATI AMORE EJUS. Græcus (6): *Vulnerati ob illam*.

℣. 13. HORA PRANDII EST. Adest meridies, ℣. 7.

℣. 17. AFFERTE MIHI OLEUM ET SMIGMATA. Græcum *smegma* sonat saponem, unguenta, & cætera, quibus caro humida & mollis, & cutis nitida & candida servatur. Usum balneorum & unguentorum suavium, ac similium norant olim, & nunc etiam fervidæ Regiones non ignorant; & a balneo exeuntes linire se oleo, vel unguentis non fastidiebant.

℣. 18. EGRESSÆ SUNT PER POSTICUM. Græcus (7): *Per obliquas portas*. Portæ illæ e domo Joakim ad hortum patebant; longe diversæ ab aliis, quæ ex horto in viam exponebant. Legimus enim hic (8), ubi senes aperuere majores hasce portas, statim accurrisse familiares Joakimi, & reserasse portas obliquas, vel posteriores, in latere domus, quæ ad hortum patebant.

℣. 22. SI HOC EGERO, MORS MIHI EST. &c. Objiciam me discrimini, ut lapidibus velut adultera conficiar; vel exponam animam morti, peccatis (9). Nisi egero, certum in me provoco exitium, æternamque nominis infamiam; ut quocumque me vertero, certum & inevitabile discrimen occurrit.

Celebrat Historia Romana Lucretiam suam veluti insigne, omnibus sæculis propositum castitatis exemplum. Quid Lucretia cum Susanna? Inclytæ hujus Romanæ facinus expendens S. Augustinus (10) multis illam accusat; ream enim agit, quod sibi innocenti vitam ademerit; est enim id non castitatis studium, sed infirmitas muliebris, quæ commissum in suo corpore, se tamen invita, ab alio, facinus turpe & flagitiosum, ferre non potuit: *Quod Lucretia se ipsam non adultera occidit, non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas*. Superbiæ est id plane muliebris, quæ metuit, ne rea alieni criminis haberetur, nisi in se illum ulcisceretur. Testimonio conscientiæ suæ non contenta, id egit, ut, se ipsam interimente, omnes agnoscerent, quanto horrore crimen prosequeretur, in cujus suspicionem venire potuit. Non ita plane Matronæ illæ Christianæ, quarum pudori vis interdum a Tyrannis illata fuit; *nec enim illæ in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua*.

Invita licet, in se tamen pati coacta fuit Lucretia Tarquinii libidinem, quam vel ipso vitæ discrimine a se illa prohibere debuerat. Susanna vero non modo nihil dedit turpissimæ Seniorum audaciæ, sed constanter restitit, maluitque certum mortis discrimen adire, quam alieno crimini assentiri. Lucretia neci traditur, innocens licet, & in ipsa ejus innocentia totum illius crimen constituitur. Cur enim de se expetat supplicium, si culpa vacat? si vero non vacat, cur se necat, ut innocentiam suam omnibus approbet? *Si non est illa impudicitia, quæ invita comprimitur, non est hæc justitia, quæ casta punitur . . . Si adultera, cur laudata? Si pudica, cur occisa?* Mortem adit Susanna, sed mortem non spontaneam, at inevitabilem; neque enim ulla suppetebat ratio, qua innocentiam suam demonstraret. Objicit se morti, bene sui conscia, speransque firma persuasione futurum, ut quo simul tempore ab hominibus damnabitur, a Supremo Judice absolvatur; atque ita inanem gloriolam, incertamque apud homines famam temnens, solidam sibi famam, & nomen immortale compararet (11).

℣. 29. MITTITE AD SUSANNAM. Is erat tunc ritus judiciorum. Dies reo dicebatur, audiebantur testes, pronunciabatur sententia, statimque mandabatur executioni, continuata serie, & una die.

℣. 32. JUSSERUNT UT DISCOOPERIRETUR. Regionis illius fœminæ nunquam nisi velatæ domo prodeunt. Amoveri peplum jubent Judices, causati, suæ dignitatis non esse, ut coram se velatam patiantur, præsertim in jus vocatam & accusatam; vel forte detecturos se illius crimen ex habitu oris, & indicio faciei.

℣. 34. POSUERUNT MANUS SUAS SUPER CAPUT EJUS. Ritus solemnis Judæorum, cum quis accusabatur, præsertim in causis capitalibus (12). Addebant testes formulam hanc, authore Lyrano: *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos*. Quibus verbis significabant, totum mortis & sanguinis fundendi crimen a se amotum, in caput ipsius transferri. Eadem pariter mente manum imponebant capiti victimæ, quam sacrificio offerebant (13); quo ritu in illam veluti transferebant pœnam, quam criminibus suis sese promeruisse fatebantur. Senes isti, posita Judicis persona, accusatores & testes agunt.

℣. 41. CONDEMNAVERUNT EAM AD MORTEM, tamquam adulterii ream (14). Id crimen lapidum supplicio puniebatur. Judicibus accusantibus, populus in causa judicat, & sententiam dicit.

℣. 45. SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM SANCTUM PUERI JUNIORIS, CUJUS NOMEN DANIEL. Duodecim ætatis annos tunc Daniel non superasse creditur (15). S. Spiritus afflatu ad loquendum ea occasione inductus fuit, id agente Numine, ut pueri judicio iniquitas & nequitia seniorum detegeretur.

℣. 46. MUNDUS EGO SUM A SANGUINE HUJUS,

Mor-

(2) Levit. xx. 10. Joan. VIII. 5. (3) Vide ℣. 52. (4) Joseph. lib. de Vita sua. (5) Διέστρεψαν τὸν ἑαυτῶν νοῦν. (6) Κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς. (7) Ἐξῆλθον κατὰ τὰς πλαγίας θύρας. (8) ℣℣. 25. 22. (9) Hieronym. *Peccatum mortem vocat; sicut ergo ei qui facit adulterium, mors est adulterium; sic omne peccatum quod ducit ad mortem, mors appellandum est.* (10) August. lib. 1. de Civitate Dei c. 19. (11) Vide Ambrof. lib. 3. de Spiritu Sancto c. 3. (12) Levit. XXIV. 14. *Ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* (13) Levit. I. 4. IV. 4. 24. & XVI. 21. (14) Levit. XX. 10. Joan. VIII. 5. (15) Vide Ignat. Epist. ad Magnes. Sever. Sulpit. lib. 2. Hist. sacr. Theodoret. in I. Ezech. Peter. hic.

Morti illius non assentior; injuste damnatur. Formula est Hebræis usitata (16).

ꝟ. 48. NON JUDICANTES, NEQUE QUOD VERUM EST COGNOSCENTES. Græcus (17): *Non discernentes, nec cognoscentes quod manifestum est*. Nimis temere judicatis ex duorum hominum testimonio; nihilque ultra diligentiæ adhibentes, ut veritas accusationum pateſcat; cum præsertim Susanna vitam semper egerit ab omni flagitii hujus suspicione alienam, assertisque verbis tantum flagitium a se commissum fuisse neget.

ꝟ. 50. VENI, ET SEDE IN MEDIO NOSTRUM, QUIA DEDIT TIBI DEUS HONOREM SENECTUTIS; seu potius (18), Quia dedit tibi Deus honorem judiciariæ potestatis, ad gradum Judicum & seniorum populi sui te extulit. Si hæc dicentes Danieli Senes, ipsi Susannæ accusatores sunt, dixisse hæc ludibrii causa, & juventuti audaculæ pueri illudentes, qui judicium totius populi corrigere audeat, censendi sunt. Sed multo æquius putamus, verba hæc aliorum Senatorum fuisse, qui neque conscii erant sceleris seniorum, nec inique ferebant, ut alius quisquam insurgens in illos, falsitatem accusatorum detegeret.

ꝟ. 52. NUNC VENERUNT PECCATA TUA. Ad culmen malorum venisti, & Deus iniquitatum tuarum pertæsus, de ultione tandem cogitat; more creditoris qui præfinito tempore solutionem urget.

ꝟ. 54. QUI AIT: SUB SCHINO (ꝟ. 55.) ECCE ANGELUS DOMINI SCINDET TE MEDIUM. Est in Græco lusus verborum (19) inter *Schinon*, lentiscum, & *schisei*, scindet te medium. Quod potissimum est argumentum, ex quo Veterum quidam dubitavere, utrum unquam Caput hoc Hebraice scriptum fuerit (20); quasi scilicet in Hebræo Chaldæoque sermonibus non sæpe occurrant similes verborum lusus, e quibus forte aliquis hic pariter esset. Id quidem nullo documento demonstrari potest, cum neque Hebraicus, neque Chaldaicus hujus historiæ textus supersit. Quemadmodum autem temerarium esset affirmare, lusum hunc verborum in Hebræo contigisse; ita & contrarium nonnisi per summam impudentiam asseritur. Insuper fieri potuit, ut Græcus Interpres arborem pro arbore posuerit, ut lusum verborum, quem ferebat archetypus, servaret, quemque retinere non potuisset, si vocem Hebraicam vel Chaldaicam religiose reddidisset (21). Nota est in Perside arbor *Schinar* (22) procera, & rectissimo trunco surgens, ramis destituta, & in superiori trunci vertice denso comarum globo emicans. Num arborem hanc Interpres reddendam censuit *schinon*, ex quo natus verbi lusus cum *schizo*? Cæterum Schinus vel lentiscus, arbor est ingens, altitudine quercus, ornata foliis sorbo similibus, & odore terebinthi. Perpetuo viret, & fructus ter quotannis fert: resinæ genus quoddam ex ea sudat, quod in Insula Chio mastiche appellatur.

Norunt Persæ arborem quam *Tinnor* appellant, qua & utuntur in ornandis viridariis suis, sepes munientes, & utrumque latus ambulacrorum ex eo formantes, quem in usum nos virentes alias arbores adhibemus. Vide Itiner. Mission. pag. 493. In urbe Ispahami viarum majorum ad utrumque latus sepiunt arbores, quos *Tibinars* appellant. Sunt arbores istæ recta assurgentes, & adeo proceræ ac abietes nostrates, quas tamen superant in multis; harum enim truncus ramis abundat, quorum ope velut in scala gradibus ad superiora arboris scandi pronum est. Ab imo trunco ad verticem ramis hisce vestitur arbor, iisque singulis quinquenniis præcisis supplent Persæ raritatem lignorum, quæ in eorum regione summa est. Vidisse se affirmat Missionarius ille, ex quo hæc accepimus, Tibinaros hasce adeo proceras, crassas, & rectas, ut mensura singulorum pedum refesat domino Tomanos sex idest touta centumviginti. Tanti stat arbos, cujus summa est copia ramorum ad pabulum ignis, & lignum est pretiosissimum ad opera lignaria elegantissima, cum venosus sit maxime, ut nucis arbores nostrates imitetur.

Quantumvis vero latum sit atrium, seu via etiamsi centum in fronte homines admittat, arbores illæ ad utrumque latus consitæ latos adeo ramos emittunt, ut oppositæ hinc inde se invicem complectantur, & plexum forment adeo crassum, ut solis radii impervium sit. Porro viæ istæ tripartitæ sunt; quæ in medio relinquitur caret pavimento in commodum equorum, perambulant enim illas Persæ equitantes, eo plane more, quo Parisiis vias latas voluptatis gratia viri principes, & alii ejusdem conditionis equitantes discurrunt.

Corrigenda hic veniunt nonnulla, quæ scribenti mihi in Leviticum de Lentisco exciderunt. In Perside, ubi hæc Daniel scribebat, crescit Lentiscus ad staturam Mespili mediocris, differt vero plurimum a Lentiscis Hispaniæ, & Occitaniæ, quas potius inter arbusta, quam inter arbores recenseas; constat enim pluribus truncis simul junctis, foliisque vestitur minimis, & crebris adeo, ut tres quatuorve homines facile se inter illa occultent. Persica vero arbor unica est crassa & ramos in summo emittit ad tantam altitudinem, ut vix homo ad infimos pertingere possit. Foliorum longitudine superat Mespilium, quamquam colore non differt a Lentisco Hispanico nec indole: adstringit enim, & nutrit. Lentiscus ubicunque tandem crescat ramis est brevibus cinereo cortice, foliis Mirtinis spissis e folliculo subrubro, qui in folium non desinit, binarim erumpentibus, semper virentibus odore acri sapore acidulo & astringenti. Flores habet rubros, sive erbacei coloris, pallidulos in purpuram inclinantes, racematos. Fructus, seu baccas gignit, quæ maturescentes nigrescunt, sapore acidulo, nucem continentes oblongam, solidam, nigram, nucleo albo.

Cum ait Daniel, *Ecce Angelus Domini scindet te medium*, non immerito reputamus, alterum supplicii genus pro altero posuisse, more loquendi satis familiari. Medios homines secare, supplicii genus est, antiquitati non ignotum. *Parysatis* viventem spirantemque Roxanem mediam secuit (23). Probabile est tamen, ambos hosce senes lapidibus peremptos fuisse, ex lege Talionis, quæ criminis falsi accusatores eidem supplicio, ad quod innocentem ipsi deposcebant, adjudicat (24).

ꝟ. 57. ILLÆ TIMENTES, LOQUEBANTUR VOBIS; libidini vestræ morem gerebant. Vide ꝟ. sequentem, & Canticum VIII. 8. ac Genesim XXXIV. 6. Alloqui puellam est uxorem postulare, vel, ut hic, ad stuprum solicitare. Apud Orientales nemo puellas alloquitur, nemo intra destinatas illis ædes admittitur. Qui sine testibus id agunt, prava consilia agitare censentur.

ꝟ. 58. SUB PRINO (ꝟ. 59.) . . . . . . ANGELUS DOMINI GLADIUM HABENS, UT SECET TE MEDIUM. Græcus (25): *Gladium habens, ut serret te medium*. Prinus est ilex, arbor e quercuum genere, rubro, & continuato cortice tecta. Alio nomine appellatur *quercus virens*, ea foliis, quibus nec per hyemem exuitur, forma quidem lauro similibus; sed

(16) Vide Act. XXIII. 6. & 6. Matt. XXVII. 24. Deut. XXI. 6. 7. (17) Οὐκ ἀνακρίνοντες, οὐδὲ τὸ σαφὲς ἐπιγνόντες. (18) Ὅτι σοὶ δέδωκεν ὁ Θεὸς τὸ πρεσβυτεῖον. (19) Ὑπὸ σχῖνον . . . ἤδη γὰρ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ σχίσει σε μέσον. (20) Vide Hieron. hic, & Præfat. in Daniel. & African. ad Origen.
(21) Vide Epist. Origen. ad African. & Peter. & Sanct. hic. (22) Tavernier, Voyage de Perse liv. 4. ch. 6. pag. 367. (23) Ctesias. Τὴν Ῥωξάνην ζῶσαν κατατεμοῦσα. Vide nos in Dissertatione de Suppliciis.
(24) Vide Exod. XIX. 4. & infra ꝟ. 61. *Fecerunt eis, sicut male egerant adversus proximum*. Deut. XIX. 18. 19. *Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit*. (25) Τὴν ῥομφαίαν ἔχων πρίσαι σε μέσον.

sed subalbidis, asperis exterius, & adeo dentatis, ut spinosa videantur. Offert se hic inter *prinos* & *prisci*, *ilex* & *scindet*, lusus alius verborum similis superiori, de quo ℣℣. 54. 55.

℣. 61. Faceaunt eis sicut male egerant; intulerunt illis malum, quod in alios moliebantur. Vide ℣. 54. Sive lapidibus confecti fuerint, sive faucibus elisis a populo necati, ex lege Talionis, & alia quæ morte damnabat adulteros (26); sive traditi fuerint Ministris Regis Nabuchodonosoris, a quibus frixi fuerint in sartagine, juxta veterem Judæorum traditionem (27). Vide ℣. 5.

℣. 65. Rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses Regnum ejus. Referenda sunt hæc ad exordium Capitis sequentis; cum enim Historia Susannæ cum initiis Regni Nabuchodonosoris componenda sit, constat utique, Cyrum tunc minime successisse Astyagi, avunculo suo, Regi Medorum. Si teneamus hypothesim, quam proposuimus Capite v. 31. Astyages, vel Darius Medus, vel Cyaxares unus idemque sunt Princeps, adeoque & Historia Beli ad Regnum Cyri referenda est.

Cæterum licet inter veteres Imperatores fama Cyri emineat, ejusque Historiam Veteres bene multi descripserint; ingenue tamen fatendum est, vix quidquam compertum haberi de genuina illius origine, & de mortis genere. Herodotus, Diodorus, & Trogus in nonnullis conveniunt, in pluribus dissident, sed a Xenophonte longe discrepant: Ctesias ab omnibus ferme ex æquo recedit, & Cyrum, atque Astyagem nulla inter se necessitudine conjunctos fuisse affirmat (28). Athenæo (29) est Cyrus purus putusque prætorianus miles Astyagis, qui in Regem conspirans, Persas in libertatem vindicavit. Apud Xenophontem (30) Cambyses pater Cyri in Perside regnabat; sed hunc privatæ conditionis hominem fuisse, Herodotus & Justinus maluerunt. Eo omnes conveniunt, ut asserant, evertisse illum Imperium Babylonis & Medorum, novumque Persarum constituisse, omnibus ferme per Asiam gentibus edomitis. Ad historiam mortis ejus quod attinet, adeo dissident Historici, ut cujus fides tenenda sit, ignoretur; qua de re nos supra egimus. Docente Scriptura scimus, quam multum faverit Judæis, quantis illus beneficiis prosequutus fuerit, quos in ipso Regni sui exordio liberos in patriam redire permisit (31). Quæ sententia Historiam Beli cum exordio Cyri componit, assertores ex Veteribus & Recentioribus multos recenset; illam enim tradiderunt S. Irenæus (32), S. Athanasius in Synopsi Librorum Sacrorum, Author Historiæ Scholasticæ, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Sanctius, aliique permulti.

(26) Levit. xx. 10. Deut. xxii. 22. Doceat Rabbini, ubi mortis genus in Lege non traditur, faucium elisionem esse intelligendam; post captivitatem vero adulteros plerumque lapidibus confici consuevisse.
(27) Hieron. hic. (28) Ctesiæ fragmenta. (29) Athen. lib. 14. c. 8. pag 611. (30) Xenophon. Cyropæd. lib. 1. (31) 1. Esdr. l. 1. 2. Par. xxvi. 22. (32) Irenæus lib. 4. advers. Heref. c. 11

C A P U T XIV.

Doli Sacerdotum Beli detecti. Draconem Babylone consecratum Daniel interficit.

℣. 1. Erat autem Daniel, conviva regis, & honoratus super omnes amicos ejus.
2. Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebantur
in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique am-
phoræ sex. 3. Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum:
porro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel? 4.
Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui
creavit cœlum, & terram, & habet potestatem omnis carnis. 5. Et dixit rex ad
eum; Non videtur tibi esse Bel vivens deus? An non vides, quanta comedat, &
bibat quotidie? 6. Et ait Daniel arridens: Ne erres, rex, iste enim intrinsecus lu-
teus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando. 7. Et iratus rex vocavit
sacerdotes ejus, & ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est, qui comedat impensas has,
moriemini. 8. Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel,
quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi: Fiat juxta verbum tuum. 9. Erant
autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, & parvulis, & filiis. Et venit
rex cum Daniele in templum Bel. 10. Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egre-
diemur foras: & tu rex pone escas, & vinum misce, & claude ostium, & signa an-
nulo tuo: 11. Et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel,
morte moriemur, vel Daniel, qui mentitus est adversum nos. 12. Contemnebant
autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur
semper, & devorabant ea. 13. Factum est igitur, postquam egressi sunt illi, rex
posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribra-
vit per totum templum coram rege: & egressi clauserunt ostium: & signantes an-
nulo regis abierunt. 14. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem
suam, & uxores, & filii eorum: & comederunt omnia, & biberunt. 15. Surrexit
autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo. 16. Et ait rex: Salvane sunt signa-
cula,

cula, Daniel? Qui respondit: Salva, rex. 17. Statimque cum aperuisset ostium, in-
tuitus rex mensam, exclamavit voce magna: Magnus es Bel, & non est apud te do-
lus quisquam. 18. Et risit Daniel: & tenuit regem, ne ingrederetur intro, & di-
xit: Ecce pavimentum, animadverte, cujus vestigia sint hæc. 19. Et dixit rex:
Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est rex. 20. Tunc
apprehendit sacerdotes, & uxores, & filios eorum: & ostenderunt ei abscondita ostio-
la, per quæ ingrediebantur, & consumebant, quæ erant super mensam. 21. Occi-
dit ergo illos rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum, &
templum ejus. 22. Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonii.
23. Et dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus vi-
vens: adora ergo eum. 24. Dixitque Daniel: Dominum Deum meum adoro: quia
ipse est Deus vivens; iste autem non est Deus vivens. 25. Tu autem rex da mihi
potestatem, & interficiam draconem absque gladio, & fuste. Et ait rex: Do tibi.
26. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque mas-
sas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.
27. Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer: & congregati adver-
sum regem, dixerunt: Judæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, &
sacerdotes occidit. 28. Et dixerunt, cum venissent ad regem: Trade nobis Danie-
lem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. 29. Vidit ergo rex, quod irrue-
rent in eum vehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. 30. Qui
miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. 31. Porro in lacu erant
leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves, & tunc non da-
ta sunt eis, ut devorarent Danielem. 32. Erat autem Habacuc propheta in Judæa,
& ipse coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum, ut
ferret messoribus. 33. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod
habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. 34. Et dixit Habacuc: Do-
mine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. 35. Et apprehendit eum Angelus
Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Baby-
lone supra lacum in impetu spiritus sui. 36. Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel
serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. 37. Et ait Daniel: Recordatus
es mei, Deus, & non dereliquisti diligentes te. 38. Surgensque Daniel comedit.
Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. 39. Venit ergo rex
die septimo, ut lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Da-
niel sedens in medio leonum. 40. Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus
es, Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. 41. Porro illos, qui
perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento co-
ram eo. 42. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Da-
nielis: quia ipse est salvator faciens signa, & mirabilia in terra; qui liberavit Danie-
lem de lacu leonum.

℣. 1. ERAT DANIEL CONVIVA REGIS; seu potius (1), degebat in Aula, utens una cum cæteris Aulæ Præfectis cibo e mensa Regis delato; is enim mos erat in Aula Persarum (2). Solebant etiam Reges interdum excipere convivio Regni Optimates, quibuscum una vescebantur (3); quin & ex amicis selecti quidam, & inter Regis necessarios aliqui mensæ illius convivæ per summum honorem habebantur. Hunc morem Cyrus invexerat, ejusque successores sequuti sunt. Ex Historia discimus (4), hunc olim honorem sub Dario Hystaspis Democedem, & Histiæum obtinuisse: hoc pariter Daniel sub Cyro fruebatur. In summa enim æstimatione & honore apud Cyrum fuisse Prophetam, ex Scriptura tum hic, cum Capite I. 21. & in Capite VI. 28. discimus. Vix tamen credimus, vitam prorogasse illum ultra unum vel alterum ajusdem Principis annum; cum tunc ageret ætatis annum unum & octogesimum, vel octogesimum secundum.

℣. 2. ERAT IDOLUM APUD BABYLONIOS, NOMINE BEL. Deus Bel, unus est e vetustis Babyloniæ Ragibus, quem grata beneficiis gens in Deorum censum adlegerat. Veterum quidam (5) honorem conditæ Babylonis illi vindicant, quod illam auxerit & ornaverit. Stabat Belo Templum celebre in Urbe Metropoli, veterum Regum opus; idque describens Herodotus lib. 1. c. 181. monet, ætate sua adhuc existere. Moles erat quadrata, æneisque portis ornata. Aream octo stadiorum in quadro occupabat; constabatque octo turribus, altera super alteram assurgente, quarum prima stadium altitudine & latitudine dimetiebatur; septem aliæ sensim minuebantur; octava destinabatur Templo, ubi Numinis sedes erat. Cerneres hic magnificum stratum, auream mensam, simulacrum nul-

[1] Ἦν Δανιὴλ συμβιώτης τοῦ βασιλέως. [2] Plutarch. lib. 7. cap. 4. Problemat. [3] Vide Esth. 1. Joseph. Antiq. XI. 2. [4] Vide Xenophon. Cyropæd. lib. 1. φίλοι συντραπεζίζουσι. Herodot. lib. 3. c. 132. Δημοκήδης ὁμοτράπεζος βασιλέϊ ἐγεγόνεε. Et lib. 5. 24. Ἔχε τά περ ἂν ἐγὼ ἔχω, ἐμός τε συσσιτος ἐὼν, καὶ σύμβουλος. Ita Darius Hystaspis Histiæum alloquitur. [5] Q. Curt. lib. 5. & Eupolem. apud Euseb. lib. 9. Præp. cap. 41.

nullum. In turri inferiori aliud continebatur Templum, cum aureo Jovis simulacro, & ampla mensa cum sella & scabello, omnibus ex auro solido, octingentorum talentorum pondere. Extra Templum positum erat aureum Altare; cui accedebat ingens aliud Altare, destinatum immolandis hostiis perfectis, seu majoribus animalibus. Longe aliam descriptionem hujus ædificii Diodorus Siculus dedit l. 3. c. 10. quam habes ad Danielis l. 2. Cum vero Templum illud Beli, ab ipsis descriptum, longe aliud videatur a Templo per Danielem everso (6), ubi dolos Sacerdorum, de quibus statim, deprehendit; idcirco a conferendis hic & conciliandis geminis hisce Scriptoribus abstinemus.

Communem licet cum Chaldæis religionem Cyrus non profiteretur, cultum tamen Diis Babylonis impendebat (7); neque enim plurium & variorum Deorum cultum Theologia Ethnicorum respuit. In locis, quæ Imperio subjecit, veteres superstitiones avitamque incolarum Religionem permisit. Ita Babyloni suum Belum, cæterisque regionibus sua Numina reliquit. At Cambyses & Xerxes, Cyri successores, illius moderationem facilitatemque minime imitati, devictarum gentium Templa & Numina tollebant. Creditur Xerxes, ex infelici in Græciam expeditione redux, celebre hoc Beli Templum evertisse.

Similæ artabæ duodecim. Artaba Persicæ mensuræ genus est, quam S. Epiphanius (8) & S. Isidorus (9) duobus & septuaginta sextariis æquant. Georgio Agricolæ est *Artaba* mensura eadem ac *medimnus* Græcorum, qui sex modios cum sextarii & quarta unciæ parte referebat. Medimnum & tres chœnices huic mensuræ tribuit Herodotus lib. 1.

Vini amphoræ sex; sex ingentia vasa vini. Romanorum amphora implebat urnas geminas (10), vel *cadus* totidem, seu duodequadraginta sextarios. Quod Græcis *amphora*, Romanis erat *quadrantal*; cujusmodi mensuræ genus vas erat, authore Festo, quadrato pedi, nempe ex Volusio Mariano, modiis tribus & congiis octo æquale. Græcus legit (11): *Vini metretæ sex*.

Cum Romanorum amphora nonnisi urnas referret duas; Atheniensis tres continebat, ex Fannio:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, nostræ si adjeceris urnam.

De postremo hoc amphoræ genere facile sermo est in præsenti (12).

℣. 20. Ostenderunt ei absconuita ostiola. Rudis olim Vetustas putabat, Deos, Manes & Genios ventitare sæpe, ut cibos aris & tumulis impositos degustarent. Trahebantur autem nidore assatarum carnium & vini. Stultæ huic persuasioni innitebatur mos parandi cœnas Hecatæ in triviis, dapesque ad tumulos inferendi. Extat vetus inscriptio, vocans Genios Augusti & Tiberii ad instructum convivium, oblatione suffituum & Vini (13). Mos erat apd Persas, ut Genio Regis, quamvis absenti, mensam apponerent (14). Hæc omnia opportuna erant Sacerdoribus, quibus cordi erat absurdam hanc religionem omni industria & nisu colere. Sermo est apud Aristophanem de versutia quadam insigni Sacerdotum Pluti (15), quæ similis est fraudi hic a Daniele detectæ.

℣. 22. Erat Draco magnus in loco illo. Diabolus, qui olim sub anguis forma mulierem vicerat, peculiarem erga angues religionem cultoribus suis inspiraverat. Erat enim illis Numen anguis, cui nec deerant Templa, nec Altaria: instruebatur, illorum opinione, mente & prævisione futurorum. Nec anguium religio Babylone tantummodo cultores, Templa, & Sacerdores habebat, sed suum etiam cultum obtinebat in Ægypto (16). Juxta Thebas cernere est, ait Herodotus, sacros Serpentes nemini noxios, cornutos, & corpore brevissimos; si decesserint, sepulturæ inferuntur in Templum Jovis, cui sacri sunt. Apud Virgilium sermo est de fœmina Sacerdote, quæ anguem horti Hesperidum alebat, quæque Templum illi dicatum curabat. Virg. Æneid. 4.

Hesperidum Templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat.

In Epiro lucus erat sacer Apollini, & muris cinctus, quem gratus Numinis grex anguium frequentabat, eorumque origo accersebatur ex angue illo Pythone ab Apolline necato. Horum alendorum cura virgini demandata erat (17). Similes Dracones habebat lucus Junonis Argivæ prope Lavinium; quo certis quibusdam diebus introducebantur puellæ, oculis velatæ farinam aqua subactam in cibum anguium ferentes: angues vero oblatis cibis abstinuisse tradunt, si puellæ minus sancte pudicitiam servassent (18). Meminit etiam Ælianus Draconis sacri in luco Dianæ apud Phryges (19); & alterius in Ægypti Urbe Melita (20), quem in turri sedem habuisse tradit, suosque destinatos domesticos, ministros, & Sacerdotem ac mensam instructam, ubi in posito scypho præsto erat quotidie mixtura quædam farinæ cum melle, quem mane singulorum dierum voratam fuisse constabat. Scitum est, Romanos olim, cum lues gravissima sæviret, quæsitum misisse anguem in Epidauro consecratum. Quærentibus sponte se obtulit bellua, seu potius agente Dæmone navim eorum conscendit, sedemque elegit in Insula Tiberina, ubi sacros sibi honores, ceu propitium Romani Numen, conciliavit (21). Ex his satis superque confirmatur historia hic descripta, tametsi nullam haberet authoritatem Divinus Liber, in quo continetur.

℣. 27. Judæus factus est Rex. Rex perinde ac Judæus aliquis Idola execratur; vel forte ad Judæos transiisse Rex dicitur, quod paulo antea gentem illam liberam pronunciaverat, & Danielem plurimi faciebat; vel ex Grotio: *Judæus homo factus est rex* (22). Daniel Regem hic agit; Regem pro arbitrio movet.

℣. 30. In lacum leonum. Semel jam alias Daniel in lacum conjectus fuerat sub Dario Medo. Dan. vi. 18.

℣. 31. Duo corpora et duæ oves; homines duo morte damnati, & oves totidem.

℣. 32. Erat Habacuc Propheta in Judæa. Si idem est Habacuc unus e duodecim minoribus Prophetis (23), vitam diutissime prorogasse illum, necesse est: illius enim oracula data sunt sub exordio Nabuchodonosoris Magni, & Joakimi Re-

(6) Vide infra ℣. 21. (7) Vide ℣. 2. (8) Epiphan. de Ponderib. & mensuris. (9) Isidor. lib. 16. Origin. (10) Columell. lib. 12. c. 20. (11) Οἴνου μετρηταὶ ἕξ. (12) Vide Peterium hic. (13) Diar. Italic. c. 26. p. 182. *Thure & vino genii eorum ad epulandum in ara numinis Augusti invitarentur.* (14) Athen. l. 6. (15) Aristophan. Plutus, act. 3. Scen. 2.

Ἔπειτ' ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα,
Τοὺς φθοῖς ἀφαρπάζοντα, καὶ τὰς ἰσχάδας,
Ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς. μετὰ τοῦτο δὲ
Περιῆλθε τοὺς βωμοὺς ἅπαντας ἐν κύκλῳ,
Εἴ που πόπανον εἴη τι καταλελειμμένον.

(16) Herodot. l. 2. c. 74. (17) Ælian. de Animal. l. 11. c. 2. (18) Idem lib. xi. cap. 16. (19) Lib. xii. c. 39. (20) Idem lib. xi. cap. 17. (21) Vide Valer. Maxim. & alios Hist. Romanæ Scriptores. (22) Ἰουδαῖος γέγονεν ὁ βασιλεὺς, non autem, Ὁ βασιλεὺς, ut nunc legitur. (23) Ita putant S. Hieronymus, Pseudo-Epiphanius, & Dorotheus in vitis Prophetarum.

Regis Juda. Daniele senior erat. Vide nostram Præfationem in Habacucum. Historia hæc a Judæis non excipitur.

INTRIVERAT PANES IN ALVEOLO; panem conjecit in vas. Ad verbum (24): *Intrivit panem in scapham*, in lancem, forma navigii, seu lintris. Græci Scriptores utuntur voce *Scapha*, ut lancem significent, vel clibanum panarium (25). Apud Arabes hodie pariter obtinet mos conficiendi panem in arca, naviculæ figuram referente, quemadmodum ferme solent gypsarii nostri alveum quemdam habere, paratum ad conficiendum panem, ubi & jusculum degustant.

℣. 35. APPREHENDIT EUM IN VERTICE EJUS; comam ejus apprehendit; ita tamen, ut corporis pondus subjecta manu regeret, ne crines evellerentur.

℣. 39. SEDENS IN MEDIO LEONUM. Græcus legit tantummodo (26): *Ecce Daniel sedens.*

MAGNUS ES DOMINE DEUS DANIELIS. Addit Græcus: *Et non est alius præter te.*

℣. 42. TUNC REX AIT: PAVEANT, &c. Desunt hæc in Græco, desiderantur que in vetustissimo Manuscripto S. Hieronymi. Vide novam Editionem Operum ejusdem. Versiculus hic facile ex Capite II. 26. desumptus est.

FINIS DANIELIS.

IN DUODECIM
PROPHETAS MINORES
PROLEGOMENON.

DE singulis hisce Prophetis acturi, fusiori de omnibus sermoni parcendum hic esse censuimus. Omnes in unum Librum collecti sunt, quamvis varia ætate & loco vixerint, quod scilicet singuli justo Libro minores essent (27). Nullum habet numerus mysterium. Minores appellantur, non merito quidem & authoritate, sed scriptorum mole. Nec ætate etiam a Majoribus Prophetis vincuntur; ex iis enim alii Isaia vetustiores sunt, plerique vero Jeremiam, Ezechielem & Danielem ætate superant. Plurimi sane eorum scripta ab Ecclesia reputata sunt, non eo tantum nomine, quod plura servarint vaticinia de adventu, rebus gerendis, obitu & resurrectione Messiæ, & de vocatione gentium, reprobatione Judæorum, excidio Jerosolymæ, cæremoniarum Legis abrogatione; sed idcirco pariter, quod ab interitu plura historiarum monumenta, ad Regna Judæ, Israelis, Babyloniæ, Ninives, Idumææ, Ægypti, Moab, & Ammon spectantia, vindicaverint; monumenta eo majori in pretio habenda, quo rariora sunt ea, quæ apud historiam Sacram supersunt, & nulla prorsus quæ apud Profanam. Eo igitur Liber duodecim Prophetarum habendus est loco, quo supplementum historiarum ejus temporis, & cæteratum, quæ deinde secutæ sunt, rerum haberetur.

Frustra, e. g. quis descriptam accuratius quæreret historiam excidii Babylonis, Ninives, Tyri, Sidonis, & Damasci, quam apud Jonam, Amos, Sophoniam, Nahum. Quis Prophetarum disertius de rebus Judæorum post solutam captivitatem, quam Zacharias, Aggæus, & Malachias disputavit? Nonne apud illos leguntur expeditiones Alexandri Magni, Antiochi Epiphanis persecutio, victoriæ Macchabæorum, atque postremum Judæorum bellum per Romanos? Quæ sane omnia eo apertiora sunt apud illos, quo magis ad exitum Veteris Testamenti accedunt; voluit enim Deus majori luce eorum scripta perfundere, ut Judæorum spes fulciretur, ne forte, integris quatuor sæculis prophetia apud Israelem cessante, deficeret.

Horum Prophetarum pars in Regno Israelis versata est, quamvis illud in Religionis exercitio a Regno Juda secessionem fecisset. Plures enim sanctissimos viros Deus in eo Regno posuit, qui nullam in schismate Jeroboami, neque in cultu vituli aurei partem habuere. Oseas & Jonas in Regno Samariæ vaticinabantur. Amos, vix inito Prophetæ munere, e Regno pulsus, in ditionem Juda facessere coactus est. Joel, Michæas, Nahum, Sophonias, Habacuc ad Regnum Juda spectant, Habacuc, & Abdias excidium Jerosolymæ oculis spectarunt, & vitam ultra eam ætatem prorogavere. Aggæus, qui stans primum Templum viderat, secundo post captivitatem restituto adfuit. Ad eam ætatem spectat Zacharias Propheta, quamquam ulterius vaticiniis excurrit, cum Aggæi oracula intra Templi ædificandi limites contineantur. Malachias omnium postremus sub Nehemia floruisse videtur; totusque in criminibus Sacerdotum, ministerium suum non sancte obeuntium, vituperandis versatur; ac tandem non obscuro oraculo diem quamdam Domini magnam prædicit, qua memorabilis de Urbe & Templo ultio armis Romanorum exigenda erat.

Ordo duodecim Prophetarum in exemplaribus Græcis plane differt ab eo, quo in Hebraicis recensentur (28); uterque vero discrepat ab ordine chronologico, quo singulos digessimus, ut in Tabula infra apposita. Apud Græcos quatuor majoribus Prophetis præponuntur; in Hebræo succe-

---

(24) Ἐνέθρυψεν ἄρτον εἰς σκάφην. (25) Athen. l. 3. c. 24. p. 108. 109. (26) Ἰδὲ Δανιὴλ καθήμενος.
(27) Hieron. Prolog. XII. Prophet. Theodor. in Proœm. August. lib. 18. de Civit. cap. 27.
(28) Vide Hieron. Præfat. in lib. Reg. & in XII. Prophet. & in Joel.

succedunt Isaiæ, Jeremiæ & Ezechieli; Danielem enim subjiciunt Libro Job, Psalmorum, & Sapientialibus.

Quis, quove tempore Prophetas minores collegerit, incertum. Communis sententia putat Esdram, sive Magnam Synagogam, quæ singulos ordine, quem nunc servant, digesserit. Illorum omnium elogium Jesus filius Sirach his verbis complectitur Eccli. XLIX. 12. *Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.* Author quarti Esdræ I. 39. illorum meminit, nominibus laudatis juxta ordinem Bibliorum Græcorum. Hunc autem alium fuisse a magno Esdra, & post Jesu Christi ætatem vixisse, alibi observavimus.

XII. MINORES PROPHETÆ

JUXTA ORDINEM QUEM TENENT.

In Textu Hebræo & Vulgata.	*In Exemplaribus Septuaginta.*
1 Osee.	1 Osee.
2 Joel.	2 Amos.
3 Amos.	3 Michæas.
4 Abdias.	4 Joel.
5 Jonas.	5 Abdias.
6 Michæas.	6 Jonas.
7 Nahum.	7 Nahum.
8 Habacuc.	8 Habacuc.
9 Sophonias.	9 Sophonias.
10 Aggæus.	10 Aggæus.
11 Zacharias.	11 Zacharias.
12 Malachias.	12 Malachias.

JUXTA ORDINEM CHRONOLOGICUM.

I. Osee vaticinatus est sub Ozia Rege Juda, qui Regnum iniit A. M. 3194., & sub Joathamo, Achazo, & Ezechia Regibus Juda, rerum potiente in Israele Jeroboamo II., cæterisque post illum usque ad excidium Samariæ A. M. 3283. Munus Prophetæ egit Osee spatio circiter LXXXV. annorum; vitam autem produxit facile ultra CX. vel CXX. annos. Hic tamen tamquam certum constituimus, quod cæterum dubium est & ambiguum, ut in peculiari ejusdem Prophetæ Prolegomeno demonstrabimus, nimirum in primo ejusdem Prophetiæ versu tempus & periodum missionis illius designari.

II. Amos Prophetam egit ab A. M. 3215., biennio antequam terræmotus accideret, qui sane incidit in annum Oziæ Regis Juda tertium & vigesimum, sexennio circiter ante obitum Jeroboami II. Regis Israelis, fatis functi A. 3220.

III. Jonas in Regno Israelis florebat sub Joas, & Jeroboamo II. eodem circiter tempore, quo Osee & Amos. Joas diem clausit A. 3179. & Jeroboamus II. A. 3220.

IV. Michæas vixit sub Joathano, Achazo, & Ezechia Regibus Juda, quorum primus Regnum iniit A. 3245. & Ezechias obiit A. 3306. Ætate Jeremiæ suppar, quamquam in munere prophetandi tempore inferior.

V. Nahum ad Regnum Ezechiæ post expeditionem Sennachetibi, idest, post A. 3291. pertinet.

VI. Joel sub Josia, Jeremiæ coævus, agebat. Confer Jeremiam XII. XIV. XV. cum Joele I. & II. Josias rerum potitus est A. 3363.

VII. Sophonias vivebat ineunte Josia, & ante annum XVIII. ejusdem Regis, cum scilicet is rebus Religionis in ditione sua reparandis operam daret A. 3381., & ante excidium Ninives, captæ anno 3378.

VIII. Habacuc in Judæa oracula fundebat ineunte Regno Joachimi, circa A. 3394. & antequam Nabuchodonosor in regionem veniret A. 3398.

IX. Abdias Judæam præsentia sua illustrabat post captam Jerosolymam A. 3414. & ante direptam Idumæam armis Nabuchodonosoris, quinquennio post captam urbem A. 3410.

X. Aggæus ante captivitatem agebat. Is captivus Babylonem ductus, tandem Jerosolymam redux, vaticinatus est anno secundo Darii Hystaspis, nempe A. M. 3484.

XI. Zacharias eodem tempore, quo Aggæus, Prophetæ munus obibat.

XII. Malachias nullam quidem in scriptis suis temporis notam expressit. Si cum Esdra miscendus est, quod non temere prorsus suspicamur, fortasse sub Nehemia, qui Judæam repetiit A. 3550. Prophetam egit.

DIS-

DISSERTATIO

DE STATU RELIGIONIS IN DITIONIBUS JUDA, ET ISRAELIS POST FACTAM UTRIMQUE SECESSIONEM.

Nemini ignotum esse arbitror, Judæorum Religionem post obitum Salomonis, & Jeroboami filii Nabat secessionem, plurimum variasse; rari tamen sunt, qui exacte satis norint, quas potissimum vices subierit; quibus Authoribus inducta varietas, quibusque gradibus ad eum tandem impietatis gradum pervenerint, ut Dei vindicis iram ambo hæc Regna in se tandem induxerint. Singula hæc nos in præsenti fusius exponenda, de utroque seorsum Regno acturi, suscipimus.

REGNUM JUDA.

Quantum Principis exempla in utramque partem agendi populis valuerint, nullo sane illustriori exemplo, quam Salomonis, docemur. Hic, cujus sapientiam æque ac stultitiam, gloriam simul & exitium ignorat nemo, quem Deus eo consilio produxisse videtur, ut specimen exhiberet, in quantam fortunam homo Dei gratia aspirante erigeretur, simulque Deo manum redocente, in quantum miseriarum errorumque, sibi ipsi relictus, proruerет, hic, inquam, supremos vitæ suæ annos muliercularum amore, ac deinde superstitione fœdissime deturpavit (1). Eo etenim Rex sapientissimus devenit, ut nedum amore muliercularum captus, connubia a Lege interdicta cum illis miscuerit (2), addictasque profanorum Numinum cultui uxores adsciverit; sed & Templa singularum Numinibus condiderit (3), quæ ipse pariter cum illis deinde frequentabat. Ex eo, tamquam primo omnium fonte, derivata deinde mala omnia, quæ torrentis more universam Juda & Israelis ditionem inundarunt.

Pronus enim in idololatriam populus uno Principum timore tanquam fræno continebatur; quo semel, sive pravo Principum exemplo, sive indulgentia quadam & dissimulatione laxato, effuso in Idololatriam cursu proruerunt. Protulit quidem Deus identidem Reges pios & religiosos, ac Prophetas, qui minis, adhortationibus, authoritate habenas reducerent; sed illis fato functis, iterum laxatis iterum habenis, majori impetu ad priora studia convolabant; ut sub impio Rege compensaretur, quod sub pio detractum esset, novisque additis criminibus veluti reparatam præcedentis temporis jacturam diceres.

Roboamus, filius Salomonis, verius, uti facile crediderim, ne, si eam populi partem, quæ sibi paruit, ad avitæ Religionis sanctitatem cogere vellet, hæc pravo decem Tribuum exemplo ad defectionem ferretur, integrum singulis fecit, ut quamcumque vellent Religionem sequerentur; qua data via, omnis in ditionem Juda, non secus ac in Israelem, Idololatria pertupit (4). Tunc consecrata in collibus, & sub frondosis quibusque arboribus Altaria, passim luci, & Numinum simulacra, prostitutæ fœminæ virique turpem Idolis cultum, pro veteri incolarum Palæstinæ olim pulsorum more, præstabant.

Comment. Tom. VI.

Abia Roboamo patri non in Regno tantum, sed etiam in vitiis successit (5). Venit tertius Asa, filius Abiæ, Rex pius & religiosus (6): Idolorum eluvione purgata, probrosæ superstitiones abolitæ, amota sacris Priapi, quibus præerat, ipsa Regis mater Maacha. Una tantum in re dignus reprehensione visus est, quod sacrificia & peregrinationes ad juga montium adhuc permisisset. Licet enim cultui veri Dei addicta essent loca, inauspicato tamen Deus ibi colebatus, postquam Jerosolymitanum Templum ad eam rem ipse sibi Deus destinaverat. Paternum exemplum pius Josaphath sequutus, Idololatriæ reliquias, quibus abolendis frustra pater suus laboraverat, abstulit, quo tandem factum est, ut Religio floreret (7).

Quæ optime pius Josaphat constituerat, pessima filius Joram evestit; omniaque te ditionem Juda invexit, quæ antea Jezabel in Israelem induxarat (8). Nam ducta filia Achabi, simul cum illa Nominibus Phœnicum detestabili fœdere junctus est. Patris vestigia legit Ochozias (9), qui pariter connubiis cum domo Achabi junctis, aliena a se non duxit mala omnia, quæ peculiaria sibi genus Achabi habuerat. Ita Ochozias, scelere cum eadem domo junctus, eodem pariter cum illa ultionis genere implicitus est, interfectis a Jehu eadem simul die Joramo Rege Israelis, & Ochozia Rege Juda (10).

Rerum potiente Athalia, cultus etiam Baal in Juda regnavit; sed Joas ineunte, Jojada fœdus inter Dominum totumque Regnum renovavit; quamobrem populus, novo religionis studio incensus, Fanum Baalis ejusque simulacra subvertit, Matban ejus Numinis Sacerdote ante ipsas aras mactato (11). Inceptam tam prospero omine pietatem Joas tamdiu tenuit, quamdiu Sacerdos Jojada, qui Principis animo dominabatur, in vivis egit. Quamquam id in eo Sacra Scriptura, quod in cæteris Principibus Juda, reprehendit, nimirum edita loca ad Sacrificium Domini, contra Domini sanctionem, reliquisse (12). Anno Regni xviii. farta tecta Templi reparare, ordinem Ministrorum & sacrificiorum renovare aggressus est: denique, tametsi non sine crimine Joas vitam egit, præsertim vita functo Jojada Sacerdote, res tamen religionis salvæ sub illo, quemadmodum & sub aliis post ipsum, mansere sunt (13).

In historia Azariæ, alio nomine Oziæ, legimus, Regem illum, muneris Sacerdotalis tentati reum, quippe qui ingredi in Sanctum thymiamati Domino offerendo ausus fuerit, elephantiasi affectum, exclusumque ab hominum cœtu, solitarium ad obitum usque mansisse (14). Quo sane documento discimus, de cultu Domini in Juda nihil tunc decessisse. Occurrunt nihilominus in sex prioribus Isaiæ capitibus plura, quæ sub eo Principe in ditione Juda licentiam debacchatam fuisse docent. Expressa ibidem legimus injustitiæ, libidinis, luxus, ambitionis, avaritiæ cæterorumque vitiorum, ex opulentia & prosperitate nascentium,

V v

(1) 3. Reg. xi. 4. *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, &c.*
(2) Ibid. ℣. 1. Deut. xvii. 17. Eccli. xlvii. 21. (3) Ibid. ℣. 7. 8. (4) 3. Reg. xiv. 22. 23. 24. (5) 3. Reg. xv. 3. (6) Ibid. ℣. 11. (7) 3. Reg. xxii. 43. 44. 47. (8) 4. Reg. viii. 18. (9) 4. Reg. viii. 27. (10) 4. Reg. ix. 23. 27. (11) 4. Reg. xi. 17. 18. (12) 4. Reg. xii. 2. 3. (13) 4. Reg. xiv. 1. 2. 3. 4. xv. 3. xvi. 34. (14) 2. Par. xxvi. 21.

tium, exempla. Arguit ibi Propheta Idololatriam, tamquam vulgare gentis crimen (15). Quare si quid in Scriptura de pietate Oziæ legimus, id plane ad primos Regni annos referendum est, quo tempore consiliis Zachariæ Videntis regebatur (16), antequam superbas cervices in Dominum erigeret. Exitum Regni habuit neque felicem, neque a licentia immunem, quamquam enim Idololatriæ crimen palam non regnavit, clam tamen & privatim dissimulabatur.

Achaz, rerum potitus, non modo Idololatriam permisit, sed omnia a majoribus sancte constituta subvertens, Regnum ad priora studia revocavit (17). Iterum sub illo cultus Baal & Moloch, quibus filium suum, per ignem traductum, initiavit. In cacuminibus montium mactatæ victimæ; luci Idolis consecrati. Cum olim Damascum venisset, acturus Teglatphalassaro gratias, quod ejus armis a terrore exercituum Syriæ & Israelis liberatus esset; viso novæ cujusdam formæ altari, simile Jerosolymis construi, Sacerdotis Uriæ ministerio, jussit. Profanum illud, veteri Holocaustorum amoto, & in septemtrionali atrii plaga relicto, in Templo Domini constitutus est (18).

Redux deinde Jerosolymam, jussit victimas non nisi super novum Altare immolari; plura etiam in Templo motavit; nihilque de pristina impietate, atque in Deum perfidia decedere unquam voluit. Isaias (19), sub eo Rege vivens, ejus imaginem ita pingit, ut Regem exhibeat pervicacem, perfidum, & jussionibus Dei refractarium, nec Deo nec hominibus intolerabili peccandi licentia ferendum. Author quarti Regum cultum ab illo impensum esse Numinibus Damasci & Syriæ asserit, quod scilicet putaret, Deos Syriæ cultoribus suis opem præstare. In eas angustias devenit, ut Sacrum omne Ærarium, quo avaritiam Regum Assyriæ expleret, illis tradere cogeretur. Clausis Templi Domini foribus, ne stata Sacrificia offerrentur, neve lampades incenderentur, ac tandem ne thura in Altari thymiamatis arderent, prohibuit. At in angulis Jerosolymæ, & in Urbibus totius regionis erecta passim Altaria offendebantur (20). Is religionis status sub Achazo.

Prostratas igitur patris scelere Religionis res Ezechias Imperio potitus erexit. Reclusæ ab illo Templi fores (21), restituta Sacrificia, expiatum reparatumque Templum, dejectæ Aræ, & Numinum Simulacra, missi tandem ad reliquias decem Tribuum in ditione residuas, post deductos fratres illorum trans Euphratem per Salmanasarum; missi, inquam, qui ad Sacrificia & solemnia Domini invitarent. Denique eo regnante, regnare simul visa sunt Religio, Justitia, Pietas, nihilque in illo vitii reprehenditur, nisi quod ambitione elatus, opes suas omnes coram Legatis Merudach Baladani explicavit (22). Dignus propterea, ut tanquam optimorum Regum Juda exemplar proponatur.

Illud tamen constat, sub eo Rege ingentium scelerum exempla in Juda non defuisse. Isaias toto capite XXVIII. 7. &c. arguit nimiam crapulæ licentiam, cui Judæi omnes, ne Prophetis quidem & Sacerdotibus exceptis, indulgebant. Prophetarum minas Optimates de ridiculo agebant, quippe qui dolo assueverant, & cum morte fœdus junxerant; adeo verum est, sub optimis etiam Principibus suum esse vitio locum, a quo vix ac ne vix quidem depelli potest.

Quod olim & sæpe observatum est, filios nimirum raro patrum moribus similes esse, id Manassis filii Ezechiæ exemplo etiam atque etiam confirmatur; e religiosissimo enim parente filius, si quis alius, scelestissimus natus est. Nullum ab eo Idololatriæ genus alienum; nulla Templa, a patre abolita, sub illo jacuerunt; ipse inter cultores Baalis & Astrorum, ipse superstitiosorum lucorum consecrator (23). Altaria Numinum & simulacra vel ipsum Templi atrium profanarunt. Filium igne lustravit; divinationes omnes, superstitiones, excantationesque magicas calluit; nihil sibi ad scelera reliquum fecit, ut vel Achazum iterum in vivis diceres, vel Regem Achazo iniquiorem.

His omnibus alter malorum cumulus adjectus est, homicidia nempe & scelera, quibus populum suum implevit. Deus impium Regem Assyriis permisit, a quibus Babylonem captivus deductus, in vinculis detentus est (24). Quare ad mentem revocatus, pœnitudine criminum concepta, veniam impetravit; statimque Regno restitutus, pessima exempla meliori vita corrigere aggressus est. Eversis proinde Aris & Idolis, pristinam Domus Dei religionem, iterum inductis super Altare Holocaustorum sacrificiis, restituit. Latis tandem edictis, Domini cultum in universa ditione sua asseruit. Unum hic inter tot sanctissime a Rege constituta deesse visum est, adhuc nimirum oblata in collibus & in vertice montium sacrificia. Amon, Manassis filius, probis relictis, pessima patris exempla secutus est, nec tamen illius pœnitentiam sibi unquam proposuit (25).

Josias solidæ & sinceræ Religionis laudem in Scriptura meretur; nec post Davidem alter majori dignior elogio fuit. Fateamur tamen oportet, plura sub eo Rege licentiæ, quæ olim sub Amone patre ipsius per totam regionem discurrerat, vestigia superfuisse. Sophonias Propheta (26) in ipsis ejus Regis crepundiis, & ante captam Ninivem in vivis agens, crimina Juda vehementissimis verbis reprehendit. Exprobrat Idololatriam, cultum Astris super tecta Domorum impensum, sacramenta nomine Melchom concepta, terga Domino versa; denique Regni corruptissimi imaginem exhibet. Vehementior etiam Jeremias picturam exprimit Regni, cui nihil ad scelera reliquum fuerat (27). Ex 2. Paralipom. XXXV. 5. intelligimus, ante annum XVIII. ejus Regni nondum Arcam Domini in Sanctuario clausam servari consuevisse, sed ferentibus Sacerdotibus per Urbem circumlatam; quod sive lucri captandi gratia, sive ut vitarentur ausus impiorum, id studentium, ut Religio in Juda prorsus everteretur, factum credi par est.

Itaque non nisi post annum XVIII. ejus Regis (28) contigit, ut Rex, audita Legis lectione, scissis vestibus Holdam Prophetidem, Dei voluntatem intellecturus, consuleret; fatebatur enim, se & Judæos ditionis suæ omnes id commisisse, ut scelerum suorum merito terribilem Dei ultionem in suum caput provocarent. Una deinde Regi cura, ut civilem administrationem optimam, & puram sinceramque Religionem constitueret. Renovatum tunc cum Domino fœdus, eversæ Aræ, dejecta Numinum simulacra, succisi luci, incendio absumpta Idola, profanata montium cacumina, quæ hactenus Sacrificiis Domini offerendis, sed insuspicato, destinata fuerant. Tandem nullo meliori documento intelligimus, quousque malorum Regnum Juda pervenerat, quam ex narratione eorum, quæ sancte ac religiose Josias constituerat; malorum, quæ pius Princeps correxit; Altarium denique, Templorum & Idolorum, quæ dejicienda curavit.

Sed ne pium & religiosum Principem diutius Re-

(15) Isai. I. 25. 29. II. 6. III. 15. (16) 2. Par. XXVI. 5. 16. (17) 4. Reg. XVI. (18) 4. Reg. XVI. 10. 11. 12. & 2. Par. XXVIII. 1. 2. &c. (19) Isai. VII. VIII. IX. (20) 2. Par. XXVIII. 14. XXIX. 7. (21) 4. Reg. XVIII. 4. 5. 6. 2. Par. XXIX. XXX. XXXI. (22) 2. Par. XXXII. 31. & Isai. XXXIX. 1. 2. &c. (23) 4. Reg. XXI. 2. 3. &c. (24) 2. Par. XXXIII. 14. 15. (25) 2. Par. XXXIII. 21. 22. & 4. Reg. XXI. 21. 22. (26) Sophon. I. 2. 3. 4. &c. (27) Jerem. I. II. III. (28) 4. Reg. XXII. 3. &c.

Regnum haberet, scelera Juda effecerunt. Nam commisso cum Nechao Rege Ægypti prælio, gravi vulnere occubuit, unaque cum illo, & eodem in tumulo Religio sepulta est. Nati enim ex illo filii, rerum potiti, effuso in Idololatriam cursu prorterunt (6); adjectis etiam ad malorum cumulum effrænis licentiæ criminibus, quibus ut a Deo manibus Regum Chaldæorum permitterentur, veluti extorserunt. Horrorem ingerunt ea, quæ de malis ejus Regni apud Jeremiam & Ezechielem leguntur. Secundus Paralipomenon Liber XXXVI. 14. &c. omnium illorum veluti summam complexus, narrat, Principes Sacerdotum una cum Populo universo omnem Idololatriæ eluvionem in Judam deduxisse; violatam ab illis Templi Domini religionem, ludibrio habitos a Deo missos Prophetas; ac tandem cum ad malorum cumulum venissent, hostium manibus a Deo permissos, ipsos captivitatis, Regionem excidio tradita fuisse.

Hæ religionis vices in Juda, post initum a Salomone Regnum usque ad excidium Urbis, & populi captivitatem sub Nabuchodonosore. Cum autem ultra eam ætatem duodecim Prophetæ minores, quibus in hac Dissertatione nostra servimus, non vixerint, hos limites excedendos non duximus, Dissertationi modum hic imponentes. Nonnulla modo de Regno Israelis, sive decem Tribuum, proferamus in medium.

REGNUM ISRAELIS, SIVE DECEM TRIBUUM.

MAjora semper Religionis commoda in Regno Juda, quam in ditione Israelis fuisse, nemini ignotum esse arbitror. In Juda Urbs sancta & Templum Domini erant; ibi Sacerdotes e genere Aaronis spectabantur, viri amplissimi, docendi atque in officio continendi populos, non religione tantum & munere, verumetiam lucri gratia, studiosissimi. Seriem etiam Regum piissimorum Juda spectavit in Asa, Amasia, Ozia, Jnathano, Joas, Ezechia, Josia. Nihil tale in Israele, ubi proinde major licentia longe lateque propagata est. Seducere populum Sacerdotes omnium primi studebant; Reges impietati indulgentes, eo magis in superstitione confirmabantur, quo commodis suis servire illam magis crederent. Miremurne igitur, si licentia Regnum corruptissimum adeo occupavit?

Jeroboam, filius Nabat, primus Imperii Author, vir erat, si quis alius, ambitiosus, qui defectionis a Rege suo ducem se & Principem constituens, putavit, partum crimine Regnum nonnisi crimine servari posse. Metuens enim, ne populus occasione Solemnium Domini Jerosolymam repetens, cæremoniis & Religione allectus, adhortationibus & minis Prophetarum persuasus territusque, vel saltem pristino Regum Juda amore victus, desertis tandem defectionis partibus in pristinam fidem transiret; omne commercium inter duo Regna diremptutus, novo cultu invecto, novam Regno suo religionem constituit, cujus pondere instabile Israelitarum ingenium firmaretur.

Sed vir politicæ scientiæ peritissimus optimum factu censuit, inter utrumque extremum medio quodam temperamento uti. Norat enim fieri vix posse, ut ex uno in alterum extremum, præsertim ubi de Religione agitur, gradus fiat, quin ingentis discriminis alea subeunda sit. Quare integrum reliquit omnibus ditionis suæ populis, ut plures judiciorum & cæremoniarum leges retinerent. Quin nec Sacrificia, nec religiosa convivia, solemnia Domini, cœtus Religionis aboluit (7); his enim minime arduis religionis exercitiis populus assueverat. Quicumque ex Sacerdotibus & Levitis avitam Religionem veteresque ritus deseruere, illi in obsequio vitulorum aureorum retenti sunt (8). Cæteros facessere jussit (9); quamquam nihil gravius statutum est in Israelitas, qui patriis ritibus inhærentes, novum ritum, priori abjecto, amplecti recusarunt. Horum pars in ditionem Juda sese recepit (10), pars vero in Israele mansit.

Ita universum decem Tribuum Regnum ex tribus populorum generibus constare visum est. Nimirum, ex optimis Israelitis, quorum facile Principes habendi sunt Elisæus, Elias, Osee, Amos, Jonas, Tobias, Abdias Oeconomus Regis Achabi, vir Sunamitidis, aliique nonnulli, qui exemplis & institutionibus Prophetarum in officio & fide continebantur; nihilque habebant commune cum seditione, & si quando permissa ipsis facultas erat, Jerosolymam adoraturi veniebant; cœtus Prophetarum frequentabant; fidei depositum, & morum sanctimoniam religiose custodiebant; nihilque a Lege Domini interdictum sibi licere arbitrabantur. Denique animæ erant a cæteris, tamquam portio electa Domini, segregatæ, *quæ non curvaverant genua sua ante Baal* (11). Sub Achabo, cum in summum malorum ventum esset, vetitum singulis est, ne quam Religionem, præter Ethnicam, profiterentur, violenta adeo persecutione in veri Dei cultores excitata, ut Elias unum se ex omnibus superesse, qui furorem Jezabelis vitasset, existimaret (12); quamquam adhuc septem millia reliqua erant ex iis, qui nullam sibi cum Idolis partem voluerunt.

Sequuntur post illos Israelitæ imbecilles, qui cum non satis virium habere se nossent, ut pravis gentilium suorum moribus Regisque jussionibus & authoritati resisterent, aliquam pietatis scintillam erga Legem, Deique cultum intimo corde foventes, id sibi permissum esse arbitrati sunt, ut simulatione quadam usi, veri Dei religionem cum superstitione aurei vituli juncto simul fœdere conciliarent; quorum proinde cultus impurus erat, & ex parte superstitiosus. Frequentabant illi non sine oblationibus Urbem Bethel, profanis Numinibus sacram; nec deserebant montium culmina, cultui veri Domini dedicata. Verum illis jure meritoque ab Elia exprobratum est (13): *Claudicatis in duas partes.* Jurabant in verba *Jehovah* simul, & Baalis sive Molochi (14). Ad illos Prophetarum minæ & verborum castigationes potissimum spectant, qui inter Domini & Baalis cultum medii versabantur. Habebantur enim tanquam palantes oves, quas summus pastor sua cura non indignas censebat, & veluti uxor, quæ thori fidem minus sancte custodierat, cui tamen redeunti vir indulgere statuerat, perpetuo divortio illam non abjiciens (15).

Tertiam tandem Israelitarum classem constituebant authores fautoresque seditionis, Pseudo-Prophetæ, impii Sacerdotes, qui parum esse ducentes, publicum cultum vitulis, & Baal impendisse, illud etiam sibi negotium suscipiebant, ut una secum simpliciores quosque in errorem tum pravo exemplo, tum molli quadam & indignæ indulgentia pertraherent. Horum numerus facile cæteris in Israele præstabat: nec scelere erant inferiores; quo etiam atque etiam crescente, id tandem effecerunt, ut Deus populum suum desereret, veluti indignum qui providentiæ consiliis re-

[6] 4. Reg. XXIII. 32. 33. XXIV. 9. 19. & 2. Par. XXXIV. 5. 9. 12. [7] Vide Amos II. 11. 12. IV. 4. 5. V. 21. 25. VIII. 3. 5. 10. [8] Vide Ezech. XLIV. 10. 11. [9] 3. Reg. XIII. 33. *Fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum, &c.* Vide & XII. 31. 2. Par. XI. 13. 14. 15. XIII. 9. [10] 2. Paral. II. 26. [11] 3. Reg. XIX. 18. [12] 3. Reg. XIX. 10. 18. 22. [13] 3. Reg. XVIII. 21. [14] Sophon. I. 5. [15] Osee II. 5. 6. 14. 15.

geretur; dignum vero, qui severissimæ ultionis exemplum tandem eahiberetur (16).

Criman hujus populi in cultu vitulorum nulla potest excusatione leniri. Non enim alrerum populo suo Deum Jeroboamus proposuit, quam quod Aaron in deserto consecraverat; uterque vero cultum Apidis, celebratissimi Ægyptiorum Numinis, innovabat. Diuturna in Ægypto mora didicit eum cultum Jeroboamus, quemadmodum e simili cum Ægyptiis consuetudine, Israelitæ impium cultum adsciverant.

Frustra proinde Moncæus De Vitulo Aoreo, & Grotius crimen Jeroboami mitigare vel excusare leni quadam interpretatione conantur. Horum primus contendir, consecratos a Rege vitulos figuram aahibuisse Cherubim Arcæ impositorum; ratos proinde, Israelitas coram aureis vitulis verum Deum a se coli censuisse; certumque constituir, Cherubim bovis figuram vel absolute vel inrer alias potissimam exhibuisse. Reum Jeroboamum damnat seditionis, non Idololatriæ. Hæc autem pro illo adducit. Qui fieri potuisset, inquit, ut populus, avitis moribus pertinaciter inhærens, illis statim relictis, se a cultu Domini ad Idola converteret? Qui jubenti Regi in re tam ardua prompte adeo paruisset? Nonne Regno perichtaturus videbatur Jeroboamus, si illum conrra veteres Leges moresque aliquid sanciturum populus credidisset? Non defuerunt in Regno Israelis Prophetæ Domini, & viri religiosi, quos nonnisi temere Idololatriæ, & servatæ cum viris impiis & Idololatris pacis & communionis, accusaveris. Quis unquam Prophetarum aureorum vitulorum cultum Idololatriæ damnavit? Cum Elias insigni illo prodigio collectos in monte Carmelo populos dicto obedientes habuisser, non abjicere cultum vitulorum aureorum coegir, vitio illis vertit tantummodo, quod inter Deum & Baalem claudicarent; si enim, ait, Deus hoc sibi nomen non injuria adsciscit, cur Baal sequimini? si Baal Deus est, cur ergo una cum illo Dominum colitis? Profecto si tertium fuisser Numen, non siluisset ea occasione Propheta; neque se continuisset, quin ejus cultum eaprobraret. Hæc potissima Authoris momenta,

Grotio alia sedet, minus etiam probanda, opinio (17). Jeroboamus, e Tribu Ephraimi originem ducens, gentis suæ authorem habebat Josephum Parriarcham; quare ut gentilibus fratribusque suis eo majorem de tanto viro opinionem ingererer, sibi vero non temporarium Regnum pararet, Israelitis cultum proposuit, sub ea plane figura, qua olim Ægyptii Josephum Parriarcham, acceptorum ab illo beneficiorum memores, coluerant, Ægyptii enim viri simulacrum sub aspectu bovis & Serapidis effinaere. Quare uno eodemque simulacro Jeroboamum & Patriarcham suum commendare, simulque veri Numinis memoriam cultumque Israelitis exhibere voluit,

Non dissimili ratione Imperatores Romani ubique gloriam Æneæ Trojani promovebant, veluti Principis illustris, divinique generis, a Deo ad Imperium Italiæ, ac Regnum Mundi in posteris gerendum destinati. Virgilius Æneid. 1.

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Sed quam multa falsa, quam multa incerta in hoc magni viri systemate. Res est dubia prorsus & incerta, quin etiam falsa, quam ille certam constituit, nimirum Ægyptios sub Serapidis imagine Josephum coluisse. Numen illud inter vetera Ægyptiorum habendum esse, non satis constat (18). Fac autem constaret; qua satis firma conjectura ad Josephum pertinere probaverit? Fac etiam probet; Serapidis figuram vitulum exhibuisse, quis docet? Aliud sane ejus Numinis simulacrum pingit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 20. monstrum exhibens triceps, cui emicantem leonis rictum hinc inde ad latera fulciunt, canis caput ad deateram, & lupi ad sinistram; totum vero reliquum simulacrum ingentibus spiris complectitur anguis, cujus caput ad dextrum figuræ latus apparet. Quid simile in aureis vitulis Jeroboami?

Moncæus etiam rem maxime ambiguam velnri certam constituit, Cherubim nempe bovis formam præ se tulisse. Nihil, inquam, magis incertum, nihil fabulosius; quam enim figuram potissimum Cherubim eahiberent, nemini notum esse arbitror, illudque generatim statuendum est, vagam fuisse illorum figuram, pro varia diversorum voluntate, qui ejus generis simulacra excuderent. At quamvis demus Moncæo, viruli imaginem Cherubim exhibuisse, quis illum docuit, vitulos aureos Jeroboami Cherubim Templi similes fuisse? An unquam Scriptura hosce Jeroboami vitulos Cherubim nomine vocavit? Norantne Rex ejusque Opifices veram Cherubim Templi figuram, quam nemo ex populo & ea Sacerdotibus videre unquam potuit?

Esto tamen, hæc omnia fieri potuerint; an proinde cultus ille superstitione vacuus haberi potuit? Numquam Deus supremo cultu Cherubim adorari permisit: imo lex universe lata, qua cautum erat, nequis simulacra & imagines colerer, illos non excludebat. At enim cultus ille non intra simulacri limites continebatur, sed ad verum Deum transibat. Hoc ipsum est, de quo disputatur. At, iterum urgeo, istud ne permiserat Deus? ipse profecto nunquam sub sensibilium imaginum figura coli voluit: quippe qui imagines simul omnes & simulacra interdiaerit. Cum aureum vitulum Aaron conflavit, id tanquam injuriosum Deo atque sacrilegum Moyses castigavit. Exod. XXXII. 4. & 1. Cor. X. 7.

Quod autem Prophetæ, & religiosi quique in Israele versantes, cultum illum probaverint, uno tantum Baale damnato, id nonnisi per summam impudentiam asseritur; neque enim probasse illum, sed ubique damnasse credendi sunt. An Eliam unquam, Elisæum, Osee, Amos thura illis adolevisse memoriæ proditum est? Quanta verborum contantione Propheta Domini (19), Jerosolyma in Bethel missus, ipsa dedicationis eorumdem vitulorum die, impium cultum reprehendit? Propheta e Bethel, qui alium e Juda venientem fefellit, nunquam coram vitulis prostratus legitur (20); neque enim, si eamdem religionem probasset, cum dedicationis cæremonia ageretur, domi se continuisset. Sed Osee (21) in eosdem vitulos declamantem audiamus: *Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi Idola, ut interirent. Projectus est vitulus tuus, Samaria, iratus est furor meus in eos . . . . . . Hostias offerent, immolabunt carnes, & Dominus non suscipiet eas* Et (22): *Vaccas Bethaven* (idest, domus iniquitatis, quo nomine probri gratia Bethel appellat) *coluerunt habitatores Samariæ. Luxit super eum populus ejus, & æditui ejus, quia migravit ab eo. Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus Regi ultori.* Tandem capite VIII. 6. redigendum minatur *in aranearum telas vitulum Samariæ.*

Propheta Amos in Bethel se conferens, Dei verbis prædixit c. 7. *Demolientur excelsa Idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur, & consurgam super Domum Jeroboam in gladio.* Non raro Sacra Scriptura vitio vertit Jeroboamo, quod peccatum in

[16] Ezech. XVI. 42. *Requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus a te, & quiescam, nec irascar amplius.* [17] In 3. Reg. XII. Vide Espenc. Dissert. 5. de orig. Arcæ, & Cherub. [18] Vide Tacit. hist. lib. 4. [19] 3. Reg. XIII. 1. &c. [20] Ibid. ℣. 11. [21] Osee VIII. 4. 5. 13. [22] Idem X. 5. 8.

in Israelem induxerit; non raro exprobrat impiis Principibus, quod impia Jeroboami vestigia legerint.

Fateamur ergo oportet, cultum aureorum vitulorum meram putamque Idololatriam reputandum fuisse; neque seditionis tantum, sed etiam Idololatriæ decem Tribus esse damnandas. Regum quidem jussiones, nequis Jerosolymam proficisceretur, ac pœnæ in violatores lenire illorum crimen poterant; sed nulla sane excusatione vindicamur, ubi divinis jussionibus obtemperandum est.

Idem plane consilium, quod Jeroboamum ad cultum vitulorum aureorum instar Apidis Ægyptii perduxit, impulit etiam, ut alterum Numen, nempe hircum, consecraret. *Qui constituit*, ait Author secundi Paralipomenon xi. 15. *sibi Sacerdotes excelsorum & Dæmoniorum* (Hebraice, hircorum) *vitulorumque, quos fecerat*. Erexit ille omnia Numina, quæ olim Hebræi, nequidquam vetante Moyse, in deserto coluerant (23): qua occasione impias omnes fallacesque ejus cultus appendices, quas profani Scriptores (24) Mendesiis, populis Ægypti, hircum colentibus, exprobrarunt, induxisse Regem minime ambigimus.

Verum ad historiam regrediamur. Jeroboamus, abductis semel ab avita Religione Israelitis, & ad cultum vitulorum traductis, nihil sibi deinceps curandum esse censuit, ut Religionis rebus magnopere studeret; eo solo contentus, si ab Urbe Metropoli adeunda se continerent. Cum enim Religionis negotium perinde ac rem imperio servientem haberet, ratus eo vinculo nihil præstari, nisi ut populi mutuo adstringerentur; eo firmius Regnum paratum se credidit, quo magis magisque a Religione Juda Israelitas abalienaret; eodemque conatu ambos illos populos inter se divelleret, quo magis Israelitas superstitionibus implicaret. Quare e re sua esse duxit, si proprio illos relinqueret arbitrio; qua data via universa editorum collium, lucorum, Altarium, &c. colluvies in totam late ditionem irrupit, levioris ingenii populo ad Religionem arbitrariam, sine delectu, & vesanam convolante (25).

Itaque non Bethel tantum & Dan, Urbes vitulorum aureorum religione insignes, sed & Galgala, Carmelus, Thabor, Maspha trans Jordanem, & Sichem frequentari cœperunt. Denique nullus fuit locus claro aliquo Patriarcharum gesto, mora, sive erecto ab illis Altari insignis, quem peregrinationibus & religionibus Israelitæ non obirent. Exceptos tamen semper ab eo numero volo Prophetas, virosque religiosos, depositum Fidei & Religionis a patribus suis acceptum sancte custodientes.

Quod autem a Jeroboamo illatum est Religioni vulnus, nunquam convaluit. Nadab, qui proxime Regnum suscepit, decessoris sui vestigia religiosissime legit; cujus nimiæ fidelitatis merito illud a Deo impetravit, ut ipse manibus hostium permitteretur, universaque Jeroboami domus ultimo excidio exterminaretur (26). Basa secundus a Jeroboamo non paria tantum, sed & iniquiora præstitit (27), cum ab eo neci traditus Propheta Jehu, Divinam ultionem Regi minitatus, legatur (28). Qui post illum regnarunt Principes, omnes æque impii, non Regum, sed Tyrannorum seriem perpetuarunt. Inter nequam Reges nequissimus Amri, hoc sibi elogium vindicavit: *Operatus est nequiter, super omnes, qui fuerunt ante eum* (29).

Impium patrem superavit impiissimus Achab, a quo ducta Iezabel filia Regis Tyri, invectus publicus & solemnis Baal, Numinis Sidoniorum, cultus (30). Sub eo Rege producitur a Domino Elias, inter studiosissimos æque & clarissimos Veteris Testamenti Prophetas recensendus, qui impiis ausis Achabi & Jezabelis adversum sese opposuit, atque inter medias furentis Regis & Reginæ persecutiones ac insidias Divino prodigio servatus est. Ea ætate licentia ita late pervaserat, & tam alta Dei oblivio mentes Israelitarum cepisse videbatur, ut nullum Domini Prophetam superesse Elias putaret (31). Jezabel pro viribus omnes perdere & necare conabatur (32): qui ejus furorem evaserant, in specubus montium latere coacti sunt. Constituti vicissim a Regina cccc. Pseudo-Prophetæ Baalis, &. cd. Prophetæ lucorum, quos Regio cibo alebat, iisdemque ministris cultui publico detinendo utebatur (33).

Achabo regnante, illustre illud factum, quo ab Elia asserta est Religionis suæ veritas adversus Prophetas & Sacerdotes Baalis, exhibitum est. Deductus enim e Cœlo ignis Holocaustum absumpsit: quod frustra tentaverant antea Sacerdotes Baalis implorato Baale (34). Historia Nabothi, injusta sententia, agente Jezabele, damnati, satis docet, quanta religionis & justitiæ oblivio mentes Israelitarum teneret. Hæc tandem ad perpetuam rei memoriam de Achabo literis mandata leguntur 3. Reg. xxi. 1. . . . 24. *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua, & abominabilis factus est in tantum, ut sequeretur Idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel.* Regni & criminum successorem Ochoziam reliquit (35); quo regnante cultus pariter Baalis regnavit; colles & edita quæque loca, & Altaria superstitiosa in Israele obtinebant.

Joram, qui post Ochoziam regnavit, prostratas Religionis res nonnihil restituit; Regnum enim nactus, in quo, contempto ferme Deo, omnia ad arbitrium Principis, nedum politica, verum etiam religiosa gerebantur, humanis potius, quam Dei jussionibus morigeros sese præbentibus Israelitis, cultum Baalis vel penitus abolevit, vel plurimum repressit (36). Statuas Phœnicii ejus Numinis evertit, solo aureorum vitulorum cultu retento, quem Jeroboam filius Nabat invexerat. Ea erat illorum temporum conditio, ut pars religionis haberetur, sceleribus se totum non addixisse, & laudis erat non modicæ Regi Israelis, si repressa ab illo aliquantum enormis licentia diceretur.

Religiosi apud Prophetas cœtus sub Joramo frequentati sunt, quos potissimum diebus Sabbati & Neomeniarum adibant; quare mulier Sunamitis, volens Prophetam die profesto adire, audivit a viro: *Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, atque Sabbatum* 4. Reg. iv. 22. 23. Leguntur etiam Prophetarum classes, ministerium suum velut in tranquillo pacis exercentes, & in communitate, ceu monasticam vitam professi, degentes (37). Joram summopere Elisæum observabat, & vicissim ipse a Propheta observabatur, quippe qui sine controversia Princeps esset omnibus, quotquot unquam in Israele regnaverant, minus iniquus. Pietate enim & timore Domini instructus, cilicio super nudum induebatur, cujus rei in obsidione Samariæ per Syros populus universus testis fuit (38). Delectabatur etiam audiendis iis, quæ Dominus per Elisæum patraverat (39); quibus tamen omnibus minime obstantibus, eodem cum universa Domo Achabi excidio, juxta Prophetarum vaticinium, implicitus est;

[23] Levit. xvii. 7. *Nequaquam ultra immolabunt hostias suas Dæmonibus* (Hebr. Hircis) *cum quibus fornicati sunt.* [24] Herod. lib. 2. cap. 46. [25] 3. Reg. xiii. 32. 33. xiv. 9. *Operatus es malum super omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, &c.* [26] 3. Reg. xv. 29. [27] Ibid. ℣. 34 & xvi. 2. [28] Ibid. xvi. 7. [29] Ibid. xvi. 25. [30] Ibid. xvi. 31. 32. 33. [31] 3. Reg. xviii. 22. xix. 10. [32] 3. Reg. xviii. 4. [33] 3. Reg. xviii. 19. [34] Ibid. xviii. [35] 3. Reg. xxii. 54. [36] 4. Reg. iii. 2. [37] 4. Reg. iv. 38. & vi. 1. [38] 4. Regum vi. 30. [39] 4. Reg. viii. 4. 5.

æst; neci enim a Jehu traditus, in agrum Nabot, quem olim Achab per summam injuriam usurpaverat, projectus est (40).

Proscriptum antea ab Joramo Baalis in tota ditione Israelis cultum, Jehu penitus deinde subverrit (41). Cum enim Joram mali radices evellere nequidquam tentasset, quod, Jezabele in vivis agente, vivere adhuc impium cultum necesse esset; Jehu a Deo missus exscindendæ familiæ Achabi, post trucidatos omnes Regis filios, in unum coactos Sacerdotes omnes & Prophetas Baalis, quasi de augendo Baalis cultu acturus, re tamen in Fano ejusdem Numinis clausos enecavit. Tum abolitum Templum, eversa simulacra, locusque Religioni consecratus in cloacam conversus est (42). Ita cultus Baalis in Israele ad tempus cessavit.

Sed vitulorum aureorum religio nihil sub Jehu minuta est (43); quasi religioni duceret, in veterem regionis cultum, ab ipso Jeroboamo filio Nabat Imperii authore constitutum, manum injicere. Quam Jehu cautionem, cæteri, qui post ipsum regnarunt, servatam sancte voluerunt. Sub Joachazo ipsius successore excelsa Bethel & Dan frequentabantur: lucus etiam Diis sacer Samariæ memoratur (44); qua facile conjectura intelligimus, cultum Baalis & Astaroth ab eodem Principe toleratum. Joas, filius Joachazi, Eliseum observavit, a quo tribus victoriis tracturum se Reges Syriæ oraculo intellexit (45). Plus tamen apud illum prava majorum exempla valuerunt, ut cultum vitulorum aureorum detineret.

Regnum Jeroboami II. non uno rei gestæ monumento celebratur. Sub eo Rege Prophetarum nonnulli floruerunt, e quorum scriptis, nostra ætate extantibus, intelligimus, felicissimum omnium, qui præcessere, Regnum illi contigisse. Is fractis multiplici victoria hostibus, fines Imperii sui longe lateque prorogavit. Verum opulentia, otium & sua flagitia, quemadmodum frequenter fit, in Regnum Israeliticum induxere. Accessit vitæ mollities, luxus, & injustitia (46); quamquam post sublatum a Jehu Templum & Sacerdotes Baalis, nunquam in Israelem inductus ejus Numinis cultus legitur. Illud etiam animadversione dignum duco, plura sub eo Rege a Lege Dei præscripta (47) in Israele observari; uti inaugurationem Nazaræorum, solutionem primitiarum, & decimarum oblationes, varii generis sacrificia, Carmina Domini, Festorum & Sabbati religionem. Cæterum effrænis licentia regnabat, edita loca & peregrinationes superstitiosæ frequentabantur. Præter Dan & Bethel (48), celebratur Bersabee (49), quam urbem jure armorum Rex ditioni suæ adjunxerat. Ea porro erant excelsa Isaac (50), quod eum locum olim Isaac erecto Altari consecraverit, & lucum ibi severit (51); peregrinationes etiam obibant in Maspham, urbem trans Jordanem, in montibus Galaad (52), fœdere inter Jacob & Labanum icto, erectoque per Jacobum ea de re monumento (53), nobilem; in Galgal (54), sedem olim populi sub Josue, & deinde vitulorum aureorum Osee ætate (55), in Thaborem & Carmelum (56); ac tandem in omnes montes Israelis, erectis Aris consecratos.

Zacharias, post illum Rex, & generis Jehu postremus, vestigia patrum ita tenuit, ut omnia, præter cultum Baalis, permitteret. Sanguis olim a Jehu in valle Jezrahelis effusus, in ipsum totamque Jehu familiam recidit (57). Sellum enim, ea deleta, eorum potitus est; ex quo demum tempore impune licentia in Israele debacchata est, omniaque ad cædes & intestina bella converti visa sunt (58). Neque morum totiusque Regionis corruptioni addi quidquam poterat, adeo ut criminum horrore veluti provocatus Deus (59), populum suum Regibus Assyriæ tradiderit, qui regionem urbemque Samariæ vastantes, populum trans Euphratem captivum deduxerunt.

Horum malorum, quæ Divinam in caput Israelitarum ultionem provocarunt, imaginem ita pingit Scriptura: 4. Reg. xvii. 8. 9. 10. 11. &c. *Et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, & Regum Israel, quia similiter fecerant; & offenderant filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, & ædificaverunt sibi excelsa in cunctis Urbibus suis a Turre custodum usque ad civitatem munitam. Feceruntque sibi statuas, & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum; & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum: feceruntque verba pessima, irritantes Dominum; & coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus, ne facerent verbum hoc. Et testificatus est Dominus in Israel & in Juda per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: Revertimini a viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & cæremonias, juxta omnem Legem, quam præcepi patribus vestris. Et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo, & abjecerunt legitima ejus & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos, secutique sunt vanitates, & vane egerunt, & secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum.*

Novissima hæc tempora ita deplorant Prophetæ, quasi Regnum confusionis, execrationis, injustitiæ, violentiæ, Idololatriæ (60); nulla agendi regula, nulla proposita imitationi exempla, præter Amri & Achabum. Optimi quique inter illos, & pessimi ita plane distinguebantur, quemadmodum rubus a sente. Dolus omnia tenebat, & sinceritas, pietas, æquitas exulare cogebantur; quos mali ultores timere debebant, illos tamquam authores ducesque sequebantur; mutuis insuper malis alter alterum provocabat, fovebat, tuebatur.

Ezechiel II. 3. populum hunc exhibet in scelere obfirmatum, nullis persuasionibus corrigendum, fidei desertorem & prævaricatorem, qui a Domino desciscens, ultionem in se divinam jam inde ab initio provocaverat III. 7. qui Prophetarum & Dei vocibus surdas aures præbuerant, corde & fronte ænea omnibus restiterant VI. 3. quorum regio omnibus Idololatriæ sordibus scatens, passim occurentibus in edito quolibet loco ac nemore positis impietati & superstitioni mausolæis. XIII. 16. XIV. 1. XX. 1. Summam in ea, addit Ezechiel, obtinent authoritatem Pseudo-Prophetæ, quorum verba excipiuntur, cum Prophetæ Domini contempti neglectique jaceant: impii assentatorum laudibus foventur XXI. 32. 33. &c. populus est tandem, cui nihil antiquius, quam ut excusso Domini jugo, rescissoque sacro fœdere, arbitrio suo & voluptati vivat. Æger est deploratus, cui frustra pharmaca adhibeas; gens polluta, quam non antea expiaveris, nisi postquam

inter

[40] 4. Reg. IX. 24. 25. [41] 4. Reg. III. 2. [42] 4. Reg. X. 19. 20. 21. &c. 28. [43] 4. Reg. X. 29. 30. 31. [44] 4. Reg. XIII. 2. 6. [45] 4. Reg. XIII. 14. 15. [46] Amos II. 6. 7. &c. III. 9. 10. 14. 15. VI. 4. 5. 6. 7. VIII. 4. 5. [47] Amos II. 11. 12. IV. 4. 5. V. 22. 23. VIII. 3. 5. 10. [48] Amos VII. 13. [49] Amos V. 5. VIII. 14. [50] Amos VII. 9. [51] Genes. XXV. 25. [52] Osee VI. 8. [53] Genes. XXXI. 42. 46. [54] Osee IV. 15. IX. 15. [55] Osee XII. 11. [56] Osee V. 1. [57] Osee I. 4. [58] Osee IV. 1. 2. XII. 1. 2. &c. [59] 4. Reg. X. 32. *In diebus illis cœpit Dominum tædere super Israel.* [60] Mich. I. 7. III. 1. 2. 3. &c. VI. 16. VII. 1. &c.

inter nationes dispersam innumeras propemodom pœnas dare coegetis; uxor infidelis, omnibus finitimis populis, quorum scelera non æquare tantum, sed superare studuit, prostituta xxiii. quæ tandem eo sceleris devenit, ut infamia sua scelera Gomorrhæ, Sodomæ & Ægypti minuetit.

Jeremias II. 10. 11. ad alias orbis nationes Judæos mittit, ut videant utrum unquam illi, pristina religione deserta, ad aliam externam accesserint; quod tamen ab Israele factum queritur, cum rejecto Domino, fonte aquæ viventis, confractas sibi eisternas, continendis aquis ineptas, effoderit. Similes fœminæ perfrictæ frontis & prostitutæ, quæ obvio cuique totam se committit; vaccæ indomitæ, quæ confracto jugo petulans jactitat: *Non serviam*; vineæ manu Domini consitæ, quæ pro uvis labruscas ingrata produxit; onagro indomito, effræni, turpissimo, in voluptates effuso; adolescenti male morato, qui excusso disciplinæ & obedientiæ jugo, audacior in patrem insurgit.

Quo melius Prophetarum sensus pervadatur, atque oraculorum apud ipsos mens pateat, religionis in utroque Regno status sub oculis ponendus est. Eo enim vaticinia illorum omnia potissime feruntur: idque in causa fuit, cur nos una veluti serie ea componeremus, quæ apud Scripturam apertius de hoc argumento traduntur, ad ætatem Prophetarum spectantia.

DISSERTATIO

DE IDOLOLATRIA ISRAELITARUM IN DESERTO, AC POTISSIMUM DE DEO REPHAN SEU REMPHA, AD AMOS 5. 26.

NISI apertissimo Scripturarum documento extra controversiam positum esset, Hebræos non semel tantum & per transitum, sed veluti de industria & consuetodine Idola coluisse in deserto, vix fidem affirmanti haberemus: adeo res supra fidem videtur. Quia enim unquam factum sibi persuaderet, ut sub ipsis Moysis oculis, coram Arca Fœderis, sub ipsa nubis noctu diuque protegentis umbra, inter media prodigia, Sacerdotes, Judices Dei Spiritu afflatos virosque studio Legis flagrantes, ac tandem invitis legibus, Idololatriam indicta mortis pœna vetantibus quis, inquam, crederet, Idola secum tulisse populum, quibus cultum superstitiosum & sacrilegum impenderet? Hæc sane, quamquam supra fidem videntur, non dubia tamen fide credenda sunt post luculentum Amos c. v. 26. a S. Stephano Act. 7. 43. confirmatum, testimonium. Ita vero S. Stephanus illos compellat: *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis adorare eas.*

Quam olim tulerant ex Ægypto habitudis in Idola colendi, nec minæ nec prodigia nec legum severitas nec beneficia Domini exeindere valuerunt (1). Cum Moyses sub ipsum ex Ægypto egressum Hebræos alloqueratur, in ipso sermonis vestibulo illos hortatur: *Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in Idolis Ægypti nolite pollui.* Frustra tamen ille. Adjecit Deus minas, ultionem suam tandem exerturum edicens; frustra etiam Deus. Quare ne obstinatos ultionis severissimæ exemplum vel in in ipsa ea regione poneret, sola gloriæ suæ & majestatis ratio prohibuit. Ex Ægypto itaque veluti abstraxit avulsitque, uti ait Ezechiel xx. v11. *Ejeci eos de terra Ægypti*: deductisqua in desertum leges suas & mandata tradidit. Verom ejus beneficiis pervicacius resistentes, seditione in illum non semel excitata, eo ultionem divinam adegerunt, ut non semel & iterum, sed decies in ipso delendi ingratos limine constitueretur. Frustra nihilominus omnia. *Post Idola cor eorum gradiebatur*. Ezech. xx. 16.

Vehementius etiam Ægyptianam Idololatriam populo exprobrat Ezechiel, prostitutæ fœminæ moribus scelera populi comparans (2); semel enim rupto pudoris fræno in Ægypto, totum se licentiæ adeo dedit, ut in ultima flagitia devenerit.

Alterum ejus rei testem, omni exceptione majorem, de adoptato Numinum Ægyptiorum apud Hebræos cultu, abjectaque in deserto obedientia Domini, Josue xxiv. 14. exhibemus. Sed frustra argumenta in eam rem congerimus, cum ipse Moyses in Libris suis aperte loquatur. Quoties excitato murmure atque in apertam defectionem ptoruentes, querelas sua alta in Dominum extulerunt? Si Moyses aliquo temporis spatio a castris abstineat, statim aureus vitulus ad cultum proponitur. Exod. xxxii. 4. Ad regionem Moab accedentes, ad sacra Phogor vocati, certatim ruunt; deinde libidine implicantur. Num. xxv. 3. Frustra Moyses leges & edicta congerit; superbe illa abjiciunt, pravum illum iniquitatis cursum, quem olim susceperant, nulla mora prosecuti, prava cordis sui vota vel ipso invito Deo expletori. Edicto cavet Moyses Levit. xvii. 7. ut victimæ omnes præ foribus Tabernaculi sistantur; nec alibi quam coram Domino victimæ mactentur, quarum sanguis in ipsa Ara offeratur; edicit, ne *immolentur bostiæ Dæmonibus* [Hebr. Hircis], *cum quibus fornicati sunt*. Hæc autem omnia capitalia decernit: *Interibit de populo suo*. Quid autem populus? *Et portastis*, ait Amos v. 26. *tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sidus Dei vestri*.

Toto quadraginta annorum spatio, quo in deserto erravere, arbitrario quodam, vel si malueris, impio vitæ genere usi sunt. *Numquid bostias & Sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?* ait Amos V. 25. *Non sum locutus cum Patribus vestris*, ait Dominus Jerem. vii. 22. *Et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus*. Tandem Moyses sub ipsum vitæ suæ exitum ita affatus est Israelitas Deut. xii. 8. *Non facietis ibi* (in terra promissionis) *quæ nos hic facimus hodie singuli, quod sibi rectum videtur*. Exploratum est, toto eo temporis spatio Circumcisionem & Pascha illos non celebrasse, ab amotis a Sinai castris. Sacrificiorum etiam aliarumque cæremoniarum leges,

---

(1) Psal. cv. 7. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.* (2) Ezech. xxiii. 1. 2. 19. 20. 21. Vide etiam Ezech. xvi. 26.

ges, quamquam in deserto latæ, aliud tamen tempus exigebant, cum in itinere servati non possent.

Sed quænam hæc Numina Hebræorum in deserto? Ægyptiaca, uti facile credimus, quæ sane poterant ex ea regione regressi & coluisse prius, & secum ad cultum devexisse. Aureus vitulus ad radicers montis Sinai consecratus, ipsissimus erat Apis, celebratissimum in universa Ægypto Numen, quemadmodum comuni suffragio recepta opinio docet. Sed altioris indaginis sunt ea, quæ supra ex Amos recitavimus, cujus Textus ita sonat ad verbum (3): *Et portastis tabernaculam Regis vestri, basim vestrarum imaginum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis*: seu potius: *Portastis Tabernaculum Regis vestri, Chevan imaginem vestram, & astrum Deum vestrum, quæ fecistis vobis*. En Numina solemni ritu circumlata, & sub tentoriis posita; sculpta simulacra, Astra, & Numen regia dignitate insigne, quod sane Numen tanquam Regem suum cultores ejus agnoscunt, sub tentorio, regio cultu ornato, positum; & cum exercitus proficiscitur, solemni pompa delatum, eo plane ritu, quo olim Tabernaculum Domini & Arca in itinere per desertum a Sacerdotibus & Levitis gestabatur.

Ægyptiorum moribus constitutum est, ut Numina in plures classes distinguantur. Erant enim apud illos Dii, quos universa æque regio venerabatur; erant peculiares regionis, sive Urbis (4). Inter hos, alii supremum, alii inferiorem ordinem tenebant, recepto Græcorum more, apud quos Dii superiores, & inferiores: *Dii minorum gentium*. Hic ad cultum propositus Crocodilus, illic hircus, ovis, felis, ibis, corvus; suus etiam cultus igni, terræ, aquæ: occurrebant quandoque mortales in Deos consecrati, Isis, Osiris, Ammon.

Taurus, vacca, sol, luna, Osiris, Isis, æque omnibus Ægyptiis Numina erant communia. Ferme ubique jungebantur Diis, mortales in Deos consecrati, astra, & bruta; quæ facile omnia unum erant idemque Numen, diverso tamen nomine cultui propositum (5). Ita Osiris primo colebatur tanquam Deus, qui in terra apparuerit; eidemque fatis functo, atque in Solem, quem ille veluti corpus suum ad arbitrium agebat, translato, aras consecrarunt. Aliis vero subiit in mentem, ut Osiridis animam in tauri corpus transiisse putarent; quod enim in universa regiune pulcherrimum est, & utilissimum animal, illod etiam dignum Deo contubernium arbitrati sunt (6). Ita unus idemque Deus multiplici sub imagine colebatur; quem spectasse Amos creditur, triplici illo, *Reu, vestra imago, sidus vestrum*, eumdem Osiridem designans, seu quod idem est, vitulum aureum, Deum Apidem, Solem, Regem Osiridem.

Principem antem locum in universa ditione Osiris tenebat (7), ut optime Regis titulus apud Prophetam illi conveniat. Israelitæ aureo vitulo in deserto consecrato acclamarunt: *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Exod. xxxii. 4. Veterum Patrum plerique caput tantum vituli vel tauri ea occasione aris impositum crediderunt; quod facila designavit Propheticum illud: *Basim Dei vestri*. Maluerim ego tamen, non tauri caput, sed integrum ejus simulacrum, sive hominem taurino capite ad cultum Hebræis propositum fuisse (8). Taurus Apis effigiem Solis fronti inscriptam gerebat (9), lunæ decrescentis ad latera: si quis forte taurus hisce notis insignis apparuisset, continuo tamquam Rex Osiris sub ea specie iterum se spectandum præbuisset, aris & focis colebatur.

Cum Hebræi Numen sibi conflatum in ædiculis circumferrent, omnibus plane notis illud insignitum voluisse credendi sunt, quibus & cultores sibi conciliaret, & Solis speciem deceptis populis ingereret. Scitum est, in Ægypto moribus receptum, si alibi unquam, fuisse, ut Numina perpetuis emblematibus, tamquam diversarum dotum eorumdem Numinum notis, insculperentur; rarumque est Ægyptium simulacrum, quod sive capiti impositum, sive pedibus instratum, sive manu sustentatum certum aliquod animal non præseferat. Ex Ægypto petita superstitio certum aliquod animal singulis Numinibus destinandi. Sed plus aliquid Ægyptii sibi arrogarunt; non enim singulis Numinibus animalia tantum, sed ipsa in Deos bruta consecrarunt; ea persoasione ducti, Deos nimirum olim bruti figura inter homines apparuisse. Hæc nobis probabilissima visa sunt, quæ de Numine a Judæis in itinere secum vecto differerentur; ratumque ex his manet, Deum illum ipsissimum fuisse Apidem, vel Solem, ædiculæ, vel basi impositum.

Solis figuram ita ab Ægyptiis expressam describit Macrobias Saturnal. lib. 1. capp. 20. 21. Simulacrum erat, impositum capiti calathum gestans; seu dextra capitis parte rasum, læva comatum; vel tandem animal triceps, in quo medium tenebat leonis caput; hinc vero canis, mollis & festiva, inde lupus ferox & rapax. At supra jam animadvertimus, expressum fuisse ab illis solem sub emblemate tauri, vel sub Osiridis figura; quare certo nunquam definiri potest, quam potissimum figuram Numen Hebræorum præseferret, quamvis certo Solem exhibuisse constaret. Theologiæ hieroglyphicorum apud Ægyptios suæ erant leges, sive ad arbitrium, sive certo quodam consilio positæ; sed omnia ea de re incerta. Itaque & si nos in eam sententiam inclinemus, cultum a Judæis Taurum & Solem, nihil taman certi definitum volumus; sed eam opinionem selegimus tamquam omnium optimam, non tamquam certam.

Ex Ægypto etiam defluxit mos circumferendi Deorum simulacra in tentoriis sive in curribus, in lectorum formam instratis. Amos author est, delatum ab Israelitis Regem suum sub tentorio; ex quo Tabernaculum Domini Dei Israelis originem retulisse, Scriptorum nonnulli (10) opinati sunt; rati, Moysem, ut ingenio populi, Ægyptiorum moribus assueto, indulgeret, tentorium illud magnifico opere parasse, ut sedem dignam constitueret Arcæ Domini Israelis, in medio populi regnantis. De more gestandi humeris Idola, lege Isaiam XLVI. 7. & Baruchum VI. 3. 25. Plerumque pretiosi operis valis vel umbellis protegebantur.

Meminit Herodotus libro IV. consuevisse die quodam Festo Isidis simulacrum curru quatuor rotarum, quem Sacerdotes traherent, vectum circumduci. In publica quadam supplicatione geminos aureos canes, accipitrem, & ibim delatos, S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 5. pag. 157. est author; idemque in Protreptico verba Menandri laudat, Deos istos ceu erraticos deridentis, qui neque loco manere, neque Templum suum tutari possent. In loculo, cui viri humeros subdebant, circumlatum Jovem Heliopolitanum in Ægypto, eo plane ritu, quo Romani Deos suos in pompa Circi efferebant, & nos Sanctorum loculamenta, apud Macrobium Saturnal. lib. 1. legimus. Agrotem, Phœnicum Numen insigne, in ædicula tecta collocatum, curru a jugalibus circumvectum, narrat Philo Biblius apud Eusebium Præpar. lib. 1. num. 10. & Servius ad Æneid. 6. author est, minutissima quædam Numina apud Ægyptios, & Carthaginienses velatis curribus vecta, ex

(3) ונשאתם את כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם (4) Herodot. lib. 2. c. 42. (5) Vide Diodor. lib. 1. pag. 7. (6) Diod. lib. 1. pag. 54. (7) Diod. lib. 1. pag. 13. seu 19. Edit. Vechel. an. 1604. (8) Vide dicta in Comment. ad Exod. xxxii. (9) Herod. lib. 3. cap. 28. (10) Spencer. lib. 3. de Legibus Hebr. Ritual. Dissert. 1.

ex motu vectoribus impresso oracula edidisse. Nec ab his omnibus Ammonis oraculum ablusisse ferunt (11); nam Sacerdotum humeris deferebatur Numen, simile a capite adusque umbilicum arieti, & fiscellæ cuidam, unde argenteæ plures pateræ sive argenteæ lances pendebant, impositum; pro vario autem motu fiscellæ impresso, de Numinis favore bonum malumque augurium a Sacerdotibus capiebatur.

Veteribus Germanis, ait Tacitus de moribus German. latens quædam Dea colebatur, in sacro luco Insulæ cujusdam Oceani residens, cujus Numinis tectus currus, quem propius scrutari omnibus, præterquam Sacerdoti, nefas, geminis vaccis trahebatur. Porro Sacerdos tempus observat, quo Dea currum subit; tum Numinis religione plenus pompam comitatur. Ubique currus ingentis solemnitatis apparatu, publicæque lætitiæ significationibus excipitur. Postquam vero iter suum confecit, lucum repetit, quasi mortalium commercii pertæsa; statimque currus, & currum protegens velum, quin & Dea ipsa in lacu quodam a mancipiis lavantur. Mancipia post confectum opus statim aquis merguntur. Ex his omnibus ingens adeo religio gentis illius animos tenet, ut ne videre quidem absque mortis discrimine mysteria illa sibi fas esse putent.

Sulpicius Severus in Vita S. Martini lib. 1. narrat de Gallis quibusdam rusticis, eos *Simulacra Dæmonum candido tecta velamine misera per agros suos circumferre dementia*. Hanc facile similitudinem referebant tentoria illa, tectæ ædiculæ, lecti, sive gestatoria Templa, quæ Israelitis iter habentibus per desertum Amos exprobravit.

Hebræorum nonnulli (12) certant *Siccbus*, quam vocem nos reddimus tentoria, Idolum quoddam designare; nec facile alterum ab illo, quod quartus Regum XVII. 30. *Socoth-Benoth* appellat; & nos de Venere interpretamur. Sed opinionis hujus authoritas minor est, quam ut aliam huc usque assertam sententiam rejiciamus.

S. Hieronymus in Amos v. 26. in ea est sententia, Hebræos toto itineris per desertum tempore, Sacrificia non Domino, sed Molocho, cujus Numen & tentorium una secum ferebant, obtulisse. Addit insuper, Deum illum nomine Astri (*Sidus Dei vestri*) designari; Astrum vero ipsum esse *Luciferum*, sive matutinam stellam, quam Saraceni ad eam usque ætatem venerabantur. Quæ si vera sint, ex Arabibus deductum erit Numen, quorum regionem tenebant tunc Hebræi, non ex Ægypto, unde jam pedem retulerant.

Septuaginta (13), Aquila, & Interpretes plerique in *Melchom* sive *Moloch*, Deum Ammonitarum, cum S. Hieronymo conveniunt: at Numen illud Saturnum esse, non stellam matutinam, putant. Horum conjecturæ favet, quod Molocho, non secus ac Saturno, humanis victimis litaretur. Moloch ab Ammonitis, populis Arabiæ, quam tunc regionem tenebant Hebræi, finitimis colebatur. Neque ignotum fuisse Hebræis Numen ex lato Moysis edicto Levit. XVIII. 21. XX. 2. 3. 4. 5. vetante, ne filii sacris Molochi per ignem traducti initiarentur, intelligimus. Cum de Molocho satis multa dixerimus in peculiari Dissertatione ad Leviticum, hic nihil addimus. Constat tamen, Hebræum legere *Melchechem* Regem vestrum, non *Moloch*; sicut neque Moloch sive Melchom Numen esse Ægyptium. Præstat igitur, priorem sententiam de Osiride vel Apide, seu vitulo aureo, vel sole amplecti.

Quod S. Hieronymus reddidit, *imaginem Idolorum vestrorum, Sidus Dei vestri*, id in tota Prophetæ sententia operosissimum est. Ea versio accuratissima est & ad verbum, sed non omnes eodem sensu dictum interpretantur. Alii suspicantur totum locum, *Moloch, imaginem Deorum vestrorum, Sidus Dei vestri*, idem variis synonymis repetitum exprimere: statuam nempe Saturni, præferentem imaginem astri, eidem Numini consecrati, ipsique in sedem assignati.

Alii tria Numina iis verbis innui malunt: I. *Moloch* vel Osiridem; II. *Saturnum*; III. *Astrum*: qualenam? incertum. Cur autem in expositione ejusdem loci adeo torquerentur, & variis ambagibus obvolverentur Interpretes, in causa fuerant Septuaginta, vocibus ejusdem Textus mutatis. Nam inverso verborum ordine reddiderunt: *Sidus Dei vestri Rephan, & imaginem eorum, quæ fecistis vobis*. Porro Deus ille Rephan, sive Remphan, vel Romphan, doctissimos Criticos exercuit, & res est tam multis Scriptoribus exagitata, ambigua nihilominus adhuc & incerta, ut invitus idem argumentum tractandum suscipiam, nihil habens sive certius sive melius proferendum, quam quod ab iis, qui eamdem spartam ante nos adornarunt, animadversum est.

Grotius persuasum habuit, *Remphan* sive *Rhemvan* ipsum exprimere Numen, quod in 4. Reg. v. 18. *Remmon* רמון seu *Remvan*. appellatum est; nam vocali u in v consonam mutata, facile in Hebræo legitur *Remvan*, nomen, ut ipse quidem opinatur, Planetæ Saturni apud Syros, pro *Remmon*. Remmon apud Hebræos sonat, elevatio ejus, quod scilicet Saturnus altissimum locum apud Planetas teneat. Alii nomen *Rephan* derivant ex Hebræo *Rapha*, quod sonat torpere, pigrum, fractum esse, Saturni scilicet cursus gravior est, minusque, quam cæterorum, velox. Capellius & Hammondus in Act. VII. 44. *Revaphan* quemdam Ægypti Regem fuisse, post fata ab incolis consecratum, arbitrantur. Diodorus Siculus lib. 1. Regem Remphin post Proteum statuit, sed divinis honoribus indignum plane eumdem Principem exhibet; neque enim ulli rei studebat magis, quam ut avaritia & dolo incautos deciperet; nihilque habebat antiquius, quam ut pecuniam cumularet, nec sane in usum proborum hominum sive Deorum unquam impendendam.

Ludovicus de Dieu, tanquam rarum ingenii sui & felix inventum, ex Alphabeto quodam Cophtico, Romam ad Scaligerum misso, se deprehendisse jactat, *Rephan* loco Saturni inter septem planetas recenseri; quamobrem Rephan Numen esse Ægyptium putat, Saturnum referens. Huic conjecturæ vocabulum etiam convenit; *Reph* enim Arabibus est voracitas; quid autem Saturno voracius, qui filios vorasse narratur? Verum Scripti hujus antiquitas tanta ne est, ut probet, Septuaginta ætate Rephan eumdem fuisse Ægyptiis ac Saturnum? Facilius suspicamur, Cophtos hanc significationem tenuisse e novis Scriptoribus, quorum authoritas minor est, quam ut fidem extorqueat. Quod ad voracitatem spectat, Saturnus Ægyptius filios vorasse nuspiam legitur. Nihil igitur ex ea sententia certi colligitur.

Vossius de Idololat. lib. 2. c. 23. Rephan, vel Chevan, aut Chion, de Luna interpretatur; de Luna, inquam, sine Sole nunquam vel raro ad cultum proposita; sicut & Isidi fere semper sociatur Osiris. Hebræum *Chion* & Græcum *Kion* columnam sonant: scitum est autem, apud Veteres columnas & hastas diu loco Numinum cultas fuisse (14); & potissimum Arabum Numen Alilat (15) vel Luna habebatur; certumque ferunt, populos illos lapidem coluisse (16), qui non inepte nomine *Chion*, basis, designatur.

Si manus in Textum inserenda mihi esset, & nomini *Rephan*, sive *Chevan*, vel *Kion* literam substituere liceret, legere mallem *Chimah*, quod etiam

(11) Curtius l. 4. (12) Vide Hebr. Vatabl. Munst. (13) Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ραιφὰν, τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς Aquil. Μελχὸμ. (14) Clemens Alexand. Protreptic. pag. 30. Eusebius l. 1. (15) Herodot. l. 3. c. 8. & lib. 1. c. 131. (16) Clemens in Protrep. p. 29.

etiam legitur in Jobo IX. 9. & XXXVIII. 31. ubi Plejades subeunte Vere exorientes eo nomine designantur. Astra illa appellantur in Jobo *deliciæ Chimah*, ex amænitate facile & deliciis ejus temporis. At puto adeundum esse hujus loci Hebræum. Syntaxis ejusdem Textus non facile Idolum nomine *Chion* expressum innuere videtur; cum potius parvam aram vel basim simulacri designet. Nullum in Propheta Idoli expressum nomen legitur, nisi forte Moloch; & illud etiam non peculiare est Numinis, sed dignitatis; sonat enim *Regem: Et portastis tabernaculum Regi vestro, & basim imaginum vestrarum, sidus Deorum vestrorum*.

Ita vero locum sapientissimi plerique Interpretes exponunt (17). Hebræi in deserto Numinum suorum thecas sub velo pretiosissimi operis deferebant, quemadmodum nos Sanctorum loculos; horum autem Deorum simulacra basibus imponebant, vehebantque vel humeris hominum, vel curribus, vel in lectis instratis, quemadmodum supra exposuimus.

Alii tandem legunt in Hebræo (18) *Chevan* pro *Chion*, contendentes, designari eo nomine Saturnum Arabum, & Syrorum; nec sane negaverim, ipsum esse Saturni nomen apud Syros, Arabes, & Persas (19). Ex ea conjectura locus alteri datus est (20), *Rephan* apud Septuaginta ex mendo Amanuensium pro *Kephan* poni, mutata K in P Græcorum; quod ex similitudine literarum in nominibus maxime barbaris & incognitis accidere facile potuit. Septuaginta, sive eorum Amanuenses *e* pro *v* consona substituerunt, quemadmodum accidit sæpe, ut *Dasus* pro *Davus*, & *Serfus* pro *servus* scriptum legatur. Sunt etiam qui ex altiori fonte mendum derivantes, suspicantur, septuaginta Interpretes in Hebræis Exemplaribus loco *Chevan* vel *Chion* legisse *Rephan*, quod fieri potuisse judicamus.

Nos facile in eam sententiam concedimus, quæ *Rephan* vetus esse mendum suspicatur, sive ex mendosa lectione Textus Hebraici, quo Septuaginta usi sunt, sive ex Amanuensium incuria derivatum, qui alterum barbarum nomen loco alterius itidem barbari substituerunt. Nec nobis persuadet sive nominis *Raipha* apud Arabes significatio, sive Cophtici Operis, a Ludovico de Dieu laudati, authoritas, quarum prior conjectura omnium levissima est; altera vero nihil probat, quandiu apud veteres Ægyptios Rephan Saturnum designasse non demonstret. Quandiu enim argumenta ea de re desiderabuntur, nobis integrum erit suspicari, Cophtos nomen Rephan, e Septuaginta deductum, Saturnum reddidisse, eo persuasos, quod Arabes & Syri de Saturno interpretantur Hebræum *Chevan* vel *Chion*, cujus loco Septuaginta *Rephan* posuere.

Altera conjectura, qua nobis suspectum nomen Dei *Rephan* efficitur, silentium est ea de re Veterum; cum sub eo nomine nullum apud Ægyptios & Arabes Numen celebretur. Ignotum est etiam in universa Theologia Græcorum, Syrorum, & Chaldæorum, quamquam Septuaginta eo tempore florebant, cujus historia nec prorsus latet, nec quo Ægyptiorum res Græcis Scriptoribus inexploratæ sunt. Profecto si de Moysis vel Amos ætate ageretur, altioris indaginis res esset; sed *Rephan* multo debuit quam *Chevan* recentius esse, cum nihilominus lateat adeo nomen, ut nulla ejus memoria supersit.

Unum est, quod a sententia in ea re proferenda nos deterret, retinendumque persuadet nomen Dei Rephan; authoritas nempe S. Stephani in Actis VII. 43. qui Amos laudans, nomen illud usurpavit. Neque in animum induci potest, pravam lectionem secutum esse virum sanctissimum, cum Divino Spiritu afflatus verba illa funderet. Sed his gemina opponimus: I. Virum Sanctum Hebraice, id est Syriace, uti quidem suspicamur, Judæis in cœtu congregatis locutum, facile *Chevan*, ut est in Textu Hebræo, non *Rephan* habuisse; II. S. Lucam, cum literis illius verba mandaret, Versionem Septuaginta in laudandis Sacræ Scripturæ sententiis facile sequutum esse; cum de re ageretur neque ad fidem neque ad mores conducente, cujus totus error in literæ unius mutatione versatur, designantis nomen profani cujusdam Numinis, sed obscurissimi, nulliusque ad Religionem momenti.

Nec inficias iverim, eumdem Spiritum, quo olim afflante S. Stephanus loquebatur, scribenti S. Lucæ adfuisse, quo docente poterat error Amanuensium demonstrari pariter & corrigi. Sed fac, S. Scriptorem mendum deprehendisse; quid rem tam parvi momenti corrigi jubebat? Quoties etiam Deus nostris se erroribus accommodat? Nec raro Versio laudatur imperfecta & mendosa, cui usus communis authoritatem utcumque conciliavit, præsertim ubi de re levioris momenti agitur. Quibus omnibus in utramque partem recte expensis, fateamur oportet, corruptionem Textus Septuaginta aptissime ad eam difficultatem expediendam in medium adduci posse, ubi pro Rephan legendum constituatur *Kion* sive *Chevan*.

Sed quis iste *Chevan* Syrorum, & Arabum? Si peculiare Dei nomen est, & non vox basim designans, ad Saturnum Ægyptium referendum censeo. Obtinuit enim ab ea gente in finitimos populos falsæ Religionis superstitio, ut totius Idololatriæ, non Arabiam modo, Palæstinam, & Syriam, sed Græciam etiam aggressæ, Ægyptus parens extiterit (21). Porro Saturnus inter primos Ægypti Deos habetur. Sol omnium primus in ea provincia regnavit; deinde Vulcanus; tertius Saturnus, qui ex Rhea sorore itidemque uxore genuit Osiridem, & Isidem, alio nomine Jovem & Junonem. Magnis bellis cum Baccho Rege Nysæ Saturnus iste implicitus sinistra semper fortuna usus est (22).

Saturni Ægyptii figura nos latet, nullum enim vestigium extat ejus rei sive in nummis Ægyptiis, sive apud Authores. Si is erat, quem Græci pingunt, notior est, quam ut hic exhibeatur: si Saturnus Phœnicius, ita Numen describit Sanchoniaton apud Eusebjum Præp. lib. I. num. 10. Quatuor oculis in capite instructus, duobus in anteriorem partem, duobus in posteriorem obversis, eo plane ordine, ut cum gemini clauderentur, par alterum vigilaret, & vicissim. In humeris duo alarum paria, singula in singulis humeris surgebant: duobus extensis, duæ demittebantur. Hæc omnia regiam illius dignitatem doresque emblemate quodam exprimebant, attentam nempe ejus vigilantiam, providamque in omnibus curam, ut præsto omnibus nullo quietis spatio videretur. Præter hæc, geminæ alæ caput ornabant, altera sublimem mentis ejus volatum, quo inferiora sibi omnia spectabat, altera ingenium vividum igneumque describens. Sed Authoris ea scribentis fides est incerta, cui proinde eo nomine suspicio creatur.

Nec dissimulemus oportet, Saturni nomen inter vetera Arabum Numina nuspiam legi (23). Noti ejus gentis Dii Dionysius, & Venus Cœlestis (24): primum appellabant *Urotalt*, alteram *Alilat*.

---

[17] Jun. Tremel. Pisc. Hieron. in Amos v. 26. Aquila & Symmachus ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt Chion; Theodotio Ἀμαυρωσιν, id est, obscuritatem. [18] כיון Chion, sive Chevan. Ita Syr. [19] כיון Chevan. Vide Abenezram, Kimchi, Ludov. de Dieu, Grot. Castel. Lexicon. & maxime Pocok. Lexic. fol. ult. [20] Drus. Mercer. Vitring. Livell. [21] Diodor. Sicul. lib. I. p. 8. 9. [22] Idem lib. 3. p. 143. [23] Herodot. lib. 3. cap. 8. [24] Strabo lib. 16. pag. 510. Herodotus ait Bacchum, & Alilat, uti vidimus.

Alelat. Nec altera utebantur Religione, Alexandri Magni ætate; is enim ad expeditionem in Arabes suscipiendam eo consilio adductus est, quod tertium se Numen apud gentes illas recipiendum cogitarat. Ex his autem in eam adducimur persuasionem, *Chevan*, si forte Saturnum significet, & a Judæis in itinere per desertum delatus constituatur, non Arabum esse Saturnum, multoque etiam minus Phœnicum, & Syrorum, sed Saturnum Ægyptium. Quin potius, uti supra demonstratum est, ea magis sententia arridet, quæ Apidem vel Osiridem, & Solem basi impositum, & in ædicula collocatum simulacrum fuisse certat.

Sermo est etiam apud Moysem de vitulo aureo, cui impensus est ab Hebræis in deserto cultus, & de *Beelphegor* Deo Moabitarum, in quem, paulo ante ingressum in terram promissionis, Judæi pariter inclinarunt. Tandem narrat, veluti per transitum, Israelitas hircorum Numini Sacrificiis litasse. Hæc in examen revocanda supersunt in dissertatione de Diis exoticis, quibus Hebræi in itinere per desertum votis & sacrificiis supplicarunt. In Commentario ad Exodum xxxii. de figura aurei vituli disseruimus, utrum totum exhiberet vituli simulacrum, an caput tantummodo, uti pluribus inter Patres visum est; an tandem homo esset vitulino capite, uti de Isidis simulacro narrat Herodotus l. 2. c. 41. Expressum fuisse Numen ad effigiem Ægyptiacorum, & Patres vulgo tenent, & S. Stephanus Act. vii. 39. innuens, rediisse illos animo in Ægyptum, & aureum vitulum consecrasse. Ad Beelphegor quod attinet, congestis de hoc argumento in Dissertatione de Chamos sive Beelphegor, ad Librum Numerorum, nihil addendum succurrit.

Hirci sive *pilosi* sacrificiis in itinere per desertum & religione culti, nemine ambigente, Deum Pana referebant, quem scilicet Ægyptii, Faunorum & Satyrorum apud Græcos more, hædina facie & hircinis pedibus repræsentabant (25), quemadmodum ex nummorum fide discimus. Ad hæc omnia, hircum etiam colebant, cui potissimum Numini deferabant cives Mendesii, ut in nummis ejus gentis, hirci figura cusis, appatet. Plura, nec sine horrore narranda, de cultu illo in historia dicuntur, quibus libenter parcimus. Hæc summa Judaicæ Religionis in itinere per desertum.

DISSERTATIO
DE PISCE JONAM VORANTE.

Historiam hic agitandam suscipimus, quam tamen cavillationibus implicare increduli, quique vacuam habent, ut ipsi quidem jactitant, præjudiciis mentem, aggressi sunt; & quasi de victoria sibi ipsis plaudentes, plenis buccis exaggerant absurda omnia, quæ in ejus lectione se deprehendisse gloriantur; exploratum se tenere jactantes, totam hanc de Jona, tridui spatio in ventre ceti commorato, fabulam meram esse parabolam, ad arbitrium procusam. Quam belle omnia! homo vestibus implicitus, in mare projectus nec tamen suffocatus; vix enim aquas attingens, piscem ingentis gulæ hiatu sese excipientem nactus est, in cujus ventrem citra discrimen dilapsus, triduo veluti in custodia servatur. Quantam hæc fidem poscunt, hominem in ventre ceti clausum vivere, nutriri, spirare potuisse, quin & preces Deo offerre, veluti in tetro quodam carcere clausum, unde tandem effugium sperabat (1)? Cui autem bono hæc omnia? ut scilicet Propheta pervicax, & jussionibus Divinis restactarius servatur, qui constitutum a Deo locum adire recusans, sese ab ejus aspectu fuga subduxit. Cur tali viro servando tanta impendantur? Nimirum, ut invitus licet, Niniven adire compellatur; quasi vero ad id officii præstandum nemo aptus in Judæa Propheta superesset. Si quid unquam in historia fabellam subolet, hoc cæteris præferendum est. Ita olim Ethnici; ita hodie quoque veræ Religionis adversarii: *Hoc genus quæstionis multo cachinno a Paganis graviter irrisum animadverti*, ait S. Augustinus Epist. 102. in qu. 6. de Jona n. 30.

Verum jam inde a pluribus sæculis Religio Christiana super omnes impiorum cachinnos sese exsulit, infidelium calumnias evertit & exsufflavit. Profecto, ait S. Augustinus Ibid. n. 31. tam arcto fœdere omnia Scripturæ miracula conjuncta sunt, ut *aut omnia credenda non sint, aut hoc cur non credatur causa nulla sit*. Minori ne fide dignum est Jonam tridui in ventre ceti vitam egisse, quam Jesum Christum tridui in sepulcro fuisse, ac dein sese in vitam restituisse, aut Lazarum quatriduanum ad vitam ejus virtute revocatum venisse? An minoris operæ prodigium est, Jonas ex angustiis piscis eductus, quam ex ardenti fornace Hebræi adolescentes Babylone servati?

Si nostræ ætatis sycophantæ omnibus æque Scripturæ prodigiis fidem detraxerint, frustra pro hoc laboramus, nec ejus veritas nisi afserta divinitate Sacrorum Librorum demonstrabitur. Si vero Scripturas recipere se, ejusque prodigia, nonnulla saltem, profiteantur, cur huic fidem denegent, ipsis probandum incumbit. Præscribant illi terminos divinæ potentiæ, & certo definiant, quid Deus maxime potuerit, quid ejus potentiam refugiat.

Neque hic nos probandam veritatem & authoritatem Scripturarum suscipimus; nimis enim longe evocaremur, & frustra etiam, postquam eamdem Spartam alii ante nos adornarunt. Quare ea re tanquam certa constituta, in quam sane omnes conveniunt, qui minime ambigunt sive de existentia Dei, sive de summa illius in omnia, quæ plane non repugnaverint, potestate; ea, inquam, re constituta, demonstrandum suscipimus; nihil esse in eo prodigio pugnans, neque divinæ naturæ adversum, quamquam leges naturæ a Deo præstitutas longe superet. Quo semel demonstrato, colligetur tandem, nullo jure detrahi historiæ fidei debuisse, quam non communne aliquod & vulgare factum, sed divinum prodigium & supra naturam esse asserimus.

Profecto cum de prodigiis agitur, duo constituenda sunt, pugnantia quidem specie, re tamen amica, sine quibus vix ac ne via quidem miraculum stare potest. I. Demonstrandum est, rem illam constitutas a natura leges ita excedere, ut fieri nunquam naturæ viribus queat. II. Illud idem, cui natura est impar, extraordinatiis legibus, & natura majoribus fieri posse. Porro vitam

(25) Herod. lib. 2. cap. 46. Vide & Diodor. Sicul. lib. 1. pag. 55.

(1) Jonas 11. 2. 3. &c, *Oravit Jonas de ventre piscis, & ait: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum*, &c.

tam aliquo temporis spatio produxisse sub aquis Jonam, nullius prodigii res est; cum exempla in eam rem suppetant peritissimorum urinatorum, ad aliquas horas & longius etiam temporis spatium sub aquis viventium. Scripturæ etiam verbis intelligimus Jun. 11. 1. *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam*, statim ac nimirum aquas subiit; quare omne ab illo discrimen demersionis subductum est, altero tamen subeunte, nempe ne voracis monstri ingluvie sive abroderetur, sive suffocaretur, sive randem in ejus ventre liquesceret. Quamquam potuit & sine miraculo fieri, ut integer, neque dentibus comminutus in monstri ventrem descenderet. Solent enim carnivora monstra vivam escam in ventrem demittere, quemadmodum in luciis continuo experimento tenemus, ad quorum stomachum demissi vivi quidam pisciculi adhuc palpitantes exenterato pisce apparent. Teste etiam Rondeletio, monstra quædam marina piscatu apprehensa sunt, integro homine & lorica armato in ventrem demisso fœta. Minime ambigitur, quin pisces sint adeo immanes, ut integrum hominem in ventrem demittere queant. Totum igitur quod in præsenti operosius examen postulat, illud est, nimirum, qui potuerit Jonas toto triduo, noctibus etiam junctis, vitam in ventre ceti agere.

In ipso tamen limine operæ pretium est quærere, quinam piscis ille fuerit Jona devorato insignis; varii enim ea de re varia. Balænam communis opinio præfert, id enim vox Evangelii *Cetus* plerumque significat, Matth. xii. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti*; quamquam & de monstris quibusque interdum usurpatur. Hebræum דג גדול *Dag Gadol*, immanis piscis, idem sonat, ac Græcum *Cetos*, & Latinum *Cetus*, quæ vox æque de immanibus quibusque piscibus, & cetaceis usurpatur. Porro Balæna immanissimus est omnium, quos noverimus, piscis marinus. Ejus gulæ adeo immanis est hiatus, ut plures simul homines continere possit. Augustinus de Balæna quadam, cujus scheleton Carthagine spectabatur, ait: *Quanto hiatu patebat os illud, quod velut janua speluncæ illius* [nempe ventris] *fuit?* Olaus Magnus de piscib. monstruos. lib. 21. cap. 15. 16. author est, Balænas septemtrionalium regionum tam vastas esse immani corpore moles, ut si quando vi tempestatis dejectas in sicco obire, ac deinde putrescere contigerit, ossa piscis, veluti rudera relicta longe intuentibus tamquam vastæ naves, vel amplæ domus, pluribus fenestris, & conclavibus instructæ, familiæ unius capaces, exhibeantur. Tradunt insuper, Balænas, cum mare procellosum est, catulos suos in gulam tamquam in arcem reducere, ut ab imminenti discrimine in tuto collocent. Carent autem dentibus, ut nihil detrimenti ob eam rem Jonæ timendum esset.

Profecto si de amplitudine œsophagi & stomachi argumentum ex oris hiatu capiendum est, magnam intelligamus oportet vastamque cavernam, quo ampla adeo janua aditum præbet. In ingenti illo immanique sacco duas vel tres herbarum cistas non raro contineri narrant. Joannes Cabri Academicus Florentinus Balænam quandam ad Italiæ litora an. 1624. jactatam describit, adeo vasto gulæ hiatu, ut vel equo insidentem virum commode caperet. Fatemur quidem, non in omnibus æque locis similis generis monstra pelagum alere; sed non ignota sunt in Mediterraneo, & ad litora Phœniciæ, ubi Jonæ historia contigit. Est igitur, cur Balænæ stomachum subiisse Prophetam suspicemur.

Quadrat etiam in eam sententiam illud, quod de Balæna narrant, herbis nimirum, sive maris spuma, vel albentibus quibusdam pisciculis, ut halecibus, vel ejus generis insectis, quæ appellant pulices marinos, illam victitare. Tradunt enim, nunquam in ejus stomacho, cum secatur, reperiri grandiorem aliquem piscem; ut proinde mirum non sit, si Jonas illæsus a calore intimo piscis, acidisque ventriculi humoribus servatus est; quæ enim solvendis tenuioribus cibis apta esse poterant, hæc incommodi aliquid viro afferre non poterant.

Hæc quamvis veritatem sapere videantur, nullam tamen fidem extorquere apud nostros Criticos, & Naturalis Historiæ Scriptores valuerunt (2)? Cum enim angustiore instructam esse gula balænam animadvertissent, ea sola ratione plerosque a communi sententia abduxerunt. Contendunt nimirum illi, nihilo latiorem esse illius gulam, quam dimidii pedis latitudine, minorem sane hiatum, quam ut homini demittendo par sit. Sancte testatur Bartholinus, balænas, immanissimas licet, quarum sola lingua xviii. olei doliis sufficiat, ægre humanum brachium intra guttur admittere.

Verum exploratum est, tunicam illam intendi plurimum posse, & mortui animalis œsophagum angustiorem esse, quam viventis; cum maxime cibum capit, ipsumque animal cutem intendit, ut majus aliquid voret. Si enim a solo aspectu judicium penderet, a lucio piscem alterum æqualis fere molis vorari posse quis crederet? cum tamen quotidiana rei experientia fieri id posse demonstret.

Sed Recentiorum fidem sequamur. Arbitrantur illi, piscem Jonæ non balænam fuisse, sed alterum marinum monstrum, quod *canem carcariam* appellant, quatuor dentium ordinibus vel quinque in utraque mandibula instructum; dentibus sane acutis, in cuspidem desinentibus, & nonnullis digito oblongis. Oesophago & stomacho adeo est amplo, ut homines integros aliquando continuisse constet. Ferunt, in ventrem similis monstri insiluisse Herculem armatum, ac triduo ibidem mansisse, nec antea in lucem solemque regressum, quam post exta ejusdem monstri dilacerata, nihil autem subiisse illum incommodi ferunt, nisi quod ejus intimo calore aliquid in cæsarie passus fuerit (3). Quis non agnoscat, hanc fabulam ex historia Jonæ derivari? Græci enim historiam, a Phœnicibus facile acceptam, fabulis occuluerunt, missum narrantes a Neptuno *canem Tritonis*, sive canem Marinum, ut Herculem devoraret; sed vir strenuus in fauces piscis armatus insiliens, post tridui moram piscem coegit viam pandere eo, quod innuimus, stratagemmate.

Hoc ceti genus *lamiam* etiam appellant, de qua hæc ad nostrum propositum apud Naturales habemus. Immane adeo est monstrum, ut nonnulla quater mille librarum pondus æquent, & vix unum plaustro duobus equis tracto vehatur. Nonnulla piscatu apprehensa sunt Massiliæ, & Niceæ, teste Rondeletio, in cujus stomacho homines non integri tantum, verum etiam loricatus inventus est (4). Addit insuper, alterum se vidisse in Santonico litore non ex immanioribus sane, cujus fauces homo ampliori corpore subire poterat. Si quis vero, aut fræno injecto easdem fauces aperiat, commodum ad stomachum cani aditum, ut cibo ibidem posito pascatur, aperiet. Dentibus est acutis, asperis, crassioribus, triangularibus, serratis, bis triplicato ordine dispositis; quorum primus ordo extra fauces prodit. Secundi ordinis recti sunt; alii vero interius curvati.

[2] Vide Rondelet. Aldrov. Scalig. contra Cardan. Boch. de animal. sacr. part. 2. lib. 5. cap. 12. Drus. in Jon. cap. 2. Bartholin. de morbis Biblic. art. 24.

[3] Lycophron. Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων, &c. Ad quem locum Tzetzes: Διὰ τὸ ἐν κήτει τρεῖς ἡμέρας μεῖναι. Et Æneas Gaz. Theophraste. Ὥσπερ καὶ Ἡρακλῆς ᾄδεται, διαρραγέντος [illegible], ὑπὸ κήτους καταποθῆναι, καὶ [illegible]. Vide & Cyril. hic, Grot. Bochart.

[4] Refert P. Billis. Vide Rondelet. & Furetiera.

ti. Piscis est omnium avidissimus, minimo temporis spatio alimenta decoquens.

Inter duas hasce sententias, de *balæna* nempe & de *lamia*, judicium Lectori relinquimus; perinde est enim ad veritatem, sive ad prodigium, cujuscumque generis monstrum Prophetam deglutisse dicatur. Salva enim prodigii veritate, integrum Criticis relinquimus, ut quodcumque velint monstrum sub communi ceti nomine in Scriptura expressum intelligant. Ut inter seria aliquid Lectoribus detinendis misceamus, audiamus quid Rabbini hac de re differnerint.

Tradunt illi, piscem Jonæ alterius plane fuisse generis a cæteris piscibus, quos in mari videmus; jam inde enim ab initio creatum cetum ad eam rem putantes, toto trium millium annorum amplius spatio expectasse Prophetam dicunt. Laudant in eam rem illud Jon. II. 1. *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam*. Singulare etiam aliquid, tanto Rabbino dignum, ex Textu Hebræo observat R. Salomon Jarchi, nimirum piscem in masculino designari ℣. I. (5): *Erat Jonas in ventre Piscis*; & ℣. 2. in fœminino: *Et oravit Jonas de ventre piscis*. Unde varietas tanta? nimirum, ait Rabbinus, Jonas primum in ventre maris receptus, commodam ibi habitationem nactus, preces suas Deo exhibere minime cogitavit: volens proinde Deus, ut crimen ille suum agnosceret, a priori ceto provocato vomitu egestum, fœmellæ vorandum tradidit, cujus ventre jam fœtu pleno, cum minus commodo habitaculo uteretur, in eas angustias redactus Propheta ad preces tandem versus est.

Non hic ego egregii hujus Præceptoris in Israele ignorantiam demonstrandam suscipio, qui in stomacho concipere Balænam, ibique catulos suos nutrire putavit: alia me ejusdem saporis vocant. Certum constituit idem Author, piscem Jona fœtum in Mare rubrum natatu devectum; ut vero spem viri aleret, nutantemque jam fidem confirmaret, permisit Deus, ut in obscuro ejusdem piscis carcere clausus, superno tamen illustratus lumine fluctus illos alveumque videret, quem olim patres sui sicco pede transierant. Erant autem pisci septem oculi, quibus tamquam fenestris Propheta mare ipsum, ejusdemque alvei altitudinem oculis dimetiebatur.

Spectatum admissi risum teneatis, amici?

Horat. de Arte Poet. init. Sed ad seria transeamus. Ex iis, quæ hucusque animadvertimus, nullo vel saltem non ingenti sane prodigio potuisse Jonam in ventre sive balænæ, sive canis marini excipi, Lectores intelligent; modo tamen guttur balænæ tantum extendi potuisse credatur, quantum capiendo homini sufficiat. Superest nunc demonstremus, quinam fieret, ut homo, non dico sine prodigio, sed ratione saltem non pugnante, longiorem moram in ventre ejusdem ceti protraheret: denique, utrum valuerit homo, Dei ope fultus, intimo piscis calori, & vi humorum concoquentium alimenta resistere, spirandi facultate sive non prohibita quidem, sed absque viri dispendio. Hic nimirum omnia argumenta in prodigii fidem opposita majoris ponderis insistunt.

Valuisse Deum, ea, qua pollet, virtute acidorum humorum vim ita retundere ac hebetare, vel in stomacho maxime carnivoro & calidissimo, minime dubito (6); quemadmodum enim voraci flammarum ardore in fornace Babylonis cohibito, tres illos juvenes illæsos servavit; quemadmodum e corpore S. Petri sublato pondere vel super aquis incedere virum jussit, vel liquidum illud elementum stabile gradienti obsequium præbere coegit; ita pariter voracem viscerum calorem in officio continuit. Nihil enim hic supra vires Authoris naturæ, a quo omnis corporum actio est; cujus jussu suspensa omnia manent, mutantur, sive omnino sive partim, pro ejus arbitrio, qui omnia movet, & impressos olim motus pro libito dirigit. Cæterum putandum non est, in ventriculo ceti intolerabilem adeo calorem fervescere, ut viventi corpori aliquid incommodi inferre valeat: quod enim compactos alioqui cibos, & solida quæque alimenta dissolvit, humor est salsus, mordax, abrodens, intime sese insinuans; quo partes dissolvente, defluere totum corpus cogitur, tum vi ejusdem humoris adeo omnia friantur, ut alendo animalis corpori apta sint. Quod vero mortua alimenta concoquit, cave credas idem & in viventia corpora valere. Jonas in ventre ceti valido vegetoque corpore, non iners, & veluti exanime quoddam, manebat; quare acidi rodentis depellere a se injurias poterat, cum nihil simile mortuis alimentis contingat.

Tandem ad spiritum quod attinet, esse quidem supra consuetas naturæ leges fatemur, ut libera illius facultas homini in ventre ceti clauso permittatur; vel saltem si quid illi spiritus permissum sit, vix illud credimus aptum vitæ detinendæ, & sanguinis refrigerio, fluiditati & elateri, ad servandam corporis machinam: quod tamen naturæ vires superat, Deo pronum fuisse, minime dubitamus. Potuit summus ille rerum Arbiter ita sanguinem Jonæ quietum continere, ut frequenti respiratione opus non haberet, uti quotidiano experimento discimus, animalia quædam sub terra esse, in imo aquarum gurgite pluribus mensibus manere, omni intermissa respiratione, & genere quodam lethi sive stuporis ita detenta, ut sanguis fere prorsus iners & sine motu manere videatur, quin sive concrescat sive refrigescat, sed priorem recipiat statum, ubi sol propius ad nos accedens, terram & animalia calore suo fovet. Ita etiam accidere legimus urinatoribus quibusdam, plurium horarum spatio, omni respirandi facultate interclusa, sub aquis manentibus; ita etiam de infantibus vulgatum est, qui in utero matris detenti, nulla respiratione utuntur.

Veteres Medici persuasum habebant, pueris in eo statu sanguinem & cor prorsus quiescere, inertibus etiam manentibus pulmonibus. Sed recentiores Anatomistæ, quibus constitutum est, neminem sine circulatione sanguinis vivere, pluribus experimentis demonstrant, in fœtu, ovalis cujusdam foraminis beneficio, sanguinis quamdam communicationem inter venam cavam & venam pulmonis detineri, qua sanguis ex altera in alteram transit, quin longiori itinere in ventriculum dextrum cordis transmittatur. Observarunt etiam, maximam sanguinis partem ex arteria pulmonia in aortam, medio quodam arteriali canali, Botalem vocant, deduci, ut breviori itinere non interrupta circulatio detineatur. Ita plane sanguinis illa portio longius iter per lobos pulmonis evitat, quos tunc primo sanguine oppleri, inertiamque suam excutere conflat, cum trahendi aerem facultas infanti datur; tunc enim sanguis e corde in arteriam, cujus est os in ventriculo cordis, compulsus, recta, quantum fieri potest, via in pulmones influit, inde iterum per ductum venæ pulmonariæ in cor; ex quo fit, ut canales sanguinis, communicationi in fœtu servientes, claudantur & arescant.

Fieri tamen casu potest, ut canales illi intacti serventur; ex quo totum urinatorum miraculum, longiorem temporis moram, interclusa respirandi facultate, trahentium, Physici exponunt. Neque nos probandum assumimus, Jonam ex illis unum fuisse, sed nihil esse in ea re impossibile, si factum spectetur, nihil cum naturæ legibus pugnans, contendimus. Quamquam, omnibus spectatis, fateamur oportet, historiam, de qua modo, con-

fue-

[5] וימן יהוה דג גדול Et ℣. 2. ויתפלל ממעי הדגה

τῆς γαστρὸς ἐνεργῶν ἐκωλύετο.

[6] Theodor. in Jonæ II. H' ἀλλοιωτικὴ δύναμις

suetas naturæ leges superare, ut prodigium Divinum agnoscere compellamur.

Plus nimio etiam aucta difficultas a tempore, quo Jonas in ventre ceti moratus est, videri potest. Fateor ego quidem, expressis Scripturæ verbis totum illud spatium ita definiri: *Tribus diebus & tribus noctibus*, Jon. II. 1. sed annon idem & de tempore conditi in sepulcro cadaveris J. Christi legimus? *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, Matth. XII. 40. 41. Solo autem quatuor & triginta horarum circiter spatio in tumulo Filium Dei mansisse, ex eadem Scriptura scimus. Cur igitur non paria etiam de Jona suspicari liceat? Sed nulla necessitate contrahere tempus cogimur; ubi enim demonstratum est, potuisse virum integra die illæsum detineri, potuit & triduum; utrumque enim æque pronum Deo, qui omnia potest; magis enim & minus ei, qui omnia potest, æque pronum reputandum est.

At enim a Sapientiæ Divinæ consilio alienum videbatur, ut prodigium nulla necessitate impenderet. Esto: Deus prodigio electum sibi populum, & in angustiis constitutum, in ipsis Ægyptiorum faucibus servaverit: nulla tunc salutis reliqua via suppetebat. Nec inviti etiam assentimur prodigio educendi aquas e silice, levandis scilicet in extrema ardentis sitis angustia Hebræis; quid ni enim Deus virtutis suæ brachium exerat, ubi nulla suppetunt naturalis opis adminicula? Quid vero cogebat, Jonam immunem & tanto quidem prodigio servari? Nonne ille Deum in se, neglecto ejus mandato, concitaverat, ut criminis merito fluctibus sævæ tempestatis atque marini monstri injuriis permitteretur? Nonne commodius fuisset, seu vim tempestatis cohibere, seu navim ad litus compellere, postquam Jonas resipuit, quam tanto illum prodigio liberare? Potuit tandem alter loco illius Propheta Niniven mitti. Sapientissimus rerum administrator simplicissimis viis & compendiosissimis delectatur; ut timeri jure meritoque possit, ne, dum summæ virtutis potentia commendanda suscipitur, ejus & sapientiæ & providentiæ labes aliqua inferatur.

Totam hujus argumenti vim sentire nos ultro profitemur: sed aliud plane quam propositum convincit; cum illud velut immissum spiculum in adversarios ipsos ita torquere valeamus, Historia Jonæ, qualem describit Sacra Scriptura, res est certissimæ authoritatis, certumque prodigium; Deus vero prodigiis temere patrandis non delectatur. Habuit igitur, cur prodigium ea occasione patraret. Nec sane ita ejus consilium nos latet, quin plura etiam assequamur. Quamquam autem idem consilium Dei scrutari refugimus, ita tamen de universa hac historia cogitandum est, ut Deus duplici adductus ratione ad prodigium credatur. I. Ut Ninivitas ad pœnitentiam ducens, futuris sæculis sinceræ illos pœnitentiæ exemplum poneret. Quid autem hominibus persuadendis valebat magis, quam virum suadentem audire, qui post exactum in ventre ceti tridui spatium, in luminis auras Divino prodigio evocante venit?

Alterum, quod Deum impellere ad prodigium poterat, illud est, ut novum Oraculi genus de articulo nostræ Fidei longe maximo, nempe de Resurrectione Jesu Christi, exhiberet; neque enim in dictis factisque Dei per Prophetas præsentis temporis ratio tenenda est; nonnunquam illis futura, nempe Jesu Christus, exprimebantur. Neque Scriptura semper omnia exponit, sive quæ historiam aliquam ab ea narratam præcesserunt, sive quæ deinde consequuta sunt. Tametsi vero nihil aliud Deum ad eam rem impulisset, quam quod nos hactenus adduximus, satis id profecto habendum est, cur maximum Omnipotentiæ suæ prodigium in liberatione Prophetæ exereret.

Hæc nos quidem Christianis, Scripturarum authoritatem verentibus, nihilque nisi de ratione patrati miraculi ambigentibus. Qui vero eodem spiritu, quo Porphyrius, Iulianus Apostata, & increduli quicumque, divinas historias deridiculo agentes, earum veritatem cavillis impetunt, his plane apud Poetas, Historicos, & Theologos Paganorum multo hisce portentosiora tradi objicimus (7). Supra innuimus Herculem, in ventrem canis marini a Neptuno immissi insilientem. Nec prætereundas censemus metamorphoses omnes Iovis in taurum, cycnum, ignem, aurum; dentium anguis a Cadmo disseminatorum, in homines armatos exilientium. In rem veniunt fœtum Baccho femur, fœtum Minervæ cerebrum Iovis. An hæc omnia minorem fidem, quam Ionæ factum, exigunt? Quid porro non portentosum legas apud Authores Theogoniæ sive geniture Deorum, de Saturno, Iove, Baccho, Vulcano, Neptuno, Hercule, Mercurio, ac de singulorum metamorphosibus? Hæc plane & alia sexcenta, naturæ vires superantia, pars sunt Religionis Paganorum.

Sed quæ, rogo, comparatio sanctitatis & gravitatis Religionis, ac puritatis in Divinia Scripturis ubique regnantis, cum putidis, salacibus, turpibus, puerilibus, absurdis, criminosis, execrandis, quibus Libri Ethnicorum infarciuntur? Hæc tamen, quæcumque demum fuerint, populis tradebantur credenda, ab Authoribus Profanis scripta; quamquam nullam etiam apud Profanos Scripta illa sive sui, sive Authorum merito fidem obtinent; licet non nisi ad crimen & licentiam animos impellant. Porro tota fidei Libris illis habendæ ratio petitur ex Dei potentia, cui nihil impossibile. Cur igitur quidquid sacratissimum est in nostra Religione, Deo authore constitutum, ludibrio habeatur & mendacio? *Et quum turpibus credant, potentiaque Dei universa defendant, eamdem virtutem non tribuunt & honestis*, ait S. Hieronymus in Ionam II. a.

Si ea quæ in Sacris Scripturis traduntur, apud Homerum, Hesiodum, Ovidium, Apollonium Thyanæum, aliumque Profanum Theologum Ethnici legissent, statim illi in argumentum Religionis suæ prodigium illud vertentes, magnificis verbis amplificarent. Authorum suorum testimonio freti, credunt quidquid in fabulis legitur de Arione, Numinum favore pollente, qui in mare a nautis pecuniam illius cupientibus projectus, subeuntis Delphini dorso exceptus, incolumis ad litus devectus est. Nunc vero cum Propheta Hebræus, gravis in primis Scriptor & coævus, quæ sibi maxime contigerant, posteritati mandet, ejus narratio universa in dubium revocatur. Sed, ait S. Augustinus Epist. 102. n. 32. *Ita videant Scripturas nostras, dum per singulos dies rariores pauciores que se videant, vel moriendo, vel credendo.*

Veterum nonnulli persuasum habuisse videntur, Jonam in ventre ceti obiisse (8). Pseudo-Athanasius in QQ. ad Antiochum, ter obiisse Prophetam testatur. Primo Sareptæ in domo matris suæ, quam ipsissimam credit viduam, cujus filium, Ionam nempe, Elias ad vitam revocavit (9). II. In ventre ceti, ubi, quantum ad homines, diem clausit. III. Cum in exitu vitæ cursum absolvit. S. Hilarius In Psal. LXVIII. n. 6. ait: *Imitator ille Dominicæ mortis, & temporis Jonas, mari mersus cetoque susceptus, non tam in mari se, quam in inferno positum testatur*. Tandem Author QQ. ad Orthodoxos Quæst. 64. ita philosophatur: Si Ionas vere diem non clausit; quomodo mortis Iesu Christi figuram exhibet? Si autem vera morte op-

[7] Hieron. in hunc locum. [8] Auctor Qu. ad Antioch. inter Opera Athanas. qu. 6. [illegible] [9] 3. Reg. XVII.

oppetiit, quomodo in ventre ceti prodigio servatus dicitur?

Sad hasce sibi oppositis solide idem Author respondit, dicens, in Scripturis non obitum quidem Iasu cum Prophatæ obitu comparari, neque hunc alterius esse figuram in obitu; sed simili temporis spatio, quo illa in vantre cati, hunc in sepulcro detantum essa. Si varo Ionas reipsa mortuus in vantre ceti, deinde ad vitam ravocatus fuisset; quid inter imaginem & exemplar, inter Dominum & famulum, inter Iesum & Ionam discriminis intercessisset? Opus fuit, Prophetam in sinu piscis sepulturæ Jesu Christi præludisse; sed ille vivus e tumulo, ubi mortuus jacuerat, propria virtuta rasurgare dabuit; cum alter e ventre cati non nisi Domino viam aperiente egrederetur; Domino, inquam, qui jam inda ab ea ætate cuncta ax æterno consilio suo, & ob nostræ fidei confirmationem, disponebat.

DISSERTATIO

De Numinibus Phœnicum sive Chananæorum.

UBi de vataribus Ethnicorum Numinibus agendum suscipitur, plana ambagibus, fabellis, ænigmatibus via decurranda est; nibil anim in eorum Theologia, nisi densis obsium tenebris, quæsitis mystariorum & verborum ambagibus obscurum, ut sacramanta illorum plena dategi vix ac ne vix quidem possint. Hoc veterum inganium fuit, ut fabulis omnia infarcirent, ait Strabo lib. 10. Non Historia, non Religio, non Philosophia ab aa labe immunis. Quod malum in cunctis regnans, apud Oriantales maxima obtinebat, gantam, si qua alia, fabularum, allegoriarum, comparationum faracem. Ex quo fane operosissima afficitur variratis a fabulis, cum de Raligione sive de aorum Numinibus agandum est, discretio.

Erant quidam olim Phœnicibus, quorum nos Theologiam explicare aggredimur (s), sincera historiarum monumanta, unda plurima nostro argumanto servientia darivari potuissent. Sed omnia nostra ætate intercidarunt, iis exceptis rarissimis fragmantis, quæ apud Josaphum servantur. Thaautus, quam Ægyptii Thoth appellant, insignis sapientiæ laudam apud Phęnices obtinens, in se olim suscaparat, testa Porphyrio apud Eusab. prępar. lib. 2. c. ult. p. 40. curam, pedestrem gantis suæ Theologiam, quam hactenus tenuarant rudes vulgsrasqua hominas, apud quos ajus dapositum manserat, nobiliorem in lucam translarandi. Post avolutas deinde pluras ætatas Deus *Surmubelus* una cum *Thuro* fœmina, cognomento Chusarthi, allegorias, quibus mysteria condiderat Thaautus, amoverunt. Hæc Porphyrius, cui gemina paulo anta ex Sanchoniatone Eusabius tradiderat Præpar. lib. s. c. nlt. ait enim, Thaautum Numina, variis induta figuris, quibus variæ ipsorum dotes repræsantarentur, exhibuisse; nempe Raligionam Phœnicum, nudam olim & simplicam, mystariorum caligina velatam, augustiorem, utpota rudium aspectu minus perviam raddidissa.

Septem fratres Cabyri, filii Sydec, adhibito atjam fratre suo Æsculapio, scriptis mandarunt, jussu Thaauti, totsm hanc veterem Theologiam, quam deinde Filius Tabionis, vetustissimus inter omnes Religionis Phœnicum Interpretes, simplicem maramque, cumulatis allegoriis & fabellis ex rerum natura petitis, corrupit, desormatamque msnibus Prophararum, sacra Bacchi agentium ejusqua cæremoniis præsidantium, commisit. Illi pro eo, quo tanebantur, desiderio Religionis majestaram etiam atque etiam prorogandi, alias aliis fabellas addidarunt, totamqua deinde fabulam ad postaros transmisarunt. Ita comparata Religio ad Græcos transivit, qui nova veteribus miscentas, dansas adeo tenebras Theologiæ universæ offuderunt, ut tetrum chaos intuentibus videatur.

Sanchoniaton Beritbinus, ut idam Eusabius loci allegati c. 9. tradit, ania belli Trojani tampora, rerum Phœniciarum absolutam historiam meditans, singularum Urbium monumanta undiqua excussit; consultisqua pariter sacris Commantariis, qui in Templis servabantur, omnia collegit, quæ proposito sarvirant. Major tamen illi cura dirigandi ea, quæ Thsautus scriptis mandaverat; persuasus, viro illi clarissimo primum inventarum literarum radactarumque scriptis historiarum honorem esse tribuendum. Nec modice proposito servire censuit studium historiæ Judaicæ, quam e monumantis Jarombslis Sacardotis Dei Jevo repesiit. Opus hoc Sanchoniatonis Gręce redditum per Philonem Biblium a Porphyrio laudatur, ex quo ingentia quædam fragmanta in suum Opus de Præparationa Evangalica lib. 1. cap. ult. Eusebius transtulit. Totum Phœniciæ Theologiæ systema apud Porphyrium in hoc potissimum varsatur.

. Tetricus quidam, niger, agitatusqua aer, flamina quodam intimo commotus., & chaos obscurum & consusum, rerum omnium principia sunt. Cum anim flamen illud amore principiorum suorum incalascerat, illis arcte davinctum, amplaxu illo suo coituqua omnia produxit. Omnium primus ganitus ast *moth* seu limus, ex quo bruta animslia; damum ratione utantia, quæ *Zopha-semin*, sive Cœli contemplatorea appellari placuit. Tertii prodierunt Sol, Luna, & Astra. Animalia ratione prædita, subito valuti tonitru quodam excitata, sesa erigantia, grassus axplicara super tarram & mare exorsa sunt. Primo ab illis coli cœperunt harbæ & arbores tum precibus tum sacrificiis, naque anim dignius aliquid divinis honoribus angustis illis mantibus occurrabat.

Ventus nomine *Colpias*, & uxor *Ban* sive *Nox*, ganuarunt *Sæculum* & *Primogenitum*, mortalas ambos; a quibus deinde affusi *Progenies* & *Generatio*, prioras Phœniciæ incolæ. In magna aquarum penuria manus ad Solem extulerunt, rati, illum essa Cœli moderatorem, appallsruntque proinda *Beelsamen*, id est, Dominum Cœli, eumdem plane ac Jovam Græcorum.

Sæculo & Primogenito liberi dati sunt *Lux*, *Ignis*, *& Flamma*, humines plsne mortalas; & illis vicissim frequentes numero Gigantes, quorum nomina montibus, quos tanuerunt, indita sunt, uti *Libano*, *Antilibano*, *Casio*, & *Brathio*. Ex Gigantibus nati sunt *Memrumius*, *& Hypsuranius*, a prostitutis quibusdam fœminis geniti. Hypsuranius Tyri sadam hsbuit, qui cum fratre *Usoe* non famel certsvit. Porro Usoo geminis erectis colnmnis, quarum alteram Igni, alteram

[1] Jaseph. lib. 1. conira Appion. pag. 1045.

Vento consecravit, & sacrificiis e sanguine animalium venato captorum coluit, insignis est. Omnibus his post fata divini honores a posteris dati, consecratis eorum memoriæ virgis, columnis, & solemniis.

E genere *Hypsuranii* post plura sæcula effusi sunt *Venator* & *Piscator*, quibus venationis, & piscationis inventio referenda est. Ex his gemini filii, inventores ferri, ejusque in varios usus impendendi authores; horum primus *Chrysos*, idem nempe ac *Vulcanus*, dictus etiam *Diamichias*. Ex Vulcano duo item, *Artifex* & *Terrenus*, e terra productus sive Indigena, incertum tamen qua matre. Ex his pariter gemini alii, *Ager*, & *Agricola*, cui postremo sacratæ imagines, & ædiculæ gestatoriæ ab jumentis tractæ; alterum utrique nomen erat, *Vagantes* & *Titanes*. Par alterum ex his posttemis parentibus, *Ultor* & *Magus*, agrestibus domibus & grege urendi inventores. Tandem *Ultori* & *Mago* filii nati sunt *Misor* & *Sydych*, idest, facile resolvens, & Justus, salis adhibendi authores.

Ex Misor natus *Thaauthus*, quem Ægyptii *Thoth*, Alexandrini *Thoyt*, Græci *Mercurium* appellant. Ex Sydyc geniti *Cabyri*, sive *Coribantes*, seu *Dioscuri*, idest, Castor & Pollux. Horum tempore nati *Elioa*, nempe Altissimus, & uxor illius *Beruth*; ex his vero *Cælus* & *Terra*, de quorum nomina [ea erat puerorum elegantia] appellata sunt Cœlum, quod oculis intuemur, & Tellus quam incolimus. Cum paterni Regni hæreditatem *Cælus* adivisset, *Terram* sororem suam uxorem duxit, quo conjugio quatuor nati sunt liberi, *Ilus* vel Saturnus, *Betylas*, *Dagon* sive Deus frumenti, & *Atlas*. Hos e Terra uxore, alios vero genuit ex aliis uxoribus liberos; quam injuriam cum Terra ferre non posset, post oneratum injuriis virum, a conjugio discessit.

Adolescens in virum Saturnus, injuriam matri illatam ulturus, bellum Cælo patri indixit, adhibito in societatem armorum *Mercurio Trismegisto*, quo a secretis utebatur. Saturnum parentem habuerunt *Proserpina* & *Minerva*, quarum prior adhuc puella immaturo fato prærepta est. In bello cum patre Saturnus jure armorum captam unam ex ejus concubinis, Cælo jam fœtam, Dagoni fratri suo nuptum tradidit. Quare statim a conjugio ex ea genitus est *Demaroon*. Cum vero Saturnus suspectum sibi Atlantem fratrem suum haberet, captum alte humi defodit. Comites habuit Saturnus sive *Ilus* viros, nomine *Eloim*, quasi diceret *Ilienses* vel Saturnianos. Porro Deus ille arma & furorem in familiam suam vertit, sua manu jugulato filio *Sadid*, & capite filiæ itidem suæ cæso.

Interim Cælus solum vertere coactus, cum Saturni præsentiam non sustineret, submissis tribus puellis filiabus suis, *Astarte*, *Rhea* & *Dione*, parricidium molitus est. Verum Saturnus adeo sibi sorores suas devinxit, ut singulas conjugio sibi copularit. Nova injuria offensus Cælus, vi aggredi filium statuens, fœderatos sibi *Fatum* & *Venustatem* in illum immisit. Prælio victor Saturnus utrumque retinuit. Ex Astarte septem filias *Titanidas* sive *Dianas* appellatas, & *Cupidinem Amoremque* filios habuit: e Rhea septem liberi nati sunt, quorum postremus ab ipso statim ortu inter Deos relatus; nec Dione conjugium sterile habuit.

Sydyc sive Justus, una ex Titanidis ducta, Æsculapium genuit. Alii etiam fuerunt Saturno liberi, scilicet *Saturnus*, *Jupiter*, *Bellus*, *Apollo*, & aliquandiu post *Pontus*, *Typho*, & *Nereus*. Ex Ponto natus *Sidon*; ex *Demaroone Melicartus*, idest, *Hercules*. Captus insidiis Saturni filii sui Cælus, virilibus amputatus est. Eodem tempore, quo Saturnus paternum Regnum tenebat, regnasse etiam constat Reginam *Astartem*, *Jovem*, *Demaroonem*, & Regem Deorum *Adod*. Astarte, juxta Phœnices, eadem est Venus, eademque pariter taurinum caput & cornutam frontem, veluti Regium insigne, gestabat. Hæc Sanchoniato de origine mundi & Phœnicum Theologia.

Si hujus Authoris fides explorata esset, parum aliquid addendum superesset: sed ejus authoritas Eruditis nostræ ætatis suspecta eo nomine efficitur, quod fraude Porphyrii, Christiani nominis adversarii, suppositum nomen Eruditorum plerique suspicantur; qui nempe Porphyrius hanc fraudem struxisse creditur, ut authoritatem Sacrorum Librorum Judaicorum minueret, simul & Religioni Jesu Christi plurimum officeret, demonstrans, Abrahamum cum Saturno miscendum, Patriarcharum pariter & creati mundi historiam ex Phœnicibus derivari. In eo Systemate facile Chaos, *Bohu*, de quo Genesis (1), Spiritus aquis innatans (2), animalia tum bruta, cum ratione utentia, *tonitru quodam veluti e somno excitata* (3), nempe verbo Creatoris, qui omnia potest, deprehenduntur.

Ventus Colpias idem facile est ac omnia præstans illud *Fiat*. *Col-piah* קול פיה Hebraice est *verbum oris ejus*. *Primogenitus* est *Adam*, e limo terræ eductus, ac Dei Spiritu animatus. Gen. II. 7. *Deus cœli Belsamin* est Dominus, totius universi author, quem primus homo vix conditus adoravit. Gigantum nomen in Sacra Scriptura minime desideratur. Post diluvium maxime celebrantur. *Memrum*, idem ac *Nemrod*, & ejus frater *Hypsuranius*, sunt in opere Babelicæ turris adjutores, mutuo se excitantes illis verbis: Gen. XI. 4. *Faciamus nobis turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*; hoc enim sonare videtur Græcum nomen *Hypsuranius*, supra Cœlum erectus.

Venator & Piscator facile sunt conditores Sidonis, quo nomine Phœnicum lingua designatur piscatio & venatio. *Agricola* ipse est Noe (4), a quo prima colendorum agrorum ratio incepit. *Ultor* & *Magus* ipsi sunt Ammon & Moab; *Amynos* enim Græce est Ultor; & Moab Hebraice sonare potest *Magum* (5). Porro ambo ii populi gregibus alendis se totos addixerunt. 4. Reg. III. 4.

Misor eodem pene literarum sono exprimit *Mezor*, patrem *Mizraim* sive *Ægyptiorum*, *Sidyc* apud Phœnice est Justitia. Apollodoro authore lib. 3. c. 13. Cinyras Rex Assyriæ filios habuit *Oxyporum*, & *Adonidem*, tres item puellas *Orsedicem*, *Laogoren*, *Bræsiam*; quibus in nominibus vestigium exhibetur nominis *Sedic*, & *Berith* sive *Beruth*, uxoris *Elioa*. Porro *Elion* Deus est altissimus, in Scriptura non ignotus: *Berith* sonat fœdus; ac de Baal-Berith sermo est in Libro Judicum IX. 4. *Ilus*, qui & Abraham, patrem habuit Elion. Ex his satis intelligitur, e vera populi Dei historia omnia, quæ Sanchoniatonis nomine supponuntur, derivari, nec nisi occultandæ veritatis gratia Porphyrium ista procudisse, ut ad Phœnices atque Ethnicos omnia, quæ a Judæis & Christianis tribuuntur Patriarchis, referret. Quam putido mendacio Dagonis historiam confinxerit, in Dissertatione de Numinibus Philistæorum demonstravimus. Zedich sive Zedech e Melchisedecho transfiguratum est.

Quæ nobis obtrudit de Cœlo Terraque, Deorum æque, & hominum parentibus, ex Authoribus Profanis, fabulosis Historiis, & Theogonia derivatum est (6): *Principes Dei Cœlus & Terra* (7). Abrahami circumcisio ipsiusque paratum ex filio

(1) Genes. I. 2. וארץ היתה תהו ובהו (2) Genes. ibid. (3) Sanchoniat. apud Euseb. lib. I. præpar. cap. ult. (4) Genes. IX. 20. *Cæpitque Noe vir agricola exercere terram.* (5) Ἀμυν... Heb. עמון אב vel מואב ... *Magus* unde מואב seu *Meob*. (6) Vide Apollodor. lib. I. c. I. Bibliothecæ. (7) Varro de lingua Lat. Vide & Ennium apud Lact. de falsa Relig. l. I. c. 13.

filio sacrificium latet sub fabula dissecti in virilibus *Ili* vel Saturni, & sublato infami parricidio Jeudo filio suo unico, ex Anobreth Nympha genito (8).

Pseudo-Sanchoniaton sradit, Saturno inditum fuisse a Phœnicibus nomen Israel; sed ille duos viros Absahamum & Jacobum miscet. Temere vero addidit, inditum nomen *Eloim* viris fœdere conjunctis cum *El*, sive *Ilo*, vel Israel; ut nimirum nominis similitudine animorum etiam conjunctio demonstraretur; Hebræi enim eo nomine verum Deum designant. Nec raro de Angelis pariter & Principibus sive Magistratibus usurpant. *Bethyla*, Saturni, uti ferunt, inventum, historiam Jacobi, qui in Mesopotamiam proficiscens lapidem consecravit in Bethel, fabulis obvolvunt. Rejecta igitur Theologia Porphyrii dolo procusa, Numina Phœnicum apud Scripturam & minime suspectos Authores investigemus.

Primum, quod de hisce Numinibus in Scriptusa animadvertendum occusrit, illud est, nimirum Nnmina Phœnicum eadem fuisse ae vetera Chananæorum, & Amorrhæorum, quas gentes Dominus coram populo suo dissipaveras. Cultu etiam simili colebantur, qualem Scriptura gravissimis verbis veteribus Chananeæ incolis exprobrat 3. Reg. xxi. 26. *Et abominabilis factus est* (Achab) *in tantum, ut sequeretur Idola, quæ fecerunt Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. Et fecit* (Manasse) *malum coram Domino, juxta abominationem gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel*. 2. Par. xxxiii. 2. Præcipua ea Numina, *Baal*, *Astaroth*, Militia Cœli, Constellationes sive *Mazeloth*, Adonis sive Thammuz; nnlla enim, præter hæc, in Scriptura: at in historia adduntur Jupiter, Apollo, & potissimum Hercules.

DEUS BAAL.

Baal nomen est omnibus Prosanorum Numinibus commune intes eas gentes, apud quas lingua Hebraica, Chaldæa, Syriaca, sive Phœnicia, variæ illæ quidem, sed ex una omnes origine derivatæ, obtinent. Nota sunt nomina Baalzephon, Baal-berith, Baalgad, Baal Deus Moabitarum (9), Belus Deus Chaldæorum, Beelphegor, Beelsebub, & sic de singulis. Verum in Israele Baal excellentiæ causa appellabatus Psinceps & potissimum totius Regionis Numen. Nullo alio nomine innotescunt Idola, sive illud quod sub Judicibus (10), sive quod sub Regibus supesstitioso cultu venerati sunt. Hæ porro notæ illum potissimum distinguunt. I. Quod olim a Chananæis Numen illud coleretur. II. Quod humanis victimis ei litaretus. III. Quod ejus aræ sive in tectis domorum sive in editis locis esigerentur.

Frustra argumenta congereremus, demonstraturi, Baal vetus fuisse Chananæorum Numen; qua de re dubitationes omnes aperta Scsipturæ testimonia submovent. Jeremias, collatns cum quarto Regum aliisque Scripturæ locis, satis diserte ostendit, illi Numini humanis victimis litatum fuisse: *Et ædificaverunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filii Ennon, ut initiarent filios suos & filias suas Moloch* (11). Es alibi (12): *Ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim*. Et quartus Regum (13): *Adoraverunt filii Israel universam militiam Cœli, servieruntque Baal, & consecraverunt filios suos & filias suas per ignem*. Quibus vero illius & Astaroth cultores implicarentur flagitiis, sexcentis Scripturæ locis intelligimus. Huc spectat illud: *Effœminati fuerunt in terra* (14). Tandem de excelsis locia in Israele consecratis diserte (15): *Ædificaverunt sibi aras & statuas & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam*.

Sophonias I. 4. 5. luculenter de Aris in tectis domorum consecratis: *Disperdam reliquias Baal, & nomina æditurorum cum Sacerdotibus; & eos qui adorant super tecta militiam Cœli*. Jeremias xix. 13. gemina habet; & Josias arasomnes & statuas Baal totiusque militiæ cælestis evessis, in editia locis, & in tectis domorum consecratas. 4. Reg. xxiii. 4. 5. 12. Sed cui potissimnm Numini hæc simul omnia conveniant, inquiramus.

Illud animadvensione dignum esse censeo sub ipsum Dissertationis limen, vetesem Orientalium ac maxime Phœnicum Theologiam satis a Græca, nobis maxime explorata & familiari, differre; quare si quis in Phœnicia Athenarum Numina quærere voluerit, ille certe errandi, seque inextricabilibus ambagibus implicandi viam iniret. Hinc enim errores omnes in eo studii genere profluxerunt, quod scilicet Græci singuli aliarum gentium Diis nomina, e sua ipsornm Theologia deducta, tribuete. Post Alexandri Magni victorias omnibus approbare Religinnem suam conati sunt; vel saltem populos coegerunt, novis nominibus, veteribus eornm Diis aptatis, novis illos ritibus culere. Nihil ubique videte sibi visi sunt nisi suum Jovem, Saturnum, Apollinem, Martem, Dianam, Mercurium. Levis quæcumque similitudo, sive in rebus gestis, sive in nominibus, sive in figuris & dotibus satis erat, ut Deus aliquis Phœnicum statim transfigneraretur in Saturnum, Jovem, Apollinem; quasi scilicet nullus esset Deus Græcam originem non seferens, vel saltem gentes omnes in unam Religionem conspirassent.

Porro hæc Profanorum Numina homines exhibebant plane inter se diversos. Intes Religiones Persarum, Ægyptiorum, & Phœnicum olim affinitatis eras nihil. Nomina Deorum pleraque ex Ægypto in Græciam derivata esse, Hesodotus lib. 2. c. 4. & 50. est authos; cum vero de compasandis inter se utriusque gentis Nnminibus agitnr, ratio non constas. Itaque cum nos Baal Phœnicum in examen sevocandum suscipimus, nullæ ejus dotes sive in Saturno Græcorum, sive in Apolline, & Jove investigandæ sunt: tota ejus similitudo inter Deos Orientalium finitimorumque Phœniciæ populorum vessabitur, & usque ad ea tempora ascendemus, quantum fieri poterit, quæ imperio Græcorum in iis Regionibus præcesserunt.

Ea pluribus sententia sedet, Baal Phœnicum cum Moloch Ammonitarum, & Saturno Carthaginensium esse miscendum; quod maxime probari putant ex more victimis humanis litandi singulis hisce Numinibns communi. Hæc vetesibus Chananæis, quorum reliquiæ Phœnices supererant, vitio vertit Sacra Scriptura: *Non inveniatur qui lustret filium suum aus filiam, ducens per ignem*. Levit. xx. 2. 3. 4. Deut. xviii. 10. Achab filium suum per ignem tradoait, *secundum Idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel* 4. Reg. 16. 3. Paria de Manasse leguntur 4. Reg. 21. 6. Huic Numini ejusque cultui addictissimi præ ceteris fuerunt Reges decem Tribnum, 4. Reg. 17. 17. ac solemne Phœnicibus fuisse tradit Porphyrius apud Euseb. Præpar. lib. 4. c. 16. ut siquid grave Reipublicæ imminetet sive bellum, sive pestis, vel aquarum penuria, continuo amicornm suorum, cujus nomen sortito obtigisset, sanguine

(8) Vide Sanchoniat. apud Euseb. præp. lib. 1. c. ult. (9) Num. xxi. 42. (10) Judic. vi. 25. & sequ. & II. 11. III. 7. viii. 33. 3. Reg. xvi. 31. xviii. 21. 22. xxii. 54. & passim. (11) Jerem. xxxii. 34. (12) Jerem. xix. 5. (13) 4. Reg. xvii. 16. (14) 3. Reg. xiv. 24. xv. 12. xxii. 47. & 4. Reg. xxiii. 7. Osee iv. 14. (15) 3. Reg. xiv. 23.

Saturno litarent. Eodem more mactandi homines Saturno Cretenses sive Curetes tenebantur (16). Eodem pariter Rhodii, & Carthaginenses; qui postremi Colonia erans Phœnicum,

Mos olim obtinebat adeo vulgaris, ut nulla ferme regio victimis humanis non cruentaretur (17). Diodorus Siculus author est paulo post Alexandri Magni obitum, Carthaginienses, ab Agathocle Rege Siciliæ arcta obsidione pressos, in eam venisse suspicionem, ne Saturni in se iram concitassent, quod scilicet cessatum esset a more litandi Numini sanguine unius e liberis amplissimorum in urbe virorum; jam enim ab aliquo tempore non nisi e vulgari hominum fœce victima Saturno immolabatur: quare ut iratum Numen placarent, simulque errorem repararent, CC, filios ex clarissimis Urbis familiis ad Aras mactarunt, adjectis ad cumulum Religionis CCC, aliis, qui fronte se expiando crimini veteris Religionis desertæ obtulerant. Efferatam sanguinis libidinem, qua gens tenebatur, repressit Agathocles; numquam tamen veterem superstitionem ex animo gentis superstitiosæ evellere potuit. Non nisi Tiberii ætate abolitum Carthagine barbarum hunc morem mactandi homines, Tertullianus Apoleg. 2. est author. Hæc pro Baal cum Saturno Phœnicum miscendo afferuntur.

Malunt tamen alii in Baal Herculem Phœcicum agnoscere (18), cujus nomen nuspiam exprimitur in Libris V. T. Hebraice scriptis; primumque in 2. Libro Macchabæorum IV. 19. 20. occurrit, ubi de Jasone fautores suos Judæos quosdam Tyrum cum pecunia ad offerenda Herculi sacrificia mittente. Sed apud Authores Profanos nihil frequentius, quam de Hercule hoc Phœnicio. Menander Ephesius apud Josephum contra Appionem lib. 2. narrat, Hiramum Regem Tyri, Salomonis amicum, Templa lucosque Herculi & Astarti dedicasse. Utrosque jungit, quemadmodum etiam in Scriptura juncta occurrunt nomina Baal & Astatoth. Cum Alexander Magnus sub Tyri mœnia cum exercitu successit, nulla se majori cura teneri professus est, quam ut Templum Herculis ingredi & sacrificia offerre posset. Cum vero Urbs obsidione premeretur, aliquos Apollo per quietem monuit, se agitasse consilium recipiendi se ex Urbe; cujus proinde statuam Tyrii vinculis aureis basi alligarunt, commendatis iisdem catenis aræ Herculis, ut scilicet ille veluti patronus & custus Urbis transfugam retineret (19).

Catthaginienses hunc Herculem Tyrium tamquam potissimum patrum suorum Numen semper habuerunt; missisque Tyrum singulis annis omnium proventuum decimis, veluti soluto tributo Deum perpetuo obsequio colebant. Cum vero olim arcta obsidione premerentur, rati invisos habere se Deos, ditissima munera ad Herculem Tyrium miserunt; ad legationis splendorem mittentes pariter cætera Numina, ex aureis ædiculis & ex eorum Templis educta (20). Tandem Plinius lib. 36. c. 5. narrat: *Ad Herculem Pœni omnibus annis humana sacrificaverunt victima.* Templa Herculis Tyrii, & Astartes Sidoniæ, tanquam ejus regionis amplissima, celebrat Lucianus de Dea Syra; & Herodotus lib. 2. c. 44. sui ipse oculis spectavit Templum Herculis Tyrii, quod vetustissimum habebatur, ubi geminas columnas, auream unam, smaragdinam alteram positas admiratus est; atque ex narratione Sacerdotum ejusdem Numinis, stare Templum a MMCCC. annis didicit. Numinis simulacrum non clava & pelle leonis, instar Græci Herculis, teste Strabone lib. 15. distinctum erat, sed ferem nautam capite fere calvo, & ardore solis ambustum referebat.

Apud Vaillantium Hist. Reg. Syr. p. 332. extat vetus Nummus Phœnicius exhibens Herculem turrito capite, & longa veste cingulo adstricta velatum, barbatum, & in sinistra manu tridentem. Numen erat marinum, a quo navigandi ars Phœnicibus tradita est; cultum proinde insignibus honoribus in omnibus maritimis Coloniis Phœniciæ originis, uti Carthagine, Gadibus, Tartesso. Hæc Phœnicum erga Herculem suum religio, ejusdem cultus vetustas, templa, & humanæ victimæ in eam persuasionem inducere nos possent, ut nomine *Baal* seu Domini, in Scriptura designatum crederemus. Quid enim in causa esse poterat, ut vetustissimi, simulque celebratissimi in universa regione Numinis mentio nunquam fieret? Hercules ceu Tyri Rex habebatur, unde illi nomen *Melicerta*, sive *Meleckirtha*, Rex Urbis; & *Malic*, Rex, quod illi ab incolis Amathuntis in Cypro indisum est.

Sed vulgaris, &, quantum conjicimus, certior opinio, docet, Phœnices, sive Chananæos nomine *Baal* Solem, *Astartes* Lunam designare. Quam conjectoram cæteris præferendam hæc potissimum suadent. Orientales omnes insito erga cultum astrorum ingenio ferebantur. Sol & Luna potissima erant ejus gentis Numina; nec alter unquam Deus amplius regnum cultumque obtinuit. *Videtur mihi*, ait Plato in Cratylo, *Græcorum prisci Deos solos putasse eas, quas etiam his temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, Solem Lunam, Terram, Stellas, Cœlum.* Cum Scriptura fere semper cultum Baal, Astartes, & Militiæ Cœli jungat, innuere videtur eam Profanorum sententiam, quæ Solem & Lunam veluti Regem & Reginam Astrorum Cœlestisque militiæ suspicit. Ita Manasses & coluisse Baal lucosque illi sevisse, & obsequium impendisse Militiæ Cœli narratur (21); & paulo post erecta ab illo in atrio Templi altaria universæ Cœlesti Militiæ legimus.

Josias, alter post Manassem Rex, malum patris exemplum in Juda abolere aggressus, neci tradidit omnes Idolorum Sacerdotes, *qui adolebant incensum Baal, Soli & Lunæ & duodecim signis* (22); tum & jussit *projici e Templa vasa, quæ fuerant Baal in luco, & universæ militiæ Cœli* (23); auferri equos (24), *quos dederant Reges Juda Soli; currus autem Solis combussit igni.* Moyses Deut. 17. 3. ultimum supplicium decrevit in eos, qui populum adigere tentaverint, *ut serviant Diis alienis, & adorent Solem & Lunam & omnem militiam Cœli.* Hæc aperte satis demonstrant, Baal cum Sole miscendum; quod etiam cultus illius historia luculentiori argumento confirmat.

Solemne erat Ethnicæ Religionis dogma, ut in erigendis Aris & statuis in editis quibusque & patentibus locis Soli cura omnis poneretur. Quare Hebræi in Montium celeberrimorum cacuminibus altaria Baal consecraverant; & singuli, privatæ Religionis gratia, privata in domorum tectis erigebant. Cum vero Templum Domini edito colli sub dio positum insideret; idcirco Regibus quibusdam impiis succurrit, ut ejus sanctitatem collocato Baal simulacro violarent. Ita potissimum a Manasse factum legimus 4. Reg. 21. 5. Jerem. XXXII. 34. Venturos tandem Chaldæos in ditionem Juda minatur Jeremias XXXII. 29. atque domos eversuros, in quorum tectis sacra Baal fumabant. Josias 4. Reg. XXIII. 12. aras omnes ab Achazo in

(16) Istrus apud Porphyr. Ibid. apud Euseb. (17) Vide Euseb. Præp. lib. 4. toto capite 16. ubi laudat Porphyrium, & S. Clementem Alexandrinum, Dionysium Halycarnassæum, Diodorum Siculum.
(18) Vide Fuller. Miscellan. cap. 7. (19) Vide Curt. lib. 4. Diod. Plut. in Alexand.
(20) Diodor. Sicul. lib. XX. (21) 2. Paralipom. XXXIII. 3. 5. (22) 4. Reg. XXIII. 5. השבית את המקטרים לבעל לשמש ולירח ולמזלות (23) Ibid. ℣. 4. (24) Ibid. ℣. 11.

in tectis Regiæ domus excitatas evertit. Templis & aris Baal plerumque sacri luci adjuogebaotur 3. Reg. XIV. 23. Luoorum autam Religio plarumque Astartem Deam nemorum spectabat, idest, Lunam, Deam insociabili fœdere Baal junctam; illa vero umbris lucorum in suis mysteriis delectabatur, quemadmodum aperta luca Sol gaudebat. Insames arant luci turpissimis voluptatibus, quas non samel vitio vertit Hebræis Sacra Scriptura. Porro illis plena erat ditio Juda & Israelis universa, ut eorum frequantism hac vel simili phrasi Sacra Scriptura expresserit (4): *Immolabat victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso.*

Aliud Bsalis indicium sunt victimæ humanæ, quemadmodum etiam supra demonstratum est. Hisce vero cruentis Sacrificiis litatum assa Apollini vel Soli, prosanarum historiarum testimonio discimus. Hominem sacrificio immolatum Heliopoli Ægypti urbe, tradit Porphyrius apud Eufeb. l. 4. Præpar. c. 16. quem morem deinda Rax Amasis sustulit. Pari honora colebatur Bacchus, cognomanto Omadius, in Insulis Lesbo, Chio, & & Tenedo taste eodem Eusebio; est autam Bacchus Numeo cum Sole miscendum, quemadmodum ax Macrobio Saturn. l. 1. c. 18. discimus, Apollo interdum humanas victimas eaegit, utex Dionysio Halycarnassæo Eusebius. Romæ Templum erat Apollini tortori sacrum (5). Mitra, nullo refragante idem ac Sol, huoianis victimis colebatur (6). Arabes paribus sacrifieiis Deorum Numen agnoscebant: quinam illi Dii? Sol nempe, & Luna, sub oominibus Diooysii & Alilat. Nec abs re conjicimus, Baal Chanaoæum, sive Phœoicium, alium a Sole non esse, & cum Moloch Deo Ammonitarum, cum Adad Syrorum, cum Osiride Ægyptiorum, cum Dionysio Arabum, cum Belo Chaldæorum asse miscendum (7). Videsis nostram Dissertationem de Moloch.

Deus Baal in patentibus claustris, Hebræis חמנים *Chamanim* (8), quæ Græcis *Pyregia*, sive Pyratheia, colebatur. Loca illa perpetuo murorum septo ambiebantur, statuas, arasque claudente, &, qui maxima raligiona servabatur, igoem æternum. Non idem tamen apud omnes mos, sed variis locis Orientis peculiaris (9). Nec idem ubique Numinis simulacrum: apud Tyrios erectæ primum Diis hastæ sau virgæ; deinda columnæ; tandem statuæ (10). Hiramus omnium primus statuas Harculi consecravit (11). De Ara Baal in monte Carmalo erecta, Vespasiaoi ætate, traditum est (12): *Nec simulacrum Deo aut Templum (sic tradidere Majores). Ara tantum, & reverentia.* Ægyptii consecrabant Soli obeliscos, & Pyramidas radios solis imitantes, intardum simulacrum erat hominis arietinis cornibus (13).

Hierapoli in Syria simulacrum itidem erat ora oblongo, in capite fiscellam gastans (14). Totum autam protegebat lorica; in manu hasta, victoriç simulacrum sustinens, alteram manum flos occupabat; tandem clypeus aapite Gorgonis insculptus humeros protegebat. Apud Vateres nonnullos quadruplici facie instructum erat Baal (15); nec desunt qui affirment, quadriforme Numen (16) in Templo Domini a Manasse collocatum fuissa, ut undique venientes veluti converso vultu excipere videretur. In nummis Regum Syriæ, per totam late Phœniciam obtineotibus, insculptus eernitur Apollo muliebri palla velatus (17). Non enim abhorrebant ab eo Numina Phœnices, quod unum idemque eum Baal habaretur. Vidimus qua olim superstitiooe sugam minaatem Apollinem catenis vioxeriot. Appion meminit statuæ Apollinis Doræ Urbis Phœniciæ (18).

Nec prætaraundum censemus, apud Septuaginta (19) fœmininum articulum oomini Baal apponi; facile quod ao nomina Dea Astarte dasignaratur, sive quod apud Phœoicas Numina sub utroqua sexu colerentur.

ASTARTE SIVE ASTAROTH.

DEAM *Astarten* vel *Astaroth* non Phœnicum modo fuisse, sed etiam Philisthæorum, Scriptura docente intelligimus. Æque Autboribus Sacris & Prosanis celebratur. Arma Saulis in Templo Astaroth a Philisthæis suspensa sunt (20). Non raro in Scriptura *Dei Sidoniorum* (21), sive *abominationis Sidoniorum* (22) nomine dasignatur. Sed masculinum noman Deus non satis probat ajusdem Numinis sexum; carant enim nomine fęminino jo Numinibus Hebræi; scitumque est cætaroqui, Numina apud Phœnices æque sub utroque sexu positis simulacris coli. Astaroth pluralę nomeo est; non tamen pluras Deos designat; quemadmodum singulare Numeo ast *Baalim* vel *Elohim*, quamquam vox multitudinam axprimit. Plurale eoim nomen, honoris, vel alterius forta rei gratia, intardum Prosaoi Numinibus suis eribuebaot (23); Astaroth autem sonat gregem ovium sive caprarum (24).

Titulo atiam *Reginæ Cæli* insignitur (25), quod scilicet Luna, Astartes nomine designata, Regina *Militiæ Cæli*, scilicet Stellarum & Planetarum, haberetur. In Libris Sacris (26) non raro est *Astra*, *Aserot* vel *Aserim*, luci, sive Idolum lucorum; ea enim in lucis colebatur, ejusqua Templa luci erant. Apud Septuaginta (27), pro *Asera*, quod in Habræo legitur, intardum est *Astarte*; & indiscriminatim utrumque nomen in Hebræo pariter usurpari intelligimus; nam post deploratum Israelitarum crimen, qui a Domino ad *Baalim* & *Astaroth* desciverant (28), capite sequenti (29) narrat, coluissa illos *Baalim* & *Aserot*. S. Hieronymus utrobique posuit Astaroth, persuasus ambo hæc nomina perinda usurpari. Tandem indiscrimioatim ponitur *Baal* & *Astaroth*, vel *Baal* & *Asera*, quorum Numinum priori Achab CDL. Prophetas alebat, & Jezabel ajus uxor CD. in obsequium *Asera* detinebat (30). Manasses altaria *Baal* posuit, consacravitque *Astra* (31), sive lucos Lunæ sacros. Josias projici e Templo jussit (32) quidquid *Baal*, *Astræ*, & *Militiæ Cæli* in usus sacros servierat.

Quemadmodum Baal septa arant sub dio posita, & Templa in editis locis (33): ita etiam Lu-

[4] 4. Reg. avi. 4. xvii. 10. 2. Par. xxviii. 4. Isoi. lvii. 5. Jer. iii. 6. Ezech. vi. 13. &c. [5] Sueton. in August. cap. 70. *Cæsarem esse Apollinem, sed tortorem; quo cognomine is Deus quadam in parte Urbis colebatur.* [6] Pallas, de Mitre Mysteriis, apud Euseb. loc. citat. [7] Nonnus Dionysiac. 40. Vide & Porphyr. apud Euseb. Præpar. lib. 3. cap. 11. [8] 2. Par. axxiv. 4. Isai. avii. 9. & xvii. 8. [9] Vide Strab. lib. 15. [10] Joseph. contra Appion. lib. 1. [11] Idem Antiqu. lib. 8. c. 2. [12] Tacit. Histor. lib. 2. Vide & Sueton. in Vespas. *Apud Judaam Carmeli Dei oraculum consulentem Vespasianum ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret volveretve animo, quantumlibet magnum id esset, proventurum pollicerentur.* [13] Euseb. Præp. lib. 3. cap. 12. [14] Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. [15] Eust. de Ἐγγαστριμύθῳ. [16] Vide Salian. ad A. M. 3340. [17] Vaillant. hist. Reg. Syr. pag. 241. 245. [18] Joseph. lib. 2. contra Appion. [19] Jerem. 21, 13. xix. 5. axxiii. 35. Osee ii. 8. 3. Reg. xia. 15. [20] 1. Reg. aaxi. 10. [21] 3. Reg. 21. 5. xiii. 33. אלהי צדנים [22] 4. Reg. xxiii. 13. [23] Ovid. Fastor. lib. 4. *Sæpe Palæstinus jurat adesse Deos.* [24] Deut. vii. 13. עשתרות צאנך [25] Jerem. vii. 18. & aliv. 17. 18. [26] אשרה אשרות אשרים [27] 2. Par. av. 16. xxiv. 18. [28] Judic. ii. 13. [29] Judic. iii. 7. [30] 4. Reg. xviii. 19. [31] 4. Reg. axi. 3. [32] 4. Reg. axiii. 4. [33] החמנים Isai. avii. 8. xavii. 9. Vide supra.

Lunæ vel Astaroth simulacra posita erant in *Aserim*, sive in lucis umbrosis. Erant autem Numina indissociabili fœdere juncta; hærebant enim luci Lunæ dicati Templis Solis, & cum Altaria Baal victimis, etiam humanis, fumabant, interim Astarti litabatur panibus, liquoribus & aromatibus (34); ejusque potissimum Religionem constituebant turpissima flagitia in tentoriis ad eam rem erectis, sive in speluncis ibidem excisis. *Filii colligunt ligna*, ait Jeremias (35), *& Patres succendunt ignem, & mulieres conspergant adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli*. Duram etiam vicem suam dolent Judæi apud eumdem Prophetam (36), quam tunc subire coacti sunt, cum libationes Reginæ Cœli cessarunt. Mensæ pariter in tectis domorum instruebantur, ante fores, in vestibulis, in triviis, ubi singulis Neomeniis Lunæ dapes apponebantur. Hoc convivii genus Hecatas convivium Græci appellabant (37).

Veniam facile dabunt Lectores, si licentiam superstitiosam in lucis Astartes describere prætterimus. S. Hieronymus reddit quandoque Priapum nomen Hebræum *Asera* (38); eo nomine impudicas illas superstitiones suggillans. Operæ pretium est animadvertere, Baal & Astartem ita fœderata fuisse Numina, ut nomina sæpe miscuerint. Idolum a Gedeone dejectum, Aseræ sacrum fuisse ipsis Textus verbis diserte exprimitur (39); quoties vero lucus Baal ibidem appellatur? Apud Septuaginta fœminino articulo Baal designatur, ut idem, quod nos huc usque, innuatur. Interdum Baal seu Apollo muliebri palla velatur, interdum Venus sive Astarte armatum barbatumque Numen est (40). Simulacrum Templi Heliopolis mulier erat virili amictu (41). Dea Cœlestis interdum Baltis vocitatur (42), ac si dicatur, hara, Regina, uxor Baal. Itobal Rex Tyri, pater Jezabelis, a sacris erat Astartes, ex Menandro Ephesio apud Josephum adversus Appionem. Ejus Numinis cultum per totam ditionem Israelis Jezabel mire provexit.

Sunt qui Junonem & Astartem unum idemque arbitrentur: *Juno sine dubitatione a Pœnis Astarte vocatur*, ait S. Augustinus Quæst. 16. in Judic. Plerique tamen usurpant pro Luna (43), Venere Cœlesti, Dea Cœlesti Pœnorum, quam ipsissimam fuisse Lunam Herodianus lib. 5. putavit. Numen illud in lucis colebatur, ut præcipuum esset Religionis indicium, si quis impressa in carne arboris stigmata gestaret, quemadmodum stigma hederæ, Bacchi cultores inducebant. His stigmatibus insulti *Dendrophori* (44), nempe arborum gestatores, appellabantur; quæ satis conveniunt nomini *Asera*, arbores sive lucos designanti, Astarti in Scriptura tributo.

Theologis Phœniciis ea stabat sententia, ut Astarte Venus esset Syria: *Venus Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse tradunt*, ait Cicero De Natura Deor. lib. 3. Nec aliud facile erat Numen a Dea Syria, Venere Ascalonitide, Alilat Arabum, & Iside Ægyptiorum; quibus variis nominibus Luna exprimebatur: *Quam Cœlestem Afri, Mitram Persæ, plerique Venerem colant, pro diversitate nominis, non Numinis varietate*, ait S. Ambrosius Epistola XXXI.

Quædam modo de figura Astartes, quam Porphyrius apud Euseb. Præp. l. 1. c. ult. capite bovino una & cornuto instructam, veluti Regio insigni, ceu cornua Lunæ imitantem, describit: quo pariter capitis ornamento decorata Isis Dea Ægyptia apud Herodotum lib. 2. c. 47. Simulacrum Veneris Architidis in Libano cultæ, quam ipsam credimus Venerem Aphee, sive Aphacitidem apud Eusebium de Vita Constant. l. 3. c. 55. describens Macrobius Saturn. l. 1. c. 21. velatam fœminam, vultu sinistræ manui sub velo incumbente, ore mœsto tristique, qualem decebat Deam vulnere lethali confossum Adonidem suum lugentem, exhibet: lacrymis etiam stillasse pluribus visum est.

Nummi quidam Tyrii (45), in honorem Demetrii II. Regis Syriæ cusi, Astartem sive Tyriam Venerem præseferunt, palla velatam, quam vestem pallium excipit super lævum brachium reductum; manus læva in speciem imperantis porrecta; dextra vero bacillum tenet, deflexum in crucis figuram. Ea hic præterimus, quæ in Dissertatione de Numinibus Phœnicum de *Atergata* sive Derceto, cum Venere Tyria miscenda, congessimus. De Templo *Atergatæ* in urbe Astaroth-Carnaim in secundo Macchabæorum libro XII. 26. mentio occurrit. Nec reputandum est, ejus simulacrum certum ubique fuisse & constans, sed varium in variis urbibus, & regionibus; alii enim aliam ex ejus dotibus exprimebant. Interdum plura simul in unirum simulacrum conferebantur.

ADONIS VIR ASTARTES.

ADonis vir Astartes in Sacra Scriptura modo *Idolum Zeli* Ezech. VIII. 3. 5. modo *Thammuz Beelphegor*, *Mortuus* appellatur: qua de re vide nostram Dissertationem in Chamos, sive Beelphegor. Suspicamur autem, consecrata Astarti *Miphlezoth*, de quibus sæpe in Libris Regum, obscœnas quasdam expressisse figuras, similes Priapeis, & Dionysiacis; quas in publicis supplicationibus Ægyptiæ fœminę circumferebant. Vide Herodotum l. 2. c. 48. Cum Isis collecta Osiridis viri sui membra in Templis sepulturæ mandasset, nulla ex illis majori digna honore, quam illa, quæ pudor occultari jubet, censuit. Ea igitur in Templis omnibus collocata, sacrificiis, simulque institutis solemniis, & cæremoniis coluit (46). Exinde Græcorum mos cœpit, indigna plurima in mysteriis & in festis Bacchi exhibendi. In imaginem Astartis vide l'Antiquitè expliquèe, & Vaillant numismata Imperialia ænea to. 1. 2. Quod hic scripsi de Asera pro Priapo accepta non satis accurate dictum est; scribendum enim fuerat Reginam Maacham consecrasse Miphlezeth in honorem Aseræ. Porro Miphlezeth accipiuntur de Priapo, nec facile alii erant a Phallis paganorum. Vide Comment. nostr. in III. Regum XV. 13. & Seldenum de Diis Syris Syntag. 2. cap. 5. & Lexicon Hofmanni V. *Phallus*.

Bacchus vel Dionysius, Priapus, Osiris, Adonis, vana hæc nomina unum eumdemque Deum reddunt (47). Simulacra publice per urbes agrosque circumferebantur, & in solemnibus supplicationibus initiationum deferri consueverant (48). Hæc erant *Miphlezoth*, quæ sæpius Hebræi in lucis consecrabant; in lucis, inquam, non ferenda licen-

(34) Vide Isai. LXV. 11. *Qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam*. Heb. *Qui ponitis Meni mensam*. Meni est Luna. (35) Jerem. VII. 18. Vide & XLIV. 17. (36) Jerem. XLIV. 17. 18. 19. (37) De hoc fusius in Comment. ad Isaiam & Jeremiam. (38) 3. Reg. XV. 13. *Ne esset Princeps in sacris Priapi*, & 2. Par. XV. 16. *Et quod fecisset in luco simulacrum Priapi*. Hebræus utrobique habet *Asera*. (39) Judic. VI. 25. *Destrue aram Baal, quæ est Patris tui, & nemus quod circa aram est*. Heb. *& Aseram, quæ super eam est, succide*. הרסת את מזבח הבעל ואת האשרה אשר עליו תכרת (40) Macrob. Satur. lib. 3. cap. 8. *Signum Veneris est Cypri barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura virili, ac putant eamdem marem ac fœminam esse*. (41) Plin. lib. 5. cap. 23. (42) Sanchon. seu Porphyr. apud Euseb. Præp. lib. 1. cap. ult. (43) Lucian. de Dea Syr. Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι. (44) Vide Thesaur. Henrici Steph. (45) Vaillant. hist. Reg. Syr. pag. 272. 273. (46) Manetho Ægyptius apud Eusebium Præp. lib. 2. cap. 1. Vide & Diod. Sicul. (47) Auson. *Ogygia me Bacchum canit, Osirin Ægyptus vocat, Arabica gens Adoneum*. (48) Vide Plutar. l. 1. de cupiditate opum. Theodor. l. 3. &c.

licentia infamibus, quod sæpe Hebræis exprobrat Sacra Scriptura.

Sunt qui Hebræum *Miphlezeth* reddant terriculam; solebant enim simulacra Priapi in agris hortisque collocari, abigendis spectri terrore pueris, & furibus (49). S. Hieronymus putans eo nomine exprimi figuras quasdam infames, reddit Priapum; quod nostræ sententiæ convenit.

Hortorum Deus apud Profanos Adonis constitutus est; & apud Veteres mentio occurrit de vasis floriferis quibusdam, salacissimo Numini a fœminis oblatis, quæ vasa hortos Adonidis illæ appellabant (50). Scholiastes Theocriti tradit, consuevisse in his festis hordeum, & frumentum in atriis seri, natum inde germen hortos Adonidis appellari. In Sacra Scriptura leguntur quandoque horti Diis consecrati, quo nomine significari hortos Adonidis, minime dubitamus. Isaias I. 29. *Confundentur ab Idolis, quibus sacrificaverunt, & erubescetis super hortis, quos elegeratis.* Et LXV. 3. *Populus ad iracundiam provocat me, qui immolant in hortis; & sacrificant super lateres.* Et LXVI. 17. (51): *Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post januam.* Adonis in hortis colebatur, Luna super tecta domorum, Trivia, alterum lunæ nomen, post januam; erat enim janua lunæ sacra. In Isaiæ textu jam laudato appellatur *Achat* sive *Hecathe*; & alibi (52) idem Propheta post janusm positum Idolum a Judæis narrat.

Mensas etiam in triviis *Meni* (53) ponebant, adjectis libationibus; qui saoe mos apud Græcos obtinebat, quibus non ignorus erat ritus consecrandi measas *Hecathi* singulis measibus ineuntibus, ominis captandi gratia (54). *Portarum aras* evertisse Josiam (55), in Libris Regum legimus; quas aras positas fuisse in introitu ostii Josue Principis Civitatis, ibidem exprimitur. Suus etiam cultus Apollini portarum Præsidi. Equos & currus ante fores Templi Domini, Soli consecratos, (facile munus Regum superiorum) quos idem Josias evertit (56), Apollini portarum præsidi addictos facile eredimus.

Tales erant Dii Phœnicum, de quibus in Libris Regum & Prophetarum, iisque fere cæremoniis delectabantur: quæ in unum collecta locum omnia, & Authorum veterum locis illustrata non inviti Lectores patientur. Ezechiel (57), & Author Libri Sapientiæ culca (58) pariter a Judæis innuunt vilissima quæque animalis, uti muscas & pisces, in Hebræo *Beelsebub* & *Dagon*; de quibus fusius in Dissertatione de Numinibus Philisthæorum ad Libros Regum.

IN OSEE
PROLEGOMENON.

OSee filius Beri, oriundus, uti ferunt (59), e Belemoth in Tribu Issachar, quæ forte eadem est Belma sive Belmeon, Esdrelonem versus in eadem Tribu (60). Patrem habuisse Beram (61), Principem Tribus Ruben, Rabbini asseruerunt: quare pertinere debuit ad eamdem Tribum atque originem referre ex Beelmeon in sorte Ruben trans Jordanem. Sed hæc omnia dubia sunt, nec ab Authoribus assertæ satis authoritatis tradita.

Vixit in Regno Samariæ, ejusque vaticiniorum maxima pars Regnum illud spectat; quamquam plura etiam inter illa ad Regnum Juda pertinent. In fronte Operis floruisse illum sub Regibus Juda, Ozia, Joathano, Achazo, & Ezechia, & Jeroboamo II. Rege Israelis, legimus. Profecto si regnantibus illis omnibus munere Prophetæ functus est, diu sane vitam produxit; nam ab exordio Oziæ, anno 3194. usque ad exitum Jeroboami II. anno 3220. spatium est XXVI. annorum. Exinde vero usque ad Ezechiam Regem Juda, anno 3306. adhuc LXXXVI. anni fluxerunt; ut tota summa ad CXII. annos ascendat. Si quid vero ex illis demas, ut decem annos Ezechiæ & totidem Oziæ, neque enim toto eorum Regum tempore prophetasse Oseam legimus, spatium saltem LXXXXII. annorum superest. Adde pariter, Oseam id munus suscepisse, cum provectioris esset ætatis; in ipso enim Prophetiæ exordio fœminam prostitutam ducere jussus est, e qua liberos quamplurimum suscepit. Tametsi igitur tunc temporis vigesimum, seu vigesimum quintum ætatis annum ageret, debuit vitam producere ad CXV. sive CXVII. annorum senectutem; quod supra eorum temporum experientiam videtur.

Veterum nonnulli dubitarunt (62), utrum inscriptiones in fronte minorum Prophetarum ipsos habeant Authores, an potius Esdram vel alium quemcumque, qui ea scripta recensuerunt. Ita e. g. quæ in fronte Libri Osee legitur, ardua habet plurima; neque enim in consequentibus quid-

(49) Columel. lib. 10. *Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli, Terribilis membri, medio qui semper in horto Inguinibus puero, prædoni falce minetur.* (50) Vide Plutar. lib. Cur divina vindicta in malos animadvertere differat. Vide, si lubet, Scholiast. Theocrit. & Theocritum ipsum Idyll. Adonid. Α᾽δωνιάζ. Πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι. Πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις Α᾽ργυρέοις. (51) Isai. LXVI. 17. המתקדשים והמטהרים אל הגנות אחר אחד בתוך (52) Isai. LVII. 8. *Post ostium, retro limen, posuisti memoriale tuum.* (53) Isai. LXVI. 11. *Qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam.* הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך (54) Fusius hæc omnia in Comment. in Isai. prosequuti sumus. (55) 4. Reg. XXIII. 8. *Et destruxit aras portarum in introitu ostii Josue Principis Civitatis.* (56) Ibid. v. 11. *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli in introitu Templi Domini* ... *Currus autem Solis combussit igni.* (57) Ezech. VIII. 10. *Et ingressus vidi, & ecce omnium similitudo reptilium & animalium abominatio, & universa Idola domus Israel.* (58) Sapien. XII. 8. 23. 27. (59) Pseudo-Epiphan. de vita Proph. cap. 11. (60) Judith. VII. 3. (61) 1. Paral. 5. 6. (62) Vide nov. Edit. Hieronym. pag. 727. *Plerique dicunt, quod ab Esdra scriba in omnibus Prophetis sit factus titulorum, ut præscripto cujusque nomine, prophetia, cujus sit, sequens noscatur,* &c. *Ita utrumque Exemplar Hebr. veritatis.*

quidquam vel minimum legitur, quo diuturnum adeo Prophetæ munus designetur. Cur insuper nomina Regum Juda scriptum illud præseferat, cum in Israel Propheta versaretur? Prophetiam a versu secundo exordium ducere, ex illis verbis satis innuitur: *Principium loquendi Domino in Osee. Et dixit Dominus ad Osee*. Quidquid præcedit, totum æque Opus spectat. Primum autem vaticinium spectare videtur exitum Regni Jeroboami II. s. ait enim Dominus: *Visitabo sanguinem Jezrael super domum Jehu* (5). Harum minarum fides non sub Jeroboamo II. quidem impleta est, cujus fuit diuturnum, quietum, & felicissimum Regnum; sed sub Zacharia ejus filio, Regni successore. Neque res est a Libris sacris abhorrens, ut Librorum tituli aliena manu inferantur; plures enim titulos Psalmis adjectos, & nonnullos Isaiæ (6) animadvertimus.

Primus inter Prophetas creditur, quorum scripta supersunt (7). Quamvis enim coævos habuerit Amos, & Jonam, utrosque ad ætatem Jeroboami II. spectantes, uti & Michæam, Nahum, & Isaiam, sub Achaz & Ezechia agentes; inivisse tamen munus, & vaticinia sua scriptis citius quam alii redegisse fertue. Suis ipse oculis spectavit non primam tantum captivitatem quatuor Tribuum sub Theglathphalassaro, sed etiam alteram decem Tribuum sub Salmanasaro; cum scilicet capta Samaria Regnum Israelis penitus extinctum est. Quin & post ea tempora oracula fudisse S. Hieronymus (8) putavit.

Primi versus capitis I. obitum Zachariæ Regis Israelis, & quæ obitum Jeroboami consequuta fuerunt mala, usque ad versum 6. persequuntur; deineeps, usque ad cap. III. captivitas Israelis prædicitur. Persuasum habemus, præ oculis habuisse interdum primam captivitatem quatuor Tribuum sub Salmanasaro; quamquam oracula illius ab aliis secundæ captivitatis fecerni ægre possunt. Ubique ærumnas & captivitatem Israelis tamquam commune malum repetit: hic totus versatur, huc illius omnia recidunt (9); quamquam post tot mala futuræ liberationis & solvendæ captivitatis spem excitat (10).

Perpetuus est scelerum Israelis, & Idololatriæ Ephraimi castigator; qui nulli unquam sceleri, & flagitio pepercerunt. Exprobrat libidinem Gabaitis parem (11). Idola colebantur in urbibus Dan, Bethel, Samaria, Galgalis (12), in monte Thabor (13), Sichimis (14), in montibus Galaad (15), & Bersabeæ (16). Frustra illos conari demonstrat, ut alienigenarum ope ab ultione se Domini subducant; cum non Ægyptios, & Assyrios implorare, sed a Deo potius veniam criminum pœnitentia impetrare deberent (17). Monet insuper, capta regione sua in Ægyptum confugientes, non salutem ibi, sed mortem inventuros (18). Dejiciendos aureos vitulos, prostratosque in Assyriam auferendos prædicit (19).

Neque in scelera Regni Juda mitius invehitur; eos maxime verbis castigans, qui Galgalim (20) ad idola colenda frequentarent; venturum dicit (21) in regionem Juda Sennacheribum Regem Assyriæ; ac tandem, serius quidem quam decem Tribus (22), futurum ut Juda quoque pari premeretur servitutis jugo, pari etiam solutæ captivitatis beneficio donaretur (23).

Osee vaticinia multa caligine obvoluta sunt (24): quod tum ex ipsa rerum natura, utpote qui res multum a nostra cognitione remotas, parumque ex monumentis illorum temporum exploratas, innuit; cum etiam ex ipso styli ingenio derivatur. Libri Regum multo contractiorem historiam postremorum Regum Israelis persequuntur; ac vicissim ne verbum quidem de illis in Paralipomenis. Ex quo operiosor fit Minorum Prophetarum interpretatio. Stylo utitur presso, & conciso, desultorio pariter, sæpe ex uno in aliud argumentum, ex uno in aliud tempus personamque, non per viam, sed veluti per saltum transiliens. *Osee*, ait S. Hieronymus Præfat. in XII. Prophet. *commaticus, & quasi per sententias loquens*. Obtruncata sententia Lectorem suspensum, ejusque prudentiæ, quod deest, supplendum relinquit. Interdum tamen plura miscet vivida & audaciora, plures etiam satis concinnas addit similitudines, quas aptandas Lectori relinquit, vel statim significatas deserit; unde multum de illarum elegantia atque argumenti connexione Lectores fugit.

HISTORIA

GENTIUM JUDÆIS FINITIMARUM, QUA ILLUSTRANTUR VATICINIA AD EAS SPECTANTIA.

NON intra limites tantum ditionis Juda & Israelis, Prophetę Domini sese continent, sed ad finitimas Judæorum gentes quandoque Vaticiniis excurrunt; sive oblique tantum, cum scilicet res Judæorum cum historia ejusdem gentis implicarentur; vel directe, si forte ictum cum popu-

---

(5) Osee I. 4. (6) Isai. XXI. 13. XXX. 6. (7) Hieron. in Osee initio; Basil. in Isai. Rufin. Ribei. Sanct. xlii. (8) Hieron. in c. I. Osee. Vide Usser. ad A. M. 3197. (9) Osee VI. 8. II. 2. 3. . . 13. III. 1. 2. IV. 3. 4. 5. V. 7. 2. &c. X. X. XI. 7. XIII. 11. (10) Osee I. 10. 11. II. I. 14. . . 24. III. 5. VI. 1. 2. 3. XI. 10. 11. XIII. 13. XIV. 6. &c. (11) Osee IX. 9. X. 9. Confer cum Judic. XIX. (12) Osee IV. 13. IX. 15. XII. 11. (13) Osee V. 1. (14) Idem VI. 9. (15) Osee VI. 8. V. 1. (16) Amos VI. (17) Osee VII. 11. VIII. 9. 13. IX. 3. XII. 1. XIV. 4. (18) Osee IX. 6. (19) Osee VIII. 5. X. 5. 6. (20) Osee IV. 15. (21) Osee VIII. 14. (22) Osee I. 7. (23) Osee I. 10. 11. (24) Hieron. Præfat. in Osee, & in fine Comment. in cap. XIV.

populo Dei fœdus, vel suscepta in illos expeditio minas sive institutiones a Prophetis exposcerent.

Sicut igitur in fronte Majorum Prophetarum historiæ conspectum dedimus maximorum Orientis Imperiorum, quæ ad res Hebræorum spectarent, persuasi, frustra sensum Prophetarum explorari, nisi prius aliqua illorum notitia habeatur; ita plane novam aliquam hic, necessariam tamen, ad Minorum Prophetarum interpretationem historiam Philisthæorum, Phœnicum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Syrorum, quantum tamen rara monumenta illius historiæ, hodie extantia, permittunt, describere aggredimur.

Totum autem Opus ducemus nedum ex Authorum Profanorum testimonio, apud quos rara de his gentibus, sed etiam ex historia Sacra & Prophetis, apud quos plura. Quod autem historiæ deerit, sive de rerum varietate sive luculentiori rerum descriptione, illud abunde supplebitur ex certa rerum, quas trademus, fide, utpote excertis fontibus derivata.

Spectabunt in ea historia Lectores magnas rerum vices, quamquam parum accurate in veteri historia, qualis nostra ætate superest; expressas; integras gentes edomitas prius, ac deinde cervicem excusso jugo erigentes; captivas in regionem extraneam deductas, ac deinde post plurium annorum servitutem liberas, postliminii jure propria repetentes; Regna olim florentissima, postea deserta adeo & deleta, ut ne vestigium quidem, nec antiquitatis monumentum aliquod appateat. Hæc vero omnia pluribus ante sæculis Prophetarum Domini Oraculo prænunciata, quorum veritas (utpote quæ cum vaticiniis Messiæ implicita erant) rerum futurarum oraculis certam fidem adstruit, certumque & inconcussum pro nostra Religione efficit argumentum.

In ipso Historiæ nostræ limine operæ pretium est animadvertere, Reges Ninives & Babylonis, alio nomine Assyriæ & Chaldææ, aliud bellandi genus, quam quod apud nos, servasse. Terrorem & excidium, qua late patebat hostium ditio, inferebant; translatosque devictæ regionis incolas, in alias terras veluti colonias deducebant. Ita factum a Theglathphalassaro, Salmanassaro, Nabuchodonosore cum gentibus, de quibus in præsenti, novimus. Aliam bella gerendi rationem Cyrus sequutus est; moderate enim & benigne devictas gentes habuit, ut in Scriptura Principis modesti, justi, æquissimi elogium mereatur (1). Quin & patriam repetere fere omnes eas gentes permisit, quas præteriti Reges trans Euphratem traduxarant. Regressum Hebræorum in proprias regiones disertissime in Sacris Libris legimus; sed & eodem beneficio alias etiam gentes donatas fuisse, infra dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Philisthæis.

PHilisthæi gens erant aliunde in Chanaanitidem deducta. Ex Insula Caphtor accivit Scriptura (2); quo nomine designatam credimus Cretam in Mediterraneo (3). Ezechiel xxv. 16. & Sophonias ii. 4. *Cretim* sive *Cretenses* appellant. Inde digressi, pulsis Hevæis coactisque in ulteriora Arabiæ sese recipere, eorum regionem occuparunt (4). Valida erat fortisque gens in Palæstina, Abrahami ætate, munitissimis Urbibus & Regibus suis potens (5); unde facilis conjectura, jam inde a multis sæculis in eamdem regionem migrasse.

Inter populos anathemati devotos a Domino, & quorum ipse regionem Judæis permisit, Philisthæorum nomen nuspiam legimus, erat enim gens a maledicta Chanaanitarum progenie aliena. Non secus tamen ac gentes alias, jussus a Domino Josue illos aggressus est (6), quod scilicet concessam Hebræis regionem occuparent; criminumque ac scelerum merito eamdem in suum caput ultionem provocassent, quam Amorrhæi & Chananæi (7). Verum non multum illis incommodi arma Josue intulisse, vel si multum, brevi sua recuperasse Philisthæos, ex eo intelligimus, quod sub Judicibus, & Regnum ineunte Davide, Regibus adhuc suis parebat Natio, totamque ditionem in quinque Satrapias, veluti totidem provincias & modica Regna, distinguebat.

In Judicibus legimus, DC. Philisthæos (8) Samgar stricto vomere occidisse. Aliquibus post annis, Philisthæi & Ammonitæ, junctis simul armis, Israelitas oppresserunt (9). Ammonitarum tyrannidi in ordinem redigendæ, Jephte a Domino excitatus est (10); in Philisthæos vero Samson arma gessit (11). Ab eo, dum vixit, in officio detenti, ejus etiam morte iniquissima tolerarunt; eadem enim cum illo ruina oppressi sunt viri ejusdem gentis amplissimi. Nequidquam tamen; nam Heli summo Sacerdote, sub Judice Samuele, & ineunte Saule, plura Judæis mala intulerunt. Sub Heli, ingenti victoria fusis Hebræis, Arca Domini inter captivorum spolia potiti sunt (12). Verum sub Samuele Israelitæ, implorata a Deo criminum suorum venia, jussu ejusdem Prophetæ in Philisthæos moventes, ejus precibus illustrem victoriam retulerunt (13).

Quieta deinde omnia usque ad Saulis initia. Ille tractos pluribus victoriis Philisthæos nunquam tamen continere adeo valuit, quin identidem regionem Hebræorum invaderent. Inter eas victorias jure meritoque celebratur illa, qua David Gigantem Goliath obtruncavit (14). Ex eo tempore ab armis in Israelitas inferendis abstinuerunt; quamquam non ita mansit quieta gens Judæis infestissima, ut ab hostilibus omnibus cessaret. Tandem Saul armorum Philisthæorum pondere oppressus, ipse cum filio in prælio ad Gelboe necatus, illustriorem illis victoriam effecit (15).

David statim inito Regno, nec quietam provinciam reddere, nec Philisthæos ad subeundum jugum solvendumque tributum (16), nisi post plura bella & victorias cogere potuit. Semel igitur subjecti, in fide manserunt sub Salomone, cæterisque post illum Regibus Juda, usque ad Joramum filium Josaphati. Hic (17) capere in Philisthæos arma, sive quod ab ipso primum, sive a Josaphato patre suo defecissent, coactus est; illud enim constat, Philisthæos auxiliares copias duxisse Ammonitis, Moabitis, cæterisque fœderatis gentibus, in prælio adversus Josaphatum, de quo Psalmus (18).

Iterum cervicem erexerunt sub Ozia Rege Juda, a quo sub jugum redacti, eo rerum potiente in fide manserunt (19). Prostratis rebus Juda sub Achazo, Philisthæi ad cumulum malorum accesserunt, regionem fœdissime excurrentes (20); sed Ezechiæ ejus filii armis iterum ad officium rediere (21). Sub Manasse, quantum conjicimus, cervicem denuo erexerunt; & labentibus Regum Juda annis Philisthæos, alieno Imperio neglecto, suo

(1) Isai. xl. 2. 10. (2) Gen. x. 14. Jerem. xlvii. 4. Amos ix. 4. (3) Vide Nost. Dissert. de Origine Philisthæorum ad 1. Lib. Reg. (4) Deut. ii. 23. (5) Gen. xx. 18. (6) Josue xiii. 2. 3. (7) Sap. xii. 2. 3. 4. 22. 23. 24. (8) Judic. iii. 31. (9) Judic. x. 6. 7. (10) Judic. xi. 2ii. (11) Judic. xiv. 1. (12) 1. Reg. iv. v. (13) 1. Reg. vii. 3. 13. 14. (14) 1. Reg. xvii. (15) 1. Reg. xxviii. xxix. xxx. xxxi. (16) 2. Reg. v. 7. viii. 1. &c. (17) 2. Par. xxi. 11. & 1. Par. xx. 1. 16. (18) Psal. lxxxii. & 2. Par. xx. 1. 2. 22. (19) 2. Par. xxvi. 6. 7. (20) 2. Par. xxviii. 18. (21) 4. Reg. xviii. 5.

suo arbitrio regi volvisse, satis intelligimus. Neque Hebræorum jugum detrectasse tantum visi sunt, sed etiam Chaldæorum, Orientis Imperium tenentium, recusarunt.

Plurima illis mala nunciant Prophetæ Isaias XIV. 28. Amos I. 6. 7. 8. Sophonias II. 4. 5. Jeremias XLVII. 1. & Ezechiel XXV. 15. quod scilicet iram in se Dei provocassent, sævissima plurima in populos Juda, cum prostratæ essent illorum res, exercentes. Illud etiam sævitiæ addiderant, quod ductos ex Juda captivos Idumæis, infestissimis populi Dei hostibus, vendidissent.

Sub ea tempora, Psammetichus Rex Ægypti, in illos movens, Azotum, post longam XXIX. annorum obsidionem, cepit (22). Nechao, qui post illum regnavit, ab expeditione Carchemisiæ redux, jure armorum subegisse eam gentem fertur. Sargon sive Assaraddon Rex Assyriæ, iterum armis Thartani Ducis sui (23) Azotum expugnavit. Capta Jerosolyma, Nabuchodonosor, perseverante Tyri obsidione, quæ tredecim annis producta est, copiis divisis, Philisthæos aliasque finitimas gentes ditioni suæ adjecit. Non obscure in Scriptura (24) eorum captivitas sub Chaldæis, restitutaque sub Cyro libertas legitur. Ita easdem fere vices ac Judæi, ea gens subiit.

Post eversum Imperium Chaldæorum, Philisthæi, uti & Judæa universa, Regibus Persarum, ad quos Imperium Babylonicum translatum est, paruerunt. Alexander Magnus gentem subegit, & Urbem Gazam, solam inter cæteras ejus gentis, sibi resistere ausam, evertit (25). Eo defuncto, divisoque ipsius Imperio inter Principes, Palæstina modo in partem Regum Ægypti, modo Syriæ, pro sorte belli cessit; victoris enim prædam Philisthæi, sicut etiam Judæi, semper auxerunt. Post furias Antiochi Epiphanis in Judæos, cum Asmonæi, sive Macchabæi, occasione divisionis rerumque Syriæ & Ægypti affectarum capta, arma cepissent, regionem Philisthæorum aggressi sunt, quorum varias singillatim Urbes, ab illis evulsas, suæ ditioni adjecerunt. Tryphon, junioris Antiochi tutor, & Regni Syriæ administrator, Jonatham Asmonæum præfectura totius oræ Mediterranei a Tyro usque ad Ægyptum, adeoque & totius Phœniciæ ac regionis Philisthæorum, donavit (26). Ab eo tempore, maxima Philisthæorum portio Judæorum ditioni adjuncta est, usque ad Jerosolymæ eversionem (27), ut, post restitutum Judæorum Regnum per Macchabæos, nuspiam de Philisthæis, tamquam de gente, quæ sui juris fuerit, legatur; semper enim cum Phœnicibus & Syris, tanquam in unum corpus coalescentes, misti sunt. Ita sua fides mansit Prophetarum Oraculis, quibus evertendi tandem Philisthæi nunciabantur.

ARTICULUS II.

De Phœnicibus.

OMnium Chananææ gentium celebratissimi Phœnices, authorem habuerunt Sidonem, Urbis cognominis conditorem, & inter filios Chanaan natu maximum (1). Apud Veteres non raro cum Philisthæis misti, regionem obtinent intra montem Libanum ad septentrionem, Gazam, sive lacum Sirbonem, aut montem Casium ad meridiem. Accuratius tamen utrisque populis apud sacros Authores distinctis, Phœniciæ is tantum regionis tractus datur, qui ultra Carmelum montem & torrentem Cisson ad meridiem non porrigitur; reliquum ab eo monte ad septentrionem, usque Gazam ad meridiem, ad Philistæos spectabat.

Quamquam inter gentes diris a Domino addictas Phœnices censebantur, a Josue tamen bello petitos nuspiam legimus. In suæ enim regionis angustissimis oris sese continentes, mercaturæ toti vacabant; omnem interim adjacentem post terga regionem colendam fruendamque Hebræis relinquentes. Sub Judicibus (2) Israelitas oppresserunt; & incipiente Samuele (3), fœdus eum Philisthæis adversus populum Domini junxerunt; sed prælio victis Philisthæis, nihil inde a Phœnicibus novatum est. Hiram Rex Tyri amicitiam Davidis (4), & Salomonis (5) coluit, non officio tantum, sed missis etiam ad utrumque Regem struæ lignorum & opificibus, ut ædificio Regiarum Ædium & Templi Domini serviret.

Nuptiis Salomonis cum filia Regis Ægypti filias Tyri cum muneribus adfuisse legimus, Psal. XLIV. 13. Summam intercessisse necessitudinem inter Hiramum Regem Tyri & Salomonem, mutuoque propositis ænigmatibus, pro more eorum temporum, amice sese provocasse, ex ipsis Phœnicum Annalibus intelligimus (6). Ammonitæ, & Moabitæ ab Josaphato Rege Juda desciscentes (7), auxiliates Tyriorum copias sub signis habuerunt, sed eo simul tempore Achab Rex Israelis adeo familiariter Tyriis utebatur, ut Jezabelem filiam Regis Sidonis (8) duxerit, a qua Baalis cæterorumque Phœniciorum Numinum cultus in Israelem invectus est.

Aliud etiam in Annalibus Tyriorum (9) legimus, frustra in Scriptura quærendum. Salmanasar Rex Assyriæ, qui supremos Reges decem Tribuum tamdiu bello afflixit, donec capta Samaria, populoque trans Euphratem ablato, Regnum everterit; Salmanasar, inquam, bellum intulit Eluleo sive Eliseo Regi Tyri. Occasionem nactus est, quod ille comparata classe in Gitthæos, qui jugum excusserant, navigaverat (10); eo enim absente Assyrius Regionem depopulatus est; sed tandem rebus compositis, exercitum reduxit.

Post aliquod tempus, Urbes Sidon & Ace, quæ deinde Ptolemais dicta est, ac vetus Tyrus, una cum aliis pluribus Phœniciæ, a Tyriis desciscentes, ad Assyrios transierunt; quare statim Salmanasar in Phœniciam se conferens, subigendis Tyriis Urbibusque in fide continendis venit. Nec segnes, qui ejus partes sequebantur, Phœnicii; nam comparata classe LX. navium, Salmanasaro accesserant. Tyrii viriliter pro virili ad pugnam sese comparantes, classem in hostes XII. tantum navium duxerunt; commissoque navali prælio, pauci multos fugarunt dissiparuntque n. ex illis captis. Spe frustratus Salmanasar, in Assyriam se recepit, relicta parte copiarum in litore e regione Insulæ, cui Tyrus insidebat; ratus, penuria aquarum laborantes cives [aquis enim carebat Insula, nisi e continenti comportarentur] tandem deditionem facturos. Laxior ista obsidio quinquennio producta est; ferendæque siti Tyrii coacti sunt puteos in viva silice exscindere.

Quem exitum expeditio habuerit, incertum; felicem Tyriis fuisse inde colligimus, quod ineunte Regnum Sedecia Rege Juda, Tyriorum Legati Jerosolymam venerunt, consulturi cum illo cæterisque finitimis Regibus de bello Nabuchodonosoris, iniquiora in illos molientis, sustinendo.

De-

(22) Herodot. l. 2. c. 157. [23] Isai. XX. 1. [24] Isai. XII. 14. 15. 16. XXV. 11. &c. XXVII. 7. L. 16. [25] Arrian. lib. 2. de expedit. Alexan. Strab. Geograph. lib. 16. [26] 1. Macc. XI. 59. [27] Vide 1. Macch. V. 65 68. XI. 61. XIII. 43. 44. Joseph. Antiqu. lib. 13. cap. 21. [1] Gen. X. 15. [2] Judic. X. 12. [3] Eccli. XLVI. 21. [4] 2. Reg. V. 11. [5] 3. Reg. V. 1. [6] Joseph. contra Appion. [7] 2. Par. XX. 1. 2. 3. [8] 3. Reg. XVI. 31. [9] Menander Annal. Tyr. apud Joseph. Antiqu. lib. 9. cap. 14. [10] Usserius putat, Gitthæos ipsos esse cives Geth urbis Philisthæorum. Sed quid opus fuisset classe, ut redigeretur in fidem urbs non maritima? Melius Scaliger Cyprios arbitratur.

Descicenti a Chaldæis Sedeciæ in partem consilii accesserunt (11); sed totam Belli Chaldaici molem in illum reliquerunt. Quin & insultasse afflictis Judæis post captam Jerosolymam, Prophetæ Joel III. 4. 5. & Ezechiel XXV. 2. iisdem populis exprobrarunt.

Neque perfidus populus sive divinam ultionem, sive furorem Nabuchodonosoris his artibus effugit. Gnarus enim Nabuchodonosor, quid secreto Tyrii cum Sedecia conspirassent, confecta Judaica expeditione, Tyriam suscepit. Erat Tyrus tunc temporis Urbs totius Orientis instructissima simul & florentissima, opibus referta, atque omnium etiam remotissimarum Provinciarum Emporium. Omnes populos eo ad nundinas venientes, mercesque sive comportantes sive ementes, Ezechiel suse dinumerat. Ithobal, penes quem summa rerum potestas erat (12). Rex ditissimus, & omnium facile Principum magnificentiam superans, ceu Numen in medio Urbis & commercii sui suspiciebatur. Mercatores vero Tyrios veluti totidem Principes diaissrs (13).

Nabuchodonosor itaque exercitu Tyrum ducto, Urbem corona cinxit, ubi & XIII. annorum patientia fletit (14); plura enim incommoda subeunda erant, ut ad Urbis, in medio maris constitutæ, mœnia exercitus succederet. S. Hieronymus tradit in Ezechielem, & ipse tandem Ezechiel c. XXIX. 18. innuit, Tyrios, cum in potestatem Chaldæorum venturos se tandem intelligerent, pretiosissimis quibusque in naves impositis alio fugisse. *Ait Dominus ad me: Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti; & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus, & erit merces exercitui illius, & operi, quo servivit adversus eam; dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.*

Armorum Nabuchodonosoris in Phœnices movendorum in causa fuisse defectionem Satrapæ cujusdam, præfectura ejus Provinciæ a Rege donati, Berosus est author (15). Nec aliam innuere videtur Jeremias cap. XXVIII. 3. narrans, eum missi a Rege Tyri Legati ad Sedeciam, ineundo cum illo fœderi, venissent, Deum Prophetæ imperasse, ut singulis Legatos [plures enim a pluribus Principibus missi aderant] singulis jugis donaret, & simul adderet, jugum ferre illos dominationis Chaldæorum: quod si recusarent, scirent, sese redactum iri in captivitatem & servitutem. Regibus Tyri & Sidonis (16) propinavit calicem iræ Domini, ex quo ad ebrietatem usque bibere cogebat. Quem igitur Berosus Satrapam appellat, Jeremias, pro Judæorum more, Regem nominat.

Narrat igitur Berosus, Satrapam illum, Præfectura Phœniciæ, Ægypti, & Syriæ potientem, cum a fide descivisset, exercitum in se Chaldæorum, a Nabopolassaro Rege missum, & a Nabuchodonosore ejus filio ductum, concitasse. Commisso prælio, Satrapa in ordinem redactus, Provinciæ a fide abductæ, sub jugum rediere. Inter hæc Nabopolassar diem claudens, Regnum filio reliquit; qui, rebus per Phœniciam & Ægyptum compositis, statim se Babylonem contulit, amicis mandato oneratis, ut captivos Judæos, Syrios, Phœnices, & Ægyptios in Babyloniam, una cum victore exercitu, reducerent. Non absimile vero judicamus, Satrapam illum, sive Regem adhuc in nova Tyro rerum esse potitum; nisi forte bellum ab Authore descriptum idem fuerit, ac illud in Regem Tyri susceptum, de quo Ezechiel.

Extra controversiam positum est, Nabuchodonosorem, jam Chaldææ Regno potientem, arma & in Sedeciam, & in Tyrum movisse. Vaticinatus fuerat Isaias XXIII. 15. 16. 17. Tyrum in longa oblivione LXX. annorum futuram, mox restituendam. Hujus tamen oraculum ita semper intelligendum censeo, ut eversionem veteris Tyri in continenti positæ, e regione novæ Tyri in Insula constitutæ, designet; Tyro enim novæ suos Reges etiam post expeditionem Nabuchodonosoris mansisse, ex Annalibus Tyriis intelligimus (17).

Tyrus nova satis instructa erat Urbs, longe tamen minori gloria quam prius, cum Esdras & Nehemias Judæam repetierunt (18). Zacharias cap. IX. 2. tanquam Urbem potentissimam & validiorem ditioremque in dies exhibet: *Ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum*, simul vero ultionem Domini in illam nuncians, evertendam, delendam, & in cinerem redigendam esse minitatur. Paria in illam vaticinia veteres Prophetæ ediderant (19). Utraque Tyrus suam calicis hujus Domini portionem hausit, nam alia vaticinia Salmanasar & Nabuchodonosor; alia vero Alexander Magnus implevit. Justinus libro XVIII. author est Tyrios, post diuturnum bellum a Persis illatum, viribus & copiis exhaustos, desciscentium mancipiorum furorem expertos esse, a quibus trucidati cives, Strato, vir e genere Regio, novus Rex impositus fuit. Hujus historiæ certum tempus latet.

Antiocho Epiphane in Judæos sæviente, Tyrios, sociatis cum cæteris hostibus Judaici nominis viribus, Israeliticam regionem invasisse legimus I. Macch. V. 15. & Josephus contra Appion. lib. I. generatim animadvertit eas gentes, pessime semper erga Judæos affectas, odii sui argumenta plurima pro data occasione exhibuisse. Sub Antigono Rege Asiæ, duodeviginti annis ab Alexandri obitu, novam ea Urbs obsidionem XV. mensium spatio toleravit (20). Post Antiochum Epiphanem, res Tyriorum nullam habuerunt cum Hebræis necessitudinem; quare ab illis abstinemus, rati, satis esse ad illustrandos Prophetas eam historiam huc usque deduxisse.

Sidon urbs Tyro vetustior [cujus est apud Homerum mentio (21), apud quem nihil de Tyro] conditorem habuit Sidonem, inter filios Chanaan natu maximum (22); & Tribui Aser, dante Josue (23), quamvis nunquam ea potiti fuerint, in partes cessit. Tyrus, filia licet vel colonia Sidonis, multo quam illa longo temporis spatio gloriosior fuit; quod illa graviter ferre visa, bellum in æmulam intulit, Salmanasaro insuper, cujus sese ditioni adjunxerat, in illam provocato. Prostratam denique vidit sub Nabuchodonosore, qua de re gestienti Isaias c. XXIII. 4. exprobrat: *Erubesce, Sidon, ait enim mare, fortitudo maris* [nempe divitiæ] *dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines*; ac si diceret: Populi, quorum nulla est cum Urbe necessitudo, ejus vices dolent; tu ve-

[11] Jerem. XXV. 22. XXVII. 3. [12] Philostrat. apud Joseph. Antiq. lib. 10. cap. 11. & contra Appion. lib. 1. pag. 1046. [13] Vide Ezech. XXVI. XXVII. XXVIII. [14] Philostrat. loc. cit. [15] Beros. lib. 3. Rerum Chald. apud Joseph. Antiqu. lib. 10. cap. 11. [16] Jerem. XXV. 22. [17] Annal. Tyrior. apud Joseph. lib. 1. cont. Appion. p. 1046. Vide nos in Ezech. XXV. 5. 14. [18] 1. Esdr. III. 7. & 2. Esdr. XIII. 16. [19] Vide Isai. XXIII. Jerem. XXVII. 47. Ezech. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. [20] Diodor. Ann. 2. Olymp. 116. [21] Homer. Iliad. VI. v. 743. & lib. XXIII. v. 289. Odyss. lib. IV. v. 54. lib. XV. v. 114. [22] Genes. X. 15. [23] Josue XIX. 28.

ro, Sidon, mater & nutrix, filiæ tuæ ærumnas siccis oculis aspicis?

Rex Sidonis, una cum Tyriis, Ægyptiis, Moabitis, & Ammonitis, legatos suos ad Sedeciam miserat, ut ad ineundum secum fœdus in Nabuchodonosorem Regem Chaldææ sollicitaret (24) Singulos illos Jeremias cap. xxv. 22. jugo & catena, tum calice iræ Domini donavit; quibus futura sub Chaldæis captivitas illorum designabatur (25). Post captam Tyrum, Sidon gravioribus conditionibus asperum jugum Babyloniæ Regum subivit (26).

Apries, qui post Psammim in Ægypto regnavit, [ipsissimus est Pharao Vaphræus Jeremiæ xliv. 4.] referente Herodoto lib. 2. cap. 161. in Phœnices, Tyrios, & Sidonios bellum intulit: utrum ante obsessam a Nabuchodonosore Tyrum, subjectamque armis ejusdem Principis Sidonem, incertum. Victis prostratisque Judæis insultasse Sidonios, Joel cap. iii. 4. gravioribus verbis exprobrat, & Ezechiel xxviii. 24. Nec Deus insultantibus pepercit; jugo enim Chaldæorum prius oppressit, deinde Persarum; quamquam late in illos Prophetarum minæ (27) nonnisi post plurium sæculorum seriem omnino expletæ sunt.

Sub Artaxerxe Ocho Rege Persarum, sævissimam Satraparum Persicorum Præfecturam non ferentes Sidonii, icto clam cum Nectanebo Rege Ægypti fœdere, in apertam defectionem eruperunt (28). Quare instructa ingenti classe, apprehensum Præsidem ad supplicium fœde rapuerunt; tum cæsis Regiorum hortorum arboribus, congestum e regionibus equorum pabulum injecta flamma absumpserunt. Malo in ipsa sua origine extinguendo, propinquiores Syriæ & Ciliciæ Satrapæ accurrerunt; sed prælio victi a Tenne Rege Sidonis, terga vertere coacti sunt. Tandem Artaxerxes ipse cum ccc. millibus peditum & xxx. millibus equitum, instructa insuper classe ccc. navium, adjectis o. onerariis, Sidonem mari terraque aggressurus venit.

Neque Sidonii sive ad legendas copias, sive ad se defendendos segniores fuerant, sed proditione Regis Ducisque sui tradita Artaxerxi Urbe, factum est, ut Principis clementiam implorare cogerentur. Quare missi ad eam rem o. Legati, supplici habitu & olearum ramos in manibus tenentes, vix in conspectum Regis venerant, cum jussu illius a sagittariis confossi omnes perierunt.

Ante quam Persarum exercitus venisset, Sidonii ultro naves suas cremaverant, omnem sibi fugæ spem præripere volentes. Quare ad ultimas angustias adducti, execrandum ab extrema desperatione consilium ceperunt; nam domi una cum fœminis & liberis clausi, sponte injecto igne omnes perierunt. In eo incendio absumpta amplius hominum millia quadraginta qua ingenuorum, qua mancipiorum, ferunt. Ita sua fides Prophetarum vaticiniis stetit.

Erexit nihilo secius caput, languidum licet; cum enim Alexander Magnus expeditionem Phœniciæ suscepisset, adhuc existebat; statimque se Regi submittentem Rex ipse humaniter & benigne excepit. Pluribus tamen deinde post sæculis factum est, ut post multas vices, tandem Tyrus & Sidon ad eum statum, qualem jam inde a pluribus sæculis scimus; redigerentur, nempe sine nomine, sine authoritate viribusque, propriis ruinis sepultæ: *Dabo te in limpidissimam petram; siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra; quia ego loquutus sum, ait Dominus Deus*. Ezech. xxvi. 14.

ARTICULUS III.

De Idumæis.

IDumæos genus ab Esau vel Edom fratre Jacobi & filio Isaaci ducere, tam notum est, quam quid aliud. Primæ gentis sedes in montibus Sehir, ad meridiem Maris mortui & Jordanis; deinde in subjecta Palæstinæ arva ad meridiem Maris mortui descendentes, locum intra ditionem Juda & Arabiam Petræam occuparunt. Duas enim Idumæorum regiones distinguere opus est, ut varia Scripturæ loca concilientur (1).

Imperium populi primo Duces, sive Principes, deinde Reges habuerunt, quorum longam jam seriem numerabant, quo tempore primus Israelitarum Rex Saul post Samuelem constitutus est Gen. xxvi. 21. Veteres simultates inter Esau & Jacobum, reum furto sublatæ benedictionis Isaaci parentis, in posteros etiam magis magisque auctæ hæreditario jure transierunt. Cum Hebræi iter haberent per desertum, ne precario quidem transitum, pretio etiam pro commeatibus promisso, ab Idumæis impetrare potuerunt Numer. xx. 14. Quare circumducere iter per regionem Moab & Madian, ut in Chananitidem tandem ingrederentur, coacti sunt (2); armis enim iter per Idumæam sternere, a Deo prohibebantur.

Excurrentes ditionem Juda Idumæos Saul non oppressit quidem, sed in ordinem tantum redegit (3). David armis subactos, incertum qua de causa, facile tamen quod Ammonitis in Davidem bellantibus faverint, vectigales fecit (4). Ita sua fides vaticinio de Jacobo: *Major serviet minori*. Gen. xxv. 23.

Nec diu quieti mansere Idumæi, sub exitum Regni Salomonis res novas moliti; Adad enim, e Regio Idumæorum sanguine, qui, vastata regione a Joabo duce exercitus Davidis, in Ægyptum infans translatus fuerat, Adad, inquam, labente Regno Salomonis, in suam provinciam regressus, Regem se salutari curavit 3. Reg. xi. 14. Quod ego præstitisse credo in Idumæa Orientali ad montes Galaad; cæteri enim Idumæi, ad meridiem Palæstinæ in obsequio Regum Juda usque ad Joramum filium Josaphati manserunt, 2. Par. xxi. 8. 9.

Joram armis illos reducere conatus est; frustra tamen. Amasias, filius Joas Regis Juda, æquiorem in illos fortunam expertus, prælio decem millia illorum cecidit, Petram, quam ille Jectael appellavit, post dejecta e rupe decem millia Idumæorum captivorum, occupavit, tum & sublatos ejus populi Deos ipse sibi Rex in Numina consecravit 2. Par. xxv. 14. 19. 20. Nullus tamen par tot victoriis successus fuit; semper enim Idumæi sui juris manserunt, simultatisque suæ in Judæos exercendæ nullam occasionem elabi passi sunt.

Sæve & inhumaniter bello captos Israelitas habuisse, tum & Idumæis hostibus vendidisse, Amos cap. i. 11. Philisthæis exprobrat. Idem etiam Propheta gravissimis castigat minis Idumæos, ausos gladium in Judæos fratres suos stringere. Ozias Rex Juda urbem Elat ad Mare rubrum ab illis occupatam recuperavit 4. Reg. xiv. 22. nec tamen diu tenuit; nam Rasin Rex Syriæ, pulsis Judæis, ditioni suæ illam adjecit 4. Reg. xvi. 6. Sub Achazo, Idumæi regionem Juda invadentes, sævissima odii sui monumenta reliquerunt 2. Par. xxviii. 17. Creduntur Sennacheribo inferenti in Ezechiam bello auxiliares copias duxisse (5); cujus inhumanitatis pœnas dare sub Assaradone, altero post Sennache-

[24] Jerem. xxvii. [25] Ezech. xxvii. [26] Ezech. xxviii. 21. Jerem. xlvii. 4. [27] Zach. ix. 2. 3. 4. Ezech. xxvi. [28] Diodor. Sicul. ad ann. 2. Olymp. 177. [1] Vide Gen. xxxii. 3. xxxiii. 1. 3. Reg. xi. 18. & facile Josue xi. 17. xii. 7. 2. Par. xx. 2. 10. 22. 23. Thren. iv. 25. Ezech. xxv. 5. xxxv. 2. 3. [2] Num. xxi. 4. Judic. xi. 17. [3] 1. Reg. xiv. 47. [4] 2. Reg. viii. 14. 3. Reg. xi. 15. [5] Herodot. lib. 2. cap. 141.

nacheribum Rege, ditionem eorum depopulato, coacti sunt (6). Una cum cæteris finitimis Judææ gentibus, victricia Holophernis arma senserunt. Judith III. 14.

Regnum ineunte Sedecia, Rex Edom Legatos suos Jerosolymam misarat (7), jugo & catena, futuræ sub Nabuchodonosore captivitatis emblemate, nisi ejus jugum sponte subiissent, a Jeremia donatos. Nequidquam tamen minante Propheta cap. xxv. 14. fœdus cum Sedecia strinxerunt; quamquam non belli tantum molem Hebræis postea reliquerunt; sed etiam arma cum Nabuchodonosore, Judaicam expeditionem aggresso, junxerunt; Regem in Judæos excitantes, ut Urbem totam penitus ad fundamenta usque subverteret (8).

Nec perfidiæ suæ pœnas vitarunt Idumæi, qui Nabuchodonosoris jugum una cum cæteris Judææ finitimis gentibus, quinquennio post captam Jerosolymam, subire coacti sunt (9).

Quamquam nihil luculentum legimus de Idumæis, una cum cæteris populis trans Euphratem a Nabuchodonosore translatis; quæ tamen a Prophetis de captivitate omnium populorum Judææ finitimorum, eorumque tandem post captivitatam libertate pronunciata sunt (10), hæc innuere videntur, communi cæterorum fato Idumæos implicitos fuisse. Nec tamen ita translatam gantem credimus, ut residuus in provinciæ nemo superfuerit; scimus enim, Idumæos plures e gladio victoris elapsos, sensim in plagam meridionalem Judææ irrepsisse, ut reduces e captivitate Judæi Idumæos invenerint, totum Meridionalem Judææ tractum occupantes, ab Hebrone secundum Arabiæ oras porrectum.

Viribus opibusque valebant plurimum, ut Judæis adversariis terrorem inducere possent, cum Malachias I. 4. ad Dominum diceret: *In quo dilexisti nos? nonne frater erat Esau Jacob?* [idest nonne Edom, non secus ac nos, regionem suam tenet?] Cui Dominus respondit: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui; & posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam; & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Quamvis enim Antiochus Epiphanes nihil in illos gravius egerit (11), cum in Judæos sæviret; nunquam tamen id impetrare potuarunt Idumæi, ut pristina libertate recuperata, Reges sibi & Principes imponerent. Nunquam non Dominos Ægyptios vel Syros passi sunt, ac tandem, quod tantopere horrebant, Hebræorum jugum subierunt, ut sua fides priscis Oraculis maneret.

Judas Macchabæus, bello gentem aggressus, non semel fregit (12); quæ ab illo prospere suscepta expeditio, a Joanne Hircano tandem, domitis Idumæis atque ad circumcisionem adactis, confecta est. In fide manserunt usque ad eversionem Urbis, gentisque Judaicæ dispersionam. Cum ultimæ obsidione premeretur Jerosolyma, accurrentes Idumæi (13), arma sumpserunt pro conservanda urbis libertate, quam veluti Metropolim totius generis Abrahami suspiciebant. Ita nihil desideratum est vaticiniis Isaaci (14), & Balaam (15), quæ Jacobum dominaturum ipsi Esau pollicebantur; sicut etiam Oraculis Prophetarum Isaiæ, Amos, Jeremiæ, Abdiæ, Ezechielis, quæ evertendam penitus regionem, ita ut nomen ipsum extingueretur, prænunciarunt: omnia sane hæc post plurium sæculorum seriem luculentissime impleta esse constat.

ARTICULUS IV.

De Ammonitis & Moabitis.

GEntium semper in S. Scriptura conjunctarum, quibus communia omnia, origo, regio, bella, vices, ejusdem articuli fœdere historiam jungimus. Ex incesto concubitu Lothi cum geminis filiabus derivatus esse ambos, exploratissimum omnibus esse censeo (1). Sedem habebant ad Orientem Jordanis & Maris mortui, inter Arabes Scenitas ad Orientem, & Tribus Gad, & Ruben ad Occidentem. Olim, ante subjectam Israelitis Chanaanitidem, satis amplam regionis Ammoniticæ & Moabiticæ partem Amorrhæi occupaverant (2). Hanc Hebræi, pulsis Ammorrhæis, jure armorum subegerunt, ex quo illud utriusque gentis odium, quod subinde non modico incendio exarsit in Hebræos.

Altera etiam odii origo derivata est ex impio Balaami consilio, quo immissæ filiæ Moab in Hebræos, populum ad flagitia & idololatriam pellexerunt (3). Ad hæc, Moab Hebræos transitum poscentes non modo inurbane rejecit, sed & panem & aquam pretio sibi petentes, in extrema annonæ inopia, vacuos remisit. Cujus inhumanitatis merito cavit Deus, ne Ammonitæ & Moabitæ unquam usque ad decimam ætatem in cœtum populi reciperentur. Deut. XXIII. 3.

Eglon Rex Moab, junctis armis eum Ammonitis, inter primos post obitum Josue Israelitis restitit, quos tamen, occiso Eglone, Aod filius Jeræ oppressione levavit. Israel, sumptis in Moabitas armis, commisso prælio, centum millibus cæsis, pacem regioni LXXX. annorum spatio restituit (4). Tum Ammonitæ, receptis animis, jugum Tribubus transjordanis imposuerunt, quin & opibus suis freti, recuperare universam regionem suam, ab Amorrhæis prius, deinde a Moyse occupatam, aggressi sunt. Ut eorum conatibus resisteret Jephte, a populo Dux electus, non ea tantum, quæ Moyses olim jure armorum vindicaverat, rata jussit haberi, sed commisso cum Ammonitis prælio, victos fractosque magna regionis suæ parte spoliavit.

Naas, Rex Ammonitarum (5), viribus suis abusus, aliquanto post populos trans Jordanem vectigales habuit. Jugum etiam imponere civibus Jabes Galaad tentavit; tantaque superbia & crudelitate usus est, ut pacem suppliciter petentes non alio responso remiserit, quam daturum se ea conditione, si effosso dextro oculo, quod & supplicii fuisset intolerabilis & probri nunquam delendi, emerent. Animis ad hæc desponderunt Galaaditæ: opem a Saule, Regnum tum primo ineunte, imploraturi venerunt. Saul afflictis succurrendum ratus, raptim collectis copiis, Ammonitas insequutus est; eosque incautos assequutus, fregit fugavitque, liberata simul ingenti metu Urbe: quare toto ejus Regni tempore quieta omnia ab Ammonitis manserunt (6).

David, quo tempore Saulem habebat infestum, imminentem capiti suo procellam vitaturus, in Ammonitidem & Moabitidem aufugerat; quos populos æquos adeo nactus est, ut asylum apud illos familiæ suæ universæ adversus Saulis sævitiam obtinuerit (7). Mansit apud illum accepti

(6) Isai. XXI. 11. 12. 13. XXXIV. 1. (7) Jerem. XXVIII. 3. (8) Psalm. CXXXVI. 7. Thren. IV. 21. 22. Abd. ℣. 11. Ezech. XXV. 12. Jerem. XLI. 6. LIX. 7. (9) Abd. 1. Jerem. LIX. 7. 10. 20. IX. 26. Ezech. XXV. 14. Joseph. Antiqu. lib. X. cap. 11. (10) Jerem. XII. 14. 15. 16. XXV. 1. &c. XXVII. 7. L. 16. (11) Dan. XI. 4. (12) Isai. XXIII. 1. 1. Macch. V. 3. 4. 2. Macch. X. 14. Joseph. Antiq. lib. XI. cap. XI. Idem lib. XIII. c. 17. p. 450. (13) De bello Jud. c. 6. (14) Gen. XXV. 23. (15) Num. XXIV. 15. (1) Gen. XIX. 37. 38. (2) Judic. XI. 13. (3) Num. XXV. 3. 2. XXI. 25. (4) Judic. III. 12. &c. Jud. XI. 1. 2. &c. (5) 1. Reg. XI. 11. (6) 1. Reg. XIV. 47. (7) 1. Reg. XXIII. 2. 3. 4.

ex Rege Ammonitarum beneficii memoria; illo enim fatis functo, Legatos ad Hanonem Regem Ammonitarum ejus filium misit, tum dolorem de morte patris solaturus, tum initum ab eo Regnum illi gratulaturus (8). Hanon malis consiliis suorum occupatus, non Legatos se accipere, sed exploratores ratus, inclementer adeo viros excepit, ut scissis vestium laciniis, tonsaque barba remiserit. Quam injuriam ulturus David, bello in Ammonitas indicto, Rabbath urbem eorum Metropolim expugnavit, ac pluribus affectos cladibus regione universa spoliavit. Manserunt in obsequio Ammonitæ & Moabitæ usque post obitum Salomonis. Demum rerum potiente Roboamo, & excusso a decem Tribubus jugo domus Davidicæ, Ammonitæ & Moabitæ Regibus Israelis usque ad obitum Achabi cesserunt. 2. Reg. xxviii. a. 4. Reg. i. 1.

Ochozias, post Achabum Rex, redigendis in fidem populis imparem se novit; sed Joram, Achabi filius, & frater Ochoziæ, rerum potitus, junctis cum Rege Juda & Edom armis, expeditionem in illos suscepit (9). Iter per desertum Idumææ habebant; sed cum septem diebus processissent, aquarum penuria laborare exercitus cœpit. Afflictis forte Elisæus affuit, qui Domini verbis fodere canales & fossas in eadem valle jussit, mane aquis implendas. Adjecit insuper, Dominum manibus illorum Moabitas permissurum. Dictis sua fides; mane etenim Moabitæ venientes, aquas, quæ rubræ longe intuentibus ob radios orientis Solis videbantur, spectantes, ratique tres Reges simul congressos & in mutuam cædem corruentes, aquas sanguine suo cruentasse, nihil ulterius dispicientes, solutis ordinibus veluti ad legenda spolia procurrerunt; sed in hostes inopinatu incidentes, palantes confusique terga insistentibus cædentibusque vertere coacti sunt.

Alterum sub Josapbato Rege Juda in Moabitas bellum susceptum est, quod jam narrato præcessit (10). Cum Ammonitæ, Moabitæ, & Idumæi, Judæam iovadentes, ad Engaddi usque processissent, Josaphat unius Dei ope fretus, instructam aciem in illos duxit. Vix in conspectum hostium venerat, cum illi inopinato terrore perculsi, nullo impellante, terga dederunt adeo effuse, ut incruentam victoriam largamque Judæis prædam reliquerint.

Moabitæ igitur & Ammonitæ, uti supra demonstravimus, in ditionem Regum Israelis concedentes, easdem cum illis vices subierunt. Teglatphalassarum & Salmanassarum iniquissimos experti sunt: quæ mala a Salmanassaro inferenda spectasse creditur Isaias, iisdem populis malum post triennium illis subeundum prænuncians cap. xv. Hæc Salmanassari procella in Sytiam & in terram Israelis deturbata, aliquot ante postramam Samariæ obsidionem annis contigit.

Benadad & Hazael Reges Syriæ Urbem Ramoth Galaad, frustra a Joramo Rege Israelis & Achabo propugnatam subegerant. Ejus belli historia latet; sed ex Amos i. 13. intelligimus, Ammonitas & Moabitas, oblatam eam occasionem nactos, ut jugum Israelis excuterent, atque pristini in populum Dei odii documenta exhiberent, nihil reliqui ad crudelitatem fecisse, ut vel ipso fœminarum utero dissecto, fœtum extinguerent. Vitio etiam Moabitis vertit idem Propheta, quod Regem Idumææ igne cremaverint, quo spectatum creditur sacrificium a Rege Moab de filio Regis Idumææ, cum armis trium Regum pressus, in ultimas angustias devenit. Vide 4. Reg. iii. 27.

Bella vero & calamitates, quas Moabitis & Ammonitis inferendas Amos prænuntiaverat, ipsissimas credimus, quibus Ozias, & Joathan Reges Juda (11), vel Salmanasar, de quibus supra, vel saltem quibus Nabuchodonosor quinquennio post captam Jerosolymam (12), eos afflixit.

Post transmigrationem Tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manasse transjordanicæ, Ammon & Moab veterem ditionem suam ab illis relictam receperunt. Gravioribus verbis illos Jeremias cap. ii. 1. castigat, ultionem Domini minitatus, quam facile Holophernes intulit, cum ex Juditha v. 2. vii. 8. intelligamus, Imperatorem illum post aliquod tempus utrumque populum subegisse.

Legati Ammonitarum & Moabitarum cum cæteris jugo & catena donati sunt a Jeremia xxvii. 2. 3. 4. adjecto simul calice iræ Dei (13): moniti sunt insuper, ut quantocius deditionem Nabuchodonosori facerent; ni parerent, servitute & captivitate multandi. Monitis Prophetæ neglectis, fœdus cum Rege Juda, Ægypti, Tyri, Sidonis, & Edom in Chaldæos inierunt. Sed cum versam in Judæos belli molem, ac prope opprimendos vidissent, Sociorum mala negligere non tantum, sed etiam insultare afflictis ausi sunt (14). Id indigne ferens Dominus, eumdem Nabuchodonosorem immisit, qui versis in illos armis, captivos trans Euphratem duxit. Eam transmigrationem sæpius Prophetarum oraculis (15), & captivitate soluta in patriam regressum, prænunciatam novimus. Sed paulo altius res est repetenda (16).

Cum Nabuchodonosor exercitum in Sedeciam aliosque fœderatos Reges ducere decrevisset, illum in ipso itineris ineundi articulo deliberasse legimus (17), utrum recta Jerosolymam, an Rabbath Metropolim Ammonitarum contenderet. Ut Jerosolymam præponeret, virgarum e pharetra eductarum sors fluctuantem animum impulit. Cum obsidione urbs premeretur, plures Judæi in Ammonitidem sese receperunt, tamquam apud fœderatum & amicum populum tutum præsidium habituri. Hujus rei vadem damus Jeremiam (18); quo authore etiam intelligimus, necessitudinem quamdam inter utrumque populum intercessisse. Neque testimonio Ezechielis, gaudium de ærumnis Judæorum & excidio Templi Ammonitis exprobrantis, hæc omnia repugnant. Utrumque enim contingere potuit, ut aliis insultantibus, alii afflictis suppetias ferrent.

Credimus noo inviti, potissimam arma ferendi in Ammonitas eosque opprimendi, Nabuchodonosori causam dedisse perfidiam Regis Ammonitarum in Godoliam, & Chaldæos, quos Nabuchodonosor in Judæa post captam Urbem Metropolim reliquerat. Sed ultionem quinquennio a capta Urbe differre coactus est, quemadmodum ex Josepho Antiq. lib. x. cap. 11. intelligimus.

Persuasum habemus, Cyrum, libertate utrique genti restituta, eodem, quo Israelitas cæterosque finitimos populos, beneficio in possessionem regionis fnæ Ammonitas & Moabitas immisisse. Scimus enim, post ea tempora Moabitas & Ammonitas pomeria sua in dies dilatasse, Urbes munitionibus auxisse, eo plane incremento, quo res Israelitarum crevisse spectamus. Tandem Regibus Persarum subjectos, iisdemque Satrapis, quibus Syria & Palæstina, commissos legimus. Is rerum status usque ad Alexandrum Magnum, cui serviere, permansit. Eo fatis functo, in Regnum Ægypti partes, deinde Regum Syriæ, concesserunt. Antiochus Magnus Rabbath Urbem illorum Metropolim mœnibus exutam, valido præsidio imposito, ditioni suæ adjecit (19).

In persecutione Antiochi Epiphanis tuta illis omnia

(8) 2. Reg. x. 1. 2. 3. &c. (9) 4. Reg. iii. 4. &c. (10) 2. Par. xx. 1. 2. Psalm. lxxxii. 7. (11) 2. Par. xxvi. 7. 8. xxvii. 5. (12) Joseph. Antiq. lib. 10. cap. 11. (13) Jerem. xxv. 14. (14) Ezech. xxv. 3. 6. Jerem. xxv. 14. Soph. ii. 8. 9. (15) Jerem. ix. 26. xii. 14. 15. 16. xxv. 11. 12. xlviii. (16) Jerem. xlviii. 47. 2. 3. 6. 39. l. 10. (17) Ezech. xxi. 20. 21. (18) Jerem. xl. 11. xli. 10. 15. (19) Polyb. lib. 5.

omnia fuerunt (aa), sive quod impiis ejus mandatis morem ultro gesserint, sive quod diu antea Græcorum religionem adsciverint, sive tandem illos cogendi Regi opportunitas defuerit. Inter hæc, Ammonitæ in Judæos, montes Galaad tenentes, pristini odii exercendi occasionem oblatam excepere (as). Illis in ordinem redigendis Judas Macchabæus movit, pluribusque urbibus spoliavit, nonnullos perdidit, magnam captivorum Israelitarum copiam in libertatem asseruit. Quid deinde utrique populo contigerit, historia silente ignoramus; quamquam extra controversiam positum est, Asmonæos Principes, ipsumque tandem Herodem regionem transjordanam usque ad montes Galaad obsequentem habuisse.

ARTICULUS V.

De Syris Damascenis.

Natua e Semo Aram, incolas Syriæ & Mesopotamiæ posteros habuit. Gen. x. 22. Nos historiam claudimus intra Syros Damascenos, idest, intra veteris Regni Damasci fines, quod regio esset Palæstinæ propinquior, ejusque gentis res magis ad Judæos spectarent, & frequentior de illis apud Prophetas mentio contingat.

Damascus, urbs ipsa jam Abrahami ætate amplitudine & gloria celebris. Non defuerunt, qui post *Damascum* illius authorem, eumdem Patriarcham ibi regnasse crediderint (1). Josephus Antiqu. l. 1. c. 7. conditam urbem ab Hus filio Aram natu majore testatur. Nihil de illa, nec de ejus legibus in Libris Sacris, usque ad Regnum Davidis. Cum hic expeditionem in Adarezer Regem Syriæ Soba suscepisset, Adad Rex Damasci fœderatis Syriis auxiliares copias duxit; utrosque vero ingenti victoria Judæus fregit 2. Reg. viii. 4. 5. Hunc primum Damasci titulum Regis usurpasse, post Nicolaum Damascenum gentis suæ historicum & Herodi coævum Josephus testatur (2).

Mansit igitur Damascus in obsequio Israelitarum sub Davide & Salomone. Sed facta decem Tribuum a Juda secessione, cum Urbs esset a ditione Roboami remotior, simulque turbarum Regni Israelitici opportuna ipsi præberetur occasio, excusso dominationis Hebraicæ jugo, pristinam libertatem recepit. Legimus 3. Reg. xi. 23. &c. labentibus Salomonis annis Deum adversarium in eum Regem suscitasse Razin filium Eliadæ, qui adbibita prædonum manu a Damascenis exceptus, & in Regem salutatus, ditionem Salomonis prius, deinde Israelitici Regni excurrit.

Asa Rex Juda, infestum sibi Regnoque Basam Regem Israelis pulsurus, Benadad filium Tabremonis Regis Damasci, multo auro a fœdere cum Basa divulsum, in ejus ditionem immisit 3. Reg. xv. 18. Diu post, Benadad validissimum exercitum ex xxxii. fœderatorum sibi Regum copiis in Samariam ejusque Regem Achabum duxit. Achab viribus ad resistendum impar, hosti imperanti tradere aurum, argentum, uxores, filias, censuit parendum. Sed Rex Syriæ his non contentus, nuociandum Israelitis præcepit: *Cras hac eadem hora, mittam servos meos ad te: & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum; & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, & auferent.*

Achab hostis dolum sentiens, a quo captivitas sibi immineret, de suorum consilio sustinendam obsidionem bellique eventum operiendum statuit. Arcta igitur corona Urbe cincta, res ad summas annonæ angustias devenerat. Quare Achab animo despondens, cum tristia sibi omnia jam ominaretur, a Propheta quodam spe certæ victoriæ recreatus est. Nec vana nunciavit oraculum; nam Benadad ejusque exercitus victus fugatusque terga dare coactus est. Proximo tamen anno, iterum Benadad ad priora studia 3. Reg. xx. 18. suspicatusque Deum Hebræorum in montibus valere, in agro confligere statuit. Igitur Rex Israelis ad Aphec in Syriam usque progressus, consertis cum Syro manibus, c. millibus hostium cæsis, & Rege Benadad capto, insignem victoriam retulit. Intempestiva Deoque invisa in victos clementia Achab usus est; contentus enim exegisse ab hostibus Urbes Israeliticas, jam ab ipsis occupatas, simulque ut vicos quosdam Israelitis in Urbe Damasci permitterent, quemadmodum suos habebant Syri in Urbe Samariæ, nihil ulterius quæsivit. Damnare se Regis factum, Deus per Prophetam quemdam significavit, simul nuncians, ejus vita rependendam fore vitam Benadado permissam.

Solutus igitur captivitate Benadad, Urbem Ramoth Galaad cæterasque, quas antea se restituturum promiserat, retinuit. Armis recipere Achabus, viribus cum Josaphato Rege Juda conjunctis, aggressus est. Mandaverat Syrus, ut in Regem Israelis tota belli moles verteretur, curareturque ut quacumque demum ratione vivus, vel saltem mortuus in potestatem veniret. Monitus ea de re Achab, mutatis vestibus, se cæteris miscuit, rogans Josaphatum, ut ipse ducem Regiis insignibus exercitui universo se præberet. Tota igitur belli vis in Josaphatum, quem Israelis Regem credebant, versa est; qui ad ultimas angustias redactus, edito clamore agnitus hostes alio avertit. Tum jacta fortuito casu sagitta, quem hostes frustra quærebant, Achab vulneratus est, atque ad lethum confossus, ejusdem diei vespere interiit 3. Reg. xxii.

Post aliquot annos, Benadad expeditionem in Joramum filium ac successorem Achabi, suscepit 4. Reg. vi. 8. 9. Sed Eliseo consilia omnia & insidias hostis Regis Joramo aperiente, Benadad proditum se intelligens, Prophetam in suam potestatem reducere tentavit. Missas ad eam rem copias Eliseus cæcitate primum percussit, deinde incautos in mediam Samariam adducens, sublato ex oculis velo, proprium periculum intueri jussit: tum pastos refectosque liberos abire permisit. Successit deinde mœnibus Samariæ cum exercitu Benadad 4. Reg. vi. 24. 25. &c. nec diu post ea annonæ caritate urbs laboravit, ut mater quædam fame efferata filium suum mactare, atque in cibum sibi parare cogeretur. Rex Israelis in ultimam desperationem adactus, ad Prophetam Eliseum, causam omnium malorum, ut ipse quidem rebatur, domi occidendum misit; sed paulo post præcipiti consilio revocato, ipse ad inhibendam sententiam festinavit. Gnarus omnium Eliseus, domi una cum senioribus populi sese continebat; ad quem cum Joram venisset, audivit, mane sequentis diei in tantam annonæ vilitatem Urbem venturam, ut mensura farinæ frumenti, & duæ hordei siclo venderentur; quin & hostium metu Urbem liberam fore. Nec vana nunciavit; nam intempesta nocte Syri, inopino terrore occupati, fuga sese præripuerunt, castris & præda omni relictis 4. Reg. vii. 6.

Cum Eliseus Damascum venisset, Regem Benadad morbo laborantem nactus est; ad quem statim Hazael unus ex Optimatibus ab ipso Rege missus, ipsum de ejus valetudine consuluit. Vix in conspectum Hazael venit, eum obortis prius lacrymis nunciavit, Regem quidem eo morbo non perimendum, quamvis alioqui periturum sciret. Adjecit vero ejus loco ipsum Hazaelem regnaturum, a quo plurima inferenda essent Israelitis mala. Hazael incolumitatem Regi Prophetæ nomine nunciavit; sed mane alterius diei ipse ma-

(aa) Dan. xi. 41. (as) 1. Macch. v. 6. . . . 45. Antiq. lib. 12. cap. 12. (1) Justin. lib. 36
(2) Joseph. Antiq. lib. 7. cap. 6. Nicol. Damasc. lib. 4. Historiæ, apud Joseph. ibid.

dida eulcitra, ori Regis adstricta, spiritum decumbentis interelusit. Regnum deinde invasit.

Sed cordi erat Joramo expeditio in Ramoth Galaad, a Syris jam occupatam. Quare propius ad Urbem exercitu adducto, cum illam oppugnare aggrederetur, vulnus lethale retulit. Igitur Samariam curationis gratia delatus, Optimates suos in arcis obsidione reliquit. Interea Jehu, exercitus pro Joramo Imperator, clam in Regem manu Prophetæ ab Elisæo missi inunctus est (3); totumque demum arcanum eum amicis communicans, statim ab illis & reliquo exercitu in Regem salutatur. Novus igitur Rex, reducto ab obsidione exercitu, in Joramum processit, qui una cum Rege Juda & Prophetis Baal nece sublatus est.

Cum Jehu ad confirmandum sibi Regnum curas verteret, Hazael Rex Syriæ variis præliis Israelitas affligebat (4). Processerat usque Geth urbem Philisthæorum, cum obsidendæ Jerosolymæ consilium inivit. Præsentissimo periculo declinando, Joas Rex Juda quidquid auri argentique in Sacris & Regiis ærariis invenit, ad hostes misit (5). Benadad, filius Hazaelis, patria consilia sequutus, felicibus præliis cum Regibus Juda & Israelis conflixit (6): sed illum triplici victoria ad restituendas Urbes patri suo captas Joas filius Joachaz Rex Israelis adegit. Eadem in Regem Syriæ fortuna Jeroboam II. usus est; nam capta Damasco & Emath, potissimis regionis Urbibus, Regno Israelitico, quales olim sub Davide obtinebant, limites restituit (7).

Post obitum Jeroboami II. res Israelis prope ad exitum turbatæ sunt; qua opportunitate capta, Syri Damasceni cervicem erexerunt. Razin, titulo Regis usurpato, initoque fœdere cum Phacee, Regni Israelis invasore, ditionem Juda sub Regibus Joathano & Achazo sævissime excurrit (8). Impar ad resistendum Achaz, auxiliares copias a Theglatphalassaro Assyriæ Rege postulavit (9); rogavitque ut Damascenam ditionem invadens, hostes averteret. Rex igitur Assyriæ in Razin profectus, Damascum cepit evertitque, Regem neci tradidit, Syros trans Euphatem captivos traduxit. Ita Oraculis Isaiæ & Amos sua fides stetit (10).

Erexit iterum cervicem Damascus; urbs enim opportunissimo loco sita, incolis penitus deserta relinqui non poterat. Captam credimus a Sennacheribo, exercitum in Ezechiam ducente, ut Isaias, 1x. 9. innuit (11). Holophernes pariter tempore Manassis ditioni suæ illam adjecit (12). Mercatores Damasci ad Emporium Tyri venientes, paulo ante captam eam Urbem a Nabuchodonosore, Ezechiel, xxvii. 18. commemorat. Damascenos armis Nabuchodonosoris opprimendos, Jeremias (13) prædixit; a quo facile jure armorum coacti, uti & ceteræ regionis Urbes, jugum subiere. Soluta captivitate, novis malis opprimendos Zacharias ix. 1. prænunciavit: quod facile spectat futuram sub Ducibus Alexandri captivitatem (14). Ex eo tempore res Damascenorum a Judæis secretæ, quare nos historiæ hic modum imponimus.

(1) 4. Reg. viii. 28. 29. &c. & 4. Reg. ix. 1. 2. 3. 4. &c. (4) 4. Reg. x. 32. (5) 4. Reg. xii. 17. 2. Par. xxiv. 23. (6) 4. Reg. xiii. 3. 22. 25. (7) 4. Reg. xiv. 25. &c. (8) 4. Reg. xv. 47. (9) 4. Reg. xvi. 7. (10) Isai. vii. 4. 8. viii. 4. 2. 9. xvii. 1. x, 5. Amos 1. 3. 4. (11) Vide nos in Isai. xvii. 1. (12) Judith 5. 7. 11. 17. (13) Jerem. xxv. 9. 10. xxvii. 8. xlix. 23. 24. (14) Plur. in Alex. & Q. Curt. lib. 1.

COMMENTARIUS LITERALIS IN OSEE.

CAPUT PRIMUM.

Osee mulierem prostitutam ducit; natisque ex eo connubio liberis imponit nomina, quibus futura Dei providentia in populum & consilia prænunciantur. Vaticinia malorum, quæ manent Israelem. De reditu ejus oracula.

℣. 1. VErbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ,
Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas
regis Israel. 2. Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee:
sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum; quia fornicans for-
nicabitur terra a Domino. 3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & con-
cepit, & peperit ei filium. 4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezra-
hel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu,
& quiescere faciam regnum domus Israel. 5. Et in illa die conteram arcum Israel
in

in valle Jezrahel. 6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca no-
men ejus: Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel, sed
oblivione obliviscar eorum. 7. Et domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domi-
no Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, &
in equitibus. 8. Et ablactavit eam, quæ erat absque misericordia. Et concepit, &
peperit filium. 9. Et dixit: Voca nomen ejus: Non populus meus, quia vos non
populus meus, & ego non ero vester. 10. Et erit numerus filiorum Israel quasi
arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco, ubi di-
cetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis. 11. Et con-
gregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum, &
ascendent de terra: quia magnus dies Jezrahel.

℣. 1. AD OSEE FILIUM BAERI, IN DIEBUS OZIÆ, JOATHAN, ACHAZ, EZECHIÆ, REGUM JUDA, ET IN DIEBUS JEROBOAM FILII JOAS REGIS ISRAEL. Vaticinia sua inscribit Osee de nomine Prinpipum Juda & Israelis, sub quibus illa fudit, pro solemni Prophetarum more, qui ut oraculorum suorum veritatem adstruant, temporum adscriptiones addunt, ut vaticiniorum diu antea latorum fides cum ipso rerum eventu collata certior appareat. Degebat non in Regno quidem Juda, sed Israelis; at cum utriusque Regni futuras vices prænunciaverit, Regum pariter utriusque nomina exprimit (1). Jeroboamus, de quo hic, alius est a Rege, qui decem Tribus a domo Davidis sejunxit; est autem filius Joas, qui annis uno & quadraginta, ab anno 3179. usque ad 3220. regnavit (2). Veteres manuscripti Codices Latini in capite hujus Libri narrant, apud Hebræos sententiarum discrimen esse quoad priores quatuor versiculos, juxta illos, vel quoad primum, juxta Bibliorum nostrorum distributionem: ab aliis enim tribui Esdræ, qui inter minores Prophetas sub Malachiæ nomine duodecimus est; aliis vero persuasum esse, quod & probabilissimum reputamus (3), Prophetarum singulos Volumini oraculorum suorum titulos adjecisse.

℣. 2. PRINCIPIUM LOQUENDI DOMINO IN OSEE, cum Dominus verba facere cœpit ad Osee, ait, &c. vel ea nonnullis: Cum Dominus manifestum se facere cœpit, Osee allocutus est, & ait. Ac si Osee primus sit inter Prophetas, ut ante illum nemo fuerit; vel saltem prior ipse sit inter Prophetas, qui sub Regibus hic narratis divino alloquio digni habiti fuere (4). Feruntur enim Isaias, Joal, Amos, Abdias, & Jonas ætatis ejusdem fuisse ac Osee, qui diu, & sub pluribus Regibus vixit. Satis constar, primum esse omnium, qui oraculorum suorum volumina ad nos transmiserint.

SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM, ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM. Hebræus (5): *Accipe tibi uxorem fornicationum, & natos fornicationum*. Ducito mulierem prostitutam in uxorem, natosque e meretricio ipsius liberos in domum tuam admitte (6). Seu potius: Sume tibi mulierem, quæ meretrix fuerit, eamque conjugem adsciscito, natosque ex hoc connubio tuo liberos alo. Meretricium deseruit mulier statim ac Prophetæ nupsit: natique deinde ex ea liberi, legitimi erant & nihil labis e præterito matris flagitio referebant. Dum nomina inponit hominibus & rebus, minus spectat Scriptura ea, quæ actu sunt, quam ea, quæ antea fuerunt. Virgam Moysis, etiam in anguem conversam, virgam tamen semper appellat (7); & surdos claudosque dicit eos, qui Jesu Christi beneficio jam convaluerant (8). Mulier hæc meretrix typus erat Samariæ. Permiserat sese illa Ethnicis superstitionibus, legitimumque virum deserens alienos in complexum admiserat, totamque se crimini dederat. Utraque Scripturæ pagina exhibet similes phrases, quæ desertam a populo Dei fidem sub nomine meretricii & adulterii traducunt (9). Ut luculentiorem inderet Israelitis indignationis suæ imaginem, illique magis sentirent ultionis mox exigendæ severitatem, jussit Deus Osee ducere uxorem, quæ palam meretricabatur, mandavitque insuper, ut nascituris ex ea liberis mystica darentur nomina, quibus & furorem suum extremos jam fines attigisse, & ultionem in populum jam imminere, demonstraretur. Neque tunc primo factum est, ut Prophetæ destinarentur tamquam imago eorum, quæ Israelem manebant. Sæpe Deus dedit signa & oracula viva atque spirantia, sive in hominibus, sive in ipsis eorum actis gestisque, quibus futuros populi sui eventus præsagiret. Isaias exutus vestibus pedibusque nudus incedens, eo emblemate captivitatem Juda designabat (10); servitutem populi sub Chaldæis Jeremias, onerata catenis & jugo cervice, depingit (11). Ezechiel in idem latus centum quinquaginta diebus cubat, & pane fœdato vescitur (12), ut obsidionis Jerosolymæ mala describat.

Connubium Osee cum meretrice adeo turpe & novum Interpretibus plurimis visum est (13), ut inducere sibi in animum non potuerint veram hic historiam narrari; sed omnia per parabolam dicta acceperunt. Ex illis quidam suspicati sunt, Osee ductæ a se uxori nomen meretricis adjecisse, ut mentem Judæorum rei novitate excitaret. Reputarunt alii, Prophetam explicasse tantummodo populo ea, quæ per visum didicerat; numquam tamen rem hanc executioni demandasse. Sed ne literam teneamus, narrationis totius series persuadet. Connubium istud quidem tropicum erat eo sensu, quod aliquid designabat; sed Connubium erat re ipsa verum. Ita melior pars Interpretum (14).

FORNICANS FORNICABITUR TERRA A DOMINO; terra infidelis erit Domino. Maluerim ego vertere in præterito (15): Fornicata est terra, Dominum deserens. Connubium hoc Osee cum meretrice non futuram populi perfidiam, sed præsens & præteritum Judæorum crimen designabat. Minis, quibus illos terret, crimina præcessisse necesse est.

℣. 4. VOCA NOMEN EJUS JEZRAHEL. Cur id nominis

[1] Theodoret. hic. [2] Usserius. [3] Vide nov. edit. Hieron. t. 1. p. 727. [4] Vide Basil. in Isai. 1. Hieron. ibid. & in hunc loc. Hebræi Riber. &c. [5] קח לך אשת זנונים וילדי זנונים Λάβε σεαυτῷ γυναῖκα πορνείας, & τέκνα πορνείας. [6] Grot. Rivet. [7] Exod. vii. 12. [8] Matt. xi. 5. & Joan. ix. 17. [9] Levit. xvii. 7. Num. xv. 39. Judic. ii. 17. & 1. Par. v. 25. Jerem. iii. 1. Ezech. xvi. 15. & xxiii. 3. & sequ. [10] Isai. xx. [11] Jerem. xxvii. [12] Ezech. iv. [13] Hieronym. hic, Abenezra, Kimchi, Jun. Pol. Hasspan. alii apud Theodoret. Haimo, Isidor. Vat. Figuer. Burgens. &c. [14] Vide Theodoret. hic, August. Basil. Grot. alios passim. [15] כי זנה תזנה הארץ מאחרי יהוה

minis datur? *Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel* (in hac nempe Urbe Regni Samariæ fusum) *super domum Jehu*. Ut hæc intelligantur, revocandum est in mentem, Jehu filium Namsi, conjuratione facta in Joramum Regem Israelis (16), neci illum tradidisse prope Urbem Jezrahel, cæsis pariter septuaginta filiis Achabi, quos Samariæ deprehendit. Insuper e culmine Regiæ domus Jezabelem deturbari, omnesque Baalis Sacerdotes trucidari jussit. Hæc omnia domui Achabi eventura, per Elisæum Dominus prædixerat; quin & ab Jehu gerenda servaverat. Hujus sedulitatem in præstanda Domini ultione de stirpe scelesta (17) remuneraturus Deus, regiam dignitatem illi & posteris usque ad quartam sobolem spopondit. Nec defuit promissis. Jeroboamus enim, quo regnante Osee vaticinabatur, pronepos erat Jehu. Dei irati flagellum huic familiæ imminebat. Sanguis Jorami a Jehu fusus prope Jezrabelem, & ea, quæ per summam sævitiam in tota Samariæ ditione exercuerat, mala nunquam Deus sive probaverat, sive imperaverat. Ministrum se quidem præbuerat Jehu ultionis, qua in domum Achabi animadvertendum Deus statuerat; nec tamen propterea crimen illud eluerat, quod conjuratione, sævitia, Idololatria, aliisque ejus generis contraxerat. Mistus per summam injuriam eum sanguine Jorami cruor Ochoziæ Regis Juda (18) alte adhuc in illum ad Cœlum usque clamabat. Familiæ Achabi excidium juste quidem Deus decreverat: sed inique procuratum fuerat a Jehu, qui studio explendæ ambitionis suę & privatæ simultatis illud suscepit. Ultus fuerat injustitiam alia injustitia; quæ sua pariter vice ultorem gladium expectabat (19). Præmium quidem retulerat Jehu boni operis, si quod erat in re a se præstita; sed vicissim puniendus erat ob malum, quo ex nequitia sua bonum illud vitiaverat. Hæ sunt vices illorum, quibus Deus ad homines corrigendos utitur; postquam punit filios, virgas in ignem projicit. Hæc igitur Osee mens est: Fusus Jorami & Ochoziæ a Jehu in Jezrahele sanguis, fiet brevi, ut in posterorum ejus capita recidat. Excidet ab ejus familia regia potestas obitu Zachariæ, qui Jeroboamo II. successit: arcus Jehu confringetur in valle Jezrahelis, quod ibi a Sellum Zacharias neci tradendus sit (20). Regem hunc apud Jezrahelem cecidisse, nuspiam alibi Scriptura docet.

℣. 6. Voca nomen ejus: absque misericordia. Hebræus (21): *Lo Ruchamah*, idest *cujus nemo misereatur*. Septuaginta in vetustis quibusdam Codicibus: *Quæ non diligitur*. Post ultionem de domo Jehu exactam potissimum in Jezrahele, & in pœnam commissorum ibi criminum, Deus puniturum se sine misericordia universum Samariæ Regnum denunciat. Intra minas verba mea non sistent; non solis verbis ultionem denunciabo: nisi resipueritis nullus misericordiæ erga vos locus supererit, criminum vestrorum mensura jam tandem expleta. Nomen tibi est: *Absque misericordia*. Equidem post obitum Jaroboami II. Regnum Israelis ad mala extrema redactum est. Zacharias ejus successor regnum tenuit duodecim annis turbidum, agitatum, ac denique ipse gladio Sellum interfectus cecidit (22). Sellum nonnisi uno mense regnavit neci traditus a Manahem, qui Phul Regi Assyriæ vectigalis fuit. Successit huic Phaceja, quem Phacee post b[illegible]ium sustulit. Sub hoc Rege prima Israelis captivitas contigit, cum Teglathphalassar in captivitatem abduxisset Tribus illas, quæ Galilæam, Galaaditidem, & terram Nephtali tenebant (23). Excepit illum Osee, Regum Israelis ultimus. A morte Jeroboami II. usque ad exitum Regni Israelis, anni duo & sexaginta fluxerunt. Deinceps Regnum Israeliticum nunquam revixit, & quicumque ex Israelitis e captivitate remearunt, nonnisi sub communi Judæorum appellatione recensiti sunt: manseruntque subjecti Regno Juda, & in unam cum Judæis gentem coaluere.

℣. 7. Domui Juda miserebor. Ab Assyriorum injuriis Regnum hoc defendam. Teglathphalassar, & Salmanassar, qui decem Tribus egerunt captivas, intactum Regnum Juda reliquerunt. Sennacherib, qui armorum suorum felicitate superbiens, & copiarum multitudine fretus in Jerosolymam movit, exercitu toto spoliatus, nudus, & solus fugere coactus fuit. Divino prorsus miraculo Judas servatus fuit, atque protectus *non in arcu, gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*. Unius noctis silentio Angelus Domini necavit centum octoginta quinque millia Assyriorum (24). Neque solum e captivitate rediit Judas, sed & totum ejus Imperium ita deinceps floruit, uti nunquam antea: celebre pariter ejus nomen per Orbem universum increbuit, denique vota illius in Messia expleta fuerunt.

℣. 9. Voca nomen ejus: Non populus meus. Hebræus לא עמי *Lo Ammi*. Rejeci vos tanquam alienus, ad me non pertinentes, quos ego non curo. Ex eo tempore Regnum Israeliticum externis domesticisque malis adeo affectum fuit, ut desertum prorsus & neglectum a Deo videretur. Toto diuturnæ captivitatis spatio, decem Tribus permistæ inter cæteras Nationes mansere, nullo exteriore patrocinii Dei signo distinctæ. At Regnum Juda diu post eversionem Imperii Israelitici perseveravit: & quo tempore illius exilium maxime sæviebat, nunquam caruit Prophetis, novitque subinde nec obscuris argumentis curari res suas a Deo didicit. Fuerunt illi Ezechiel, Daniel, Mardochæus, aliique Prophetæ in rebus afflictis solatium & tutela.

℣. 10. Erit numerus filiorum Israel quasi arena maris. Quis populus iste Israelis, civium numero plurimum augendus, cui abrogato veteri nomine, *Non populus meus vos*, alterum imponendum sit, *Filii Dei viventis*? Alius est utique ab illo, quem hic appellat, *Absque misericordia*, &, *Non populus meus vos*; alius, inquam, ac Israel ille dispergendus, extorris agendus, & in servitutem trahendus. Prophetæ mens alium Israelem spectabat, hujus successorem; nempe Ecclesiam Christianam, coalescentem ex gentibus despectis olim, exsecratis, omni prorsus miseratione indignis, & a sancto fœdere exclusis (25). Ita sententiam hanc Apostolus & Patres explicant. Quæ tamen non prohibent, quin Israelitæ, quos feriunt minæ descriptæ versiculis superioribus, in pristinam gratiam tandem verissime redierint, restituti in dignitatem populi Dei post reditum e captivitate: peculiari enim Dissertatione demonstravimus, rediisse illos ab exilio, & post reditum Omnipotentis misericordiam sibi promeruisse, Divini cultus studio & pietate. De reditu illorum in patriam, aliud argumentum suppeditant ea quæ hic statim subduntur.

℣. 11. Ponent sibimet caput unum. Jesus Christus effectus est caput & Rex Ecclesiæ, quæ ex Juda & Israele, ex Judæis & gentibus constat. Potissimum hoc & primum Osee propositum est, primusque loci hujus sensus; simul autem & illud agnoscendum est, post permissam a Cyro facultatem Hebræis domum redeundi, convolasse statim non Judam modo & Beniaminum, verum.

[16] Vide 4. Reg. ix. 10. [17] 4. Reg. x. 30. [18] 4. Reg. ix. 27. [19] Vide Zach. i. 15. [20] 4. Reg. xv. 10. 11. [21] לא רחמה Septuag. Ἀνηλεημοσύνη. Apud Hieronym. Οὐκ ἠλεημένη. Alii, Οὐκ ἠγαπημένη. Ita Paul. Rom. ix. 25. Καλέσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην.
[22] 4. Reg. xv. 10. & sequ. [23] Ibid. ℣. 29. [24] 4. Reg. xix. 35. Vide Theodoret. hic.
[25] Vide Rom. ix. 25. 26.

rum etiam ex Israelitis cæterarum Tribuum plures ad signa Zorobabelis primum, deinde Esdræ & Nehemiæ, ut iis ducibus in Palæstinam redirent. Restitutis vero in patriam nulla ulterius fuit Regnorum & Tribuum discretio; coeuntibus omnibus in eumdem Regem & Imperium. Juvat hic recolere sententiam S. Hieronymi in Osee lib. 3. *Prophetæ sic multa post sæcula de adventu Christi & vocatione gentium pollicentur, ut præsens tempus non negligant; ne concionem ob aliud convocatam non docere de his quæ instant; sed de incertis ac futuris ludere videantur.*

QUIA MAGNUS DIES JEZRAHEL. Post mala, quæ imminebant Domui Jehu, ob res crudeliter & inique gestas in valle Jezrahel; post excidium Regni Samariæ designati nomine Jezrahelis, quæ Urbs erat ditionis illius celeberrima, tunc quæ prædixi, implebuntur. Familia Jehu extinguetur, Regnum decem Tribuum cadet, Israelitæ redigentur in captivitatem, antequam novam eum illis pacem componam. Reddi potest Hebræus (26): *Cum magnus dies Jezrahel venerit*; vel: *Licet dies Jezrahel magnus sit* & terribilis, adhuc tamen vaticiniis meis fides constabit.

[26] כי גדל יום יזרעאל

CAPUT II.

Arguit Dominus sponsam infidelem; quam reluctantem & veluti invitam blanditiis revocat; sed & minatur, deserturum se illam penitus, si fidem iterum violaverit.

℣. 1. Dicite fratribus vestris: Populus meus: & sorori vestræ: Misericordiam con-
secuta. 2. Judicate matrem vestram, judicate: quoniam ipsa non uxor
mea, & ego non vir ejus: auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de
medio uberum suorum. 3. Ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam secun-
dum diem nativitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut
terram inviam, & interficiam eam siti. 4. Et filiorum illius non miserebor: quo-
niam filii fornicationum sunt. 5. Quia fornicata est mater eorum, confusa est, quæ
concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas
meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. 6. Propter
hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non
inveniet. 7. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, &
non inveniet, & dicet: Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene
mihi erat tunc magis, quam nunc. 8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumen-
tum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt
Baal. 9. Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum
meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant
ignominiam ejus. 10. Et non revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, &
vir non eruet eam de manu mea: 11. Et cessare faciam omne gaudium ejus, so-
lemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbathum ejus, & omnia festa tempora ejus.
12. Et corrumpam vineam ejus, & ficum ejus: de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ
sunt, quas dederunt mihi amatores mei, & ponam eam in saltum, & comedet eam
bestia agri. 13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum;
& ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei oblivi-
scebatur, dicit Dominus. 14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam
in solitudinem: & loquar ad cor ejus. 15. Et dabo ei vinitores ejus ex eodem lo-
co & vallem Achor ad aperiendam spem, & canet ibi juxta dies juventutis suæ, &
juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. 16. Et erit in die illa, ait Dominus:
vocabit me: Vir meus, & non vocabit me ultra, Baali. 17. Et auferam nomina
Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum. 18. Et percutiam
cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili
terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam
fiducialiter. 19. Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justi-
tia, & in judicio, & in misericordia, & in miserationibus. 20. Et sponsabo te mi-
hi in fide, & scies, quia ego Dominus. 21. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit
Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram. 22. Et terra exaudiet triti-
cum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Jezrahel. 23. Et seminabo eam mi-
hi in terra, & miserebor ejus, quæ fuit Absque misericordia. 24. Et dicam non
populo meo: Populus meus es tu, & ipse dicet: Deus meus es tu.

℣. 1. Di-

℣. 1. DICITE FRATRIBUS VESTRIS: POPULUS MEUS. Jungenda sunt hæc cum capite superiori. Post magnam illam diem Jezrahelis, qua reprobata populum decem Tribuum, hostium manibus permissum, visus sum; moveri pietatem meam erga illos sensi. Denunciaveram Israeli, *Non populus meus vos*; & Samariæ, *Non uxor mea*; illum rejeci, hanc repudiavi. Nunc vero, o Juda popule meus, cave ne deinceps fratres tuos decem Tribuum appelles, *Non populus meus vos*; aut Samariam, *Misericordiam non consecutam*. Novis jam nominibus utere. Israel populus meus est, & Samaria uxor carissima: *Misericordiam consecuta*.

℣. 2. JUDICATE MATREM VESTRAM, QUONIAM IPSA NON UXOR MEA, Popule Juda, accusa Matrem tuam, diem illi dicito (1), præbe te adversarium Jerosolymæ, quæ, me deserto, alienos sequuta est. Versiculus 11. ubi Deus commissurum se dicit, ut cessent Festa, Neomeniæ, Sabbatha, & Solemnia; & ℣. 15. ubi promittit, redditurum se illis vineas vallis Achor, quæ erat in valle Jerichuntis, & in Tribu Beniamini; hæc, inquam omnia satis mihi persuadent, sermonem hic esse de Jerosolyma, quæ depingitur hic, & in Ezechiele XXIII. sub imagine uxoris infidelis. Commode etiam accipiuntur hæc de tota Hebræorum gente, in hanc sententiam: Populi Israelis & Juda, vos judices appello, quam juste ego de matre vestra querar; de ingrata hac vinea (2), cujus colendæ causa nullis peperci laboribus, quæ diligentiæ meæ inertiam reddidit. Postremus capitis superioris versiculus interpretationi huic favet.

AUFERAT FORNICATIONES SUAS A FACIE SUA, ET ADULTERIA SUA DE MEDIO UBERUM SUORUM. Septuaginta (3): *Auferam fornicationem ejus a facie mea, & adulterium ejus de medio uberum illius*. Seu potius: A facie mea subducat meretricium suum; ne videam os ejus ad impudentiam & licentiam, quæ criminis ejus indicia sunt apertissima, compositum; ne alienos viros ulterius amplectatur (4).

℣. 3. SECUNDUM DIEM NATIVITATIS SUÆ; in eodem nempe statu, in quo tunc erat, cum in lucem hanc edita est; tunc scilicet, cum illam humi jacentem, sanguine fœdatam, neglectam, & auxilio carentem reperi (5). Is erat Hebræorum status in Ægypto, cum superstitionibus Ethnicis fœdati, ad humilem servorum conditionem projecti, omni spe nudati jacerent.

PONAM EAM QUASI SOLITUDINEM. Ne fiat, ut terra illa promissionis, quam mellis & lactis torrentes rigant, redigatur in statum tristem regionum diris devotarum, quas solis æstus adurit, incolæ fugiunt, quæque culturam non patiuntur. Vel: Ne forte mater tua, gens hæc semper rebellis, eo tandem deveniat, ut deserta & destituta commodis omnibus viduata squalleat.

℣. 4. FILIORUM EJUS NON MISEREBOR, QUONIAM FILII FORNICATIONUM SUNT. Si matrem imitantur, parem cum illa pœnam sibi metuant. Nulla in illos pietate me tangi patiar; uti olim erga Israelitas in deserto affici me passus sum: tunc enim parentes punivi, filiis peperci (6); nunc vero eodem exitio matrem & filios obvolvam.

℣. 5. CONFUSA EST QUÆ CONCEPIT EOS, probro & ignominia suffusa est (7), vel turpia commisit, quibus ignominia sibi & contemptum creavit (8).

VADAM POST AMATORES MEOS. Convertam me ad externas gentes, earumque patrocinium & fœdera mihi conciliabo, cultum & Religionem adsciscam. Judæam gentem exhibet hic Propheta sub virosæ meretricis imagine. Vide Ezechielem, XVI. 15. 16. 32. 35.

℣. 6. SEPIAM VIAM TUAM SPINIS. Septuaginta (9): *sudibus*. Ne in infami commercio pergas vel invitam te cogam; aggeres opponam insuperabiles, disces multiplici argumento, quanta sit idolorum tuorum imbecillitas, quam invalidæ sint gentes, in quibus spem collocasti. Hæ denique hostes tui longe infestissimi fient; nec te nisi contemptu prosequentur. Cogeris denique pedem ab errore revocare, ut ad me redeas. Accidit non raro ut miserentis erga nos Numinis clementiæ sit, ubi nostra consilia frustra cadunt, dirisque nos malis affligimur. Tunc enim fit, ut ea, quæ maxime diligimus, abjicientes, ad vera & sincera bona convertamur (10).

℣. 8. QUÆ FECERUNT BAAL; ex quo Idola Baalis conflavere. Hunc sensum offert Hebræus (11). Seu potius: Aurum hoc & argentum in cultum Numinum, in sacra profana, in aras & statuas erogavit.

℣. 9. SUMAM FRUMENTUM MEUM IN TEMPORE SUO. Medicus est, qui ægroto id subducit, quo morbus alitur. Id agit Deus, ut populus intelligat, se esse bonorum illius omnium arbitrum, ad nutum suum illa adimere genti, quæ largitorem ea dantem minus agnoverat, ut *qui ex copia datorem non senserant, sentiant ex penuria*, inquit S. Hieronymus. Bona hæc aufert Deus *in tempore suo*, quo tempore certissimam alebant spem messis uberrimæ. Acerbissimum agricolæ supplicium est, ubi is messes perire videat eo ipso tempore, quo unus metendi labor superesse videtur.

LIBERABO LANAM MEAM. Bona, quibus illa abutitur, in libertatem dabo (12), ut deinceps ea flagitiis suis servire non cogat. Creatas res, quæ invitæ serviunt sceleri, denique liberatum iri servitute corruptionis, docet Apostolus (13).

℣. 10. REVELABO STULTITIAM EJUS IN OCULIS AMATORUM EJUS. Verti potest (14): *Retegam turpitudinem ejus*, probra, flagitia; Septuaginta (15), *impuritatem ejus*. Hebraica vox *nabala*, quæ hic redditur *stultitia*, non raro flagitium significat, veluti Sichemi in Dinam (16), puellæ virginitatis nota carentis (17), Gabaitarum, qui vim Levitæ adolescenti inferre conabantur (18), Achabi & Sedeciæ pseudo-prophetarum, quos Babylonis Rex ob adulteria igne damnavit (19).

℣. 11. CESSARE FACIAM SOLEMNITATEM EJUS. Frequentes, ut olim, splendidique cœtus, Divina solemnia celebraturi, in Templo Jerosolymitano minime conspicientur. Id toto Babylonicæ captivitatis tempore omnino contigit.

℣. 13. ORNABATUR INAURE SUA ET MONILI SUO. Prima in Hebræo vox (20) nasi torquem significat, vel annulum e nare pendentem, perforata nare, uti apud nos aures solent; altera torquem pretiosum, vel omnino mundum muliebrem (21).

℣. 14. EGO LACTABO EAM, ET DUCAM IN SOLITUDINEM.

(1) ריבו באמכם ריבו Septuag. Κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα. (2) Isai. v. (3) ותסר זנוניה מפניה ונאפופיה מבין שדיה 70. Ἐξαρῶ τὴν πορνείαν αὐτῆς ἐκ προσώπου με, καὶ τὴν μοιχείαν αὐτῆς ἐκ μέσου τῶν μαστῶν αὐτῆς. (4) *Ubera*, frequenter pro amore usurpantur. Prov. v. 19. *Ubera ejus inebrient te*. Et VII. 18. *Veni, inebriemur uberibus*. Ezech. XXIII. 3. *Ibi subacta sunt ubera earum*, &c. (5) Ezech, XVI. 5. 6. *Transiens per te vidi te conculcari in sanguine tuo*. Vide Theodoret. (6) Hieron. hic. (7) הובישה הורתם Septuag. Κατῃσχύνθη ἡ τεκοῦσα αὐτῶν. (8) Jun. Tremel. Piscat. Drus. Riv. (9) Φράσσω τὴν ὁδὸν αὐτῆς ἐν σκόλοψι. Hebr. בסירים (10) Hieron. hic: *Providentia Dei sæpe nobis accidunt mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & variis oppressi calamitatibus hujus sæculi ac miseriis, ad Dei servitutem redire cogamur*. (11) וזהב עשו לבעל *Argentum & aurum fecerunt in Baal*. Vide Ezech. XVI. 17. 18. (12) והצלתי צמרי (13) Rom. VIII. 21. *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*. (14) אגלה את נבלתה (15) Ἀποκαλύψω τὴν ἀκαθαρσίαν αὐτῆς. (16) Genes. XXXIV. 7. (17) Deut. XXII. 21. (18) Judic. XIX. 23. 24. XX. 6. 10. (19) Jerem. XXIX. 23. (20) ותעד נזמה וחליתה Vide Ezech. XVI. 12. (21) Vide Boch. de animal. sacr. parte 2. lib. 5. c. 8.

DINEM. Severissime mulctatam, constamque errorem suum agnoscere, palam non reducam, ne probro afficiatur, neque pro meritis objurgabo: illam leniter clam reducam, illique, uti consueveram, blandiar. Vel: Obviam ibo, lenibus verbis conveniam, in solitudinem ducam, eamque nullo teste consolabor. Denique: Patriis illam e sedibus abstraham, atque in alienas regiones ducam, quo commodius illa vocem meam audiat, veteres ego amicitias cum illa conciliem, eamque a præsentibus mei inimicitiis revocem.

Septuaginta (22): *Seducam eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*. Illam in errorem labi per captivitatem Babylonicam patiar, inquit Theodoretus; ubi ærumnis obrutam, consolabor. Vel: Id efficiam, ut suæ illam spes fallant: in exilium trahetur, ibique illam visitabo & consolabor. Tunc denique ad Dominum reversi sunt Judæi, ubi hominum salsorumque Deorum opem nullam esse, durissimæque servitutis mala experti fuere.

℣. 15. DABO EI VINITORES EJUS EX EODEM LOCO, ET VALLEM ACHOR AD APERIENDAM SPEM. Hebræus (23): *Dabo ei vineas ex eodem loco, & vallem Achor ad renovandam spem*. Vallis Achor prope Jerichuntem erat, ejusque fertilitatem tradunt Scriptura (24) & Profani (25), qui Jerichuntis agrum ceu amœnissimum describunt. Populo pollicetur Deus futurum, ut in pristinam hæreditatem ipsum revocet, & vallem Achor fertilissimam & pulcherrimam illi restituat. Septuaginta (26): *Et dabo ei substantias suas ibidem, & vallem Achor, ut aperiam intelligentiam ejus*. Theodotion: *Ut aperiam patientiam*, seu *expectationem ejus*. Eamdem rem prædixisse videtur Isaias LXV. 10. *Vallis Achor erit in cubile armentorum populo meo, qui requisierant me*.

CANET IBI JUXTA DIES JUVENTUTIS SUÆ. Hæreditate sua gaudebit, veluti cum primum illius possessionem adiit, ex Ægypto in Palæstinam veniens. Septuaginta (27). *Humiliabitur ibi secundum dies adolescentiæ suæ*. Melius Vulgata: Canet (Hebræus, Respondebit, illorum more qui alternis canunt), lætabitur in valle Achor per vindemiam.

℣. 16. NON VOCABIT ME ULTRA, BAALI. Vox hæc dominum meum, virum meum sonat; atque imperium & authoritatem illius, quocum quis loquitur, significat: quamobrem falsi etiam Numinibus tribuitur. Ut innuat, quanto odio futurum sit ut Judæa gens Deorum superstitionem prosequatur, ait Deus, Baalis nomen ab illius sermone penitus proscriptum iri, ac nedum Baalem a nemine invocandum fore, sed vel ipsam illius sponsam ea voce non usuram, ut virum compellet; neque enim jam dicet, *Baali*, dominus meus, seu maritus meus, sed *Ischi*, vir meus, sponsus meus.

℣. 17. NON RECORDABITUR ULTRA NOMINIS EORUM. Nemo in rebus etiam licitis eo nomine utetur. Id omnino servaverunt Hebræi, quibus solemne erat, nomen Baal propriis etiam appellationibus excludere. Ita pro Miphibaal, Meribaal, Jerubaal, Esbaal, usurpabant Miphiboseth, Meriboseth, Jeruboseth, Isboseth (28); pro Baal posito *boseth*, quæ vox probrum, turpitudinem significat. Judæa gens post captivitatem studiosa suæ Religionis satis fuit, si eum ipsa, qualis erat ante captivitatem, comparetur.

℣. 18. PERCUTIAM CUM EIS FOEDUS, CUM BESTIA AGRI. Fœdus cum populo jurejurando feriam, cujus in partem feras etiam pecudes admittam. Hæ populo non nocebunt, illius regiones non invadent, neque multum crescent. Iratus olim Deus minitatus fuerat, immissurum se in Israelem feras noxiasque belluas (29); placatus promittit, illarum sævitiam sese leniturum, easve penitus ejecturum Levit. XXVI. 6. Eo tempore, inquit Isaias XI. 6. 7. *habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur* eodem in loco: *simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas, & delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis*, &c. Hoc porro erit bestiarum fœdus cum Deo. Quæ cum Hebræi apud se penitus expleta non viderint, apud Christianos omnino contigerunt, conversis feris gentibus, quæ cum olim leonum ursorumque sævitiam æquarent, mites ceu agni evenere. Theodoret. hic.

℣. 19. SPONSABO TE MIHI IN JUSTITIA ET JUDICIO. Uxores a viris olim emebantur, data illis dote. Sponsæ suæ Deus justitiam, æquitatem, gratiam & misericordiam dotis nomine largitur.

℣. 20. SPONSABO TE MIHI IN FIDE, quæ Religionis totius, omniumque virtutum basis & fundamentum est. Vel: Æterno & immutabili fœdere te in sponsam ducam. Tuus æternum ero, tu mea. Tu perfidiam, ego divortium dediscam. Hujus oraculi veritas in Christiana Ecclesia solummodo expleta est; quantumvis enim integram Deo Judæi fidem, reversi e captivitate, servaverint, grandium adeo promissionum majestati nunquam pares fuere.

℣. 21. EXAUDIAM COELOS, &c. Elegans hæc gradatio, qua utitur Deus, dum ipse exaudit Cœlos seu nubes, postulantes, ut ipsæ iis imbribus, quos in Firmamenti conceptaculis continet, irrigentur; nubes vero arentem humum exaudiunt; terra vinum, triticum, oleum, quæ illius ope indigent, ut fructum ferant; denique dum vallis Jezrahel triticum, vinum & oleum invocat, ut iis impleatur; hæc, inquam, gradatio mirifice describit concordiam, consensum atque conspirationem; qua omnes universi partes simul conjungentur. Ferreum æneumque deinceps Cœlum non erit, & rore atque imbre pluet; neque tellus sole exusta humorem arboribus negabit: neque fructus ope matris, & homines necessariis vitæ alimentis destituti, non languebunt. Hujus rei figura tantummodo post captivitatem exhibita est: res ipsa post Jesu Christi adventum prodiit. Theodoret. hic.

℣. 22. HÆC EXAUDIENT JEZRAHEL. Vallis Jezrahel, totius Palæstinæ uberrima, postulabit, ut, quemadmodum olim, omnium bonorum copia compleatur; neque irrita cadent vota. Septuaginta Complutenses (30): *Hæc exaudient Israel*. At Theodoretus & Romana Editio legunt, ut Hebræus & Vulgata: *Exaudient Jezrahel*. Nomen hoc pro universa regione, & Hebræorum gente usurpatur.

---

(22) Πλανῶ αὐτήν. Heb. אנכי מפתיה (23) ונתתי לה את כרמיה משם ואת עמק עכור לפתח תקוה (24) Isai. LXV. 10. (25) Joseph. lib. 4. de Bello c. 27. Plin. lib. 13. c. 4. Tacit. lib. 5. hist. (26) Septuag. Καὶ δώσω αὐτῇ τὰ κτήματα αὐτῆς ἐκεῖθεν, καὶ τὴν κοιλάδα Ἀχὼρ διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς. Theodot. Ἀνοῖξαι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς. Sym. Εἰς θύρας ἐλπίδος. (27) Ταπεινωθήσεται ἐκεῖ κατὰ τὰς ἡμέρας τῆς νηπιότητος αὐτῆς. Sym. *Affligetur*. Aquil. Ὑπακούσει, *obediet*. Theodot. *Respondebit*. Vide Hieron. Heb. ענתה (28) Vide 1. Par. VIII. 33. 34. (29) Vide Levit. XXVI. 22. Ezech. XIV. 21. (30) Αὗται ἐπακούσονται τῷ Ἰσραήλ. Theodoret. & Edit. Rom. Τῷ Ἰεζραέλ.

CAPUT III.

Osee hordeum & pecuniam adulteræ mulieri largitur, eamque cogit viro carere, ut diuturnam Israelitarum captivitatem significet.

℣. 1. ET dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarum. 2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. 3. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro; sed & ego expectabo te. 4. Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. 5. Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum.

℣. 1. DILIGE MULIEREM DILECTAM AMICO, ET ADULTERAM (1). Fœmina hæc alia est ab altera, quam Propheta uxorem duxerat (2). Prior mulier perfidiam Israelitarum, & divortium significat, quo Deus illam abjecturus erat: hanc hostibus derelinquebat, atque in captivitatem rapi patiebatur. Altera repudiatæ hujus sponsæ ac pœnitentis, nondum cum priore viro conciliatæ, neque flagitiis penitus mersæ conditionem designat. Hic populi status erat per Babylonicam captivitatem; vi avulsus ab iis, quæ turpissime amabat, in exilio vitam agit, æque a Deo & a profanis Diis remotus; hoc tamen discrimine, quod illum adhuc amat Deus, eumque præstolari se ait, uti revera præstolatur, dum resipiscat.

Mulierem hanc Osee uxoris loco non ducit (3), sed illam se ducturum aliquo post tempore pollicetur. Neque omnes parabolæ partes urgendæ sunt. Mulier Hebraicam gentem, Deum Propheta repræsentat. Deus vir est, ab uxoris perfidia lacessitus. Attamen Propheta mulierem alienam inducit, cui pecuniam ipse largitur, ut flagitio abstineat, clam pollicitus deinde conjugium. Si hæc viro juncta erat, cur suas illi nuptias promittit? Si libera, cur adulteram nuncupat? Si Deus illam repudiaverat, cur Propheta Dei vices hic agens, pollicetur, sese illam revocaturum, quamquam flagitiis onustam, pugnante Lege (4), quæ uxorem ita repudiatam, ac rursus impudicam, revocari vetat? At animadverte, in hoc comparationum genere solum ea accipienda esse, quæ argumento, & loquentis proposito conveniunt.

DILIGUNT VINACIA UVARUM, uvas arentes & succo vacuas, pro recentibus & succi plenis. Recentiores multi (5) Hebræum (6) vertunt *lagenas* seu dolia vini: Syrus, uvas passas: Arabs, placentas mistis uvis subactas. Consentiunt Septuaginta (7). Putat Theodoretus, Ethnicos consuevisse similes placentas festis diebus in Deorum honorem subigere. S. Hieronymus hic: *Pro pemmatibus, quæ Septuaginta transtulerunt, & comeduntur cum uvis passis, sive vinaciis, placentas possumus dicere, vel crustula, quæ idolis offeruntur, & Græce appellantur* πόπανα. Aquila reddit παλαιά, *veteres uvas*; Symmachus, ἄκαρπα, *uvas steriles*.

℣. 2. FODI [emi] EAM MIHI QUINDECIM ARGENTEIS (8). Eadem vox, quæ fodere, sonat etiam emere. Septuaginta (9): *Conduxi eam*; quindecim argenteos illi dedi, octo circiter nostri numismatis argenteos, ut flagitio abstineret. Illam non duxit Propheta, uti diximus, neque domum transtulit, sed sese præstolari jussit, atque interim pudice vivere.

CORO HORDEI, ET DIMIDIO CORO HORDEI. Hebræus (10): *Chomer hordei, & letec hordei*. Chomer capiebat pintas ducentas nonaginta & octo, cum dimidia, semisextario, octava pintæ parte, & aliquanto amplius. Letec dimidium erat chomer; quamobrem capiebat pintas centum & quadragintanovem, semisextarium, octavam pintæ partem, & aliquanto amplius. Septuaginta (11): *Gomer hordei, & nebel vini*. Gomer decimam solummodo ephæ partem, seu pintas circiter tres continebat; nebel pintas octoginta & septem, & dimidiam, semisextarium, duas uncias cubicas, & aliquanto amplius. Si hanc dumtaxat pecuniam atque hoc hordeum fœminæ huic dedit Osee, dotis nomine, vilissimam certe fœminam fuisse necesse est, cum tam parvo emeretur. Hac porro imagine ostendere voluit Deus, quam vilis esset ac despecta conditio, quo Hebræi devenerant, ex ea mox reducendi. Cæterum mos emendi uxores passim in Scriptura legitur. Satis compertum est, quanti steterint Jacobo Lia & Rachel, Davidi Michol. Apud Orientales, nostra adhuc ætate, seu Turcæ sive Christiani, omnes uxorem emunt conditioni & generi suo parem. Emuntur vero plerumque, quin vel sponsa virum, seu vir sponsam viderit; atque alter alterum nonnisi ex aliorum narratione cognoscit. Neque sponsæ voluntas exploratur. Pecuniæ, qua sponsa emitur, partem parentes sibi servant; partem ornamentis filiæ impendunt. His addit maritus dotem, quæ plerumque dimidium pretii est, quo uxorem emit. Notum erat Romanis quoddam connubii genus *per coemptionem* (12).

℣. 3. DIES MULTOS EXPECTABIS ME, antequam te uxorem ducam. Sponsalia diu ante nuptias firmabantur; eamdemque debebat sponso fidem sponsa, quam nupta; flagitia sponsæ ceu adulteria puniebantur; quamobrem Propheta fœminam hanc monet.

NON FORNICABERIS, ET NON ERIS VIRO. Non ait: Neminem præter me admittes, sed prorsus neminem (13). Nondum illam duxerat Osee, ac fortasse nunquam duxit: at tropicæ erant & promis-

(1) Septuag. Ἀγαπῶσαν πονηρά. אהבת רע *amantem mala*. Heb. רע significare potest *malum* sive *amicum*. (2) Osee 1. 3. Rufinus, Theodorus, Ribera eamdem esse putant. At S. Hieronymus, Theodoretus, S. Cyrillus Alexandrinus, & plerique Interpretes dissentiunt. (3) Hieron. Theod. Albert. Hugo, Lyr. Castr. &c. (4) Deut. XXIV. 1. 2. 3. (5) Munst. Pagn. Pisc. Jun. Drus. Grot. alii. (6) אהבי אשישי ענבים (7) Πέμματα μετὰ σταφίδων. Theodoret. hic. Τοιαῦτα δέ τινα κατασκευάζοντες ἐπιθύουσιν ἐν τοῖς εἰδώλοις ἀνακείμενα. (8) ואכרה לי (9) Septuag. Ἐμισθωσάμην. (10) חמר שערים ולתך שערים (11) Γόμορ κριθῶν, καὶ νέβελ οἴνου. (12) Vide Brisson. de formulis Roman. (13) לא תזני ולא תהיי לאיש

missiones & mora, diuturnam populi captivitatem significantes, qua populus & reconciliationem & reditum expectaturus erat (14).

℣. 4. DIES MULTOS SEDEBUNT FILII ISRAEL SINE REGE, &c. Duplex huic oraculo sensus tribuitur, revera unicus. Dicuntur Israelitæ in diuturna Babylonis captivitate caruisse Rege, Principe, Altari, Sacrificio, Ephod, Theraphim, publico Religionis exercitio, & Idololatria: at diuturno adeo & tristi exilio, veluti umbra & imagine, diuturnior altera graviorque captivitas significabatur; quippe quæ adhuc perseverat, ac diutius multo perseveratura esse videtur. Hæc nimirum cæcitas est, pertinacia, atque hic horror, quo Judæi post servatoris obitum devenere (15); tunc denique desitura, cum illi ad Dominum, atque ad Davidem Regem suum conversi, Jesum Christum scilicet, verum sæculorum gentiumque Dominum, resipuerint.

SINE ALTARI, ET SINE EPHOD, ET SINE THERAPHIM. Hebræus nunc habet (16): *Absque statua, & absque ephod, & absque Theraphim.* At Septuaginta (17) aliique cum S. Hieronymo legunt: *Sine altari*; quæ quidem lectio probabilior est. Ephod solemne erat Pontificiæ vestis genus, cum gemmis Rationalis, Urim & Thummim; quarum ope Pontifex responsa consulentibus dabat. Pro *Theraphim* Septuaginta hic (18) intellexere *Urim & Thummim*; & pro *Ephod*, Sacerdotium. Putat etiam S. Hieronymus (19), Theraphim hic probabiliter sumi posse pro Cherubim, cæterisque Tabernaculi ornamentis. Certant alii (20), statuas, quas hic fert Hebræus, Theraphim significare idololatriam, falsorum Numinum aras, magicas imagines, falsa oracula. Diu carituri erant Hebræi *sacrificio & ephod*, veræ Religionis exercitio; *simulacris & Theraphim*, scilicet idololatria. Statuas & idola distinguere videtur ab oraculis & imaginibus, quas Ethnici prodigiosas esse, & Deorum domicilio sacras existimabant, *Rapere ad se Dæmonia, & omnem Spiritum immundum*, inquit Tertullianus de Idolol. *per consecrationis obligamentum. In simulacris præsto sunt atque habitant suis* (21). At Græcorum & S. Hieronymi explicatio magis placet, de veræ Religionis instrumentis & exercitio. Quale vero supplicium Israelitis erat, idolis carere, cum ipsos iis privandos Propheta minitetur? Nonne pars felicitatis illud ipsum habendum fuerat? Sacris tamen carere, atque a Numinis sui consuetudine removeri, genus quoddam erat anathematis ac divortii, gravissima denique omnium calamitas. Huc feruntur omnia Osee verba, nimirum ut malum hoc luculentissime sentiant.

℣. 5. POST HÆC, REVERTENTUR e captivitate, ad Dominum convertentur, & sub Davidicæ familiæ imperio in unum coalescent, gentis duce Zorobabele, nobilissimæ stirpis surculo. Hæc tamen conversio, hic reditus, ac familiæ Davidicæ famulatus imago sunt alterius e diuturniori captivitate reditus, ac longe nobiliori conversionis, tunc futuræ, cum ad Jesum Christum, verum Davidis heredem Hebræi accesserint (22). Revera Israeliticæ Tribus nunquam deinde familiæ Davidicæ penitus obtemperavere, cum Davidica gens pristina jura, regnumque avitum nunquam recuperarit. Unicus veruſque oraculi finis, Christus fuit. Brevu & imperfectum Zorobabelis in Judæos imperium alterius longe absolutissimi imago fuit.

(14) Vide Theodoret. hic, & Hieron. in fine cap. Theophylact. Rufin. Sanct. num. 55. (15) Ita PP. passim, Origen. Philocal. cap. 1. Hieronym. hic; Cyrill. Albert. Hugo, Dionys. Lyr. Ribera, &c. (16) אין מצבה ואין אפוד ותרפים (17) Οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου. Legunt מזבח pro מצבה. Cum S. Hieronymus nullas hic afferat varias lectiones, putandum est, Aquilam, Symmachum & Theodotionem cum LXX. consensisse. Eodem modo legunt Syrus & Araba. (18) Οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων. Ita Sanct. Grot. &c. & PP. Græci. (19) Hieron. hic. Ita Haimo, Dionys. Hugo. (20) Vatab. Drus. Munst. Rivet. Livel. Menoch. Tir. Lyr. &c. (21) Arnob. lib. 6. (22) Rom. xi. 26. Vide Hieron. hic.

CAPUT IV.

In Israelem minæ & objurgationes. Judam hortatur, ne a Deo secedat, & Israelis flagitia imitetur.

℣. 1. AUdite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est
scientia Dei in terra. 2. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum,
& adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. 3. Propter hoc lugebit
terra, infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli:
sed & pisces maris congregabuntur. 4. Verumtamen unusquisque non judicet, &
non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti. 5 Et
corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.
6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliviscar
filiorum tuorum & ego. 7. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi:
gloriam eorum in ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, & ad
iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. 9. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei. 10. Et comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessaverunt: quoniam Dominum
dereliquerunt in non custodiendo. 11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt
cor. 12. Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei:

spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt a Deo suo. 13. Super ca-
pita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum,
& populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus: ideo fornicabuntur filiæ
vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. 14. Non visitabo super filias vestras, cum
fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulteraverint: quoniam ipsi cum
meretricibus conversabantur, & cum effæminatis sacrificabant, & populus non intel-
ligens vapulabit. 15. Si fornicaris tu, non delinquat saltem Juda: & nolite ingredi
in Galgala, & ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus. 16.
Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi
agnum in latitudine. 17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. 18. Separatum
est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam pro-
tectores ejus. 19. Ligavit eum spiritus in alis suis: & confundentur a sacrificiis suis.

℣. 1. JUDICIUM DOMINO (Domini) CUM HABITATORIBUS TERRÆ. Israelitis decem Tribuum diem dicit (1). Hos præsertim alloquitur toto hoc capite. Hebræus (2): *Lis*, disceptatio, *Domino* est *cum habitatoribus terræ*.

NON EST VERITAS, ET NON EST MISERICORDIA, ET NON EST SCIENTIA DEI. Nulla est in communi consuetudine sinceritas aut fides; nulla in verbis veritas: periit erga pauperes misericordia, & erga eos, quos natura & Religio proximos facit, nullo penitus amore, clementia, pietate afficiuntur: avari sunt, impii, inhumani, inexorabiles, duri: nullas humanitatis leges verentur. Postremum hoc scelus inter cætera persequitur Propheta; eademque iterum exprobrat ℣℣. 6. 11. 14. Cæteri Prophetæ passim populi ignorantiam arguunt, eamque ceu gravissimam Regni pestem, omniumque Israelis calamitatum fontem accusant. Populus meus *me non cognoverunt*, ait Dominus (3), *lingua eorum dolum locuta est*. Et (4): *Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*. Quam vero? Salutis nimirum, & rerum Religionis, quarum notitia necessaria æternitati est, quam Deus a populo, ac præsertim a Ministris postulat. Hos certe miseros, si vel hanc ignorent, vel cæteros docere negligant! Væ populo, si ignorantiam amet, aut Pastorum instituta respuat seu spernat! Væ cæco cæcum ducenti! ambo præcipites ruent.

℣. 2. SANGUIS SANGUINEM TETIGIT (5). Homicidia homicidiis cumulata sunt. Nondum vetus homicidium expiaverant, cum nova perpetravere. Septuaginta (6): *Sanguinem in sanguine miscent*. Post Jeroboami II. necem, in Israelis Regno nihil nisi cædes ubique fuit. Zachariam post semestre Regnum interfecit Sellum; hunc elapso mense Manahem: Phaceiam Manahemi filium sustulit Phacee filius Romeliæ: hic denique conspiratione Osee filii Elæ cecidit (7).

℣. 3. INFIRMABITUR OMNIS . . . IN BESTIA AGRI, ET IN VOLUCRE CŒLI: SED ET PISCES MARIS CONGREGABUNTUR. Nedum homines hostis rapiet, verum etiam cicures bestias avesque: aquæ vero adeo pestilentes fient, ut pisces necent, eosque ad fluminum & lacuum oras projiciant. Vel: Peste vos feriam, qua tum homines, tum bestiæ cicures feræque auferantur; occupatis etiam ea tabe aquis, quæ pisces interficient. Judææ statum, post populi exilium, describens Jeremias IX. 10. ait: *Super montes assumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt; eo quod non sit vir pertransiens: non audierunt vocem possidentis: a volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt & recesserunt*. Et XII. 4. de regione agens aquarum penuria & sterilitate vastata, inquit: *Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur? Consumptum est animal & volucre*. Sophonias I. 2. 3. minitatur futurum, ut Deus omnia quæ in regione sunt, homines & pecora, aves & pisces interficiat. Piscium feracissimi sunt Jordanes, & Lacus Genesareth, testibus S. Hieronymo in Isai. 48. & Itinerariis. Quamobrem ut omnes totius regionis bestiæ & pisces necarentur, insolita opus erat aquarum penuria, quæ agros, fontes & flumina arefaceret.

℣. 4. VERUMTAMEN UNUSQUISQUE NON JUDICET. Frustra quis tibi litem intendat. Ad verbum (8): *Verumtamen nemo contendat, nec reprehendat quisquam*. Nequidquam criminum tuorum argueris: disciplinæ capax non es. Deserenda es, ut æger deploratæ valetudinis. *Similis es iis qui contradicunt Sacerdoti*, nec jam corrigi possunt. Eos qui Sacerdotum auctoritati repugnaverint, & contradixerint, Lex Deut. XVII. 12. morte damnat: *Facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel*. Septuaginta (9): *Ita nequis judicet, neque arguat quispiam: populus meus est ceu Sacerdos, cui contradicitur*, authoritate carens, Sacerdotio exutus, inquit Theodoretus. Peribit ille, nulla præteritæ dignitatis ratione habita.

℣. 5. CORRUES HODIE. Veluti is, qui in Domini Sacerdotem conspiravit, ita statim sine mora peribis.

ETIAM PROPHETA falsus. Textus æque intelligi potest vel de falsis Prophetis, qui Prophetarum nomine donantur, quod eo apud vulgum gaudetent; vel de veris Israelitarum Prophetis, quos communis patriæ calamitas obvolvit.

NOCTE TACERE FECI MATREM TUAM. Nox & silentium servitutem significant, & ærumnas, ad quas perventurus erat Israel. Hebræus (10): *Nocti assimilavi matrem tuam*. Ita & Septuaginta (11). Chaldæus: *Probro cooperui populum tuum*. Ita etiam verti totus versiculus potest: *Peribis aliquando, & peribit Propheta tecum* quadam *nocte; tacere faciam matrem tuam*; penitus delebo, ut silentio obruatur, ac nemo in posterum illius meminerit.

℣. 6. CONTICUIT POPULUS MEUS, EO QUOD NON HABUERIT SCIENTIAM. Eversus est (12), ac vastatus, cum ea, quæ sui officii suæque utilitatis erant, nosse recusaverit. Septuaginta (13): *Assimilatus est populus meus veluti non habens scientiam*;

[1] Hieron. Theodoret. Chald. Hugo, Rupert. Dionys. Vat. Castr. Sanct. alii plerique [2] ריב ליהוה עם ישבי הארץ [3] Jerem. IX. 3. 5 [4] Isai. V. 13. [5] דמים בדמים נגעו [6] Septuag. Αἵματα ἐφ' αἵμασι μίσγουσι. [7] Vide 4. Reg. XV. 10. 14. 25. 26. 30. [8] אך איש אל ירב ואל יוכח איש ועמך כמריבי כהן [9] Ὅπως μηδεὶς μήτε δικάζηται, μήτε ἐλέγχῃ μηδεὶς, ὁ δὲ λαός μου ὡς ἀντιλεγόμενος ἱερεύς. [10] לילה ודמיתי אמך [11] Νυκτὶ ὡμοίωσα τὴν μητέρα σου. [12] נדמו עמי [13] Ὡμοιώθη ὁ λαός μου ὡς οὐκ ἔχων γνῶσιν.

tiam; populo, qui sapientia & cognitione carens, ea quæ recta erant sequi noluit, suaque ipsius culpa periit.

QUIA TU SCIENTIAM REPULISTI, REPELLAM TE, NE SACERDOTIO FUNGARIS MIHI. Legis meæ scientiam, tuorumque officiorum cognitionem sprevisti: quamobrem & te ego repellam, neque meum in te Sacerdotium existere patiar. Israelitas decem Tribuum alloquitur (22), qui, relicto Domino, novam arbitrio Religionem, & Sacerdotium Deo minime probatum invenerant. Jeroboam, filius Nabath, author seditionis decem Tribuum, *fecit Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi* (23), inquit Scriptura, eosque cultui aureorum vitulorum, quos conflaverat, excelsorumque locorum, quæ erexerat, dedicavit. Teste Ezechiele XLIV. 10. nonnulli fuere Aaronici Sacerdotes, qui Jeroboamo accedentes, excelsorum Sacerdotio sese addixere. Hos præsertim alloquitur Osee, minitatus futurum, ut, cum ipsi Dominum & Legis studium deseruerint, ipsos Deus, soluta captivitate, reductaque in pristinam fortunam gente, a Templi Jerosolymitani Sacerdotio perpetuo extorres efficiat. Id porro omnino expletum est, soluta Babylonica captivitate.

Cujuslibet ætatis homines, tum in veteri, tum in nova Lege, proprium Sacerdotis officium scientiam habuere. Jubet Deus, ea peritia instructos esse Sacerdotes, ut inter varia elephantiasis & sanguinis genera sententiam ferre noverint Deut. XVII. 8. Majoris momenti negotia ad Sacerdotes remitti vult, ut sententiam ferant, eorumque pronuntiatis obtemperari; indicta mortis pœna iis, qui parere arroganter ac superbe renuerint Deut. XVII. 12. *Labia Sacerdotis custodient scientiam*, inquit Malachias II. 7. *& legem requirent ex ore ejus*. Conciliorum sanctiones nihil antiquius Sacerdotibus atque Episcopis esse volunt, quam Scripturarum scientiam, & veritatum saluti servientium cognitionem. Porro utramque Ministris Ecclesiæ adeo necessariam esse Patres censuere, ut neminem sacris initiari, nisi satis doctos, voluerint (24); ac nemo ferme sit, qui de Sacerdotibus agens, primum omnium scientia illis opus esse non moneat.

℣. 7. SECUNDUM MULTITUDINEM EORUM, SIC PECCAVERUNT MIHI. Multa & florenti familia lætatur pater: at ingens filiorum populique numerus flagitia tantummodo in me, animoque meo mœrorem auget; nemo enim ex iis est, qui me flagitiis non provocet.

℣. 8. PECCATA POPULI MEI COMEDENT, ET AD INIQUITATEM EORUM SUBLEVABUNT ANIMAS EORUM. Vescuntur victimis Israelitarum expiatione oblatis; atque agitatis illorum animis blandiuntur spe veniæ (25); cum potius salubri terrore quatiendi essent ac docendi, ut serio resipiscerent. Male vertere (26): *Victimas a populo oblatas pro peccatis comedunt, & vitam tuentur hostiis propitiatoriis*. Nemo ignorat, *peccatum* pro victima ob peccati expiationem oblata frequenter usurpari (27) iisque victimis Sacerdotes vesci consuevisse. Aureorum vitulorum, excelsorumque Israelis Sacerdotes multis in rebus Templi Jerosolymitani mores imitabantur. Assueta Legis ritibus gens, ægre a priscis sanctionibus ad cultum penitus alienum uno statim impetu transibat. Flagitii conscientia mentem animumque agitassent: si in profano impioque vitulorum cultu Sacrificiis peccata expiantibus caruissent (28).

℣. 9. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS. Cum Sacerdotes & populus eadem ignorantia, iisdemque flagitiis, quibus populus, teneantur, pari utrosque supplicio afficiam.

COGITATIONES EJUS REDDAM EI. *Non solum opus, sed & cogitatio mali operis pœnas luet*, inquit S. Hieronymus.

℣. 10. FORNICATI SUNT, ET NON CESSAVERUNT. Hebræus (29): *Scortati sunt, & non multiplicati sunt*. Vel: Scortabuntur, & eorum soboles non augebitur; nulla illis erit familia; sive, illorum filii non vivent. Septuaginta (30): *Scortati sunt & non dirigantur*.

℣. 11. AUFERUNT COR, rationem, intelligendi vim. Sapientiam & intelligendi vim Hebræi in corde collocant. *Factus est Ephraim*, inquit Osee VII. 2. *quasi columba seducta, non habens cor*. Septuaginta (31): *Scortationem & vinum & ebrietatem cepit cor*; hæc nimirum flagitia secutum est.

℣. 12. IN LIGNO SUO INTERROGAVIT, ET BACULUS EJUS ANNUNTIAVIT EI. Ligneos, æneosque Deos consuluit populus, atque insanissime putavit, fieri posse, ut mistis quibusdam virgis quæ futura sunt agnosceret. Hoc divinationis genus fusius expendimus in Ezech. XXI. 21. Hinc disce, superstitionem hanc nedum Chaldæis Medisque, verum etiam Israelitis fuisse communem.

℣. 13. SUPER CAPITA MONTIUM SACRIFICABANT, ET SUPER COLLES ACCENDEBANT THYMIAMA. Tota Judæorum historia satis docet, quo studio sacrificia in excelsis lucisque Judæi prosequerentur. Sunt qui censeant (32), spectari hic a Propheta vetus divinationis genus ex thuris fumo: ex vario enim fumi motu varias res ominabantur (33). Statius:

Thurea nec supra volitante altaria fumo.

SUBTUS QUERCUM ET POPULUM ET TEREBINTHUM. Septuaginta (34): *Subter quercum, & populum, & arborem umbrosam*. Quid proprie significent Hebraicæ hujus loci voces (35), dissident Interpretes. Alii enim vertunt: sub ulmo, sub platano, & sub tilia; Alii sub pinu, sub alba populo, & sub quercu. Neque compertum est, neque unquam fortasse erit, quid vere significent nomina arborum gemmarumque, de quibus Scriptura.

℣. 14. NON VISITABO SUPER FILIAS VESTRAS, CUM FUERINT FORNICATÆ. *Grandis offensa est, postquam peccaveris, iram Dei non mereri*, ait S. Hieronymus. Permittit Deus, ut ii qui datæ sibi fidei desunt, familiarum dedecori, & uxorum adulteriis obnoxii sint, *ut ex proprio dolore intelligant dolorem Dei, qui in tantum iratus est, ut nequaquam percutiat delinquentes*.

CUM EFFEMINATIS SACRIFICABANT, cum adolescentulis, qui flagitiosissimæ libidini in profanorum Numinum cultum exponebantur. De his ita S. Hieronymus hic: *Hi sunt, quos hodie Romæ, matri non Deorum sed Dæmoniorum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Athys (quem eunuchum Dea meretrix fecerat) Sacerdotes illius manciparint*. Hoc libidinis genus commune tunc apud Hebræos fuit; atque infamem hunc morem ab Asa Rege Juda proscriptum fuisse, Scriptura testatur: *Abstulit effeminatos de terra*; prohibitamque Maacham ipsius matrem, ne Priapi Sacerdotio fungeretur. Idem nefandi Numinis simulacrum & specum illi

[22] Hieronym. Haimo, Sanct. Grot. Rivet. [23] 3. Reg. XII. 31. 32. [24] Synod. Rom. anni 826. cap. 4. *Quamquam admonita Doctorum, & doctrina Patrum Sacerdotes indoctos prohibeat consecrari*, &c. Vide Gelas. Pap. ep. 6. Synod. Suession. cap 5. Gratian. dist. 38. cap. Omnes. Vide, si lubet, Concil. Aquisgr. cap. 13. Lateran. v. Bulla. reform. & alii passim. [25] Hieron. hic, Greg. hom. 17. in Evang. Vat. &c. [26] חטאת עמי יאכלו ואל עונם ישאו נפשו [27] Levit. X. 17. VI. 25. V. 6. VII. 2. Num. XV. 24. & 2. Cor. V. 21. Vide, si placet, Theodoret. Cyrill. Theophylact. Albert. Riber. Sanct. &c. [28] Ita Theodoret. Hieron. Albert. Lyr. alii. [29] הזנו ולא יפרצו [30] Ἐπόρνευσαν, καὶ οὐ μὴ κατευθύνωσι. [31] Πορνείαν, καὶ οἶνον, καὶ μέθυσμα ἐδέξατο καρδία. Hebr. יקח לב [32] Theophylact. hic, ex Cyrillo Alexand. [33] Vide Philostrat. lib. 1. de vita Apollon. cap. 20. Dion. Cassium, Hist. Rom. lib. 41. [34] Ὑποκάτω δρυὸς, καὶ λεύκης, καὶ δένδρου συσκιάζοντος. [35] תחת אלון ולבנה ואלה

sacrum evertit (36). Isaias c. III. 4. minitatur Judæis futurum, ut pueri Principes ipsis sint, & Reges effeminati.

Hebræus (37) genere fœminino legit: *Cum fœminis consecratis*; Septuaginta (38), *initiatis* mysteriis; viris seu fœminis, quæ peculiari consecratione falsi Numinis ministeriis & sodalitio addicebantur. Symmachus (39): *Cum scortis*; Aquila (40), *cum permutatis*, iis nimirum qui naturam mutavere, sive flagitiosa libidine, sive abscissione membrorum, quibus illorum natura distinguabatur. Theodotion (41): *Cum segregatis*. Nobis quidem videtur, vocibus Hebraicis eas proprie fœminas significari, quæ in Deorum honorem publicæ libidini serviebant. Nihil frequentius apud Veteres, quam turpissima hæc consecratio; & nostra adhuc ætate in superiori Ægypto ali traduntur fœminæ (42), advenarum libidini consecratæ.

Populus non intelligens vapulabit. Hebræus (43): *Et populus non intelliget; corruet*, impinget, vestigio falletur: Septuaginta (44): *Populus non intelligens, connectetur* (℣. 15.) *cum meretrice*. Chaldæus: *Populus qui non intellexit legem, nonne collidetur*, contereiur, comminuetur?

℣. 15. Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda; flagitia & impietatem decem Tribuum non imitetur. Si hæ Dan & Bethel frequentant ut vitulos aureos, Galgal vero ut alios Deos colant, iis ne accedat Juda. Bethaven eadem est Bethel, ubi conflatos a se vitulos aureos Jeroboam collocaverat. Is porro locus quolibet tempore in honore apud Israelitas fuit, ob monumentum a Jacobo ibi relictum, post celebrem scalæ visionem, in Mesopotamiam proficiscenti exhibitam (45). Galgal in finibus Tribus Ephraim jacebat; atque hic etiam locus nunquam non religiosus Hebræis fuit, quod ibi Arca diu fuerit, & Judæorum majores, Jordane trajecto, ibi substiterint. Monumentum a Josue eo in loco relictum est, superstas adhuc ætate Eusebii (46), qui summum Palæstinorum obsequium erga Galgal fuisse tradit. Numinum etiam simulacra ibi stetisse, docent Osee (47) & Amos (48); qui & Israelem gravissimis minis terrent, quod eo in loco Deorum superstitionem sequeretur. Vetustissima erat ejus loci superstitio, cum vel ipsa ætate Aodi sculpta simulacra in Galgal cernerentur, & fortasse oraculis clara, cum Aod in Galgal profectus, tum Jerichuntem ad Eglonem rediens, nescio quid magni momenti ad Regem se habere, Dei nomine nunciandum, simulaverit (49).

Suas decem Tribubus superstitiones objicit hic Osee. Si sciens volensque Israel in exitium & superstitionem ruit, illum saltem Juda ne imitetur. Si ille in Bethel & Galgal proficiscitur, Deos adoraturus, abstineat Juda. Esto, Israel solus aberret: cur illius impietatem Juda sequatur? Hæc quidam explicatio verissima omnium & aptissima videtur. Septuaginta (50): *Tu, Israel, ne ignorato; & Juda, ne proficiscimini in Galgala, & ne ascendite in domum On*; Aquila & Symmachus, *in domum inutilitatis*. On seu *Aven* est inanitas sive iniquitas, *Bethaven*, domus iniquitatis vel inanitatis; quæ appellatio e simulacris ibi dedicatis orta est. Verebantur quippe eum locum *Bethel*, scilicet *Dei domum* appellare.

Neque juraveritis: vivit Dominus, *Vivat Jehovah*; me enim neque veneramini, neque Deum vestrum habetis (51). Sive: Cavete, ne nomen meum violetis, appellatis ea voce falsis Diis (52), eorumque nomine jurantes, quasi me testem invocetis.

℣. 16. Sicut vacca lasciviens, sive jugi impatiens, fugiens, repugnans (53). Septuaginta (54); *Ut vacca œstro agitata*: Virgilius Georg. 3.

Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther.

Ita Israel, furore quodam actus, præceps in flagitia ruit; fugit, jugum excussit: abire pro libito patiar. Cum aperta regione frui velit, ac libidinis impetum sequi, in eam denique regionem deferetur, ubi satis amplum deambulationi spatium patebit. Illum Assyrii captivum trahent; ibique is ceu aries vasto in agro lasciviet (55). Ironice. Libertatem cupis; seu, a reliquo grege fugisti, indomitæ instar vaccæ, pastorem deserentis: te ego dimittam; latissimum tibi agrum dabo, ubi lascivias; in amplissimam regionem te abigam. Postrema hæc explicatio aptissima omnium videtur.

℣. 17. Dimitte eum. Cum Ephraim, qui pro decem Tribubus hic usurpatur, Numinibus constanter accesserit, minime reversurus, illum deseri opus est, ceu deploratæ valetudinis ægrotum. Hebræus (56): *Conjunctus est execrationibus Ephraim; missum fac illum*. Ephraimum ne ulterius arguas, Propheta: Indocilis gens est, impatiensque disciplinæ. Vel: Dimitte illum, Juda, cave illum imiteris. Aliter: *Conjunctus est Idolis; requievit*. Sibi ipse placuit; in iis quietem pacemque nactus est; eam Religionem quasi certa lege sibi constituit, eamque profiteri minime veretur. Septuaginta (57): *Particeps Idolorum Ephraim*; posuit sibi offendicula; hæc enim Idola ipsi offendicula sunt.

℣. 18. Separatum est convivium eorum. Suis in fanis locisque sublimibus convivia celebrant alia prorsus ab iis, quæ in Jerosolymitano Domini Templo agitantur. Judaicæ Religionis pars habebantur convivia, eaque Deus nonnisi coram Arca, suisque in atriis haberi jubebat (58). Convivia hujusmodi, sed flagitiis mista, Ethnici imitabantur. Hebræum (59) reddunt Interpretes multi (60): *Putidum est*, sive evanidum *vinum eorum; vinum fugiens*; vel, *corruptum est convivium eorum* veluti obsoleta caro, cujus odor & sapor corrupti sunt, vel saltem dissipati. Vinum & carnes conviviorum quæ ipsi in honorem Numinum agitant, sapore carent & odore, quippe execrandis Numinibus sacra. Chaldæus: *Principes quæsiverunt convivium*. Septuaginta (61): *Provocavit Chananæos*; nequitia superavit; graviora illis flagitia commisit. Aliter ac nos legisse videntur in Hebræo Septuaginta Interpretes & Chaldæus.

Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. Hebræus (62): *Amaverunt, date: o dedecus! proceres eorum*; ad verbum, *Clypei eorum*. Pro, amaverunt munera, inquit Propheta, amaverunt date. Clypei appellatio interdum Principibus, Magnatibus, ipsique Deo tribuitur (63). Septuaginta (64): *Dilexerunt ignominiam ex fremitu ipsorum*.

(36) 3. Reg. xv. 11. & seq. & xiv. 24. & xxii. 47. & 4. Reg. xxiii. 7. & 2. Macch. iv. 28.
(37) ועם קדשות יזבחו (38) Μετὰ τετελεσμένων. (39) Sym. Ἑταιρῶν, Ita Grot. Vat. Drus. alii.
(40) Aquil. Ἐνηλλαγμένων. (41) Theodot. Κεχωρισμένων. (42) Vide Voyage de Paul Lucas.
(43) ועם לא יבין ילבט (44) Ὁ λαὸς ὁ συνιὼν συνεπλέκετο μετὰ πόρνης. (45) Genes. xxviii. 12. 18.
(46) Euseb. in Galgal (47) Osee ix. 15. & xii. 11. (48) Amos iv. 4. & v. 5. (49) Judic. iii. 19 *Reversus est de Galgalis, ubi erant idola.* (50) Σὺ δὲ Ἰσραὴλ, μὴ ἀγνόει, & Ἰούδα, μὴ εἰσπορεύεσθε εἰς Γάλγαλα, καὶ μὴ ἀναβαίνετε εἰς τὸν οἶκον Ὤν. Aqu. & Sym. Οἶκον ἀνωφελῆ. Heb. לא תעלו בית און Theodot. Οἶκον ἀδικίας, *Domum iniquitatis*. (51) Hieron. Cyrill. (52) Ita Theodoret. Albert. Hugo, Dionys. Lyr. Sanct. Vatab. Mercer. Grot. Drus. Riber. Castr. (53) כפרה סררה (54) Ὡς δάμαλις παροιστρῶσα. (55) Hieron. Albert. Hugo, Dionys. &c. (56) חבור עצבים אפרים הנח לו
(57) Μέτοχος εἰδώλων Ἐφραὶμ, ἔθηκεν αὑτῷ σκάνδαλα. (58) Deut. xii. 12. *Epulabimini coram Domino*, &c. Vide xiv. 26. xvi. 11. 14. xxvi. 11. xxvii. 7. (59) סר סבאם (60) Vat. Pagn. Mont. Grot.
(61) Καὶ ᾑρέτισε Χαναναίους. (62) אהבו הבו קלון מגניהם (63) Vide Psal. xlvi. 9. (64) Ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φρυάγματος αὐτῶν.

rum. Malo simpliciter vertere (64): *Dilexerunt ignominiam Principes eorum*; libidinem sectati sunt. Hæc explicatio conjungitur optime cum præcedentibus: *Fornicatione fornicati sunt*. Vel: Amaverunt munera, id quod probrosum est.

℣. 19. Ligavit eum spiritus (ventus) in alis suis (65). Ephraim tam cito auferetur, veluti ventorum alis; in captivitatem ceu palea vento rapta abducetur. Septuaginta (66): *Turbo venti tu es in alis ejus*.

CAPUT V.

Dei minæ in Israelem & Judam. Hominum opem frustra hi quærunt; eorumque sacrificia Deus ipse non excipiet.

℣. 1. Audite hoc, Sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus Regis, auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi,
& rete expansum super Thabor. 2. Et victimas declinastis in profundum: & ego
eruditor omnium eorum. 3. Ego scio Ephraim, Israel non est absconditus a me:
quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. 4. Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt. 5. Et respondebit arrogantia Israel in facie
ejus: & Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua: ruet etiam Judas cum eis.
6. In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non
invenient: ablatus est ab eis. 7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos
genuerunt: nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. 8. Clangite buccina in
Gabaa, tuba in Rhama: ululate in Bethaven, post tergum tuum, Beniamin. 9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in Tribubus Israel ostendi fidem.
10. Facti sunt Principes Juda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi
aquam iram meam. 11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio: quoniam
cœpit abire post sordes. 12. Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui
Juda. 13. Et vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum: & abiit
Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem: & ipse non poterit sanare vos, nec
solvere poterit a vobis vinculum. 14. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, & quasi
catulus leonis domui Juda: ego capiam, & vadam: tollam, & non est qui eruat.
15. Vadens revertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam.

℣. 1. Quia vobis judicium est. Vestrum est, causam pro vobis dicere: hæc nimirum vobis objiciuntur. Vel: Audite, Sacerdotes: vestri muneris est, æquum jus reddere: judicia vestra in examen revocemus.

Laqueus facti estis speculationi, at sicut rete expansum super Thabor. Mons Thabor venationis feracissimus fuisse dicitur (1), avesque & feræ ibi retibus capiebantur. Ante igneorum tormentorum usum, vulgaria magis erant retia, quam nostra ætate. Recentiorum plerique (2) reddunt Hebræum (3): *Fuistis laqueus super Maspha, & rete expansum super Thabor*. Maspha Galaad trans Jordanem erat, in montibus Galaad; Thabor cis amnem, in Galilæa, prope Campum magnum; uterque vero mons venatu clarissimus. Aureorum vitulorum & Israelis Sacerdotes populos cis & trans Jordanem positos in flagitia & superstitionem traxerant, ceu venatores feras avesque montium Masphæ & Thaboris in retia. Utrumque montem dedicatis ibi simulacris profanatum fuisse censeo. De Maspha quidem nullus dubio est locus, ex Capite VI. 8. Thabor vero clarior in tota regione fuit, quam ut immunis profanorum altarium relinqueretur.

℣. 2. Victimas declinastis in profundum. Pergit venatoris allegoria. Perduelles hi miserrimas hujusmodi victimas in foveas impulere (4); vel, scrobes effoderunt (5), ut illas caperent. Notissimus in Scriptura (6) est mos effodiendi scrobes, easque data opera operiendi, ut pertranseuntes feræ illuc ruant. Hæc porro sunt, quæ huic explicationi favent. I. Verbum fodere, scrobem innuit de industria effossam. II. Infra IX. 9. simillima huic locutio reperitur (7) III. Unius literæ *theth* in *thau* mutatione, hæc explicatio effingitur. Porro utraque hæc litera facile miscentur. IV. Servata vulgari lectione, hunc locum ægerrime explicabis. Putat Grotius (8), morem hic spectari Ethnicorum, victimas jugulatas dejiciendi in specum, in quo erat ignis. Censent alii, abyssos hic significari Idola, quibus Israelitæ victimas, uni Deo debitas, immolabant.

℣. 4. Spiritus fornicationum in medio eorum. Idololatriam effuse sectantur; licentiæ amore occupantur, qui obscurato intellectu, illos resipiscere atque ad Deum reverti non sinit. Vide supra IV. *Fornicatio & vinum auferunt cor*.

(64) אהבו הבו simplex est repetitio pro אהבו אהבו (65) צרר רוח אותה בכנפיה (66) Septuag. Συστροφὴ πνεύματος σὺ εἶ ἐν πτέρυξιν αὐτῆς. (1) Cyrill. Hieron. Theodoret. hic. Ὄρος δὲ τοῦτο (Ἰταβύριον) ἐπὶ θήρας ἐπιτήδειον. Ita Grot. Vat. (2) Ita Jun. Mont. Pisc. Tigur. Mercer. Grot. Drus. River. &c. (3) כי פח הייתם למצפה ורשת פרושה על תבור (4) שחטה שטים העמיקו (5) Lege שחתה העמיקו (6) Josue XXIII. 13. Psalm. VII. 16. XVI. 7. Prov. XXVI. 27. Isai. XXIV. 17. 18. Jerem. XXVIII. 20. 22. Thren. IV. 20. Ezech. XIX. 4. 8. (7) העמיקו שחתו Vulg. *Profunde peccaverunt*. Verti potest: *Foderunt foveam suam*. (8) Grot. hic, ex Euripid. Iphigenia in Tauris.

℣. 5. RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EJUS, accusabit damnabitque. Impudentia, quam fronte gerit, ipsum damnat. Septuaginta (9): *Et humiliabitur injuria Israel in faciem ejus*. Superbiæ ac violentiæ causa, Israel dejiciatur.

℣. 6. IN GREGIBUS SUIS VADENT AD QUÆRENDUM DOMINUM. Deum victimis quærent. Frustra illum flectere, aut illius furorem avertere sacrificiis conabuntur: ea futura sunt importuna; rejiciet Deus. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus?* (10) *Plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium nolui*.

℣. 7. FILIOS ALIENOS GENUERUNT, inito cum alienis uxoribus connubio, pugnante Lege (11); vel, flagitia turpissima & licentiam sectantes. Denique: Filii, soboles eorum stirps sunt Deo inimica & refractaria; populus Deo alienus, cum illius fœdus ac Religionem abjecerint. Aptissime dicuntur *Lo-ammi*, non populus meus, quo nomine filius Osee appellabatur. Osee 1. 9.

DEVORABIT EOS MENSIS CUM PARTIBUS SUIS. Ipsi eorumque hæreditas uno mense peribunt. Israelitidem invadent Assyrii, atque unius mensis spatio quælibet obvia devorabunt. Phul Assyriorum Rex, suppetias Manahemo ferens, mille argenti talenta illi imperavit; quæ ut conficeret Manahem, a singulis locupletibus quinquaginta siclorum vectigal postulavit 4. Reg. XV. 19. Chaldæus fert, Deum singulis mensibus accersiturum hostes in regionem, ut eam depopulentur, & spolia secum auferant. Ita & S. Hieronymus (12). Alii significari ajunt a Propheta celeritatem, qua Deus Regnum Israelis eversurus est. Uno tantum mense laborabunt Assyrii. Septuaginta (13): *Nunc comedet eos rubigo, & partes eorum*.

℣. 8. CLANGITE BUCCINA, IN GABAA ..... ULULATE IN BETHAVEN, POST TERGUM TUUM, BENJAMIN. Gabaa & Rama urbes sunt in Regno Juda (14). Bethel seu Bethaven, in finibus Tribus Beniamin, *post tergum* illius, occidentem versus, qua parte spirat Corus, ad Ephraimum. Alterum habes hic vaticinium, captivitatem decem Tribuum spectans per Salmanasarum Assyriæ Regem. Vaticinatur Propheta futurum, ut illius fremitus in urbibus Gabaa & Rama, in Tribu Beniamin, & in Bethel, prope illius fines exaudiatur. Ita ad vos, o Juda & Beniamin accedet hostis, ut voces captivæ gentis ex urbibus vestris audiatis. Hoc ego spectaculum vestris ipsorum oculis exhibebo; vosque testes futuri estis, quam veræ fuerint meæ in Ephraimum minæ. Hinc vobis ipsi metuese, atque impunitatem vobis pessima fratrum vestrorum exempla sequentibus, non polliceri discetis. Septuaginta Gabaam & Ramam generice pro editis locis usurpavere.

℣. 9. IN TRIBUBUS ISRAEL OSTENDI FIDEM minarum mearum, meorumque verborum veritatem. Vobis jam, Juda & Beniamin, propinatur calix: vestræ vices venerunt.

℣. 10. FACTI SUNT PRINCIPES JUDA QUASI ASSUMENTES TERMINUM; quasi qui terminos auferunt; & certe abstulerunt; vel fratrum hæreditatem occupavere, ea fraude & iniquitate, qua is qui terminos movet; id quod Lege interdictum est (15). Ita illos puniam, veluti eos qui terminos movent; statim scilicet, nullaque misericordia. Sanxerat Numa Pompilius, ut si quis terminos moventem inveniret, statim interficeret (16). Vel: Ærumnis decem Tribuum gavisus est Juda, futurum sperans, ut sua ipse pometia dilataret, & captivorum fratrum hæreditatem invaderet (17). Aliter: Juda terminos a patribus positos movit; Dei legem violavit (18); majorum exempla neglexit. Ephraimi impietatem imitari maluit, quam Patriarcharum religionem. Denique: Principes Juda conversionis tempus prorogant, & pro viribus arcent: at insperato *super eos effundam quasi aquam iram meam*.

℣. 11. CALUMNIAM PATIENS EST EPHRAIM, FRACTUS JUDICIO. Causas nectent Assyrii, & calumnias comminiscentur, ut Ephraimum opprimant, ejusque Regnum æquo jure a se invadi demonstrent. Queritur Deus Isai. LII. 4. populum suum iniquissimis calumniis oppressum esse ab Assyriis. Profecto quid causæ erat, cur Theglathphalassar, ac deinde Salmanasar Israelem bello peterent, & captivum raperent? Postremi quidem Israelitarum Reges sese vectigales Assyriis fecerant, atque illud causati fuerant Assyrii, Israelis Reges ipsorum imperio & gravissimis vectigalibus sibi iniquissime imperatis aliquando sese subducere, esse conatos (19). Id porro iniquum erat? Intelligi aliter potest (20): *Opprimitur Ephraim, & judicio frangitur, quoniam sequutus est sordes* idolorum. Hoc quidem æquissimum erat ab Judice supremo judicium. Notissima erant Ephraimi flagitia; iniquitas luculentissima. Septuaginta (21): *Sub potestatem redegit Ephraimus adversarium suum, & conculcavit judicium, quia cœpit ambulare post inania*. Idola.

℣. 12. EGO QUASI TINEA EPHRAIM. Sensim Ephraimum absumo; seque ille absumptum intelliget, quin sentiat.

℣. 13. VIDIT EPHRAIM LANGUOREM SUUM. Proximum se exitio sensit Israelis Regnum bellis civilibus & ærumnis, quibus undique obrutum est. Zacharias a Sellum, hic a Manahemo necatus est. At Manahem, cum minores sibi vires esse intelligeret, quam opus esset, ut occupatum imperium tueretur, a *Phul* Assyriorum Rege opem postulavit, empto mille talentis subsidio, quæ talenta ex populo extorsit (22). Id porro innuit his verbis Propheta: *Abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem*, defensorem. Hebræus ad verbum (23): *Misit ad Regem Jareb*, Regem contentiosum, qui æmulis resistere, & hostes dissipare queat. Sunt (24) qui Regem *Jareb* Ægyptium Regem fuisse censeant; & certe Osee, ultimus Israelis Rex, ad *Suam* Ægypti Regem miserat (25), ut illius amicitiam adversus gravem sibi Assyriorum Regem sibi conciliaret. Hic tamen Propheta nonnisi Assyriorum Regem significat his verbis; *Abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem* seu defensorem. Eumdem hoc nomine designat infra x. 6. Ajunt alii, hunc versiculum ita esse distinguendum: *Vidit Ephraim languorem suum, & abiit ad Assur; & Juda vinculum suum*, seu vulnus, ulcus suum (26), *& misit ad Regem ultorem*, adjutorem. Manahem, Israelis Rex, Phulis Assyriorum Regis opem quæsivit; Achaz rex Juda, Theglathphalassaris (27). Postrema hæc explicatio æquissima omnium est & communissima (28).

NEC SOLVERE POTERIT A VOBIS VINCULUM; vel (29): *Non curabit plagam vestram*. Septuaginta (30): *Non mitigabit dolorem vestram*. Non modo Israe-

(9) וענה גאון ישראל בפניו Septuag. *Καὶ ταπεινωθήσεται ἡ ὕβρις Ἰσραὴλ εἰς πρόσωπον αὐτοῦ*. Aqu. & Theodot. Ἀλαζονεία. Sym. Ὕβρις. (10) Isai 1. 11. (11) Deut. VII. 2. (12) Hieron. hic. Ita & Albert. Hugo, Ribera. (13) Νῦν φάγεται αὐτοὺς ἡ ἐρυσίβη, καὶ τοὺς κλήρους αὐτῶν. Theodor. Ἐρυσίβην δὲ καλεῖ τὸ ἐκ τοῦ ἀέρος ... τοῖς ἐκ γῆς καρποῖς ἐπισυμβαῖνον πάθος. (14) Isai. X. 29. (15) Deut. XIX. 14. & XXVII. 17. (16) Plutarch in Numa. (17) Hieron. & alii plerique. (18) Theodoret. Theophyl. Grot. Merces. jun. (19) Vide Cap. XVII. ℣. 3. 4. 5. &c. (20) עשוק אפרים רצוץ משפט (21) Κατεδυνάστευσεν Ἐφραὶμ τὸν ἀντίδικον αὐτοῦ, κατεπάτησε κρίμα, &c. (22) 4. Reg. XV. 19. 20. (23) וישלח אל מלך ירב (24) Theodoret. (25) 4. Reg. XVII. 4. (26) ויהודה את מזורו (27) 4. Reg. XVI. 7. (28) Hieron. Sanct. Grot. alii fere omnes. (29) לא יגהה מכם מזור (30) Οὐ μὴ διαπαύσῃ ἐξ ὑμῶν ὀδύνη. Aq. Ἐπίδεσιν, seu ἐπίδεσμος.

Israelis ærumnas non dissipavit Phul, & vulnera Judæ Theglathphalassar non curavit; verum etiam utriusque Regni calamitates auxere. Juda & Israel vectigales effecti sunt, & Assyriorum Reges, facillimæ prædæ spe illecti, frequenter adeo redierunt, ut utrumque Regnum denique everterint, Regesque & subditos captivos abduxerint.

℣. 14. Quasi leæna Ephraim; ego quasi leæna Ephraimo futurus sum. Septuaginta (30): *Quasi panthera Ephraimo*. Hoc proprie significat vox Hebraica. Israelem & Judam ceu panthera & leo invadam. Prædam auferam, meumque in specum aveham, neque resistere quispiam audebit: *Tollam, & non est qui eruat*. Tamdiu latebo, donec resipiscatis.

℣. 15. Revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæratis faciem meam. Vestro vos in exilio derelinquam, Templumque deseram, quod meæ inter vos sedis loco elegeram, atque in Cœlum, sedem meam, secedam; extremisque ærumnis moniti, ad me convertemini, & resipiscetis. *Quem propitium præsentemque non senserant, iratum & absentem requirent*, inquit S. Hieronymus (31).

CAPUT VI.

Israel & Juda inter ærumnas ad Deum reversi. Dei querelæ ac minæ in populum.

℣. 1. IN tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, & revertamur ad Do-
minum: 2. Quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. 3.
Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu
ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum; quasi diluculum præpara-
tus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ.
4. Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? misericordia vestra quasi nu-
bes matutina, & quasi ros mane pertransiens. 5. Propter hoc dolavi in prophetis,
occidi eos in verbis oris mei, & judicia tua quasi lux egredientur: 6. Quia miseri-
cordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei, plusquam holocausta. 7. Ipsi
autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. 8. Galaad
civitas operantium idolum, supplantata sanguine. 9. Et quasi fauces virorum latro-
num, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus
operati sunt. 10. In domo Israel vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: con-
taminatus est Israel. 11. Sed & Juda pone messem tibi, cum convertero captivita-
tem populi mei.

℣. 1. IN tribulatione sua mane consurgent ad me (1). Familiaris Scripturæ locutio, qua significatur: Venire festinabunt; sollicite venient. Jungenda hæc sunt cum superioribus, ℣. 14. 15. Similis pantheræ futurus sum erga Ephraimum, & erga Judam leo: prædam rapiam, & nemo auferet: meam in sedem me recipiam, donec ipsi me ultro quæratis. Malorum pondere oppressi, & ærumnis fatigati, mane surgetis, me quæsituri. Decem Tribus & Judam hic & sequentibus versiculis alloquitur. Vide ℣. 4.

℣. 2. Ipse cepit, et sanabit nos. Hebræus (2): *Ipse rapuit* (ceu leo prædam) *& sanabit nos*. Pœnitentis populi sensa recitat hic Propheta.

℣. 3. Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos. Scripturarum more, captivitas, oppressio, servitus, morbus, periculum frequenter mortis nomine significantur; malorum vero finis, resurrectio, reditus ad vitam lucemque, vitæ renovatio, &c. appellatur. Hujus rei exempla suppeditant Daniel, Ezechiel, aliique Scripturæ loci (3). Judæi in Assyria & Babylone captivi, malorum pondere oppressi, sese invicem hortantur: Agite jam, revertamur ad Dominum; ipse nos ad ea mala, sub [illegible] gemimus, impulit: idem, si placuerit, duorum vel trium dierum spatio liberos dimittere poterit. Nihil illi arduum est. Pius clemensque diu nos captivos oppressosque, ac ceu sepultos, veluti in tumulo mortuos, jacere non patietur (4). Brevis duorum vel trium dierum numerus celeritatem indicat & facilitatem salutis, quam sibi a Deo pollicentur (5). Septuaginta (6): *Curabit nos; & tertia die resurgemus* (vel in vitam redibimus), *& vivemus coram ipso*.

Nullo tamen negotio in Prophetæ verbis mens ipsius agnoscitur, augustius aliquid ac sublimius spectans, quam populi reditum e captivitate. Tota vaticinii fides, si ad verbum usurpetur, in Hebræis nunquam expleta est. Frustra apud Historicos quæras numerum hunc duorum dierum, quibus elapsis ille in vitam revocandus esset, ac tertium diem, quo is esset surrecturus. Quamobrem his verbis Propheta designat Fidelium Christi Sanguine redemptorum resurrectionem. Luculentissime Servatoris ipsius Resurrectionem tradit, qui, *cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos, conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus* (7). Huc spectabat Apostolus, inquiens 1. Cor. xv. 4. *Quia Christus resurrexit tertia die, secundum Scripturas*. Ita & Patres (8), atque

(30) Heb. כשחל Ὡς πανθὴρ. Aq. Ὡς λέαινα. Sym. Ὡς ἐβέσκη λεαίνη. Theod. Ὡς λίς. Vide Hieron. Grot.
(31) Hieron. in c. vi. initio. (1) ישחרנני Septuag. Ὀρθριοῦσι πρὸς με. (2) כי הוא טרף וירפאנו Septuag. Αὐτὸς ἥρπακε, & ἰάσεται ἡμᾶς. (3) Dan. xii. 1. 2. Ezech. xxxvii. 5. 11. 12. 16.
(4) Isai. xvii. 19. xli. 14. & lxvi. 14. Psal. xxx. 15. cxl. 7. &c. (5) Vide infra Osee xiii. 14.
(6) Theodoret. Theophyl. Sanct. n. 22 Drus. Grot. Riv. Pisc. Hebræi quid. apud Figuer. (7) Eph. ii. 5.
(8) Hieron. hic, August. lib. 18. de Trinit. c. 28. Lactant. lib. 4. de Div. Sap. cap. 84. Greg. Mag. hom. xx. in Ezech. Cyprian. l. 2. contra Judæos c. 24. Herveus in 1. ad Cor. D. Bernard. serm. 1. in Resurrect. Origen. homil. v. in Exod. Tertull. advers. Jud. c. 13. Theodoret. & Theophylact. hic. Cyrill. Alex. in 2. Joan. c. 26. Vide Sanct. n. 9. &c.

que Interpretes ferme omnes explicavere; primusque hic est ac verus hujus oraculi sensus. Solent Prophetæ vaticinia de Christo miscere cum cæteris, ad reditum e captivitate spectantibus; atque ex aliis ad alia statim transire, rem longe nobilissimam gravissimamque tractantes. Ipse loquendi modus sedulum attentumque Lectorem hujus transitus & conversionis satis monet.

Sciemus, sequemurque. Spontaneæ quæsitæque ignorantiæ, nostrorumque officiorum negligentiæ, ac refractariæ in Deum voluntatis, nos passim supra damnavere Prophetæ (9): Profecto Deum non agnovimus, ac mendacium & idola sectati sumus. His jam renunciamus: *Sciemus sequemurque*.

Quasi diluculum præparatus est egressus ejus. Resurgens Christus, auroræ vel solis orientis instar apparuit, ut omnia illustraret, calefaceret, vitæ redderet. Judæi Babylone captivi sibi pollicentur futurum, ut ad sese veniat Deus, & veluti aurora inter densissimas exilii tenebras micet.

Veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ; veluti imber autumnalis & vernus. Hebræus (10): *Veniet quasi imber nobis, quasi imber serotinus in terram radens*. Plerique tamen cum Septuaginta (11) & Vulgata contentiunt, de autumnali vernoque imbre explicantibus; in Judæa enim cætera fere anni tempora, præter ver & autumnum, imbribus carent. Vide quæ de duplici hoc imbre diximus Deut. XI. 14.

℣. 4. Quid faciam tibi, Ephraim? Votis sive pollicitationibus Judæ & Israelis ita respondet Deus. Quid vestri causa faciam? utrumque excipere, ac benevolentia complecti paratus sum: at vos ipsi obicem opponitis; septum inter me & vos ipsi struitis. Sanctius vitæ institutum exordimini, atque ad me serio redite.

Misericordia vestra quasi nubes matutina. Misericordia, quam erga fratres exhibetis, ita inconstans est, uti nubes matutinæ, quas sol exoriens dissipat. *Misericordia* hoc loco non sola pietatis, misericordiæ, & clementiæ in proximos opera significat, verum etiam universe benignitatem, probitatem, æquitatem (12). Ex Hebraica voce *Chesed* derivatum censetur a quibusdam *Assidæorum* nomen, quod legitur in Macchabæis (13), significans homines pietate ac religione claros. Septuaginta frequenter vocem *Chesed* vertunt *justitiam* (14); interdum sanctitatem. Postremam hanc interpretationem frequenter sequitur Vulgata (15). Quamobrem hic locus ita explicari potest: Sanctitas vestra, vel justitia, conversio neque constans est nec sincera (16). Matutinarum nubium & roris instar dissipatur. Vulgaris hæc locutio eodem sensu legitur infra XIII. 3. *Erant sicut nubes matutina. & sicut ros matutinus præteriens*. His verbis Osee populi sensa exhibet, qualia sub exordia captivitatis erant. Errorem suum agnoscere cœpit populus, doluit, ad Deum conversus est, statimque se a Deo exauditum iri existimavit, paucisque post diebus malorum finem sese experturum. At respondet Deus, non satis absolute illum pœnituisse, pœnamque tamdiu perseveraturam, quamdiu ille non resipuerit.

℣. 5. Propter hoc dolavi in Prophetis (populum durissime castigavi per Prophetas), occidi eos in verbis oris mei. Prophetas meos in populum contumacem & refractarium misi; durissime illum exercui, uti marmor asperum, durum, contumax; scalpro admoto, superflua omnia & inutilia excidi, uti sculptor solet, cum simulacrum e rudi marmore effingit. Mortifera verba, acerrimas objurgationes, quibus vel mortuus excitari queat, terribiles extremarum calamitatum minas Prophetis meis dedi. Illos quodammodo Prophetæ mei occiderunt, mortem nunciantes, captivitatem, bellum, malaque extrema; quemadmodum Levit. XIII. 11. dicitur, Sacerdos hominem polluere seu purgare, quod illum vel inquinatum vel purgatum pronunciaret. Ita Isaias surdos facit cœcosque illos, quibus surditatem cœcitatemque prædicit.

Septuaginta, quibus Interpretes nonnulli accedunt, aliter explicant (17): *Demessui Prophetas vestros, occidi eos in verbo oris mei*. Falsos Prophetas, qui nedum vos ab impietate & scelere minime removebant, verum etiam gravioribus in dies flagitiis implicabant, occidi Eliæ manu (18), vel Jehu (19). Prior tamen explicatio aptior est, & cum præcedentibus melius nectitur.

Judicia tua quasi lux egredientur. Ultionis meæ meorumque judiciorum severitatem in vos coram omnibus, clarissima diei luce exercui. Vel: Opprimet vos judicium & damnatio, veluti dormientem lux. Hebræus ad verbum (20): *Judicia tua* quasi *lux exoriens*.

℣. 6. Misericordiam volui, et non sacrificium. Misericordia hic eodem sensu accipitur, quo supra ℣. 4. pro justitia, sanctitate, pietate. Hæc si absit, inania prorsus sunt Sacrificia. Dixerat supra Osee, Hebræos ærumnis oppressos ad Deum reversuros cum victimarum gregibus (21); monet hic, se holocausta non quærere, sed animi conversionem, horrorem criminis, seriam conversionem, sinceram pœnitentiam. *Victimæ meæ salus credentium, & conversio peccatorum*, inquit S. Hieronymus.

Et scientiam Dei, plusquam holocausta. Dei scientia, quam hic postulat, ea non est inanis sterilisque rerum divinarum notitia, curiositati tantummodo & ambitioni serviens, sed scientia quæ in actione posita est, non sola meditatione contenta, conjuncta charitati; Dei oblivioni, officiorum ignorantiæ, contumaciæ, impietati opposita. Misericordiæ & scientiæ Dei nominibus Propheta virtutes omnes complectitur. Duo hæc Israelitis deerant, uti non semel questus est Deus (22).

℣. 7. Ipsi autem sicut Adam prævaricati sunt pactum. Quemadmodum primus homo præceptum meum in horto Eden violavit; ita populus meus in ea regione, quam ipsi largitus sum, leges meas pessundedit. At quemadmodum Adamum peccati causa e terrestri Paradiso ejeci; ita populum, contumaciæ reum, dispergam, suaque a regione removebo. Hebræus hanc etiam explicationem patitur (23): *Ipsi autem sicut homo transgredientes fœdus*; gens nullius fidei & religionis, venia indignissima. Hoc sensu explicavere Septuaginta (24). Aliter: Legem meam violant Israelitæ, veluti gens mihi penitus aliena; ut ii hominum filii, quibus legem meam non dedi, quos fœdus meum minime complectitur.

℣. 8. Galaad civitas operantium idolum. Galaad regio erat montibus aspera, trans Jordanem, ad orientem dimidiæ Tribus Manassis, ubi initum est Jacobum inter & Labanum fœdus, erecto lapidum acervo, ut amicitiæ argumentum exstaret. Hæc procul dubio causa fuit, cur ibi pro-

fanæ

(9) Osee IV. 6. (10) יבוא כגשם לנו כמלקוש יורה ארץ (11) Ἥξει ὡς ὑετὸς πρώϊμος καὶ ὄψιμος τῇ γῇ. (12) חסד Vide Grot. Drus. Lud. de Dieu. (13) 1. Macch. II. 42. VII. 13. & 2. Macch. XIV. 6. (14) Vide 70. in Genes. XX. 13. XXI. 23. XXIV. 27. XXXII. 10. Exod. XV. 13. (15) Deut. XXXIII. 8. 1. Reg. II. 9. & 2. Reg. XXII. 26. & 2. Par. VI. 41. Psal. IV. 4. &c. (16) Theodoret. hic. (17) Ἀπεθέρισα τοὺς Προφήτας ὑμῶν, ἀπέκτεινα αὐτοὺς ἐν ῥήματι στόματός μου. (18) 3. Reg. XVIII. 40. (19) 4. Reg. X. 25. Vide Hieron. Cyrill. Haimon. (20) משפטיך אור יצא Chald. *Judicium meum quasi lux orietur*. (21) Osee V. 6. *In gregibus, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient*. (22) Osee IV. 6. V. 4. VI. 4. (23) והמה כאדם עברו ברית (24) Αὐτοὶ δέ εἰσιν ὡς ἄνθρωπος παραβαίνων διαθήκην.

fanæ superstitionis aræ deinde dedicarentur. Porro videtur Propheta Maspham Galaad, seu Ramoth Galaad, urbes in iis montibus sitas, hic designare. Nullus profecto ex Historicis Liber idola ibi fuisse tradit: hic tamen locus idipsum satis luculenter docet. Nullus ferme locus, aut mons, aliquo nomine clarus, in Regno Israelis erat, quem superstitio supremis Hebraicæ Reipublicæ temporibus non profanaverit. Hoc ipsum supra ionuit Osee (26), ubi Masphæ meminit. Septuaginta: Galaad *civitas operans vana*. Theodoretus lagit *Galgal* pro *Galaad* (27); *Sprevit me Galgala, civitas operans vana*, idololatriam sequens. Idola in Galgalis fuisse, supra vidimus (28).

Supplantata sanguine (29), undique manaos cruore. *Supplantare* alio sensu hic usurpandum esse, Interpretes consentiunt. Plerique vertunt (30): *Fœdata sanguine*. Alii (31): Fœdata passim cædibus; vel, ita cruore exudat, ut purum vestigium nullo in loco figi queat. Septuaginta (32): *Turbans aquam*. Urbs est turbarum & litium plena. Chaldæus: *Civitas hominum effundentium sanguinem innoxium fraudulenter*; qui simplicem supplantant ut perdant.

℣. 9. Quasi fauces virorum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem. Regio Galaad infamis erat latrociniis ac cædibus; quamobrem frequentiores ibi erant urbes refugii, quam cis Jordanem (33), Ibi Jephte cum sicariorum manu latrocinium exercebat (34). Id profecto de Gad, plerosque eos montes occupante, prædictum fuerat, nimirum fore, ut turmatim more latronum incederet (35); atque ab Osee spectari mihi videntur Jacobi verba, cum morti proximus filium Gad alloqueretur: *Gad, accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum*; ipsum latrones invadent; & ipse arma capiet, ut illos invadat & persequatur. Malim ego hunc Osee locum ita vertere (36): *Galaad civitas scelestorum, fœdata sanguine; quasi manus latronum præstolantium peregrinos. Coiverunt Sacerdotes, ut interficiant eos qui pergunt in Sicima*. Sacerdotes gentia transjordanicæ, auri cupiditate & invidia acti, in viis coibant, ut eos interficerent, qui trajecturi erant Jordanem, ut ad nequissimæ Religionis exercitium proficiscerentur in Sichem, celebrem in Ephraimi parte urbem, prope Samariam; quam Hebræi religiosis itineribus frequentabant, antequam regio a Cuthæis occuparetur. Supra vidimus (37), aras ac Sacerdotes in Galaad fuisse dedicatos.

Septuaginta (38): *Galaad, urbs operans vana, idololatriam sequens, turbans aquam: robur illius ceu hominis piratæ. Absconderunt Sacerdotes viam; occiderunt Sicima, quia iniquitatem fecerunt*. Chaldæus: *Consociati sunt Galaaditæ ac Sacerdotes eorum; quemadmodum observat vir exercitum; in eadem via occidunt animas consensu uno* (39).

℣. 11. Sed et, Juda, pone messem tibi. Venient vices tuæ, Juda; meteris & tu, atque in captivitatem abigeris, donec te ab exilio revocavero. Messis duplici sensu apud Scripturam usurpatur, nimirum pro bonorum præmio, & supplicio impiorum. Ita Gal. vi. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem*. Et Osee viii. 7. *Ventum seminabunt, & turbinem metent*. In Apocalypsi xiv. 15. Angelus ad sedentem in nube clamat: *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ*. His omnibus in locis messis pro tempore vindictæ divinique furoris usurpatur. At sensu plane opposito explicari potest locus, quem versamus: *At tu, Juda, para messem tibi, cum reduxero captivitatem populi mei*. Supra ii. 15. &c. vidimus, Deum populo post captivitatem polliceri vineas, seu vindemiatores in valle Achor; tunc Deum faciles præbiturum aures Cœlo, Cœlum terræ, terram vocibus frumenti, vini oleique, ut ubertatem in regionem revocent. Reditus e captivitate messi uberrimæ passim in Scriptura comparatur (40). Septuaginta (41): *Et tu, Juda, incipe vindemiam tibi, cum convertero captivitatem populi*. Verti potest Hebræus (42): *Et tu, Juda, posuit Deus messem tibi, cum reduxero e captivitate populum meum*.

---

[26] Osee v. 1. *Laqueus facti estis speculationi*. Hebr. Maspha. [27] Κατημέλησέ με Γάλγαλα, πόλις ἐργαζομένη μάταια. [28] Osee iv. 15. [29] עקבה מדם [30] Pagn. Mont. Dauf. Livell. [31] Jun. Piscat. Tarnov. [32] Ταράσσουσα ὕδωρ. Legunt עקבה מים [33] Num. xxxv. 14. Deut. iv. 41. Josue xx. 8. Grot. ad ℣. 8. [34] Judic. xi. [35] Genes. xlix. 19. Vide S. Hieronymum QQ. Hebr. in Genesim, ubi vertit: *Gad, latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam*. [36] כחכי איש גדודים חבר כהנים דרך ירצחו שכמה [37] Vide Osee iv. 15. & supra ℣. 8. [38] Ἡ ἰσχὺς σου ἀνδρὸς πειρατοῦ· ἔκρυψαν ἱερεῖς ὁδόν· ἐφόνευσαν Σίκιμα, ὅτι ἀνομίαν ἐποίησαν. [39] Chaldæus usurpat שכמה, quæ vox interdum significat humerum, quasi haberetur *humero uno*, uno consensu. Vide Sophon. iii. 9. [40] Isai. ix. 3. & Psal. cxxv. 6. [41] Καὶ Ἰούδα ἄρχου τρυγᾷν σεαυτῷ, ἐν τῷ ἐπιστρέφειν με τὴν αἰχμαλωσίαν τοῦ λαοῦ μου. [42] Heb. גם יהודה שת קציר לך בשובי שבות עמי

CAPUT VII.

Israelis flagitia officiunt, ne Deus illos sanet. Reges ad idololatriam impellentes imitantur. Deum derelinquunt, ut Ægypti & Assyriorum opem quærant.

℣. 1. CUM sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Sa-
mariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrun-
culus foris. 2. Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me re-
cordatum: nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt.
3. In malitia sua lætificaverunt regem: & in mendaciis suis principes: 4. Omnes ad-
ulterantes, quasi clibanus succensus a coquente: quievit paululum civitas a commistio-
ne fermenti, donec fermentaretur totum. 5. Dies regis nostri: cœperunt principes
furere a vino: extendit manum suam cum illusoribus. 6. Quia applicaverunt quasi
clibanum cor suum, cum insidiaretur eis: tota nocte dormivit coquens eos, mane

ipse

ipse succensus quasi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & de-
voraverunt judices suos: omnes reges eorum ceciderunt: non est, qui clamet in eis
ad me. 8. Ephraim in populis ipse commiscebatur: Ephraim factus est subcineri-
cius panis, qui non reservatur. 9. Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit:
sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit. 10. Et humiliabitur superbia Israel
in facie ejus: nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in
omnibus his. 11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor:
Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. 12. Et cum profecti fuerint, expan-
dam super eos rete meum: quasi volucrem cœli detraham eos, cædam eos secundum
auditionem cœtus eorum. 13. Væ eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quia
prævaricati sunt in me, & ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.
14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis: super
triticum, & vinum ruminabant, recesserunt a me. 15. Et ego erudivi eos, & con-
fortavi brachia eorum: & in me cogitaverunt malitiam. 16. Reversi sunt, ut essent
absque jugo: facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, a fu-
rore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.

℣. 1. CUM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM. Dum unum illius vulnus curo, nova subinde invenio. Vix ab uno convaluit, alterum statim in morbum ruit. Quoties Prophetas misit ad Israelem Deus? Quoties minitatus est, puniit, docuit, revocavit? Frustra cecidere conatus omnes & studia, novorum in dies criminum causa, quibus populus in exitium ruit, medicinæ impatiens, quamvis morbis gravissimis affligatur.

FUR INGRESSUS EST SPOLIANS, LATRUNCULUS FORIS. Israelis Regnum obnoxium fuit Principum & Judicum latrociniis, seditionibus bellisque civilibus, tyrannorum oppressioni & injuriis, velut Sellum, Manahemi, Phaceiæ, Phacee, Osee, quos optimo jure tyrannos dixeris; foris, Assyriæ Reges, Phul, Teglathphalassar, Salmanasar, tum Syriæ Reges, & finitimi latronum more miserrimam regionem invasere.

℣. 2. NE FORTE DICANT, OMNEM MALITIAM EORUM ME RECORDATUM. Ne querantur, me nimis severum esse, nihilque impunitum relinquere. Diu satis dissimulavi, clemens fui. Ipsi vim furori meo adhibuerunt, ut aliquando erumperet. Neque ego illorum flagitia scrutatus sum: me præsente peccaverunt: vetera peccata non quæro, jam oblivione deleta, vel expiata: nova teneo & gravissima.

℣. 3. IN MALITIA SUA LÆTIFICAVERUNT REGEM. Frustra quæras, quis iste Rex sit, cui placere studuerint male agendo Israelitæ; nullum enim Israelis Regem novimus, qui pietatem coluerit, vitulorumque cultum abjecerit. At omnium clarissimus scelere, qui Israelem universum, & reliquos deinde Reges pessimo exemplo in crimen traxit, Jeroboam est, filius Nabath, is enim execrabili regnandi arte cultum ac religionem in universo Israele mutavit; & populus impia indignaque adulatione quicquid Regi placuit, sectatus est.

℣. 4. OMNES ADULTERANTES, QUASI CLIBANUS SUCCENSUS A COQUENTE. Hoc versiculo & sequentibus Osee Israelitas cum fornace & conspersione comparat. Jeroboam filius Nabath ignem fornaci admovit, & conspersioni fermentum miscuit, ac deinde quievit, relicto igne ut fornacem calefaceret, ac fermento ut conspersionem corrumperet. Cum is subditos a veteri religione removere vellet, ignem quodammodo admovit, & conspersioni fermentum. Neque usus est vi, sed exhortatione, ac diei festæ indictione. Statim ignis exarsit; conspersio confestim fermento corrupta est. Israel universus ad festum diem convenit, novasque res amavit. Quid vero fornacem hanc & conspersionem manet? Fornax igne consumetur: Rex, Principes, populus incendio obvolventur. Vide ℣. 7. Israel cinere opertus est, veluti panis optime subactus & fermento satis corruptus; at cum verti non potuerit, ex altera parte penitus combustus est: antequam ii, qui panem paraverant, eo uti possent, hostes, alieni venientes panem abstulerunt. Vide ℣℣. 8. & 9.

℣. 5. DIES REGIS NOSTRI. CŒPERUNT PRINCIPES FURERE A VINO. Dies Regis vel natalis est, vel inaugurationis. Cum de Principe agitur, Regni exordium plerumque significatur. Comparationem fornacis & conspersionis brevi remittit Propheta, ut ebrietatem Principum Israelis arguat. Vino ad furorem usque madent. *Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit.* Eccli. XXXI. 38. Eubulus apud Athenæum Dipnosoph. l. 8. c. 1. Bacchum ita disserentem inducit: *Tria ego pocula tantum misceo illis qui sapiunt: unum bonæ valetudinis, quod omnium primum bibunt; alterum amoris & voluptatis; soporis tertium. Hoc epoto, ii quos sapientes dicimus, sese domum recipiunt; post, si quartum additur, non est id amplius nostrum, sed protervia. Quintum clamoris; sextum petulantis comessationis; septimum macularum ac sugillationum in oculis; apparitoris octavus; nonus iracundiæ; decimus furoris, quo prosternuntur qui bibunt.*

EXTENDIT MANUM SUAM CUM ILLUSORIBUS (1), cum furentibus; Septuaginta (2), *cum pestilentibus*; ita enim reddunt Hebraicam vocem *Lezim*, seu *Lozezim*. Putant alii, ea voce significari scurras, ridiculos homines, qui & ipsi ridere, & cæteros ad risum impellere student. Hos ubique describit Scriptura ceu homines Religione divinorumque judiciorum metu vacuos; denique effrænes, flagitiosos, sacrorum contemptores. Princeps, cujus erat perniciosos hujusmodi homines coercere, illis favet, illos tuetur, communem cum illis vitam agit.

℣. 6. APPLICUERUNT QUASI CLIBANUM COR SUUM, CUM INSIDIARETUR EIS. Redit ad fornacis comparationem cum Impiis. Meditatus Jeroboam decem Tribus a Davidis familia æterno dissidio segregare, Principibus populoque insidias ponit, ipsosque ad libidinem ac vinum trahit. Ita ignem quodammodo intra illorum viscera inspirat. Proceres sibi vindicat, libidini illorum favens; communemque cum illis licentiam exercens, totas populo habenas dat. Nec plura: sistendum est, locusque flammæ relinquendus; illico enim animos

[1] משך ידו את לצצים [2] Ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ μετὰ λοιμῶν.

suos corripiet. Septuaginta (3): *Exurserunt ut clibanus corda eorum, dum demersi sunt tota nocte.* Verti potest Hebræus (4): *Quoniam admoverunt quasi clibanum cor suum, cum insidiarentur tota nocte.* Quicquid Jeroboamo placuit, sectati sunt, facta sibi ab eo potestate, ut fratribus insidias singulis noctibus ponerent.

℣. 7. Devoraverunt judices suos. Ignia, quem Jeroboam cæterique post illum Reges in Israele excitavere, ipsis fuit populoque fatalia. Principum populique superstitio malorum omnium, quæ Regnum invasere, radix fuit. Judicum nomen hic ponitur pro Rege, Principe, Administratore, &c.

Omnes Reges eorum ceciderunt. Nullum Israelis Regem ab Jeroboamo filio Nabath novimus, qui vitulorum aureorum superstitione liber fuerit, aut constanti pœnitentia ad Dominum confugerit.

℣. 8. Ephraim in populis ipse commiscebatur.. factus est subcinericius panis. Hebraica dictio (5), quam Vulgata reddit, *commiscebatur*, proprie sonat, farinam ex oleo subigere (6); & altera, quæ versa est, *subcinericius panis*, placentam significat sub cinere coctam, vel super lapides quosdam candentes, in eam rem paratos. De postremo hoc panis genere S. Cyrillus interpretatur; atque hunc morem adhuc apud Hispanos ab agricolis sylvicolisque servari, tradit Sanctius. Nullo fermo panis genero, præter subcinericium, utuntur Arabes (7). Farinam aqua miscent in lignea gabara, quam in eum usum secum gerunt; subactamque farinam tereti forma tenuissima fingunt, pedis unius ac dimidii diametro; tum sabulo imponunt, ubi mox ignis fuit; calido cinere operiunt, deinde prunis; atque ex altera parte coctam invertunt: denique probe excoctam educunt, atque in frusta minutiora dividunt, iterumque subigunt, conspersa aqua, mistoque butyro, melle, vel oleo, ingentemque ex ea massam conficiunt; ex qua frustula evellentes, ea digitis premunt & comedunt. Israelem similem futurum ait Propheta pani subcinericio, quem invertendi tempus non fuit; illum enim hostes nondum coctum rapuere.

℣. 9. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit. Illius regionem invaserunt Assyrii, & optima quæque absumpsere; Syriæ & Damasci Reges, pulsis illuc exercitibus, obvia quælibet abstulerunt; at mala hæc non sentire visus est Israel, neque justissimam esse criminum suorum pœnam animadvertit.

Sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. Finem sibi imminere non sentit, atque Ephraimum desiturum quamprimum esse populum (8); ipsum mox dissipatum iri, ac dispersis captivisque filiis quodammodo moriturum.

℣. 10. Humiliabitur superbia Israel in facie ejus. Ultimam in dejectionem redigetur, suamque calamitatem ipse intuebitur. Suppliciorum omnium durissimum superbo est, de superbia dejici, quin pie humilis esse queat, vel dejectionem aut probrum pati. Reddi potest Hebræus (9): *Testificabitur fastus Israel in facie ejus*, illum accusabit damnabitque; pictam ore superbiam præfefert. Vide eamdem locutionem supra v. 5.

℣. 11. Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. Hebræus (10): *Quasi columba stolida*, simplex, *carens corde*. Columba animal est inerme, simplex, felle carens, hominum & bestiarum injuriis obnoxium. Una omnium avis est, pullos non defendens, inquit S. Hieronymus; cæteræ ubi accipitrem aut corvum nido imminentem vident, natos pro viribus tuentur, circa nidum volant, se ipsas objiciunt, clamant, alas quatiunt, rostro feriunt; & cum ablati fuerint pulli, seu devorati, dolorem motu & gemitu testantur. *Sola columba pullos non dolet, non requirit.* Quamvis pullos in nido aut raptos aut voratos experiatur, quamvis ova fodiant vermes, aut angues fœtus vorent, vel homines pullos auferant, ad eumdem locum, præteriti discriminis oblita, quotannis redit (11). Stolidam hanc simplicitatem nullo negotio cum Ephraimo comparaveris. Præteritorum scelerum pœna, Deus illi filios abstulit, variis sævisque bellis exagitans. Regionem invaserat hostis, eamque depopulatus, obvia quælibet abstulerat. Magnam populi partem Teglathphalassar captivam abduxerat. Omnia tamen hæc mala efficere non potuerunt, ut Ephraim tandem aliquando intelligeret. Columba est vecors, mala sua negligens, & damna non sentiens. Flagitia & idololatriam, calamitatum suarum causas, nedum non reliquit, verum etiam in malo contumax, peccatis cumulum addidit. De hac locutione, *non habens cor*, vide Osee IV. 11. Proverb. VII. 7. IX. 4. 16. X. 21. XII. 11. &c. Ecclesiast. XVI. 23.

Ægyptum invocabant: ad Assyrios abierunt. Opem Phul Assyriorum Regis Manahem flagitavit, ut occupatum Israelis Regnum tueretur (12): at malus hic defensor suam illi opem tanti vendidit, ut illum postulasse pœnituerit. Teglathphalassar & Salmanasar Regnum Israelis sibi subditum esse voluerunt; ipsumque pluribus bellis spoliatum exhaustumque, denique penitus everterunt, Israelitis trans Euphratem in captivitatem raptis. Jeroboam filius Nabath, Salomonis vim vitaturus, in Ægyptum fugit (13), ibique auxilium nactus est. Redux, Salomonis Regnum divisit, occupato decem Tribuum imperio. Osee, supremus Israelis Rex, Assyriorum jugo se subducere conatus est, ope Suæ Ægyptiorum Regis flagitata (14): at cum ea res illum Salmanasaro suspectum reddidisset; hic Israelis Regnum evertere, populumque in alienam regionem transferre decrevit. Ita Israel Dei manum effugere conatus, humanæque rationis leges sequutus, suam ipsius sapientiam meram esse insaniam, seque stolidam ac vecordem columbam esse expertus est.

℣. 12. Expandam super eos rete meum. Vix columba hæc volatum explicuerit, ut opem apud alienos quærat, illam ego reti capiam. Pergit columbæ allegoria.

Secundum auditionem cœtus eorum. Iis malis affligam, quæ in eorum cœtibus minitatus sum; quæ in Lege traduntur (15), quæ meorum Prophetarum ore nunciari vestris in conventibus jussi (16). Septuaginta (17): *Castigabo illos fama calamitatis eorum.* Id ego efficiam, ut calamitatem suam omnium hominum fabulam esse sentiant, ejusque fama orbem universum impleat.

℣. 13. Vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Septuaginta (18): *Miseri sunt, quia impii fuerunt in me.* Hebræus ad verbum (19): *Vastitas* erit eis, *quia infideles* fuerunt mihi.

Locuti sunt contra me mendacia. Sævitiæ & infirmitatis me accusavere; intolerabilem mihi seve-

(3) Διότι ἀνεκαύθησαν ὡς κλίβανος αἱ καρδίαι αὐτῶν, ἐν τῷ καταπιέζεσθαι αὐτὸν ὅλην τὴν νύκτα.
(4) כי קרבו כתנור לבם בארבם כל הלילה (5) אפרים בעמים הוא יתבולל אפרים היה עגה בלי הפוכה
(6) Vide Exod. XXIX. 40. Levit. VII. 10. (7) Thevenot, Voyage de Levant, chap. 32. pag. 330.
(8) Isai. VII. 8. *Desinet Ephraim esse populus.* (9) וענה גאון ישראל בפניו Septuag. Ταπεινωθήσεται ἡ ὕβρις τοῦ Ἰσραὴλ εἰς πρόσωπον αὐτοῦ. (10) ביונה פותה Septuag. Ὡς περιστερὰ ἄνους. Aqu. & Sym. Θελγομένη, vel ἀπατωμένη. (11) Ita Theodoret. & Cyrill. (12) 4. Reg. XV. 19. (13) 3. Reg. XI. 40.
(14) 4. Reg. XVII. 4. (15) Deut. XXVI. XXVIII. (16) 4. Reg. XVII. 13. (17) Παιδεύσω αὐτοὺς ἐν τῇ ἀκοῇ τῆς θλίψεως αὐτῶν. Hebr. איסרם כשמע לעדתם Legunt Septuag. לרעתם (18) Δείλαιοί εἰσιν, ὅτι ἀπεπήδησαν ἀπ' ἐμοῦ. Quidam Codices apud Hieron. Δῆλοί εἰσι. Unde in Vulg. antiqua: *Manifesti sunt.*
(19) שד להם כי פשעו בי

severitatem esse dixerunt, cui nemo satis placeat. De mea æquitate, majestate, ac veritate indigna senserunt. Vitulos aureos innuentes, pleno cœtu dixerant 3. Reg. XII. 28. *Ecce Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*.

℣. 14. SUPER TRITICUM ET VINUM RUMINABANT; nihil nisi triticum vinumque meditabantur. Cum in extremis malorum angustiis ad me confugere debuerint, animis despondeꝛunt, gemitus questusque sectati. Hebræus (20): *Ob inopiam frumenti & vini formidabant*. Vel: *Super frumentum & vinum congregabantur*, falsos Deos invocaturi, me neglecto. Septuaginta (21): *Super frumento & vino concisi sunt*. Sive: *Se ipsos inciderunt*, in Deorum honorem, cum frumento & vino abundarent (22); vel triticum vinumque a Diis flagitaturi.

℣. 16. REVERSI SUNT UT ESSENT ABSQUE JUGO. In Ægyptum quodammodo reversi sunt, ad veterem superstitionem rediere, aureos vitulos sectati, instar Apidis, celeberrimi Ægyptiorum Numinis, conflatos (23). Vel: Vetera flagitia cumulavere, conatique olim collum jugo meo subducere in deserto, tum sub Judicibus, deinde sub Jeroboamo; iterum sub Achabo cœpere, nec sub Jehu cæterisque deinde Regibus desierunt, quin aut minis, aut promissis, aut animadversionibus ad officium revocarentur. Septuaginta (24): *Conversi sunt ad ad inane*, vel ad Idola.

ARCUS DOLOSUS, qui certo ictu scopum non ferit: vel, *qui percutit dirigentem, & vulnerat dominum suum*, inquit S. Hieronymus. Septuaginta (25): *Facti sunt ut arcus extensus*. Theodoretus contrario sensu (26): *Arcus non extensus*, laxatus, qui neque jaculantem defendit, neque hostem lædit.

ISTA SUBSANNATIO EORUM IN TERRA ÆGYPTI (27). Ita me olim reliquere in Ægypto, vel irrisere (28). Ad vetera flagitia nunc redeunt. Vel: Hic iniquitatis illorum fructus: irrisionibus Ægypti obnoxii erunt.

C A P U T VIII.

Samariæ excidium. Aureus illius vitulus in terram projectus. Captivitas Israelis, Illius sacrificia abjecit Deus. Validas urbes frustra struit Juda.

℣ 1. IN gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam prævaricati sunt. 2. Me invocabunt: Deus meus, cognovimus te Israel. 3. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. 4. Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi: argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent: 5. Projectus est vitulus tuus, Samaria; iratus est furor meus in eos: usquequo non poterunt emundari? 6. Quia ex Israel & ipse est: artifex fecit illum, & non est Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. 7. Quia ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod & si fecerit, alieni comedent eam. 8. Devoratus est Israel: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. 9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur. Onager solitarius sibi Ephraim: munera dederunt amatoribus. 10. Sed & cum mercede conduxerint nationes, tunc congregabo eos: & quiescent paulisper ab onere regis, & principum. 11. Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum. 12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. 13. Hostias offerent, immolabunt carnes, & Dominus non suscipiet eas: tunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur. 14. Et oblitus est Israel factoris sui, & ædificavit delubra, & Judas multiplicavit urbes munitas, & mittam ignem in civitates ejus, & devorabit ædes illius.

℣. 1. IN GUTTURE TUO SIT TUBA; QUASI AQUILA SUPER DOMUM DOMINI. Nabuchodonosorem frequentibus Prophetarum locis cum aquila comparari (1), compertum est. At illum hoc loco aquilæ nomine significari, non censeo; non enim ipse Israelis regnum evertit, populumque cum aureis vitulis captivum, duxit; sed Salmanasar, cujus avaritia & vis appellatione aquilæ aptissime significantur. *Domus Domini* dicitur Israelis Regnum, quod, tametsi impii & rebelles, Israelitæ nunquam non Dei pars essent. Illos penitus non abjecit Deus: pater est, filios puniens, quos pro suis habere non desinit. Malim Hebræum reddere (2): *E gutture tuo clama quasi aquila adversus Domum Domini*. Eadem Latina vox, quæ aquilæ vocem, tubæ sonum significat (3). Aquilæ clangor acutus est & validus, quo lepores terrentur (4). Clamare jubet Oseam Deus ceu aquilam, ubi Israelis flagitia arguenda sunt.

℣. 2. ME INVOCABUNT . . . . . COGNOVIMUS TE, ISRAEL. Nos, Israelis populus, te Deum novimus.

---

[20] על דגן ותירוש יתגוררו [21] Ἐπὶ σίτῳ καὶ οἴνῳ κατετέμνοντο. [22] Theodoret. hic. Cyrill. Theophylact. [23] Vide Osee 12. & Jerem. XLIII. [24] Ἀπεστράφησαν εἰς τὸ μηδέν. Al. Ἀπέστησαν διὰ ... ζυγοῦ. Heb. ישובו לא על [25] Ἐγένοντο ὡς τόξον ἐντεταμένον. [26] Τόξον ἀνεπιτεταμένον, nempe, τόξον ... ὃ οὐδαμῶς βέλος ἐπιφέρει τοῖς πολεμίοις. Sym. Ἀνεστραμμένον. Al. Διεστραμμένον. [27] זו לעגם בארץ מצרים [28] Ita Chald. [1] Ezech. XVII. 3. Jerem. XLVIII. 40. XLIX. 22. & Dan. VII. 4. [2] אל חכך שפר כנשר על בית יהוה Septuag. Εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ, ὡς ἀετὸς ἐπὶ οἶκον κυρίου. Quæ verba nihil sonant. Legebant hi אל חך כעפר כנשר [3] Plin. lib. X. c. 3. *Valeria . . . sola aquilarum sine clangore, sine murmuratione*. Arist. hist. animal. lib. IX. c. 32. Μελανάετος μόνος . . . οὐ μινυρίζει, οὐδὲ κλάζει. [4] Ælian. lib. XIII. c. 11. de animalib.

mus. Ea iis non sumus, qui te neque novere, neque invocant; tibi alieni non sumus. Israelitas hosce similes iis dixeris, de quibus Evangelium Matth. VII. 22. qui suprema Judicii die Dominum his verbis compellaturi sunt: *Domine, domine in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis*, ait Christus, *Quia nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem*. Profecto *non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris, qui in Cælis est*.

℣. 3. Inimicus persequetur eum. Vel: Ab hoste fugiet. Superabit illum Assyrius & fugabit. Septuaginta (5): *Inimicum persecuti sunt* Israelitæ.

℣. 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me. Semeias Propheta Regnum Jeroboamo I. promiserat 3. Reg. XXII. alius Propheta Regnum Jehu prædixerat 4. Reg. IX. 2. At neuter Rex Deo authore regnavit; seditione enim & scelere imperium occupavere, & scelere rutati sunt; ille enim Israelem universum in Religionem impiam traxit; hic, divinis jussionibus certum usque ad finem obtemperans, iterum superstitionem fovit, & seditionem defendit. Cum in Israelem irascetetur Deus, similes illi Principes imperare patiebatur, ut criminum pœnam daret. Cum futurum prædixit, ut ii Regno potirentur, minime tamen probabat; artes quærendæ dignitatis execrabatur; ac pessima eorum voluntate, cujus ipse author non erat, in sua consilia utebantur. Præterea populus nunquam dominum consuluerat, vel ut illos crearet, vel ut exciperet. Principes, qui Zachariæ successerunt, minori adhuc jure imperium occupabant. Creationis illorum causa fuere seditio, cædes, civile bellum, immodica ambitio. Illud tantummodo in illorum electionem contulit Deus quod in maxima flagitiis; permisit scilicet, non probavit.

Principes extiterunt, et non cognovi, ita ut probarem. Ita Christus fatuis Virginibus in Evangelio testatur Matth. XXV. 12. *Nescio vos*; supremaque die se responsurum profitetur multis, qui sese ipsius asseclas esse gloriabuntur Matt. VII. 22. *Nunquam novi vos*. Septuaginta (6): *Dominati sunt, & notum non fecerunt mihi*; id ego ignoravi: me non consuluerunt.

℣. 5. Projectus est vitulus tuus, Samaria. Assyrii, Regno Samariæ occupato, aureos vitulos rapuerunt, dejectosque, ceu prædæ partem, Babylonem abstulere. Ita in ridiculos hosce Deos sæviebant victores; eversos in frusta concidebant rapiebantque, quin illi repugnarent, sive ut cultores suos, vel ut ipsi se defenderent. Frequenter Ethnicis minitatus est Deus, ablatum iri ipsorum Numina, ut illorum imbecillitatem sentirent; quippe quæ neque sui ipsorum ablationem & captivitatem prævidere aut arcere possent. Ita Jeremias XLIII. 12. Ægyptiis prædixit fore, ut Nabuchodonosor Templa cremaret, auferretque captivos Deos, quos ipsi venerabantur. Eamdem calamitatem prædicit Molocho Ammonitarum Deo II. 3. & Chamos Deo Moabitarum XLVIII. 7.

Usquequo non poterit emundari? Medici verba sunt, morbi contumaciam, & ægroti indocilitatem fastidientis. Quousque tandem curas meas frustrabuntur, meisque vocibus, Prophetis, adminiculis, minis repugnabunt?

℣. 6. Ex Israel et ipse est: artifex fecit illum. Æquum ne erat, ut Israel, cui Deus sese notum benigne adeo effecerat, cui sanctas adeo Leges, tamque puram religionem dederat, similem sibi Deum strueret; aureos vitulos, imagines vita, viribus, sensu carentes? opera manuum hominis coleret, materiem vilissimam, quam casus & artificis voluntas inter Deos collocarat?

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum ..... Horat. lib. I. Sat. 8.

In aranearum telas erit vitulus Samariæ. Varia est Hebraicarum vocum interpretatio (7), quod ignotæ sint significationis. Septuaginta & Theodotion: *Decipiens erat vitulus Samariæ*; Symmachus, *inconstans*, levis; quinta Editio, *fluctuans & vagus*; Aquila, *errans erit*, sive revertetur. Ex Hebræo Magistro didicerat S. Hieronymus, Hebraicis hujus loci vocibus significari araneorum telas, in aere fluctuantes, ac nullo negotio dissipatas. Fortasse albas ac tenuissimas eas telas designat, quæ per nitidissimos autumni dies in aere volitant, quas vulgus nostrum *filam Virginis* nuncupat. Araneas tamen esse, negant Physici, ac potius exhalationes putant nondum excoctas, quas sol, jam recedente incipiens, statim dissipare non potest. Quicquid sint, id certe senserunt S. Hieronymus, & Hebræus Hieronymi Magister. Rabbini recentiores pulverem significare ajunt, vel scobem lignorum (8), sive segmenta (9), vel scintillas (10). Ariolantur omnes, cum nihil certum sit. Recentiorum Interpretum plerique vertunt: In frusta & fragmenta redigetur vitulus Samariæ.

℣. 7. Ventum seminabunt, et turbinem metant. Vulgaris locutio. Deum robore & virtute carentem coluere; inutile præmium referent. Vel Falso cultu me ipsi provocavere; justum supplicium sentient. Ventum illi excitant, ego turbinem excibo, quo opprimantur.

Culmus stans non est in eo: germen non faciet farinam. Vel: Israel similis frumento est, hac in regione a me sato; semen nihil tulit; vel unum non video culmum in agro stantem: siquem videss, spicam inanem habet, speciem solummodo præseferens, spicarum instar, quas rubigo corrupit. Tametsi vero fortasse fructum aliquem ferant, illum ego alienis relinquam: *Alieni comedent eum*. Septuaginta (11): *Manipulus non habens vim faciendi farinam: si vero fecerit, alieni comedent eam*. Populus meus culmus est fructu carens: quidquid fert, alienis tradit. Nihil religiosum agit; siquid vero faciat, illud vitiat, cremato Idolis thure.

℣. 8. Factus est in nationibus quasi vas immundum. Nondum captivus erat Israel; at adeo inter gentes contemptui habitus, ut illum nemo aspiceret; nemo accederet; ab omnibus denique nihili habebatur. Illum finitimi aversabantur sive spernebant, præsertim ubi ad Assyrios, qui tunc hostes libertatis omnium censebantur, confugit. Vel denique Propheta præteritum pro futuro usurpat (12): Israel *factus est in gentibus quasi vas neglectum, postquam in Assyriam venit* captivus. Eodem ferme sensu Psalmista Psal. XXX. 13. *Factus sum tamquam vas perditum*, derelictum; ut mortuus homo & oblivioni datus.

℣. 9. Onager solitarius sibi Ephraim: munera dederunt amatoribus suis. Onager animal est maxime ferum, & libertatis studiosissimum: *Quasi pullum onagri, liberum se natum putat*, inquit Job, XI. 12. *Mares singuli fœminarum gregibus imperitant; timent libidinis æmulos, & ideo gravidas custodiunt, morsuque natos mares castrant*, inquit Plinius (13). Falsa libertate gloriabantur Israe-

Comment. Tom. VI. Aaa

(5) Ἐχθρὸν κατεδίωξαν. Heb. אויב ירדפו (6) 70. Ἦρξαν καὶ οὐκ ἐγνώρισάν μοι. Heb. השירו ולא ידעתי (7) כי שבבים יהיה עגל שמרון Septuag. Πλανῶν ἦν ὁ μόσχος τῆς Σαμαρείας. Sym. Ἀκαταστατῶν. Theodot. Πλανῶν. Quinta Edit. Ῥεμβάζων. Aqu. *Errantibus sive conversis*. Vide Hieron. hic. (8) Vide Mercer. Grot. (9) Kimchi. Vide Drus. Riv. (10) Abenezra. (11) Δράγμα οὐκ ἔχον ἰσχὺν τοῦ ποιῆσαι ἄλευρον. Ἐὰν δὲ καὶ ποιήσῃ, ἀλλότριοι καταφάγονται αὐτό. (12) עתה היו בגוים כבלי אין חפץ בו כי המה עלו אשור (13) Vide Oppian. lib. 3. Cyneget. Plin. lib. 8. cap. 30. Solin. c. 30.

Israelitæ; nullius sese indigere putabant; ægre peregrinis obtemperabant. Illorum Regem dominumque sese dixerat Deus; illius imperium ipsi fastidierunt. Hujus rei supplicio, alienis ac sævissimis dominis illos tradidit, Assyriis nimirum, in captivitatem redigendos. Idololatriam ea libidine amplexi sunt, ut externos amatores quæsierint, Deos gentium adoptarint, seseque iis gentibus dederint, a quibus opprimendi essent. Pretium gentibus hisce obtularunt, opibus spoliati sunt, inanium horum Numinum causa, quibus turpissime serviebant: *Munera dederunt amatoribus suis.*

℣. 10. Congregabo eas, et quiescent paulisper ab onere Regis et Principum. Ironice. Minime patiar, populum meum diutius alienis servire, aut tributum Assyriis pendere: ingrato illos onere levabo. Congregabo, ac trans Euphratem abigam, ubi aliquandiu nihil solvent: ita miseros afficiam, ut tributis solvendis pares non sint. Ibi populus non erunt, sed cum cæteris gentibus *Regum Regi* obnoxiis miscebuntur. Ita Assyrium Regem nuncupat; quæ deinde appellatio ob Assyriis ad Chaldæos, tum ad Persas transit (14). Hebræus ad verbum (15): *Congregabo eos, & quiescent paululum a tributo* [ab onere] *Regis Principum.* Vertunt alii: *Congregabo eas in sepulcrum, & paulisper dolebunt, ob tributa Regis Principum.* Plerique peribunt; & qui superstites fuerint, discent sub Assyriorum Regum jugo, quid sit servitus. Septuaginta (16): *Nunc admittam eos, & cessabunt paulisper ungere Regem & Principem.* In captivitate, ad quam redigentur, Rege carebunt & Principe, ut pœnam ferant temeritatis, qua olim me inconsulto Reges creavere. Vide supra ℣. 3.

℣. 12. Scribam ei multiplices Leges meas, quæ veluti alienæ computatæ sunt. Multas ei leges dederam, quas veluti sibi non latas habuit. Vel: Cum hæc ita se habeant, alias ne illi leges dabo, quas negligat ac rejiciat, uti hactenus fecit? Septuaginta (17): *Scribam illi multitudinem; Leges & sanctiones illius pro alienis reputatæ sunt.* Modicum adeo ad numerum illos redigam, ut nullo negotio recenseri queant, cum datas illis a me leges ita spreverint, veluti ipsis non tulerim. Chaldæus: *Scripsi eis multiplices leges; ipsi autem velut gentes reputati sunt.* Honorem electæ gentis, quem ipsis contuleram, abjecerunt.

℣. 13. Hostias offerent. Dissident veteres Codices, ex quibus nonnulli: *Hostias afferent;* alii, *hostias affer, affer.* Vide novam S. Hieronymi Editionem.

Ipsi in Ægyptum convertentur; animum mentamque ad Ægyptum convertent; vel, Ægypti opem implorabunt. Osee, supremus Israelis Rex, Suam Ægypti Regem accivit (18), futurum sperans, ut gravissimis tributis, sibi a Salmanasaro imperatis, sese subduceret. At id ipsum illi exitio fuit; Assyrius enim Palæstinam invasit, direptaque Samaria, Israelitas trans Euphratem abstulit. Putant alii, innui a Propheta Israelitarum Idololatriam, qui in Ægyptum quodammodo redierant, aureos vitulos, Apidis instar Ægyptii factos, venerati (19). Simplex Interpretatio nobis placet, ex Capite IX. 3. de vero multorum Israelitarum reditu in Ægyptum, occupata per Salmanasarum regione.

℣. 14. Israel ædificavit delubra, et Judas multiplicavit urbes munitas. Reddi potest (20): *Israel ædificavit palatia, & Juda urbes munitas;* at Dominus utrisque ignem injiciet. Munitas Judææ urbes cepit Sennacherib (21), & Nabuchodonosor Jerosolymam cæterasque Judæ arces penitus evertit. Captam Samariam Salmanasar, una cum Regiis ædibus Israelis, ac Deorum fanis, diruit, regionem depopulatus est, populo in captivitatem rapto. Ignis hoc loco, uti passim in Scriptura, bellum significat. Septuaginta (22): *Immittam ignem in urbes illius, & devorabit fundamenta ejus.* Veteres Codices, ætate S. Hieronymi, addebant: *Et comederunt carnes immundas apud Assyrios;* quæ verba nunc neque Hebræus, neque Græcus ferunt, nisi ℣. 3. capite consequenti.

(14) Vide, si placet, 1. Esdr. VII. 12. & Briss. de Imper. Pers. lib. 1. p. 4.
(15) אקבצם ויחלו מעט ממשא מלך שרים (16) Νῦν εἰσδέξομαι αὐτούς, καὶ κοπάσουσι μικρὸν τοῦ χρίειν βασιλέα, καὶ ἄρχοντα. Legunt משה, pro משא (17) Γράψω αὐτῷ πλῆθος, τὰ νόμιμα αὐτοῦ εἰς ἀλλότρια ἐλογίσθησαν.
(18) 4. Reg. XVII. 4. (19) Hieron. hic, & passim. (20) ויבן היכלות ויהודה הרבה ערים בצרות
(21) 4. Reg. XVIII. 13. (22) Ἐξαποστελῶ πῦρ εἰς τὰς πόλεις αὐτοῦ, καὶ καταφάγεται τὰ θεμέλια αὐτῶν.

CAPUT IX.

Frustra gloriatur Israel bonorum copia, quippe iis spoliabitur. Sedibus suis pelletur, cogeturque in Ægyptum secedere, & inter Assyrios vivere. Ephraimi flagitia, gravissimis suppliciis castigata.

℣. 1. NOli lætari, Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo,
dilexisti mercedem super omnes areas tritici. 2. Area, & torcular non
pascet eos; & vinum mentietur eis. 3. Non habitabunt in terra Domini: reversus
est Ephraim in Ægyptum: & in Assyriis pollutum comedit. 4. Non libabunt Do-
mino vinum, & non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium, omnes,
qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum, non intra-
bit in domum Domini. 5. Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini?
6. Ecce enim profecti sunt a vastitate. Ægyptus congregabit eos. Memphis sepeliet
eos. Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.
7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote, Israel, stultum Pro-
phetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & mul-
titudinem amentiæ. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ
factus

factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus. 9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum. 10. Quasi uvas in deserto inveni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. 11. Ephraim quasi avis avolavit gloria eorum: a partu, & ab utero, & a conceptu. 12. Quod & si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed & væ eis, cum recessero ab eis. 13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios suos. 14. Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia. 15. Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos: propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos: non addam, ut diligam eos: omnes Principes eorum recedentes. 16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est: fructum nequaquam facient. Quod & si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. 17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.

℣. 1. NOLI EXULTARE SICUT POPULI. Cæterarum gentium felicitas est, messium & vendemiarum ubertas: hæc nimirum illarum pars est, atque hæc una illis spes: tu altiora spectare debes, atque alia bona quærere. Ethnici, quos libidine sua rapi patior, bonis hujusmodi, quæ illis dedi, fruantur: tu infidelitatis tuæ & meretricii causa his spoliaberis: *Quia fornicatus es a Deo tuo*. Sub Jeroboamo II. Israelis Regnum diuturna pax tenuit; eo satis functo, res Israelis conciderunt, malaque & calamitates inundavere.

DILEXISTI MERCEDEM SUPER OMNES AREAS TRITICI (1). Deos sectatus es, futurum sperans, ut uberi messe gaudeas. Vel: *Dilexisti munera super omnia; & areas frumenti*. At neque area neque prælum te nutrient. Sive: Munera ex omnibus areis quæsivisti. Privati a Principibus coacti sunt frumenti, quod e messe colligebant, partem exhibere. Area pro frumento usurpatur. Decimas a subditis exigebant Reges 1. Reg. VIII. 15.

℣. 2. AREA ET TORCULAR NON PASCET EOS: VINUM MENTIETUR EIS. Septuaginta (2): *Area & torcular non cognovit eos, & vinum mentitum est eis*. Postrema hæc locutio tum apud Scripturam, tum apud Profanos legitur, ut significet agros vineasque minime ferentes id, quod agricola iis credidit. Horatius lib. 2. ep. 2.

Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges.

Idem alibi (3) mendacem fundum nominat eum, qui parem spei segetem non fert; messem vero fidelem, quæ spem non fallit:

Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax.

℣. 3. REVERSUS EST EPHRAIM IN ÆGYPTUM. Osee, ultimus Israelis Regum, Suæ Regis Ægypti opem flagitaverat (4), ut Assyriorum tyrannidi se subduceret; at nedum frustra, verumetiam perniciose. Expugnata Samaria, captus Osee, & vinculis oneratus: Salmanasar Assyriorum Rex provinciam vastavit, populumque captivum rapuit. Has inter turbas, ii qui elabi potuerunt, ad finitimos confugere. Cum autem amica illis esset Ægyptus, censendum est, plerosque eo confugisse: at mortem quam fugiebant, in Ægypto invenere. ℣. 6. Sunt (5) qui tropico sensu hæc verba explicent: Reversus est Israel in Ægyptum, vitulos aureos, instar Apidis Ægyptii factos, veneratus. Nulla tamen necessitas suadet, literalem & historicum hujus loci sensum esse deserendum. Israelitas in Ægyptum fugisse, non tradunt quidem Regum Libri; at luculentissime innuunt hæc verba, & superius Caput, ℣. 13.

IN ASSYRIIS POLLUTUM COMEDET. Quantumvis minimi facerent Divinas Leges Israelitæ, aliquos tamen ritus, quos usus & consuetudo illis naturales effecerant, religiose servabant. Ex his erat mundarum immundarumque carnium discrimen, quod in media etiam seditione & idololatria colebant; quædam ciborum & carnium genera execrantes. Minatur illis Deus fore, ut inter extraneos iis rebus vescantur, quas illi maxime horrebant. Id revera illis contigit, cum inter Assyrios captivi morarentur. Aliqui solummodo pii Israelitæ, veluti Tobias (6), Ezechiel (7), Daniel (8), aliique nonnulli religiosam Divinis sanctionibus fidem servavere. Idem luculentius vaticinatur Ezechiel IV. 9. jussus panem comedere e frumento, faba, hordeo, lente, & milio, eumque sub stercore bovis coquere, ut immundum cibum, quo Israelitæ usuri erant in captivitate, significaret: *Et comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos*.

℣. 4. NON LIBABUNT DOMINO VINUM. Patria pulsis, atque a Templo remotis, commodum illis non erit, munera & victimas deferre, quibus & peccata expient, & Dei misericordiam sibi vendicent. Vel: Purum illis vinum in ea regione non suppetet, sacris oblationibus aptum. Vino ab aliis confecto non utuntur Judæi; iisque in locis, ubi sedes habent, ipsi uvas colligunt, calcant, premunt, cum vinum in totius anni usum parant. In conviviis, præsertim iis, quæ festis diebus ac solemnibus agunt, calicem in sublime ferunt, Dominoque, vini parte in ejus honorem fusa, libant. Captivi inter Assyrios nihil tale præstare poterant, cum earum gentium vinum impurum esse censerent.

SACRIFICIA EORUM QUASI PANIS LUGENTIUM. Nefas erat Judæis, extra Dei Templum sacra facere. Israelitæ decem Tribuum in eo Templo sacrificare jam diu desueverant; at fas iisdem erat eo accedere, vel dona & victimas mittere, eum videretur. Pura erat Israelis regio, quemadmodum Juda, & munera, quæ Domino offerre poterant, nullo vitio notabantur, quo offerri indigna censerentur. Nulla denique labes hoc nomine illis erat, qua a sacris arcerentur. At ejus regionis, quo translati fuerant, panis, vinum, oleum impura erant, *quasi panis lugentium*; indigna proinde, ut ex iis sacra Deo fierent (9). Qui mor-

(1) ארבה אתנן על כל גרנות דגן (2) Heb. גרן ויקב לא ירעם ותירוש יכחש בה Septuag. Ἅλων καὶ ληνὸς οὐκ ἔγνω αὐτοὺς, καὶ ὁ οἶνος ἐψεύσατο αὐτούς. Legunt ידעם pro ירעם (3) Lib. 3. Ode 1. & lib. 3. Ode 16. *Segetis certa fides meæ*. (4) 4. Reg. XVII. 4. & sup. VIII. 13. (5) Theodoret. Vide supra VIII. 13. & S. Hieronymum passim. (6) Tob. I. 12. (7) Ezech. IV. 14. (8) Dan. I. 8. (9) Deut. XXVI. 14.

tuum tetigissent, aut in domo versarentur præsentia cadaveris inquinata, immundi a Lege putabantur (10); atque ex iis in cæteros, quibuscum consuescebant, & in cibos, quibus in luctu utebantur, labes transibat (11).

QUIA PANIS EORUM ANIMÆ IPSORUM, NON INTRABIT IN DOMUM DOMINI. Eam ad inopiam redigentur, ut vel primitiis Domino offerendis careant. Hæc tamen explicatio non satis placet; non enim unius inopiæ causa impares efficiebantur deferendis Domino oblationibus, sed exilio a patria, & rerum, quibus utebantur, immunditia. Malo Hebræum reddere (12): *Quia panis eorum pro mortuis ipsorum erit: non intrabit in Domum Domini*: Panis illorum similis futurus est pani funere inquinato, indignusque ut Domino offeratur. Hebræi frequenter *animam* pro mortuo usurpant (13). *Pollutus super animam* est impurus funeris causa. Eodem sensu explicari possunt Septuaginta (14): *Quoniam panes animabus ipsorum sunt: non intrabunt in Domum Domini*.

℣. 5. QUID FACIETIS IN DIE SOLEMNI? Ubi consueti vobis dies festi recurrerint, vosque Templo, Prophetis, Sacerdote, Sacrificiis, cœribusque Religiosis carueritis, quid tum animo versaturi estis? Quamvis a vera Fide Israelitæ defecissent, ac Dei Templum minime frequentarent, suo tamen more solemnes Domino dies in sua regione celebrabant; cumque convivia & hilaritates horum dierum solemnitati adderentur, molestissimum Israelitis futurum erat, eos dies frequentare non posse in ea regione, in qua captivi morabantur.

℣. 6. ECCE ENIM PROFECTI SUNT A VASTITATE, ÆGYPTUS CONGREGABIT EOS; MEMPHIS SEPELIET EOS. Supra ℣. 3. dixerat, Israelitas in Ægyptum elapsuros. Minitatur hic futurum, ut in Ægypto necem & sepulcrum nanciscantur, *Ægyptus congregabit eos*, scilicet sepulcro condet. Ibi cum majoribus suis colligentur: denique, morientur. *Congregare*, *colligere*, frequenter usurpatur pro, in sepulcrum adigere (15). At non omnes ibi perierunt, cum promittat infra IX. 11. *Ephraim quasi avem avolaturum* ab Ægypto, in suas ipsius urbes a Domino revocandum. Septuaginta (16): *Egredientur a miseria Ægypti; & excipiet eos Memphis, & sepeliet eos Machmas*. Memphis inter clarissimas Ægypti urbes erat, Hebraice *Noph*, seu *Moph*. Machmas in Tribu Juda, Jerosolymæ septemtrionalis. Hæc cum superioribus non congruunt. Quamobrem S Hieronymus mendo laborare censet Septuaginta; & legisse *Machmas* pro *Machmad*, quæ posterior vox infra redditur *Desiderabile*.

DESIDERABILE ARGENTUM EORUM URTICA HÆREDITABIT. Opes vestræ humi latebunt, ibique condentur oblivione sepultæ; vobisque in hostili regione captivis, vepres & urticæ supernatæ illas hominum notitiæ auferent. Consueta res est, belli tempore, hostibus regionem aliquam occupantibus, pretiosissima quælibet humi condere, ut militum avaritiæ subducantur, mox confecto bello iterum quærenda. Cum Israelitæ, qui in postremis Regni turbis opes humi condiderant, in captivitatem rapti fuerint, quicquid illi sepelierant, amissum est. Solemnis adhuc Arabum mos esse dicitur, ea quæ plurimi faciunt subterraneis in latebulis abscondere; ac neminem vivere felicem posse arbitrantur, nisi aliquid ita conditum illi sit. Argentum Indi alte humi infodiunt, existimantes, aurum argentumque a viventibus absconditum, sibi post fata profuturum (17).

LAPPA IN TABERNACULIS EORUM. Hebræus (18): *Spina in tabernaculis*, domiciliis *eorum*. Inculta regione, desertisque domibus, vepres omnia occupabunt.

℣. 7. SCITOTE, ISRAEL, STULTUM PROPHETAM, INSANUM VIRUM SPIRITUALEM. Experturi tunc estis falsos Prophetas ac deceptores, qui sese divino Numine afflari gloriantur, meros esse insanos & circulatores (19). Vel (20): *Dicite* tunc, *Israel*, *Prophetas*, *& viros Dei nomine loquentes*, *insanos esse & ineptos*. Prophetæ, cum Numine afflarentur, motibus quibusdam agitabantur, & quodam utebantur loquendi genere, quæ ubi quis id ignorans cerneret, insanos & spectris agi existimabat. Arioli a Profanis furentes appellantur; docetque Plato in Phædro Sybillas, & futura vaticinantes divino furore agitari. Cum missus ab Elisæo Propheta nunciasset Jehu futurum, ut ipse Israelis imperio potiretur, qui una erant, ab Jehu quæsivere 4. Reg. IX. 11. *Quid venit insanus iste ad te?* Cumque Ezechiel Propheticum munus inciperet, illum cognati ceu furentem vinculis coercuerunt Ezech. III. 25.

PROPTER MULTITUDINEM INIQUITATIS TUÆ, ET MULTITUDINEM AMENTIÆ. Hebræus (21): *Secundum magnitudinem iniquitatis tuæ & multum odium illius*. Cum flagitia tua ultimos omnino fines attigerint; ita Divinum in te odium ad fastigium usque pervenit. Septuaginta (22): *A magnitudine iniquitatum tuarum crevit insania*. Pares sunt animi tui tuæque mentis errores.

℣. 8. SPECULATOR EPHRAIM CUM DEO MEO; PROPHETA LAQUEUS RUINÆ FACTUS EST. Futurus erat Propheta apud Ephraimum pro Deo speculator; at effectus est laqueus, hominum ruinæ paratus. Vel: Speculatur Dei sum pro Ephraimo: at falsus Propheta sese laqueum præbuit, in omnibus populi mei semitis paratus. Vel denique: Jeroboam Rex, quem ego ceu populo speculatorem dedi, sese ceu falsum Prophetam exhibuit, ut illos falleret, laqueum vero ut caperet (23).

INSANIA IN DOMO DEI EJUS. Falsus hic Propheta sese irrisioni & contemptui obnoxium apud Israelem facit. Hebræus (24): *Odium in domo Dei sui*. Deceptores hi Deum in dies magis adversus populum provocant. Dei non benevolentiam, sed odium furoremque in Domini domum, in Israelem accersunt.

℣. 9. PROFUNDE PECCAVERUNT, SICUT IN DIEBUS GABAA. Notissima urbs Gabaa est, ex Levitæ adolescentis, ejusque uxoris historia, qui noctem acturi Gabaam venerant (25); Gabaitis flagitium patrantibus simile illis, quæ cœlestem ignem in Sodomam provocavere. Quamobrem permisit Deus, ut tota Beniamini Tribus ferme penitus deleretur, quod Gabaitarum scelus defenderet. Cum Israelitæ impiæ urbis flagitia imitarentur, par illos supplicium manebat. Hebræus reddi potest (26): *Foveam suam foderunt, sicut in die Gabaæ*. Vide supra v. 2. Septuaginta (27). *Foderunt, perverterunt secundum dies clivi*.

℣. 10. QUASI UVAS IN DESERTO INVENI ISRAEL. Cum orbis universus flagitia verique Dei ignorantiam sectaretur, Patriarchas justitiam colentes (28) inveni. Horum fides, pietas, mearumque legum obsequium ita mihi placuere, quemadmodum

[10] Num. xix. 13. 13. 14. [11] Vide Hieron. hic. [12] כי לחמם לנפשם לא ובא בית יהוה
[13] Num. xi. 6. 7. 10. [14] Διότι ἄρτοι τῶν ψυχῶν αὐτῶν, οὐκ εἰσελεύσονται εἰς οἶκον Κυρίου. [15] Vide supra viii. 10. Jerem. viii. 2. Ezech. xxix. 5. &c. [16] Ἰδοὺ πορεύονται ἐκ ταλαιπωρίας Αἰγύπτου, καὶ ἐκδέξεται αὐτοὺς Μέμφις, καὶ θάψει αὐτοὺς Μαχμάς. [17] Bernier, Lettre de l'etat de l'Indoustan, pag. 258. 259. [18] חוח באהליהם [19] Ita Chald. Vatab. Mont. Vide & Theodoret. Theophyl. &c.
[20] Hieron. Sanct. alii passim. [21] על רב עונך ורבה משטמה [22] Ἀπὸ πλήθους τῶν ἀδικιῶν σου, ἐπληθύνθη μανία. [23] Ita Hieronym. Haimo, Albert. Dionys. Figuer. &c. [24] משטמה בבית אלהיו [25] Judic. xix. 16. [26] העמיקו שחתו כימי הגבעה [27] Κατέσκαψαν, ἔφθειραν, κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ βουνοῦ. [28] Hieron. Theodoret. &c.

dom viatori in solitudine iter agenti aut uva aut præcoces ficus. Abraham, Isaac, Jacob, Caleb religioso meæ voluntatis obsequio meruerunt, ut ipsis faverem, eosque amicorum loco ducerem; at posteri majorum virtutem turpissime reliquerunt, & Beelphegor cultum sectati, furorem meum excitavere: *Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor*.

Aliter: Israelem, ab Ægypto egressum, in solitudine inveni; gentem meam esse volui, illumque adeo libenter accepi, uti viator in itinere per solitudinem uvas aut præcoquas ficus (29). Eadem vero gens mei statim oblita est, Beelphegor cultum & flagitia sequens (30), &c. Pollicior hæc explicatio aptissima omnium videtur. Quid fuerit Beelphegor, expendimus peculiari Dissertatione ad Numeros. Præcoquæ ficus figura sunt earum rerum, quæ avidissime quæruntur, & lætissime inveniuntur. *Præcoquas ficus desideravit anima mea*, loquit Michæas VII. 1. Et Isaias XXVIII. 4. Quasi præcoqua ficus, antequam autumnus adest, quam simul atque vidit aliquis, dum adhuc in manu est, eam devorat.

ABALIENATI SUNT IN CONFUSIONE, ET FACTI SUNT ABOMINABILES, SICUT EA QUÆ DILEXERUNT. Beelphegoris cultus idem erat ac Adonidis, quemadmodum satis docuisse videmur Dissertatione in hanc rem scripta. Id vero Propheta hic *confusionem* nuncupat. Israelitæ, paulo ante Moysis obitum, turpissimos Beelphegoris ritus amplexi sunt, filiis illorum exemplum studiosius, quam par esset, imitantibus. Flagitia, quibus luci Numinibus facti, solemnesque illorum dies infames erant, in Prophetis Librisque Regum leguntur. Dii, quos illi religiosissime colebant, monstra erant libidinis & impudicitiæ. Porro accedente Deorum exemplo, quid sibi non licere libido & licentia existimaret? Si legum timorem & criminis infamiam auferas, statim janua turpissimis flagitiis patet: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*.

℣. 11. EPHRAIM QUASI AVIS AVOLAVIT GLORIA EORUM: A PARTU, &c. Illorum filii vel statim a partu, vel in parentum utero, sive statim concepti perierunt. Id, quo maxime gloriabantur, ingenti nimirum multitudine, feriet Deus. Israelis Regnum Tribus multæ, ac pleræque numero florentissimæ, frequentabant: has dejiciet Deus, earumque multitudinem minuet. At quomodo? Filios vix in lucem editos, vel adhuc in uteris matrum clausos necabit, aut efficiet, ne uxores concipiant. Quod si quem forte nutriant, illum ego eripiam, ut posteros non relinquant: *Absque liberis faciam eos in nationibus*.

℣. 12. VÆ EIS, CUM RECESSERO AB EIS. Septuaginta (31): *Væ eis est: caro mea ex ipsis* est: At Aquila & Symmachus cum S. Hieronymo consentiunt: Væ illis, cum declinavero ab eis. Theodoretus, Theophylactus in prima Expositione, Lyranus, Paulus Burgensis, Galatinus septuaginta Interpretibus favent, atque hæc verba de Jesu Christi Incarnatione interpretantur. Æquior tamen est Vulgatæ sensus.

℣. 13. EPHRAIM, UT VIDI, TYRUS ERAT, FUNDATA IN PULCRITUDINE. Tyrus inter pulcerrimas, opulentissimas, florentissimasque ac nobilissimas Asiæ urbes recensebatur. Vide quæ de ea tradit Ezechiel XXVII. & XXVIII. Israelitici Regni pulcritudinem ac vires luculentius describere non potuit Propheta, quam cum Tyro comparans. Sub Jeroboamo II. qui annis uno & quadraginta regnavit, Israelis res florentissimæ fuerunt. Ea ætate vixit Osee, Regnique illius nobilissimi & fortunas & excidium vidit. Hebræus (32): *Ephraim, ut vidi*, similis *Tyro est, plantatæ in amœno loco*. Similis Tyro fuit Ephraim, tum opibus tum numero civium. Fœcundæ arbori similis, in amœno loco satæ. His verbis potissimum Ephraimi ubertas, & ingens subditorum multitudo spectatur, uti ex præcedentibus & consequentibus discimus.

Septuaginta (33): *Ephraim, sicut vidi, in captionem præbuerunt filios suos, & ut educeret ad interfectionem filios suos*. Aquila, Symmachus ac Theodotion vertunt *rupem* id quod Vulgata reddidit *Tyrum*, & Septuaginta *captionem*: Vulgata versio aptior & commodior videtur.

℣. 14. DA EIS VULVAM SINE LIBERIS, sævitiæ pœna, qua filios inhumanissime exitio exposuere, (℣. 13.) falsis Numinibus mactatos (34); vel, Assyriorum sævitiæ objectos, a quibus in bello necati sunt (35). Populi malum immodico zeli ardore actus postulare videtur Osee: at vaticinatur ea, quæ criminum suorum causa illis eventura sunt, potius quam imprecatur.

℣. 15. OMNES NEQUITIÆ EORUM IN GALGAL. Cumulum flagitiis addidere, aras in Galgal & simulacra dedicantes (36). Hactenus dissimulaverat Deus; at cum vel Galgala ab iis temere profanari cerneret, extremo illos exitio perdere penitus decrevit.

DE DOMO MEA EJICIAM EOS. Illos quodammodo in meam domum meamque familiam ceu filios ac servos excepi: at nunc expulsurus sum. Utitur frequenter Osee (37) hac locutione, *Domus Dei*, pro populo electo, illius hæreditate, subditis, servis.

NON ADDAM UT DILIGAM EOS. Nunc irascar, non parcam, sævissime puniam. Hæc iis contraria non sunt, quæ alibi dixerat (38), Deum illos e captivitate revocaturum, ac paterna benevolentia illos prosecuturum. Proximum solummodo exitium Samariæ hic innuit.

℣. 16. RADIX EORUM EXICCATA EST. Hæc verba consequentibus explicantur: *Fructum nequaquam facient*; liberis carebunt (℣. 11. 12. 14.). *Quod & si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum* (℣. 12.). Vide Capur x. ℣. 1. ubi eadem pergit comparatio, & Israel pulcherrima & fertilis vitis esse dicitur.

(29) Sanct. Grot. &c. (30) Num. xxv. 3. (31) Septuag. Οὐαὶ αὐτοῖς ἐστι, ἡ σάρξ μου ἐξ αὐτῶν; ita & Theodot. Legunt בשרי pro בשורי מהם Aquil. Ἐκκλίναντός μου ἀπ' αὐτῶν. (32) אפרים כאשר ראיתי לצור שתולה בנוה (33) Ἐφραὶμ, ὃν τρόπον εἶδον, εἰς θήραν παρέστησαν τὰ τέκνα αὐτῶν, τοῦ ἐξαγαγεῖν εἰς ἀποκέντησιν τὰ τέκνα αὐτῶν. Legunt צוד *Zud*, pro צור *Zor*. Vide Hieronym. hic. (34) Drus. & alii quidam. (35) Sanct. Vat. Pisc. Rivet. (36) Vide sup. iv. 15. & infra xii. 11. (37) Osee viii. 1. ix. 9. (38) Osee i. 10. 11. & ii. 1. 14.

C A P U T X.

Israel, ejusque Dii & Reges Assyriis traditi. Altaria & edita loca Diis sacra evertentur. Populum revocat Deus ad justitiæ exercitium, atque absolutum illi exitium minitatur.

℣. 1. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulachris. 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt: ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent: Non est rex nobis: non enim timemus Dominum, & rex, quid faciet nobis? 4. Loquimini verba visionis inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus ejus, & æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus: quia migravit ab eo. 6. Siquidem & ipse in Assur delatus est, munus regi ultori: confusio Ephraim capiet, & confundetur Israel in voluntate sua. 7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. 8. Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel: lappa, & tribulus ascendet super aras eorum, & dicent montibus: Operite nos; & collibus: Cadite super nos. 9. Ex diebus Gabaa, peccavit Israel, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. 10. Juxta desiderium meum corripiam eos; congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transivi super pulchritudinem colli ejus: ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. 12. Seminate vobis in justitia, & metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos justitiam. 13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii: quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. 14. Consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa. 15. Sic fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

℣. 1. Vitis frondosa Israel. Jungendum est hoc Caput cum superiore. Israelis ubertatis, atque ingentis ejus filiorum numeri, quo is maxime gloriabatur (1), meminit Propheta: illum hic cum vinea, pulcherrimam stirpem & fructus uberrimos ferente comparat; nihilo minus uberi quam pulcra; cum vero ea his abusa fuerit, minitatur illi Deus futurum, ut arescat usque ad radicem, ejusque fructus penitus pereat (2). Frequens est populi Dei comparatio cum vite (3); & vitis interdum ceu fœcunditatis figura usurpatur (4): *Uxor tua sicut vitis abundans.*

Interpretes recentiores Hebræum ita reddunt (5): *Vitis inanis Israel*, inutilis, fructu carens; ab ipsis radicibus aruit (supra IX. 16.) spoliataque est fructu ab Assyriis, qui regione vastata, populum in captivitatem rapuere. Symmachus (6). *Vitis frondibus luxurians*, stirpe carens, & humorem, quo alenda erat uva, in folia dissipans. Aquila (7): *Vitis aquosa*, probe irrigata; Septuaginta (8), *sarmentis silvescens*. Hos secuta est Vulgata. At Hebræus potius sonat (9): *Vitis vastata est Israel*, racemis exuta; *fructus deest ei* (10). Vitis est mendax, agricolæ spem fallens. Vel: *Vitis est spoliata: fructus similis est ei*; nullus in ea fructus est. Hæc optime congruunt cum iis quæ dicta sunt ℣. 16. Capitis superioris.

Secundum multitudinem fructuum suorum, multiplicavit altaria. Ubertatis suæ tempore, antequam ad has rerum angustias adigeretur, auxerat altaria, iisque urbes & subdita ditioni suæ loca compleverat; veluti Dan, Bethel, Samariam, Galgal, Maspham Galaad, Thaborem, omnesque fere totius regionis montes; preter privatas aras & Deorum simulacra, quæ sibi unusquisque ad arbitrium dedicaverat.

℣. 2. Divisum est cor eorum: nunc interibunt. Baalis religionem cum Dei cultu conjungere conati sunt, duobus dominis servierunt; in utramque partem claudicavere (11). At partes non patitur Deus: animum totum, atque integram mentis adorationem flagitat. Illos igitur delebit; eorumque exitium imminet: *Nunc interibunt*. Historiolam narrat hic S. Hieronymus, Hebræis faventem; at nihilo pluris vendit, quam quanti est. Quamdiu & Reges & populi pariter vitulos aureos adorabant, & habebant in impietate consensum, non venit captivitas. Aliquis nimirum excusationi locus populo erat, Principis obsequium. Osee, extremus Rex decem Tribuum, patriarum superstitionum minus studiosus, quam majores sui (12), præcepit, ne tanto studio colerentur vituli; sed qui vellet, iret in Jerusalem, & in templo sacrificaret Deo. Huic sententiæ populus contradixit,

(1) Osee IX. 11. 12. 13. 16. (2) Osee IX. 16. (3) Isai. V. 1. Psal. LXXIX. 9. Jerem. II. 21. Luc. XX. (4) Psal. CXXVII. 3. Eccli. XXIV. 23. (5) Tigur. Jun. Tremel. Castal. Mont. Pagn. Vat. Munst. Grot. &c. (6) Sym. Ἄμπελος ἐξυβρίζουσα. Vide Hieronym. (7) Aqu. Ἔνυδρος. (8) Septuag. Εὐκληματοῦσα. (9) גפן בקק ישראל פרי ישוה לו (10) שוא est mendacium, inutilitas, inanitas. (11) 3. Reg. XVIII. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes?* (12) 4. Reg. XVII. 2. *Osee fecit malum coram Domino: sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant.*

dixit, dataque a Rege facultate uti noluit. Quamobrem seditio quædam inter populum & Regem fuit: *Divisum est cor eorum*. Tunc denique decrevit Deus, ac pronunciavit: *Nunc interibunt*.

℣. 3. Nunc dicent: Non est Rex nobis; non enim timemus Dominum. Et Rex quid faciet nobis? Ductus in captivitatem Israel, ac gentili Rege spoliatus (13), agnoscet, hanc sibi calamitatem ipsum provocasse, quod minime veritus sit Deum. Reges nihil sibi prodesse fatebitur, cum Dei patrocinio caruerit. Reddere maluerim: Non est Rex nobis, quia Deum non timuimus. Quid nostri causa hic Rex egit? Regis nomine hic ℣. 7. aureus vitulus, Samaritici Regni Numen, intelligi potest. Id enim potissimum spectare videtur Propheta, quod sub Manahemo contigisse creditur; cum scilicet Manahem alterum ex aureis vitulis, in frusta confractum, ad Regem Assyriorum misit, id soluturus quod debebat. Eo tempore Israel sese Rege carere sensit, aureorumque hujusmodi Principum imbecillitatem agnoscere facile potuit. Ethnici, præsertim Israelitis finitimi, Regis nomine Deos nuncupabant, seque omnes illorum servos esse gloriabantur. Moloch & Chamos, ceu Regum apud Ammonitas ac Moabitas, meminit Scriptura (14). Quamobrem simili orationis figura aureus Israelis vitulus totius regionis Rex appellabitur.

℣. 4. Loquimini verba visionis inutilis. Amicitias initote cum Phul Assyriorum Rege (15): meliorem vobis conditionem pollicemini; pecuniam externo Regi præbete, qua illius opem vobis comparetis: inutilem operam perdetis. Septuaginta (16): *Loquens verba, prætextus mentiens, disponet testamentum*. Intelligi hæc possunt de Assyriorum Rege, multa pollicente Manahemo, initoque cum illo doloso fœdus, ut causas illum spoliandi nectat.

Germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri. Vox Hebræa *rosch*, quæ hic redditur *amaritudo*, significat caput, amarum, virus, vel herbam amaram, veluti absynthium, vel etiam aconitum (17). Septuaginta (18) de gramine interpretantur.

℣. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. Aureos vitulos Bethel nuncupat *vaccas Bethaven*, seu *vaccas domus iniquitatis*, fortasse derisionis causa; plerumque enim Scriptura vitulos appellat. Fœmininum genus interdum contemptus seu derisionis appellatio est (19):

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Fortasse etiam Propheta illos arguit, quod Ægyptios imitentur (20), vaccam, Isidi sacram, colentes. Pingebatur Isis bovino capite & cornibus. Hebræus ad verbum (21): *Ad vitulas Bethaven tremuerunt habitatores Samariæ*. Religioso timore & cultu vaccas Bethaven prosequuntur. Non in uno sacrorum Librorum loco terror pro Deo, & cultus argumento usurpatur (22). Verti etiam potest: *Propter vitulas*, vel *cum vitulis Bethaven exulabant habitatores Samariæ*, & populum, & Deos Assyrii captivos rapuere; fortasse sub Salmanasaro.

Quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus exultaverunt in gloria ejus (23). Ut loci hujus repugnantia auferatur, ubi dicitur populus luctum agere ob raptos vitulos, æderituos vero gaudere, Rabbini (24) fabulam narrant; Samariticos nempe Sacerdotes, cum alterum e vitulis aureis ad Regem Assyriæ mittere cogerentur, aureum vitulum clam surripientes condidisse, misso ad Regem Assyriæ altero ejusdem formæ, sed æneo. Ea re populus publice doluit, cum alterum e Diis suis raptum esse censeret: at Sacerdotes de furto gestientes, quod secretum fore sperabant, lucro aurei vituli surrepti clam gaudebant. At breve illorum gaudium fuit. Salmanasar (25) spoliato vitulo, æneoque repetto, armis in Samariam motis, urbem cepit ac diripuit. Fabulam olet hæc narratio, fide indignissimam. At levissima literæ unius mutatione (26), optima ex Hebræo elici potest sententia: *Luxit vitulorum aureorum populus, eorumque æditui doluerunt ob gloriam eorum, quia migravit* (27). Cœcæ gentis, ejusque Sacerdotum gloria, Dii ipsorum, vituli aurei, fuere: quemadmodum Judæorum fuit ipsorum Deus & Arca, quæ passim gloria Israelis appellantur (28). Samaritici Sacerdotes nuncupantur hic *Chamarim*, scilicet atro colore induti, vel clamosi; quod inconditis vocibus inter sacra clamarent (29). Septuaginta (30): *Luxit populus ejus super eos, quoniam irritaverunt eum; exultaverunt super gloriam ejus, quia ablata est ab eo*. Quæ verba nihil satis distinctum sonant.

℣. 6. Ipse in Assur delatus est, munus Regi ultori. Rex *ultor*, vel defensor, est Phul Assyriorum Rex, cujus opem Manahem Rex Israelis imploravit (31). Illum hoc nomine designavit Propheta supra v. 13. Hic tamen aliquid addit, alibi frustra quærendum, alterum ex aureis vitulis a Manahemo dono datum Assyrio, ut illius opem sibi compararet, qua occupatum Israelis Imperium tueretur.

Confundetur Israel in voluntate sua. Ob infelicem consiliorum suorum exitum Israel probro afficietur; vel ipse sua cadet. Assyriorum Regem amicum & defensorem se nacturum credens, hostem ac tyrannum sentiet, qui oppressio diu immodicis vectigalibus Rege totum denique Israelis Regnum evertet, populumque captivum trahet. Vide supra Osee v. 13.

℣. 7. Transire fecit Samaria Regem suum quasi spumam. Hebræus ad verbum (32): *Excisa est Samaria*, periit; *Rex ejus sicut spuma* (ut bulla) *super faciem terræ*. Septuaginta (33): *Abjecit Samaria Regem suum quasi virgultum aridum super faciem aquæ*. Idem repetit Propheta, iisdem ferme verbis, capite xi. ℣. 1. *Sicut aurora excisus est, excisus est Rex Israel*; abiit, evanuit. Plerique de Osee, ultimo Israelis Rege, capto ac vinculis onerato per Salmanasarum Assyriorum Regem

(13) Hieron. hic. (14) Vide Num. xxi. 29. *Periisti, popule Chamos*. Judic. xi. 24. *Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus, &c.* Jerem. xlviii. 7. *Ibit Chamos in transmigrationem*. Et ℣. 13. *Confundetur Moab a Chamos*. Et ℣. 46. *Periisti, popule Chamos*. 1. Paral. xx. 2. *Tulit David coronam Melchom*. Et Jerem. xl. 1. *Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad?* Et ℣. 3. *Melchom in transmigrationem ducetur*. Et Amos I. 15. *Ibit Melchom in captivitatem*. (15) 4. Reg. xv. 19. (16) Λαλῶν ῥήματα, προφάσεις ψευδεῖς, διαθήσεται διαθήκην. (17) Vide Deut. xxix. 18. (18) Ἀνατελεῖ ὡς ἄγρωστις κρίμα ἐπὶ χέρσον ἀγρε. (19) Virgil. Æneid. ix. Vide & Homer. Iliad. viii. (20) Herodot. lib. ii. cap. 41. (21) לעגלות בית און יגורו שכן שמרון (22) Vide Genes. xxxi. 42. 53. Isai. viii. 13. *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, & ipse terror vester*. (23) כי אבל עליו עמו וכמריו עליו יגילו על כבודו כי גלה ממנו (24) Seder-Olam, & Hieron. (25) S. Hieronymus legit Sennacherib. (26) Lego ויחילו, pro יגילו (27) על כבודו ponitur pro על כבודם. Aptius refertur ad Sacerdotes vel populum, quam ad vitulos, seu vaccas, quæ initio ℣. sunt, & fœminino genere efferuntur. (28) Psal. cv. 20. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. Vide 1. Reg. iv. 21. 22. & Psal. lii. 4. & lxi. 8. &c. 1. Cor. xv. 31. (29) 3. Reg. xviii. 26. 27. (30) Ὅτι ἐπένθησεν ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπ᾽ αὐτὸν, καθὼς παρεπίκραναν αὐτὸν, ἐπιχαροῦνται ἐπὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ, ὅτι ἀπῳκίσθη ἀπ᾽ αὐτοῦ. (31) 4. Reg. xv. 19. 20. & Osee v. 13. (32) נדמה שמרון מלכה כקצף על פני מים (33) Ἀπέρριψε Σαμάρεια βασιλέα αὐτῆς, ὡς φρύγανον ἐπὶ προσώπου ὕδατος. Sym. Ὡς ἐπίζεμα.

gem (32), interpretantur. At intelligi etiam potest de aureo vitulo (Vide ℣. 3.); vel de semestri Zachariæ Regno, & Sellum, qui uno mense regnavit. 4. Reg. xv. 10. 13.

℣. 8. DICENT MONTIBUS: OPERITE NOS, in rerum omnium turbatione ac desperatione, quo redacti fuerint Israelitæ, ubi regionem suam ab hoste occupatam, exustam, direptasque, populatas & eversas urbes, Regias ædes, fana, aras, Deorum simulacra viderint. Supremi tunc Judicii imago futura est, ac desperationis, qua damnati agitabuntur, terribilem intuiti illius majestatem, cujus Leges neglexere, ipsos coram orbe universo punientem (33). Iisdem verbis Christus terrorem descripsit, quo Judæi, Romanis urbem obsidentibus, occupandi erant (34); & S. Joannes Apoc. VI. 16. terrorem impiorum suprema Judicii die. Satis se tutos antris ac specubus non putabunt; montibus sese opprimi cupient; sese felicissimos rati, si subita celerique morte infinitis æternisque malis se subduxerint, quorum quidem malorum levissima figura est quicquid miserrimum ac durissimum habent bellum, vastatio, paupertas atque captivitas.

℣. 9. EX DIEBUS GABAA PECCAVIT ISRAEL, necdum peccare desiit. Vel (35): *Graviora Gabaitis peccavit Israel*. Alludit ad flagitia, quibus flagrabat Gabaa, Judicum ætate (36), cum Levitæ uxor ferino adeo more stuprata est. Septuaginta (37): *Ex quo* fuere *colles, peccavit Israel*. Ubi semel populus editos colles frequentare religionibus cœpit, crevere semper crimina, nunquam peccare cessatum est.

IBI STETERUNT. NON COMPREHENDET EOS IN GABAA PRÆLIUM, SUPER FILIOS INIQUITATIS. Jam tunc desiere obtemperare Deo. Bellum, quod in illos instituam, mite adeo non erit, uti vetus illud, quo ad Gabaam pugnatum est adversus iniquos. Non unam Israelis Tribum puniam, quod una esset peccati rea, quam etiam penitus delere nolui; quin & illam suis in sedibus reliqui, ut in pristinum statum restitueretur. Non æque mitis futurus sum in Israelem. Decem Tribus pari omnes flagitio tenentur: ubique bacchatur scelus: communi illas malo cædam; dissipabo, atque in alienas regiones ejiciam. Vel: Israel plura peccavit quam Gabaitæ; hi enim in scelere non perseveravere, coercitumque est scelus, ubi agnitum est: *Ibi steterunt*. At non ita Israelis peccatum. Cæteræ Tribus, studio Legis instructæ, filios iniquitatis armis non petiere; neque modo malum initio non coercuerunt, verum etiam imitatæ sunt.

℣. 10. CONGREGABUNTUR SUPER EOS POPULI, CUM CORRIPIENTUR PROPTER DUAS INIQUITATES SUAS. Assyrii, & finitimæ Israelitis gentes convenient, eosque invadent, ubi proximos excidio viderint, ut illorum spoliis locupletentur, suoque odio ac furori satisfaciant. *Duplex* hæc *iniquitas*, de qua Osee, est Divinarum Legum contemptus, & simulacrorum cultus. *Duo mala fecit populus meus*, inquit Jeremias II. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Recentiorum Interpretum plures (38) Hebræum (39) reddunt: *Pro desiderio meo colligabo eos* (in captivitate adigam); *& congregabuntur adversus eos populi, cum colligavero eos in duobus sulcis eorum*, ceu boves, qui sub jugo conjuncti in agro pergere coguntur inter sulcos qui aratro fiunt. At Vulgatæ sententia septuaginta Interpretibus favet (40), ac luculentior est & commodior, cui aptari Hebrææ voces optime queant (41). Vulgatam sequuntur doctissimi Interpretum (42).

℣. 11. EPHRAIM VITULA DOCTA DILIGERE TRITURAM. Terere mavult quam arare. Bobus utebantur Hebræi, ut lignis ingentibus ferro instructis manipulos tererent, ac triticum a spica separarent, vel, boves in manipulos inducebant, ut corporis pondere & motu triticum excoterent. Boves huic ministerio destinati lautissime alebantur, & cautum erat Lege, nequis illorum ora clauderet (43), ut laborantes cibum caperent. Israelem Osee IV. 16. comparat cum vitula terere assueta, jugi & aratri impatiente. Minitatur Deus futurum, ut nitidum ac pingue illius collum jugo subdatur: *Transivi super pulcritudinem colli ejus* (44). Manum collo imposui, apprehendi: domabo, & jugum imponam.

ASCENDAM SUPER EPHRAIM: ARABIT JUDAS. Ephraimum inscendam, ceu indomitum equum, eumque fræno & calcaribus coercebo. Arabit Juda, Jacob occabit. Universum denique Hebræorum genus pœnas suas meritis pares feret. Ephraim, vel decem Tribuum Regnum cæterorum maxime reum est: primum omnium jugo coercebitur; tum Juda. Septuaginta (45): *Ephraim vacca edocta amare jurgium. Ego vero superveniam super pulcritudinem colli ejus: imponam* jugum vel sarcinam *Ephraim; ad silentium compellam* (opprimam) *Juda, & Jacob dominabitur illi*.

℣. 12. SEMINATE VOBIS IN JUSTITIA, ET METITE IN ORE MISERICORDIÆ. Si opera justitiæ severitis, in misericordia messuri estis. Beneficiis vos cumulabit Deus, si iis dignos, justitiæ opera colentes, vosmet effeceritis. Ita intelligi Hebræus potest (46): *Seminate in justitia, & metite juxta misericordiam*, seu pietatem. Hoc loco misericordia eodem sensu, quo cap. VI. 4. usurpatur, ut idem sit atque æquitas, pietas, Religio. Pergit agricolæ allegoria. Si in justitia & pietate severitis, similes semini fructus metetis. Septuaginta (47): *Serite vobis in justitiam, vindemiabitis fructum vitæ*.

INNOVATE VOBIS NOVALE: novum vitæ genus instituite, alia cogitate, alia quærite: denique novi penitus efficiamini. Septuaginta (48): *Accendite vobis lumen cognitionis*.

TEMPUS REQUIRENDI DOMINUM, CUM VENERIT QUI DOCEBIT VOS JUSTITIAM. Hæc verba vulgo explicantur de Jesu Christi adventu, qui verus justitiæ Magister est, unus gratiarum & sanctitatis nostræ fons est (49). Septuaginta (50): *Exquirite Dominum, donec veniant ad vos fructus justitiæ*. Ita vivite, ut præmiis digni a Deo sitis; præstolamini dum in altera vita justitiæ vestræ fructus vobis reddat Deus. Hebræus ad verbum (51): *Tempus quærendi Dominum, donec veniat, & docebit justitiam vos*; vel, *pluere faciet justitiam super vos*. Vide Isaiam XLV. 8.

℣. 13. ARASTIS IMPIETATEM, INIQUITATEM MESSUI-

(32) 4. Reg. XVII. 4. *Salmanasar obsedit* [Osee,] *& vinctum misit in carcerem*. (33) Vide Hieronym. hic. (34) Luc. XXIII. 30. (35) מימי הגבעה חטאת ישראל (36) Judic. XX. 13. 14. & sequ. (37) Ἀφ' οὗ οἱ βουνοί, ἥμαρτεν Ἰσραήλ. (38) Druf. Jun. Pifc. Munst. Pagn. &c. (39) באותי ואסרם ואספו עליהם עמים באסרם לשתי עונותם (40) Septuag. Συναχθήσονται λαοὶ ἐπ' αὐτούς, ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτοὺς ἐν ταῖς δυσὶν ἀδικίαις αὐτῶν. (41) אסר usurpari potest pro יסר, & עונות ponunt pro עינות. Qui legunt עינותם *duo oculi eorum*, obscuriorem adhuc sententiam sequuntur. (42) Vide Druf. Livell. Grot. Riber. Mercer. & Catholicos ferme omnes. (43) Deut. XXV. 4. 1. Cor. IX. 9. (44) עברתי על טוב צוארה (45) Ἐφραὶμ δάμαλις δεδιδαγμένη ἀγαπᾷν νεῖκος. Ἐγὼ δὲ ἐπελεύσομαι ἐπὶ τὸ κάλλιστον τοῦ τραχήλου αὐτῆς. Ἐπιβιβῶ Ἐφραὶμ, καὶ παρασιωπήσομαι Ἰούδαν, ἐνισχύσει αὐτῷ Ἰακώβ. (46) זרעו לכם לצדקה קצרו לפי חסד (47) Σπείρατε ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, τρυγήσατε καρπὸν ζωῆς. (48) Φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως. Heb. נירו לכם ניר Vide Jerem. IV. 3. (49) Vide Hieronym. Theophylact. Rupert. Burg. Vatab. Dionyf. Hugo, Mont. Sanct. alii passim. (50) Ἐκζητήσατε τὸν Κύριον, ἕως τοῦ ἐλθεῖν ὑμῖν γεννήματα τῆς δικαιοσύνης. (51) עת לדרוש את יהוה עד יבוא וירה צדק לכם

suistis, comedistis frugem mendacii. Aliter: Arastis ac seruistis impietatem, fructum retulistis, supplicia nimirum, quibus ego in vos animadverti (52): mendax fundus vester est, nihil boni ferens: *comedistis fragem mendacii*, vel mendacem; cibum scilicet, quo minime satiemini (53), pastem nutriendo ineptum: ita dicitur *ager mendax* (54) ille, qui agricolæ laboribus ingratus est, ejusque spem fallit. Septuaginta: *Cur tacuistis iniquitatem & injustitias illius? Vindemiastis & comedistis fructum mendacem; quoniam sperasti in curribus tuis, in multitudine roboris tui.*

ỳ. 14. Consurget tumultus in populo tuo. Exercitus hostium magno tumultu populum tuum invadet. Hebræa vox *saon* (55) fragorem significat, tumultum, turbas, quas bella secum ferunt. Septuaginta (56): *Excitabitur excidium in populo tuo.*

Sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal. Hæc verba tantummodo Gedeoni conveniunt, a quo fractus est Salmana, Madianitarum Imperator (57). Ita explicant Septuaginta (58), S. Hieronymus, & Interpretum plerique (59). Hebræus tamen aliquam patitur difficultatem (60): Arces tuæ evertentur, *sicut vastavit Salmana domum Arbela in die belli*, seu prælii. Nonnulli ex Eruditis (61) censuere, *Domum Arbela* urbem fuisse sitam inter Sephorim ac Tiberiadem, in Tribu Nephtali, & in Galilæa (62). Oppidum quoddam Arbelam S. Hieronymus (63) in Campo Magno collocat IX. millibus passuum a Legione. Macchabæorum Liber primus c. IX. meminit loci cujusdam in Palæstina, Arbelæ nomine. *Arbelam* interdum appellativo & communi sensu usurpari credimus, pro agris eximiis, *agris Dei* (64). Vide citatum Macchabæorum locum. Numerus situsque urbium *Arbela*, res est magni discriminis inter Geographos. Quinque hujus nominis oppida in Judæa numerat Adrichomius; Bonfrerius tres, nos duas, alteram IX. millibus passuum a Legione, alteram circa Lacum Tiberiadis.

At hujus loci difficultas in eo potissimum sita est, ut ostendatur Arbela urbs capta esse a Salmano, vel Salmanasaro; ejus urbis expugnatio ita celebre facinus fuisse, ut ab Osee iis, quos alloquebatur, ceu Assyriacæ crudelitatis exemplum, proponi posset. Id vero maxime arduum est; nunquam enim Arbela magni momenti arx habita est, neque illam a Salmanasaro obsessam fuisse, uspiam legimus. Denique quo tempore Osee hæc edidit vaticinia, nondum certe Salmanasar Samariam invaserat. Quæ usque ad ỳ. 10. vidimus, ad Manahemi ætatem spectare potius videntur. Post ỳ. 10. Salmanasari adventus prædicitur. Aliqua igitur literarum mutatio in Hebraicum Textum irrepsit, legendumque est cum Alexandrino Codice & S. Hieronymo, *Jerobaal* pro *Arbela*, explicandusque locus de Gedeone vel Jerobaale, qui Salmanam expugnavit, teste Judicum Libro. Vetera exempla libenter objicit Osee, uti videre est supra, cum de Gabaæ flagitiis agit. Gedeon, bellum in Madianitas gerens, in cives Socoth & Phanuelis sæviit, illos sub deserti vepribus conterens (65). Hoc fortasse spectat Propheta iis verbis: *Matre super filios*, vel post filios, *allisa*. Filii coram parentibus humi alliduntur; vel ipsæ matres post filios mactabuntur.

Sunt (66) qui Salmanum alium esse putent a Salmanasaro & Salmana, atque adeo spectari ab Osee facinus aliquod, ipsius ætate notissimum, cujus deinde memoria apud posteros periit. Id certe non negamus; at neque asserimus, cum nulla sint ejus rei argumenta. Fieri optime potuit, ut regnante Phul, sive Theglathphalassaro, Salmanasar hujus filius, Assyriarum tantummodo copiarum Imperator, Arbelam urbem ceperit, atque in ea ita sævierit, uti hic legimus, antequam eo redierit, Regia potestate instructus, aliquot post annos, ut Samariæ Regnum penitus everteret.

ỳ. 15. Sic fecit vobis Bethel. Hic nimirum fructus est impiæ religionis, qua vitulos aureos in Bethel coluistis. Hæc vobis mala evenient. Vel: Quemadmodum Arbelæ contigit, ita in Bethel animadvertetur, vestrorum criminum causa.

---

(52) Iniquitas frequenter pro peccati pœna usurpatur. Vide Genes. IV. 7. XXXI. 39. XLIII. 9. Exod. XXIX 14. Isai. LIV. 5. Ezech. XXIII. 49. (53) Prov. XX. 17. (54) Osee IX. 2. (55) וקאם שאון בעמיך (56) Καὶ ἐξαναστήσεται ἀπώλεια ἐν τῷ λαῷ σου. (57) Judic. VII. VIII. (58) Edit. Rom. & Compl. Ὡς ἄρχων Σαλαμὰν ἐκ τοῦ οἴκου Ἱεροβοὰμ ἐν ἡμέραις πολέμου. Sed Hieron. & Codex vetust. Græc. legunt, Ἱεροβαάλ. Theodoret. Ὡς ἄρχων Σαλαμάν, ἐν τῷ οἴκῳ Ἀρβεήλ. (59) Ita Hieron. Theodoret. Sanct. Grot. Vat. alii passim. (60) מבצריך יושד כשד שלמן בית ארבאל ביום מלחמה (61) Vide Calovii Dissert. singularem in hunc locum. (62) Abraham Zaccut. Ligfoot. Joseph. In vita sua, pag. 1022. & Antiq. lib. XII. cap. 18. Ἐν Ἀρβήλοις, πόλει τῆς Γαλιλαίας, ἐστρατοπέδευσαν. (63) Hieronym. in locis. (64) ערבה אל *Planities Dei*. (65) Judic. VIII. 15. 16. (66) Quidam apud Theodoret.

CAPUT XI.

Dei benevolentia & amor in populum. Illum bello & captivitate punit, scelerum causa. Misericordia movetur, ac promittit futurum, ut populum in patriam revocet.

ỳ. 1. Sicut mane transit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, & dilexi eum:
& ex Ægypto vocavi filium meum. 2. Vocaverunt eos, sic abierunt a
facie eorum: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant. 3. Et ego quasi nu-
tritus Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quod curarem eos.
4. In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis, & ero eis quasi exaltans
jugum super maxillas eorum: & declinavi ad eum, ut vesceretur. 5. Non reverte-
tur in terram Ægypti, & Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt converti. 6. Cœ-
pit gladius in civitatibus ejus, & consumet electos ejus, & comedet capita eorum.
7. Et populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul,
quod non auferetur. 8. Quomodo dabo te Ephraim, protegam te, Israel? quomodo
dabo te sicut Adama, ponam te, ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pa-

riter

riter conturbata est pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non convertar, ut disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. 10. Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filii maris. 11. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum: & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. 12. Circumdedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Israel: Judas autem testis ascendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.

℣. 1. SICUT MANE TRANSIT, PERTRANSIIT REX ISRAEL. Auroræ instar evanescet; ceu nubes & matutinus ros dissipabitur (1). Hæc vel de aureo vitulo (2), vel de Zacharia & Sellum, brevissimo regno potitis, explicari queunt; vel denique de Osee, qui malus adeo non fuit, optima molitus animo, nihil tamen in populi commodum exequutus. Extremas potius ærumnas inconsulta agendi ratione is in populum provocavit. Superioris orationis finis & conclusio, quam Hebræus in fine Capitis x. proprio ipsius loco, ponit. Septuaginta (3): *Mane abjectus es, Rex Israel.*

QUIA PUER ISRAEL, ET DILEXI EUM, ET EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM. Vel (4): *Filius meus est Israel, & amavi eum, & ex Ægypto vocavi eum.* Israelem filii loco habui; curam illius gessi paternæ similem. Alludere videtur Osee ad ea Moysis verba Exod. IV. 22. *Dices ad Pharaonem: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut serviat mihi; & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Hunc Osee locum recitant S. Matthæus (5), eumque ad puerum Jesum refert, delatum in Ægyptum, ut Herodis furias fugeret. Tunc porro expletum esse ait hoc Osee vaticinium: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Hebræi ex Ægypto egredientes figura tantummodo erant Christi ex ea regione redeuntis, quemadmodum S. Hieronymus (6), & Interpretes animadvertunt; & *primogeniti* appellatio, quam hic Osee Israeli tribuit, in unius Christi persona vere impleta est. Septuaginta (7): *Quoniam infans Israel, & ego amavi eum, & ex Ægypto revocavi filios ejus.* Scilicet, ex Theodoreto, Israel infans est, prudentia & consilio carens: hæc in se mala inconsulta agendi ratione provocavit: illum ex Ægypto reduxi; at ingratus beneficio fuit. Putat Eusebius (8), S. Matthæum hæc verba non ex Osee desumpsisse, sed ex Balaamo, dicente Num. XXIV. 8. *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Neque damnat S. Hieronymus in Matth. cap. 2.

℣. 2. VOCAVERUNT EOS, SIC ABIERUNT A FACIE EORUM. Israelitas, me jubente, ab Ægypto reduxere Moyses & Aaron, duces illis in deserto fuere: at, iis neglectis, populus adversus illos seditionem instituit. Prophetæ, qui Moysi successere & Aaroni, Israelem ab erroribus revocare nunquam desierunt: at populus, datis humeris, *abierunt a facie eorum.* Septuaginta (9): *Sicut revocabam eos, ita abierunt a facie mea.* Baali sacrificavere, &c. Optima sententia, melior quam Hebræi (10): *Vocaverunt eos; sic abierunt a facie eorum.*

℣. 3. EGO QUASI NUTRICIUS EPHRAIM; illum sinu gestavi, uti filios pater. Spectat Osee ea Moysis verba Deut. I. 31. *In solitudine portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.* Et (11): *Sicut aquila ... pullos suos, expandit alas suas, & assumpsit eum atque portavit, &c.*

NESCIERUNT QUOD CURAREM EOS (12). Ut æger impatiens, & febris fervore agitatus, leges sanctionesque meas abjecere, cum hæ salubria illis essent medicamenta, quibus illorum superbiam & superstitionem curabam.

℣. 4. IN FUNICULIS ADAM TRAHAM EOS, IN VINCULIS CHARITATIS (13), suavissimis usus sum argumentis, quibus hominis animus, amoris capax, movetur. Immerito queruntur, me ita illos traxisse ceu bestias vel servos, qui severitate imperii & vi compelluntur: uti homines rationis compotes, ceu pater filios, illos egi. Vertunt nonnulli (14): *In funiculis Adam trahebam eos;* talem illis me exhibui, qualem Adamo, quem in terrestri Paradiso posui: ita illos in terram lacte & melle fluentem induxi. At ubi, flagitia sectantes, primi parentis contumaciam imitati sunt, illos profecto ab amœnissima ea regione ejeci; pollicitus tamen mitiora, si resipuerint. Veteres tamen omnes (15) *Adam* generice pro *homine* usurpavere. Ita legitur 2. Reg. VII. 19. *Ista est lex Adam;* scilicet, modus instituendæ hominum vitæ, *opera Adæ* (16), gesta hominis; *plagæ filiorum Adam* (17), mala quibus Deus homines punire consuevit. Aliter legunt Septuaginta (18): *In corruptione hominis extendi eos, in vinculis charitatis meæ.* Quæ verba obscurissima sunt.

ERO EIS QUASI EXALTANS JUGUM SUPER MAXILLAS EORUM, ET DECLINAVI AD EUM UT VESCERETUR. Humanissime illos egi, ac nedum intolerabili illos jugo non oppressi, verum etiam illos solvi, frænum abstuli, quo ipsorum ora claudebantur. Ita laboribus non obrui, ut illorum ora solverim, & cibos abunde suppeditarim. Pergit probare id, quod paulo ante asseruit, sese illos traxisse vinculis hominis, vel humanitatis. Reddi potest Hebræus (19): *An ero eis quasi imponens jugum* [frænum, camum] *super maxillas eorum? Et porrexi ei cibum.* Fieri ne poterit, ut illos sarcina duroque imperio obruam, ceu boves sub jugo junctos, qui ipsos manna alo, coturnices illis in cibum mitto, nube protego, ducem illis me præbeo?

Septuaginta (20): *Ero eis quasi alapa percutiens hominem super maxillas ejus.* Chaldæus: *Fuit verbum meum quasi agricola bonus, qui allevat humerum boum, & fræna relaxat.* Columella (21): *Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, & boves inhibeat, ut colla eorum*

[1] Vide sup. Osee VI. 4. & XIII. 3. [2] Vide Caput 2. ℣. 3. [3] Ὄρθρου ἀπερρίφη, βασιλεὺς Ἰσραήλ. [4] כי נער ישראל ואהבהו וממצרים קראתי לבני [5] Matth. II. 15. *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.* [6] Vide Hieronym. hic, Sanct. Cyrill. Haimon. Grot. Livel. Burgens. Riberam, alios. [7] Διότι νήπιος Ἰσραήλ, κἀγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. [8] Euseb. Demonstr. Evang. lib. IV. c. 3. & 4. [9] Καθὼς μετεκάλεσα αὐτοὺς, οὕτως ἀπῴχοντο ἐκ προσώπου μου. [10] קראו להם כן הלכו מפניהם
[11] Deut. XXXII. 11. [12] לא ידעו כי רפאתים Septuag. Οὐκ ἔγνωσαν ὅτι ἴαμαι αὐτούς. [13] בחבלי אדם אמשכם [14] Rufin. Haimo, Hugo, Albert. Dionys. [15] Vide Hieron. hic, Sanct. Grot. Vat. Drus. &c. [16] Eccli. XXXV. 24. [17] 2. Reg. VII. 14. [18] Ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων ἐξέτεινα αὐτοὺς, ἐν δεσμοῖς ἀγαπήσεώς μου. Legunt הבל, seu חבל pro חבל [19] אהיה להם כמרימי על על לחיהם ואט אליו אוכיל [20] Ἔσομαι αὐτοῖς ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ. Καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτόν. [21] Columel. lib. 2. cap. 2.

rum refrigescant, quæ celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur, & ex eo tumor, ac deinde ulcera irrepunt.

℣. 5. Non revertetur in terram Ægypti; et Assur ipse Rex ejus. Omnia illorum molimina evertam. Ægyptio sese dedere meditantur; illius opem postulavit Osee; nullus erit hujus moliminis exitus; illos ego Assyriis tradam (4): illos expugnabit Salmanasar, & captivos trahet. Vel: Cum adhuc in deserto essent, in Ægyptum reverti volebant, habebantque calamitatis loco Ægyptum reliquisse (5): at cum meam erga ipsos benevolentiam frustrari non cessent, meque Regem habere nolint, Assyriis illos Regibus subjiciam. Arguit Israelitas supra (6), quod in Ægyptum redierint; pergit eadem aliquibus in locis objicere (7): at quamvis Ægyptiorum opem postulaverint, & ex iis nonnulli, qui Assyriorum arma fugerunt, in Ægyptum elapsi sint, verissime nihilominus dicitur, Israel illuc non rediisse eo modo quo cogitaverat; nullam enim ibi opem, nullum auxilium aut præsidium invenit. Quamobrem sibi ipse non repugnat Osee.

℣. 6. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet peccata eorum. Universum Israelis Regnum, post Jeroboamum II. domesticis belli discissum est. Ingentes adeo turbæ Jeroboami obitum consecutæ sunt, ut pax nunquam redierit. Hujus filius Zacharias patri successit, Regnumque duodecim ferme annis tenuit, at bellis ac tumultibus assiduis turbarum. Conspiravit in Zachariam Sellum, eumque neci dedit. Hunc, post unius mensis regnum, sustulit Manahem; quo rerum potiente, Assyrii Israelitidem invadere cœperunt. Manahemi tyrannidem confirmavit Phul; at opem suam plurimi vendidit (8). Manahemo successit filius Phaceia, quem, elapsis duobus annis, Phacee Romeliæ filius interfecit. Cum is junctis cum Rasin Rege Syrorum armis Regnum Juda invasisset, Achaz opem poposcit Theglatphalassari Assyriorum Regis (9), qui Phacee ditionem ingressus, captivas egit Tribus Ruben, Gad, Nephthali, & dimidiam Manasse. Aliquandiu post, Osee filius Elæ, necato Phacee, imperium occupavit (10). Turbæ, quibus Regnum agitabatur, impedimento fuere, ne tunc Regni possessionem usurparet; idque post aliquot annos egit, at fortasse Salmanasari ope, qui gravissima illi vectigalia imperavit (11). Osee Assyriorum imperio se subducere meditante, ope Regis Ægyptiorum, qui amicas ipsi manus promiserat, Salmanasar Israelitidam invadens, Samariam obsidione cinxit, ac diuturno trium annorum bello expugnavit evertitque. Hinc vides, belli incendium ex urbe in urbem, a provincia in provinciam transiisse; infirmatumque domesticis bellis Israelis Regnum, denique externi hostis prædam fuisse.

Hebræus fert (12): *Residebit gladius in civitatibus ejus, & consumet vectes ejus, & comedet de consiliariis ejus.* Bellum ab illius urbibus non discedet, arces evertet, vel optimos milites (*vectes ejus*) consumet, atque eos auferet, quorum consiliis populus regi & doceri poterat, *consilia ejus.* Septuaginta (13): *Infirmatus est* (ægrotavit) *gladius in urbibus ejus, & requievit in manibus ejus, & vorabantur a consiliis suis.* Viribus ac virtute caret populus; inutile pondus manibus illorum est ensis; sua ipsorum consilia ipsis nocent; male instituta ipsorum molimina extremarum calamitatum ipsis causa erunt, & seditio inter ipsos sæviens sua ipsis infortunia pariet.

℣. 7. Populus meus pendebit ad reditum meum. Cum in captivitate gemuerit, me quæret, optabitque, ut versa in misericordiam ira, ad sese revertar. Malis fieri mitior discet; ac post tam diuturnam a me absentiam, meæque patientiæ contemptum, qua ad conversionem vocabatur, me demum ipsi præstolabuntur; libertati restituere cessabo, ut diutius captivitatis suæ pondus sentiant, ac suavius libertate fruantur. *Jugum eis imponetur, quod non auferetur*: unus ego solvere illos possum; frustra aliorum opem implorabunt: decreto tempore illos liberabo, post longum plurium annorum curriculum. Hebræus (14): *Populus meus pendebit super reditu meo ad eos* (vel ipsorum reditu ad me): *super jugum clamabunt* (vel ad Altissimum), *nemo auferet* jugum. *Nemo surgit*, ut ad me redeat, vel convertatur; sive, nemo surgit, ut illis opem ferat. Septuaginta (15): *Populus meus suspensus erit in loco exilii sui; & Dominus super honorifica ipsius irascetur* (vel, super ea quæ ipsi colunt, fortasse Idola); *& non eriget eos*. Ex hac versionum varietate ambiguitatem vocum Hebraicarum intellige.

℣. 8. Quomodo dabo te, Ephraim? protegam te, Israel? Ad verbum (16): *Clypeus ero tibi?* Miseretur malorum Deus, quæ in caput suum Ephraim provocavit, ceu pater amantissimus; ac cum Judex æquissimus sit, facere non potest, quin pro æquo jure flagitia puniat. Cogor te plectere uti Adamam ac Seboim, nequissimas urbes, igne Cœlesti una cum Sodoma & Gomorrha cre matas (17): qui fieri poterit, ut severo adeo supplicio in vos animadvertam? At qui vos tuear, atque impune abire patiar, cum innumeris adeo flagitiis teneamini? Reddi potest Hebræus (18): *Quomodo dabo te, Ephraim? deseram te, Israel?* Hæc interpretatio multo aptior videtur. Septuaginta: *Quid faciam te, Ephraim? protegam te, Israel?*

℣. 9. Non convertar ut disperdam Ephraim. Iterum non convertar, ut illum penitus deleam; contentus ero malis, quæ hactenus tulit. Is non sum, qui nullam quietem norim, donec hostes penitus contrivero atque confregero: fugasse contentus sum, vel dejecisse, illosque coram humi stratos, clementiam implorantes, intueri: *Quia Deus ego, & non homo.* Inordinatas humanæ iræ leges non sequor; minime vereor, ne hostis meus me fugiat, aut fallat; vel denique me fortior efficiatur, aut imbecillitati meæ vel inconsiderantiæ illudat. Meis semper in manibus est: *Deus ego, & non homo*; punio ut corrigam, non ut perdam (19); æterna ultione non sævio, nisi in contumaces, qui ad finem usque beneficiis meis meaque misericordia abutuntur.

In medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem. Olim, Sodomam & Gomorrham eversurus, Abrahamo promiseram fore, ut, si vel decem justos Sodomæ invenirem (20), urbi parcerem; at si vel unum inter vos invenero, in urbes vestras non veniam, ut illas perdam. Aliter: Sunt inter vos pii aliquot viri; sanctos video Prophetas, veluti Oseen, Amosum, Joelem, Abdiam;

(4) Hieron. Haimo, Drus. Confer Osee VII. 11. VIII. 13. IX. 3. (5) Vide Num. 21. 4. XIV. & seq. (6) Osee IX. 3. (7) Osee VII. 11. VIII. 13. (8) 4. Reg. XV. 19. 20. (9) 4. Reg. XVI. 7. 8. 9. & seq. (10) 4. Reg. XV. 30. (11) 4. Reg. XVII. 3. (12) וחלה חרב בעריו וכלתה בדיו ואכלה ממעצותיהם (13) Καὶ ἠσθένησε ῥομφαία ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτοῦ, καὶ κατέπαυσεν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, καὶ φάγονται ἐν τοῖς διαβουλίοις αὐτῶν. (14) ועמי תלואים למשובתי ואל על יקראהו יחד לא ירומם (15) Καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπικρεμάμενος ἐκ τῆς κατοικίας αὐτοῦ, καὶ ὁ Θεὸς ἐπὶ τὰ τίμια αὐτοῦ θυμωθήσεται, καὶ οὐ μὴ ὑψώσῃ αὐτόν. (16) אמגנך ישראל Aq. Ὅπλῳ συγκλείσω σε. (17) Genes. XIX. 24. Deuter. XXIX. 23. (18) איך אתנך אפרים אמגנך ישראל איך אתנך כאדמה Verbum מגן sonat tradere. Genes. XIV. 20. Ita & Symm. Ἐκδώσω σε. Theodot. Ἐξοπλίσω σε: Nudabo te armis. (19) Hieron. hic: *Non enim percutio ut perdam in perpetuum, sed ut emendem. Crudelitas mea pœnitentia, & pietatis occasio est.* (20) Gen. XVIII. 32.

diam; & justos, veluti Tobiam; vestras igitur urbes non ingrediar, eas eversurus; populi partem servabo, ne Israelis genus omnino pereat. Sive: Homo non sum, neque urbium civis, qui nonnisi injuriam & ultionem in hostes spirem (21): Deus, non hominum more punio.

℣. 10. POST DOMINUM AMBULABUNT, QUASI LEO RUGIET. Cum ad officium redierit Israel, ac Dominum secutus fuerit, constanti legum illius obsequio, tunc Deus ceu leo rugiet, populosque terrebit; & qui hactenus populum captivum tenuerint, liberum mittent, & Israel in patriam revertetur. Dei comparatio cum rugiente leone, hominesque ac feras rugitibus terrente, Scriptoribus sacris est familiaris (22). His loquendi formulis sacer terror inspiratur, ac supremum Omnipotentis in res creatas imperium describitur. Leonis instar rugiet Deus, ejusque vox ad extremos usque maris fines sonabit; terrebuntur pisces; *& avolabunt* populus meus *quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum, & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Absoluta potestate loquitur, neglectis hominum vicibus, quibus libertas populi juvabitur. Sui nonnisi vires a nobis spectari jubet.

FORMIDABUNT FILII MARIS. Theodoretus absolute de piscibus explicat; alii de maritimis remotisque trans mare gentibus: vel de populis navigationi assuetis, veluti Phœnicibus, vel Ægyptiis, aut Babyloniis. Malo de Hebræis in Insulas remotasque regiones elapsis interpretari. Nimirum, hi quemadmodum cæteri, rugitum leonis intelligent, ac denique in patriam revertentur.

℣. 11. AVOLABUNT QUASI AVIS EX ÆGYPTO; ceu avis laqueo elapsa, in patrias sedes redibunt. Israelitarum plurimi, uti vidimus (23), in Ægyptum fugerant, capta per Salmanasarum Samaria. Ibi vero animadvertimus (24), plerosque ex iis, qui eo fugerunt, sepulcrum in ea regione invenisse. Id tamen minime prohibuit, quia ingens eorum numerus ad Cyri ætatem usque, vel eo posteriorem, ibi fuerit; quo enim anno Israelitæ hi ex Ægypto redierint, ignotum est: fortasse sub Alexandro Magno, vel eo serius. Vide nostram Dissertationem, qua disputavimus, utrum decem Tribus e captivitate redierint.

℣. 12. CIRCUMDEDIT ME EPHRAIM IN NEGATIONE. Datæ mihi fidei defuit; meo a fœdere discessit; vel, simulatione me fallere conatus est, mei cultum cum simulacrorum religione conjungens (25). Satis mihi fore credidit imperfectam religionem, animumque inter me aureosque vitulos divisum. Ad verbum (26): *Circumdedit me in mendacio.*

JUDAS AUTEM TESTIS DESCENDIT CUM DEO. Cum Ephraim, abjecto cultu meo, aureosque vitulos Dei loco habens, me rejecit (27), obsequiis meis hæret Judas, meque Deum suum esse publice profitetur. Reddi potest Hebræus (28): *Et Judas dominatur cum Deo, & erga sancta fidelis* est, erga Sanctuarium, sacrificia, ritus sacros. Regnum illi servat Deus, fidei causa, qua in obsequio manet. Septuaginta (29): *Nunc novit eos Dominus, & populus sanctus nominabitur Dei.* Judæ nomen cum præcedentibus ita jungunt: Fidei defuerunt impie domus Israel & Juda: at *nunc novit eos Deus, &c.* Narrant Judæi (30), cum egrediens ab Ægypto populus ad Erythræum perveniisset, hinc montibus, inde mari clausus, premente a tergo vestigia Pharaone, cæteras Tribus animo cecidisse, vel sese Ægyptiis dedere, vel arma in illos vertere meditatas, cum nemo apertum Moysis jussu maris alveum subire auderet; solam vero Tribum Juda, eximia fide & virtute, mare ingressam, cæteris exemplum dedisse; quamobrem & Regnum ea constantia meruisse, atque hoc ipsum facinus a Propheta spectari. At Judæorum narrationes fidei parum assertæ sunt, atque hæc ipsa nihil habet, quo dignior fide, quam cæteræ ex eodem fonte delatæ, censeatur. In Hebraicis Bibliis Caput XII. ab hoc versiculo exorditur.

(21) Hieron. hic, Albert. Haimo, alii. (22) Amos I. 2. III. 8. & Jerem. xxv. 30. Joel. III. 16 (23) Osee 12. 1. (24) Ibid. ℣. 6. *Ægyptus congregabit eos; Memphis sepeliet eos.* (25) 3. Reg. xviii. 21. (26) סבבני בכחש 70. Ἐκύκλωσέ με ἐν ψεύδει. (27) 3. Reg. xii. 28. (28) ויהודה עד רד עם אל ועם קדשים נאמן Aqu. Ἐπωμότων. (29) Νῦν ἔγνω αὐτοὺς ὁ Θεός, καὶ λαὸς ἅγιος κληθήσεται τοῦ Θεοῦ. (30) Hieronym. hic.

CAPUT XII.

Levissima Israelis fiducia de Ægyptiorum & Assyriorum ope. Dei beneficia erga Jacobum. Jacobi fides & labores. Ingratus Israelitarum animus. Simulacra Galaad & Galgal inutilissima.

℣. 1. EPhraim pascit ventum, & sequitur æstum: tota die mendacium, & vastitatem multiplicat, & fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat.
2. Judicium ergo Domini cum Juda, & visitatio super Jacob: juxta vias ejus,
&. juxta adinventiones ejus reddet ei. 3. In utero supplantavit fratrem suum, & in
fortitudine sua directus est cum angelo. 4. Et invaluit ad angelum, & confortatus
est: flevit, & rogavit eum: in Bethel invenit eum, & ibi locutus est nobiscum. 5.
Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus. 6. Et tu ad Deum tuum
converteris: misericordiam, & judicium custodi, & spera in Deo tuo semper. 7.
Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. 8. Et dixit Ephraim.
Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra
Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. 10. Et
locutus sum super prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu prophetarum assimilatus sum. 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immo-

molantes: nam & altaria eorum quasi acervi super sulcos agri. 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, & servivit Israel in uxorem, & in uxorem servavit. 13. In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto: & in propheta servatus est. 14. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis ejus super eum veniet, & opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

Ỹ. 1. EPHRAIM PASCIT VENTUM, ET SEQUITUR ÆSTUM: vana spe inanibusque imaginibus pascitur. Hebræus ad verbum (1): *Ephraim pascitur vento, & persequitur eurum*. Eurus ventus est urens, ac maxime perniciosus, innumeros in Ægypto aliisque locis ab eo perflatis morbos parit. Israelis Rex Manahem Phul Regem Assyriorum in sui præsidium accersivit, ut in occupato Israelis Regno confirmaretur, eodemque tempore munera ad Ægypti Regem misisse creditur, ut illius amicitiam ac benevolentiam sibi compararet: *Fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat*. Hæc tamen solertia nedum inutilis, verum etiam perniciosa illi futura est. Illum deseret Ægyptius, & Assyrius opprimet. *Tota die mendacium & vastitatem multiplicat*. Mendacia mendaciis, injurias injuriis cumulat: luculentissima perfidiæ suæ argumenta præbere non cessat; quamobrem novas in se ærumnas provocabit.

Optime etiam de Osee filio Elæ, ultimo Israelitarum Rege, explicatur. Vana spe pascitur, ac futurum sperat, ut Salmanasarum Assyriæ Regem fallat mendaciis, novisque in dies fœderibus, quæ violare pro opportunitate non negligit. Eodem tempore clam cum Ægyptiorum Rege agit, ad Suam oleum aliasque merces mittit, ut illius amicitiam sibi comparet: se ipsum fallit, sibique & Regno exitium parat: *Vastitatem multiplicat*. Posterior hæc explicatio probabilissima omnium videtur; non enim Manahem, uti Osee (2) amicitiam Regis Ægyptiorum quæsivisse legitur. Adde, quod hic XIII. Ỹ. 15. Salmanasar eurus dicitur, ventus urens, ex deserto profecturus, atque Israelis torrentes siccaturus. Narrat Propheta, missum ab Israelitarum Rege oleum in Ægyptum; oleum enim Judææ præstantissimum omnium earum regionum erat. Describens Ezechiel cap. XXVII. 17. ea, quæ ab unaquaque gente ad Tyrias nundinas deferebantur, triticum, mel & oleum Israelitas detulisse narrat. His porro nominibus continentur omnia, quæ in Ægyptum vehebantur, seu muneris loco seu vectigalis. Septuaginta (3): *Ephraim malus est spiritus; persecutus est ventum urentem tota die; inutilia & vana multiplicavit, & fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptum vendidit*.

Ỹ. 2. JUDICIUM DOMINI CUM JUDA. Reliqua hujus Libri Judam & Israelem spectant. Ingrati utrumque animi arguit, iisque Divinum furorem minitatur. Porro ut illorum perfidiam nequitiamque luculentius ob oculos ponat, Jacobi, communis illorum patris, justitiam, obedientiam ac religionem (4) commendat; beneficia, quibus a Deo post egressum ex Ægypto cumulati sunt (5), in mentem revocat: tum de ipsorum Regibus agit (6), deque ingratissimo viæ instituto, quo ipsum habere Principem Ducemque renuerunt. His vero narratis, eadem expendit, hortatur, arguit, minitatur. Ita pergit toto hoc Capite, ac duobus quæ proxime consequuntur. Hebræus ad verbum (7): *Lis Domino est cum Juda, &c.* Certe ea quæ sequuntur, quamdam jurgii aut objurgationis speciem præseferunt.

Ỹ. 3. IN UTERO SUPPLANTAVIT FRATREM SUUM. Res Res est notissima. Vide Genes. XXV. 25. Jacob infans, fratris talum manu tenens, veluti imagine prædicebat, quid olim ipse facturus esset, fratrem supplantaturus.

IN FORTITUDINE SUA DIRECTUS EST CUM ANGELO. Satis virium habuit, ut Angelum superaret. Hebræus (8): *In robore suo prævaluit* (dominatus est, princeps fuit) *adversus Dominum*, vel Angelum. Hebraica vox *Elohim* non modo pro vero Deo usurpatur, verum etiam pro Angelis, Spiritualibus terrenisque Principibus. Septuaginta (9): *In labore suo valuit contra Deum:* conatu suo Angelum una luctantem superavit. Deus appellatur in Genesi XXXII. 24. & hic Ỹ. 4. numen Angeli expresse habet (10).

Ỹ. 4. FLEVIT, ET ROGAVIT EUM. Flevisse Jacob, in Genesi non legitur. Septuaginta (11): *Fleverunt, & supplicaverunt mihi*. Flentes rogavere.

IN BETHEL INVENIT EUM, ET IBI LOCUTUS EST NOBISCUM. Ad Bethel Deus (12) Jacobo promisit fore, ut illius sobules instar arenæ maris augeretur, ipse populis omnibus in illius posteris benediceret, Jacobum beneficiis cumularet, illique Chanaanitidem hæreditatis nomine largiretur. Id porro optime a Propheta dicitur, loqui cum Israelitis, vel pro Israelitis: *Ibi locutus est nobiscum*. Hanc Dei visionem, Jacobo in Bethel oblatam, data opera urget, ut Israelitas arguat, quod ejus loci sanctitatem vitulorum aureorum superstitione violaverint. Septuaginta (13): *In domo iniquitatis* (vel, in domo On) *invenerunt me:* ibi locutus *est ad eos*. Numen fuisse *On*, censet Theodoretus. At certe idem numen est atque *Aven*, quæ vox Hebraice iniquitatem sonat, seu vanitatem; unde nomen *Beth Aven*. Cappellus, ac deinde Grotius animadvertunt, uno puncto mutato in Hebræo (14) legi posse: *Locutus est cum eo*, pro, *Locutus est nobiscum*.

Ỹ. 5. DOMINUS MEMORIALE EJUS. Dominum, *Jehovah*, elegit Jacob Deum sibi, perpetuum religionis suæ argumentum. Vel, collecto simul toto versiculo: *Jehovah Deus exercituum, Deus cujus nomen Jehovah*, ad Jacobum verba fecit in Bethel. *Memoriale* hic significat nomen, quo quis apud cæteros noscitur, quo illum nuncupant cultores sui, cum illius meminere (15).

Ỹ. 7. CHANAAM, IN MANU EJUS STATERA DOLOSA. Phœnices, Chanaani nomine hic designati, negotiationi potissimum operam dabant. Cæteri Palæstinæ, Syriæ, Cœlesyriæ & Idumææ populi agricultura occupabantur (16). *Chanaan* interdum generice pro Mercatore usurpatur. Hic Ephraimum significat, nequitia & fraude Phœnicibus parem. Phœnicum nomen male olim accipiebatur pro homine nequam, astuto, & doloso Homer. Odyss. XIV. v. 287.

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισιν ἐώργει

(1) אפרים רעה רוח ורדף קדים (2) 4. Reg. XVII. 4. (3) Οἱ δὲ Ἐφραὶμ πονηρὸν πνεῦμα, ἐδίωξε καύσωνα ὅλην τὴν ἡμέραν, κενὰ καὶ μάταια ἐπλήθυνε, καὶ διαθήκην μετ' Ἀσσυρίων διέθετο, καὶ ἔλαιον εἰς Αἴγυπτον ἐνεπορεύετο. (4) Ỹ. 3. 4. 5. 12. (5) Ỹ. 9. 13. Ezech. XIII. 4. 1. (6) Cap. XIII. 10. 11. 12. (7) וריב ליהוה עם יהודה (8) באונו שרה את אלהים (9) Ἐν κόπῳ αὐτοῦ ἴσχυσε πρὸς Θεόν. (10) וישר אל מלאך Invaluit ad Angelum. (11) בכה ויתחנן לו Septuag. Ἔκλαυσαν καὶ ἐδεήθησάν μου. At reliqui Interpretes Græci singulari numero legebant, uti Vulgata & Hebræus. (12) Genes. XXVIII. 13. 14. 15. (13) Ἐν τῷ οἴκῳ Ὢν εὗρόν με. Hebr. בית אל ימצאנו ושם ידבר עמנו (14) Legunt עמנו *Himmeno*, pro *Himmanu*. Prior vox ponitur pro עמו *Immo*. (15) יהוה זכרו Vide Exod. III. 15. Psalm. CI. 13. CXXXIV. 13. Septuag. Παντοκράτωρ ἔσται μνημόσυνον αὐτοῦ. (16) Strabo l. 16. p. 526.

Confer Levitici xix. 36. Persæpe Scriptura queritur de fraude, & dolo mercatorum, & iniquitate Judæorum, ac vicinarum gentium. Nec Phœnicii, & Carthaginenses eo nomine melius audiebant, quod in commerciis fidei essent dolosæ. Sinenses, omnium quotquot in orbe hominum gens sunt astutissima, nec in commerciis sinceritas persuaderi illis unqnam potuit. Qui cum illis negotiantur, suam secum stateram ferre coguntur: singulis vero mercatoribus stateræ præsto sunt tres; altera ad emendum, alia ad vendendum, tertia in usus proprios. Iisdem moribus fuisse credo Chananæos, & forte etiam Judæos mercatores. Nec hodie pariter Judæorum fides in commerciis laudatur. Chananæus es, stateram dolosam manu getens, opesque qualibet arte comparans: *Calumniam dilexit*, injuriam, vim, fraudem (17): nihil nisi fratrum oppressionem quærit, ut ipse illorum opibus crescat. Solent Prophetæ ea, de quibus agunt, tropicis nominibus appellare, bonam malamve illorum naturam significantibus. Ita Jerosolymam *Libanum*, Romam *Babylonem*, Ægyptium Regem *magnum Crocodilum*, atque aliter alia nuncupant. Nihil gravius esse poterat Israelitæ, quam Chananæi appellatio (18).

℣. 8. Dives effectus sum; inveni idolum mihi. Sibi ipse gratulatur Israel de opibus comparatis, malæ artis oblitus, qua ipsas comparavit. Neglectis aliorum expostulationibus, quibus doli & malæ fidei arcessitur, paratarum tantummodo divitiatum meminit. Reddi potest (19): *Dives effectus sum: inveni vanitatem mihi*. Vel ex aliis (20): *Inveni opes mihi*, fortunas, bona; Septuaginta (21): *Inveni refrigerium mihi ipsi*. Chaldæus: *Nacti sumus nobis rapinam*. Hebraica vox *Aven* frequenter pro vanitate, nihilo, Idolo usurpatur. Eo autem nomine oprime donantur opes, quæ avarorum dii sunt: *Avaritia, quæ est idolorum servitus*, inquit S. Paulus Ephes. v. 5. quæque inani specie amatores suos ac dominos fallunt: *Fallacia seu deceptio divitiarum* (22).

Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi. In iis quæ gessi, nihil omnino invenietur, quod peccarim, cujus causa sim reus. Vel: Nihil penitus in me damnandum est aut ex iis quæ mihi comparavi, aut opum parandarum arte. Opes meæ me judicio non postulabunt, ut damner (23).

℣. 9. Ego Deus tuus ex terra Ægypti. Vel: Deus tuus factus sum; tu me elegisti, ab egressu ex Ægypto. Initum est fœdus Deum inter & Israelem ad Sinai potissimum, cujus fœderis causa Deus *Jehovah* Israelem veluti hæreditatem populumque suum accepit; Israel vero Deo *Jehovæ* se obtemperaturum pollicebatur (24). Ab eo tempore, Deus populum tueri, & promissorum fidem explere nunquam desiit; populus tamen nonnisi perfidiam rependit.

Adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis, Tabernaculorum, qua populus diebus septem sub arborum ramis, veteris per desertum itineris memoria, degebat. Revocabo te ab exilio, quod per Prophetas minitatus sum, tuque ad Templum reverteris, festas Tabernaculorum dies, uti olim, celebraturus. Sive: Tuis te sedibus restituam: ibi qniete & festorum dierum lætitia frueris. Theodoretus hic minas videt: Dissipabo te, & sub tentoriis, quemadmodum olim in solitudine, vivere te cogam.

℣. 10. In manu Prophetarum assimilatus sum. Variis sub imaginibus me tibi exhibuere Prophetæ, ita ut vel ipsis sensibus me agnosceres, atque adeo tibi me descripsere, ut quis ego sim, satis intelligeres. Nullus tibi excusationi locus est, ut igoorantiam causeris, quasi me tibi satis non ostenderim. Prophetas meos meo nomine & authoritate instruxi, ut te alloquerentur. Horum hominum a me electorum persona, vitæ genus, gesta, sermones meam tibi amplitudinem, justitiam, bonitatem nunciant, Christum Jesum, qui Legis ac Prophetarum finis est, veteres Prophetæ variis sub imaginibus descripsere: ubique in Prophetis occurrit Christi ortus, vita, labores, institutiones, mors, gentium electio, ex quibus Ecclesia coalesceret, Judæorum reprobatio. Nuperi quidam (25) Hebræum reddunt (26): *Per Prophetas proposui*, vel proponam *similitudines*. Per servos meos sermonem ad vos habui; magnumque hujusmodi hominum numerum, vos meo nomine alloquentium, propositis parabolis tropicisque sermonibus, quibus doceremini, inter vos constitui.

℣. 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal boves immolantes. Frustra boves Diis mactatis in Galgal, cum tam multa fuerint in Galaad Numina, quibus minime repugnantibus Galaaditæ captivi a Theglathphalassaro rapti sunt (27). An futurum speratis, ut simulacra Galgal, quibus sacra facitis, validiora sint Galaaditicis? Reddi potest Hebræus (28): *Si Galaad est vanitas, certe frustra in Galgal boves mactant*. Si aræ & simulacra Galaaditis minime profuere, his meliora putatis idola, quæ in Galgal veneramini? Septuaginta Interpretum Codices dissident. Theodotetus & S. Hieronymus legebant (29): *Si Galaad non est, igitur mendaces erant Principes in Galgalis sacrificantes?* Romana Editio legit utroque in loco *Galaad*, & Complutensis *Galgal*. At vetus Theodoreti & S. Hieronymi lectio probabilior est, Si Galaad jam non est, si Galaaditæ rapti sunt in captivitatem, cur Principes Juda sacrificare pergunt in Galgal? Nonne mendaces sunt ac deceptores, si obsequium ac fiduciam simulant erga Deos inanissimos, qui in Galgal coluntur? Fieri ne potest, ut bona fide sinceroque animo sacra faciant Diis, quos maxime imbecilles norunt? Vidimus Oseæ ix. 15. culta fuisse in Galgal simulacra.

Nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri. Altaria Galaad eversa sunt ac diruta, iis lapidum acervis, quæ in agris ac lapidosis vineis colliguntur, similia. Septuaginta (30): *Altaria eorum ut testudines super humum agri*. Teodotion: *Ut colles*, acervi humus vel arenæ in agris. Hebræus (31): *Altaria eorum quasi acervi super sulcos agri*; ita passim occurrunt, uti glebæ in sulcis, vel acervi lapidum in agris cultis ac lapidosis. Invitia hisce minis & Galaaditarum exemplo, altaria ita passim statuere, ut nihilo frequentiotes occurrant in agris sulci. Hyperbole.

℣. 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit, custos gregum fuit, ut uxores sibi compararet, Hebtæus habet (32): *Fugit in agrum Aram*, scilicet in Mesopotamiam, aliter *Padan Aram*, Mesopotamiam campestrem, uti opponitur parti montibus asperæ. Labano serviit, Rachelis & Liæ causa, greges soceri servavit, ut uxores emeret (33), ex illius temporis & reginnis more. Reddit

(17) לעשק אהב Septuag. Καταδυναστεύειν ἠγάπησε. (18) Dan. xiii. 56. Ezech. xvi. 3. (19) אך עשרתי מצאתי און לי (20) Tig. Cast. Munst. Rivet. Grot. Drus. (21) Εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ. Aq. Ἀνωφελὲς αὐτῷ. (22) Matt. xiii. 22. Marc. iv. 19. (23) Jacobi v. 2. 3. (24) Exod. xix. 4. 5. 6. & seq. & xxiv. 3. (25) Vat. Drus. Pagn. Castal. Livel. Piscat. Munst. Tig. Syr. (26) ביד הנביאים אדמה (27) 4. Reg. xv. 29. (28) אם גלעד און אך שוא היו בגלגל שורים זבחו (29) Εἰ μὴ Γαλαὰδ ἔστιν, ἄρα ψευδεῖς ἦσαν ἐν Γαλγάλοις ἄρχοντες θυσιάζοντες. (30) Τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν ὡς χελῶναι ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ. Sym. Ὡς βουνοί. Aq. Ὡς σωροί. (31) גם מזבחותם כגלים על תלמי שדי (32) ויברח יעקב שדה ארם ויעבד ישראל באשה ובאשה שמר (33) Genes. xxix.

dit ad Jacobi historiam; quam ℣. 4. intermiserat. Quæ hic habet de Jacobi fuga in Mesopotamiam, conveniunt cum iis, quæ paulo ante dixerat de Galaad, ubi profanas aras erexerant Israelitæ, cum illorum parens Jacob, e Mesopotamia redux, sui cum Labano fœderis monumentum ibi statuisset. Gen. xxxi. 46. 47.

℣. 13. IN PROPHETA EDUXIT DOMINUS ISRAEL DE ÆGYPTO; per Moysen scilicet per desertum duxit, uti pastor gregem ducit ac servat (33). Moysi successit Josue in populi imperio; qui in Galgal sistens, primum Pascha celebravit, populumque circumcisione initiavit. Ibi nunc Idolis sacra facitis. O ingrati animi exemplum!

℣. 14. AD IRACUNDIAM ME PROVOCAVIT EPHRAIM IN AMARITUDINIBUS SUIS. Vel: Me irritavit Ephraim seditionibus suis (34), molestiis quas mihi exhibuit, dolore quo me obruit.

SANGUIS EJUS SUPER IPSUM VENIET. Vel: Si extremis illum suppliciis affecero, sibi ipse culpam adscribat, quippe quæ meruit.

C A P U T XIII.

Peccata peccatis cumulat Israel. Minæ in Israelem. Regem in furore suo dedit Israeli Deus. Libertatem e captivitate illi pollicetur.

℣. 1. LOquente Ephraim, horror invasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est.
2. Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.
3. Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.
4. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, & Deum absque me nescies, & salvator non est præter me.
5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis.
6. Juxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei.
7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.
8. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.
9. Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.
10. Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; & judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, & principes.
11. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.
12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.
13. Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum.
14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne, consolatio abscondita est ab oculis meis.
15. Quia ipse inter fratres dividet: adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem: & siccabit venas ejus, & desolabit fontem ejus, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

℣. 1. LOQUENTE EPHRAIM, HORROR INVASIT ISRAEL. Iis viribus & authoritate in reliquas Tribus, Israelis Regnum componentes, una Tribus Ephraimi pollebat, ut ea loquente, cæteras terror & obsequium occuparet. Aptissime etiam hæc explicantur de Jeroboamo, primo decem Tribuum Rege (1), quo populum hortante ut Deum desereret, aureosque vitulos veneraretur, Israel insanissimo terrore correptus statim obtemperaverit, & *mutaverit gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum* (2). Hebræus (3): *Loquente Ephraim*, *tremor* omnibus erat: *extulit ipse* caput in *Israel*, numina coluit, omnesque Tribus exemplo in crimen traxit. Septuaginta (4): *Secundum sermonem Ephraim*, ubi locutus est Ephraim, *justitias accepit ipse in Israel*. Quid sibi velint hæc verba, non percipio.

DELIQUIT IN BAAL, ET MORTUUS EST. Regnante potissimum Achabo, Baalis & Astaroth, Phœniciorum Numinum, cultus Israelem invasit (5). Hactenus notus fuisse cultusque in Israele Deus videtur, saltem apud plurimos. At post Achabi regnum, scelera in dies aucta radices altiores egere. Jam tum Israel morte damnatus est, exilio, captivitate, cæterisque malis, quæ in illum apud Prophetas leguntur: quin & Deo mortuus erat quodammodo, cum sententia irrevocabili decreto firmata fuerit, ob invictam obstinatamque illorum in scelere constantiam. Mortis nomine solet Scriptura omnia malorum genera complecti, puta, morbum, servitutem, oppressionem, &c. (6).

. . . . *Mortis habet vices.*
Cum lentis trahitur vita doloribus Seneca.

℣. 2. HIS IPSI DICUNT: IMMOLATE HOMINES, VITULOS ADORANTES, qui vitulos veneramini. Acerrima est irrisio Prophetarum Domini, cæterorumque Judæorum Deo fidelium, adversus Israelitas decem Tribuum, Molocho & Saturno humanis victimis litantes, dum vitulos aureos venerantur. Profecto quid insanius excogitari potest, quam divino cultu bestias, imo metallicas bestiarum imagines prosequi, dum homines, ipsique inte-

[33] ובנביא נשמר [34] הכעים אפרים תמרורים Septuag. Παρώργισεν με Ἐφραΐμ, ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς αὐτοῦ. [1] Hieronym. Sanct. [2] Psalm. cv. 20. [3] כדבר אפרים רתת נשא הוא בישראל [4] Κατὰ τὸν λόγον Ἐφραΐμ, δικαιώματα ἔλαβεν αὐτὸς ἐν Ἰσραήλ. [5] 3. Reg. xvi. 31.
(6) Vide Sanct. hic, num. 5. Ezech. xxxvii. 1. 2. & seq. Jonas ii. 3. Psalm. lxxxvi. 13. &c.

interim liberi mutis ignotisque Diis mactantur atque impiissime cremantur? Humanarum victimarum usum in ea regione frequentem fuisse, nemo ignorat; atque hujus sævitiæ exemplis Scriptura passim scatet (7). Varias admittit Hebræus explicationes (8): *Ipsis dicebant: Sacrificantes hominum*, id est, qui ex hominibus sacrificant, *hi vitulos osculentur*. Quicumque sacrificat, vitulos veneretur (9); Jeroboami legatorumque ipsius voces sunt, & lex Israelitis data, qua vetabatur, nequis sacra facturus Jerosolymam adiret. Septuaginta (10): *Ipsi dicunt: Mactate homines, vituli deficiunt*. Cum vituli aliæque victimæ defecerint, mactandi offerantur homines. Chaldæus: *Boves vitulis mactant*. Hebræus pro *adorare* fert *osculari*; solebant enim Veteres, cum Deos colerent, osculari; cumque longe abesset simulacrum, porrecta prius ad illud manu, deinde illam religiose osculabantur. *Adorando dextram ad oscula referimus*, inquit Plinius (11). Vetustissimi hujus moris non semel meminit Scriptura (12).

℣. 3. Quasi nubes matutina. Vide Osee vi. 4.

Sicut fumus de fumario. Hebræus (13): *Sicut fumus de fenestra*, vel de spiraculo, in pariete aperto, ut egressus pateat fumo; caminis enim Israelitæ, qualibus nos, non utebantur. Septuaginta (14): *Sicut vapor ex locustis*; quæ verba nihil sonant. Hujus porro obscuritatis causa est Hebraicæ vocis ambiguitas.

℣. 4. Deus tuus ex terra Ægypti, qui te ex Ægypto eduxi; vel, qui me tibi in ipso egressu ex Ægypto Deum exhibui, te populum meum elegi. Supra xii. 9.

℣. 5. Ego cognovi te in deserto, amavi, beneficiis affeci. Vel: Tui periculum feci; te indocilem ac durissimam gentem esse, expertus sum. Plerique bonam in partem usurpant: Beneficiis te cumulavi, manna alui, aquas abunde præbui, ita ut in deserto nulla penitus re indigeres. At his beneficiis tu abusus es.

℣. 6. Juxta pascua adimpleti sunt. Simili locutione usus est Moyses (15): *Incrassatus est dilectus & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*. Israel in uberrima & fertili regione constitutus, & cum adhuc in deserto vagaretur, Divinis beneficiis cumulatus, omnem Dei memoriam abjecit, ipsumque seditionibus, aurei vituli cultu, flagitiosis factis Beelphegoris contempsit, & provocavit.

℣. 7. Ero eis quasi leæna. Septuaginta (16): *Quasi panthera*. Illos in itinere ad Assyriam instar leænæ persequar; neque dura captivitate contentus, illos vel in exilio exagitabo; pardo similis erga illos ero in via ad Assyriam.

℣. 8. Quasi ursa raptis catulis. Ursæ comparatione utitur frequenter Scriptura, ubi furorem extremum describit (17).

Dirumpam interiora jecoris. Hebræus (18): *Dilacerabo clausum cordis eorum*: pectus discerpam & costas, & intima cordis ac viscerum scrutabor. Aliter: Lacerabo clausum, durum, contumax cor eorum.

℣. 9. Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Tui auctor exitii es, Israel: opem ex me uno præstolari debes. Vel: Periisti, Israel: præsidium in me uno habeas. Aliter: Hoc tibi futurum est exitium, Israel: unus ego servare te poteram. Septuaginta (19): *Exitio tuo, Israel, quis auxiliabitur?* Editio Sixtina legit: *Perditio tu, Israel*.

℣. 10. Ubi est Rex tuus ... et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem? Cum durissimam captivitatem in remota ignotaque regione subieris, Regum tuorum humanæque opis, in quibus fiduciam collocaveras, experieris. Senties quam stulte egeris, cum meæ manus & imperii præsidio te subduxisti. *Reges & Judices* pro omnibus imperii administratoribus ponuntur. Judicis nomen pro Rege, & Regis pro Judice interdum usurpatur. Abimelech, Gedeonis successor, Rex appellatur (20); & Amos (21) *Judicem* seu Regem Moab periturum minitatur.

℣. 11. Dabo tibi Regem in furore meo. Saulem (22) nimii animi tui contumacia coactus, & sanctissimi Prophetæ contemptu irritatus, dedi. Eo te adigam, ubi nullus gentis tuæ Princeps aut Rex futurus est, ut scelera tua, quæ extremos fines attigere, tuamque perfidiam numquam intermissam puniam. Aliter: Iratus Jeroboamum tibi dedi (23), ceu sævissimum herum, diuturnæ animi tui, imperiis meis reluctantis, contumaciæ frangendæ aptissimum, & Oseen tibi auferam, flagitiis tuis in dies crescentibus irritatus. Sunt denique qui de Rege Assyriorum interpretentur. Te ego daturus sum Salmanasaro, iræ meæ obsequutus, & Oseen furoris mei causa tibi auferam. Septuaginta (24): *Dedi tibi furorem in ira mea, & illum habui in furore meo*. Veteres tamen Interpretes Græci omnes legebant: *Abstuli in furore meo*, teste S. Hieronymo. Quemadmodum bonus Princeps maximum est Dei beneficium; ita malus, luculentissimum est furoris illius argumentum.

℣. 12. Colligata est iniquitas Ephraim, ceu fascis virgarum æris aut argenti, quibus olim pro numismate utebantur (25): Ephraimi peccata penes me probe colligata & clausa teneo: *absconditum* est apud me *peccatum ejus*, in ærario meo; neque oblitus sum, neque punii: nondum venit animadversionis tempus, at non longe est: *Manet alta mente repostum*. Illius flagitia e repositorio, ubi servantur, eruam, proferam, ac terribili gravissimoque supplicio puniam.

℣. 13. Dolores parturientis venient ei. Eo minime cogitante, Dei furor in illius caput sæviet: iniquitas qua refertus est scelus quod ipse concepit, fructum edet (26), extremamque calamitatem in illum provocabit. Mulieris parturientis comparatio cum homine Dei ultionem sentiente, quin illam vitare queat, passim in Scriptura occurrit (27).

Ipse filius non sapiens; nunc enim non stabit in contritione filiorum. Vel: Ephraim filius est contumax, hæreditate indignus, jure cadet, ubi supremus Paterfamilias Deus hæreditatem diviserit: *Non stabit in contritione*, vel *in diviso-*

[7] Psalm. cv. 4. Reg. xii. & xxi. [8] לרם הם אכרים זבחי ארם עגלים ישקון [9] Druf. Pisc. Rivet. Ludov. de Dieu. [10] Αὐτοὶ λέγουσι, Θύσατε ἀνθρώπους, μόσχοι ἐκλελοίπασι. [11] Plin. lib. xxviii. cap. 2. Apuleius lib. 4. Asini: *Admoventes oribus suis dexteram, ut ipsam prorsus Deam, religiosis adorationibus venerabantur.* [12] Job xxxi. 27. 3. Reg. xix. 18. [13] כעשן מארבה [14] Ὡς ἀτμὶς ἀπὸ ἀκρίδων, vel ἀπὸ δακρύων. Postrema hæc merum est mendum, ortum e similitudine vocis ἀκρίδων, & δακρύων. Hebræa vox ארבה ex varia pronunciatione sonat locustam, vel foramen unde egreditur fumus. Theodot. Καπνοδόχης. Aqu. Καταῤῥάκτου. [15] Deut. xxxii. 15. [16] כמו שחל Ὡς πάνθηρ. [17] Vide 2. Reg. xvii. 8. Prov. xvii. 12. [18] אקרע סגור לבם [19] Τῇ διαφθορᾷ σου Ἰσραὴλ, τίς βοηθήσει; Heb. שחתך ישראל כי בי בעזרך [20] Judic. ix. 6. [21] Amos ii. 3. *Disperdam Judicem de medio ejus, & omnes Principes ejus interficiam cum eo.* [22] 1. Reg. viii. 5. 7. Vide Theodoret. in Psal. xcviii. 8. [23] 3. Reg. xii. 20. [24] Ἔδωκά σοι βασιλέα ἐν ὀργῇ μου, καὶ ἔσχον ἐν τῷ θυμῷ μου. Heb. אתן לך מלך באפי ואקח בעברתי [25] Vide S. Hieronymum hic, & nos in Dissertatione de numismatibus. [26] Osee a. 13. Psal. vii. 15. [27] Deut. ii. 25. Psal. xlvii. 7. Isai. xiii. 8. Jerem. iv. 31. vi. 24. Mich. iv. 9. 1. Thessal. v. 3.

visione filiorum (28); sive, ubi Deus rationes exegerit, judicium instituerit, vel pœnas in familiam suam exercuerit. Recentiores plerique Chaldæum & Rabbinos sequuntur, qui mulieris parturientis allegoriam hic servari arbitrantur. Ephraim *fœtus stolidus, nec se juvans, ut erumpat ex utero*. Siquid saperet, nonnihil certe conaretur, ut malis, quibus cingitur, se subduceret, aut imminentia occuparet.

℣. 14. DE MANU MORTIS LIBERABO EOS .... ERO MORS TUA, O MORS: MORSUS TUUS ERO, INFERNE. Post minas, solatium admovet Deus: prædictisque decem Tribuum exilio, captivitate & morte, earumdem reditum, libertatem, vitam pollicetur (29). Hæc porro imago sunt mortis, passionis, ærumnarum, resurrectionis & gloriæ Jesu Christi (30), cui potissimum convenit vaticinium, literali sensu usurpatum. Mortis & sepulcri nomen captivis & exulibus improprie aptatur; at proprium Jesu Christo est crucifixo, mortuo, ac sepulto. Resurrectio, egressus a sepulcro, libertas a morte de Christo Jesu in vitam revocato absque figuris intelligitur; at non æque eodem sensu de Israelitis captivitate solutis.

Reddi Hebræus potest (31): Si sapuisset Ephraim, malaque imminentia pœnitentia criminum occupasset (32) *sepulcro liberassem, & a morte servassem, fuissem pestis tua, o mors; excidium tuum, sepulcrum*. Vel: Mortis potestate liberassem, quia pestis tua ego sum, o mors; excidium tuum, o sepulcrum. Hunc Osee locum usurpat, & ad Christum e mortuis surgentem refert Apostolus (33): at neque Hebræum sequitur, neque Septuaginta; ita enim recitat; *Absorpta est mors in victoria: Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Septuaginta (34): *De manu inferi* (vel sepulcri) *eruam eos, de morte redimam eos. Ubi est causa tua, o mors? ubi stimulus tuus, inferne?*

CONSOLATIO ABSCONDITA EST AB OCULIS MEIS; nullum mihi solatium video, cum Israel in scelere perseveret, ac seditionem inter fratres serere non cesset: *Quia ipse inter fratres dividet*. Vel: Nullus mihi locus est solatio, cum mors vel infernus divisionem inter fratres ponat; vel denique, cum fratres invicem sejuncturi sint; quippe futurum est, ut hi varias in regiones dissipentur. Reddi etiam potest Hebræus (35): *At pœnitentia abscondetur ab oculis meis*; misericordia non flectar (36): Ephraimum penitus delebo, quia *seditionem inter fratres sevit*; Israelem ab Juda segregavit; in gente sua discrimen posuit; magnam Israelis partem a Dei cultu removit. Denique ita, mihi quidem probabilius, verti potest: Excidium tuum ero, o sepulcrum: *ultio*, vel ultor *abscondetur oculis meis, quia Ephraim inter fratres* iterum *florebit*. Hæc e superioribus sequuntur. Post Ephraimi exilium & excidium, illum oppressione liberabo: *pestis tua, o mors, ero; excidium tuum, o sepulcrum*. Israel e captivitate, ceu mortuus e sepulcro, egredietur. *De ultione non cogitabo*. Hebraicum vocabulum, quod redditur *consolari*, frequenter etiam pro *ulcisci* usurpatur (37). Ephraim, qui mortuæ & aridæ stirpi similis fuit, novam in vitam restitutus, iterum fructum feret. Alludit ad Ephraimi nomen, ortum e verbo *Phara*, fructum, flores, & gemmas ferre (38). Addita conditionis particula: Si conversus fuisset Ephraim, morte ac sepulcro illum liberassem, atque a me ultores removissem: floruisset Ephraim, uti olim: at ventum, quo uratur, Deus excitabit.

℣. 15. ADDUCET URENTEM VENTUM DOMINUS DE DESERTO ... ET SICCABIT VENAS EJUS. Hebræus (39): *Adducet Deus ventum Orientis*. Ventus hic venas siccans seu rivos, quibus Ephraim ceu arbor eximia rigabatur, Salmanasar est, qui populum & omnia totius regionis pretiosissima abstulit.

---

(28) הוא בן לא חכם כי עת לא יעמד במשבר בנים Quidam vertunt: *Filius non sapiens Ephraim, quia nunc non stetit in angustia partus*. (29) Vide sup. Osee VI. 3. & Ezech. XXXVII. (30) Vide Theodoret. hic, & Sanct. n. 48. Ita quidam ex Judæis, Rivet. (31) מיד שאול אפדם ממות אגאלם אהי דבריך מות אהי קטבך שאול (32) Isidor. Clar. Tigur. Drus. Grot. Munst. (33) 1. Cor. XV. 55. (34) Ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι αὐτοὺς, ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτούς. Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε, ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη. (35) נחם יסתר מעיני כי הוא בין אחים יפריא (36) Vat. Drus. Grot. Mercer. Vide & Jerem. XX. 16. & Isai. LVII. 6. & Ezech. XXIV. 14. (37) Vide Genes. XXVII. 42. Deut. XXXII. 36. Collat. cum 2. Macc. VII. 6. & Psalm. LXXXIX. 13. Isa. I. 24. Ezech. V. 13. XIV. 23. (38) Vide Caput XIV. ℣. n. 8. (39) יבוא קדים רוח יהוה ממדבר

CAPUT XIV.

Samariæ exitium & ruina. Exhortatio ad Israelem, ut ad Deum convertatur; cui, si resipuerit, ingentia bona promittuntur.

℣. 1. PEreat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, & fœtæ ejus discindantur. 2. Convertere,
Israel, ad Dominum Deum tuum; quoniam corruisti in iniquitate tua. 3. Tollite
vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. 4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum
nostrarum: quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli. 5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. 6. Ero quasi ros,
Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani. 7. Ibunt rami ejus,
& erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani. 8. Convertentur sedentes in umbra ejus: vivent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale ejus sicut vinum
Libani. 9. Ephraim quid mihi ultra idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est. 10. Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis: prævaricatores vero corruent in eis.

℣. 1. PEREAT SAMARIA; vel peribit, quia Deum irritavit. Imperativus modus frequenter pro futuro tempore usurpatur, ut minas, promissionem aut prædictionem significet. Hebræus (1): *Peccavit Samaria*, vel *Samaria evertetur*. Septuaginta (2): *Abolebitur Samaria, quia restitit Deo*. Continuatio Capitis superioris.

℣. 2. CORRUISTI IN INIQUITATE TUA. Calamitas tua ex peccatis tuis oritur. Hae saltem in captivitate, qua premeris, convertere. Si minis terreri non potuisti, mala saltem præsentia te bonam ad frugem revocent.

℣. 3. TOLLITE VOBISCUM VERBA, ET CONVERTIMINI. Si victimis aut muneribus illius iram placare vobis non licet, bona saltem verba & preces date; humili animo flagitia vestra fatemini. Hæc nimirum confessio, atque hoc labiorum sacrificium jucundius illis futurum est bobus atque arietibus in altari mactatis: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Exules, a Templo remoti, nihil jam habemus, ut victimarum cruore tibi, o Deus, litare possimus: oramus igitur, *omnem aufer iniquitatem, accipe bonum*, quod miseri deferimus. Nisi enim flagitia nostra, o Deus, abstuleris, qua fronte ad te accedemus, munera oblaturi? *Aufer iniquitatem, & accipe bonum. Nisi tuleris mala nostra, bonum quod tibi offeramus, habere non possumus*, inquit S. Hieronymus. Septuaginta (3): *Accipite vobiscum verba, convertimini ad Deum; dicite illi, ne accipiatis injustitiam, & ut accipiatis bona, & reddemus fructum labiorum nostrorum*.

℣. 4. ASSUR NON SALVABIT NOS, SUPRA EQUUM NON ASCENDEMUS. Experti didicimus, ex Assyriæ Rege non præsidium nobis fuisse, sed tyrannidem & servitutem: frustra in Ægyptiis equitibus fiduciam collocavimus. Sua Ægyptiorum Rex interitum nostrum immotus spectavit; Phul, Theglatphalassar, Salmanasar, Assyriorum Reges, malis vicissim nos oppressere, donec in miserrimam captivitatem devenimus.

EJUS, QUI IN TE EST, MISEREBERIS PUPILLI. Israel similis pupillo est, parentibus orbato, a patria ejecto, ipsique Deo inviso. De Judæis agens Jeremias (4): *Pupilli facti sumus absque patre; matres nostræ quasi viduæ*; & de Jerosolyma (5): *Facta est quasi vidua domina gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo*.

℣. 5. SANABO CONTRITIONES EORUM, vulnera (6). Ita respondet Deus precibus Israelitarum. Hebræus (7): *Sanabo conversionem eorum*: ad me reversos sanabo. Septuaginta (8): *Sanabo habitationes eorum*, ut ibi tuto moram trahant.

DILIGAM EOS SPONTANEE. Immensa erga illos benevolentia afficior. Siquando illos cecidi, vim animo meo adhibui. Ubi ad me redierint, meus iterum amor fervebit. Hebræus (9): *Diligam eos sponte*, liberaliter, effuse. Septuaginta (10): *Diligam eos manifeste*, luculenter, apertissime. Syrus: *Diligam eos ut spontaneum munus*; vel spontanea illorum oblationes diligam (11).

℣. 6. ERO QUASI ROS, ISRAEL. Ephraimum cum arbore, ab arente vento siccata, comparaverat (12): hic vero pollicetur futurum, ut eam arborem rore irriget, quo virens iterum & florida fiet; ut illa alte radices figat, ramosque in altum porrigat, &c. Virgilius Æneid. IV.

.... *Quantum vertice ad auras*
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

ERUMPAT RADIX EJUS UT LIBANI, ad verbum, *ut Libanus*, veluti cedri Libani, quarum proceritas & magnitudo radicum profunditatem ac robur ostendit.

℣. 7. ERIT QUASI OLIVA GLORIA EJUS. Olivæ similis futura est illius pulcritudo, fœcunditas, vigor. Septuaginta (13): *Erit quasi oliva fructifera*. Chaldæus: Micabunt ut lucernæ in candelabro Templi.

ODOR EJUS UT LIBANI, seu thuris. Hebraica vox *Lebanon* frequenter thus significat; fortasse arborum pinguium causa, quæ in Libano proveniunt.

℣. 8. CONVERTENTUR, SEDENTES IN UMBRA EJUS, arboris scilicet quam descripsit; vel, sub Dei umbra & præsidio. In patriam revertentur, ibique tranquillam & beatissimam vitam agent. Hæc ad verbum explicari queunt de Israelitis decem Tribuum, e captivitate Babylonica reversis; nobiliore autem sensu, de iis, qui ad Christi sacra vel conversi sunt, vel aliquando convertentur. Reddi potest Hebræus (14): *Revertentur qui sessari sunt sub umbra ejus*. Ex alienis gentibus, ceu Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Ethnicis erunt, qui sub Judaicæ gentis umbra sedeant, ac Deum venerentur. Id profecto gestum est post Evangelii prædicationem, ingenti Ethnicorum numero ad Christianorum sacra converso.

MEMORIALE EJUS SICUT VINUM LIBANI. Israel coram Deo suo suavissime olebit, uti vinum eximium, in Domini aris libatum. *Bene olere* dicuntur ii, quos amat Deus (15); *male olere* ii, quos odit (16). Maxima vini laus est odor; & non una Priscis erat ars (17), vina odoribus condiendi, cum odore carerent; variis nimirum aromatibus & palato & naribus jucundiora reddebant (18). Biblia vina, Sareptana, & e Libano, omnia denique Phœnicum vina plurimi olim æstimabantur (19), neque minoris adhuc nostra ætate habentur. De his narrat Gabriel Sionita (20), generosa esse, valentissima, palato jucunda, opportuna stomacho; quæ sine inflatione calori stomachi serviant, concoctionem juvent, noxios humores dissipent, & vires augeant. Fortasse pro *vino Libani* reddi potest Hebræus (21): *Vinum odoratum*, vel suavibus aromatibus herbisque conditum. Neque ignotæ Hebræis erant hujusmodi mistiones. *Vinum conditum* (22) & *Myrrhatum vinum* (23) in Scriptura legitur. Vide nos in Canticum Canticorum & S. Hieronymum (24) & Sanctium hic.

℣. 9. EPHRAIM QUID MIHI ULTRA IDOLA? Nemo jam idolorum Ephraim meminerit: præteritorum obliviscor: nullæ deinceps in Ephraimum objurgationes & minæ. Sincerus Ephraimi reditus est, absoluta conversio, perfecta pœnitentia. Præterita illius flagitia non recordor. Aliter: Deinceps, Ephraim, animum ad idola convertes. Vel: *Dicet Ephraim: Quid mihi ulterius idola* (25)? Quid mihi & idolis commune? Neque novi, neque curo.

DIRIGAM EUM EGO UT ABIETEM VIRENTEM. Hebræus (26): *Ego exaudiam & respiciam eum; ego ero ei sicut abies semper virens: in me fructum tuum*

(1) תאשם שמרון. (2) Ἀφανισθήσεται Σαμάρεια, ὅτι ἀντέστη τῷ Θεῷ. Sym. Μεταμελήσει, Pœnitentiam aget Samaria. (3) Λάβετε μεθ' ἑαυτῶν λόγους, ἐπιστρέψατε πρὸς Κύριον, εἴπατε αὐτῷ ὅπως μὴ λάβητε ἀδικίαν, καὶ λάβητε ἀγαθά, καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν. Legunt פרי *Peri*, fructum, pro פרים *Parim*, vitulis, tauris. Syrus, Arabs & Apostolus, Heb. XIII. 15. Septuaginta Interpretes sequuntur. (4) Thren. v. 3. (5) Thren. I. 1. (6) Ibid. C. I. 1. Legisse videtur משברתם (7) ארפא משובתם (8) Ἰάσομαι τὰς κατοικίας αὐτῶν. (9) אהבם נדבה (10) Ἀγαπήσω αὐτοὺς ὁμολόγως. (11) Legit נדבתם pro נדבה (12) Cap. XIII. ℣. 15. (13) Ἔσται ὡς ἐλαία κατάκαρπος. יהי כזית הודו (14) ישבו ישבי בצלו (15) Cant. I. 2. & IV. 11. Eccli. XL. 1. Eccle. VII. 2. (16) Genes. XXXIV. 30. Exod. V. 21. (17) Vide Plin. XV. c. 17. Vide & Jerem. XLVIII. 11. (18) Plin. lib. XIV. c. XX. de Condiendis mustis. (19) Vide Athen. l. I. c. 23. Sidon. Apollin. c. 17. Plin. l. 7. c. 20. (20) Gabriel Sionita, Arab. c. 11. (21) כיין לבנון (22) Cant. VIII. 2. יין הרקח (23) Marc. XV. 23. (24) Hieron. hic: *Vinum Libani possumus appellare mistum, & conditum aromate, ut odorem suavissimum habeat.* (25) אפרים מה לי עוד לעצבים (26) אני עניתי ואשורנו אני כברוש רענן ממני פריך נמצא

tuum invenies. Non umbram modo & præsidium, quæ abiete semper virente significantur, verum etiam naturam & fructum, quibus abies caret, in me nancisceris. Septuaginta (28) reddunt *juniperum*; alii pinum sive cupressum. At utraque arbor pari est atque abies sterilitate.

℣. 10. QUIS SAPIENS, ET INTELLIGET ISTA? Putant S. Hieronymus, Theodoretus, aliique plures (29), Prophetam his verbis vaticinii sui obscuritatem significare; quasi diceret: Ænigma obscurissimum proposui: quæ illius ambages? Quis tam acri ingenio futurus est, ut omnia illius arcana rimetur? Censent alii, innuere Oseen, quam pauci monitis suis usuri sint, ut ad Deum revertantur, iis promissionibus gavisuri, quas cæteri serio ad sese conversi sortientur.

RECTÆ VIÆ DOMINI, ET JUSTI AMBULABUNT IN EIS: voluptatem & solatium in iis sentient; indefessis, cerris tutisque vestigiis eas percurrent. Non modo non querentur, angustum esse iter & arduum, verum etiam Deo grates agent, quod ipsum latius & commodius effecerit, atque alacri animo illud obibunt: *Latum mandatum tuum nimis*, ait Propheta Psal. CXVIII. 96.

PRÆVARICATORES VERO CORRUENT IN EIS. Qui æquitatem bonamque fidem ignorant, qui languido ac reluctante animo Dei vias percurrunt, hypocritæ & impii exitium, offendicula & præcipitia in iis invenient. Dei jugum, bonis suavissimum atque jucundum, malos opprimit & necat.

FINIS COMMENTARII IN OSEEN.

IN JOELEM

PROLEGOMENON.



Oel filius Phatuelis, e Tribu Ruben (1), uti ferunt, seu potius Gad, (2) ex urbe sive regione Betharan trans Jordanem. Appellatur etiam *Betharamphta*; & ab Herode demum *Livias*, seu *Julias* dicta est. Vaticinia sua in Regnum Israelis edidisse, S. Hieronymus (3), aliique plures censuerunt. Sed ejus vaticinii unicum argumentum, id quod certum exploratumque est sola Libri lectione, Regnum Juda statuendum est (4); quemadmodum sanior Commentatorum pars ultro fatetur (5).

Quo tempore vixerit, & munus inierit, diffident Interpretes. Fames atque locustarum pestis, quod tamquam malum præsens deplorat, unica conjectura est, unde duci queat de tempore Prophetiæ argumentum. Verum, cum ea de re nihil habeatur in Sacra Scriptura expressum, nihilo minori negotio certa ejus rei epocha statui potest. Famem descripsit Jeremias (6), alteram Amos (7); altera sub Joram (8) legitur.

Viri quidam docti (9) opinantur, famem apud Joelem ipsam esse, quam Amos deplorat, questus, nihilo ex ea re sapientiores factos esse Israelitas. Inde vero colligunt Joelem aliquanto seniorem fuisse Amos; cum postremus hic Propheta malum illud tanquam præteritum; Joel vero tanquam præsens commemoret. Sed quid facient, quod Amos, cum sub Ozia Rege Juda, & Jeroboamo II. filio Joas Regis Israelis, vixerit (10), multo proinde senior est Joele, qui extincto jam Regno Israelis, quantum ex ejus Scriptis colligimus, munus Prophetæ gerebat (11)? Quod ad famem sub Joramo, septennii flagellum fuit; cum fames sub Joele uno vel altero anno sævierit. Non est igitur altera cum altera miscenda.

Fames, de qua Jeremias Capp. 8. 14. 15. 16. sub Josia facile, seu potius Sedecia, expeditione Nabuchodonosoris in Judæos ineunte, contigit. Cum vero nihil de certo ejus anno in Scripturis designetur, nihil exinde pro adstruenda Joelis ætate doctiores efficimur.

S. Hieronymus Præfat. in omnes Prophetas, & plerique tum Veterum (12) tum Recentiorum, Prophetas Joelem & Oseen coævos statuunt, juxta solemne Interpretibus, S. Hieronymum secutis, effatum: *In quibus tempus non præfertur in titulo, sub illis eos Regibus prophetasse, sub quibus & hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt*. Quæ illorum regula non usque adeo asserta reputanda est, quin sæpius fallatur, uti certe exemplo Jonæ apertissime demonstratur, vetustior est enim is quam Amos, quamquam in censu Prophetarum inferior ordine statuitur (13). Græci quin etiam alium in recensendis minoribus Prophetis ordinem ab He-

(28) Ως ἄρκευθος. ברוש (29) Rupert. Ribera, Rivet. &c. (1) Ita Epiph. de vita Prophetarum; Doroth. in Synops. Isidor. de ortu & obitu Proph. c. 40. Ita & Hebræi. (2) Josue XIII. 27. Num. XXXII. 36. (3) Hieron. ad Paulin. *Joel filius Phatuel describit terram XII. Tribuum, eruca, brucho, locusta, erugine vastante consumptam*, &c. Ita Theodoret. præfat. in Joel, & Amos. Remig. Lyr. Haimo, Burg. Rabb. quidam. (4) Vide Joel I. 9. 13. 14. 16. II. 1. 15. 16. 17. III. 6. 8. 17. 19. 20. 21. (5) Vide Hieron. in Præfat. ad Joel, & in Amos, initio; Sanct. Livel. Drus. Mercer. alios passim. (6) Jer. XII. 4. 13. XIV. 1. 2. &c. (7) Amos IV. 7. 8. 9. (8) 4. Reg. VIII. 1. 2. 3. (9) Coadom. & Usser. ad A. M. 3197. Vide etiam P. Pezron in Prophetis, qui vaticinium Joelis composuit cum anno XX. Oziæ, & XXXVI. Jeroboami II. (10) Amos I. 1. (11) 4. Reg. VIII. 3. (12) Theodoret. in Præloquio omnium Prophet. Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. August. de Civit. lib. 18. c. 27. Rufin. Grot. alii. (13) Amos vixit sub Ozia Rege Juda, & post obitum Jeroboami II. quo regnante Jonas vaticinabatur.

Hebræo sequuti, persuasum plane non habebant, Biblia Hebraica, quæ nos in Vulgata sequimur, temporum ordinem tenuisse, neque enim aliter mutare illum ausi fuissent. Tandem si effatum illud semel statuatur, alias Græci, alias Latini consequutiones ducent; quorum proinde alterutri errare cogentur. Nutat ergo hujus effati fides.

Judæi (14) persuasum habent, Joelem munus suum exercuisse sub Manasse, post dispersionem decem Tribuum, quorum sane opinio multum abludit a vero; siquidem vera sint ea, quæ de fame apud hunc Prophetam leguntur, cum fame apud Jeremiam convenire: Deus enim Jeremiæ roganti, ut tandem oppressum malis populum levet, testatur, se criminibus a Manasse in Urbe patratis offensum, dispersurum tandem illos per gentes & populos. Jerem. xv. 4.

Primum & secundum caput Joelis acri descriptione prosequitur famem in Juda æstu solis, locustarum, & bruchorum vastatione inductam. Locustarum turbam veluti exercitum regiones vastantem, obsidentem Urbes, ædesque ipsas infestantem describit. Ventorum e plaga Maris mortui & mediterranei furentium turbine excussum est in Judam malum, quod acerbitate sui ad luctum demissionemque animi populum ducens, id tandem effecit, ut calamitate pulsa largior bonorum imber arva perfunderet. Hæc omnia ipsa Joelis ætate eodemque spectante contigerunt.

Ad sublimiora deinde argumenta versus Propheta, diem Domini prædicit, diem ultionis, a summo Judice in valle Josaphat exigendæ; quibus oraculis spectatum credimus exercitum Cambysis, in valle Jezraelis, sive in magno Campo castramentatum; quem exercitum subito turbine dispersum fugatumque Ezechiel XXXVIII. 22. expressit & Joel II. 30. tantum innuit. Plura identidem subdit, ad literam nonnisi in Jesu Christo & Ecclesia numeris omnibus impleta, uti cum de Doctore justitiæ a Deo mittendo agit (15); de Spiritu Sancto super omnem carnem effundendo (16); de salute omnibus nomen Domini invocantibus concedenda (17); de Jerosolyma perpetuo habitatore colenda (18); ac demum de salute pariter inde proventura (19).

Stylo utitur magnifico & figurato: allegoriam locustarum sub exercitus specie egregie prosequitur. Res vividis coloribus ita pingit, ut non descriptæ, sed ipsis oculis subjectæ videantur.

(14) Seder-Olam, Kimchi, R. Salom. (15) Joel II. 23. (16) Ibid. ℣. 28. 29. (17) Ibid. ℣. 32. (18) Joel III. 20. (19) Joel. II. 32.

COMMENTARIUS LITERALIS IN JOELEM.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio malorum, quibus populum suum cecidit Deus per locustas, vermiculos & rubiginem. Sacerdotes ac populum ad animi dejectionem, quibus placetur Deus, hortatur.

℣. 1. VErbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel. 2. Audite hoc
senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in
diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? 3. Super hoc filiis vestris narrate,
& filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteræ. 4. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.
5. Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine:
quoniam periit ab ore vestro. 6. Gens enim ascendit in terram meam, fortis, &
innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis, & molares ejus ut catuli leonis. 7. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticavit: nudans spoliavit eam,
& projecit: albi facti sunt rami ejus. 8. Plange quasi virgo accincta sacco super
virum pubertatis suæ. 9. Periit sacrificium, & libatio de domo Domini: luxerunt
sacerdotes ministri Domini. 10. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. 11. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento, & hordeo, quia periit messis agri. 12.
Vinea confusa est, & ficus elanguit, malogranatum, & palma, & malum, & omnia
ligna

ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium a filiis hominum. 13. Accingite vos,
& plangite sacerdotes: ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri
Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium, & libatio. 14. Sanctifi-
cate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum
Dei vestri: & clamate ad Dominum. 15. A, a, a, diei, quia prope est dies Do-
mini, & quasi vastitas a potente veniet. 16. Numquid non coram oculis vestris ali-
menta perierunt de domo Dei nostri, lætitia, & exultatio? 17. Computruerunt ju-
menta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ: quoniam con-
fusum est triticum. 18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia
non est pascua eis: sed & greges pecorum disperierunt. 19. Ad te, Domine, cla-
mabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis.
20. Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam ex-
siccati sunt fontes aquarum, & ignis devoravit speciosa deserti.

℣. 1. JOEL FILIUM PHATUEL. Legunt Græci: *Filium Bathuel*. Quis fuerit Joel, & qua ætate vixerit, quære in Prolegomenis.

℣. 2. AUDITE HOC, SENES ... SI FACTUM EST ISTUD IN DIEBUS VESTRIS? Regni Judaici incolas alloquitur, Joelis enim ætate Israelis Regnum jacebat (1). Præcipuum hujus vaticinii argumentum est excidium Regni Juda per locustas aliasque ejus generis bestias, quæ agrum, arbores & sata vastavere. Neque malum hoc prædicit, sed describit, omnia illius adjuncta persequitur (2), populumque hortatur, ut ad sese pœnitentia redeat. Proximum hujus calamitatis finem, absolutamque bonorum omnium copiam pollicetur. Ut non futuram calamitatem hic prædici, sed describi præsentem credam, illud est, quod minime populum hortatur, ut imminens malum avertat, neque pollicetur futurum, ut Deus populum illius immunem reddat, si ad pœnitentiam conversus preces fuderit, sed malis hisce meliora tempora absolutamque ubertatem successuram promittit (3). Non semper futura nunciant Prophetæ; sæpe etiam præsentia flagitia arguunt, & mala describunt, quibus populus criminum causa a Deo mulctatur. Illud tantummodo Propheticum in Joele habetur, quod feliciora tempora, majoremque ubertatem, reditum e captivitate Babylonica (4), mala Chaldæis, Phœnicibus, Philisthinis, Ægyptiis, Idumæis imminentia (5), denique felicissimum Messiæ Regnum, ac super universos homines Spiritus Sancti effusionem prædicit (6), eaque exhibet sub imagine felicissimæ ætatis, quæ hostium Juda depressionem consequetur.

Veteres nonnulli (7) putavere, iis quæ hic de locustis, agros Juda invadentibus, & agricolæ spem ac populi annonam vorantibus leguntur, significari Chaldæos eam regionem aggressuros: quatuor vero pestium generibus, de quibus Joel, innui quatuor Reges Judæorum adversarios, seu populos illis bellum illaturos; Erucam Assyrios & Chaldæos, locustam Persas Medosque, bruchum Græcos ac præsertim Antiochum Epiphanem, rubiginem Romanos designare. Aliter: Quatuor iis malis indicabantur Teglathphalassar, Salmanasar, Sennacherib, & Nabuchodonosor; vel Salmanasar, Nabochodonosor, Antiochos Epiphanes, & Romani; seu denique quatuor Nabuchodonosoris expeditiones in Judæam. Quilibet pro arbitrio. Nobis maxime simplex placet ac literalis explicatio, de cæde Judææ nimirum per erucas, locustas & rubiginem.

℣. 4. RESIDUUM ERUCÆ COMEDIT LOCUSTA. *Erucæ diram animal* (8), *erodantque frondem, aliæ florem ... ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc malum tempore humida & lento.* (9), sub veris initium, cum tenerrimæ arborum frondes erumpunt. Locustæ succedunt erucis, circa veris medium, atque ita noxiæ stirpibus sunt, uti arboribus erucæ; reliquias erucarum vorant. Certat Bochartus, Hebraicam vocem *Gazam* (10), quam nos reddimus *erucam*, significare quoddam locustarum genus, quemadmodum tres cæteras, quæ verti solent, locusta, bruchus & rubigo (11). De Locustis vide Itiner. Mission. pag. 256. 257.

RESIDUUM LOCUSTÆ COMEDIT BRUCHUS. Bruchus Græce idem est ac Latine *Attelabus*, locusta scilicet alis brevioribus quam cæteræ. Locustas virides Cyprii appellabant *brauchan*; & *bruchus* agrorum Propheta dicebatur, quod agros invadens famem præsagiret. Recentiores quidam (12) putant, Hebraica voce (13) significari potius insectum aliquod seu limacem, pomorum flores erodentem: at Bochartus locustæ genus esse demonstrat. Certe inter locustas a Scriptura recensetur Psal. CIV. 34. ac teste Nahum (14), bruchus animal est volucre. *Jelech* oritur ex radice (15) quæ sonat rodere, lambere.

RUBIGO, nebula seu ros fruges maturitati proximas vitians. Sunt qui ex maligno rore nasci putent, alii ex frigore, alii ab æstu (16). *Cæleste frugum vinearumque malum, nullo minus noxium, est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu convallibusque, ac perflatum non habentibus. E diverso carent ea ventosa & excelsa* (17). Hebraica voce *chasil* (18) rubiginem significari, non omnes æque Interpretes assentiuntur. Ajunt plerique (19), quartum locustarum genus esse, vel insectorum, arbores stirpesque erodentium. Septuaginta (20) vocem hanc interdum reddidere locustam.

℣. 5. EXPERGISCIMINI ... QUI BIBITIS VINUM IN DULCEDINE. Hebræus (21): *Expergiscimini ab ebrietate qui bibitis vinum super mustum*, vel, qui bibitis vinum cum liquoribus, qui e pomis exprimuntur, qui quodlibet vini & liquoris genus hauritis, expergiscimini, vestraque flagitia coram Deo lacrymis expiate; is enim vinum & liquores

(1) Vide Caput III. 2. *Disceptabo cum eis ibi super populo meo; & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diviserunt.* (2) Joel. I. 16. 17. 18. 19. 20. (3) Joel. II. 18. 19. & sequ. ad ℣. 28. (4) Joel. III. 1. 2. 3. ... 7. (5) Joel. III. 4. 5. 19. (6) Joel. II. 29. 32. & III. 20. 21. (7) Vide, si lubet, Hieron. & Theodoret. Remig. Haimon. Rupert. Dionys. Hugon. Sanct. Rib. &c. (8) Plin. lib. 17. cap. 24. (9) Idem ibid. (10) גזם Septuag. Κάμπη. (11) Boch. de animal. sacr. parte 2. lib. 4. cap. 1. (12) Jun. Tremel. Pisc. Livel. (13) ילק Septuag. Βροῦχος. (14) Nahum III. 15. 16. *Bruchus expansus est, & evolavit.* (15) ילק, 2 לקק *Rodere, Lambere.* (16) Vide Plin. lib. XVIII. cap. 28. (17) Plin. lib. 18. cap. 17. (18) חסיל Septuag. Ἐρυσίβη. (19) Ita Chald. Vatab. Mercer. Drus. Boch. de animal. sacr. par. 2. l. 4. c. 2. Grot. (20) Septuag. 2. Par. VI. 28. Βροῦχος. Isai. XXXIII. 4. & Joel. II. 25. Ἀκρίς. (21) הקיצו שתי יין על עסים Cant. VIII. Vox עסים usurpatur pro liquore e malis punicis expresso.

ves hujusmodi, quibus tantopere abusi estis, vobis est ablaturus.

℣. 6. GENS ASCENDIT SUPER TERRAM. Veteres nonnulli ac recentiores interpretes (22) verba hæc de Assyriis seu Chaldæis, Hebræorum ditionem invadentibus, explicavere. At tota orationis series luculentissime ostendit, locustarum aliorumque insectorum exercitum, quo omnis Judæa occupata est, significari. Animalia hæc ceu exercitum gentemque numero & viribus pollentem, describit Propheta. Tropicum hoc orationis genus, Prophetis familiare, vim quamdam cæteris majorem habet. Non modo Scriptura, verum etiam profani animalia gregatim incedentia, & societatis amica, sub imagine gentis, populi, exercitus, reipublicæ describunt. Salomon Prov. XXX. 25. *Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum: regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas suas.* Meminit Homerus gentis apum, muscarum, suum; Appianus, populi ferarum; Virgilius, generis equorum, vitulorum, avium; Lucilius, populi vulturum & corvorum (23).

DENTES EJUS UT DENTES LEONIS. Apud Orientales, locustæ majores sunt magisque perniciosæ, ac frequentiores, quam apud nos. *In India ternum pedum longitudinis esse traduntur, cruribus & feminibus serrarum usum præbere, cum inaruerint* (24). *Serpentem, cum libuit, necant singulæ, faucibus ejus apprehensis morsibus. Omnia vero morsu erodunt, & fores quoque tectarum* (25). *In Cyrenaica regione lex etiam est ter anno debellandi eas, primo ova obterendo, deinde fœtum, postremo adultas: desertoris pœna in eum qui cessaverit. Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad magistratus referant. Necare & in Syria militari imperio coguntur* (26). S. Joannes Apoc. IX. 8. visas a se in spiritu locustas similes exhibet equis in prælium paratis, quibus dentes ceu leonum essent.

℣. 7. ALBI FACTI SUNT RAMI EJUS, ad librum usque erasi. Rami penitus cortice nudati, similes sunt fustibus albis aridisque. Locustæ ficus & vineas amant (27).

℣. 8. PLANGE QUASI VIRGO ACCINCTA SACCO SUPER VIRUM PUBERTATIS SUÆ. Scriptura, ut vividum constantemque amorem describat (28) uti solet comparatione *uxoris* seu *viri pubertatis*, cui scilicet quis primum nupsit, primosque amores dedit; acriores certe quam qui secundis nuptiis foventur, præsertim apud eos qui pluribus uxoribus & divortio utuntur. Virgilius Æneid. IV. de Sichæo primo Didonis viro:

Ille meos primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

℣. 9. PERIIT SACRIFICIUM ET LIBATIO, agris enim insectorum procella vastatis, nemo ad Templum aut primitias defert aut munera. Solvi Sacerdotibus ac Levitis nequeunt decimæ, aliique census, qui ipsis Lege debentur. Hyperbolicum aliquid in his verbis esse videtur; ægre enim crediderim, gravem adeo sævisse famem, ut vel quotidianis sacrificiis nihil reliquerit; quæ quidem sacrificia similam & vinum una exposcebant (29). Tametsi enim omnes præsentis anni fructus defecerint, vel superioris anni esse poterant, vel a finitimis emi.

℣. 10. CONFUSUM EST VINUM, ET ELANGUIT OLEUM. Vinea prorsus periit, & languet olea. Hebræus (30): *Puduit mustum*, defecit, *& elanguit oleum*. Septuaginta (31): *Aruit vinum, & diminutum est oleum*. Eadem lectionum varietas legitur ℣℣. 11. 12. *Confusi sunt agricolæ; vinea confusa est*. Reddi potest: *Aruit*, & *aruerunt*.

℣. 12. OMNIA LIGNA AGRI ARUERUNT. Locustarum morsus, quidquid tetigit, virulenta vi quadam inficit; quoddam enim salivæ genus illæ exspuunt, seu spumæ salsæ, ac pungentis, quæ vitale arborum succum vitiat (32).

℣. 13. ACCINGITE VOS ET PLANGITE, SACERDOTES: INGREDIMINI, CUBATE IN SACCO. In Templum convenite, Deoque coram in saccis vilibusque pannis, Templi pavimento instratis, cubate. Sacerdotes, toto ministerii tempore, albis vestibus, ad pedes usque fluentibus, induebantur. Imperat Propheta, ut fluentes vestium sinus colligant, & consueta magnificentiæ ac pompæ indicia ponant. Eo vestium genere utimini, quo lugentes solent, sacco scilicet aut cilicio; atque hoc habitu inter Templum & Altare super tapetem rudioris panni, veluti cilicium, cubate. Vide proximum Caput ℣. 17. Tradit Judithæ Liber IV. 9 audito Holofernis accessu ad Bethuliam, Sacerdotes sese sacco induisse, stratos humi pueros coram Templo, velatumque altare cilicio. Hebræus ita explicari potest (33): *Accingite vos sacco, & luctum trahite; venite, cubate in sacco*; super cilicia cubantes pernoctate (34).

℣. 14. SANCTIFICATE, indicite JEJUNIUM. Ex iis quæ sequuntur (35) discimus, in similibus rerum angustiis cogi consuevisse præter morem populum in Templum buccinæ concentu; enarratoque præsenti discrimine, jejunium imperari, monerique omnes, ut supplices Deum orarent, iram averterent; Sacerdotes coram Domino stratos magnis vocibus illius opem implorare; tremulos senes & lactentes pueros colligi, ut universa gens unum in locum coacta, unoque consensu orans, vim quodammodo Superis adhiberet, Deumque placaret. *Sanctificate jejunium* (36), scilicet, Publicum jejunium imperate. Extraordinaria jejunia in magnis discriminibus in usu fuisse cernuntur nedum in Regno Juda, verum etiam Israelis, vel regnantibus Principum scelestissimis, uti Achabo & Jezabele. Impia hæc fœmina, exitium pii Nabothi meditata (37), publicum in Jezrahele jejunium indixit. Armis Ammonitarum, Moabitarum, & Meonenim petitus Josaphat (38), Judæ universo jejunium imperavit. Alia hujus moris exempla leguntur (39); soletque Scriptura hoc verbo uti: *Sanctificare jejunium*.

VOCATE COETUM. Hebræus (40): *Proclamate ferias*: unusquisque diem hunc ceu sacrum & festivum servet. Septuaginta (41): *Prædicate servitium* Domini, vel *diem sanationis*; Symmachus, *synodum*, Aquila, *Diem collectæ*.

℣. 15. A, A, A, DIEI! Hebræus (42): *Heu diem illum!* Septuaginta (43): *Heu, heu, heu ad diem!*

PROPE EST DIES DOMINI, ET QUASI VASTITAS A POTENTIA VENIET. Septuaginta (44): *Quoniam prope*

(22) Hieronym. Theodoret. Montan. Sanct. &c. (23) Vide Boch. de animal. parte I. lib. 4. cap. 4. (24) Plin. lib. XI. cap. XXIX. (25) Plin. ibidem. Vide si vacat, Scalig. in Cardan. exercit. 199. (26) Idem ibidem. (27) Vide Bochart. loco sup. cit. Didym. Geoponicon lib. X. Plin. l. XVII. c. 25. Theophrast. hist. lib. 2 cap. 4. (28) Prov. II. 17. Malach. II. 14. Jerem. III. 4. Isai. LIV. 6. &c. (29) Vide Levit. II. 1. 2. 3. & VI, 14. 15. (30) הוביש תירוש אמלל יצהר Vox הוביש forrasse oritur ex יבש *Aruit*, vel ex בוש *Erubuit*. (31) Ἐξηράνθη ὁ οἶνος, ὠλιγώθη ἔλαιον. (32) Pisidas de opificio mundi: Τίνας τὰ βλάστη καὶ μιαίνων τῷ ἰῷ. Plin. lib. XI. cap. 29. *Multa contactu adurentes*. Damir. Muffet. & alii apud Bochart. de animal. sacr. (33) חגרו וספדו . . . באו לינו בשקים (34) Hieron. Vat. Drus. Mercer. Figuer. Sanct. (35) Joel. II. 1. 15. 16. (36) קדשו צום Septuag. Ἁγιάσατε νηστείαν. (37) 3. Reg. XXI. 9. (38) 2. Par. XX. 3. (39) Jerem. XXXVI. 9. Isai. LVIII. 3. Joel. II. 15. Jonas III. 5. (40) קראו עצרה (41) Κηρύξατε θεραπείαν. Hieron. hic. (42) אהה ליום (43) Οἴμοι, οἴμοι, οἴμοι εἰς ἡμέραν. (44) Ὅτι ἐγγὺς ἡ ἡμέρα Κυρίου, καὶ ὡς ταλαιπωρία ἐκ ταλαιπωρίας ἥξει. Legunt in Hebræo כשד משדי יבוא pro כשד משדי יבוא

prope est dies Domini, & quasi calamitas ex calamitate veniet. Malis hisce ceu nova calamitas succedet. At Vulgata cum Hebræo consentit. Mala multo majora minitatur Propheta, quibus præsentia vix præludunt. Conventum mox aget Deus, Judicis more prodibit, ut pro meritis reddat. *Dies Domini* locutio forensis est; dies quo Deus jus dicet. Supremas calamitates innuere videtur Propheta, quibus obrutum est Regnum Juda, & captivitatem, quam sub Nabuchodonosore subiit (45); vel absolute spectat graviorem consequentis anni sterilitatem, cessantibus autumni imbribus, quibus messis agro credita irriganda fuerat. Vide ℣. 17.

℣. 16. Alimenta perierunt de Domo Dei nostri, lætitia et exultatio. Præsentium malorum causa populum in Templum convenire jubet. Sacra domus, quæ olim quolibet annonæ genere, carnibus, pane, vino, oleo, &c. abundabat; quæ lætis vocibus & carminibus, atque instrumentorum concentu sonabat, quam misere nunc squalleat, nemo non videt. Inops populus nihil eo confert. Universa gens & Sacerdotes sacco velati, & in gemitus mœstasque voces effusi illam implent.

℣. 17. Computruerunt jumenta in stercore suo, cum desit in agro palea aut herba iis substernenda. Vel: Languidum pecus, cibi inopia in præsepibus jacet, frustra in agros proditurum, cum ubique squallor & ariditas conspiciatur. Orientales pecori equinum stercus aridum, non paleam, substernunt (46). Arabes (47) equorum stercore in sole siccato, ac manu trito equis suis lectum parant; rati fimo noxios humores trahi, & scabiem ab equis arceri. Mane simul collectum in æstu aqua rigant, ne fervescens tabem pariat. Hebræus (48): *Putruerunt sata sub glebis suis*. Adeo aruit humus, ut credita agris semina, humi mortua putrescant. Extremam fuisse ariditatem, atque ita exustam humum, veluti igne tactam, docent ℣℣. 19. & 20. Triticum humi conditum putrescit, si humores partes movente, & vitales telluris succos fermentante, careat. Septuaginta (49): *Exultaverunt vitulæ in præsepibus suis:* salierunt, ferierunt pede, veluti postulantes cibum, famisque impatientes (50). Syrus: *Incœnatæ manserunt juvencæ in præsepibus suis*. Chaldæus: *Computruerunt dolia vini sub operculis suis*. Vetus illud doliorum genus vel amphorarum significat, ubi vina servabantur. Lutea erant vasa, ore desuper patente, quorum operculum subere & pice claudebatur. Corrupta sunt hæc vasa, tetrico odore fœtent, quod renovata non fuerint, vinoque recenti completa. Hæc satia indicant, Joelem sub autumni exitum verba fecisse ad populum post vindemiam & sementem, succedente erucis ac locustis ariditate, atque imminente regioni malo multo graviore, consequentis anni sterilitate, quam nemo vereri non poterat, cum sata cessarent.

Demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ. Hebræus (51): *Desolati sunt thesauri, eversæ* agrestes *casæ*. Repositoria quælibet, in quibus aurum, argentum, frumentum, vinum, oleum, &c. conduntur, Hebræi thesauros nuncupant. Ita Davidis & Salomonis Ministros, quibus agri proventuum colligendorum cura erat, *Præfectos thesaurorum* (52) nominant. Agrestes casæ, de quibus hic, non villæ sunt, aut locupletum villicorum domicilia, sed mera tuguria, in agricolarum & operarum usum, quo per messis tempora cogebantur pecora & frumenta; Hebræis *mamguroth* (53), & Pœnis *magaria* (54), qua in voce Phœniciam adhuc originem vides. Hujus generis tugurium legimus apud Ruth (55). Sanctus Hieronymus Præfat. in Amos: *Agrestes casæ, & furnorum similes, quas Aphri appellant mapalia*. Hoc igitur dicit Propheta, post communem universæ regionis calamitatem, desertas fuisse agrestes casas, neglectas, excidio derelictas, nemine illas curante, quod vastato a locustis agro inutiles essent, neque melioris conditionis spes affulgeret, siccitatis causa, quæ adhuc perseverans, consequente anno timeri omnia jubebat. Septuaginta (56): *Dissipati sunt thesauri, evulsa torcularia*; vel, subterranei specus, ubi vinum servabatur, eversi sunt; & fossæ, in quibus triticum & fructus condebantur, derelictæ. Testantur Itinerariorum Scriptores (57), apud Orientales messem & fructus in subterraneis scrobibus ab agricolis condi; quas deinde scrobes humo injecta claudunt ea arte, ut nemo, nisi dominus, eas noverint. Vide & Aggæum II. 20.

℣. 19. Ignis comedit speciosa deserti, seu locorum pecori relictorum; hæc enim in pluribus Scripturæ locis deserti nomine intelligenda sunt. Ignis, de quo Joel, locustas significat (58), & alia insectorum genera, quæ agrum vastaverant; vel insolitam ariditatem, quæ herbas adusserat. Hebræus (59): *Ignis comedit habitacula deserti*. Pastorum casæ, præsepia, quo pastores cum gregibus succedere solebant, derelictæ sunt & exustæ, ut inutiles.

℣. 20. Sed et bestiæ agri quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te. Solis æstus terram excussit, fontesque siccavit; ita ut nedum cicur pecus fame pereat, verum etiam feræ, siti vexatæ, os ad cœlum erigant, veluti imbrem postulantes. Similem ferme descriptionem, de insolita siccitate agens, persequitur Jeremias XIV. 6. *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba*. Hebræus (60): *Etiam bestiæ agri anhelant* (instar cervorum) *ad te, quia aruerunt fontes aquarum*. Hæc Vulgatæ verba, *Quasi area sitiens*, neque Hebræus habet, neque Septuaginta.

(45) Hieronym. hic. (46) Busbeq. Epist. 3. pag. 205. (47) M. Darvieux, Mœurs des Arabes cap. xr. (48) עבשו פרדות תחת מגרפותיהם (49) Ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν. (50) Theodoret. Οὐ διὰ κόρον τοῦτο ποιοῦσαι, ἀλλ᾽ ὑπὸ λιμοῦ φθειρόμεναι, καὶ ὑπὸ τῆς ὀργῆς, καὶ τοὺς πόδας τῇ γῇ προσαρασσόμεναι. (51) נשמו אצרות נהרסו ממגרות (52) 1. Par. xxvii. 25. (53) ממגרות (54) Vide Servium ad Æneid. 1. & Grot. hic. (55) Ruth II. 7. 14. & III. 7. & Agg. II. 10. (56) Ἠφανίσθησαν θησαυροὶ, κατεσκάφησαν ληνοί. (57) Chardin Voyage de Perse pag. 68. (58) Vide infra Joel. II. 5. (59) אש אכלה נאות מדבר Septuag. Πῦρ ἀνήλωσε τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου. (60) גם בהמות שדה תערוג אליך כי יבשו אפיקי מים

C A.

CAPUT II.

Dies furoris Domini. Hostes in populum immissi. Judæi ad meliora conversi, bonis omnibus cumulabuntur. Spiritus Sanctus in Domini servos & ancillas effusus. Salus e Sion oritura.

℣. 1. CAntate tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia prope est. 2. Dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis quasi mane expansum super montes; populus multus, & fortis similis ei non fuit a principio, & post eum non erit usque in annos generationis, & generationis. 3. Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiat eum. 4. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic current. 5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. 6. A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. 7. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt a semitis suis. 8. Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent, & non demolientur. 9. Urbem ingredientur, in muro current: domus conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. 10. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli: sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. 11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, & facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum? 12. Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. 13. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. 14. Quis scit, si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium, & libamen Domino Deo vestro? 15. Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, 16. Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes: congregate parvulos, & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. 17. Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum? 18. Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo: 19. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. 20. Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis: & expellam eum in terram inviam, & desertam: faciem ejus contra mare Orientale, & extremum ejus ad mare novissimum: & ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quia superbe egit. 21. Noli timere terra, exulta, & lætare: quoniam magnificavit Dominus, ut faceret. 22. Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus, & vinea dederunt virtutem suam. 23. Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum, sicut in principio. 24. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo. 25. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos. 26. Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: & non confundetur populus meus in sempiternum. 27. Et scietis, quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum. 28. Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. 29. Sed & super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

30. Et

30. Et dabo prodigia in cœlo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.
31. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domi-
ni magnus, & horribilis. 32. Et erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini,
salvus erit: quia in monte Sion, & in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus,
& in residuis, quos Dominus vocaverit.

℣. 1. CANITE TUBA IN SION. In bellicis tumultibus insolitisque casibus, populus tubæ concentu cogebatur, teste passim Scriptura. Locustas Judæam vastantes Joel seu terribilem exercitum a Deo missum describit. Populum hortatur, ut in templum conveniat, Deo supplicaturus, ut perniciosissimos hostes removeat, & pristinam terræ libertatem restituat.

CONTURBENTUR OMNES HABITATORES TERRÆ; Tubæ concentu terreantur. *Si clanget tuba in Civitate, & populus non expavescet?* inquit Amos, III. 6. Virgilius Æneidos VIII.

. . . . Ut rauco strepuerunt cornua cantu,
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium.

VENIT DIES DOMINI. Vide supra I. 15. Furoris illius præludia cernimus: Veremur, ne quantus est, nos opprimat.

℣. 2. DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS. Nox & tenebræ plerumque pro calamitate & rerum angustia usurpantur; vide infra ℣. 10.

QUASI MANE EXPANSUM SUPER MONTES POPULUS MULTUS. Ut Auroræ jubar montium juga statim occupat, ita innumera gens terram. Populus multus est erucharum & locustarum gens. Vide caput primum ℣. 4. 6. *Mane* subitum improvisumque casum significat (1). Locustarum invasio præverti non potest, aut vitari. Statim vides in aere volantes ceu nubem, ruentesque instar turbinis in agrum, illumque ea cæde populantes, quam hominum vires & solertia coercere non possunt: *Solemque obumbrant, sollicite suspectantibus populis, ne suas operiant terras; sufficiunt quippe vires.* Plin. lib. XI. c. 29.

SIMILIS EI NON FUIT A PRINCIPIO. Idem habet Moyses de locustis Ægyptum inundantibus, ut Pharaonis contumacia puniretur (2). Nunquam ita ingens locustarum numerus, uti sub Moyse, Ægyptum invasit; neque par in Judæa, uti sub Joele.

℣. 3. ANTE FACIEM EJUS IGNIS VORANS. Agri a locustis populati, igne tacti videntur; stirpes enim usque ad radices erodunt, & arbores usque ad librum. Morsus similis igni est. Vide Caput 1. ℣. 12. & Theodoretum hic (3).

QUASI HORTUS VOLUPTATIS TERRA, eo elapso, horrida fit solitudo. Hebræus (4): *Tamquam hortus Eden erat terra ante eum; & post illum, desertum vastum.* Terrestri Paradiso similis dicitur Palæstina, ubertatis & pulchritudinis causa.

℣. 4. QUASI ASPECTUS EQUORUM, ASPECTUS EORUM. Si videas, equites in prælium paratos dixeris. Locustæ caput equino simile est, ejusque volatus pernicitas sub equi currentis imagine optime exhibetur (5). Locustæ in Apocalypsi IX. 7. equis in prælium paratis comparantur: *Similitudines locustarum similes equis paratis ad prælium.*

℣. 5. SICUT SONITUS QUADRIGARUM SUPER CAPITA MONTIUM EXILIENT. Cum locustarum nubes in aera tolluntur, *tanto volant alarum stridore, ut aliæ alites credantur*, inquit Plinius lib. XI. c. 29. Teste Remigio Autissiodorensi (6), illarum fragor a sex millium passuum intervallo exauditur; idque mirum videri non poterit, si memineris, illas tam magnis simul gregibus volare, ut aerem obumbrent, & duodecim millia passuum interdum occupent. In Oriente multo majores, quam apud nos, inveniuntur; easque rapido & sonoro volatu rapi, nemo ignorat. Hæc tamen, quamquam vera sunt, hyperbole & tropica ac poetica oratio hic agnoscenda est, quam Propheta ubique mire servat; constantioremque allegoriam, aut descriptionem nobiliorem fortasse alibi frustra quæras.

℣. 6. OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM; ubique ora squalida & plumbea occurrent. Hebræus (7): *Omnes vultus contrahent nigrorem ollæ.* Tam atri erunt quam est olla. *Facies combustæ vultus eorum*, uti habet Isaias, XIII. 8. vel, *Denigrata est super carbones facies eorum*, ex Jeremia Thren. IV. 8. Scriptores sacri, terrorem famemque describentes (8), hac locutione uti solent. Qui albo colore sunt, iis formido pallorem parit; at Judæi Palæstini, quibus os fuscum erat, atri ac plumbei efficiebantur, cum vel formido vel fames sanguinem ab extremis corporum partibus ad cor revocaret.

℣. 7. QUASI VIRI BELLATORES ASCENDENT MURUM. Locustæ, strenuorum militum more, quodammodo ad aggressionem accedent, & loca etiam munitissima urbesque invadent. Id vero omnino usuvenit, inquit Theodoretus (9); illæ enim veluti militari ordine ac disciplina, loco nunquam cedentes, invadunt, unaque omnes aggrediuntur.

℣. 8. UNUSQUISQUE FRATREM SUUM NON COARCTABIT: locum suum unusquisque servabit. Mirum locustarum ordinem, quem locustæ volando servant, S. Hieronymus præsens ipse admiratus est. *Hoc nuper in hac provincia vidimus*, inquit idem hoc loco, de locustis agens. *Cum enim locustarum agmina venirent, & aerem, qui inter cælum & terram est, occuparent, tanto ordine ex dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tessellarum, quæ in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, &, ut ita dicam, ungue transverso, declinent ad alteram.* Arabes, quos citat Bochartus, asserunt, quoddam militaris disciplinæ rudimentum in locustarum nubibus animadverti. Una omnes castra locant moventque, omnesque ducem sequuntur, nunquam aberrantes. Sigebertus Gemblacensis, locustarum turbinem describens, quo Gallia omnis vastata est anno 874. asserit, has tanto ordine incessisse, ut instructissimi exercitus species videretur. Pridie quam in aliquem locum irrumperent, Duces agrum explorabant, altera die invadendum.

SED ET PER FENESTRAS CADENT, ET NON DEMOLIENTUR. Per fenestras irrumpent, quin aliquid demoliantur. Hæc ad verbum de locustis explicantur. Frequenter, inquit Theodoretus (10), muros transiliunt, in urbes evadunt, ipsasque domos aggressæ, per remotissimarum ædis partium fenestras ingrediuntur. Id vero probabilissimum est, in iis præsertim regionibus, ubi fenestræ vel clatratæ sunt, vel tela suspensa velatæ. *Nihil locustis invium est*, ait hic S. Hieronymus, *cum & agros & sata & arbores & urbes & domos & cubi-*

---

[1] Isai. XXVIII. 19. LVIII. 8. Osee VI. 4. XI. 11. [2] Exod. X. 14. [3] Καὶ τοὺς λειμῶνας δίκην φλογὸς ἐπιοῦσαι κατεσθίουσι. [4] כגן עדן הארץ לפניו ואחריו מדבר שממה [5] Theodoret. hic: Εἰ γάρ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν μορφὴν τῆς ἀκρίδος, εὑρήσει τὴν ὄψιν ἵππου ἐοικυῖαν. Ἐπεὶ δὲ ἰδών, καὶ πομπὴν αὐτῶν κατ' εἶδος τῶν ἵππων ταχύτατα ἐκτεταμένων, &c. [6] Apud Bochart. de animal. sacr. parte 2. pag. 476. [7] כל פנים קבצו פארור [8] Vide Thren. V. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis.* Vide & Job XLI. 11. Nahum II. 10. [9] Theodoret. in hunc loc. Vide & Cyrill. [10] Theodoret. hic.

cabiculorum secreta penetrent . . . Per fenestras intrant, quasi fures; non quod furum timorem habeant; sed ut fures solent ingredi per fenestras & occulte rapere, sic clausis januis, ne ulla sit mora per fenestras tota irrumpunt audacia.

Hebræus (11): *Irruent inter jacula, non vulnerатæ*: hostium arma non verebuntur. Locustæ neque hastas neque ensem timent, pernicitate, volatu, parva corporis mole satis tutæ. Ex eo hostium genere non sunt, quibus agmina objici queant aut mœnia: militum virtutem, armorum robur, mœnium celsitudinem floccifaciunt. Reddunt alii (12): *Super arma cadunt*, armatos milites invadunt, *minime cupidi*: nullum veniæ locum relinquunt, spreta exuviarum spe, aut captivorum redemptione. Chaldæus: *Ad locum, quo missi sunt, vadunt, & trucidant, nec recipiunt pecuniam.* Septuaginta (13): *In jaculis*, telis icti *cadent, & non consummentur*, vel, non interficientur. Frustra illos ferire conaris: dejicies, non necabis. Vel, ex Theodoreto: Hostes hi *requiescent armati*, armis instructi cubabunt, *nec satiabuntur bello*, quemadmodum, subdit Theodoretus (14), locustæ cibo, quæ nunquam explentur.

℣. 10. A FACIE EJUS CONTREMUIT TERRA: homines illas intuiti formidabunt. Seu: Volantium fragor terram quodammodo quatiet, aerem agitabit; *moti sunt Cæli*; solem obumbrabit, veluti cum densa nube tegitur; *sol & luna obtenebrati sunt*; sidera lucem negabunt: *Stellæ retraxerant splendorem suum*. Locutiones hæ, quantumvis tropicæ, ipsa rei veritate nituntur. Locustæ, ex Africa vel Syria in Palæstinam, Arabiam, aut Mesopotamiam irrumpentes, ingentibusque turmis maria trajicientes, magno interdum ita numero sunt, ut loca, per quæ transeunt, obumbrent. Id sexcenti testantur Historiarum atque Itinerariorum Scriptores, tum veteres, tum recentiores (15). Interdum in Nigritia aerem obumbrasse illas ad duodecim passuum millia, testatur Aloysius. Apud Cosacos turmæ locustarum adeo ingentes occurrunt, ut decem & octo circiter passuum millia in longum, tria in latum occupent. Apud Æthiopes adeo abundant, ut interdum famem afferant. Denique S. Hieronymus locum hunc ita explicat: *Præ multitudine locustarum obtegentium cælum, sol & luna convertentur in tenebras, & stellæ retrahent splendorem suum, dum lumen, in medio nubes posita locustarum, ad terram non sinit pervenire.*

Aliter etiam explicari potest: *Adversa patientibus, præ terroris magnitudine, & cælum ruere, & terra fluctuare videtur*, ait S. Hieronymus (16). Miseri sese veluti in tenebris jacentes putant; ipsis haud micat sol, obscuræ sunt stellæ & luna; omnia denique turbata existimant. Hujusmodi locutionibus Sacri Scriptores passim utuntur. *Aspexi cælos*, inquit Jeremias IV. 23. *& non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce movebantur; & omnes colles conturbati sunt.* Agens de calamitate in Israelem sævitura Ezechiel XXXII. 7. ait: *Operiam cælum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & lunam non dabit lumen suum.*

STELLÆ RETRAXERUNT SPLENDOREM SUUM, quæ veterum opinio erat. Manilius astronom. lib. 4.

Nec trahit in se tum quo fulget Delia lumen.

Si forte eclypsis accidebat aliqua, vulgates valide clamabant, instrepebantque æneis quibusdam instrumentis, ut sydus deficiens revocarent ad vitam, sive ut plorarent mortuum.

Hæc quoque signa tuo pariter cum sydera languent,
Et veluti elatam Phœbem in funere lugent.

℣. 11. DOMINUS DEDIT VOCEM SUAM ANTE FACIEM EXERCITUS SUI. Locustarum adventus alarum fragore nunciatur. Hic porro fragor similis est concentui buccinarum exercitus Domini. Ipsarum fremitus, veluti proficiscentis exercitus longe exauditur. Vide supra ℣. 5.

℣. 13. SCINDITE CORDA VESTRA, ET NON VESTIMENTA VESTRA. Solebant olim vestes scindere, ubi quis luctum ageret, aut dolore agitaretur. Sexcenta hujus moris exempla in Scripturis recitantur. Inanibus hisce & ambiguis mœroris, conversionis, & pœnitentiæ indiciis non delectatur Deus: sinceram ille conversionem, animi dolorem, cor mœrore contritum, dignosque pœnitentiæ fructus quærit.

PRÆSTABILIS SUPER MALITIA: nostris malis tangitur, vel malorum, quæ minitatur, ipsum pœnitet. Ita explicat S. Hieronymus: *Præstabilis sive pœnitens super malitiis; ut si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, & ipsum pœniteat comminationis suæ. Malitia*, hic, uti passim (17), pro pœna & malis, quibus affligimur, usurpatur. Ita proprie volunt Hebræus (18) & Septuaginta. Deus nonnisi invitus punit. Cum infinite bonus natura sit, vim sibi ipse quodammodo adhibet, ut puniat: aliena illi est severitas: *Alienum opus ejus ab eo*. Isaias XXVIII. 21.

℣. 14. QUIS SCIT SI CONVERTATUR? Si flagitia nostra solummodo inspiciantur indigni sumus misericordia: at fortasse lacrymis nostris movebitur, nostraque demissione flectetur. Duas hic conditiones exhibet Propheta, quibus animos nostros instrui necesse est, dum oramus; alteram, de Divina bonitate fiduciam; alteram, dolorem criminum, nostrorumque meritorum diffidentiam.

ET RELINQUAT POST SE BENEDICTIONEM, *SACRIFICIUM*, ET LIBAMEN; vel (19) *oblationes* tritici, similæ, & panis; ac *libationes* vini oleique. Deum describit Propheta, ceu Regem flagitiis irritatum, os avertentem, & terga dantem infideli populo & contumaci. At nostris fortasse lacrymis tactus, *convertetur*, & placide intuens, agris nostris *benedicet*, uberem messem, opportunum imbrem, & cætera largietur, quibus opus est, ut offerendis, veluti olim *panis & vini oblationibus* pares simus. Vide Caput I. ℣. 9. ubi queritur, oblationes hujusmodi, inopiæ causa, a Dei Domo exulare. Terræ ubertas frequenter *benedictio* appellatur (20).

℣. 15. CANITE TUBA IN SION. Festos dies & cœtus buccinarum concentu nunciate (21).

℣. 16. SANCTIFICATE ECCLESIAM; populum universum convocate: unusquisque coram Deo adsit. Sanctificare est parare. *Sanctificare bellum* (22), parare bellum; *sanctificare jejunium* (23), jejunium indicere; *sanctificare solemnem diem* (24), ferias imperare; *sanctificare Israelem ob Jordanis transitum* (25), populum ad eam rem comparare.

CONGREGATE SENES, CONGREGATE PARVULOS. In publicis insolitisque calamitatibus, ducebantur ad Templum pueri, arcebantur cibo, & coram Deo super

(11) ובעד השלח יפלו לא יבצעו (12) Munst. Tig. Mercer. Rab. Sal. (13) Ἐν τοῖς βέλεσιν πεσοῦνται, καὶ οὐ μὴ συντελεσθῶσι. Theodoret. & Edit. Rom. Ἐν τοῖς βέλεσιν αὐτῶν πεσοῦνται. (14) Οὐ μὴ συντελεσθῶσι, ἀντὶ τοῦ χόρτου ἡ λείψονται τῶν πολέμων, ὡς μὴν αἱ ἀκρίδες τῆς βρώσεως. (15) Vide Plin. lib. XI. c. 29. Hieron. hic; Eutychius t. 2. p. 518. Aloysius Cadam. navig. c. 15. Remig. Autissiodor. Tavernier, Voyage de Perse liv. 4. ch. 5. Bochart. de animal. sacr. parte 2. &c. (16) Hieron. in hunc locum, Theodoret. hic: Οἱ τῷ σεισμῷ ... ὥσπερ ἐν σκότῳ τινὶ διάγοντες, ἡ τὰς τῶν οὐρανῶν ἐπικεῖσθαι ... τὴν γῆν ἀπολαμβάνειν οἴονται, ... ἐν αὐγῇ τινὶ συμμέτρῳ τὴν νύκτα, καὶ ἅπαντα πάθη ... σκότος ... νομίζουσι. (17) Amos III. 6. Matt. VI. 34. 1. Reg. XX. 7. 9. 13. Jonas III. 10. IV. 2. &c. (18) נחם על הרעה Septuag. Μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις. (19) והשאיר אחריו ברכה מנחה ונסך (20) Genes. XXVII. 27. 28. & 30. Levit. XXV. 21. &c. (21) Num. X. 7. & Joel. II. 1. (22) Jerem. VI. 4. & Joel. III. 9. Mich. III. 5. (23) Joel. I. 14. (24) 4. Reg. X. 20. (25) Josue III. 5. VII. 13.

super Templi pavimentum sternebantur (27); cum innocentium animarum voces & hominum animos movere, & Dei furorem flectere posse crederentur.

℣. 17. INTER VESTIBULUM ET ALTARE PLORABUNT SACERDOTES: inter altare holocaustorum & vestibulum Sancti, ore ad Sanctum & Sanctuarium verso. Medius inter duo hæc locus erat, quindecim seu viginti cubitis patens; ibique in his rerum angustiis strati orabant (28). Huc expiationis victimam ducebant Sacerdotes; ibique Pontifex manum cervicibus hostiæ imponens, ea, quæ ipse sciens & ignorans peccaverat, fatebatur (29).

UT DOMINENTUR EIS NATIONES. Regione a locustis vastata, nullius negotii res erat, illam ab Judæorum hostibus occupari. Populus animis consternatus, formidine dejectus, fame fractus, satis virium non habebat, ut Assyriorum Chaldæorumve exercitui resisteret. Orant igitur Sacerdotes, ne patiatur Deus, populum suum sub alienorum tyrannidem venire, ne profanæ gentes Deum Israelis aut imbecillitatis aut fraudis accusent, qui populum suum in hostium potestate reliquerit. Ne patiare, ut insultent hostes, & rogent: *Ubi est Deus eorum?*

℣. 18. ZELATUS EST DOMINUS. Benevolentiam suam erga populi sui ditionem ostendet Deus; illius amor excitabitur, secumque ipse recordabitur, sese ab hostium populi sui scommatibus lædi: pristinam Palæstinæ ubertatem restituet.

℣. 20. EUM QUI AB AQUILONE EST, PROCUL FACIAM A VOBIS; Chaldæorum Regem, vobis minitantem. Hic plerumque in Scriptura Aquilonis designatur (30); is enim Chaldææ situs est, qua Palæstinam spectat. Reddi Hebræus potest (31): *Aquilonem removebo, & expellam eas in terram aridam & desertam*. Locustas ex una regione in alteram vi ventorum agi, & interdum maria transire, atque in remotissimas regiones projici, nemo ignorat. Has fortasse, de quibus Joel, aquilo in Judæam impulerat; pollicetur enim Deus futurum, ut ventum mutet, ac locustas in terram aridam sterilemque, ibi perituras, abigat. Illarum pars Arabiam desertam versus projecta, in Mari mortuo interiit; altera Mediterraneo mersa est. Regiones Judææ septemtrionales locustis maxime obnoxiæ sunt; præsertim Syria, quas, teste Plinio lib. XI. c. 29. *necare & in Syria militari imperio coguntur*. Narrat Tavernier (32), quatuor vel quinque anni temporibus *Balsera* nubes locustarum conspici, solem obumbrantes, quas ventus trans Euphratem agit. Balsera, seu Bassora septemtrionalis est Palæstinæ, spectata Scripturarum phrasi; quamobrem fieri procul dubio potuit, ut aquilo e regionibus trans Euphratem positis locustas adeo noxias in Judæam tulerit; & contrarius aquiloni ventus partim in Arabiam desertam, *in terram inviam & desertam*, partim in Mare mortuum seu orientale (33), *contra mare orientale*, partim denique in Mediterraneum, *mare novissimum*, vel occidentale, rapuerit.

ASCENDET FOETOR EJUS. S. Hieronymus hic: *Quum litora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquæ evomuerant, implerentur, putredo earum & fœtor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, & pestilentia tam jumentorum quam hominum gigneretur*. Hæc, inquit Plinius lib. XI. c. 26. *gregatim sublatæ vento, in maria aut stagna decidunt*. Narrat S. Augustinus ex Livio (34), *locustarum in Aphrica multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani provincia: consumptis enim fructibus foliisque lignorum, ingenti atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam. Qua mortua redditaque litoribus, atque hinc aere corrupto, tantam ortam pestilentiam dicunt, ut in solo Massinissæ regno octoginta hominum millia periisse referantur, & multo amplius in terris litoribus proximis: tunc Uticæ ex triginta millibus virorum, quæ ibi erant, decem remansisse confirmant*. Cum hæc contingerent, arcendæ pestis causa, statim effossis humi foveis, locustarum cadavera in eas congerebantur, injectaque humo sepeliebantur. Huc spectat Isaias, cum ait XXXIII. 4. *Congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo*. Septuaginta (35): *Ascendet fœtor ejus, & ascendet fremitus ejus*. Vel, uti habet Theodoretus (36): *Ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo illius, &c.*

QUIA SUPERBE EGIT. Locustas intellige, vel Deum, ex Hebræo (37): *Quia magna fecit*. Eadem verba leguntur sequenti statim versiculo; at ibi Textus Dei nomen fert: *Quoniam magnificavit Dominus ut faceret*. Locustarum nece virium suarum specimen exhibuit Deus.

℣. 22. FICUS ET VINEA DEDERUNT VIRTUTEM SUAM, robur, fructus (38). Tam uberes, quam olim, fructus fecere.

℣. 23. DEDIT VOBIS DOCTOREM JUSTITIÆ; vel Joelem scilicet ipsum, vel Pontificem, qui eo tempore sacris præerat, vel Isaiam, sive Jeremiam: at procul dubio Messiam significat, unicum justitiæ Doctorem, fontem luminum, quibus illustramur (39): *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nolite vocari Rabbi*, ait Christus Matt. 23. 8. scilicet Magister; *unus est enim Magister vester* in Cœlo. Nonnulli (40) Hebræum reddunt (41): *Dabit vobis imbrem ad justitiam*, quantum opus fuerit. Septuaginta (42): *Dedit vobis cibos ad justitiam*, abunde.

IMBREM MATUTINUM ET SEROTINUM, autumnalem & vernum. Vide Osee VI. 3.

℣. 24. REDUNDABUNT TORCULARIA VINO ET OLEO. Torcularium nomine intellige subterraneas cisternas, vel repositoria, ubi oleum vinumque servabantur. De his alibi fusius. Hujusmodi cisternarum genus Græcis *laccos* dicebatur (43). De simili olei repositorio agens Aristophanes (44), puteum oleo plenum nuncupat.

℣. 25. LOCUSTA ET BRUCHUS ... FORTITUDO MEA MAGNA, ingens exercitus, quem in vos misi. Vilissimis interdum insectis utitur Deus, ut in hominem peccati reum animadvertat; & numquam certe nobilius virium suarum specimen exhibet, quam ubi iis instrumentis utitur, quæ consiliis suis omnino servire non posse videntur. Graviores Hebræis fuere erucæ & locustæ, quam exercitus instructissimi. Quam facile esset Deo, montes evertere, jaculari fulmina, uno statim impetu universum mortalium genus necare? At *per parva, &, ut ita dicam, puncta corporum, ostendit* melius *humanam fragilitatem* (45). Unius Dei est patia his prodigia patrare, qui superbas hominum vires ridet.

℣. 28. ET ERIT POST HÆC, &c. Hinc ad finem usque

(27) Vide Judith IV. 9. & 2. Par. XX. 13. (28) Vide 2. Macc. X. 26. & 1. Esdr. c. 1. (29) Vide Maimon. hic, & Joma c. 3. §. 5. (30) Isai. XIV. 31. Jerem. I. 13. 14. II. 22. & alii passim. (31) ואת הצפוני ארחיק מעליכם והדחתיו אל ארץ ציה (32) Tavernier, voyage de Perse liv. 2. ch. 3. p. 142. (33) Ezech. XLVII. 18. & Zach. XIV. 8. (34) Livius lib. IX. August. de civit. l. 3. c. 31. (35) Καὶ ἀναβήσεται ἡ σαπρία αὐτοῦ, καὶ ἀναβήσεται ὁ βρόμος αὐτοῦ. Heb. ותעל באשו ותעל צחנתו (36) Καὶ ἀναβήσεται ἡ σαπρία αὐτοῦ, καὶ ἀναβήσεται ὁ βρῶμος αὐτοῦ. Ita & Hieron. ex 70. (37) כי הגדיל לעשות Vide Castal. Lovel. Jun. & Trem. Pisc. (38) נתנו חילם Ἔδωκαν ἰσχὺν αὐτῶν. (39) Joan. I. 9. (40) Drus. Jun. Lovel. Pisc. Vat. Tarnov. (41) נתן לכם את המורה לצדקה (42) Ἔδωκεν ὑμῖν τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην. Scilicet, τὰς ἀναγκαίας ὑμῖν τῆς χορηγίας χρείας, ait Theodoretus. (43) Vide Aristophan. in Ecclesiaz. & Scholiast. p. 728. (44) Idem, in Pluto: Τὸ φρέαρ ἐλαίου μεστόν. (45) Hieron. in hunc locum.

tisque hujus Capitis, totoque consequenti Capite lectorem ducit Propheta ad tempus remotissimum ab eo, quo locustarum inundatio & siccitas, de quibus hactenus, contigerunt. Quatuor hic luculentissime prædicere incipit: I. Babylonicam captivitatem; II. Captivitatis finem & reditum; III. formidabile Dei judicium, quo gentes Israelis noxiæ opprimentur, IV. felicissima tempora, quæ cædem hostium Domini consequentur. Profecto captivitatem Babylonicam verbis non satis perspicuis tradit; at ita innuit, ut nullum dubio locum relinquat, cum & libertatem & reditum e captivitate promittat (46). Hostium populi ejusque osorum cædes totius ferme tertii Capitis est argumentum, easque gentes luculentissimis ac maxime perspicuis coloribus ibi describit (47). Denique felicitas, quæ libertatem e captivitate consecuta est (48), multoque magis ea, quæ post cædem hostium Israelis floruit (49) verbis minime ambiguis describuntur.

Illud solummodo quærendum est, quam Domini diem duobus hisce Capitibus significet, quos hostes a Domino ea die judicandos. Id porro est, in quo ita dissident Interpretes, ut ex variis illorum explicationibus certa satis sententia erui nequeat. Dies Domini hoc loco, uti passim alibi (50), dies est ultionis, qua die supremus omnium Judex judicium eum hostibus suis instituturus est, iique flagitiorum suorum pœnas luent. Ea vero dies paulo post reditum e captivitate contigit, uti expresse habet Textus III. 1. 2. *In diebus illis, cum convertero captivitatem Juda & Jerusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis super populo meo.* Vallis Josaphat tropicum est nomen, sonatque *vallem judicii Domini*; eademque infra III. 14. appellatur *vallis concisionis*, cædis. Nulla plane vallis Josaphat in tota Judæa noscitur; nullam enim tradidere Josephus, Eusebius, & S. Hieronymus. Siqui Itinerariorum Scriptores eo nomine donavere vallem, quæ ad orientem ac meridiem Jerosolymæ jacet, ii certe nulla Veterum authoritate ac testimonio utuntur.

Illud denique maxime omnium animadvertendum est, quod hostes, de quibus acturus est, Propheta luculentissime indicat, eosque notis quatuor designat, ex quibus facillime agnoscuntur. I. Hi gentem Israeliticam inter alienas profanasque dispersérunt; II. regionem in partes sectam inter se distribuerunt; III. ablato Domini auro argentoque, in Templis suis illud collocavere; IV. filios Judæ & Jerosolymæ filiis Græcorum vendiderunt. Hæc porro Chaldæis, Phœnicibus, Philisthinis & Idumæis aptissime conveniunt, cum unaquæque ex iis gens his notis graphice describatur. Historica igitur explicatio huic vaticinio adhibenda est, quæ cum tempore gentibusque mox significatis congruat. Hoc ipsum igitur in Commentario persequemur.

At operæ pretium est animadvertere, eadem verba, quæ historico sensu de reditu ex captivitate, ac de tempore, quod cædem hostium Domini consecutum est, explicantur, aptius etiam ac nobilius de tempore, quod post Christi adventum fuit, intelligi. Id porro a Spiritu Sancto potissimum spectabatur. Temporales Judæorum casus ac vices figura fuere aut umbra, graviora continens, quæ deinde ab Apostolis indicata, & a Patribus ostensa fuere; illi enim directe ad Jesum Christum, hi ad supremum ejusdem Christi judicium hæc verba retulerunt.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem. Vaticinii hujus fides nonnisi lapso super Apostolos Spiritu Sancto, facta Pentecostes die, penitus expleta est, quemadmodum S. Petrus animadvertit Act. II. 17. Prophetarum, qui post captivitatem floruere, numerus quantumvis commendetur; fides populi Babylone reversi prædicetur: nunquam hæc nobilissimam Prophetæ promissionem, futurum scilicet ut Spiritus Sanctus super omnem carnem effundatur, æquabunt. Una Jesu Christi Ecclesia est, quæ Sanctorum ac Prophetarum populos exhibere queat. Vide quæ S. Paulus ad Corinthios XIV. 24. sanxit de ingenti Prophetarum numero, qui inter illos floruere. Lege primorum Ecclesiæ temporum Historias.

℣. 29. Sed et super servos meos, et ancillas, utriusque sexus Israelitas. S. Petrus hæc verba recitans, ait Act. II. 18. *Effundam super servos meos & ancillas*, &c. At Hebræus solum fert (1): *Super servos & ancillas*, utriusque sexus mancipia. Consentit Græca Complutensis editio. At Romana: *Servos meos & ancillas*. Theodoretus & Septuaginta apud S. Hieronymum: *Servos meos & ancillas meas*.

℣. 30. Dabo prodigia in cœlo et in terra. Nemo hactenus nostrorum Interpretum docere aggressus est, penitus atque ex fide historica expleta fuisse prodigia, quæ in Sole, Luna, tellure, igne, nubibus, sanguine a Propheta recensentur; satis esse arbitrati, si ante Antiochi Epiphanis furias (2), ante Jerosolymæ ac Templi excidium per Romanos (3), ipso Christi morientis tempore (4), ante supremam Judicii diem (5), formidanda in Cœlo, terra, elementisque prodigia exhibeantur.

At tametsi ex Historiarum fide probari nequeat, ante expugnatam a Nabuchodonosore Jerosolymam, cæsumque Cambysem, solem in tenebras, lunam in sanguinem fuisse conversam, hinc tamen minime colligas, Prophetam inepte usum esse his verbis, ut ea quæ his rebus præcessere, significet. Acriores multo his locutiones vidimus ℣℣. 2. 3. 4. 5. 10. 11. quibus excidium a locustis allatum, populorumque noxias bestias intuentium formido describebatur. Quamobrem sole & luna caligine obsitis, elementisque turbatis Judæorum terrorem significari credimus, quo ii correpti sunt, cum post captivitatem illorum æmuli Cambysem malis artibus & calumniis deceptum eo impulere, ut Hebræos interdiceret, ne Templum ædificare pergerent (6), vel miseræ hujus gentis consternationem, adventante Rege sævissimo & avaro, cui inter amicissimos erant Judæorum inimicissimi; cum idem Cambyses, ab Ægypto redux, hortantibus mercatoribus Dedan, Seba & Tharsis, deliberavit, utrum Judæa militum licentiæ permittenda esset. Docet id Ezechiel cap. XXXVIII. 12. 13. postremum hoc tradens in vaticinio de Gog, quod unum idemque est cum præsenti (7), quemadmodum sedulo legenti, & utrumque comparanti statim constabit.

Denique si omnino prodigia postules, quæ terribilem hunc Domini diem prævertere, mortem scilicet Cambysis, ejusque exercitus cædem, narrari poterunt ea, quæ tradit Herodotus l. 3. c. 34. oraculum nempe Buthi in Ægypto redditum esse Cambysi, futurum ut ipse Ecbatanis periret; quod ipse de Ecbatanis Mediæ interpretabatur, at paulo post contigit ad Ecbatana Palæstinæ prope Carmelum. Illud etiam recitandum erit ex Ctesia, mactatam a Cambyse victimam sanguinem non reddidisse; editum in lucem a Roxane Cambysis uxore filium capite caruisse, id quod Magi interpre-

(46) Vide c. II. ℣. 3. & III. 1. 2. (47) Joel I. 1. 2. 8. 12. 13. 15. 16. (48) Joel II. 28. 29. 30. 31. (49) Joel III. 17. 18. 20. 21. (50) Isai. II. 12. XIII. 6. XXXIV. 8. Joel I. 15. II. 31. 31. III. 1. 14. Amos V. 18. 20. Abdias ℣. 15. Sophon. I. 7. 14. Zach. XIV. 1. & alibi sæpius. (1) גם על העבדים ועל השפחות (2) 2. Macch. V. 2. (3) Joseph. de bello lib. 7. cap. 12. in Latino. (4) Matt. XXVII. 45. (5) Luc. XXI. 25. (6) 1. Esdr. IV. 6. (7) Ita Hebræi apud Hieron. & Theodoret. hic, & Præfat. in Joel. Vide & Cyrill. & Rufin.

pretabantur significare, nullum fore illi heredem; matrem in somnis identidem illi visam, quæ fratris necem illi exprobraret. Eadem de re vaticinans Ezechiel XXXVIII. 22. ait: *Judicabo eum* ego Dominus *peste & sanguine & imbre vehementi & lapidibus immensis: ignem & sulphur pluam super eum & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo*. Hæc Ezechielis verba spectare videtur hoc loco Joel. Addidit paulo ante Ezechiel: *In die illa erit commotio magna super terram Israel, & commovebuntur a facie mea pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri .... & subvertentur montes, & cadent sepes*, &c. Vide & infra Joelem III. 15.

℣. 31. OMNIS, QUI INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT. Miserrimis hisce temporibus, inter armorum tumultus ac terrores, Jerosolymæ populus, qui Dei opem invocaverit, liberabitur. Nihil profecto Cambyses adversus Judæam aggressus est; morte enim occupatus est, exercitusque dissipatus, antequam ea quæ meditabatur, expleret. Apostoli, Spiritu Sancto edocti, tradidere, verum hujus vaticinii sensum ad Christi adventum spectare, eoque tempore salutis januam omnibus indiscriminatim in Christum credentibus, Deoque porrigentibus preces cum Fide & Charitate conjunctas (8), patentem fore. Tunc, ait S. Paulus Rom. X. 13. nullum erit inter Judæos Ethnicosque discrimen; idem enim Deus, hominum omnium dominus, omnes misericordiæ suæ opes in illos effundet; quique illum invocaverit, salutem consequetur.

IN JERUSALEM ERIT SALVATIO, ET IN RESIDUIS QUOS DOMINUS VOCAVERIT. Rerum hic a Propheta promissarum figura quædam, vel si mavis, specimen aliquod in reditu e captivitate Babylonica exhibitum est. Paucissimi ex Judæis, qui Dei nomen invocabant, ejusque nominis & cultus memoriam in profanis regionibus servaverant, & reditum in Judæam, & salutem Jerosolymis obtinuere. Hostes illorum oppressit Deus, atque ex ærumnis, quas subiit Israel, gloriam suam auxit, veteremque in splendorem populum suum restituit. Hæc tamen nonnisi imago illorum fuere, quæ in ipso Jesu Christi adventu eventura erant; is enim Ecclesiam suam Jerosolymis congregavit, eamque ex paucissimo Judæorum in se credentium numero composuit: hinc vero in omnes mundi plagas salutis scientia effusa est. Parvum Judæorum numerum ad Christi sacra vocatorum, ac Gentium, exclusis Judæis, vocationem luculentissime hic Propheta designat. Septuaginta (9): *Qui Jerosolymis fuerit, servabitur; & evangelizabitur, quos Dominus vocaverit*; vel nuncius affertur ei, qui vocatus est.

(8) Act. II. 21.

(9) Ἐν Ἱερουσαλὴμ ἔσται ἀνασωζόμενος . . . . . . οὓς Κύριος προσκέκληται. Heb. ובירושלם תהיה פליטה ובשרידים אשר יהוה קרא *In Jerusalem erit evasio, & in residuis quos Dominus vocaverit.*

CAPUT III.

Dei judicium in valle Josaphat adversus eos qui populum Israelis oppressere. Pœnæ bis inflictæ. Felicitas bonaque fortuna, quæ miserrima ea tempora consequentur.

℣. 1. QUia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum convertero captivitatem
Juda, & Jerusalem: 2. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in
vallem Josaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea
Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diviserunt. 3. Et super po-
pulum meum miserunt sortem, & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam ven-
diderunt pro vino, ut biberent. 4. Verum quid mihi, & vobis, Tyrus, & Sidon,
& omnis terminus Terræ Palæstinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? & si
ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput ve-
strum. 5. Argentum enim meum, & aurum tulistis: & desiderabilia mea, & pul-
cherrima intulistis in delubra vestra. 6. Et filios Juda, & filios Jerusalem vendidi-
stis filiis Græcorum: ut longe faceretis eos de finibus suis. 7. Ecce ego suscitabo
eos de loco, in quo vendidistis eos: & convertam retributionem vestram in caput
vestrum. 8. Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Juda, &
venumdabunt eos Sabæis, genti longinquæ, quia Dominus locutus est. 9. Clamate
hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes
viri bellatores. 10. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas.
Infirmus dicat; Quia fortis ego sum. 11. Erumpite, & venite omnes gentes de cir-
cuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. 12. Consur-
gant, & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes
gentes in circuitu. 13. Mittite falces, quoniam maturavit messis: venite, & descen-
dite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia
eorum. 14. Populi, populi in valle concisionis: quia est dies Domini in valle con-
cisionis. 15. Sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.
16. Et Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam: & movebuntur
cœli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel. 17. Et scie-
tis,

tis, quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo: & erit
Jerusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius. 18. Et erit in die illa:
stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt
aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. 19. Æ-
gyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quod inique
egerint in filios Juda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua. 20. Et Judæa in
æternum habitabitur, & Jerusalem in generationem, & generationem. 21. Et munda-
bo sanguinem eorum, quem non mundaveram: & Dominus commorabitur in Sion.

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS, CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM JUDA. Superioris vaticinii continuatio. Mox e captivitate redux erat populus, cum hæc evenere, inquit Theodoretus (1): addit vero, Judaici populi hostes, de quibus hic sermo est, eos esse, qui facultatem Templi restituendi, a Cyro Judæis factam ægre ferentes, adversus illos collecti, divina vi suis ipsorum armis coram Jerosolyma ceciderunt. At nos ea sequimur, quæ in Ezechiele, de Gog agentes, proposuimus; idque tenebimus, relictis Interpretum sententiis, quæ meræ sunt conjecturæ.

℣. 2. CONGREGABO OMNES GENTES, ET DEDUCAM EAS IN VALLEM JOSAPHAT. Prædiximus, frustra in tota Palæstina quæri vallem Josaphat. Allegoricum est nomen, uti alterum *vallis concisionis*, quo eadem nuncupatur ℣. 14. & *ariel*, seu *leo Dei*, quæ appellatio Jerosolymæ tribuitur; *Libanus*, Templi cognomen; & *magnus crocodilus*, Regis Ægypti tropica denominatio. *Josaphat* Hebraica est (2) *Dei judicium*. Chaldæus (3): *Vallis divisionis judicii*. ℣. 14. ubi legimus *vallem concisionis*, Septuaginta & Theodotion ferunt (4): *In vallem justitiæ & judicii*. Puto ego, ab Joele proprie significari vallem Jezraelis, ubi castra Cambysis erant, cum is ad Ecbatana, vel Gabbara, prope radices Carmeli montis periit. Vallis Jezraelis ad orientem Carmeli jacebat, atque ad Jordanem usque porrigebatur. Aptissimus erat castris locus, cum & aqua & annona abundaret. Neque in Prophetæ verbis quidquam est hyperbolicum; Cambysis enim exercitus ex quolibet gentium genere coalescebat; neque ex omnibus modo Persici Imperii provinciis, verum etiam ex aliis tum auxiliaribus, tum a Cambyse conductis (5). Gentium omnium, agmina Gog componentium, enumerationem vide in Ezechiele.

Censuere nonnulli (6), vallem Josaphat locum esse, quo cuncti mortales ad supremum Judicium colligendi sunt. Communis jam est apud Fideles sententia. At non eadem Veteribus sedit. Putat Origenes in Matth. xxv. 32. populos super totius terræ faciem collectum iri, & Christi manifestationem similem fore fulguri, quod universam statim terræ faciem corripit. Idem sentiunt S. Hieronymus & vetus Scriptor, quem S. Thomas sub nomine Chrysostomi recitat: quorum prior acris esse in hanc rem videtur, cum dicat in Matth. 24. 27. *Stultum est, cum in parvo loco, vel abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit*. S. Hilarius in Matth. 24. 32. docere videtur, populos collectum iri in Calvariæ montem judicandos; asserit enim futurum, ut Dei filius gloria sua instructus eodem in loco appareat, ubi probris obrutus est. At S. Hieronymus in hunc Joelis locum evertere videtur id quod in Matthæum dixit, cum non semel asserat, gentes omnes collectum iri in vallem Josaphat, seu *vallem judicii*, cujus situm non tradit, judicium subituras. Is, qui sub nomine Bedæ latens Terræ Sanctæ descriptionem dedit, primus omnium, uti quidem arbitror, vallem hanc inter Jerosolymam & montem olivarum collocat.

CONGREGABO &c. Exprimitur hisce Christianorum, Judæorum, & Mahometanorum traditio, quæ futurum enunciat, ut Deus extrema judicii die descendat in vallem Josaphat universum Mundum ibi judicaturus.

P. Simonius in suis adnotationibus ad itinerarium P. Dandini ad montem Libani pag. 59. reprehendit authorem itinerarii minus accurate referentem historiam funis tensi, & transversi, super quem incedendum erat hominibus, ut judicio se sistant. Occasionem fabellæ præbuerunt Mahometani opinantes futurum, ut die illa judicii homines transeant super filum adeo tenue ac capillus protensum ad utrumque oppositum latus inferni. Justi tranabunt velociter ad ictum oculi; impii vero criminum sarcina onusti ægre & reptantes iter tentabunt, fietque tandem, ut dirupto filo cadant in infernum. Facile intelligimus fabellam hanc natam ex verbis Evangelii ferentibus iter ad vitam arctissimum esse, quod ita transformarunt Mahometani pro more Orientalibus familiari. In itinerario D. Desbreves pag. 158. 159. ubi de valle Josaphat, gemina narrantur de via, per quam homines ad judicium transibunt.

S. Cyrillus Alexandrinus in Commentario in Joel tradit vallem Josaphat abesse stadiis nonnullis ab Jerusalem in Orientali plaga (*); jacere in loco plano ac æquali aptissimo ad aciem instructam capiendam. Abenezra monet eandem esse cum valle benedictionis, de qua 2. Par. xx. 26. cui nomen illud indiderunt Israelitæ ex fuga Ammonitarum, & Moabitarum non sine divino miraculo ab illis impetrata, ut in eodem capite legitur. Rabbi Kimchi opinatur vallem Josaphat unam aliquam esse proximam Jerosolymæ vallem, ideo sic dictam ex fabricis ibi a Principe ejus nominis excitatis. Communis Christianorum persuasio tenet resurrecturos homines in monte Oliveti, qui Orientalis est Jerusolymæ, & a Valle Josaphat parum distans.

DISCEPTABO CUM EIS SUPER POPULO MEO, QUOS DISPERSERUNT IN NATIONIBUS, ET TERRAM MEAM DIVISERUNT. Prima hujus exprobrationis pars Chaldæos spectat, qui Israelitas disperserant, eosque trans Euphratem captivos abegerant; altera Tyrios, Sidonios, Philisthinos, ac præsertim Idumæos, cæterosque populos, qui divisis Juda & Israelis regionibus, illas, iis absentibus & captivis, sibi usurpaverant (7). Persarum Imperium, quod tunc tenebat Cambyses, Chaldaico successerat: populus idem semper fuit, quamobrem Propheta hos merito arguit, quod populum suum inter gentes dissiparint, id enim per majores suos egerant. Ita agi solet in iis rebus, quibus gens tota spectatur. Quamvis Nabuchodonosorem armaverit in populi sui supplicium Deus, minime tamen illius sævitiam & iniquissimam vim probaverat. Jehu etiam familiæ Achabi inimicum statuit (8): at in illius posteros animadvertit, cum is conjurationi sævitiam & impietatem addiderit (9).

℣. 3. SUPER POPULUM MEUM MISERUNT SORTEM, quem-

[1] Theodoret. hic, & in cap. 11. ad fin. [2] של עמק יהושפט [3] Chald. למישר פלוג דינה [4] Εἰς κοιλάδα τῆς δίκης, ἢ τῆς κρίσεως. Hieron. ad ℣. 14. [5] Vide Herodot. lib. 3. cap. 1. 19. 44. Ezech. xxxviii. 3. 4. 5. 6. 13. [6] Albert. Remig. Haimo, Lyran. Vat. Tir. alii. [*] Vide Reland. Palæst. tom. 1. pag. 355. [7] Vide 1. Macch. iv. 61. v. 3. 65. vi. 31. &c. [8] 4. Regum ix. & x. [9] Osee 1. 4.

quemadmodum in captivos solent victores. *Posuerunt puerum in prostibulo*; flagitiosissime abusi sunt pueris. Vel (10): Captivos pueros dono dedere, ut meretricis amorem sibi compararent (11). Queritur Jeremias Thren. v. Sionis hostes probro affecisse mulieres ac puellas Juda, & abusos esse pueris: *Adolescentibus impudice abusi sunt*.

℣. 4. Quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palestinorum? Reddi potest Hebræus (12): *Quid vobis erat adversum me Tyre & Sidon, & omnes termini Palæstinæ?* Septuaginta (13): *Et omnis Galilæa alienorum*, gentium. Phœnicios alloquitur, Philisthinos, cæterosque Judæis finitimos, qui arma cum Chaldæis in Judæorum exitium junxerunt, quamvis nulla inter ipsos esset jurgii causa. Iniquissimum hoc Palæstinorum odium in Hebræos passim queruntur Prophetæ. Vide Ezech. xxv.

Numquid ultionem reddetis mihi? Aliquam ne injuriam ex me ulciscimini? Qua in re aut ego aut gens mea vos læsimus, ut nostris ærumnis lætemini, nostrosque ad hostes accedatis? Reddi aliter potest. Satis ne virium vobis est, ut mihi resistatis, atque ex me vindictam exposcatis, ubi furorem meum in vos exercuero? Par vobis meritum ego reddam.

℣. 5. Argentum meum ... et pulcherrima intulistis in delubra vestra. Direpto crematoque Dei Templo, quidquid pretiosissimum in eo fuerat, Babylonem abstulere, ut Numinum suorum fana ornarent (14). Harum exuviarum partem Tyrii & Sidonii fortasse emerunt, iisque urbium suarum templa, vel *palatia sua* ornavere (15).

℣. 6. Filios Juda vendidistis filiis Græcorum. vel (16) *filiis Javan*, sive Jonibus. Judæa mancipia quam plurima Chaldæi Phœniciis, ac Philistinis, hi vero Jonibus vendidere. Tradit conceptis verbis Ezechiel xxvi. 2. Tyrios ac Philistinos ærumnis populi Juda esse gavisos: *Dixit Tyrus de Jerusalem: Euge, confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me*. Et de Sidone xxviii. 24. *Non erit ultra Domui Israel offendiculum amaritudinis, & spina dolorem inferens*, &c. Philistini, quo tempore Jerosolyma oppugnabatur (17), *fecerunt vindictam, & ulti se sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres*. Cum igitur ita affecti animo erga Judæos essent, mirum non est, illos Hebraica mancipia emisse, ac nedum in libertatem restituisse, aut penes sese habuisse, verum etiam vendidisse alienis, qui in portubus suis mercabantur. Inter hos erant Jones, teste eodem Ezechiele xxvii. 13.

℣. 7. Suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos. Mortuo præsertim Cambyse, ac regnantibus Dario Hystaspis, atque Artaxerxe longimano, Judæi variis in regionibus dissipati, cum felicitatem cernerent, ac pacem qua fratres sui in Judæa fruebantur, certatim eo reverti studuerunt.

℣. 8. Vendam filios vestros in manibus filiorum Juda, et venumdabunt eos Sabæis. Id fortasse contigit, capta per Alexandrum Tyro; ejus enim urbis vulgus ac fœminas in servitutem datas ab eo fuisse, tradunt Historici; atque hæc mancipia tam ingenti numero fuisse, ut ad xiii. amplius millia pervenerint (18). Triginta millia vendita esse, narrat Arrianus lib. 2. Sidonios penitus evertit Artaxerxes Ochus. Sidonis cives ipsi se in domibus suis cremavere; reliquæ Phœnicum urbes dedidere se Regi (19). In omnibus autem his expeditionibus, Judæi, qui Persarum Regibus parebant, opportunitate usi, Phœnicia mancipia ementes, Sabæis deinde & Arabibus vendidere. Quod Sabæorum genus hoc fuerit, non definimus; plures enim regiones Saba apud Scripturam leguntur; illud certum est, gentem esse a Judæa remotissimam, veluti Sabæos qui ultimos Arabiæ felicis fines frequentabant. Septuaginta (20): *Vendent eos in servitutem, in gentem longinquam*.

℣. 9. Sanctificate (parate) bellum; suscitate robustos. Dei voces sunt, Cambysem hortantis, ut expeditionem in Ægyptum paret. Perge, Rex, agmina coge, in Ægyptum proficiscere: auge exercitum, milites tuos in prælium instrue: opera tua uti volo, ut Ægyptum vocibus meis nunquam non contumacem puniam: quin & te ipsum cædere volo, tuamque superbiam deprimere. Maxima exercitus tui pars in Ægypto peribit; reliquum in Judæa cadet. Ibi te maneo, superbiam tuam & sævitiam puniturus.

℣. 10. Concidite aratra vestra in lanceas: nemo expers militiæ sit. Virgilius Georg. 1.

. . . . *Squallent abductis arva colonis.*
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Innumeras ferme copias Cambyses in Ægyptum duxit, ex omnibus gentibus coalescentes.

℣. 11. Ibi occumbere faciet robustos tuos. Præter eos, quos in Ægyptiaca expeditione Cambyses amisit, quinquaginta hominum millia uno tempore perdidit, quę ad diripiendum Jovis Ammonis Templum miserat; ea enim arenarum turbine, quem vehemens ventus in illa impulit, oppressa sunt (21). Tum expeditione in Æthiopes temere suscepta, vix post quintum profectionis diem deficiente annona exercitui, equis primum & jumentis, tum decimi cujusque militis, sorte educti, carnibus vesci coactus est; quamobrem re infecta rediit (22).

Defectusque epulis, & pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redit.

℣. 12. Ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo ut judicem. His cædibus fractus Cambyses, ab Ægypto discessit; cumque ad Ecbatana prope Carmelum cum reliquo exercitu pervenisset, intelligens, Patizithen, quem domus suæ Principem seu Præfectum Babylone reliquerat, in ipsum conjurasse; fratremque suum, pro Smerdi Cambysis fratre suppositum, Regem creasse, adeo in furorem exarsit, ut statim equum conscendens exercitui imperaverit, ut statim Susas proficisceretur. At eo equum conscendente, suus ipsius ensis e vagina elapsus, illius femori profundo vulnere infixus est; ac vulnere in gangrenam degenerante, eodem loco mortuus est, ex oraculi fide, quo is Ecbatanis moriturus prædicebatur, & ipse de Ecbatanis Mediæ intellexerat (23). Eo mortuo, cum seditio in exercitu glisceret, variæ gentes, quibus agmina componebantur, versis in mutuam cædem armis, periere, quemadmodum vaticinatus fuerat Ezechiel xxxviii. 21. Ita judicium exercuit Deus in valle Josaphat, in campo Jezraelis, in valle Judicii, in valle concisionis seu cædis (24); hæc enim omnia unum idemque significant.

℣. 13. Mittite falces, quia maturavit messis. Angelos interfectores alloquitur. Vindictæ tempus frequenter Scriptura messis seu vindemiæ nomine significat. *Sinite* lolium *crescere usque ad messem*, inquit Christus Matt. xiii. 30. *& in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*, &c. In Apocalypsi xiv. 15. *Alius Angelus clamat voce magna: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit* hora

---

[10] ויתנו הילד בזונה [11] Ita Septuag. Τὰ παιδάρια ἔδωκαν πόρναις. [12] מה אתם לי צר וצידון וכל גלילות פלשת [13] Καὶ πᾶσα Γαλιλαία ἀλλοφύλων. Sym. Ὅρια. Aqu. Ὅρισι. [14] 4. Regum xxv. Dan. v. [15] להיכליכם Septuag. Εἰς τοὺς ναοὺς ὑμῶν. Al. Τοὺς οἴκους. [16] ובני יהודה מכרתם לבני היונים [17] Ezech. xxv. 15. [18] Diodor. Sicul. lib. 19. [19] Diodor. Sicul. an. 2. Olymp. 107. [20] Septuag. Ἀποδώσονται αὐτοὺς εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς ἔθνος μακράν. Hebræus ומכרום לשבאים [21] Herodot. lib. 3. cap. 26. Justin. lib. 1. cap. 9. Plutarch. in Alex. [22] Lucan. lib. x. Herodot. lib. 3. cap. 25. [23] Herodot. lib. 3. c. 64. [24] Joel. III. 14.

hora et metatur, quoniam arait messis terræ. De vindemia vide hic: *Exuberant torcularia* (25); plena uvis sunt, quas opus est premi.

Ỳ. 14. POPULI, POPULI, IN VALLE CONCISIONIS. Convenite jam, hostilia agmina, furoris mei victimæ, in vallem Judicii Domini. Ea de re agens Ezechiel XXXIX. 17. *Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & universis avibus cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immola vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis*, &c. Locum, in quo hæ gentes sepeliendæ sunt, idem Propheta XXXIX. 15. nuncupandum prædicit *vallem multitudinis Gog*, & urbem quæ ibi condetur, *urbem Amona*, seu multitudinis; quibus verbis spectatur Hebraica vox *Hamonim*, bis hic repetita: *Populi, populi*, Hebræus (26), *Hamonim, hamonim*. Septuaginta (27): *Sonitus exauditi sunt in valle Judicii*, vel *Decisionis* (28); ibi enim decidenda est causa gentium tam diu flagitiosarum. Alii (29): *In valle contritionis*, ut messis allegoria producatur. Ibi terentur gentes, cædentur, frangentur, veluti frumentum in aera.

Ỳ. 15. SOL ET LUNA OBTENEBRATI SUNT. His verbis extrema innuitur harum gentium, supremo supplicio devotarum, terror, mortuo Cambyse. Vide Ezechielem XXXVIII. 20. & Joelem supra II. 30. 31. ubi narrant procellam, grandinem, sulphuris & ignis imbrem, solis ac lunæ tenebras, quæ eo tempore contigerunt.

Ỳ. 16. DOMINUS DE SION RUGIET, ut audiant hostes sui, & terreantur. Hujusmodi locutionibus utitur passim Scriptura (30). Quid vero significent, satis per se patet.

Ỳ. 17. ERIT JERUSALEM SANCTA: deinceps ab externis non profanabitur. Illam Chaldæi, ut olim, evertere non poterunt. Diu florebit Jerosolyma, neque Ethnicorum licentiæ a Deo permittetur. Locutiones hujusmodi, nunquam, semper, non erit, nunquam fiet, atque his similes ex mero verborum sono usurpandæ non sunt; diuturnum enim solummodo tempus significant, totaque illarum vis uni Jesu Christi Ecclesiæ convenit. Jerosolymam Templumque ab Antiocho Epiphane, ac deinde a Romanis profanata fuisse, nemo ignorat.

Ỳ. 18. STILLABUNT MONTES DULCEDINEM; mel, oleum, vinum ferent: Tropica & hyperbolica locutio.

FONS DE DOMO DOMINI EGREDIETUR, ET IRRIGABIT TORRENTEM SPINARUM. Vel ex Hebræo (31): *Irrigabit torrentem* seu vallem *Setim*. Nulla hujus nominis vallis vel torrens cis Jordanem noscitur; planitiem quippe *Setim*, trans Jordanem sitam (32), hic a Propheta spectari nemo dixerit. Tametsi enim verus fons egressus fuisset, aquas trans Jordanem impellere non potuisset. Allegorica igitur hæc sunt, quemadmodum ea quæ in Ezechiele, XLVII. 2. & Zacharia XIV. 8. leguntur de aquarum scaturigine, quæ e Templo egressa in Mare mortuum devolvebatur. His aquis ubertas, quæ post Cambysis obitum floruit, significatur; universa enim regio ita locuples effecta est, ut nunquam antea pares fortunas experta fuerit: aquæductus, quibus aquæ in urbem Templumque deferebantur, Jerosolymis restituti fuere. Hæ porro aquæ in torrentem Cedron fluentes, in mare mortuum per vallem Tophet, sive filiorum Hennon, appellatam hoc loco vallem seu torrentem Setim, vel *spinarum*, sive *fasciculorum*, uti reddunt Septuaginta (33), desinebant. Imago erant hæc & figura Evangelicorum Dogmatum, quæ Jerosolymis egressa, Ethnicos, ingrato ac spinoso solo similes, rigatura erant.

Ỳ. 19. ÆGYPTUS IN DESOLATIONEM ERIT. Vastabitur a Cambyse, qui tribus annis ibi moratus, nulli sævitiæ aut injuriarum generi pepercit (34): fana evertit, abstulit simulacra, Ægyptiacam Religionem de ridiculo habuit, omnia denique perpetravit, quæ Regia potestas solet, quam neque ratio, neque sapientia, neque Religio moderentur. Post Cambysis obitum, Ægyptus graves experta est Ochum (35) & Antiochum Epiphanem (36).

ET IDUMÆA IN DESERTUM PERDITIONIS, præsertim sub Macchabæis; qui Idumæam misere vastaverunt. Idumæi, uti queritur Joel, hic Ỳ. 2. Judæorum regionem inter se distribuerant; eorumque ærumnis gaudentes, illorum calamitati insultaverant (37). Quin & ad Chaldæos accesserant, illosque hortati fuerant, ut Jerosolymam penitus everterent ac delerent (38): *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*. At Judas Macchabæus (39), tum Joannes Hircanus (40), armis illos aggressi, circumcisionem, leges ac ritus Judæorum amplecti coegerunt. Vide Ezechielem XXV. 12. 13. 14.

Ỳ. 20. JUDÆA IN ÆTERNUM HABITABITUR, diu scilicet; at Jesu Christi Ecclesia, cujus figura erat Judæa, captivitate & hostium injuriis libera, æternum stabit (41), quin omnes inferorum vires illi noceant.

Ỳ. 21. MUNDABO SANGUINEM EORUM, QUEM NON MUNDAVERAM. Sanguinem, qui in Veteri Lege inquinatus erat, purgat Christus in Nova (42). Veram nos munditiem, cujus imago tantum erant ritus ac lustrationes a Lege imperatæ, in Sacramentis invenimus. Vel: Ulciscar sanguinem populi mei, quem hactenus inultum reliqueram (43). Populi mei sanguinem, ab Idumæis iniquissime fusum, vindicare diu cessavi: at denique tempus veniet. Aliter: Populum meum flagitiis nondum expiatis purgabo, eamque in rem furiis Antiochi Epiphanis utar. Hæc, usque ad Messiæ tempus, ultima Judæorum purgatio fuit. Spectari hic videntur etiam Ammonitæ, Moabitæ, eorumdem cum Idumæis criminum rei, cum & ipsi Israelitarum ditionem, trans Jordanem positam, occuparint (44). Hebræus ad verbum (45): *Mundabo sanguinem eorum; non mundabo*; vel, non mundavi. Supple, *quem* non mundavi. Septuaginta (46): *Ulciscar sanguinem eorum, & non purgabo*.

[25] Vide & Isai. LXIII. 3. Jerem. Thren. I. 15. Apocal. XIX. 15. [26] המונים המונים בעמק החרוץ [27] Ἦχοι ἐξηχήθησαν ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης. [28] Ita Chald. Arab. Syr. Menoch. Druf. [29] חרוץ sunt instrumenta terendi, vel ipsa terendi actio. [30] Jerem. XXV. 30. Amos I. 2. &c. [31] השקה את נחל השטים [32] Num. XXV. 1. Josue II. 1. III. 1. Mich. VI. 5. [33] 70. Καὶ ποτιεῖ τὸν χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων. [34] Vide Herodot. lib. 3. Strabon. lib. 17. [35] Vide Diodorum Siculum, & Usserium ad annum Mundi 3654. [36] Vide Polyb. legat. 92. & Libros Macchabæorum, & Usserium ab anno Mundi 3836. & sequ. [37] Isai. LXIII. Ezech. XXV. 12. 13. 14. [38] Psalm. CXXXVI. 7. [39] I. Macch. V. 62. & 2. Macch. X. 16. [40] Joseph. Antiq. XIII. 17. [41] Matth. XVI. 18. [42] Hieronym. hic. [43] Ita Chald. Syr. Arab. Grot. [44] Jerem. XL. 1. Amos I. 13. Sophon. II. 8. [45] ונקיתי דמם לא נקיתי [46] Ἐκδικήσω τὸ αἷμα αὐτῶν, καὶ οὐ μὴ ἀθωώσω. Edit. Roman. Ἐκζητήσω τὸ αἷμα, &c.

FINIS COMMENTARII IN JOELEM.

IN AMOS PROLEGOMENON.



MOS, quem nonnulli præpostere (1) cum patre Isaiæ (2) miscent, oriundus erat, juxta communem sententiam (3), e Vico Thecue in Tribu Juda (4), quatuor leucis a Jerosolyma, meridiem versus. Nos tamen eum locum sedem fuisse Prophetæ, non patriam, censemus. Ortus est enim in ditione Israelis, ad quam potissimum Propheta destinatus erat. Amasias Sacerdos Bethel, virum sanctum apud Jeroboamum II. Regem Israelis accusavit, calumniam struens: *Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel* (5). Deinde quasi sententiam Regis ferret, denunciavit (6): *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi*. Quam ob vim queritur frequenter in suis Scriptis Propheta (7); graviter etiam arguens scelera Israelitarum, veluti omnia oculatus testis explorata habuerit. Primis visionibus in Bethel dignatus est (8); quo non aliunde venisse, sed veluti loci gentilis videtur. Non est igitur a vero absimile, eandem regionem patriam illi fuisse, nec in Thecue nisi pellente Amasia venisse. S. Hieronymus (9) natum quidem in Tribu Juda asserit, nulla tamen opinionis suæ conjectura; sed ea tantum ductus persuasione, quæ Prophetam e Thecue accersit.

Pastoritiam agebat, compungendisque ficubus agrestibus, quo facilius maturescerent (10), juxta morem regionis, vitam toleravit; quare a munere Prophetæ alienus, nec patrem habuit Prophetam, nec Magistrum (11). Sed cum operi suo intentus vacaret, nihil tale cogitans, repente ad munus Prophetæ cœlitus evocatus est. Nec statim ad loquendum facilis fuit: nonnisi Deo jubente, atque Spiritu intus agente compulsus, tandem assensum præbuit (12). Oracula fudit sub Jeroboamo II. Rege Israelis, & Ozia Rege Juda, biennio ante quam valido terræ mutu (13) ingenti horrore Jerosolyma consternarentur (14); id quod Josephus (15), assentientibus veterum atque recentiorum Interpretum plerisque, ad tempus tentati a Rege Ozia muneris Sacerdotalis, oblato thure coram Domino (16), conferr. Usserius (17) temerarium Oziæ factum rejicit post obitum Jeroboami II. cujus tamen argumentis non vincimur. Si factum illud Oziæ, & terræmotum, de quo Amos, ad annum XXIII. ejusdem Regis conferamus, initum ab eodem Propheta munus statuendum est an. M. 3215. fexennio circiter ante obitum Jeroboami II. Sed hanc epocham incertam esse, ultro fatemur. Vide nos in 4. Reg. XV. 5.

Prima Amos vaticinia cap. VII. leguntur. Objecta per visum est Prophetæ species locustarum arva depopulantium (18); ignis etiam longe lateque regionem corripientis, ipsas abyssi aquas siccantis (19). Tandem Deus ex alto mœnium fastigio stantem se, atque trullam cæmentariam manu tenentem Prophetæ exhibuit (20); eversurum se loca a superstitiosis Israelitis consecrata, domumque Jeroboami gladio exterminaturum minitatus. Visiones suas alte in Bethel prædicantem Amasias, Sacerdos Fani ejusdem Urbis, ad Regem tamquam perduellionis reum detulit (21). Nam, ait, seditiosis sermonibus, nec ultra ferendis, omnia turbat, undique dictitans: Jeroboam gladio peribit, & Israel captivus extra regionem suam ducetur. Impudentissime ille quidem; nunquam enim Amos gladio necandum Jeroboamum dixerat: eam ultionem Domui Jeroboami, non ipsi Jeroboamo imminere vaticinatus erat. Quid Rex decrevit, ignotum; sed Amasias hominem solum vertere, atque in regionem Juda concedere jussit, monitum ne ulterius vaticinari in Bethel auderet, sedem religionis & Regni. Cui Amos testatus, se neque Prophetam agere professione, neque genere, sed pastorem esse, agrestesque ficus compungere, qui inopinato Domini afflatu e pastore in Prophetam transierit: deinde ad Amasiam versus, nunciavit futurum, ut ejus uxor in Urbe prostaret, ejus filii & filiæ gladio perirent, fundi funiculo divisi ad alios distraherentur; ipse tandem in terra impura obiret; ac denique Israel captivitate extra regionem suam premeretur.

Hæc Prophetæ verba acerbe adeo excepisse Amasiam, nonnulli ex Veteribus (22) tradunt, ut frangi loquentis dentes, quo ad silentium adigeretur, jusserit. Plura illata viro supplicia alii testantur (23); addentes, Oziam filium Amasiæ sude in tempora Prophetæ impie impacta, virum pene exanimem stravisse, qui delatus in Thecue brevi penitus interierit, ibique avito sepulcro con-

(1) Clemens Alexand. lib. 1. Strom. Epiphan. de vit. Proph. Cedren. Compend. hist. (2) Patri Isaiæ nomen erat Amoz אמוץ Prophetæ vero Hamos עמוס (3) Hieron. Theodoret. alii passim. (4) 2. Par. XI. 6. Hieron. Mercer. Grot. alii. Kimchi constituit in Tribu Aser, & S. Epiphanius in Zabulon.
(5) Amos VII. 10. (6) Ibid. ℣. 12. (7) Amos II. 12. III. 7. 8. (8) Amos VII. 10.
(9) In Amos V. (10) Amos I. 1. VII. 14. (11) Ibid. ℣. 14. (12) Amos III. 8. VII. 15.
(13) Amos I. 1. (14) Zach. XIV. 5. (15) Joseph. Antiq. lib. 11. cap. 11. (16) 4. Reg. XV. 5. 2. Par. XXV. 19. (17) Usser. ad an. 3221. (18) Amos VII. 1. 2. (19) Ibid. 4. 5.
(20) Ibid. ℣. 8. 9. (21) Ibid. ℣. 10. (22) Cyrill. in Præfat. Exposit. in Amos. (23) Vide Pseudo-Epiphan. de vit. Prophet. cap. 12. Isidor. de vit. & mor. SS. cap. 43. Doroth. Synops. cap. 2. Martyrolog. Rom. Prid. Kal. April. Chron. Pasch. pag. 147.

conditos. Verum silentibus S. Scripturis, harum narrationum fidem suspectam habemus. Opinamur quin etiam, Prophetam, relicta Bethel, Thecuam se recepisse, ubi recitata sex prioribus libri Capitibus vaticinia fuderit. Octavum & nonum caput ad idem facile tempus pertinent. Emortualis, natalitia, & functi muneris periodus æque latent. Sunt qui duobus tantum annis Prophetam egisse putent, toto nempe biennio, quod terræmotum, in ipso Scripti exordio expressum, præcessit (24). Alii intra annum omnia illius vaticinia definiunt. Conjecturæ omnes, nihil certi.

Duo priora Amos capita in Damascenos, Philisthæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, populos Juda, & Israelitas decem Tribuum impenduntur. Omnia vero mala, quæ iis minitatur, ad postrema harum gentium, deinde ab Assyriis & Chaldæis Regibus expugnatarum, tempora pertinent. Deinde tota sermonis vis in Israelem coacta, quo maxime Prophetæ mens universa collineat, non postremam modo illorum captivitatem (25), sed prænuntia etiam hujus calamitatis mala, post Regnum Jeroboami II. inferenda, vaticinatur (26). Addit Oracula de obitu Zachariæ (27), adventu Phul & Teglathphalassari in ditionem Israelis. Tandem ad lætiora conversus, solutum iri captivitatem decem Tribuum nunciat (28). Acrius in locupletes & avaros Israelitas invehitur, quibus ædium superbiam, conviviorum apparatum, & in supellectili nimium luxum (29) & ambitionem exprobrat. Judices, qui viros insontes opprimunt, pauperes in servitutem vendunt, castigat (30). Populum reum agit incestus, & in Prophetas pervicaciæ (31). Denique ex ejus Prophetæ lectione intelligimus, florentissimum alioqui ea ætate Regnum Israelis immani criminum contagione languisse, longamque prosperitatem augendis sceleribus criminibusque, uti fere fit, cum timor Domini & justitia ex hominum animis abiere, valuisse.

Idololatriæ malum ejus Viri ætate non admodum in Israele invaluerat. Post Regnum Jehu (32), qui everso Templo Baalis, illius Sacerdotes deleverat, publicus Baalis cultus ab eo tempore exulavit. Jeroboamus II. non alio nomine in Scriptura accusatur (33), quam quod in errore Jeroboami I. nempe in cultu vitulorum aureorum, quem Amos pariter exprobrat Israelitis, perseveraverit. Frequentabantur Urbes Dan, Bethel, Galgala, & Bersabee; ibique per eorum locorum Deos jurabatur. Bersabee locus erat religiosus peregrinantibus, nuper, nec ante Regnum Jeroboami II. quamvis eo tempore celebris, frequentatus (34). Veteris religionis vestigia plurima in Israele adhuc manebant, quibus cultum se Domino impendere persuasi, insaniæ a Propheta arguuntur; demonstrat enim inanem esse religionem, quam justitia & charitas non commendant (35).

Quamquam id potissimum spectabat Amos, ut vaticiniis suis Israelitas juvaret, aliquando tamen in Juda & finitimis Palæstinæ Regnis versatur. Primam domui Davidicæ gloriam, ejusque imperium in Idumæam cæterasque olim subjectas gentes restituendum prædicit (36). Phrasibus tamen adeo magnificis utitur, ut Messiam pariter, & ejus Ecclesiæ institutionem ob oculos habuisse videatur.

Imperito usum esse sermone, S. Hieronymus Prologo Exposit. fatetur, illud Apostoli 1. Cor. XI. de ipso usurpans. *Imperitus sermone, sed non scientia.* In Comment. in Amos 1. 2. animadvertit, apto professioni suæ eloquio uti universos, ita Amos comparationes ex agro, cui maxime assueverat, ducere amat. Et quidem totus illius Liber perpetua allegoriæ serie ad campestria utensilia, tum & pastoritiam agrestemque vitam alludit. Optime quidem vir sanctus, cum de stylo agitur; eandemque, quam ille sensit, humilis eloquii simplicitatem in eodem Propheta vidisse, sibi plures ex Interpretibus visi sunt. Verum S. Augustinus de Doctr. Christ. lib. 4. cap. 7. qui eloquentiæ Hieronymianæ nihil concedebat, gnarus profecto quid de stylo Amos sentiretur, ejus exemplum inter cæteros selegit, ut luculenter demonstraret, eloquentia quadam naturali, cum insita quadam prudentia, usos esse Prophetas, ut verba rebus aptarent. *Isti qui Prophetas nostros*, ait, *tanquam ineruditos & elocutionis ignaros veluti docti disertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere? ... Quid enim est quod isto eloquio aures sobria plur desiderent?* Nobilis hujus eloquentiæ exempla prosequitur ex capite VI. ejusdem Prophetæ. Qua in re tamen non ita constituendum est, quasi sapientia divina eloquentiæ servire credenda sit. *Non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia*. Tandem ita claudit: *Quapropter & eloquentes quidem, non tantum sapientes fateamur* (Sacros Scriptores); *tali eloquentia, quali personis ejusmodi congruebat*..

(24) Vide Arism Mont. Sanct. Prolegom. 4. (25) Amos IV. 3. V. 1. 2. &c. (26) Amos II. 13. 14. &c. III. 11. &c. (27) Amos VII. 9. (28) Amos IX. 24. (29) Amos III. 15. IV. 1. 2. (30) Amos II. 5. (31) Ibid. ℣. 7. (32) 4. Reg. X. 18. &c. (33) Ibid. XIV. 24. (34) Amos V. 5. (35) Amos II. 11. 12. IV. 4. 5. V. 21. 22. 23. VIII. 3. 5. 10. (36) Amos IX. 11. 12.

COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN AMOS.

CAPUT PRIMUM.

Missio Amos. Animadversio Domini in Damascum, Philisthaos, Tyrum, Idumaam, Ammonitas.

℣. 1. VErba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israel in
diebus Oziæ regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, an-
te duos annos terræmotus. 2. Et dicit: Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem
dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.
3. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non con-
vertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. 4. Et mittam ignem
in domum Azael: & devorabit domos Benadad. 5. Et conteram vectem Damasci:
& disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo volupta-
tis: & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus. 6. Hæc dicit Domi-
nus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum: eo quod
transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. 7. Et mit-
tam ignem in murum Gazæ, & devorabit ædes ejus. 8. Et disperdam habitatorem
de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone, & convertam manum meam super
Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus. 9. Hæc dicit
Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non convertam eum: eo
quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis
fratrum. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, & devorabit ædes ejus. 11. Hæc
dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum:
eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, & violaverit misericordiam ejus, &
tenuerit ultra furorem suum, & indignationem suam servaverit usque in finem. 12.
Mittam ignem in Theman: & devorabit ædes Bosræ. 13. Hæc dicit Dominus: Su-
per tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum: eo
quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. 14. Et succen-
dam ignem in muro Rabba: & devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, & in
turbine in die commotionis. 15. Et ibit Melchom in captivitatem; ipse, & prin-
cipes ejus simul, dicit Dominus.

℣. 1. VErba Amos, qui fuit in pastoribus (1) Thecuæ. Quis fuerit Amos, & quæ ejus patria, in Præfatione quæsitum est. Textus Septuaginta valde discrepat ab Hebræo hujus versiculi (2): Verba, vel *sermones Amos, qui facti sunt in Accarim de Thecue; quos vidit pro Jerusalem*. Theodoretus legit: *Sermones Amos, qui facti sunt in Cariathiarim de Thecue pro Jerusalem*. Editio Complutensis: *Sermones Amos, qui facti sunt in Acarpi de Thecue*. Variantia hæc prava legendi Textus ratio peperit (3). Aquila (4): *Qui erat in pascuis*. Symmachus (5), & quinta Editio: *Qui erat e numero pastorum Thecue*. Theodotion retinendam censuit Hebræam vocem *Nokedim*, quæ *pastorem* significat, ad verbum, *pungentem*, vel hominem gregibus divitem, cui sunt greges plurimi, pecudum mercatorem. Chaldæus vertit (6): *Amos, qui erat Dominus pecorum de Thecua*. Eadem significatione Mesa Rex Moab appellatus est *Noked*, vel pastor (7); & Cicero de

(1) MSS. Codd. *In pastoralibus*. Vide nov. edit. Hieron. (2) Edit. Rom. & Hieron. *Λόγοι Ἀμὼς οἳ ἐγένοντο ἐν Ἀκκαρεὶμ ἐκ Θεκουέ, οὓς εἶδεν ὑπὲρ Ἱερουσαλήμ*. Ita Hieronym. ex Septuag. & Latina vetus.
(3) Legunt נקרים *Nocarim*, pro נקדים *Nokedim*. Posterior hæc vox optime significare potest hominem, qui ficus silvestres pungit, ut maturescant. Vide Amos VII. 14. (4) Aqu. *Ἐν ποιμνιοτρόφοις*. (5) Sym. & v. Editio. *Ἐν ποιμέσιν*. (6) עמוס דהוה מרי גתין מתקוע (7) 4. Reg. III. 4. *Porro Mesa nutriebat pecora multa*. Hebr. היה נקד

de Rege Dejotaro ait (8): *Ut non solum Tetrarcha nobilis, sed diligentissimus agricola & pecuarius haberetur*. Pastoritiam profiteri ea ætate illiberale non habebatur, præsertim inter Palæstinos, & in ea potissimum regionis illius parte, ubi sita erat Thecue, cujus ager nonnisi pascuis aptus erat, teste S. Hieronymo, qui locorum illorum naturam, tamquam incola, norat.

In diebus Oziæ Regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas, ante duos annos terræmotus. Consule Præfationem. Utriusque hujus Principis, Oziæ nempe & Jeroboami II. Regnum fuit longa annorum serie & felicitate beatum, atque per hæc tempora in Regno Israelis Prophetæ Osee, Jonas, & Amos, in Regno Juda Abdias, aliique nonnulli floruerunt.

℣. 2. Dominus de Sion rugiet. Rugitus iste vocem irascentis minantisque designat. Vide Osee xi. 10. Joelem iii. 16. Jeremiam xxv. 30. Amos iii. 8.

Luxerunt speciosa pastorum. Pastoritiam exercens Amos, e re agresti & pecuaria comparationes ducere amat (9). Exhibet hic Dominum minantem sub imagine rugientis leonis, qui pastorum casis excidium & pascuis opimis vastationem minitatur; venire ait iracundiam Domini eum ingenti strepitu, uti onustus ingenti fœni sarcina currus stridet (10); incedentis autem sub pedibus conculcari terram, ut in area manipulos (11). Qui vero, ait e manibus Omnipotentis evaserint, perinde se habebunt atque pastor aliquis, cum e leonis faucibus eruit duo crura, aut extremam auriculam ovis (12). Divites Samariæ comparat vaccis saginatis, quæ infirmas opprimunt, dicuntque dominis suis: *Afferte & bibemus* (13).

Reddi potest Hebræus (14): *Habitacula Pastorum lugebunt*. Habitacula hæc sunt humiles casæ furnis non dissimiles; furnis, inquam, pro more Regionum illarum doliorum inversorum figura. *Ultra Thecue*, ait S. Hieronymus Præfat. in Amos, *nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ, & furnorum similes, quas Afri appellant Mapalia: tanta est eremi vastitas*.

Exsiccatus est vertex Carmeli. Non unus est Carmelus mons in Palæstina. Notus est omnibus Carmelus ad meridiem Ptolemaidis, Mediterraneo imminens. Meminit etiam Scriptura Carmeli, ubi Nabal greges suos pascebat. Denique *Carmelus* usurpatur interdum pro loco fertili & amœno (15); ad verbum est *vinea Dei* (16). Reddi igitur posset: *Vertex* opimiora, pulchriora, eximia *montium cultorum exsiccabuntur*.

℣. 3. Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum. Doctissimi Interpretes (17) uno assensu docent, hac phrasi *ternis, quaternisque vicibus* designari, sæpius, iteratis vicibus; quod & Profanis notum est: Virgilius Æneid. 2.

. . . . *O terque quaterque beati*.

Et alibi (18):

Terque quaterque manu pectus percussa decorum.

Illud vero (19), *Non convertam eum*, vel non mutabo eum, vel denique, non reducam eum, designat prono & naturali sensu: Datam verbis meis fidem non retraham, sententiam consiliumque meum non revocabo, nec minas meas frustra cadere patiar. Non agitur hic de pœna, quæ futilis minis terreat; certa & immutabilis sententia est, quam executio necessaria consequetur.

Scelera Damasci, quæ adeo Dominum provocaverant, designantur hic iis verbis (20): *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad*; vel, ut habent Septuaginta (21): *Eo quod secuerint serris ferreis prægnantes eorum, qui in Galaad*. Quod hic est serra, in Vulgata sunt plaustra ferrea. *Est autem genus plaustri*, ait S. Hieronymus hic, *quod rotis subter ferreis, atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis stipulas in areis conterat, & in cibos jumentorum, propter fœni sterilitatem, paleas comminuat*. Alterius generis plaustri in eundem usum excutiendi frumenti meminit Varro lib. 1. c. 52. de re Rustica his verbis: *Tribulum fit a tabula, lapidibus aut ferro exasperata, quæ imposita auriga aut pondere grandi, trahitur jumentis junctis, ut excutiat e spica grana*. Hujus rei exempla dedimus in Dissertatione de suppliciis Hebræorum. Sed in Hebræo nihil legitur de fœminis prægnantibus ferreorum carpentorum pondere contritis, de quibus in Græco; habet enim tantummodo, Regem Damasci neci Galaaditas tradidisse. Additionem hanc Græci e vaticinio Elisæi ad Hazaelem huc transtulerunt, Vide 4. Regum viii.

Deficiens Adad vel Razon a Salomone, usurpansque titulum Regis Damasci, nunquam deinceps sive ipse sive ejus successores ab infestandis hostili odio Israelitis cessavere (22). Benadad, Adadi ex filio Tabremmone nepos (23), perpetuis ferme bellis Regem Samariæ lacessivit. Frequentibus in illius ditionem irruptionibus urbes rapuit, & sæva ac hostilia multa commisit. Sub Achabo exercitu duorum & triginta fœderatorum Regum accessione valido Samariam invasit (24); quam tamen urbem ne expugnaret, Deus prohibuit. Superbum sævumque Principem ultio consequuta est; inopinus enim terror copias ejus occupans coegit fugam capere, impedimentis omnibus in hostium potestate relictis. Altero anno ad arma iterum, falsa opinione persuasus, Deum, quem Israelitæ colebant, Deum esse montium, ut nihil haberet in vallibus potestatis; sed castris iterum exutus est ab Achabo, cui & dedit sese, & pacem precario impetravit (25). Quieta omnia per triennium; tum Achab copias Adadi, Ramoth Galaad occupantes, provocavit ad prælium, in quo ex vulnere obiit: atque ita sua fides oraculo Michææ stetit (26). Silet quidem Scriptura & tempus & rationem captæ Ramoth Galaad a Syris; constat tamen, urbem hanc tenuisse illos, validoque præsidio munitam habuisse (27) regnantibus Achabo & Ochozia ejus filio, & ex filio nepote Joramo. Deinde correptus morbo Benadad, consulturus ea de re Elisæum, qui tunc forte Damascum venerat, Hazaelem misit. Ad Prophetam ille cum quadraginta camelis, muneribus regiis onustis, se contulit; a quo certior factus est, morbo quidem minime periculoso laborare Regem; futurum tamen ut decederet. Simul autem hæc loquens Propheta, repente ore expalluit, obortisque lacrymis ingemuit; quarum causam ab Hazaele rogatus, eam attulit, quod destinari Hazaeli Regnum Syriæ ex Dei didicisset; intellexissetque futurum, ut is gravissimis malis Israelem afficeret, urbes munitas cremaret, juvenes passim trucidaret, infantes humi elideret, sectis prægnantium uteris fœtus disperderet. Igitur Damascum restitutus, Hazael Regem suum suffocavit, Regnumque invasit.

Aliquandiu post, Joram Rex Israelis & Ochozias Rex Juda arma moventes in Ramoth Galaad (28), prælium cum Hazaele Syriæ Rege inierunt; quod

(8) Tull. Pro Rege Dejotaro. (9) Vide Hieron. hic. (10) Amos ii. 13. (11) Amos iii. 11. (12) Ibid. ℣. 12. (13) Amos iv. 1. (14) אבלו נאות הרעים (15) Isai. xvi. 10. xxix. 17. (16) יבש ראש הכרמל (17) Theodoret. Vat. Men. Tir. Sanct. Drus. Livel. Merger. Tarnov. &c. (18) Æneid. 4. Vide & Homer. Odyss. E. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις. (19) לא אשיבנו 70. Οὐκ ἀποστραφήσομαι αὐτόν. (20) על דושם בחרצות הברזל את הגלעד (21) Septuag. Ἀνθ' ὧν ἔπριζον πρίοσι σιδηροῖς τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας τῶν ἐν Γαλαάδ. (22) 3. Reg. xi. 25. (23) 3. Reg. xvi. 20. 21. 2. Paralip. xvi. 4. 5. (24) 3. Reg. xx. (25) 3. Reg. xx. 22. xxii. (26) 3. Reg. xxii. 2. Paralip. xviii. (27) 4. Reg. viii. 7. 8. & sequ. 12. (28) 4. Reg. viii. 28.

quod infelix quidem Joramo ob relatum vulnus, sed & prosperum ob captam urbem accidit. Vulneris curandi causa Joramus facessit Jezraelem, relictis Ducibus copiarum ad obsidionem arcis. Erat cum cæteris Jehu, qui non diu post Joramum neci tradidit, deletaque Achabi domo, solium Israelis occupavit (29). Per idem tempus, rerum potiente Jehu (30), pertæsus Dominus criminum Israelitarum, permisit illos Hazaeli, a quo late fusi cæsique fuerunt toto tractu, qui porrigitur a plaga Orientali Jordanis per totam Galaaditidem, Regionemque Gad, Ruben, & Manasse; & ab Aroer usque Galaad & Basan; denique totam late Provinciam trans Jordanem occupavit. Fatis functo Jahu, ejusque filio Joachaz regnante (31), Dominus nondum placatus Israelem tradidit Azaeli Regi Syriæ, ejusque filio Benadado; a quibus adeo afflictæ sunt res Samariæ, ut nihil superesset reliquum Joachazo, prætar quinquaginta equos, currus decem, peditumque decem millia; reliqua omnia dissipaverat Rex Syriæ: *Interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quasi pulverem in tritura areæ*; quæ non obscure congruunt cum iis, quæ a Propheta hic exhibentur. E vivis subducto Hazaele, Joas filius Joachazi, Rex Israelis, tribus diversis præliis superato Benadado Hazaelis successore, Urbes, quas illius pater e Regno Israelis avulserat, recuperavit (32). Majora etiam e Syria commoda retulit Jeroboamus II. qui & Damascum & Emath recepit, restituitque in pristinam amplitudinem & limites Israelis ditionem (33). Hæc discere licet ex Historia Sacra de sævitia, tyrannide, & iniquitate Regum Syriæ in Israelem. Probabile est etiam, pleraque mala, quæ hic Deus in Syros denunciat, non ultra Regnum Jeroboami II. sub quo florabat Amos, dilata fuisse. Docet Scriptura 4. Reg. xiv. 28. Prophetam Jonam victorias Jeroboami in Syros prædixisse; additque, Israelem tunc extremo mœrore tabuisse: *Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quod consumpti essent usque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israel*. Sed ex iis quæ sequuntur, intelligimus, Prophetam hic ob oculos habuisse potissimum mala, quæ Theglathphalassar in Syriam, Damascum, ejusque Regem Rasin intulit. Vide 4. Reg. xvi. 9. Isaiam vii. 8. viii. 4. & Amos i. 5.

℣. 4. Mittam ignem in domum Hazael. Familiare est Hebræis, ignem pro bello usurpare. Oculatus testis spectare potuerat Amos bella Joaz Regis Israelis in Hazaelem, & victorias, quas de illo retulerat. Facile etiam spectavit bella Jeroboami, de quibus hic vaticinatur. Horum bellorum Historias silet Scriptura, innuens tantummodo 4. Reg. xiv. 25. 28. Jeroboamum veteres Israelis limites ab introitu Emath usque ad mare mortuum restituisse; subegisse insuper Damascum cum Emath; & nobili accessione Regnum Israelis auxisse; atque ita factum est, ut *ignis mitteretur* a Domino *in domum Hazael, & devoraret domos*, vel ædes Regias (34) *Benadad* ejus filii & successoris. Capta Damasco, Jeroboamus Regias Benadadi ædes occupavit. Forte etiam illas igne cremavit; sed hoc minus necessarium est ad fidem vaticinii; neque enim de vero igne, sed de bello hic sermo est.

℣. 5. Conteram vectam Damasci (35); robur Damasci; portas ejus & munimenta. Vi illam expugnavit Jeroboamus.

Disperdam habitatores de campo idoli. Hebræus (36): *Disperdam habitatorem de Bekat-Aven*; quæ Urbs est in Syria, nunc *Baal-Bek* appellata. Prophetæ ætate facile *Bekat Baal* denominabatur. Cum autem religiosum sibi ducerent Hebræi, nomen Baal vel summis labiis exprimere, substituebant illi nomen aliud ignominiosum, ut *Aven*, iniquitas seu vanitas; vel *Boseth*, probrum, confusio. Hinc nomen Bethaven Urbi Bethel inditum est; hinc etiam *Jero-Boseth* pro *Jero Baal*. Hodie pariter Syris est *Baal-Bek* (37) Urbs eadem, quæ Græcis *Heliopolis*, sita ad extremum vallis illius, quæ longius porrigitur ab austro in notum, inter Libanum & Antilibanum; cui valli hodie pariter, juxta vim Hebraicæ pronunciationis, nomen *Bucca*, seu *Bekath* manet. Strabonis ætate, nomen illi fuisse videtur (38) Marsya & Syriacava; nec a vero abludit, nomen *Marsya* idem esse ac *Aram Soba*, vel *Ram-Soba*. Cum Græci similitudinis aliquid agnovissent inter hæc, & nomen sibi notum *Marsyam*, Syriacam appellationem in Græcum vocabulum, ob facilitatem pronunciationis, converterunt. Jeroboamum Syriam bello afflixisse ex eo constat, quod Emath subegerit; nec fructum victoriæ suæ conservare poterat, nisi simul occupasset vallem Buccam, vel Marsyæ, quæ a Regno Israelis eo deducebat.

Tenentem sceptrum de domo voluptatis; vel ex Hebræo (39): *Tenentem sceptro de Beth-Aden*. Nota est in Syria Urbs Eden; & hodie pariter vicus Eden locus est amœnus in Libano; nec ab eo longe amnis Adonis fluit.

Transferetur populus Syriæ Cyrenen. Hebræus (40): *Migrabit Syrus Kir*. Post annos ab obitu Jeroboami II. quatuor supra viginti circiter, Theglatphalassar Assyriæ Rex auxiliares copias duxit ad Achazum Regem Juda, quem Rasin Damasci Rex & Phacee Rex Israelis bello affligebant (41). Rex Assyriæ Damascum occupavit, ejusque incolas in Kir transtulit: *Ascendit Rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam, & transtulit habitatores ejus Cyrenen: Rasin autem interfecit*. Esse non potest Kir Cyrenaica, vel Provincia Cyrenes Ægypto vicina; neque enim in toto Ægypti tractu quidquam Rex iste possidebat. Sermo est igitur de Regione Kir in Albania ad Cyrum amnem, qui in mare Caspium devolvitur. Constat autem, ad rem hanc gestam Prophetam hic spectare.

℣. 6. Super tribus sceleribus Gazæ, &c. Gazam maritimam esse Urbem ditionis Philisthæorum Ægypto proximam, satis constat. Vulgo creditur, scelera Civium Gazæ, cæterorumque Philisthæorum [nam ex iis quæ sequuntur intelligimus, Azotum, Aschalonem, & Accaronem nihilo meliores (42) fuisse Gaza] in eo versari, quod captivos egerint quidquid invenere hominum in Idumæa, nullo ætatis & sexus discrimine; ad unum omnes: *Eo quod transtulerint, captivitatem perfectam, ut concluderent eos in Idumæa*. Pariter Tyriis exprobrat Amos infra ℣. 9. Crudelitatis hujus & sævitiæ argumenta, nemini scilicet in tota Provincia parcendi, agendique captivos ad unum omnes, ut tota Regio in vastissimam solitudinem converteretur, non dabantur nisi in hostes infestissimos, de quibus extrema ultio sumenda erat.

Quæ fuerit causa belli hujus Philisthæorum & Tyriorum in Idumæam, ob quam sollicitudine teneri Deus videtur, ac si Idumæa portio esset populi sui, quæritur. Nihil equidem lucis e Scri-

(29) 4. Reg. ix. (30) 4. Reg. x. 32. *In diebus illis tædere cœpit Dominus super Israel, percussitque eos Hazael in universis finibus Israel*, &c. (31) 4. Reg. xiii. 3. & 7. 22. (32) 4. Reg. xiii. 25. (33) 4. Reg. xiv. 25. 26. 28. (34) ארמנות בן הדד Sept. Θεμέλια υἱοῦ Ἀδὲρ, *fundamenta filii Ader*. (35) שברתי בריח דמשק (36) הכרתי יושב מבקעת און (37) Voyage de Maundrel. (38) Strabo lib. 16. p. 519. 520. (39) ותומך שבט מבית עדן (40) וגלו עם ארם קירה Sept. Αἰχμαλωτισθήσεται λαὸς Συρίας ἐπίκλητος, *Captivus ducetur populus Syriæ nominatus*. (41) 4. Reg. xv. 29. 40. xvi. 5. 9. (42) ℣. 7. & 8.

ptura quæstioni huic affunditur. Regibus Juda ea Provincia paruit usque ad Regnum Josaphati (43). Redigere illam ad obsequium tentavit Joram filius & successor Josaphati (44); sed frustra; nam receptam libertatem defendit, simultatemque, quin & hostile semper odium in Judæos fovit. Si Idumæi portio erant Regni Juda, cum bello, de quo hic Amos, lacessiti fuerunt, quod & tacite a Propheta innui videtur [cur enim alioqui causa illorum cordi adeo fuerit Deo, ut tam severæ animadversioni adversarios illorum subjiceret?] si hæc, inquam, ita se habent, bellum istud ante Regnum Jorami constituendum erit. Nec nos hac de re plura.

Id tantummodo animadversione dignum arbitramur, verti hic a Septuaginta (45): *Eo quod captivam duxerunt ipsi captivitatem Salomonis, ut concluderent in Idumæa.* Exponitur hoc de Israelitis, qui Assyriorum armis vexati, ad Philisthæos sese receperunt. Philisthæi vero insigni prorsus scelere perfugas hosce, qui tutum apud illos asylum nactos se rebantur, captivos retinuerunt, vendideruntque infestissimis illorum adversariis Idumæis. Vide Grotium hic. Cum vero bella Assyriorum in Judæos nonnisi post ætatem Amos acciderint, vertere ille vitio Philisthæis non potuit scelus nondum ab illis commissum. Theodoretus & S. Hieronymus censent, Philisthæos, perpetuis ferme bellis Hebræis infestos, captos bellis hisce Israelitas vendidisse Idumæis, ut captivitatem duriorem pati cogerentur (46). Sed cum nulla his fides adstrui ex Historia possit, priorem expositionem, utpote literæ magis consonam, præferendam censemus.

Hebræus (47) hujus loci & versiculi 9. designat potius, ex Judæa captos, & pretio venditos Idumæis. Vertere igitur maluerim: Sententiam meam in Gazam non revocabo, *quod e regione sua emiserit captivos quoscumque capere potuit, vinctosque miserit in Idumæam.* Et ℣. 9. Non parcam Tyro, *eo quod vinculis adstrinxerit quotquot captivos agere potuit ex Idumæa.* Sunt qui reddant: *Eo quod fecerit* captivitatem, vel *transmigrationem pacificam;* idest, eo quod captivum ceperit populum, quorum nullo bello committebatur. Sed ego in Jeremia (48) legi phrasim, quæ ut ista accipiatur de captivitate plena, & sine exceptione, suadet: *Translata est omnis Juda, transmigratione perfecta.* Vide & Ezechielem xv. 15. exprobrantem Philisthæis, quod crudelitatem, ultionemque prorsus immoderatam in Hebræos vicinos suos exercuerint; qua in re mens erat Prophetæ, vitio illis vertere ea, quæ labentibus annis Regni Juda contigerant. Sed Amos præ oculis habere non poterat nisi res gestas in defectione Idumæorum sub Joramo.

℣. 7. Mittam ignem in murum Gazæ. Potentissimos hostes in illos suscitabo, a quibus bello vexabuntur. Ozias, sub quo Amos Prophetam agebat, bellum non sine felicissimo eventu Philisthæis intulit (49). Subruit mœnia Geth, Jamniæ, & Azothi; urbes in eorum ditione condidit, nomenque sibi celebre per totam illam regionem peperit. Facile Amos ad hæc bella spectabat, vel forte ad illa, quibus Ezechias multis post annis gentem illam affecit: *Percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum, a turre Custodum usque ad Civitatem munitam* (50). Isaias xiv. 29. fausto oraculo prænunciat victorias hasce Ezechiæ vel Assyriorum de Philisthæis. Vide nos in Isaiam xiv. 29. & xx. 1. Vel forte bella, quibus Psammetichus Ægypti Rex gentem illam vicit. Herodotus *lib. 2. cap. 157.*

℣. 8. Peribunt reliqui Philisthiinorum. Post victorias Oziæ & Ezechiæ, de quibus modo, Philisthæi caput iterum extulerunt; sed cum nihil remitterent de sceleribus suis, ac præsertim de iis, quæ sæve & superbe in Judam committebant (51), ultio Domini pone illos sequuta est, ac denique ultimo excidio delevit. Miseram gentem prostravere Rex Ægypti & Nabuchodonosor. [Vide Sophoniam II. 4. 5. 6.] Alexander Magnus Gazam obsedit & cepit, incolas mutavit, & Philisthæorum res fregit (52). Denique Macchabæi vel Asmonæi gentem illam domuere (53). Vide Sophoniam II. 4. 5. 6. Jeremiam XLVII. 1. Ezechielem xxv. 15. Isaiam xi. 14.

℣. 9. Super tribus sceleribus Tyri . . . eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa. Supra ℣. 6. professi sumus, nihil habere nos ex Historia, unde lux affundatur iis, quæ Amos hic exprobrat Tyriis ut gesta ab illis, nota omnibus & explorata. Animadvertere hic licet apud Scriptores Commentariorum eadem sententiarum dissidia, quæ paulo superius adnotavimus, Quod Tyriorum crimen auget, illud est, ait Propheta, *quod non sunt recordati fœderis fratrum.* Verbis hisce designari censent Interpretes (54) fœdus jam olim inter Hebræos Tyriosque compositum sub Hiramo & Salomone, quos amicitiæ vinculo inter se ita junctos fuisse, ut fraterno se amore diligerent, satis constat ex 3. Reg. ix. 13. Sed ætate hujus Prophetæ fœdus illud jam ante plures annos solutum fuerat; quin nec decorum fuisset Israelitis & licitum, integrum illud sanctumque servare; quippe quod Legi illorum repugnabat, vetanti, ne quid fœderis vel amicitiæ cum Chananæis inirent (55). Insuper nec opinioni huic verba Textus favent. Si enim designare voluisset fraternam aliquam necessitudinem inter Hebræos Tyriosque, hanc fere sententiam usurpasset: Non sunt recordati fœderis fratrum suorum, vel cum fratribus amicisve suis: sed exprimens tantummodo *fœdus fratrum*, alios plane nullos designare potest præter Judæos, qui fratres se Idumæorum esse profitebantur. Igitur Tyrii, Idumæam aggressi, & aspere ac sæve habentes Idumæos, fœderatam sibi gentem ac subditam Judæ, quocum sanguinis cognatione adstringebantur, omni se clementia & pietate indignos exhibuerunt. In mentem revocare illos oportebat, Esau & Jacob fratres extitisse inter se; Idumæam Judæ paruisse, ut ex utraque gente unus quodammodo idemque populus fieret; & cum pacem colere cum Juda constituissent, cur illum injuria afficerent in ipsis ejus fratribus, nihil erat.

℣. 10. Mittam ignem in murum Tyri. Salmanasar bello vexavit Tyrios sub Rege Eluleo, Menandro teste (56). Longa illos obsidione annorum quinque strinxit, ut cum aliunde procurare sibi aquas prohiberentur, in ipsis Urbibus puteos coacti foderint. Aliquandiu post Nabuchodonosor diuturno magis obstinatoque bello illos afflixit; nam Urbem obsedit tredecim annis, captamque tandem evertit (57).

℣. 11. Super tribus sceleribus Edom; . . . . , eo quod persecutus fuerit in gladio fratrem suum. Integram semper Idumæi servarunt simultatem ex patre suo Esau ad se transmissam, adver-

(43) 4. Reg. viii. 20. 2. Par. xxi. 8. (44) 2. Par. xxi. 9. 10. & 4. Reg. viii. 21. (45) Ἀνθ' ὧν ᾐχμαλώτευσαν αὐτοὺς αἰχμαλωσίαν τοῦ Σαλωμών, τοῦ συγκλεῖσαι εἰς τὴν Ἰδουμαίαν. (46) Vide Hieron. & Theod. hic, & Sanct. num. 55. (47) על הגלותם גלות שלמה להסגיר לאדום (48) Jerem. xiii. 19. הגלת יהודה כלה הגלת שלומים (49) 2. Par. xxvi. 6. 7. (50) 4. Reg. xviii. 8. (51) Vide 2. Par. xxviii. 17. 18. & Ezech. xxv. 15. 16. (52) Curt. lib. 4. Diodor. Olympiad 112. Joseph Antiq. lib. xi. cap. ult. (53) 1. Macch. v. 65. 68. & xi. 61. & xiii. 43. 44. Vide Joseph. plurib. locis, ut Antiq. xiii. cap. 21. (54) Sanct. Grot. Drus. Tarnov. Munt. Menoc. Tir. &c. (55) Exod. xxii. 32. xxxiv. 15. Deut. vii. 2. (56) Menander apud Joseph. Antiq. lib. ix. c. 14. (57) Vide Ezech. xxvi. xxvii. xxviii.

versus posteros Jacobi fratris illius. David Idumeam subegit (59), quæ & Salomoni paruit. Labentibus Regis hujus annis, vel Regnum ineunte Roboamo ejus filio, Adad Idumæus Regium hujus Provinciæ titulum usurpavit. Hanc defectionem sive ipse per se Roboamus coercuerit, sive res cum Adado composuerit, relicto ipsi nomine Regis tributo obnoxii, quod & illius successoribus mansit (60); illud constat, Idumæos perstitisse in obsequio Regum Juda usque ad Joramum (61). Tunc jugum excusserunt; & Joramus, copiis in illos ductis, frustra tentatos liberos dimittere coactus est (62). Ante illud tempus, rerum potiente Josaphato, occurrit bellum Moabitarum, Ammonitarum & Idumæorum, qui juncta arma in Josaphatum duxerunt; sed conjurationem hanc Josaphat repressit (63). Textus Vulgatæ in Paralipomenis, & Hebræo fert *Aram*, id est Syriam; sed totus Historiæ contextus legendum postulat *Edom*. Recuperata libertate Idumæi nunquam sibi defuerunt, quin omnem caperent opportunitatem adjungendi se hostibus Juda; quæ sane opportunitas illis plus nimio sæpe adfuit toto eo temporis spatio, quod a Regno Josaphati usque ad Oziam, sub quo florebat Amos, intercessit.

Et violaverit misericordiam ejus. Septuaginta (64): *Et violavit fœminas*, vel *matrem super terram*.

Et tenuerit ultra furorem; immodico furore exarserit. Hebræus (65). *Et iram suam semper tenuerit*. Septuaginta (66): *Et rapuit in testimonium horrorem suum*. Motum iræ suæ in Jacobum sequutos est, ut nec diuturnitas temporis iracundiam illam represserit.

℣. 12. Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bozræ; Hebræus: *Palatia Bozræ*. Theman & Bozra duæ erant principes in Idumæa Urbes. Theman xv. millibus passuum distabat a Petra. Bozra celebris erat Urbs Arabiæ desertæ, inter Philadelphiam & Esdrai, in veteri Regione Edom, montibus Galaaditicis insidens (67) Frequentius Bozor appellatur (68); ejusque pariter meminit Isaias LXIII. 5. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bozra*, vel *Bozor*. Septuaginta (69): *Mittam ignem in Theman*, & devoravit *fundamenta*. S. Hieronymus hic censet, Bozra hic nomen esse non Urbis quidem unius, sed totius Idumææ munitæ. Bellum, quod hic Amos Idumææ nunciat, ab Ozia, sub quo Amos vaticinabatur, illatum fuit. Porro Ozias ereptam ipsis Urbem Elat, Judææ restituit (70). Expeditionem in Idumeos per Duces suos egisse Assaradon creditur (71). Eamdem gentem Assaradon suo Imperio subjecit, post domitos Judeos & Jerosolymam eversam (72). Denique Judas Macchabeus (73), & post illum Joannes Hircanus victricibus armis longius in Idumeam excurrerunt; quin & Hircanus circumcisionem legesque Judeorum admittere Idumeos coegit (74).

℣. 13. Super tribus sceleribus filiorum Ammon; .... eo quod dissecuerit prægnantes Galaad. Regio Ammonitarum finitima erat Galaaditidi; quin & postremam hanc sui esse juris, nec nisi per summam injuriam ab Hebreis vi, non jure usurpatam fuisse, Ammonite contendebant. Vetus hec querela ipsa Jephte etate jam plurimum incaluerat (75). Sub Saule offert sese pariter (76) bellum inter Ammonitas & Cives Javes Galaad. Sub Davido, victi Ammonite in ditionem Juda concesserunt (77). In secessione decem Tribuum, Ammonem jugum excussisse, ex Libris Regum conjectura intelligimus; neque enim unquam Judeis Principibus subditi exhibentur. Opportune usi videntur in rem suam turbis, que regionem Galaaditicam exagitarunt, cum illam Reges Syrie occupavere; rebusque Israelitarum trans Jordanem mistis, in ditionem Galaad irrumpentes, seva & crudelia illa commiserunt, quorum hic a Propheta arguuntur. Luget Jeremias (78) vi occupatam ab Ammonitis Regionem Gad, que ipsissima est Galaaditis; suspicor tamen, respicere potius Jeremiam ad tempus post translatas decem Tribus, vel ad translationem decem Tribuum Transjordanicarum sub Theglatphalassaro, quam ad sinistram Regionis illius fortunam ante Oziam Regem Juda, & Jeroboamum Regem Israelis; neque enim ultra illud tempus retrahenda sunt ea, que ante etatem suam accidisse, hic Amos designat.

℣. 14. Succendam ignem in muro Rabba. Rabba metropolis erat Ammonitarum, cui deinde nomen mansit Philadelphia, vel Amman, aut Ammon sine addito. Bellum, de quo hic Propheta, ipsum est facile, quod ab Ozia Rege Juda illatum fuit (79). Hic gentem illam domuit, egitque vectigalem. Joatham ejus filius armis iterum illos lacessivit (80), coegitque solvere tributum centum talentorum argenti, mille mensurarum frumenti, & hordei totidem. Pretereo bella cum illis gesta a Salmanasaro (81), & Nabuchodonosore (82), que fuse prosequuntur Isaias, Jeremias, & Ezechiel, in Ammonem (83); ibique & nos pariter de illis tractamus.

Et in turbine in die commotionis. Hebræus (84): *In turbine, in die tempestatis*. Septuaginta (85): *Commovebitur in die consummationis sue*.

℣. 15. Ibit Melchom in captivitatem. Melchom hic usurpatur pro Moloc Deo Ammonitarum. Idem Numini illi Ammonitarum fatum Jeremias IL. 3. nunciat; idemque pariter & Chamos Deo Moabitarum XLVIII. 7. idem & Numinibus Ægyptiorum XLIII. 12. Animadvertere licuit in Osee x. idem exitum manere vitulos aureos Israelitarum; grande argumentum pudoris & probri cœcis hisce gentibus, que in imbecillibus absurdisque his Numinibus spem collocabant. Textus Hebreus ex syntaxi Massoretarum legit (86): *Ibit Rex eorum in captivitatem*; eamdemque lectionem ferunt Septuaginta. Hinc ortum est inter Scriptores dissidium, cum alii dicta hec de Rege, alii de Numine Ammonitarum interpretentur. Revera tamen minima est difficultas; cum pro more earum gentium, ea que ipse colunt Numina, veluti Reges habeantur. Vide Judices, XI. 14.

Ipse, et Principes ejus simul. Septuaginta (87): *Sacerdotes eorum & Principes eorum simul*. Illud *Sacerdotes* glossema est eorum qui legunt *Melchom* pro *Rege eorum*. Greci Interpretes alii legunt: *Sacerdotes sui*.

(59) 2. Reg. VIII. 14. & 2. Par. XVIII. 13. (60) Vide 4. Reg. III. 9. (61) 4. Reg. VIII. 20. 2. Par. XXI. 8. 10. (62) 4. Reg. VIII. 21. & 2. Par. XXI. 8. 9. 10. (63) 2. Par. XX. 2. & 10. & 23. Vide nos in eum locum. (64) Septuag. Ἐλυμήνατο μήτρας, alii, μητέρα ἐπὶ γῆς. Heb. שחת רחמיו (65) וישרף לעד אפו (66) Καὶ ἥρπασεν εἰς μαρτύριον φρίκην αὐτοῦ. (67) Euseb. & Hieron. in locis. (68) Hieron. ibid. (69) Ἐξαποστελῶ πῦρ ἐπὶ Θαιμάν, καὶ καταφάγεται τὰ θεμέλια αὐτῆς. Aqu. & Sym. Τὰς βάρεις. Theodor. *Habitacula*. Hieron. hic. (70) 4. Reg. XIV. 22. & 2. Par. XXVI. 2. (71) Isai. XXI. 11. 12. 13. 14. (72) Joseph. Antiq. l. X. c. 11. (73) 1. Macch. V. 3. 4. & 2. Macch. X. 16. (74) Joseph. Antiq. l. 13. c. 17. (75) Judic. XI. 12. (76) 1. Reg. XI. 1. & seq. (77) 2. Reg. X. XI. XII. & 1. Par. XX. 1. 2. 3. (78) Jerem. IX. 1. (79) 2. Par. XXVI. 7. 8. (80) 2. Par. XXVII. 5. (81) Isai. XV. (82) Joseph. l. X. c. 11. (83) Vide Jerem. IL. Ezech. XXV. (84) בסער ביום סופה (85) Καὶ συσσεισθήσεται ἐν ἡμέραις τῆς συντελείας αὐτῆς. (86) הלך מלכם בגולה 70. Πορεύσεται ὁ βασιλεὺς αὐτῶν ἐν αἰχμαλωσίᾳ. Theodoretus legit *Melchom*, pro *Rege eorum*. (87) Οἱ ἱερεῖς αὐτῶν καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῶν ἐπὶ τὸ αὐτό.

CAPUT II.

Ultio Domini in Moabum, in Judam, & in Israelem. Harum gentium crimina; ingratus beneficiis animus Israelitarum.

ỹ. 1. HÆc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non convertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem. 2. Et mittam ignem in Moab, & devorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ. 3. Et disperdam judicem de medio ejus, & omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus. 4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum: eo quod abjecerit legem Domini, & mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. 5. Et mittam ignem in Juda, & devorabit ædes Jerusalem. 6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calceamentis. 7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant: & filius, ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. 8. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. 9. Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum: cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus: & contrivi fructum ejus desuper, & radices ejus subter. 10. Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi. 11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, & de juvenibus vestris Nazaræos: numquid non ita est filii Israel, dicit Dominus? 12. Et propinabitis Nazaræis vinum, & prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis. 13. Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. 14. Et peribit fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam: 15. Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur, & ascensor equi non salvabit animam suam: 16. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

ỹ. 1. SUPER TRIBUS SCELERIBUS MOAB .... EO QUOD INCENDERIT OSSA REGIS IDUMÆÆ USQUE AD CINEREM, *vel usque ad calcem*, juxta Hebræum (1). Interpretum quidam (2) censent, Prophetam hic exprobrare Regi Moabitarum inhumanum illud facinus, quod oculis suis Judæi spectavere, cum scilicet ille arcta Metropolis suæ obsidione pressus a Regibus Juda Israelis & Idumææ, in ipsis Urbis mœnibus statuit filium Regis Idumææ, sive in eruptione quadam, sive per insidias a se captum, miserumque immolavit, sacris exurens flammis religiosum Numini suo Molocho sacrificium (3). *Historia Regum monet*, in ipsis Urbis mœnibus miserum illum captivum constituisse, gladiumque in ejus necem strinxisse Regem; quod cum cernerent tres illi Reges, soluta obsidione domum rediere; nihilque deinde de captivi illius nece tradit. Gesta sunt hæc centum circiter annis ante Amos. Ferunt autem, juvenem hunc Principem appellari hic Regem Idumææ, quod inter Regis filios natu maximus esset, adeoque & hæres destinatus, & forte etiam Edomitarum Rex electus.

Malunt alii (4), Regem Idumææ, eumdem qui tertius accesserat Regibus Juda & Israelis in bello, de quo modo, incidisse in manus Regis Moabitarum, a quo neci traditus, & cadaver ejus exustum fuerit. Addit pariter Chaldæus, Moabitam cineribus hisce Regis Idumææ usum esse pro calce ad liniendos cubiculi sui parietes; sed ingenue fatendum est, hæc omnia incertissima esse; quin & satis probabiliter credi, sermonem hic esse de quodam bello Moabitarum in Idumæos, cujus occasione vel ipsa Regis ejus gentis ossa ex humo defossa, & in pulverem contrita fuerint: quemadmodum Chaldæi olim cadavera Regum Juda exhumarunt (5), & Josias eruta e sepulcris ossa Sacerdotum Idolorum ex Israele, in ipsis aris, quæ ad suffitum consecraverant, exussit (6). Nec crudelia hæc & dira facta nova in bello sunt & insueta; & militum aviditas insatiabilis, vel impotens victorum ira plus nimio sæpe vel ipsas sepulcrorum latebras violat, ut timetur aurum, victique hostis cineres revocet ad ludibrium. Scitum est, quid Cambyses in Ægypto Amasis cineribus intulerit (7). Acta sunt hæc facile, antequam Idumæi jugum Regum Juda excuterent.

ỹ. 2. MITTAM IGNEM IN MOAB ... MORIETUR IN SONITU] armis circum instrepentibus. Non decedent tranquillo fine, quo solent Sancti & Dei amici (8). Diem claudent in ipsa rerum agitatione, bellorumque turbis inquieti. A Regno Oziæ Regis Juda nullum occurrit legentibus Moabiticum bellum usque ad Salmanasarum (9), vel deinde ad Nabuchodonosorem; nisi & Moabitas adusserit flamma illa bellorum, quæ Ozias (10), & post illum Joatham Reges Juda (11) Ammonitis vicinisque cæteris gentibus intulerunt. Meminit Isaias (12) belli, quod Moab a Salmanasaro pas-

[1] על שרפו עצמות מלך אדום לשיד Septuag. Εἰς κονίαν. [2] Theodoret. Rab. Dav. Quinquarb. Var. [3] 4. Reg. III. 27. [4] Heb. apud Hieron. & ita Interpp. plerique. [5] Jerem. VIII. Baruch. II. 24. [6] 4. Reg. XXIII. 4. 5. [7] Herodot. lib. 3. c. 16. [8] Genes. XV. 15. & 2. Par. XXXIV. 28. [9] Vide nos in Isai. XV. 1. [10] 2. Par. XXVI. 6. [11] 2. Par. XXVII. 5. [12] Isai. XV. XVI.

passus est; & Jeremias (13), Ezechiel (14), ac Sophonias (15) longam texunt iliadem malorum, quæ Moab sub Nabuchodonosore sustinuit. Primum facile e bellis hisce a Propheta hic respicitur.

DEVORABIT ÆDES CARIOTH. Carioth inter principes Moabitarum Urbes recensebatur (16). Id nominis Septuaginta latiore sensu accipientes reddiderunt (17): *Devorabit ignis fundamenta civitatum*, vel civitatum eorum.

℣. 3. DISPERDAM JUDICEM DE MEDIO EJUS; disperdam eum, qui primas in Regno ejus tenet. Gentem hanc ita delebo, ut nec Rex, nec Præfectus, nec Princeps supersit. Judex enim hic usurpatur de amplissimo quocumque, & primi ordinis viro. Nulla Reipublicæ forma erit Moabitis, nulla gentis, quæ suis Principibus pareat. Vaticinium hoc confer cum Capite XLVIII. Jeremię.

℣. 4. SUPER TRIBUS SCELERIBUS JUDA ..... DECEPERUNT ENIM EOS IDOLA SUA. Librorum Sacrorum utraque pagina exhibet crimina, & parum sincerę fidei Juda argumenta. A Davide usque ad Oziam, sub quo florebat Amos, nemo unus e Regibus non improbus occurrit. Postquam Salomon aras & fana Idolorum erigere aggressus est (18), & Israelitę Regni Samarię favore & auctoritate Regis sui Jeroboami sacrum Dei cultum profano vitulorum aureorum posthabuerunt; domestica hęc exempla, & externa tanti momenti fuerunt populis Juda, ut reducere illos penitus ab Idololatria nihil unquam valuerit. Rati, habere se in Numinibus & patrocinium & opem, spe sua tamen decepti sunt. Id scelus in eorum caput omne malorum genus provocavit.

℣. 5. MITTAM IGNEM IN JUDA. Flamma belli in Judam injici cœpit labente regno Joathami filii Ozię. In eum Regem Dominus Razin Syrię Regem, & Phacee Romelię filium immisit (19). Qui post Joathamum regnavit Achaz, cęteris majoribus suis impietate superior, novis malis Regnum suum implicuit. Illud enim Deus Regi Syrię, Idumęis, Philisthęis, ac Phacee Regi Israelis permisit (20). In tanta hostium undique prementium angustia, Theglathphalassari opem non sine ingenti pecunia, imploravit; quamobrem & Regnum totum, subditosque omnes exhausit. Hęc exitium Juda acceleravere; inde enim factum est, ut Rex servus & tributo obnoxius fieret (21), nec deinde cessarunt Reges illi opprimere & conculcare Regnum Juda, donec penitus contererent.

℣. 6. SUPER TRIBUS SCELERIBUS ISRAEL .... PRO EO QUOD VENDIDERIT PRO ARGENTO JUSTUM. Ex lectione librorum Regum & Prophetarum nota sunt adeo scelera Israelitarum decem Tribuum, ut superfluum fuerit in illis immorari. Exprobrat illis Amos, *quod vendiderint pro argento justum, & pauperem pro calceamento*. Sunt (22) qui Justum hunc pretio venditum accipiant de Josepho, quem fratres ejus, vel de Jesu Christo, quem Judas vendidit (23). Sed multo planius explico de Judicibus, qui pretium pro dicenda in Justum sententia acceperunt, vilique pretio, veluti pro binis calceis, meliorem pauperis causam prodiderunt. Formula est proverbio similis, perinde ac illa Ezech. XIII. 19. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur*, &c. Vide & Amos VIII. 6. & Joelem III. 3. Septuaginta (24): *Propterea quod vendiderunt argento pauperem, & inopem pro calceis*.

℣. 7. QUI CONTERUNT SUPER PULVEREM TERRÆ CAPITA PAUPERUM; qui ad terram elidunt capita pauperum; vel pauperem ad pulverem dejiciunt; ita curvatum tenent, ut ore pulverem tangat: *Ponet in pulvere os suum* (25). Hebręus (26): *Anhelantes super pulverem terræ in caput pauperum*. Angues sunt sibilantes in pauperes, intenti illos vorare, & dejiciere. Septuaginta sententiam hanc cum superiore conjungunt (27): *Vendiderunt pauperem propter calceamenta, ambulantem super pulverem terræ* (cum interim pauper nudus pede incedat); *& pugno percutiebant in capite pauperem*. Chaldęus: *Qui contemnunt quasi pulverem terræ caput mendicorum*. Septuaginta, & S. Hieronymus reddunt frequenter (28) Hebręum *Schaaph* conculcare; quę genuina est hoc loco illius significatio: *Conterunt super pulverem terræ capita pauperum*.

VIAM HUMILIUM DECLINANT; omnium humilium molimina subvertunt. Vel: Submovent intolerabili superbia pauperes e via, dum publice procedunt (29). Vel: Pertrahunt illos in peccatum vexationibus, vel tyrannide. Denique: Justitiam in causa pauperis violant (30).

FILIUS AC PATER EJUS IERUNT AD PUELLAM; ad unam eamdemque puellam, quod vetitum est assertis verbis Levitici XVIII. 8. Incesta hæc crimina vel ipsis Ethnicis execrabilia, maximam invidiam in Religionem Hebræorum creant; ac infidelium profanationi Sanctum Dei nomen exponunt: *Ut violarent nomen sanctum meum*.

℣. 8. SUPER VESTIMENTIS PIGNORATIS ACCUBUERUNT. Verbis hisce Amos vitia castigat duo, Israelitarum nempe retinentium pignora a paupere accepta, cavente Lege (31): *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei*. Alterum est eorum, qui convivia instruebant in ædibus deorum suorum, in Fanis Idolorum, seu vitulorum aureorum; neque enim Sacra ad Templum Jerosolymitanum obibant itinera: & veluti insultaturi Sanctitati Legis Dei & nequitiæ suæ signa ante aras suas exhibituri, in Templis illis super stratas vestes, pignori ab egenis acceptas sedebant.

Septuaginta aliter acceperunt (32): *Vestimenta sua alligantes funibus, faciebant velamina juxta Altare*. Tentoria vel ante ipsas profanorum Templorum Aras sibi struebant, ut occultæ libidini, & flagitiis indulgerent (33). Ex Libris Regum (34) discimus, vel in ipso Dei Templo hæc libidinis tentoria erecta fuisse: *Destruxit ædiculas effæminatorum, quæ erant in Domo Domini*. Apud Herodotum lib. 2. descripta habes velamina, quibus sese occulebant fœminæ illæ prostitutæ, quæ infami licentia religionem turpissimæ Deæ exercebant.

VINUM DAMNATORUM BIBEBANT IN DOMO DEI SUI; vinum scilicet eorum, quos inique damnaverant. Id tertium est crimen, quod Propheta Israelitis exprobrat. Commessabantur dispendio eorum, quos inique damnaverant (35). Septuaginta (36): *Vinum de calumniis* partum *bibebant*, Chaldæus: *Vinum rapinæ*. Hæc interpretatio literæ satis congruens videtur.

Sunt tamen qui suspicentur, vinum damnatorum designare hic eximium liquorem, seu vinum gene-

[13] Jerem. IX. XXV. XLVIII. [14] Ezech. XXV. 8. & seq. [15] Sophon. II. 8. 9.
[16] Jerem. XLVIII. 24. [17] Καταφάγεται τὰ θεμέλια τῶν πόλεων. [18] 3. Reg. XI. 5.
[19] 4. Reg. XV. 37. [20] 2. Par. XXV. XXVIII. [21] 4. Reg. XVI. 7. XVIII. 7. [22] Rupert.
[23] Vide Sanct. hic, num. 19. [24] Ἀνθ' ὧν ἀπέδοντο ἀργυρίου πτωχὸν, καὶ πένητα ἕνεκεν ὑποδημάτων.
[25] Jerem. Thren. III. 29. [26] השאפים על עפר ארץ בראש דלים [27] ℣. 6. Καὶ πένητα ἕνεκεν ὑποδημάτων. (8.) Καταπατοῦντα ἐπὶ τὸν χοῦν τῆς γῆς, καὶ ἐκονδύλιζον εἰς κεφαλὰς πτωχῶν. [28] Vide Psalm. LV. 2. 3. & LVI. 4. Ezech. XXXVI. 3. Amos VIII. 4. [29] Hebr. דרך ענוים יטו [30] Ita Chald. Vat. Merc. Drus. Sanct. Mont. Figuier. Castr. Rib. [31] Exod. XXII. 26. Vide & Deut. XXIV. 13.
[32] Καὶ τὰ ἱμάτια αὐτῶν δεσμεύοντες σχοινίοις, παραπετάσματα ἐποίουν ἐχόμενα τοῦ θυσιαστηρίου. [33] Vide Hieronym. hic. [34] 4. Reg. XXIII. 7. Vide & 3. Reg. XV. [35] Grot. Merces. Vat. Pisc. Sanct.
[36] Οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν. Heb. יין ענושים

generosum aromatibus conditum, ad vires roborandas, mentemque stupore hebetandam, quod olim damnatis ad supplicium propinabatur, ut affectæ eorum vires regererentur, sensusque suppliciorum vel mortis coerceretur. Eumdem potum designari censent a Sapiente iis verbis Prov. 31. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo*. Hujus etiam meminisse putant quidam Isaiam 51. 17. sub nomine calicis suporis: *Calicem soporis bibisti, & potasti usque ad fæces*. Nec facile aliud potionis genus oblatum fuit Jesu Christo in Calvario Marc. xv. 23. *Dabant ei bibere myrrhatum vinum*. Sermo est apud Veteres de vino quodam medicato, Diospoli in Ægypto invento, quod doloris sensum auferebat (37). Tradit Homerus Odys. Δ. artem illius parandi Helenam in Ægypto didicisse; ac de liquore illo mira prędicat. Asserit Plutarchus Sympos. l. 4. qu. 5. supplicium apud Judæos probrosissimum & maximum reputari, si sontibus vinum negetur; unde colligi facile posse videtur positum fuisse in moribus, nisi forte interdum prohiberetur, ut sontes supplicio damnati vino recreari permitterentur. Sed hæc omnia facile e re præsenti non sunt. Prima, quam recitavimus, expositio æquior est & planior. Obiter hic animadvertas vetustatem conviviorum in Templis, & morem assidendi mensis, seu potius discumbendi super stratis tapetes seu vestes.

℣. 9. AMORRHÆUM, CUJUS ALTITUDO, CEDRORUM ALTITUDO EJUS. Inter Chananæos plurimi occurrebant e genere Enach & Raphaim gigantes, quarum proceritas tanta erat, ut Hebræi cum iis comparati, nihilo majores se esse locustis faterentur: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. Num. xiii. 34. Hæc per hyperbolem dicta esse, nemo non intelligit.

℣. 11. SUSCITAVI DE FILIIS VESTRIS IN PROPHETAS, ET DE JUVENIBUS VESTRIS NAZARÆOS. Beneficio meo, in vestram gentem plane singulari, late per illam spiritum meum sparsi, mihique ex illis elegi viros ministeriis meis sacros. Licet Israelitæ decem Tribuum, de quibus verba fecit ℣. 6. &c. ad schisma declinassent, nec rite possent Nazaræos consecrare, quibus initiandis singularia quædam præscripta erant, nonnisi in Templo Jerosolymitano, & a Sacerdotibus Domini præstanda (38); rari tamen quidam ex Israelitis supererant, qui privato quodam Religionis affectu, clam se e fratribus suis subducentes, Jerosolymam proficiscebantur, ut Nazareatu initiarentur; vel forte erant qui in Bethel ritus eosdem obirent, qui Jerosolymæ exercebantur. Schismate enim nequicquam prohibente, adhuc tamen erga Legem Domini amor & obsequium non minima sui parte perseverabat in Regno Samariæ, ut ad Amos iv. 4. 5. demonstrabitur. Non uno Scripturæ testimonio discimus, quantus honor apud Hebræos Nazaræis esset (39). Afflictationum autem, quibus se viri illi Deo consecrati exercebant, non infima erat a vino abstinentia. Israelitæ comessationum amatores, scelesti isti, qui comessabantur in Templis suis, sedentes super stratas pauperum vestes, omnem ponebant operam, ut fratres suos ab ea religione averterent, atque hausto vino Nazareatum suum violarent: *Propinabatis Nazaræis vinum*. Conabantur etiam Prophetiæ spiritum suffocare, facultatem loquendi, & corripiendi Prophetis adimentes: *Et Prophetis mandabatis, dicentes: Ne prophetis*.

℣. 13. STRIDEBO SUBTER VOS SICUT STRIDET PLAUSTRUM. Latini quidam Codices legunt *super*, sed mendose. Hebræus ad literam (40): *Pressus sum ego subter pondus vestrum, quemadmodum plaustrum plenum manipulis*. Sub hoc pondere gemo, ægre vos fero; onus minime ferendum facti estis mihi, quod statui excutere, ac deserere (41). Chaldæus: *Ecce ego adducam super vos tribulationem, quæ coarctabit vos, sicut coarctatur plaustrum manipulis onustum*. Septuaginta (42): *Ecce ego subversurus sum* (vel quasi subversus sum) *subter vos, sicut revolvitur plaustrum plenum stipula*.

℣. 14. PERIBIT FUGA A VELOCE: qui pernicissimus est cursu, frustra se fugæ dabit. Seu potius: Velocissimi quique fugam capere non poterunt. Censent Rabbini (43), Prophetam hic sub nomine *velocis* designare Jeroboamum filium Nabath, primum e Regibus decem Tribuum, qui primo fugerat in Ægyptum (44); & sub nomine fortis, vel strenui, *Fortis non obtinebit virtutem*, agnoscunt Basan Israelis Regem tertium, virum animo, maxime strenuum (45). Robustus autem, *Robustus non salvabit animam suam*, est Amri, Samariticæ urbis conditor (46). Qui vero arcum tenet, vel arcitenens est Jeroboam filius Namsi, qui Joramum Israelis Regem jaculo interemit (47), Vir cursu celer, *Velox pedibus non salvabitur*, est Manahem, qui inani sollicitudine ferre Assyriorum Regi munera properavit (48). Eques ille qui mortem vitare non potuit, *Ascensor equi non salvabit animam suam*, ipsissimus est, inquiunt illi, Phacee, qui fœdere cum Rege Syriæ junctus, ingentibus malis Achaz Regem Juda affecit (49). Denique vir ille strenuus, qui nudus fugit, *Et robustus corde inter fortes nudus fugiet*, (50) est Osee, Regum Israelis novissimus, quem Assyrii Regno spoliavere. Verum hujus generis interpretationes fuci multum, solidi parum continent, & speciosiores sunt quam veræ. Quæ hic nunciat Amos Israelitis mala, infelicia illa tempora respiciunt, quibus Respublica a Syris & Assyriis pessime affecta nutabat. Fatis functo Jeroboamo, domesticæ turbæ externaque bella sævierunt. Virtus animi & robur accisa sunt; promptissimus quisque, & ad cursum expeditissimus evadere non valuerunt. Hæc omnia proverbium sapiunt.

[37] Diodor. lib. 1. pag 62. [38] Vide Num. vi. 2. 3. & seq. [39] Ierem. Thren. iv. 7. 1. Macch. iii. 49. [40] הנה אנכי מעיק תחתיכם כאשר תעיק העגלה המלאה לה עמיר [41] Ita Drus. Mont. Tarn. Mercer. Castal. [42] Ἐγὼ κυλίω ὑποκάτω ὑμῶν, ὃν τρόπον κυλίεται ἅμαξα ἡ γέμουσα καλάμης. [43] Hebræi apud Hieron. [44] 3. Reg. xi. 40. [45] 3. Reg. xv. 27. & sequ. [46] 3. Reg. xvi. 16. &c. [47] 4. Reg. ix. 24. [48] 4. Reg. xv. 19. [49] 4. Reg. xvi. 5. [50] 4. Reg. xvii. 5. 6.

CA-

CAPUT III.

Objurgationes in infidelitatem Israelis, quem unum Deus e medio gentium selegit. Dei in illum minæ frustra non cadent.

℣. 1. AUdite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filii Israel: super
omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: 2. Tan-
tummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos
omnes iniquitates vestras. 3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?
4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leo-
nis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? 5. Numquid cadet avis in la-
queum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra, antequam quid
ceperit? 6. Si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet? si erit malum
in civitate, quod Dominus non fecerit? 7. Quia non facit Dominus Deus verbum,
nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. 8. Leo rugiet, quis non
timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? 9. Auditum facite in
ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti: & dicite: Congregamini super montes
Samariæ, & videte insanias multas in medio ejus, & calumniam patientes in pene-
tralibus ejus. 10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes ini-
quitatem, & rapinam in ædibus suis. 11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tri-
bulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes
tuæ. 12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura,
aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga
lectuli, & in Damasci grabato. 13. Audite, & contestamini in domo Jacob, dicit
Dominus Deus exercituum: 14. Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes
Israel, super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris,
& cadent in terram. 15. Et percutiam domum hyemalem cum domo æstiva: &
peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

℣. 1. VERBUM QUOD LOCUTUS EST SUPER VOS, FILII ISRAEL. Ceptam orationem Amos prosequitur. Nunciatis, quæ Israelitas decem Tribuum manebant, calamitatibus, de quibus in Capite superiori, sermonem hic ad totum simul genus Jacobi, ad Hebræos utriusque Regni Juda & Israelis deflectit (1). Deinde vim orationis intra geminas Tribus cogit.

℣. 2. TANTUMMODO VOS COGNOVI EX OMNIBUS COGNATIONIBUS TERRÆ. Ex omnibus gentibus vos unicos elegi in hæreditatem & Regnum meum. Reliquas orbis gentes permisi, ut in flagitiorum, tenebrarum & errorum (2) viam raperentur, vos unos ex hac caligine in lumen & agnitionem legum mearum reduxi. Vos unos amico fœdere mihi conjunxi, & in augustam dignitatem ac nomen populi Dei adscivi (3).

IDCIRCO VISITABO SUPER VOS. Quoniam dona mea & beneficia contempsistis, nominis mei sanctitatem profanastis, Leges meas conculcastis, visitabo vos in furore meo, & pro modo culpæ vos puniam. Vel: Quandoquidem in electum mihi populum sanctumque genus vos destinavi, perinde vobiscum agam, uti cum filiis meis agere consuevi (4); vitia vestra impune abire non sinam, sed virga cædens, in rectam viam aberrantes revocabo; irascar vobis, nec parcam ut æternæ miserationis compotes efficiamini.

℣. 3. NUMQUID AMBULABUNT DUO PARITER, NISI CONVENERIT EIS. Versiculus hic, & proxime sequentes quatuor, implexum aliquid continent, quod evolvendum est. Demonstrandum hic suscipit Propheta, se nonnisi Deo afflante oracula hæc fudisse, quorum exitus brevi expectandus esset; atque ita rem conficit. Quemadmodum duo socii gradi simul, longum obeuntes iter, vix possunt, nisi una fuerit inter ipsos animi & consiliorum consensus, alioquin jurgabuntur invicem & sejungentur; ita, si forte Propheta aliquis loqui atque agere Dei nomine aggressus fuerit, quin ejus Spiritu affletur, ejusque manu ducatur, fiet brevi, ut fraude cognita, oraculorum ejus mendacium detegatur. Si ego igitur Vatem mendacem ago, brevi fiet, ut intelligatis. Mentem gestis verbisque meis advertite, experimini quam liberum mala habendi cupidine animum geram, exilium mortemque mihi minitamini: intelligetis facile, quis ego vir, & quo Spiritu afflatus sim. Animadvertere juvat, Amos, cum oracula in Regnum Israelis fundere cœpisset in Bethel, perduellionis & seditionis reum apud Jeroboamum II. Regem Israelis ab Amasia Sacerdote urbis illius delatum fuisse. Purgaturus sese calumniis hisce Propheta, congestis comparationibus demonstrat, impetum se Divini Spiritus urgentis ita sequi, ut liberum sibi non esset resistere; ac denique futurum, ut dictis suis fides ex eventu constet.

℣. 4. NUMQUID RUGIET LEO IN SALTU, NISI HABUERIT PRÆDAM? An ego objurgationibus hisce meis crimina hæc vestra insectarer, & clamarem in vos, nisi summam iniquitatum vestrarum mensuram attigissetis, & Dei furor flagellum in capita vestra jam excuteret? Ira, & ultio Domini nomine rugitus non semel designantur.

℣. 5.

(1) Hieron. Theod. Cyrill. Remig. Hug. Dionys. Lyr. Rib. (2) Act. XIV. 15. *Qui præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* (3) Exod. XIX. 6. Deut. VII. 6. XIV. Ezech. XX. 5. (4) Heb. XII. 6. *Quem enim diligit Dominus, corripit; castigat omnem filium quem recipit.*

℣. 5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? Reddi potest Hebræus (5): *Numquid cadet avis in laqueum, nisi in terra paratus sit?* Quæ ego vobis nuncio mala, super caput vestrum cadent, inscio Deo? Quis laqueos paret, ut nihil prædæ capiat? Vel, laqueis nequicquam capietur, nisi laquei ipsi parentur? Frustra ne Deus minatur, & quin prius minitetur, punit? Num temere loquitur Propheta? & cum Deus punit, nonne supplicio ipso Prophetæ missionem probat?

℣. 6. Si clanget tuba in Civitate, et populus non expavescet? Ad improvisum tubæ clangorem confusio statim omnia & sollicitudo tenet. Prophetam clamantem, minitantemque vos quietis auribus auditis, vel illum e medio subducitis. Num omnia vobis tunc salva esse arbitramini? Num ejus verba inania sunt terricula, vel tubæ otiose canentis strepitus?

Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit? Cum eorum, quæ prænuncio, eventum spectaveritis, tunc utique meo ore Deum loqui intelligetis. Nec ignorabitis, nihil fieri injussu Dei, ut bonorum malorumque omnium, quæ nobis accidunt, ipse sit author (6), bona largiens ut pater, malis juste puniens ut Judex. Igitur si capiti vestro incubuerint quæ prænuncio mala, illorum causam potissimam Deum esse, ne dubitetis. Est autem Propheta ceu tuba sonans, monensque quid immineat.

℣. 7. Non fecit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Si hæc ita se habent, ut nihil accidat, nisi Dei volentis jussu, immerito vos quidem Prophetas a loquendo deterrere conamini. Deus illis futura vestra infortunia aperiet, & ipsi vicissim vobis reserabunt, ac vos exitum vaticiniorum spectabitis. Propositum suum atque argumentum repetit, quod collegit ℣. 8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus loquutus est, quis non prophetabit?* Num in potestate mea est, ut imperterritus minas Dei, & rugitus leonis hujus audiam? Num non loqui possum, si afflans intus spiritus ad loquendum me compellat? Frustra minis & injuriis ad silentium me adigitis (7); neque enim Spiritui intus urgenti resistere valeo.

℣. 9. Auditum facite in ædibus Azoti; congregamini super montes Samariæ, et videte insanias, &c. Exprobrationes Prophetarum, meo nomine vos alloquentium, ægerrime fertis, at ego quæ præpostere & absurde a vobis geruntur, Philisthæis, & Ægyptiis, hostibus vestris infestissimis, palam exponam; in lucem solemque producam turpia illa & nefanda, quæ patratis. Solemne est Scripturæ, nequissima quæque ac turpissima flagitia nomine dementiæ, & insaniæ designare (8). Quæ autem insania major, quam Idola consecrare, & vitulos thure ac suffitu colere? Hebræus (9): *Promulgate super ædes Azothi ... & videte agitationes*, contritiones, injurias ab illis patratas, vel quas ipsi ferunt *in medio Samariæ*. Accipi hæc possunt sive de malis, quæ patiuntur, sive de tumultu palam ibi gliscente, de oppressionibus & injuriis, quibus alios angunt. Hunc sensum series orationis postulat. Gentes Philisthææ & Ægyptiæ animadvertite, utrum hæc Urbs illa sit, ubi pax, æquitas, rectusque ordo regnant? Septuaginta (10): *Annunciate regionibus in Assyriis .... congregamini super montes Samariæ, & videte mirabilia multa in medio ejus.*

℣. 11. Tribulabitur et circuietur terra; conculcabitur terra pedibus, ceu manipuli in area, & circuibitur; uti cum in agro triticum pedibus boum vel equorum excutitur. Plura horum juga, simul æqua fronte juncta, super manipulos circa arborem aliquam stratos prominentibus spicis, inducebantur. Equi vel boves circum arborem, motus hujus sui centrum ferebantur. Cum vero eorum, qui ab arbore vel centro erant remotiores, multo major esset labor, sollicite providebatur, ut labore levarentur, substitutis in eorum locum iis, qui propiores arbori circum ibant. Nec aliter hodie pariter excuti mos est triticum in pluribus ferventium Regionum locis; eumdemque morem hic ob oculos habet Propheta. Ubique semper comparationes suas e re agresti ducit: *De bobus narrat arator*. Reddi potest Hebræus (11): *Terra erit in tribulatione circum illam*. Ad literam: *Tribulatio*, vel hostis, *& circuitio ad terram*. Septuaginta (12): *Tyrus & quæ circa te terra est, deserta erit.*

℣. 12. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura ... sic eruentur filii Israel; si contigerit, ut quis evadat, perinde erit ac si pastor e faucibus leonis eruat duo crura, vel extremam auriculam ovis voratæ. Non omnes quidem Assyriorum manibus peribunt; sed rari illi, qui superenerunt, perinde erunt, atque ubi leo oviculam e grege rapuerit. Clamans pastor, & raptorem insectatus, id forte obtinebit, ut leo fugiat, & ex ore labi sinat duo crura, vel extremum aliquod capitis prædæ suæ; sed nunquam sibi polliceri poterit pastor futurum, ut integram ex ore voracis belluæ recuperet.

Qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato, qui Samariæ vivunt, in lecto Damasci, suavibus somnis indulgentes, quos conciliat spes diuturnæ pacis, quam spondebant tum Syria & Damascus, urbs illis tunc subdita seu fœderata, tum tranquillitas Regni sui, cujus res tunc, si unquam antea, florebant. Cubant in lecto suo, & in lecto Damasci, fruentes præsenti Regni sui felicitate sub Regno Jeroboami *II.* nihilque molestiæ sibi e Regno Syriæ timentes. Quis tunc credidisset futurum, ut Deus in illos armaret hostem e regionibus trans Euphratem sitis, ac venturos ex Assyria Reges, ut Syros & Israelitas in Mediam transferret? Sunt (13) qui reddant Hebræum (14) *Qui habitant in Samaria in angulo lecti, & in latere strati*. Sed nullis argumentis evincitur, vocem *Demeschek*, vel *Dameschek* usurpatam fuisse pro lecto vel strato; semper enim pro Damasco posita est. Ex Historia autem discimus, Jeroboamum II. Damascum Syriamque subjecisse (15), regnumque felicissimum & diuturnum habuisse. Septuaginta (16): *Sic avellentur filii Israel, qui habitant in Samaria, contra Tribus eorum, & in Damasco. Sacerdotes* [℣. 13.] *audite, & contestamini domum Jacob.*

℣. 14. Visitabo et super altaria Bethel. Impleta hæc sunt statim post obitum Jeroboami. Assyriæ Regem in ditionem suam Manhaemus accivit, ut regium Israelis diadema, a se usurpatum, illius viribus firmaret (17). Quin & ad Phul Regem Assyriæ aureum vitulum missum ab illo fuisse, ut suppetias statim ferret, Osee Propheta affirmare videtur (18): Constat utique, aureos vitulos ejectos, & Babylonem a Salmanasaro

(5) התפל צפור על פח הארץ ומוקש אין לה (6) Isai. XLV. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* (7) Sup. II. 12. *Prophetis mandabitis, dicentes; Ne prophetetis.* Et VII. 12. 13. (8) Vide nos in Osee IX. 10. (9) השמיעו על הרמנות באשדוד ... האספו על הרי שמרון וראו מהומות רבות בתוכה (10) Ἀπαγγείλατε χώραις ἐν Ἀσσυρίοις .... συνάχθητε ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας, καὶ ἴδετε θαυμαστὰ πολλὰ ἐν μέσῳ αὐτῆς. (11) צר וסביב הארץ (12) Τύρος κυκλόθεν ἡ γῆ σου ἐρημωθήσεται. (13) Jun. Tremel. Pisc. Tarnov. Glass. (14) בפאת מטה ובדמשק ערש (15) 4. Reg. XIV. 25. 28. (16) Οὕτως ἐκσπασθήσονται υἱοὶ Ἰσραὴλ, οἱ κατοικοῦντες ἐν Σαμαρείᾳ κατέναντι φυλῆς, καὶ ἐν Δαμασκῷ. Ἱερεῖς, [13.] Ἀκούσατε. Scripserant fortasse *ares*, quæ vox in Hebræo est; idque non intelligentes librarii, posuere ἱερεῖς. Vide S. Hieronymum. (17) 4. Reg. XV. 19. (18) Osee X. 5. 6.

faro post captam Samariam translatos fuisse (19). Josias vero Rex Juda, aliquandiu post reliqua fana, & Altaria Numinum evertit, polluitque omnia ea loca, quæ Israelitæ consecraverant, ac denique in ipsis aris ossa Sacerdotum Baalis aureorumque vitulorum cremavit (20).

Amputabuntur cornua Altaris. Cornua sunt hæc facile ærea, e quatuor angulis Altarium Numinibus consecratorum surgentia. Evelli hæc jussit Salmanasar, nuda tantummodo Altarium strue relicta, quæ deinde Altaria dejecta & amota a Josia fuisse, mox animadvertimus.

℣. 15. Percutiam domum hyemalem cum domo æstiva. De æstivis, ac hyemalibus ædibus disseruimus in Dissertatione de ædibus veterum Hebræorum, ad Numeros. Olim Veteres, teste Varrone lib. 1. de Re Rust. *Laborabant, ut spectarent sua æstiva triclinaria ad frigus orientis; hyberna, ad solem occidentem.* Monet Palladius lib. 1. tit. 12. æstiva habitacula ita parati, ut ad septemtrionem; hyberna vero ad meridiem; ac denique verna & autumnalia ad orientem vergant. Accuratior Columella lib. 1. c. 6. jubet, hyberna cubicula ad orientem hybernum, cœnacula ad occidentem æquinoctialem; cubicula autem æstiva ad meridiem æquinoctialem, cœnacula ad occidentem hybernum verti. Quo exemplo discimus, quousque luxum & magnificentiam Veteres provexerint, quidque ea in re quæsierint. Reges Persidis hyemem agebant Babylone, æstatem Ecbatanis, ver Susis (21). Septuaginta reddunt (22): *Percutiam domum cum pinnis, vel cum alis, & domum æstivam.* Censet S. Hieronymus, pinnas hasce, vel *alas* in usum coercendi frigoris valuisse. Malim ego potius designari domos instructas tubis e superiori domorum tecto prominentibus, ac varie hiantibus ad aerem excipiendum, cujusmodi plures sunt in Perside (23); vel tubos illos in figuram campanæ ad septemtrionem patentes, quibus lux in interiora triclinia demittitur, quales adhuc in usu Ægyptiis sunt (24).

Peribunt domus eburneæ. Domum habebat Achab Samariæ eburneam appellatam (25), quod facile ebore plurimo ornaretur. Eodem pariter nomine *domus eburneæ* (26) censebantur arcæ quædam ex ebore, ad vestes pretiosas & monilia recondenda. Solium ingens, & magnificum Salomon sibi ex ebore paravit. 3. Reg. x. 18.

(19) Idem viii. 5. 6. (20) 4. Reg. xxiii. 15. 16. & seq. (21) Vide Xenophont. Cyropæd. lib. 8. & de expedit. Cyri Jun. lib. 3. Plutarch. de exitio; Ælian. lib. 3. de animal. c. 13. Athenæ. lib. 12. (22) Οἶκον τὸν πτερωτὸν. בית החרף (23) Chardin, Voyage de Perse t. 3. p. 70. & 139. (24) Prosper. Alpin. de Medic. Ægypt. lib. 1. c. 6. (25) 3. Reg. xxii. 39. (26) Psal. xliv. 29.

CAPUT IV.

Vaccæ Samariæ, quæ dicunt dominis suis: Afferte & bibemus. In Regnum Israelis minæ. Flagella, quibus Dominus illum puniit, sed frustra. Minæ iterum, & ad resipiscendum exhortatio.

℣. 1. Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ ca-
lumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis ve-
stris: Afferte, & bibemus. 2. Juravit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies
venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventi-
bus. 3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon,
dicit Dominus. 4. Venite ad Bethel, & impie agite: ad Galgalam, & multiplicate
prævaricationem; & afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.
5. Et sacrificate de fermentato laudem: & vocate voluntarias oblationes, & annun-
tiate: sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus. 6. Unde & ego dedi vo-
bis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus
locis vestris, & non estis reversi ad me, dicit Dominus. 7. Ego quoque prohibui
a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem: & plui super
unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars una compluta est, &
pars, super quam non plui, aruit. 8. Et venerunt duæ, & tres civitates ad unam
civitatem, ut biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me, dicit Do-
minus. 9. Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum ve-
strorum, & vinearum vestrarum: oliveta vestra, & ficeta vestra comedit eruca: &
non redistis ad me, dicit Dominus. 10. Misi in vos mortem in via Ægypti, per-
cussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum: & ascen-
dere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me,
dicit Dominus. 11. Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam, & Gomorrham,
& facti estis quasi torris raptus ab incendio: & non redistis ad me, dicit Dominus.
12. Quapropter hæc faciam tibi, Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præpara-
re in occursum Dei tui Israel. 13. Quia ecce formans montes, & creans ventum,
& annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super
excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.

℣. 1.

℣. 1. AUDITE VERBUM HOC, VACCÆ PINGUES. Post castigatum acerrimis objurgationibus nimium luxum domorum, quas viri principes ac locupletes Samariæ sibi parabant, reprehendit hic mollitiem, aviditatem, luxum, vim matronarum ejusdem Urbis, quæ virorum voluntates pro arbitrio torquentes, potentia virorum abutebantur in oppressionem pauperum, & ut sibi omnia poscerent quæcumque mala voluntas cupiebat. *Afferte, & bibemus*; ut olim Jezabel, quæ Achabo scelerum & crudelitatum suarum ministro utebatur (1). Alii (2) dicta hæc explicant de Optimatibus Regni Israelitici, qui multiplici extorsione in urbe sæviebant, & ut cupiditati suæ satisfacerent, impetrabant a Principe authoritatem, qua ejus nomine malum promoverent. *Dicebant Domina sua: Afferte & bibemus*. Non semel Scriptura divites, voluptarios homines, & adversus legitimam authoritatem perduelles designat nomine vaccarum seu vitularum pinguium, ac lascivientium (3).

Hebræus (4): *Auditæ vaccæ Basan*. Regio Basan trans Jordanem tantæ erat ubertatis, ut abiret in proverbium. Symmachus (5): *Audite, Vaccæ bene nutritæ*. Ex Itinerariis discimus, alicubi per Orientem, & præsertim in Ægypto, mulieres pinguedine corporis delectari; quam & sedulis artibus & industria exquisita fovent & augent.

℣. 2. JURAVIT DOMINUS IN SANCTO SUO. Hebr. (6): *Per sanctum suum*, vel *per sanctitatem suam*, per seipsum, suo, Sanctuarii sui nomine. Accommodat se Deus hominum imbecillitati, cum fidem suam jurejurando obligare se profitetur. Verbum enim illius falli nequit, & necessarium est; cui nihil addi potest certitudinis, quemadmodum nec veritati unquam adversari potest. Alioquin Dei verbum esse cessaret, sibique ipsum repugnaret. Sed imbecillitas vel nequitia hominis indiget, ut Deus interdum jurato loquatur, sive ut incredulitatem nostram vincat, sive ut fidem nutantem regat, vel denique ut pervicaciam nostram frangat, quæ solis minis vinci non potest. Cum jurat, semper per nomen suum jurat, cum neminem habeat majorem, quem sive testem, sive assertorem fidei suæ adhibeat: *Quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum*. Hebr. vi. 16.

LEVABUNT VOS IN CONTIS, ET RELIQUIAS VESTRAS IN OLLIS FERVENTIBUS. Pergit in allegoria de Vaccis pinguibus. Perinde estis ac victimæ ad sacrificium saginatæ: mactabimini, & in frusta concidemini, Deinde vos super scuta tollent, & in lebetes conjicient. Sermo est hic de amplissimis illis scutis, quibus totus homo imponebatur. Virgilius Æneid. x.

. . . . *At socii gemitu lacrymisque*
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Hujus generis scutum filio suo præbens mulier illa Spartana dixit (7): *Aut cum hoc, aut in hoc*. Hebiæus (8): *Tollent vos in scutis* (9), *vel cum hastis, & reliquias vestras in ollis piscium*, vel piscatorum (10). Quidquid transferri non poterit vel clypeis impositum, vel super hastas militum, in ollas mittetur. Hujus victimæ supererit nihil; ne minima quidem pars ab hoste relinquetur. Aliter: Perinde vobiscum agetur atque cum victimis immolatis: seu verubus infixi assabimini, seu in ollis excoquemini. Reddi etiam potest Hebræus: *Adducemini* in captivitatem *cum uncis* facile e nare suspensis, ut olim servatum fuisse scimus (11), *& parvuli & vestri cum hamis piscatorum*, cum minoribus uncis. Huic explicationi versiculus qui statim sequitur, favere videtur.

℣. 3. PER APERTURAS EXIBITIS ALTERA CONTRA ALTERAM. Aperta undique Urbe, mœnibus hinc inde suffossis, ex hiatu murorum potius quam e portis exire compellemini. Hebræus (12): *Et sejunctæ exibitis singulæ post singulas*. Septuaginta (13): *Et projiciemini nudæ, altera e regione alterius*. Vel denique: Exibitis e suffossis mœnibus, nec id solatii capietis, ut simul educamini; nam aliæ ab aliis separatæ, seorsum singulæ trademini velut in partem prædæ victoribus.

PROJICIEMINI IN ARMON. Hebræa vox (14) designare potest *palatium*: sed quid est projici in palatium? Malum ne est victis sedem in palatio habere? Vertunt alii: *Projiciemini in excelsa*. Septuaginta (15): *In montem Remmam*. Theodotion: *In montem Mona*. Chaldæus, Syrus, S. Hieronymus in Com. in hunc locum, Symmachus, Grotius, Bochartus censent, a Propheta Armeniam hic significari: revera autem Israelitæ decem Tribuum in Provincias Mediæ & Armeniæ captivi abducti sunt; Chabor enim, Hala, Gozan, vel Armeniæ vicinæ sunt Regiones, vel illius portio (16). Nomen Armeniæ derivatur ex Hebræo *Har* mons, & *Minni* vel *Menni* populus, seu Provincia Armeniæ, cujus meminit Jeremias (17).

℣. 4. VENITE AD BETHEL ET . . . AD GALGALAM. Ambo hæc loca celebrabantur ex Templis, quæ Israelitæ decem Tribuum erexerant. Ex aureis vitulis alterum Jeroboamus constituerat in Bethel, & populus sponte Galgalam frequentabat (18), ceu locum olim consecratum præsentia Arcæ, & monumento duodecim lapidum a Josue ibidem erecto. Propheta hic ironica quadam indulgentia, Ite, ait, pergite ut cœpistis in Bethel, & in Galgala adorare; & cum redire ad Dominum detrectatis, summam iniquitatum vestrarum mensuram explete. Dei quoque vices redibunt, totumque ultionis ejus pondus capiti vestro incumbet. In hanc sententiam ajebat Christus ad Judæos, Matt. 23. 32. *Implete mensuram patrum vestrorum*.

AFFERTE MANE VICTIMAS. Ad sacra vestra offerenda properate; religionem & diligentiam vestram in rebus, a quibus Dominus abhorret, commendate. Mane hic perinde valet ac prompta sollicitudo, diligentia solers in re aliqua agenda (19).

TRIBUS DIEBUS DECIMAS VESTRAS. Phrasis hæc designare etiam potest inanem solertiam Israelitarum in præstandis rebus, quas Deus minime imperabat, imo penitus spernebat, cum debita officia sua negligerent; perinde ac Pharisæi, quorum summa erat religio in rebus, quæ humanæ erant institutionis, vel saltem consilii; summa vero quæque Legis præcepta spernebant. Tres isti dies accipi possunt de tribus solemnibus per annum Festis, in quibus sistere sese Deo Israelitæ omnes jubebantur (20). Decimæ hic forte usurpan-

[1] Ita Theodoret. Hebr. Grot. Vide Mercer. [2] Ita Hieron. & alii frequentes. [3] Isai. xv. 5. & Jerem. xlviii. 20. & xlviii. 34. Osee iv. 16. x. 11. [4] שמעו פרות הבשן Septuag. Δαμάλεις τῆς Βασάν. [5] Αἱ εὔτροφοι. [6] נשבע אדני בקדשו [7] Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. [8] נשא אתכם בצנות ואחריתכן בסירות דוגה [9] Aqu. In clypeis. Theodot. Δόρατα. Sym. & Septuag. Ἐν ὅπλοις. [10] Hebr. & Aquila: *In lebetibus piscicalorum*. Vide Hieronym. Intelligi etiam potest de vase aliquo in cymbæ formam, de lance, seu de quodam scutellæ genere, quod *scapha* appellatur ex forma. [11] Isai. xxxvii. 29. *Ponam circulum in naribus tuis*. [12] ופרצים תצאנה אשה נגדה [13] Καὶ ἐξενεχθήσεσθε γυμναὶ ἀπέναντι ἀλλήλων. [14] והשלכתנה ההרמונה [15] Εἰς τὸ ὄρος τὸ Ῥεμμάν. *In excelsum montem*, Ita & Theodot. apud Theodoret. Sym. Εἰς Ἀρμενίαν. [16] Vide 4. Reg. xvii. 6. [17] Jerem. li. 27. *Regibus Ararat, Menni, & Ascenez*. [18] Vide supra Osee iv. 15. ix. 15. & xii. 11. [19] Psalm. v. 5. xlv. 6. cxlii. Prov. vii. 17. Eccle. xi, 6. Isai. v. 11. & passim. [20] Exod. xxiii. 14. Deut. xvi. 16. Ita Lyr. Rupert. Munster.

pangerent pro decimis, aliisque Sacerdotum Levitarumque proventibus a Lege destinatis. Aliter: Afferte singulis trienniis decimas, ex Legis præscripto (21); vel prævertite tempus hoc a Lege definitum, ut pro singulis trienniis, singulis triduis illas pendatis. *Dies* sæpe pro anno pronunciatur. Discimus hinc, Israelitas decem Tribuum vel ipso in schismata & impii cultus superstitione aliquos legis ritus ipsa in urbe Bethel retinuisse; nec defuisse inter illos, qui pietati pro suo more studerent, ac religioso studio & diligentia Legi parerent in iis, quæ sibi præstanda viderentur pro arbitrio & voluntatis electione: *Sic enim voluistis, filii Israel.*

℣. 5. Sacrificate de fermentato laudem; idest, ex fermentato sacra eucharistica conficite, Lege apertissime repugnante (22): *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet; nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Hebræus (23) in oppositam plane significationem reddi potest: *Offerte thus laudum;* vel *immolate victimam laudum*, gratiarum actionis, sed *absque fermento* (24). Sedulo cavete, ne sacra pacifica cum fermento offeratis. Vel ex aliis: *Offerte fermentatum cum thure.* Solemne quidem erat, fermentum a sacris pacificis removere; sed in aliis rebus fas erat dare fermentatum, ut in primitiis. Vide Commentarium ad Leviticum (25).

Vocate voluntarias oblationes. Palam in Templo clangente tuba imperabantur sacrificia, quæ quis religione spontanea offerebat. Erat autem id veluti invocatio Numinis religiosa, ut famulorum suorum recordaretur, gratamque illorum oblationem haberet. In hanc sententiam loquitur Moyses (26); atque morem hunc retinentes Pharisæi, clangente buccina largitiones suas distribuebant, quo nomine illos arguit Jesus Christus Matt. 6. 2. iis verbis: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.*

Septuaginta (27): *Legerunt foris legem, & invocaverunt laudem;* quæ verba Author Constitutionum Apostolicarum lib. 6. cap. 24. & S. Chrysostomus Orat. 3. contra Judæos ita explicant, ac si interdictum esset Judæis, ne sacra Volumina extra Terram Sanctam legerent. Theodoretus hic censet, hic non de Lege Domini sermonem esse, sed de aliis legibus illis impositis ab iis, qui miseros in cultum Idolorum pertraxerant detinebantque. Sed vix aliquid momenti constituendum est in versione Septuaginta hujus loci, cum ex prava lectione Hebræi orta sit (28).

℣. 6. Dedi vobis stuporem dentium; uti obstupescunt iis, qui acidum aliquid vel acerbum gustavere. Ita & apud Ezechielem 18. 2. ac Jeremiam 31. 29. queruntur Judæi, patres suos uvam acerbam degustasse, dentesque filiorum obstupuisse. Septuaginta (29): *Mittam ad illos stridorem dentium.* Ad eum desperationis furorisque statum illos deducam, ut dentibus stridere cogantur. Interpretum plerique (30): *Dabo illis munditiem dentium*, dentes mundos; quæ formula est loquendi ironica & mordax, designans, tanta corripiendos esse fame, ut curanda illis sint omnia præter quam ut dentes purgent (31). Catullus vivis coloribus pingens Furii cujusdam famem, ait (32):

Hanc ad munditiam adde mundiorem.
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, & mala pituita nasi.

Nihil certi definiri potest de tempore, quo fames illa accidit, cum non unius in Judæa famis memoriam ad posteros historia transmiserit. Suspicantur quidam, unam esse eamdemque, ac famem a Joele c. 1. & 2. descriptam. Miscent alii cum fame ab Elisæo nunciata, quæ sub Achabo sæviit (33). Nobis vero persuasum est, famem, de qua Joel, posteriorem esse altera Amos.

Prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem. Docet S. Hieronymus (34), ab exeunte mense Aprili dum cadit pluvia, quæ *serotina* & autumnalis appellatur, usque ad messem frumenti menses intercedere tres, Majum, Junium, & Julium; adeo ut mens Prophetæ in hanc fere sententiam explicanda sit: Prohibui imbrem eo potissimum tempore, quo cadit frequentior, & maxime necessaria regioni; æstas enim in Judæa sine pluvia transigitur: *Nunquam enim in fine mensis Junii, sive in mense Julio in his Provinciis, maxime quæ in Judæa, pluvias vidimus.* Hinc Samuel prodigium aliquod populo exhibiturus, spopondit 1. Reg. 12. 17. *Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces* (tonitrua) *& pluvias, & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis, petentes super vos Regem.* Cæterum tres illi menses, quos inter messem hordei & alteram frumenti intercedere asserit S. Hieronymus, menses sunt quidem tres, sed non integri; in festo enim Paschatis, incidente in diem quartamdecimam Lunæ Martii, offerebantur primitiæ messis hordei (35), quæ exeunte Festo statim incipiebatur; & in Pentecoste, post quinquaginta dies, sistebantur Templo primitiæ frumenti, quod statim deinde colligebatur. Vide quæ Deuter. xi. 14. disseruimus de imbribus, in Judæa vere & autumno manantibus, Septuaginta legunt (36). *Ego repressi pluviam ante tres menses vindemiæ;* quod defendi non potest, ex S. Hieronymo, cum æstivis mensibus, vindemiam præcedentibus, prorsus imbribus regio careat. Solemne est illis reddere *vindemiam* Hebræum *Kazir*, quod alii messem vertunt.

℣. 9. Percussi vos in vento urente et in aurugine. Hebræa vox (37) designat proprie gemina frumenti vitia, quorum alterum inducit ventus urens, vel aer corruptus; alterum vero exhibetur pallore quodam insueto, quo inficitur triticum ex vitiata radice, seu nimio humore prohibitum ne maturescat. Primam vocem reddunt hic Septuaginta (38) *ardorem*, vel ariditatem; alibi vero usurpant pro corruptione quadam, vento vel aere inducta; quod & hic pariter servant Aquila, Symmachus, & Theodotion. Vox altera redditur ab illis interdum *Icteron*, quod est *aurugo*, alibi vero pallor.

℣. 10. Misi in vos mortem in via Ægypti; in deserto, postquam ab Ægypto migrastis. Seditionis reos non uno mortis genere confeci, ferro, igne, morbo. Nec tamen ista animorum vestrorum contumaciam fregere, ut dicto obsequentiores efficeremini (39). Aliter: Ego vos morte affeci, dum malis pressi, Ægypti opem quærere voluistis (40); vestram hanc solertiam ego inanem reddidi. Denique: Ego vos morte affeci *pro more Ægyptiorum*: ut olim perdidi Ægyptios Angeli

(21) Deut. xiv. 28. Tob. 1. 7. (22) Levit. ii. 11. vii. 12. (23) קטר מחמץ תודה
(24) מחמץ usurpari potest pro *absque fermento*. Vide Genes. xxvii. 39. Psal. cxxxi. 24. & nos in eum locum.
(25) Vide Levit. xxiii. 17. & vii. 13. & Comment. in Levit. ii. 11. (26) Num. x. 10. *Canetis tuba super holocaustis, & pacificis victimis*, &c. (27) Καὶ ἀνέγνωσαν ἔξω νόμον, καὶ ἐπεκαλέσαντο ὁμολογίας.
(28) Legunt קראו מחוץ תודה (29) Δώσω ὑμῖν γομφιασμὸν ὀδόντων. (30) וגם אני נתתי לכם נקיון שנים
(31) Aquil. & Symmach. *Munditiam dentium*. Ut per mundos dentes famis magnitudinem demonstrent. Ita Pagn. Mont. Grot. Jun. Tremel. alii passim. (32) Catull. Epigr. 20. Lival. hic. (33) 4. Reg. viii. 1. & seq. (34) Hieron. hic. Vide & Theodoret. (35) Levit. xxiii. 10. 11. (36) Ἀνέσχον ἐξ ὑμῶν τὸν ὑετὸν πρὸ τριῶν μηνῶν τοῦ τρυγητοῦ. Heb. בעוד שלשה חדשים לקציר (37) הכיתי אתכם בשדפון ובירקון
(38) Ἐπάταξα ὑμᾶς ἐν πυρώσει καὶ ἐν ἰκτέρῳ. Aqu. Sym. Th. Ἀνεμοφθορίᾳ καὶ ἰκτέρῳ. Theodot. Ὠχρίασει. Ita & Deut. xxviii. 22. (39) Chald. Rab. Sal. Castr. (40) Vat. Mercer. Drus. Ita Theodor. Cyrill. Rup.

geli interfectoris gladio; vel, ego vobis lethalia vulnera inflixi, ut olim Ægyptiis per Moysem. Reddi potest Hebræus (41): *Misi in vos pestilentiam pro more Ægypti*; sicut olim in Ægyptum. Porro lues appendix esse solet plagæ locustarum & muscarum, de quibus proxime supra egit. Insectorum illorum cadavera aerem inficiunt; & pestem pariunt, quemadmodum in Joëlem II. 20. animadvertimus.

PERCUSSI IN GLADIO JUVENES VESTROS USQUE AD CAPTIVITATEM EQUORUM VESTRORUM; id est, equos vestros hostibus in prædam concessi. Pertinent hæc facile ad mala illa, quæ totum late Regnum Samariæ inundavere, cum Syrorum arma in Israele sævirent, præsertim sub Achabo (42) & Joachazo (43). Rerum potiente Achabo, legimus armis Syrorum ita pressam fuisse Samariam, ut caput asini octoginta argenti siclis veniret, & stercoris columbarum quarta pars cabi siclis quinque emeretur; matrem vero quamdam filium suum vorasse. Denique consumptis animalibus omnibus, usui minus necessariis, manus injectæ sunt equis, e quibus quinque tantummodo reliqui superfuerant in urbe, cum Deus virium suarum miraculo obsidentes abegit. Plura adhuc mala miserum illud Regnum sub Joachazo expertum fuit, cum Deo tradente incidisset in manus Hazaelis Syrorum Regis, quo tempore uni ex omnibus mansere Joachazo equites quinquaginta, currus decem, peditum dena millia.

ASCENDERE FECI PUTREDINEM CASTRORUM IN NARES VESTRAS. Copiæ militum vestrorum cædentur in ipsa regione vestra, & prope adeo mœnia Urbis vestræ, ut cadaverum fœtor ad vos usque perveniat. Scriptura narrante 4. Reg. 10. 32. scimus, rerum potiente Jehu, pertæsum Dominum scelerum Israelis, permisisse illum manibus Hazaelis Syriæ Regis, qui in omnibus ditionis illius finibus Israelitas male affecit, ut res illorum perinde attererentur, uti pulvis areæ, ubi triticum excussum fuit: *In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel, percussitque eos Hazael in universis finibus Israel*. Hæc tamen omnia revocandis ad officium Israelitis non valuerunt.

ỷ. 11. FACTI ESTIS UT TORRIS RAPTUS AB INCENDIO, ustulatus & pene consumptus. Comparatio hæc ad vivum exprimit statum, quo Syrorum armis redacti fuerunt Israelitæ in præliis, de quibus modo. Regni sui partem a Syris raptam, captas Urbes, vastatos agros, cæsasque copias doluerunt. Si quis superfuit, ægre & semiustus evasit. *Ut torris raptus ab incendio*. Vide similem locutionem in Zacharia III. 2. Isaia VII. 4. Vide etiam *Cor*. III. Ignis bellum ærumnasque significat.

ỷ. 12. HÆC FACIAM TIBI ISRAEL; ET POSTQUAM HÆC FECERO TIBI, &c. Qua plaga a Deo afficiendus esset populus, silet quidem Scriptura; sed istud ipsum silentium terribilium minarum furorisque argumentum est. *Quid facturus sit, tacet*, ait S. Hieronymus, *ut dum ad singula pœnarum genera Israel pendet incertus (quæ ideo terribiliora sunt, quia omnia suspicatur) agat pœnitentiam, &c.* Malunt alii (44), respici hic a Propheta, id quod ab exordio Capitis IV. 2. 3. dicere cœperat, sed deinde intermiserat, ut crimina Israëlitarum recenseret. Fiet denique, ut ego minas exequar, quas in te pronunciavi; tunc autem paratus esto, ut ad me regrediaris: *Præparare in occursum Dei tui*.

POSTQUAM AUTEM HÆC FECERO TIBI, PRÆPARARE IN OCCURSUM DEI TUI. Hebræus (45): *Quoniam sic tibi facturus sum, præpara te ipsum in occursum Dei tui*. Quandoquidem consilium meum non ignoras, minitantem me audisti, mala hæc præverte pœnitudine, festina in occursum Dei tui. Septuaginta (46): *Verumtamen quia sic faciam tibi, præparare, ut invoces Deum tuum*. Symmachus, & quinta Editio: *Præparare ut adverseris Deo tuo*. Si tam protervus es, ut minas meas spernas, aut viribus meis resistas, eja resiste, ac interim parare, ut mihi occurras (47). Alii (48): Præparare ut venias in occursum Messiæ: veniet ille, postquam ego ultionem in te meam ac minas explevero: *Præparare in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias*, ait S. Hieronymus.

ỷ. 13. ECCE FORMANS MONTES, ET CREANS VENTUM, ET ANNUNTIANS HOMINI ELOQUIUM SUUM. Præsto enim est Dominus, ut in furore suo te cædat; viæ se jam dedit Creator montium & ventorum, idem qui & afflat Prophetas, & arcana illis sua pandit. Septuaginta (49): *Quia in es Dominus firmans tonitru, creans spiritum, & annuntians hominibus Christum suum*. Veteres quidam Hæretici, quorum meminerunt Patres (50), ex hac sententia prave usurpata, & juxta versionem Septuaginta exposita, Spiritum Sanctum unam aliquam e creaturis esse collegerunt: *Creans spiritum*. Sed ne quid erroris mentibus nunc irrepat, fecit S. Hieronymus, qui pro *spiritu* in Vulgata *ventum* substituit.

Quod addunt Septuaginta: *Annuncians in homines Christum suum*, & retinent e Veteribus (51) quicumque sive fidem Septuaginta, sive Latinam aliquam Versionem ex illis expressam sequuntur, illud, inquam, nonnisi ex prava Hebraicorum Codicum lectione, ferente *Messiach* pro *Ma Secho*, derivatur. Vulgatæ favent Aquila, Symmachus, Theodotion & quinta Editio (52). *Christi* nomen accipit Theodoretus de Cyro, quem Deus ad liberandum captivitate populum miserat.

FACIENS MATUTINAM NEBULAM; cogens nubes matutinas; densiores nempe vapores illos, quos aurora extollit, & sol exoriens dissipat. Hebræus (53): *Faciens auroram caliginosam*; qui pro imperio tenebris lætam auroræ faciem obscurat. Septuaginta (54): *Faciens mane* (vel auroram) *& nebulam*. Qui homines luce matutina illustras, & vicissim tenebris pro arbitrio obumbras; qui bonorum idem & malorum authores; pœna præmiove afficis.

ASCENDENS SUPER EXCELSA TERRÆ; qui super celsissima quæque terræ culmina graditur. Seu potius: Qui super terram extollitur, qui ventorum alis fertur (55): *Qui ambulas super pennas ventorum*. His sæpe phrasibus summa Dei potestas in Scriptura exprimitur (56).

---

(41) בדרך מצרים *Juxta modum Ægypti*. Ita Gent. Jun. Pisc. Livell. alii. (42) 4. Reg. VI. 25. VII. 13. (43) 4. Reg. XIII. 3. 7. (44) Sanct. Grot. Hugo, Vat. Mercer. (45) עקב כי זאת אעשה לך הכון לקראת אלהיך (46) Πλὴν ὅτι οὕτως ποιήσω σοι, ἑτοιμάζου τοῦ ἐπικαλεῖσθαι τὸν Θεόν σου. Aqu. Τ'εσμα ἐπ., &c. Sym. *Novissime . . . præparare ut adverseris Deo tuo*. (47) Albert. Mont. Abenezra. (48) Hieronym. Remig. Hugo, Dionys. Ribera. (49) Διότι Κύριος στερεῶν βροντὴν, καὶ κτίζων πνεῦμα, καὶ ἀπαγγέλλων εἰς ἀνθρώπους τὸν Χριστὸν αὐτοῦ. יוצר הרים ובורא רוח מגיד לאדם מה שחו Legunt משיחו (50) Vide Hieronym. hic; Didym. lib. 1. de Spir. S. Ambros. lib. 2. de Spir. Sancto. (51) Tertull. lib. contra Hermog. cap. 32. & lib. contra Marcion. lib. 6. Euseb. Demonstr. lib. 4. cap. 22. Athanas. Basil. August. alii. (52) Τὴν ὁμιλίαν αὐτοῦ. Symmach. Τὸ φώνημα αὐτοῦ. Theodot. Τὸν λόγον αὐτοῦ. Quinta Edit. Τὴν ἀδολεσχίαν αὐτοῦ. (53) עשה שחר עיפה (54) Ποιῶν ὄρθρον καὶ ὁμίχλην. (55) Psal. XVII. 11. CIII. 3. (56) Deuter. XXXIII. 26. 27. Mich. 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ*.

CAPUT V.

Futura populi sui mala luget Propheta; hortaturque miseros, ut pœnitudine, ac justitiæ exercitatione ad Dominum regrediantur. Non enim Dominus sacrificia hymnosve, sed vitam in justitia & pœnitudine exactam quærit.

℣. 1. AUdite verbum istud, quod ego levo super vos planctum. Domus Israel ce-
cidir, & non adjiciet, ut resurgat. 2. Virgo Israel projecta est in terram
suam, non est, qui suscitet eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs, de qua
egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum,
relinquentur in ea decem in domo Israel. 4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel:
Quærite me, & vivetis. 5. Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intra-
re, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiva ducetur: & Bethel erit inu-
tilis. 6. Quærite Dominum, & vivite: ne forte comburatur ut ignis domus Joseph,
& devorabit, & non erit, qui extinguat Bethel. 7. Qui convertitis in absinthium
judicium, & justitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum, & Orionem, &
convertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas ma-
ris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est ejus. 9. Qui subridet
vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert. 10. Odio ha-
buerunt corripientem in porta: & loquentem perfecte abominati sunt. 11. Idcirco,
pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos qua-
dro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, &
non bibetis vinum earum. 12. Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata
vestra: hostes justi accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta. 13. Ideo
prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. 14. Quærite bonum, &
non malum, ut vivatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.
15. Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium: si forte mi-
sereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph. 16. Propterea hoc dicit Domi-
nus Deus exercituum dominator: in omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ
foris sunt, dicetur væ, væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos,
qui sciunt plangere. 17. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertransibo in
medio tui, dicit Dominus. 18. Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vo-
bis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux. 19. Quomodo si fugiat vir a facie
leonis, & occurrat ei ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super pa-
rietem, & mordeat eum coluber. 20. Numquid non tenebræ dies Domini, & non
lux: & caligo, & non splendor in ea? 21. Odi, & projeci festivitates vestras: &
non capiam odorem cœtuum vestrorum. 22. Quod si obtuleritis mihi holocautoma-
ta, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.
23. Aufer a me tumultum carminum tuorum; & cantica lyræ tuæ non audiam. 24.
Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis. 25. Numquid
hostias, & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?
26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus
dei vestri, quæ fecistis vobis. 27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit
Dominus, Deus exercituum nomen ejus.

℣. 1. EGO LEVO SUPER VOS PLANCTUM; Carmen lugubre, quod super vos eloquor, audite. Hoc & sequenti Capite continetur lugubris carminis genus de Israelis ærumnis. Similia huic carmina non semel leguntur (1), a Prophetis scripta & recitata, diu antea quam mala his nunciata contingerent.

CECIDIT, ET NON ADJICIET UT RESURGAT. Certa adeo est illius ruina, ut veluti jam lapsam habeam: non surget: Israelis & decem Tribuum Regnum nunquam restituetur: alius a Juda populus non erit Israel. Decem Tribuum homines, qui e captivitate redierunt, sub uno Israelis nomine deinceps nori fuere; paruerunt Judæ, unamque cum illo gentem, & rebus & Religione conjuncti, effecerunt.

℣. 3. URBS DE QUA EGREDIEBANTUR MILLE, RELINQUENTUR IN EA CENTUM. Ante postremam sub Salmanasaro Assyriorum Rege captivitatem, hic plane fuit decem Tribuum status. Civilia bella, quæ sub Zacharia, Manahemo, Phaceia, Phacee, Osee sævierant, Rempublicam penitus exhauserunt. His malis additus est Phul Assyriorum Rex, qui regnante Manahemo venit. Teglathphalassar, Phacee Romeliæ filio rerum potiente, tres vel quatuor Tribus abstulit; urbes-

[1] Vide Isai. xiv. & Ezech. xxvii. 2. & xxviii. 11. 12.

que plurimas diruit. Ea erat Samaritici Regni facies, quo tempore Salmanasar Samariam aggressus, expugnavit, & gentis reliquias abduxit (2). Sunt qui hoc intelligant de tempore, quod captivitatem consequutum est. Tunc nimirum Israelis urbes, quæ olim opibus civibusque floruerant, rarissimo habitatore desertæ jacuerunt. Prior tamen interpretatio multo probabilior videtur.

℣. 5. Bethel et Galgala. Constat, utramque hanc urbem Israelitarum Numinibus & superstitione infamem fuisse. Aureus vitulus in Bethel (3), sculpta simulacra in Galgal colebantur (4).

In Bersabea non transibitis. Nusquam alibi legimus, Numinum simulacra in Bersabee fuisse, aut eo adventasse religionis causa Israelitas. Lucus ab Abrahamo ibi satus (5). Altare ab Isaaco dedicatum (6), mora a Patriarchis ducta, loco huic obsequium penes Israelis domum comparabat. Siquid curæ adhibueris, statim intelliges, loca omnia, quæ religiosis itineribus & cultu ab Israelitis frequentabantur, ea fuisse, quæ Patriarcharum mora, vel dedicatis Domino ab illorum pietate monumentis consecrata fuerant. Bethelem Deus ipse consecravit, cum ibi se spectandum Jacobo exhibuerit (7). Galgal prima Hebræorum sedes fuit, trajecto Jordane (8): ibi diu stetit Arca; & monumentum duodecim lapidum a Iosue positum adhuc videtur. Galaadum illustrabat monumentum a Jacobo & Labano constitutum (9), &c. Bersabee olim ad Simeonis Tribum pertinuit (10): at in 3. Reg. xix. 3. regnante apud Israelitas Achabo, Bersabee Juda nuncupatur. Quamobrem colligendum esse videtur, hanc Amosi ætate Israeliticam urbem non fuisse, adeoque nec religiosis Israelitarum itineribus frequentatam. Quibus respondeo, I. Eam urbem ab Authore Libri Regum Bersabee Judæ appellari, quod is temporum suorum morem sequutus fuerit, qua ætate fortasse Bersabee ad Judam spectabat: II. Tametsi Bersabee regnante Achabo Israelitica urbs minime fuerit, ea ie non prohiberi, quin ipsius Amosi ætate esse potuerit, & religiosis Israelitarum itineribus clarescere; quis enim nesciat, aliquos interdum Israelitas vel ad ipsum Jerosolymæ Templum quotannis adventasse (11)? III. denique, Jerobeami II. virtute atque armis universam Israelis ditionem ad veterem dominum rediisse. 4. Reg. 15. 25.

Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. Festivus est in Hebræo verborum lusus in utraque voce *Galgal*, & *Bethel* (12): *Galgal golah, iggeleh, ubethel ihieh laven:* Galgal captiva ducetur, & Bethel non Domus Dei, sed *Bethaven*, domus nihili, deinceps appellabitur.

℣. 6. Domus Joseph, pro Samariæ vel decem Tribuum Regno usurpatur, quod primæ cæterarum Tribuum essent Ephraim & Manasse, gemini Josephi filii.

Qui extinguat Bethel. Septuaginta legunt (13) *domum Israel*, pro *Bethel*, Domo Dei. Melius illi quam nos, uti videtur.

℣. 7. Qui convertitis in absynthium judicium. Judicia vestra, quæ homini ærumnoso, pauperi ac viduæ solatio esse debuerunt, absynthii & mœroris argumentum illis sunt, cum iniquissimam ac superbam in illos vim exerceatis.

Et justitiam in terra relinquitis, humi atque in pulvere dejectam, quam erigere atque in pristinam gloriam restituere debueratis. Justum opprimitis, neque opem fertis, imo nec permittitis, ut causam pro se dicat. Septuaginta totum hunc versiculum ad Deum referunt (14): *Qui facis in excelso judicium, & justitiam in terra*. Hebræus tamen ad Israelitas (15): *Convertitis in absynthium*, vel in amarissimam rem, *judicium*, & *justitiam in terra* dejectam *relinquitis*.

℣. 8. Facientem arcturum et orionem. Hebræus (16): *Facientem chimah & chesil*. Quid gemina hæc vox significet, alibi disputavimus (17). Porro ne mirere, ubi Amosum pastorem, ignarumque Astronomiæ, recitantem audieris astrorum nomina, veluti Astronomiæ peritum; id enim apud Arabes cæterosque finitimos vulgare est & commune nedum pastoribus, verum omnibus generatim viris, fœminis, puerisque, ita ut astrorum nomina optime calleant, ipsaque astra singillatim indigitent. Teste Sanctio (18), apud Hispanos notissimæ pastoribus sunt ursæ majoris & orionis stellæ, plejades, &c. noctisque tempus plerumque ex horum siderum cursu metiuntur. Nulla hic astra seu sidera inveniunt Septuaginta, redduntque (19): *Faciens cuncta & præparat*. Symmachus & Theodotion Hebraicam vocem *chimah* plejadas reddidere; *chesil* vero Symmachus *stellas*, Theodotion hesperum interpretantur. Judæus S. Hieronymi doctor *chesil* jubar vel fulgorem, omnino astra fulgentia explicabat.

Convertentem in mane tenebras. Qui nocturnis tenebris succedere auroram jubet; qui noctem maxime tristem in diem nitidissimum vertit; qui ærumnarum umbras dissipat, ut fortunarum diem revocet. Sexcenti Scripturæ loci noctem pro ærumnis & mœrore, diem pro hilaritate bonisque fortunis usurpant. Confer hunc locum cum iis, quæ dixit supra iv. 13.

Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ. Qui, ubi libuerit, eluviones parit, terramque aquis maris obruit. Varia apud Historicos exempla regionum marinis aquis obrutarum, aliarumque recedentibus aquis siccatarum recitantur. S. Hieronymus de salsis marium aquis interpretatur, quæ sapientissimæ atque omnipotentis Providentiæ vi in aerem tolluntur, in vapores dissipatæ, tum sejuncto sale & acrimonia, in terram recidunt, in uberes & beneficos imbres conversæ. Fortasse etiam (20) Amos, vulgarem sententiam sequutus, credidit, maris aquas a nubibus vel iride haustas, deinde iterum in terram effundi. Plautus Curcul. Act. I. *Ecce autem bibit arcus; plaet, credo, hercle hodie*.

℣. 9. Qui subridet vastitatem super robustum; qui veluti ludens nulloque labore validissimos evertit, inevitabilibus malis ita oppressos, ut surgere nequeant. Id vero veluti ludens agit, eorumque superbiam ac temerarios conatus irridens. Hebræus (21): *Qui roborat vastatorem supra fortem*; eos, quibus in hostium suorum perniciem utitur, iis viribus instruit, ut illi resistere nequeant: validum hostem, fortissimum adversarium in illos excitat. Septuaginta (22): *Excitans contritionem super fortitudinem*.

℣. 10. Odio habuerunt corripientem in porta: eos qui ipsorum flagitia detegit atque arguit, ægre tulerunt. Me ipsum, de suis ipsorum flagitiis malisque imminentibus illos monentem, pati renuerunt, ejeceruntque, quod ingratas illis, tametsi verissimas, res prædicarem. Ipse de se loquitur Amos cap. 7. 12.

Loquentem perfecta (vere) abominati sunt. Se-

[2] Vide Capita xv. & xvii. quarti Regum Libri. [3] 3. Reg. xii. 29. [4] Judic. iii. 19. Vide Osee iv. 15. ix. 15. xii. 11. [5] Gen. xxi. 31. [6] Gen. xxvi. 14. [7] Gen. xxviii. 19. [8] Josue iv. 20. [9] Genes. xxxi. 48. [10] Josue xix. 2. [11] Tob. 1. 6.
[12] גלגל גלה יגלה ובית אל יהיה לאון [13] Καὶ οὐκ ἔσται ὁ σβέσων τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ. ביתאל סוף בית ישראל
[14] Ὁ ποιῶν εἰς ὕψος κρίμα, καὶ δικαιοσύνην εἰς γῆν. [15] ההפכים ללענה משפט וצדקה לארץ הניחו
[16] עשה כימה וכסיל [17] Job 12. 9. & xxxviii. 31. [18] Sanct. hic, num. 20.
[19] Ὁ ποιῶν πάντα, καὶ μετασκευάζων. [20] Ita Sanct. hic. [21] המבליג שד על עז
[22] Ὁ διαιρῶν συντριμμὸν ἐπὶ ἰσχύν.

Septuaginta (23) & Theodotion: *Et sermonem sanctum execrati sunt*, sive ut habet Symmachus, *verbum immaculatum*. Hoc vel de ipso Amos ab Israelitis rejecto explicari potest; vel de Judicibus eos arcentibus, qui dogmata libidini vel avaritiæ suæ contraria prædicabant; vel de populis ægre ferentibus Judicum integritatem, suam damnantium iniquitatem.

℣. 12. FORTIA PECCATA VESTRA (24), violenta, vel plurima. Novi vos male agendo fortes esse. Hebraica vox interdum rem numero magnam significat; omnino autem id quod multiplex fit & augetur numero & qualitate, seu viribus & qualitate (25).

HOSTES JUSTI, ACCIPIENTES MUNUS, ut innoxium damnetis. Septuaginta (26): *Conculcantes justum, accipientes permutationes*: justitiam pretio venditis: justissimum censetis eum, qui plura largitur. Nullius rei, præter quam lucri, damnando absolvendoque rationem habetis.

℣. 13. PRUDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT. Propheta, qui voces objurgationesque suas sperni viderit, recedet silebitque, donec iterum loqui a Deo jubeatur. Id Amos ipse servavit; imperante enim Amasia ut sileret ac recederet, in Regnum Juda secessit (27): at Divinis deinde verbis impletus, silere non potuit: *Dominus Deus locutus est: quis non prophetabit?* inquit ipse c.3.8. Monet Sapiens (28): *Ubi auditus non est*, ubi nemo audit, *non effundas sermonem*. Et Jesus Christus vetat projici margaritas ante porcos (29).

℣. 14. ERIT DOMINUS VOBISCUM, SICUT DIXISTIS (30), uti putatis. Pellens Amosum ex Israelis Regno Amasias, illi fortasse imperaverat, ne importunis vaticiniis turbas in regno ferret; prosperas Reipublicæ res sub Jeroboami II. imperio satis perspicuo esse argumento, Dominum Israelitis favere, nullamque illi esse causam simultatis. Monet illos Propheta, si velint Deum sibi amicum esse, quemadmodum falso sibi blandiuntur, relicto pessimæ vitæ instituto, ad meliora convertantur.

℣. 15. RELIQUIIS JOSEPH, Israelitici Regni hominibus, qui elapsa mala vitavere, præteritisque bellis superfuerunt. Malo reddere, *Posteris Josephi*; quemadmodum enim sæpe animadvertimus, Israelis Regnum, Amosi ætate, rerum potiente Jeroboamo II. quammaxime florebat.

℣. 16. IN OMNIBUS PLATEIS PLANCTUS; & quicquid extra urbem jacet, clamoribus questubusque resonabit. Urbs & ager æque affligentur. Id omnino spectatum est post Jeroboami obitum, inter civilia bella & domesticas seditiones, quibus vastatum penitus est Israelis Regnum, interque mala, quæ a Phul, Theglatphalassaro & Salmanasaro Assyriorum Regibus tulit. Tunc *agricolæ* a civibus in urbem vocabuntur, ut una luctus misceant; & ab agricolis accersentur ex urbe ii, qui lugendi artem exercent, ut luctui suo jungantur: *Vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere*. In publicis calamitatibus solebant cives in turmas cogi, vicinosque vocabant, ut lacrymis suis questus miscerent. Id ex Jeremiæ 48. 31. 34. noscitur; moremque conducendi viros fœminasque ut lugerent, plures Scripturæ loci tradunt (31). Hunc Græci ex Orientalibus, ex Græcis Romani mutuati sunt, Id hominum genus voces gemitusque plorantium ex animo imitabantur, atque interdum superabant: Horat. de Arte Poet.

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.

℣. 18. VÆ DESIDERANTIBUS DIEM DOMINI! Væ qui postulant, ut Deus populum suum invisat! Inconsulta concipiunt vota, neque quid ipsi postulent, satis norunt. Si venerit Deus, perdet, evertet, vastabit; nihil enim nisi flagitia, iniquitates, injurias suppliciis dignas inveniet. Væ vobis, si venerit, judiciumque vobiscum instituerit. Aliter: Væ iis, qui Prophetis, Divinam ultionem minitantibus, irridentes dicunt: Veniat jam dies Domini: *Ubi est verbum Domini? veniat* (32). *Festinet* (33), *& cito veniat opus ejus, ut videamus*. Citius veniet, quam ipsi expectatis: tunc nimirum experturi estis, illum vana non minitari. Sæpe inter vitæ hujus ærumnas in impatientiam labimur, atque inconsulta & carnalia desideria sectamur, optamusque malis, quæ mortalium conditionem comitantur, eripi; neque id cogitamus, inquit S. Hieronymus, quamdiu vivimus, nobis esse pœnitentiæ locum, mortuis omnino defuturum. Nostrum est, serio ad Deum converti, relictis ipsius curæ iis quæ ad nos spectant. Dei dies cum formidine expectandus est, cavendumque, ne illius clementiam carnalibus nimium verbis atque desideriis provocemus.

℣. 19. QUOMODO SI FUGIAT VIR A FACIE LEONIS, ET OCCURRAT EI URSUS. Qui in impatientiam ruunt, finemque vaticiniorum, & Domini diem postulant, veluti is ærumnarum futurus sit finis, similes homini sunt, qui leonem fugiens, in ursum incidat; vel ursum vitaturus tectum subeat, ibique sub manu habeat anguem, a quo ictus moriatur. Profecto is mortem fugere conaretur; at irritis omnino studiis, ibi potissimum, ubi se in tuto positum crederet, mortem inveniret. Decem Tribuum Israelitæ, vel horum Rex Manahem, ut belli civilis turbas compesceret, Phul Assyriorum Regem vocat, ut sibi suppetias ferat; atque ita imprudens sese vectigalem facit (34). Phacee Romeliæ filius, inter Manahemi successores, junctis cum Razin Syriæ Rege armis, Achazum Regem Juda bello petit: is a Theglatphalassaro Assyriæ Rege opem postulat, qui statim veniens, vastato Israelis Regno, populi partem captivam trahit (35). Osee filius Elæ, supremus Israelitarum Rex, tributis, quæ Assyriis pendebat, sese subducere conatus, clam amicitias cum Ægypto iniit: qua re intellecta, Salmanasar, versis in Oseen armis, Samariam expugnat, populumque universum captivum facit (36). Ita miserrimum Regnum dum leonem fugit, atque ab urso elabitur, domi suæ ab angue ictus perit.

℣. 21. PROJECI FESTIVITATES VESTRAS. Decem Tribuum homines, tametsi a Religione descivernt, tres solemnes Domini dies quotannis agere, & plerosque Legis ritus servare non neglexerunt, uti supra animadvertimus.

℣. 22. VOTA PINGUIUM VESTRORUM NON RESPICIAM. Hebræus ad verbum (37), *pacificam hostiam*, munera vestra, *e pingui pecore*, vel *e Meri vestris*. Animantis nomen est *Meri*, velut bovis, alterius a communi tauro, quemadmodum non semel innuit Scriptura. Ita dicitur David (38) mactasse oves, capellas, boves & *Meri*. Ejusdem generis victimis usus est Adonias (39) in eo convivio, quo sese Regem salutari meditabatur. Septuaginta (40): *Salutare præsentiæ vestræ*, victimam, quam pro salute offertis, *non respiciam*.

℣. 23. AUFER A ME TUMULTUM CARMINUM TUORUM.

(23) Καὶ λόγον ὅσιον ἐβδελύξαντο. Heb. דבר תמים יתעבו (24) ידעתי עצמים חטאותיכם (25) Exod. 1. 7. 9. 20. Psal. xxxiv. 18. *In populo gravi laudabo te*. Heb. בעם עצום Et xxxvii. 20. xxxix. 13. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*. עצמו משערות ראשי (26) Καταπατοῦντες δίκαιον, λαμβάνοντες ἀλλάγματα. (27) Amos vii. 12. (28) Eccli. xxxii. 9. (29) Matth. vii. 6. (30) כאשר אמרתם Septuag. Ὃν τρόπον εἴπατε. (31) Jerem. ix. 17. *Vocate lamentatrices, & veniant*, &c. 2. Paral. xxxv. 25. Matth. ix. 23. (32) Jerem. xvii. 15. (33) Isai. v. 19. (34) 4. Reg. xv. 19. (35) 4. Reg. xvi. 5 . . . 9. (36) 4. Reg. xvii. 4 . . . 7. (37) ושלם מריאיכם (38) 2. Reg. vi. 13. זבח שור ומריא (39) 3. Reg. i. 9. 19. צאן ובקר ומריא (40) 70. Σωτηρίου ἐπιφανείας ὑμῶν οὐκ ἐπιβλέψομαι.

rum. Carmina tua laudesque quas confers, non excipio, dum flagitia & peccata sectaris. *Non est speciosa* Dei *laus in ore peccatoris* (41). Quin & aliquando huic hominum generi exprobraturus est Deus: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Psal. 49. 17.

℣. 24. Revelabitur quasi aqua judicium. Hebræus (42): *Devolvetur quasi aqua judicium, & justitia ut torrens Ethan*, vel torrens rapidus. Septuaginta (43): *Torquebitur ut aqua judicium, & justitia quasi torrens invius.* Ærumnis malisque obruemini ceu aquis diluvii more inundantibus. Vitæ hujus calamitates Scriptura plerumque aquarum nomine designat (44). Vulgatæ sensum sequitur Chaldæus, veluti hoc voluerit Scriptura, futurum scilicet, ut Dei judicia se se prodant aliquando ceu aqua e fonte scaturiens, ejusque justitia more torrentis fluat. Ita etiam intelligi potest: Justitia tua coram omnibus late hominibus prodeat, ceu fons uberrimus, amnisque aquis dives.

℣. 25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto? Nemo certe inficias iverit, toto per desertum itinere populum sepissime Deo sacrificasse; veluti, cum initum eum Deo fœdus ad Sinai (45), cum dedicatum est Tabernaculum (46), & initiati sacris Sacerdotes (47): at illud etiam procul dubio est, sacrificatum non esse eo ordine iisque Legibus, quæ populo Chanaanitidis potiente servatæ sunt. Eodem modo scribit Jeremias (48); Deum neque victimas neque holocausta postulasse, cum populum ex Ægypto educeret (49).

℣. 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestri, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri. Quantumvis Moyses & cura & authoritate pugnaverit, nunquam Deorum imaginibus caruere Israelitæ, illas in ædiculis & curribus toto per desertum itinere ferentes. Hoc non unus tradit Amos, verum etiam confirmat S. Stephanus Act. vii. 42. cujus testimonium tametsi non accederet, satis ipse Amos doceret. Numina in deserto ab Israelitis delata, eadem certe fuere, quæ ipsi in Ægypto coluerant. Ezech. xx. 7. De hoc argumento fusius peculiari Dissertatione disputavimus.

℣. 27. Migrare vos faciam trans Damascum. S. Stephanus Act. 7. 43. *Transferam vos trans Babylonem*; quibus verbis sensum potius quam verba Amosi tenuit. In Mesopotamiam, Armeniam & Mediam translati sunt Israelitæ (50).

---

[41] Eccli. xv. 9. [42] ויגל כמים משפט וצדקה כנחל איתן [41] Septuag. Κυλισθήσεται ὡς ὕδωρ κρίμα, καὶ δικαιοσύνη ὡς χειμάῤῥους ἄβατος. [44] Job iii. 24. Psal. xvii. 17. lxviii. 2. 15. 16. cxliii. 7. Thren. iii. 54. & passim. [45] Exod. xxiv. 5. [46] Num. vii. 13. & seq. [47] Levit. viii. 1. 2. & seq. [48] Jerem. vii. 22. *Non sum locutus cum patribus vestris . . . in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum.* [49] Vide nos in Deut. xii. 8. & in Dissertatione de Idololatria Israelitarum in deserto, in fronte hujus voluminis. [50] 4. Reg. xvii. 6. 23.

CAPUT VI.

Væ divitibus atque hominibus voluptariis Samariæ. Horum superbia, luxus, & iniquitas arguitur. Ipsi ducentur captivi, & populi reliquiæ interibunt.

℣. 1. VÆ, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates
capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. 2. Transite in
Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæsti-
norum: & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino ve-
stro est. 3. Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.
4. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum
de grege, & vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii: sicut
David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo
unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Joseph. 7. Quapropter
nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lascivientium. 8. Ju-
ravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego
superbiam Jacob, & domos ejus odi, & tradam civitatem cum habitatoribus suis.
9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, & ipsi morientur. 10. Et tol-
let eum propinquus suus, & comburet eum, ut efferat ossa de domo: & dicet ei,
qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te? 11. Et respondebit:
Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini. 12. Quia ecce
Dominus mandabit, & percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scis-
sionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis:
quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absynthium?
14. Qui lætamini in nihilo, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsi-
mus nobis cornua? 15. Ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Domi-
nus Deus exercituum, gentem: & conteret vos ab introitu Emath usque ad tor-
rentem deserti.

℣. 1. Væ

℣. 1. VÆ VOBIS QUI OPULENTI ESTIS IN SION, ET CONFIDITIS IN MONTE SAMARIÆ. Prima hujus loci pars Jerosolymitanos locupletes, altera Samariticos tangit. Pergit lugubre Prophetæ carmen de Israelis ærumnis. Septuaginta (1): *Væ spernentibus Sion, & fidentibus super montem Samariæ*. Hæc explicatio probabilior videtur, cum hic de unis proprie decem Tribubus sermo sit. Favent Arabs & Syrus. Hebræus fert (2): *Væ quietis in Sion, & fidentibus in monte Samariæ*. Si ex alia radice vocem Hebraicam ducas (3), verti potest: *Væ odio habentibus Sion, & fidentibus in monte Samariæ*. Quibus verbis omnino describuntur decem Tribuum Israelitæ, a Juda secreti, atque a Sionis Templo remoti. Hunc Amosi pastoris, humanarumque literarum & eloquentiæ imperitissimi locum expendit S. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. c. 7. ut doceat, divinam quamdam inesse Sacris Scriptoribus eloquentiam, res potius quam verba sectantem, & argumento quod ii versabant, mire servientem.

OPTIMATES, CAPITA POPULORUM, INGREDIENTES POMPATICE DOMUM ISRAEL. Perspicua satis est sententia. Hebræus tamen paulo aliter habet (4): Homines *nominati, capita gentium, penes quos convenit domus Israel*, ut imperia excipiat, eorumque judicium subeat. Vel: Homines *clari inter magnos populos, ingredientes domum Israel*. Seu denique, junctis simul præcedentibus: Sion & Samaria, montes celeberrimi in gentibus vetustissimis, ad quos venerunt Israelitæ. Septuaginta (5): *Vindemiavi principatus gentium, & ingressa est ad eos domus Israel*. Chaldæus: *Imponentibus nomen filiorum suorum, secundum nomen filiorum gentium, & omnium quibus innititur domus Israel*.

℣. 2. TRANSITE IN CHALANE . . . IN EMATH MAGNAM . . . . IN GETH PALÆSTINORUM. Docuimus in Gen. x. 10. *Chalanen* esse Ctesiphontem ad Tigrim, Emath magnam esse Emesam (6). Geth inter Principes Philisthinorum urbes recensebatur, sedes regni Achis, Davidis ætate (7). Scitum est Oziam Regem Juda expugnasse urbem Geth, captamque mœnibus expoliasse 2. Par. 26. 6. Sub hoc Principe Amos oracula fundebat. Amos igitur ut ingratos ipsorum animos Israelitis ostendat, docet, ipsos imperio frui nihilo minore finitimis. Trajecto Euphrate, animadvertite, utrum opulentius vestro Regnum Chalanes Regibus sit; Emath in Syria & Geth in Palæstinis intuemini, utrum illæ populis magis floreant quam Samaria. Cum igitur nihilo opulentiores vobis sint, cur eas gentes imitamini? cur illarum amicitiam indignissime optatis? Vel: Inspicite Chalanen, Emath & Geth (8): *An meliores estis his Regnis? Num ampliores iis fines sunt quam vobis?* Qui ea Regna easque arces ruere vidistis, an futurum speratis, ut solidiores vobis sint resistendo vires? Illis ne meliores estis? aut Regibus eas defendentibus fortiores? An tutior munitiorque vobis est regio? Quis Chalanen expugnaverit, Scriptura silet; Phul fortasse Rex Assyriorum; at captas scimus ab Jeroboamo II. Emath & Damascum, veteresque Israelis limites restitutos, ab ingressu Emath usque ad Mare mortuum (9). Infra ℣. 15. ejus Imperii fines describuntur ab ingressu Emath usque ad torrentem Ægypti, qui Gazam inter & Rhinocoruram fluit. Denique supra (10) Bersabee ipsius imperio subjecta fuisse dicitur; atque omnino probabilissimum est, ipsum esse potitum Geth, ejusdem regionis urbe. Nunquam feliciorem viderant Israelitæ Imperii sui statum, aut ampliorem, quam eo Principe; nihilque omnino erat, quod imminentem illius Regni ruinam ominaretur: at illud ipsum Amos futurum asserit, & lugubre carmen de illius excidio, veluti jam elapso, canit. Denique finitimorum exempla proponit, quorum res funditus periere, quamvis neque opibus neque viribus minores essent Israele, quo tempore Amos vaticinabatur.

℣. 3. QUI SEPARATI ESTIS IN DIEM MALUM, ET APPROPINQUATIS SOLIO INIQUITATIS, & iniquo Regi mox servituri estis. Hebræus (11): *Qui amovetis in dies malum, & admovetis vobis solium iniquitatis*. Impune vos abituros speratis, ac diei vindictæ imaginem ab animo vestro removetis, iniquitatis solium regnumque male gestis confirmantes, novoque in caput vestrum supplicia provocatis. Vel: Falso creditis, minis hisce nonnisi remotissimum tempus spectari, eosque imitamini, quorum meminit Ezechiel xii. 22. 27. *Ecce domus Israel dicentium: Visio quam hic videt, in dies multos; & in tempora longa iste prophetat*. Mox tamen sub Assyriorum, crudelium sævorumque dominorum, imperium venturi estis. Septuaginta (12): *Orantes in diem, & ipsi appropinquantes, & tangentes sabbatha mendacia*. Deum orant, ut minarum suarum pondus ab ipsis avertat, dum pleno malæ simulationis & mendacii festa celebrant. Chaldæus: *Ipsi prorogabant diem malam; vos autem prope facitis in domo congregationis vestræ rapinas*.

℣. 4. QUI DORMITIS IN LECTIS EBURNEIS. Lecti ebore distincti, vel etiam induti, notissimi sunt apud Veteres, sive de lectis intelligas, quibus in mensa, sive quibus ad noctis quietem utebantur. Plautus in Sticho: *Lanam, purpuram, lectos eburatos, auratos, Babylonica peristromata*. Horatius lib. 2. Sat.

. . . . . . Rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

His verbis describitur locupletis hominis conditio, diuturnæ pacis securitate deliciisque fruentis, qualis omnino Regni Israelitici fuit, Amosi ætate, Jeroboamo II. rerum potiente.

ET LASCIVITIS IN STRATIS VESTRIS. Hebræus (13): *Late extendimini in stratis vestris* nimio luxu & lascivia; vel, qui *extendistis super lectos* vestes stragulas undique fluentes & sumptuosas. Ex ℣. 7. loqui Prophetam discimus de lectis, quibus in mensa utebantur.

℣. 5. QUI CANITIS AD VOCEM PSALTERII. Reddi Hebræus potest (14): *Qui saltatis*, vel *canitis ad nablium*; vel, qui ad nablii sonum vocem modulamini. Quid de nablio senserimus, vide in Dissertatione de musicis Hebræorum instrumentis. Septuaginta (15): *Qui manu plauditis ad vocem organorum*. Vel ex aliis Codicibus: *Prævalentes ad vocem*, &c.

SICUT DAVID PUTAVERUNT SE HABERE VASA CANTICI. Qui musicorum instrumentorum peritia ita gloriamini, quasi pares Davidi sitis. David igitur musices peritissimus habebatur, cum illius nomen in proverbium abierit. Hebræus (16): *Sicut David, excogitaverunt sibi musica instrumenta*. Hinc discis, quanto harum rerum studio tenerentur Israelitæ. Arguit illos Amos, quod & hæc præter modum amarent, & iis in sui oblectamen-

---

[1] Οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι Σιὼν, καὶ τοῖς πεποιθόσιν ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας. [2] הוי השאננים בציון והבטחים בהר שומרון [3] Lego שנאים *odio habentes*, pro שאננים *fidentibus*. [4] נקבי ראשית הגוים ובאו להם בית ישראל [5] Ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν, καὶ εἰσῆλθον αὐτοὶ οἶκος τοῦ Ἰσραήλ.
[6] Vide Animadversiones in Tabulam Geographicam ad Josue. [7] 1. Reg. xxi. 12. & xxvii. 2.
[8] הטובים מן הממלכות האלה אם רב גבולם מגבלכם [9] 4. Reg. xiv. 25. [10] Amos v. 5.
[11] המנדים ליום רע ותגישון שבת חמס [12] Οἱ εὐχόμενοι εἰς ἡμέραν, κακοὶ ἐγγίζοντες, καὶ ἐφαπτόμενοι σαββάτων ψευδῶν. [13] וסרחים על ערשותם Septuag. Κατασπαταλῶντες ἐπὶ ταῖς στρωμναῖς αὐτῶν.
[14] הפרטים על פי הנבל [15] Οἱ ἐπικροτοῦντες πρὸς τὴν φωνὴν τῶν ὀργάνων. Hieron. *Concrepantes*. Theodoret. sic explicat; Κρότον δὲ χειρῶν πρὸς τὴν ἠχὴν γινόμενον. Edit. Rom. Οἱ ἐπικρατοῦντες.
[16] כדויד חשבו להם כלי שיר

rum abuterentur, cum David unius Dei cultum & gloriam musica quæreret. Septuaginta (27): *Veluti permanentia hæc putaverunt, & non veluti fugientia* & caduca. Has sensuum voluptates veluti seria negotia amplexi sunt, & summam quodammodo beatitudinem in illis posuere.

℣. 6. Bibentes vinum in phialis. Septuaginta (18): *Bibentes eximium vinum*, defœcatum, vetus, purgatum. Hebræa vox (19) proprie significat crateras, quibus libationes in Templo exercebantur.

Nihil patiebantur super contritione Joseph, Qui fratrum suorum ærumnis minime moventur; malis, quibus inopes opprimuntur, non dolent. Vel: Communes cæteris hominibus labores non sentiunt: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Psal. 72. 5. Illos si videas, hominum beatissimos eredas; at ipsi ante cæteros captivi rapientur: *Migrabunt in capite transmigrantium* ℣. 7.

℣. 7. Auferetur factio lascivientium, voluptariorum. Hebræus (20): *Cessabunt convivia late se extendentium* in lectis ad mensam. Chaldæus: *Recedent ab eis gaudia, & stragula subtilia*. Septuaginta (21): *Auferetur hinnitus equi ex Ephraim*. Quæ verba de stupris atque adulteriis, in ea regione vulgaribus, explicari queunt. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*, inquit Jeremias 5. 8. Sunt qui Hebræum reddant: *Appropinquavit luctus se extendentium in lectis*. Alii: *Recessit convivium funebre extensorum*. Nemo illis lugebit, iisque mortuis, nemo funebre convivium agitabit, cum in alieno solo morituri sint. Tam varia legendi ratio satis ostendit Hebraicarum vocum ambiguitatem.

℣. 8. Juravit Dominus in anima sua, per semetipsum. Vide supra iv. 2. *Juravit Dominus in sancto suo*.

Domos ejus odi; Templa scilicet, Hebræus (22), *Palatia ejus*; Septuaginta (23), *regiones*, vicos *ejus*.

℣. 9. Si reliqui fuerint decem viri, et ipsi morientur. Vel: Tametsi decem solummodo viri in aliqua familia superfuerint, nullius vitæ parcam. Denarius numerus ita hunc locum explicari jubet. Illorum numerus & vires illos ab ultione mea tutos non efficient.

℣. 10. Comburet eum, ut efferat ossa de domo. Pestem Israeli universo exitialem describit Propheta. Si decem homines in aliqua domo remanserint, singuli morientur, & invicem justa solvent. Ubi exspiraverint, eorum cadavera domi nullo apparatu cremabuntur, eorumque ossa patrum sepulcris inferentur. Per ea tempora, teste passim Scriptura (24), mortuorum corpora penes Hebræos cremabantur; at post captivitatem alter mos successit, condiendi scilicet cadavera & sepeliendi.

℣. 11. Tace, et non recorderis nominis Domini. Iratus tibi est Deus: ne illum exorando labores, ut te his malis liberet: te quippe non audiet. Vel: Dicit ei: Sile, solatium admitte, lacrymas cohibe; cum dicendum esset: Domini memento, atque ad illum convertere. Hebræus ad verbum (25): *Tace, & non ad revocandam memoriam nominis Domini*. Solatium adhibebit: at nemo medias inter ærumnas memor Domini erit (26). Septuaginta (27): Dicet: *Sileto ille, non nominavit Dominum*. Romana Editio & Theodoretus cum Vulgata consentiunt. Theodoretus & S. Cyrillus ita explicant: Sileto: Deus fecit; ne adversus illum obloquare; ne seditiosas in Providentiam voces ferito; nihil loquitor, quod debito erga illum obsequio adversetur. Timet, ne is qui superstes in tota domo est, flagitiosum aliquid adversus Deum evomat.

℣. 12. Percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. Magnam domum evertam, parvam quatiam. Magna domus & parva pari fato peribunt. Ruinas in magna domo, ruinas in parva faciam. Proverbium sapiunt hujusmodi locutiones. Domum majorem nonnulli (28) Regnum Israelis, minorem Regnum Juda interpretantur. At unum Samariæ Regnum toto vaticinio spectari videtur.

℣. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? In iis regionibus, ubi equorum ungulæ ferro non instruuntur (29), equorum cursus cohibetur, si iter sit lapidosum. Testibus Itinerariis, siquis Arabum latrocinia timens, in montes & lapidosa Syriæ loca evadat, Arabum equis utentium solertia fallitur. Bubalus ferum est animal, indomitum, & impatiens jugi. Quemadmodum igitur equus in lapidosis locis ad cursum non compellitur, neque bubali ad aratrum adiguntur; ita convertenda non est justitia *in amaritudinem* (30), neque mœrore opprimendi sunt ii, qui ad Judices accedunt, ut illorum authoritate opem ac præsidium, quibus egent, obtineant. Hoc ipsum autem fecistis, Judices Israelis. Hebræus (31): *Num current in petris equi? num arabitur bobus?* Quippeni? bos certe aratro est opportunus. Repetenda igitur sunt ea verba, *in petris*, ut sit: Num arabitur bobus in petris? Septuaginta (32): *Num persequentur in petris equi: & silebunt in equabus equi?*

℣. 14. Qui lætamini in nihilo, idolis, quæ merum nihil sunt (33). *Nihil est Idolum in mundo* (34). Vel, qui vobis ipsis vestrisque viribus gaudetis, gloriantes: *In fortitudine nostra fecimus nobis cornua*: vires nostras auximus, nostroque nomini terrorem addidimus. Sive, qui gaudetis mœnium vestrorum robore, quæ ego evertam, & fœderatorum suppetiis, quos ego dissipaturus sum, quique in rebus maxime angustis vos penitus deserent.

Assumpsimus nobis cornua, formidabiles effecti sumus. Thrasonianum; quasi dicant: Gloria & authoritate præter modum aucti sumus. Ita interdum usurpatur cornu. *Exaltavit cornu populi sui* (35): Horatius lib. 3. Ode 21. de vino:

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque & addis cornua pauperi.

Et de Arte Poet.

Vina parant animos: tum pauper cornua sumit.

Vires etiam significantur cornubus, ducta e tauris & arietibus metaphora, hostes cornu sternentibus. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu* Ps. 43. 6. Moyses de Josepho Jacobi filio (36): *Cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabis gentes usque ad terminos terræ*. Horatius Epod. Ode 1.

Cave, cave; namque in malos asperrimus,
Parata tollo cornua.

℣. 15. Suscitabo super vos gentem, et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem Deserti, quam late patet Israelis Regnum; ea enim

(17) Ὡς ἑστῶτα ἐλογίσαντο, καὶ οὐχ ὡς φεύγοντα. Vide Theodoret. hic. (18) Πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον. (19) השתים במזרקי יין (20) סר מרזח סרוחים Vide Mercer. Grot. Livel. Sym. Περιαιρεθήσεται ἑταιρεία τρυφητῶν. (21) Ἐξαρθήσεται χρεμετισμὸς ἵππων ἐξ Ἐφραίμ. (22) ארמנותיו (23) Τὰς χώρας αὐτῆς. (24) Vide nos in secundum Paralipom. xvi. 14. (25) הס כי לא להזכיר בשם יהוה (26) Hieron. Albert. Dionys. Remig. Hugo, &c. (27) Septuag. Καὶ ἐρεῖ ὁ σιγάτω, οὐ μὴ ὀνομάσαι Κυρίου. Sym. Σιώπα, ὁ γὰρ οὐκ ἔστιν ἀναμνῆσαι τὸ ὄνομα Κυρίου. (28) Ita Chald. Hieron. Cyrill. Grot. &c. (29) Vide Judic. v. 22. (30) *Quoniam convertistis in amaritudinem judicium*. Vide & Judic. v. 7. (31) הירצון בסלע סוסים אם יחרוש בבקרים (32) Εἰ διωχθήσονται ἐν πέτραις ἵπποι, καὶ παρασιωπήσονται ἐν θηλείαις ἵπποι; Aq. & Sym. Εἰ ἀροτριαθήσεται πέτρα διὰ βοῶν. (33) Esth. xiv. 11. *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt*. (34) 1. Cor. viii. 4. (35) Psal. cxlviii. 14. (36) Deut. xxxiii. 17.

enim erat Amosi ætate illius amplitudo. Vide supra ℣. 2. Introitus Emath in Libano jacebat, inter Dan & Rohob. Torrens deserti alibi dicitur *torrens Bezor*. Hunc S. Hieronymus hic fluere asserit Rhinocoruram inter & Pelusium. Gens, cujus sub manu Israel minuendus est in pulverem, Assyrii sunt, qui ducibus Phul, Theglathphalassaro & Salmanasato, variis temporibus Israelis Imperium vastavere, donec gens tota in captivitatem ducta, Regnumque penitus eversum est, Osee supremo Israelitarum Rege.

CAPUT VII.

Variæ Amosi visiones. Is primum locustas videt, deinde ignem, postremo Deum super murum, trullam manu tenentem. Misericordiam populo rogat, Jeroboami domum deletum iri vaticinatur. Secedere in ditionem Juda cogitur ab Amasia Bethelis Sacerdote. Absolutum Israelis exitium prædicit.

℣. 1. HÆC ostendit mihi Dominus Deus, & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem regis. 2. Et
factum est: cum consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus, propitius esto, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? 3. Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus. 4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: &
ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus: & devoravit abyssum multam, &
comedit simul partem. 5. Et dixi: Domine Deus, quiesce, obsecro: quis suscitabit
Jacob, quia parvulus est? 6. Misertus est Dominus super hoc: Sed & istud non erit,
dixit Dominus Deus. 7. Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super
murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarii. 8. Et dixit Dominus ad me.
Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego
ponam trullam in medio populi mei Israel: non abjiciam ultra superinducere eum.
9. Et demolientur excelsa Idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur, & consurgam
super domum Jeroboam in gladio. 10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel: non
poterit terra sustinere universos sermones ejus. 11. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, & Israel captivus migrabit de terra sua. 12. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Juda: & comede ibi panem, &
prophetabis ibi. 13. Et in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes: quia sanctificatio regis est, & domus regni est. 14. Responditque Amos, & dixit ad Amasiam:
Non sum propheta, & non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans
sycomoros. 15. Et tulit me Dominus, cum sequerer gregem: & dixit Dominus ad
me: Vade, propheta ad populum meum Israel. 16. Et nunc audi verbum Domini:
Tu dicis: Non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum idoli. 17.
Propter hoc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur: & filii tui, & filiæ
tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israel captivus migrabit de terra sua.

℣. 1. ECCE FICTOR LOCUSTÆ IN PRINCIPIO GERMINANTIUM SEROTINI IMBRIS, ET ECCE SEROTINUS POST TONSIONEM REGIS. Locustarum nubes apparuit, tunc orta, cum imbres serotini herbam alere incipiunt, postquam a Rege tonsa est. Plerique Interpretum de vernis imbribus explicant, herbas in prato alentibus, postquam Rex, quod satis sibi esset, acceperat. Ut repugnantiam auferas, quæ his verbis contineri videtur. Cum fœnum in Regiorum præsepium usum meti nequiverit, antequam herbæ germinarent; animadverte, apud Orientales pecus ad pascua in agros immitti solere Januario & Februario mensibus, apud nos hybernis, quemadmodum apud nos Majo (1); demessis vero primis arvorum herbis, vernus imber cadit, quo iterum agrorum herbæ nutriuntur. Hoc plerumque tempore locustæ agrum invadunt ac populantur, uti Joel c. 1. & 2. describit.

At si Hebræum (a) sequaris, explicari potest de autumnalibus pluviis herbisque, quæ secundo ab humo his imbribus rigata pariuntur: *Ecce fætura locustarum in principio cum ascenderet imber*, vel herba *serior*; *& ecce imber* (vel fœnum cordum, serius) *post tonsionem ipsius Regis*, post herbam primorem, in usum Regis præsepis demessam. Pluvia vel herba serior est fœnum cordum, vel secunda arvorum herba, quæ autumno metitur; fœnum vero, quod in usum Regis colligitur, est æstivum, melius & nobilius cordo.
In

[1] Vide legationem Petri Martyris ad magnam Cairum.

[a] הנה יוצר גבי בתחלת עלות הלקש והנה לקש אחר גזי המלך

In ferventibus regionibus per ea tempora, quemadmodum & vere, timentur locustæ. Vide Chaldæum, Psal. LXXI. 6.

Septuaginta (3): *Ecce fœtura locustarum incipiente mane; & ecce bruchus in Gog Regem irruens*. Locustæ, ex Theodoreto, Assyriorum copias, *bruchus* Babylonicas, *Gog Rex* exercitum Scytharum significant. Hæc omnia Dei populo imminebant. Putat Pezronius (4), Juda & Israelis Regna invasa a Scythis esse eodem anno, quo terræ motus ab Amoso 1. 1. descriptus contigit.

Hujus Capitis vaticinia prima omnium sunt, quæ Amos pronunciavit. Hæc enim vidit, antequam ex Israele pulsus in ditionem Juda secederet. Tria hic prædicit, quæ ante supremum Israelitici Regni excidium contigerunt: I. famem a locustis partam (5) II. ignem quo tota regio inundata est (6) III. Deum ipsum vidit muro cuidam insidentem, trullamque tenentem manu (7). Tertio hoc spectaculo significabatur, loca, quæ apud Israelitas sacra habebantur, eversum iri, ac Jeroboami domum gladio penitus interituram. Cædes posterorum Jeroboami tunc accidit, cum Zacharias Jeroboami filius a Sellum cæsus periit (8). Reliqua igitur duo ante hanc cædem statuenda sunt. Hanc locustarum invasionem non narrat Scriptura; at mortuo Jeroboamo filio Joas, turbis agitatum esse Israelem universum, satis scimus (9). Tunc certe sævit in Israele ignis a Propheta spectatus; bella nimirum civilia, & seditiones.

ỳ. 2. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Mortuo Jeroboamo II. florentissimum olim atque opulentissimum Israelis Regnum in eas devenit inopiæ angustias, ut sibi ipsi regendo impar, alienorum opem implorare cogeretur. Manabemus Phul Assyriorum Regem accivit; atque hic extremum Regno exitium intulit.

ỳ. 4. Vocabat judicium ad ignem Dominus, ignem vocabat, ut judicium suum exerceret. Ignis est bellum, teste passim Scriptura. Defuncto Jeroboamo II. Regnum Israelis civilibus, & forte etiam externis bellis discissum est: at ejus temporis res non satis perspicuæ sunt.

Devoravit abyssum multam, et comedit simul partem agri. Ignis siccaturus erat maria, & magnam terræ partem voraturus, nisi Propheta intercederet, ejusque vim coerceret ỳỳ. 5. 6. Bellis, de quibus mox, utpote sævissime flagrantibus, vastanda erant omnia, nisi Deus iræ modum imponeret.

ỳ. 7. Ecce Dominus super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentaria. Spectaculi hujus significationem ipse explicat Amos ỳỳ. 8. & 9. Hebraicæ voces nonnihil difficultatis afferunt. Interpretum plures (10) Hebræum (11) reddunt: *Ecce Dominus super murum perpendiculi, & in manu ejus perpendiculum*. Vel: Ecce Dominus super murum stans, & perpendiculo, quod manu tenebat, murum explorans. Septuaginta (12), faventibus Arabe, Syro, aliisque nonnullis (12), Hebraicam vocem *anach* reddunt *adamantem*: *Ecce Dominus stans super murum adamantinum, & in manu ejus adamas*. Orpheus: *Veteres certe anachiten vocavere adamantem*. Plinius lib. 37. 4. *Adamas metus vanos expellit a mente, & ob id quidam eum Anachiten vocavere*. Quamobrem ita explicari potest hic locus, ex hac interpretatione, quæ literæ aptissime servire videtur: Vidi Dominum, super murum adamantinum, & in manu ejus adamantem; atque is ad me conversus dixit: Adamantem, seu murum adamantinum pono in medio populi mei; nihil ad illum transmittam: diu dissimulavi, diu peperci: actum est: invictum discriminis parietem inter me & ipsum statuo; illum penitus hostibus suis desero, nulla veniæ aut misericordiæ spe. Profani Scriptores, ubi portas, discrimina, parietes invictos significant, adamantinos ajunt. De inferni porta Virgilius Æneid. 6.

Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ,
Vis ut nulla virum, non ipsi excindere ferro
Cœlicolæ valeant.

Adamantinam falcem Saturno tribuunt fabulæ (13), ut nihil resistere tempori significent.

ỳ. 8. Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel; non adjiciam ultra superinducere eum. Trullam penitus abjicio; piget jam populi mei parietem linire; non parcam, non dissimulabo; ipsum ejusque urbes potestati hostium tradam. Diu satis illum defendi; ejusque flagitia satis diu abscondi ac dissimulavi. Si Hebraicam vocem *Anach* adamantem interpreteris, explicabis uti diximus: Nihil jam ad illum transmittam: nulla misericordiæ spe puniam (14): adamantinum parietem inter me & ipsum pono.

.... *Hic murus aheneus esto* (15).

ỳ. 9. Demolientur excelsa idoli. Hebræus ad verbum (16): *Destruentur excelsa Isaaci*, scilicet Bersabee, ubi olim Isaac altare Domino dedicaverat (17). Is sacer erat religiosis itineribus locus, Amosi ætate (18). Superstitiosa Bersabee excelsa, post Jeroboami II. obitum, a Josia Rege Juda eversa sunt, teste 4. Regum Libro 23. 8. *Contaminavit excelsa, ubi sacrificabant Sacerdotes, a Gabaa usque Bersabee*.

Consurgam super domum Jeroboam in gladio. Jehu Jeroboami avo pollicitus fuerat Deus futurum, ut ipsius Familia ad quartam usque sobolem in Israele regnaret (19). Zacharias Jeroboami filius, quartus a Jehu hæres, Divinæ promissionis fidem expertus est; conjurans enim in Zachariam Sellum, eo publice interfecto post sex regni menses, solium occupavit (20).

ỳ. 10. Rebellavit contra te Amos. Amasias Bethelis Sacerdos Jeroboamum II Israelis Regem, in Amosum irritare conatus, dictitat, seditiosum esse hominem ac perduellem, qui turbas in populo sermonibus serat. Nihil profecto mendacius. Ingentia profecto mala Israeli prædixerat Amos; at ne levissimo quidem verbo Regis obsequinm violaverat, neque aliquid dixerat, quo subditi excitari ad seditionem possent.

Non poterit terra sustinere omnes sermones ejus. Qui fide integra erga te sunt, ægerrime ferunt ea quæ spargit Amos. Vel: Commotum est Amosi sermonibus vulgus: cavendum est, ne multitudo fidem illius exhortationibus adhibens, in seditionem erumpat.

ỳ. 11. In gladio morietur Jeroboam. Falso Amasias Amosum ejus vaticinii accusat. Jeroboami familiæ, non ipsi Jeroboamo eam necem prædixerat; is enim post diuturnum ac felicissimum Regnum domi suæ diem tranquillus clausit; at Zacharias Jeroboami filius, & familiæ suæ ultimus, a Sellum interfectus est.

ỳ. 12. Qui vides, gradere, fuge in terram Juda. Utrum hoc Amasias Regis jussu, an privata auctoritate imperaverit, incertum est. Videntem nuncupat, ex consueta inter Judæos appellatione (21); ipsumque in ditionem Juda secedere jubet, ibi pro arbitrio vaticinia redditurum.

Amosi

(3) Ἰδοὺ ἐπιγονὴ ἀκρίδων ἐρχομένη ἑωθινή. Καὶ ἰδοὺ βροῦχος εἷς Γὼγ ὁ βασιλεύς. Aq. Τῆς Γάζης ἐπιλέξεως. (4) Pezron. Comment. p. 128. & sequ. (5) ỳ. 1. & 2. (6) ỳ. 4. & 5. (7) ỳ. 7. & 8. (8) 4. Reg. xv. 8. 9. 10. 11. (9) 4. Reg. xiv. 23. xv. 8. (10) Hebræi Pagn. Mont. Vat. (11) הנה אדני נצב על חומת אנך ובידו אנך (12) Ἰδοὺ Κύριος ἑστὼς ἐπὶ τεῖχος ἀδαμάντινον, καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἀδάμας. Ita Sym. Arab. Syr. Vide & Mercer. & Drus. Aquila, Γάνωσιν, Stannaturam. Theodot. Τηκομένου, Liquescens. (13) Τὸ δίδειν ἀδαμαντίνην ἅρπην ... (14) הנני שם אנך בקרב עמי ישראל לא אוסיף עוד עבור לו (15) Horat. Ep. lib. 1. ep. 1. (16) נשמו במות ישחק (17) Gen. xxvi. 33. (18) Vide Amos v. 5. viii. 14. (19) 4. Reg. x. 30. (20) 4. Reg. xv. 8. 9. 10. (21) 1. Reg. ix. 9.

Amosi vaticinia flocci* faciebat Amasias, modo prope se vaticinantem non intelligeret. Minus metuebat Prophetæ minas, quam populi conversionem, quæ si contingeret, muneris sui honos & lucrum minuerentur. Verebatur quippe, ne populus ad saniora conversus, aureorum Bethelis vitulorum cultum desereret.

℣. 13. QUIA SANCTIFICATIO (locus Religionis) REGIS EST, ET DOMUS REGNI. Consueta Regum Israelis sedes erat Samaria; sed aliam in Bethel domum ii Reges habebant, cum ibi ipsorum Religio exerceretur. Putat Kimchi vertendum esse (22): *Quia palatium Regis est, & locus Regni ejus.*

℣. 14. NON SUM PROPHETA, SED ARMENTARIUS EGO SUM, VELLICANS SYCOMOROS. Propheta non sum instituto meo, neque filius, neque discipulus Prophetarum: Propheticam vitam non ago, non vestem, non virtutem Prophetæ habeo. Neque meo ipsius arbitrio meaque voluntate id muneris suscepi: pastoritiam exerceo. Necessitate coactus huc veni, ut Deo intus moventi obtemperem, cui resistere nequeo. Pecunias non quæro, populum inanibus vaticiniis fallens; vitæ meæ necessaria satis mihi sufficit ars mea. Quamobrem primi ordinis Prophetam me esse ne censeas, quales ii sunt, qui a primis vitæ annis ad Propheticum munus Deo vocante destinati, sanctius sublimiusque cæteris Israelitis vitæ genus sequuntur. Merus pastor ego sum. Cave etiam, me recenseas inter falsos Prophetas lymphatosque, quibus unica ratio sanctissimi hujus muneris exercendi, mentis perturbatio, aut ignavia, vel audacia. Agricola sum & labori assuetus. Tota denique Amosi responsio ita haberi potest, ut sit humilis excusatio; quemadmodum Joannes Baptista a Judæis interrogatus, esset ne Propheta, negavit (23), cum & Propheta & major Propheta esset, teste Christo Luc. 7. 26. Ex hoc & altero Zachariæ 13. 5. loco discimus, homines, qui Propheticum munus profitebantur, cæteris plerumque artibus abjectis, totos orationi, studio, ac meditationi vacavisse.

Septuaginta (24): *Non eram Propheta, neque filius Prophetæ; sed pastor eram, vellicans sycomoros; & tulit me Dominus ex ovibus, & dixit: Vade & prophetiza super populum meum Israel.* Commodior his verbis aptiorque inest sententia. Hebraica vox (25), quam reddimus, *vellicans sycomoros*, seu vellens sycomori ramos, seu vertens sycomoros, ab Aquila vertitur (26): *Scrutans sycomoros*: a Symmacho (27): *Habens sycomoros*; a Theodotione (28): *vellicans sycomoros*. Profecto sycomorus genus ficuum est, in Ægypto & Palæstina vulgare, *moro simile magnitudine, foliis, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquam fœcundo proventu, scalpendo tantum ferreis unguibus: aliter non maturescit. Sed cum factum est, quarto die demetitur* (29). Ea erat Amosi ars, unaque gregis cura.

Compungendorum ficuum artem in Insulis Archipelagi servatam hanc tradunt. Duo ficulnearum genera ibi nascuntur, quarum prius appellatur *Ornas*, seu *Erinos* nempe ficulnea sylvestris, quæ ipsa est Caprificus latinorum (30). Alterius generis est ficulnea domestica. Porro sylvestris planta tres diversi generis fructus gignit. *Fornites, Cratires, Ornos.* Fructus isti non maturescunt, valent tamen ut domesticas ficus ad maturitatem deducant ope parvarum quarundam muscarum, quę circum sylvestres volitantes fructus pungunt, & intra illatum vulnus deponunt ora. Id vero potissimum præstant in ficubus sylvestribus (Cratires appellantur) Mense Maii muscæ recenter ex ovis exclusæ novas sedes in Ornis quærunt, quo scilicet tempore Orni illi adoleverunt, & oculus eorum recludi incipit, atque in illis demum ova sua inserunt. Accidit interdum, ut muscæ e cratiris eductæ alicubi serius prodeant; cum interim Orni ejusdem regionis statum aptum illis excipiendis citius quam par sit receperint. Tunc vero coguntur agricolæ aptiorem muscis illis sedem quęrere; id vero præstant accipiendo ficus muscas illas foventes, & transferendo ad alias ficulneas, quæ Ornos habent aptiores, ac dispositos eductis muscis excipiendis. Si hæc negligantur, Orni cadunt immaturi, & muscæ avolant. Soli regionum illarum incolæ agriculturæ addicti tempus in eam rem opportunum norunt.

Tria hæc ficuum genera esca inepti sunt, alteri cuipiam usui serviunt quam ut maturitatem aliis inducant. Fornitæ augusto mense protuberant, & immaturæ ad Novembrim usque perseverant. Cratires nonnisi Septembri exeunte prodeunt, ac muscarum e fornitis eductarum aculeis compuncti adusque Majum mensem in arbore manent. Orni Majo mense proferuntur, & a muscis e cratiris natis feriuntur Julio mense. Quo vero tempore muscæ proditturæ sunt ab incolis decerpuntur Orni, atque filo alligati suspenduntur ficulneis domesticis. Si tempori incolæ illi defuerint, Orni cadunt, & fructus ficulneæ domesticæ acerbi manent, & cadunt immaturi. Aptum illud tempus norunt viri illi periti nulla non die invisentes arborem, & siquem agnoverint Ornum aptum, statim transferunt ad ficum domesticam, quæ intra quadraginta dies fructus præparat. Nunquam satis admirari quis possit rusticorum illorum patientiam, quæ solidis duobus mensibus nunquam intermittit opus translationis hujusce ex una in alteram arborem. Ficulneæ arbores in Provincia & Parisiis non desunt ficus maturos ferre, si quis oleo olivæ seu pinguedine quadam infecta palea oculos ficuum pungat.

D. Des Breves in suo itinerario quoddam profert animadversione dignum de arte, qua ficus *Pharaouis*, seu ficus sylvestres ad maturitatem adducuntur apud Ægyptios & Palæstinos pag. 90. 91. Vide etiam Nicolai itiner. pag. 75. Fortasse igitur Amosi ars erat, hos caprificorum culices ad sativas ficus desarte, ut eæ maturescerent. Hęc fusius vide apud Tournefortium.

℣. 16. NON STILLABIS SUPER DOMUM IDOLI (31): mala non vaticinaberis super domum Idoli, fortasse Bersabee, ubi diu steterat Isaac. Vide supra ℣. 9. Tristia vaticinia Prophetæ plerumque imbris nomine distinguunt: *Stilla ad austrum. Stilla ad sanctuaria*, inquit Deus ad Ezechielem (32). Septuaginta (33): *Ne congreges turbas super domum Jacob*. Pro Isaaco Jacobum scribunt.

℣. 17. UXOR TUA IN CIVITATE FORNICABITUR. Vel (34), *Constuprabitur*. Postrema hæc verba ad Amasiam spectant, cujus jussu Amos e Bethel ejiciebatur.

HUMUS TUA FUNICULO METIETUR. Nullus ex te hæres futurus est; cognati tui, vel etiam externi patrimonium tuum inter se distribuent. Miserrimum erat Israelitis, integram hæreditatem filiis non relinquere.

TU IN TERRA POLLUTA MORIERIS, in regione ab Israele remota. Cæteras regiones, cum sua com-

(22) Ait ille, *mikdasch* מקדש significare palatium hic, & Isai. VIII. 14. Ezech. XXXVIII. 18.
(23) Joan. 1. 21. (24) Οὐκ ἤμην Προφήτης, οὐδὲ υἱὸς Προφήτου, &c. (25) בולס שקמים
(26) Aqu. Ἐρευνῶν συκαμίνους. (27) Ἔχων συκαμίνους. (28) Χαράσσων, forte χαράττων. Septuag. Κνίζων συκάμινα. (29) Plin. lib. XIII. cap. 7. Theophrast. Dioscorid. Vide & Theodoret. hic.
(30) Tournefort Voyage tom. 1. lettre 5. pag. 130. Plin. lib. 15. cap. 10. & lib. 16. c. 27. Theophrast. de caus. plant. lib. 2. (31) ולא תטיף על בית ישחק (32) Ezech. XX. 46. XXI. 2. Mich. II. 6.
(33) Septuag. Οὐ μὴ ὀχλαγωγήσῃς. Sym. Non increpabis. Hieronym. (34) אשתך בעיר תזנה Septuag. Ἐν τῇ πόλει πορνεύσει. Melius Symmach. Πορνευθήσεται. Hieron. hic.

comparatas, Hebræi censebant impuras. Missus fortasse in exilium est Amasias, vel a Teglatphalassaro translatus; ægre enim crediderim, illum ad ultimam usque Israelis sub Salmanasaro captivitatem, quę secundo circiter & sexagesimo post Jeroboami II. obitum contigit, vitam produxisse. Amasię gesta & vices non tradunt Historici; quamobrem impleta hujus de illo oraculi fides ostendi nequit. Amos ab hoc Amasia neci traditus dicitur in Martyrologiis.

CAPUT VIII.

Uncinum legendis pomis aptum videt Amos. Imminens Israelitici Regni excidium. Miserrimorum ejusmodi temporum descriptio.

℣. 1. HÆc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce uncinus pomorum. 2. Et di-
xit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Do-
minus ad me: Venit finis super populum meum Israel: non adjiciam ultra, ut per-
transeam eum. 3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus:
multi morientur: in omni loco projicietur silentium. 4. Audite hoc qui conteritis
pauperem, & deficere facitis egenos terræ, 5. Dicentes: Quando transibit mensis,
& venumdabimus merces; & sabbathum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus
mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, 6. Ut possidea-
mus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti ven-
damus? 7. Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem
omnia opera eorum. 8. Numquid super isto non commovebitur terra; & lugebit
omnis habitator ejus: & ascendet quasi fluvius universus, & ejicietur, & defluet
quasi rivus Ægypti. 9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in
meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. 10. Et convertam festivi-
tates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super
omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium: & ponam eam
quasi luctum unigeniti, & novissima ejus quasi diem amarum. 11. Ecce dies ve-
niunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim
aquæ, sed audiendi verbum Domini. 12. Et commovebuntur a mari usque ad ma-
re, & ab Aquilone usque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, &
non invenient. 13. In die illa deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.
14. Qui jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivit Deus tuus Dan, & vivit via
Bersabee: & cadent, & non resurgent ultra.

℣. 2. UNCINUM POMORUM. ET DIXIT DOMINUS: VENIT FINIS SUPER POPULUM MEUM. Hebræus (1) lusum verborum fert inter *Kaiz*, æstatem sive autumnum; & *Kez*, finem. *Et dixi: Uncinum*, vel *canistrum maturorum fructuum*, [Kaiz]. *Venit finis* [Kez] *super populum meum*. Maturis fructibus, vel poma ipsa manu leguntur, vel uncini ope rami arboris trahuntur, ut commodius poma colligantur; vel denique excutiuntur, atque in calathis posita auferuntur; cumque hæc fieri videris, messem & maturitatem adesse ais. Ita cum Deus sub olitoris poma legentis imagine sese spectandum Amoso dedit, satis docebat, populi sui flagitia summum ad fastigium pervenisse, adesse jam tempus legendorum fructuum, ac brevi e regione sua illos avulsum iri, ut in alienam regionem captivi raperentur. Septuaginta (2): *Vas*, seu caveam *aucupis*. *Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum*. Omnes ferme Interpretes (3) Hebraicam vocem *chelub* explicant calathum. Divinæ ultionis tempus Prophetæ passim sub vindemiæ vel messis imagine describunt.

NON ADJICIAM ULTRA UT PERTRANSEAM EUM (4). Nihil deinceps dissimulabo; impune abire non patiar. Similem huic locutionem vide supra, VII. 8.

℣. 3. STRIDEBUNT CARDINES TEMPLI. Templorum vestrorum, quæ in Bethel & Dan sunt (5), portæ cum impetu pandentur; vi irrumpet hostis. Vel: Iræ suæ indicium exhibet Deus, stridentes Templi sui fores. Herois instar hostes invadentis, cum impetu pandit fores, & cum fragore prodit. Vide Caput IX. 1. Reddi potest Hebræus (6): *Cantica Templi*, vel palatii, *vertentur in ejulatum*. Septuaginta (7): *Ululabunt laquearia Templi*. His porro verbis satis describitur Templi squallor, ab hostibus direpti, ubi quodlibet sævitiæ genus in miseros eo confugientes exercetur.

IN OMNI LOCO PROJICIETUR SILENTIUM. Solitudinem hostis in regionem inducet, atque omnia triste silentium occupabit. Hebræus (8): *Magna vis cadaverum in omni loco projicietur: sile*. Cædem ubique fert hostis, omnesque formidine ad silentium adiguntur. Libere questus edere, & mortuos lugere audet nemo. Septuaginta (9): *Multus planctus; in omni loco projiciam silentium*.

℣. 5.

(1) ויאמר כלוב קיץ ויאמר יהוה אלי בא הקץ אל עמי
(2) Ἄγγος ἰξευτοῦ. Καὶ εἶπε Κύριος πρός με, Ἥκει τὸ πέρας ἐπὶ τὸν λαόν μου.
(1) Ita Chald. Mont. Mercer. Vat. Grot. Druf. Jun. alii passim.
(4) לא אוסיף עוד עבור לו
(5) Cyrill. Rufin. Lyr. Mont. Riber.
(6) והילילו שירות היכל
(7) Ὀλολύξει τὰ φατνώματα τοῦ ναοῦ.
(8) רב הפגר בכל מקום השליך הס
(9) Πολὺς ὁ πεπτωκὼς, ἐν παντὶ τόπῳ ἐπιῤῥίψω σιωπήν.

℣. 5. Quando transibit mensis, et venumdabimus merces? Vel: Quando transierit primus mensis dies (10), neomenia, ut mercaturam exercere liceat? *Mensis* frequenter pro prima mensis die usurpatur (11). Ea quidem die quies Lege non imperabatur (12), at vulgo apud Israelitas religio erat. Nimiæ Festorum multitudinis tædebat avaros, quippe qui per eos dies mercaturam exercere non possent. Alii sic interpretantur: Quando transierit mensis, ut usuras exigamus, iterumque merces & pecunias fœnori demus? *Expectatis Calendas*, inquit S. Hieronymus, *ut negotiemini, & usuras ex usuris augeatis*. Nemo plane ignorat, priscos fœneratores singulorum mensium initio usuras exigere consuevisse. Horat. l. 1. Sat. 3.

.... *Fugit ut Drusonem debitor æris,*
Qui, nisi cum tristes misero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, &c.

Idem animadvertere licet apud Aristophanem in Nub. act. 2. sc. 1. ubi debitor inducitur, veneficam quærens, quæ lunæ cursum coerceat, ne mensi initium veniat, ærisque alieni causa ipse vexetur.

Et sabbathum, et aperiemus frumentum, horrea? Pergunt avarorum questus. Quadruplex est sabbathi usurpatio; 1. pro septima hebdomadis die, 11. pro ipsa hebdomade; 111. pro anno sabbathico, singulis septenniis recurrente; ac denique pro quolibet indiscriminatim die festo, quo servatur quies. Æquo frequentiores esse queruntur avari festos dies, vel septimi anni quietem, quo quicquam metere aut humum colere nefas erat; ea vero quæ arbores atque ager sponte ferebant, pauperibus advenisque relinquebantur (13). Ex his collige, festos dies, neomenias, annumque Sabbathicum in Israelis Regno fuisse religiosa. Nihil venum dari aut emi poterat diebus festis aut Sabbatho; & elapso anno Sabbathico, carior annona esse debebat, cum nulla messis præcessisset. *Quando finierit Sabbathum, & aperiemus horrea*, frumentum venditum?

Imminuamus mensuram, et augeamus siclum. Avari merces minimis mensuris dabant, argentum maximo pondere accipiebant; nullus enim tunc erat cusæ pecuniæ usus, certo pondere & pretio. Emptor argentum in taleas formatum, vel in frusta concisum exhibebat; idque ponderans venditor, tantum sibi ex eo sumebat, quantum uterque convenerant. Fraudes emendo vendendoque nasci facillimas prævidens Moyses vetuit, nequis duplex pondus duplicemque mensuram haberet; majorem qua acciperet, minorem qua daret; pondus minus cum argentum solveret; majus cum acciperet (14). Hoc mensurarum ponderumque discrimen odiosum est Deo, inquit Sapiens (15). Hebræus hic habet (16): *Ad minuendum epha, & augendum pondus*, vel siclum. Septuaginta (17): *Ut minuamus mensuram, & augeamus pondus*. Epha cavæ mensuræ genus erat, pintas continens novem & viginti, sextarium, hemisextarium, quartam sextarii partem, & aliquanto amplius, mensuræ Parisiensis. Epha pro qualibet indiscriminatim mensura hic usurpatur.

Stateras dolosas, quarum lances æquo pondere non sint, justoque æquilibrio.

℣. 6. Ut possideamus in argento egenos. Ut ii servorum more vendere cogantur, aut pignore obligare patrimonium, fundos, supellectilem, ac denique filios, earum rerum loco, quæ nos fœnori dederimus.

Et pauperes pro calceamentis (18), ut inopes vilissimo pretio opprimamus, nullo prope dispendio. In extrema rerum inopia, qua laborant, se ipsos nobis mancipiorum nomine dedere cogentur. Commune vel apud Christianos vitium, inter quos frequenter locupletes minimi emunt pauperum bona, merces, operas, labores; atque ita fratrum inopia & infortuniis abutuntur, ut illos in dies opprimant, atque indignissimis sævissimisque artibus ipsi locupletentur.

Quisquilias frumenti vendamus. Hebræus (19): *Deciduum frumenti vendamus*; quisquilias & excreta, quæ cadunt, ubi frumentum cribro purgatur. Septuaginta (20): *Et ex omni appositione*, ex omnibus quæ exhibebuntur, *nundinemur*.

℣. 7. Juravit Dominus in superbiam Jacob, adversus Israelitarum luxum in ædificiis opibusque male paratis; adversus Jacobi superbiam, qua pauperes spernit, & iniquissime opprimit. Superbia Jacob (21) intelligi etiam possunt illius templa, Dii, aurei vituli, quibus ille gloriabatur, vel Deus ipse, cujus nomine ceu superbiæ argumento abutebatur, se in illius tutela esse, ejusque populum appellari jactans, dum ipsum flagitiis & superstitione provocabat. Deus ipse juravit per gloriam Jacobi, &c. Non uno Scripturæ loco superbia Jacob pro Israelis Deo seu Templo usurpata legitur (22).

℣. 8. Ascendet quasi fluvius universus. Ut ager, quem fluvius pleno amne inundat. Hebræus (23): *Innundabitur amne tota ipsa* regio. Septuaginta (24): *Ascendet*, inundabit, *quasi fluvius consummatio*, cædes.

Et defluet quasi rivus Ægypti. Evertetur, dissipabitur, diripietur Regio, quemadmodum Nili aquæ post aliquot inundationis dies dissipantur. Vel: Amnis Israelem inundaturus, ceu Nilus post alluvionem dissipabitur. Hostes Samariæ regnum invasuri, eo direpto, ablatisque omnibus, quæ in eo fuerint, denique recedent. Hebræus (25): Regio, *extolletur quasi fluvius, inundabit, & evelletur, & rigabitur*, quasi *rivo Ægypti*. Compertum est, Nilum quotannis per æstatem exundare, universamque Ægyptum veluti obrutam aquis sex hebdomadarum spatio occupare. Rapida est Nili alluvio, multum limi secum trahens; quamobrem Ægyptus tota a priscis dicitur Nili donum (26); eaque regio ex humo flumine advecta coaluisse (27): *Cujus diripuerunt flumina terram ejus*. Hoc idem fortasse dicit Amos: Israelis terram invadet hostis, avellet, rapietque, quemadmodum Nilus exundans interdum aggeres rumpit, magnamque humi vim secum trahit ex iis locis, quæ præterfluit. Vide capus ix. 5. ubi eadem ferme sententia legitur.

℣. 9. Occidet sol in meridie. Locum hunc Usserius (28) ad verbum explicat de Solis Eclypsi, quæ Amosi ætate sacra Pentecostes die contigit, anno mundi 3213. vel de altera post decem annos in Tabernaculorum festo, vel denique de tertia quadam, quæ sequenti anno visa est per Paschatis dies. Patres vulgo interpretantur de Eclypsi, qua Sol Christi in Cruce pendentis mortem lugere visus est. Nos tamen cum S. Hieronymo hic, Theodoreto (29), aliisque optimis Inter-

(10) Ita Vat. Livel. Drus. Mercer. Riber. Rufin. Sanct. (11) Vide 1. Reg. xx. 5. Osee II. 51. (12) Num. 2. 10. xxviii. 11. (13) Levit. xxv. 2. 3. & sequ. Vide Chald. Cyrill. Grot. Vat. Mercer. Hebræus. (14) Deut. xxv. 13. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus; nec erit in domo tua modius major, & minor.* (15) Prov. xx. 10. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* (16) להקטין איפה ולהגדיל שקל (17) Τὸ ποιῆσαι μικρὸν τὸ μέτρον, καὶ τὸ μεγαλῦναι στάθμιον. (18) בעבור נעלים (19) ומפל בר נשביר (20) Καὶ ἀπὸ πάντος παραθέσεως ἐμπορευσόμεθα. (21) גאון יעקב (22) Vide Levit. xxvi. 19. Deut. xxxiii. 29. Psal. xlvi. 5. Ezech. xxiv. 21. (23) ועלתה כיאר כלה (24) Ἀναβήσεται ὡς ποταμὸς ἡ συντέλεια. (25) ונגרשה ונשקה כיאור מצרים (26) Herodot. lib. 2. c. 5. (27) Isai. xviii. 2. (28) Usser. ad an. M. 3213. (29) Theodoret. in hunc loc. Τότε, ὁ ἥλιος μεσούσης ἡμέρας εἰς σκότος μεταβληθῆναι ἔδοξε τοῖς κατεχομένοις ὑπὸ τῆς συμφορᾶς.

Interpretibus (30) censemus, his verbis terrorem significari, ac formidinem, quibus obruendus erat Israel aspectu malorum, quibus uno impetu erat opprimendus. *Dies illa diem captivitatis significat ..... quibus præ tristitiæ magnitudine occidet sol meridie & clara omnibus luce, tenebræ cuncta complebunt*, inquit S. Hieronymus. Paria his vide apud Jeremiam, xv. 9. & Joelem, iii. 11.

℣. 10. Super omne caput calvitium, ut in luctu usuvenit. Audita filiorum morte, capillos totondit Job, & humi sedit: Job 1. 20. Jeremias miserrimam mortem Judæis minitans, ait 16. 6. *Non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* Vide & Isaiam xv. 2. & Micheam, 1. 16. *Decalvare & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila.*

Quasi luctum unigeniti. Id proverbii loco pro ingenti dolore luctuque insolito usurpabatur. Vide Zachariam xii. 10. *Plangent eum planctu quasi super unigenitum*; & Jeremiam vi. 26. *Luctum unigeniti fac tibi.*

℣. 11. Non famem panis, nec sitim aquæ, sed famem & sitim audiendi verbum Domini. Cum ea, quæ Dei nomine vobis nuncio, audire detrectetis, meque pellatis patria, ne deinceps loquar (31), veniet tempus, prædico, quo Prophetam aliquem audire, quidve vos maneat nosse cupietis; at irrita erunt vota. Id expletum est, quo tempore Samariæ Regnum eversum cecidit. Nullus tunc in Israele Propheta fuisse videtur; eoque solatio per totum captivitatis tempus Israelitæ caruerunt. Unum novimus Tobiam, quem Deus spiritus sui participem effecerit, qui tamen vir justus potius quam Propheta censebatur; cum vaticinium in illius Carmine exaratum (32) cæteris pene ignotum fuerit, ac diu postea, quadragesimo scilicet captivitatis Israeliticæ anno, expletum sit. Fames verbi Domini, de qua Amos, aptiore etiam Judæis post Christi necem convenit; misera enim gens, suas inter tenebras relicta, nullum a Deo argumentum videt, quo sibi Deum adesse intelligat. Nullus jam illis Propheta est, nullus Princeps, Pastor nullus. Divina oracula, quorum ipsa custos electa fuerat, legit semper, nunquam intelligit (33). Vide S. Hieronymum hic.

℣. 12. A mari usque ad mare. A *mari* mediterraneo, quod ad Palæstinæ occidentem jacet, usque ad *oceanum*, qui ad meridiem; *& ab aquilone usque ad orientem*; in omnibus denique terræ partibus, ad quas ejiciemini. *Mare* plerumque pro occidente usurpatur, cum Mediterraneum ad Palæstinæ occidentem jaceat. Oppositum huic mare procul dubio est oceanus; statim enim Propheta aquilonem nominat & orientem, ceu terminus his duobus oppositos.

℣. 14. Qui jurant in delicto Samariæ; per Baalem, qui Samariæ colebatur. Jehu Israelis Rex, everso Baalis Templo, locum in cloacam converterat (34). Illud a successoribus restitutum fuisse non legimus; at certum omnino est, populum a falsi hujus Numinis cultu non recessisse (35): *Adoraverunt universam militiam Cœli, servieruntque Baal*; eamdemque religionem usque ad absolutum Regni Israelis excidium renuisse.

Vivit Deus tuus, Dan; at vivit via [Religio] Bersabee. Joroboam filius Nabath, primus decem Tribuum Rex, ex aureis vitulis alterum in Dan prope fontes Jordanis dedicaverat. Jeroboami II. ætate, religiosa ad Bersabee (36), vel ad excelsa Isaaci, ut ait Amos 7. 9. itinera magno studio frequentabantur. Jurabat populus per Deum qui in Dan colebatur, & per alterum, cujus altare in Bersabee stabat. Verus fortasse omnium Deus is erat; cum tamen illius religio superstitionibus misceretur, iisque in locis & ea ratione, quæ ipse non probabat, exerceretur; merito populum arguit Propheta, horum Numinum nomine jurantem, quasi non unus haberetur in Israele Deus. Hebræus ad verbum (37): *Vivant Dii tui, Dan; & vivat via tua*, Religio tua, cultus tuus (38), *Bersabee*. Via pro more cultuque usurpatur: *Si quos invenisset hujus viæ viros*, Act. 9. 2. Moyses (39): *Ostendas populi cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant.* Alii (40) absolute de religiosis ad Bersabee itineribus interpretantur. Septuaginta: *Vivit Deus tuus, Dan, & Deus tuus, Bersabee.*

(30) Vatab. Sanct. Grot. Mercer. Druf. &c. (31) Vide Sap. vii. 12. . . . 16. (32) Tobiæ xiii. 3. & seq. (33) Hieron. Cyrill. Dionys. Hugo, Mont. Figuer. Mercer. (34) 4. Reg. x. 18. & sequ. (35) 4. Reg. xvii. 16 (36) Amos v. 5. (37) חי אלהיך דן וחי דרך באר - שבע (38) Ita Chald. Druf. Grot. Mercer. Sanct. &c. (39) Exod. xviii. 20. (40) Ita Munst. Vat. & alii non improbant.

CAPUT IX.

Absolutum impiorum exitium. Davidis domus iterum surget, atque ut olim regnabit. Israelis captivi revocabuntur, eorumque urbes in pristinum statum restituentur.

℣. 1. VIdi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem, & com-
moveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium, & novissimum
eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non salvabitur ex eis,
qui fugerit. 2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: &
si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos. 3. Et si absconditi fuerint in
vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celaverint se ab oculis meis in
profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. 4. Et si abierint in capti-
vitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos
meos super eos in malum, & non in bonum. 5. Et Dominus Deus exercituum,
qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicut
rivus omnis, & defluet sicut fluvius Ægypti. 6. Qui ædificat in cœlo ascensionem
suam, & fasciculum suum super terram fundavit; qui vocat aquas maris, & effun-
dit

dit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus. 7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene? 8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ: verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus. 9. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. 10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicent: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum. 11. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis. 12. Ut possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. 13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator uvæ mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. 14. Et convertam captivitatem populi mei Israel: & ædificabunt civitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. 15. Et plantabo eos super humum suum: & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

℣. 1. VIDI DOMINUM STANTEM SUPER ALTARE; ET DIXIT: PERCUTE CARDINEM, ET COMMOVEANTUR SUPERLIMINARIA. Pergunt superioris capitis vaticinia. Dixerat Amos VIII. 3. *Stridebunt cardines Templi in die illa: multi morientur: in omni loco projicietur silentium*. Hic vero, ut doceat, hujusmodi minarum fidem mox completum iri, ait, visum sibi esse Dominum, super altare stantem, sibique (1), vel Angelo (2) imperantem: *Percute cardinem, & commoveantur superliminaria; novissimum eorum in gladio interficiam*; omnes, nemine excepto. Altare, cui Dominus stans insistit, procul dubio Templi Jerosolymitani est; veri enim simile non videtur, verum Israelis Deum super aras Templorum Bethelis aut Samariæ, quæ ipse execrabatur, stetisse. Idem Amos I. 2. Deum ceu leonem e Sione rugientem, atque ab Jerosolymis clamantem exhibet. Jubet Deus feriri fores, easque pandi, quippe sese mox proditurum, suamque in hostes vindictam exerciturum; in decem Tribus (3), quarum Templa evertenda erant, delendum penitus Regnum, populusque vel in cædem vel in captivitatem rapiendus. Fores feriendæ & quatiendæ Israelem universum significant, mox vastandum ab Assyriis ac diripiendum.

Reddi Hebræus potest (4): *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute malum punicum* (vel sphærulam liminis superi, vel axem), *& commoveantur postes*. Septuaginta (5): *Percute propitiatorium, & commovebuntur propylæa* (vestibula). *Caphtor*, quæ vox plerumque malum punicum, seu sphærulam & pomum significat, quamdam etiam portæ partem, non satis notam, designat. Minitatur Sophonias (6) eversum iri Assyriorum Metropolim, ferasque in illius *Caphtorim* commoraturas. Explicare videtur Chaldæus de sphærulis aurei Candelabri, quas Moyses frequenter *caphtorim* nuncupat. Extinctum iri ait candelabrum, totumque vaticinium de excidio decem Tribuum explicat; cujus sententiam Interpretes eruditissimi amplectuntur (7). At tota orationis series eo ducit, ut hæc verba ad decem Tribus referamus, uti diximus.

AVARITIA IN CAPITE OMNIUM, ET NOVISSIMUM EORUM IN GLADIO INTERFICIAM. Vel (8): Avaritiæ suæ pœna in ipsorum capita cecidit, omnesque illorum posteros gladio perdam. Sive: Omnes illorum Principes avaritia occupantur; illorum proceres avaritiam sequuntur; quamobrem ex illis vel novissimos interficiam. Reddunt alii (9): *In frusta concidam*, vel concidet, *eos qui sunt in capite omnium eorum, & posteritatem eorum gladio interficiam*. Septuaginta (10), aliis bene multis assentientibus, imperativo modo reddunt: *Concide*, feri *capita omnium eorum*, & eos qui reliqui ex iis fuerint, gladio cædam.

NON ERIT FUGA EIS. Hebræus (11): *Non elabetur qui ex eis fugerit; & qui evaserit, non servabitur*. Qui discrimine elapsos se esse putavesint fuga, communi cæterorum calamitate obvolventur: in tutissimis etiam asylis illos scrutabor.

℣. 2. SI DESCENDERINT USQUE AD INFERNUM, in imas terræ partes, in specus abditissimos. Eo elabi solebant Hebræi, ubi regio ab hostibus infestaretur. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades*. Psal. 138. 8.

℣. 3. IN VERTICE CARMELI. Carmeli vertex frequens erat lucis specubusque, aptis in formidine perfugiis.

IBI MANDABO SERPENTI, ET MORDEBIT EOS. Vel: Monstrum æquoreum in illos mittam, ipsos voraturum. Pisces ab Hebræis inter reptiles bestias seu angues recensebantur (12). Hebræa vox (13) vulgo anguem significat. Septuaginta (14): *Præcipiam draconi, & mordebit eos*. Interpretes passim (15) piscem carnivorum, seu monstrum marinum intelligunt.

℣. 4. SI ABIERINT IN CAPTIVITATEM, IBI MANDABO GLADIO. Illi ipsi, qui sævissimam captivitatem subierint, nihilque miserius sibi contingere posse crediderint, iram meam experientur. Hostium gladiis illos tradam: furoris mei oculis illos sequar.

℣. 5. ASCENDET SICUT RIVUS OMNIS, ET DEFLUET SICUT FLUVIUS ÆGYPTI. Eadem ferme sententia legitur Capite VIII. 8. Hebræus (16). *Ascendet*

(1) Hieron. Cyrill. Sanct. (2) Ita Theodoret. Lyr. Mercer. Drus. Grot. (3) Cyrill. Rufin. Isid. Pagn. Castr. Sanct. Tarnov. (4) הך הכפתור וירעשו הסיפים (5) Πάταξον τὸ ἱλαστήριον, καὶ σεισθήσεται τὰ πρόπυλα. Legunt כפרת *Caphoret*, pro כפתור *Caphtor*. (6) Sophon. II. 14. בכפתריה ילינו (7) Hieron. Theodor. Lyr. Grot. Mercer. (8) ובצעם בראש כלם ואחריתם בחרב אהרג (9) Pagn. Mont. Lud. de Dieu, Tarnov. Vatab. Arab. (10) Διάκοψον εἰς κεφαλὰς πάντων. Vide Mercer. Drus. Jun. Pisc. (11) לא ינוס להם נס ולא ימלט להם פליט (12) Vide Job XXVI. 13. Isai. XXVII. 1. & Levit. XI. 46. Psal. XXVIII. 33. CIV. 25. (13) אצוה את הנחש ונשכם (14) Ἐντελοῦμαι τῷ δράκοντι, καὶ δήξεται αὐτούς. (15) Hieronym. Theod. Chald. Grot. Mercer. alii. (16) ועלתה כיאור כלה ושקעה כיאור מצרים ℣. 8. cap. VIII. legitur: עלתה כאור כלה ונגרשה ונשקה כיאור מצרים

sicut amnis, & dissipabitur ut fluvius Ægypti. Regio universa uno impetu veluti amne obruetur; atque hic amnis instar Nili aquas contrahet. Septuaginta ferunt solummodo (17): *Ascendet sicut fluvius Ægypti*. Israelis mala cum alluvione comparata jam supra vidimus, Capite v. 24.

℣. 6. Qui ædificat in cœlo ascensionem (solium) suam, et fasciculum suum (cœtum asseclarum) super terram fundavit. Hebræus (18): *Ædificavit in cœlis ascensus suos, & cœtum suum super terram*. Vel: *Ædificavit in cœlis cœnacula sua* (19), *& familiares suos* (20), servos, famulos, *super terram*. Aliter: Statuit in cœlo solium suum, & scabellum suum super terram. Septuaginta (21): *Ædificans in cœlum ascensionem, & promissionem super terram fundans*. Quæ verba tropico & morali sensu intelligi queunt.

Vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, alluvionibus quæ interdum fiunt; vel potius aquis, quæ in vapores sublatæ, deinde in imbres conversæ cadunt. Vide supra v. 8.

℣. 7. Numquid non ut filii Æthiopum, vel Chuschim, estis mihi? Docuimus alibi, Chus eam Arabiæ partem tenuisse, quæ circa borealem Erythræi extremitatem jacet; eodemque nomine Chus appellatos esse Scythas atque Æthiopes. At quocumque modo usurpetur, eæ profecto gentes nihilo magis a Deo curantur, quam quæ despectissimæ. Amos, ut fiduciam falso ab Israelitis conceptam removeret, Deo scilicet suas ipsorum res multo magis cordi esse, quam ut illos absoluto penitus exitio perire pateretur, docet, ipsos post seditionem nihilo pluris a Deo fieri, quam Æthiopes. Populi mei appellatione indignos vosmet effecistis superstitionem & idola sectati, a fœderis mei beneficio quodammodo excidistis. Vos me, ego vos desero. At nonne tu ipse, o Deus, nos ab Ægypto reduxisti? Omnino; at nonne idem ego & Philisthinos & Caphtor, & Syros e Kir accersivi? Ii ne idcirco servi mei sunt, & gens mea?

Numquid non ascendere feci Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene? Hebræus (22): *Nonne eduxi Philisthiim de Caphtor, & Aram de Kir?* Philisthinorum origo e *Caphthor* insula, & parentibus *Caphthorim*, luculentissime traditur in Moyse (23) & Jeremia (24). Conjecturas dedimus in Genesi, quibus nomine Caphtor Cyprum Insulam significari putabamus; & in primo Regum Libro pro Creta pugnavimus. De *Aram* seu Syris, e regione *Kir* profectis, nihil addimus iis, quæ in Genesi x. 22. congessimus. Illud tantummodo scimus ex 4. Regum libro xvi. 9. & primo Amosi Capite, ℣. 5. Syros Damascenos in regionem Kir a Theglathphalassaro ductos esse captivos; atque Interpretum nonnullos existimare (25), reditum hujus gentis in patriam ceu præteritum ab Amoso spectari, quamquam ætate sua longe posteriorem. Reddunt Septuaginta (26): *Eduxi Syros de fovea*. Theodotion *Kir* vertit *murum*; Symmachus *Cyrenaicam*.

℣. 9. Sicut concutitur in cribro triticum, & bonum a malo & quisquiliis excernitur; ita Israelis gens inter gentes agitabitur & dispergetur, donec quicquid vitiosum, corruptum, malumque in ea est, a bono integroque sejungatur. Septuaginta (27) & alii quidam Interpretes Hebræum reddunt: *Quemadmodum cum ventilatur in ventilabro*, in ventum projicitur; ita enim Veteres triticum in area purgabant.

Et non cadet lapillus super terram. Triticum in ventum ita projiciam, ut nonnisi triticum in aream cadat; neque paleam, neque pulverem, neque lapillum secum trahet. Septuaginta (28): *Non cadet contritio*, granulum *super terram*.

℣. 10. Non appropinquabit ..... super nos malum. Ita blandiebantur sibi impii increduli que, ii, quos alibi arguit (29), quod diem Domini optaverint, ac superbe dixerint: *Ubi est verbum Domini? veniat*. Jerem. xvii. 15.

℣. 11. In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit. Lapso Israelis Regno, diu adhuc stetit Regnum Juda, ac magnopere floruit, regnantibus Ezechia & Josia. Reliqui ex Israelitis accesserunt Judæ, & ad Dominum plerique rediere (30). At breve adeo tempus, & levem adeo felicitatem Davidicæ Domus spectasse Propheta nullo modo videtur. Verba quibus utitur, ad ætatem soluta captivitate posteriorem, ac fortasse ad ipsa Christi tempora nos ducunt. Davidicæ Domus ruinæ & Imperium, quemadmodum olim in Idumæam omnemque gentes, restituta & confirmata nonnisi sub Jesu Christi Regno, ejusque Ecclesiæ Principatu fuere. Brevis & angustissimis terminis definita potestas, & mutuo accepta, ac Regibus Assyriis eorumque Præfectis Regio nomine missis obnoxia authoritas Zorobabeli fuit. Absoluto Principatu Judæa gens nonnisi diutissime post captivitatem & sub Asmonæis gavisa est. Porro Asmonæi neque ad Judæ Tribum, neque ad Davidis familiam spectabant. Cum expletum dicitur vaticinium in Asmonæorum Imperio, gentem moderantium, sub Judæ vel Judæorum nomine cognitam, ea profecto neque absoluta est, neque integra, neque literalis vaticinii fides; illud quippe instabile Imperium fuit, ad alterum nobilius ducens. Ita explicabat S. Jacobus in prima Synodo Jerosolymis habita (31).

℣. 12. Ut possideant reliquias Idumææ. Idumæam expugnavit David, eaque regibus Juda usque ad Joramum paruit (32). Ab eo tempore libera mansit usque ad Nabuchodonosorem, qui incolas captivos traxit (33). Idumæorum igitur reliquiis, soluta captivitate, imperaturam Davidis Domum, vaticinatur Amos. Illos profecto Hircanus Asmonæus iterum ditioni suæ addidit, & circumcisionem ritusque Judaicos admittere coegit (34). Hic, quamquam Levitico, non Davidico genere satus, Davidis Regnum tenuit.

Et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos. Gentibus, quibus olim imperavit, iterum dominabitur Israel. Paruere Israelitis Moabitæ, Ammonitæ, Arabum pars post Macchabæos & sub Herode. At integra horum vaticiniorum fides nonnisi sub Jesu Christi Regno ejusque Ecclesia expleta est. Universas ille gentes sibi subdidit, & sub uno Christianorum nomine

[17] Καὶ ἀναβήσεται ὡς ποταμὸς Αἰγύπτου. [18] הבונה בשמים מעלותו ואגדתו על ארץ [19] עליותיו pro מעלותיו *Cœnacula ejus*. [20] אגדה significat turmam, cœtum. 2. Reg. II. 25. ויהי לאגדת אחת Duci potest ex גדוד vel גדד [21] Ὁ οἰκοδομῶν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνάβασιν, καὶ τὴν ἐπαγγελίαν ἐπὶ γῆς θεμελιῶν. [22] הלא את ישראל העליתי .... ופלשתיים מכפתור וארם מקיר [23] Genes. x. 14. *Chasluim, de quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim*. Et Deuter. II. 23. *Hevæos expulerunt* (Caphtorim,) *& habitaverunt pro illis*. [24] Jerem. XLVII. 4. *Vastavit Dominus Philisthiim, residuum insulæ Caphtor*. [25] Vide Vat. & Mercer. [26] Καὶ τοὺς Σύρους ἐκ βόθρου. [27] כאשר ינוע בכברה Septuag. Ὃν τρόπον λικμᾶται ἐν τῷ λικμητῷ. Ita Jun. Tremel. Piscat. Grot. [28] Edit. Complut. Καὶ οὐ πεσεῖται σύντριμμα ἐπὶ τὴν γῆν. Hieron. legit: *Contritio*. Ita & Edit. Rom. Σύντριμμα. Heb. צרור ארץ *Lapillus terræ, aut granum terræ*. [29] Amos v. 18. *Væ desiderantibus diem Domini*. [30] 2. Par. XXXIV. 6. 9. XXX. 11. & XXXI. 6. [31] Act. XV. 14. *Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit*, &c. Vide Theodoret. Hieron. hic, & Aug. lib. 18. c. 28. de civit. [32] 4. Reg. VIII. 20. [33] Vide Jerem. XXVII. 3. [34] Joseph. Antiq. lib. XIII. cap. 17.

ne conjunxit: *Eo quod invocatum sit nomen meum super eos*. Septuaginta (35) in hujus loci versione magnopere dissident a Vulgata: *Ut exquirant me reliqui hominum, & omnes gentes, super quos invocatum est nomen meum super eos*. Idem hic locus ex fide Septuaginta Interpretum recitatur in Actis Apostolorum xv. 17. *Ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum*. Legunt *Adam*, homines, pro *Edom*, Idumæis; eædem enim in utroque Hebraico vocabulo literæ sunt.

℣. 13. Comprehandat arator messorem. Sententia ex agricultura ducitur, uti passim solet Amos. Anni tempora neque siccitate, neque aliis e Cœlo plagis turbabuntur (36). Agricolarum labores felici ac stabili ordine se invicem sequentur. Idem hoc pollicetur Moyses (37) Israelitis, qui fidem integram Domino servaverint.

Stillabunt montes dulcedinem mellis. Vel (38): Musto ex uvis aliisve fructibus manabunt montes. Chaldæus: *Plurimum vini mei producent montes*.

℣. 14. Convartam captivitatam populi mei Israel. Israelitas decem Tribuum e captivitate reversuros, passim vaticinatur Scriptura. Vide nostram Dissertationem de hoc argumento.

FINIS COMMENTARII IN AMOS.

IN ABDIAM

PROLEGOMENON.



DE gestis, obitu, ætate, patria & missione Abdiæ, silente prorsus Sacra Scriptura, nihil habemus, præter id quod Authorum Judæorum & incertarum traditionum fide, minimæ quidem authoritatis, memoriæ proditum est. Originem tulisse creditur e Bethacamar, sive Bethacaron, prope Sichem, in Tribu Ephraim (1): quo etiam patrio sepulcro illatum ferunt. S. Hieronymus (2), post veteres Judæos, in eam sententiam inclinasse videtur, quæ Prophetam cum viro cognomine, Oeconomo domus Achabi, absconsis in specu centum Prophetis, a Jezabele ad cædem destinatis, illustri (3), confundit. Proselytus etiam fuisse fertur, & unus idemque cum Centurione, tertio loco misso ad evocandum Eliam e monte, quem Propheta ab igne, quo duo priores Centuriones interierant, immunem voluit (4). Malunt alii virum dare viduæ Sunamitidis (5), cujus filium Elisæus e mortuis revocavit (6). Qua posita posteriori sententia, statuimus etiam, Abdiæ filium fuisse Jonam Prophetam, cum Judæis authoribus Jonas e vidua Sunamitide matre prodierit.

R. Salomon docet, Abdiam Proselytum fuisse Idumæum, amicitia Achabi & Jezabelis potentem; id quod ille tanquam communi suffragio apud suos receptum tradit. Hanc sententiam fulcit Codurc. Præfat. in Job. sed ab aliis Rabbinis vulgo rejicitur. Sunt (7) qui putent esse Abdiam illum, qui (8) missus dicitur a Josaphato per Urbes Juda, ut populos edoceret. Abdiam alterum suggerit Livellus sub Josia Rege Juda, Levitam, e familia Merari (9). Nos autem, ne conjecturas conjecturis cumulemus, ignorantiam ea in re professi, nullis addicti partibus, in re incerta judicium cohibemus; hujus enim ambiguitatis nullum est indicium certius, quam opinionum varietas.

De tumulo Abdiæ, Sebaste, alio nomine, Samariæ, Palæstinæ posito, sermo est apud S. Hieronymum (10), narrantem, a S. Paula una cum sepulcro Elisæi & S. Joannis Baptistæ cultum esse, prodigiis clarum. Sed hunc Abdiæ tumulum a S. Paula visum, loculum fuisse tantum, ubi ejus olim cineres jacebant, agnoscamus oportet; rerum enim potiente Juliano Imperatore Ethnicos, omnia Prophetarum sepulcra, incensis sacris ossibus, & cineribus una cum profanis animalium cineribus mistis in ventum sparsis, spoliasse circa annum 362. constat (11).

Qua tenemur ignorantia obitus gestorumque Abdiæ certum ejus missionis tempus ignoramus. Si Oeconomum domus Achabi gessit, senior centum annis quam cæteri Prophetæ, quorum scripta supersunt, constituendus erit. Qui vero prædicta ab illo mala, in Idumæos a Sennacheribo illata, contendunt, illi Achazo & Ezechiæ Regibus Juda coætaneum faciunt. Nos ex ejus scriptis collegisse putamus, illum post excidium Jerosolymæ eadem, qua Jeremiam, ætate vixisse. His autem persuademur.

Abdias ultimum excidium Idumææ minitatur; hostes enim eam invasuros subito impetu tanquam fures, prædamque universam ablaturos, abdita quæque Idumææ scrutaturos, ac tandem

---

(35) Ὅπως ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς. (36) Supra iv. 6. 7. (37) Levit. xxvi. 5. (38) הטיפו ההרים עסים Vide Vat. Mercer. Pisc. Tig. Ita & Chald. וירבון טוריא חמר בירת (1) Pseudo Epiph. & Pseudo-Doroth. Isidor. &c. (2) Hieron. in Abdiam, & Epiphan. Isidor. Doroth. Chronic. Alexan. Rupert. Sixt. Senens. in Abdiam, Montan. in Præfat. in xii. Proph. Genebr. Chronic. anno 3272. &c. (3) 3. Reg. xvii. 4. (4) 4. Reg. i. 13. (5) Lyran. in 4. Reg. iv. 34. (6) 4. Reg. xviii. 22. (7) Vide Sanct. Proleg. 2. num. 5. (8) 2. Par. xvii. 7. (9) 2. Par. xxxiv. 12. (10) S. Hieron. princip. Comment. in Abdiam, & in Epitaph. Paulæ. (11) Vide Julian. Misopogon. & Baillet, vie des SS. du V. Testam. 14. Juin. & 19. Novemb.

Idumæos ipsos e regione sua pulsuros prædicit (12). Hæc autem mala, inquit, in eorum caput ab ipsis fœderatis suis, communi mensa utentibus, imminent (13); quod ipsis ob injustitiam & sævitiam in fratres suos ex Juda inferetur (14). Exprobrat illis Propheta cædes & immanitatem, quibus in miseros sævierunt, cum ab hostibus fusi dissipatique, atque Urbibus suis spoliati, tum & Jerosolyma inter victores sorte divisa, palantes fugerant; tunc enim Edom, mistus cum populi hostibus in eorum cædem conjurabat. Norint proinde, ait Abdias, Idumæi, se in exemplum ultionis venturos (15), eodemque, quo cæteros, fato sese perituros. Tunc malo suo discent, neque ob Regnum Juda evastatum plaudere, neque ductis in captivitatem insultare; nec tandem per captæ Jerosolymæ compita discurrent, nec exitus viarum obsidebunt, ut salutem fuga quærentes (16) interficiant. Hæc plane omnia Judæos mala jam premebant, cum Abdias in Idumæos vaticinaretur; quare Jerosolyma jam capta, Judas captivus detinebatur.

Prænunciatis deinde in Idumæos malis per Chaldæos inferendis, alia deinde a Juda illis imminentia persequitur; prædicit enim futurum tandem, ut Jerosolyma restituatur, vetus sanctitas & religio montis Sion redeat, totaque late ditio, olim a Jacobo possessa, veteres Dominos agnoscat; atque ita restituti Israelitæ, veluti advecto in Idumæam igne, eorum regionem in paleæ modum accendant, jugumque Idumæis injiciant (17). Tandem non obscure prædicit futuram Judæorum & Israelitarum in patriam restitutionem (18). Ex his omnibus aperto satis argumento demonstratur, Abdiam Prophetam egisse in Tribu Juda post captam Jerosolymam, eo temporis intervallo, quod inter captam Urbem usque ad vastatam Idumæam armis Nabuchodonosoris, anno XXIII. ejusdem Principis, & quinto post eversam Jerosolymam & Templum (19), intercessit. Nec est quod miremur, si Propheta post eversam Jerosolymam in Juda oracula fundebat. Jeremias a captivitate immunis fuit, Propheta Habacuc (20) in eadem regione vivebat, cum populus in captivitate detineretur.

Versiculus quartus Abdiæ, ex Oraculo Balaam de Cinæis (21), descriptus videtur. Versiculus octavus Abdiæ & septimus capitis XLIX. Jeremiæ totidem ferme literis conveniunt, quemadmodum & versiculi 9. & 10. ejusdem Prophetæ cum 5. & 6. Abdiæ; pariterque versiculus 12. Jeremiæ cum 17. Abdiæ. Tandem versiculi 1. 2. 3. 4. Abdiæ respondent versiculis 14. 15. 16. Jeremiæ. Uter eorum ex altero transcripserit, facile definitur, cum Jeremias Oracula in Idumæam funderet rerum potiente Joachimo, vel, ut serius, Sedecia (22). Solemne est autem Prophetis, alterum alterius verba de eodem argumento usurpare. Confer Mich. IV. 1. & Isai. II. 2.

(12) Abdias ℣. 5. 6. 7. 8. 9. (13) ℣. 7. (14) ℣. 10. 11. (15) Abdias ℣. 15. (16) ℣. 12. 13. 14 (17) ℣. 17. 18. 21. (18) ℣. 19. 20. 21. (19) Joseph. Antiqu. lib. 10. cap. 11. (20) Dan. XIV. 32. &c. (21) Num. XXIV. 21. (22) Vide nos in Jerem. II. 1.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN ABDIAM.

CAPUT UNICUM.

Vaticinium in Idumæos: horum superbia & sævitia in Judæos, atque exitium absolutum, Israelitæ e captivitate revertentur, & imperii fines in Idumæam finitimasque provincias prorogabunt.

℣. 1. Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a
Domino, & legatum ad Gentes misit: Surgite, & consurgamus adversus
eum in prœlium. 2. Ecce parvulum dedi te in Gentibus; contemptibilis tu es valde.
3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? 4. Si exaltatus
fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit
Dominus. 5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid
saltem

saltem racemum reliquissent tibi? 6. Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? 7. Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo. 8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau? 9. Et timebunt fortes tui a Meridie, ut intereat vir de monte Esau. 10. Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. 11. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis. 12. Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: & non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die angustiæ. 13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicies & tu in malis ejus in die vastitatis illius: & non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius. 14. Neque stabis in exitibus, ut interficias eos, qui fugerint: & non concludes reliquos ejus in die tribulationis. 15. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum. 16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes Gentes jugiter: & bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint. 17. Et in monte Sion erit salvatio, & erit sanctus: & possidebit domus Jacob eos, qui se possederant. 18. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. 19. Et hæreditabunt hi, qui ad Austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: & Beniamin possidebit Galaad. 20. Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: & transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri. 21. Et ascendet salvatores in montem Sion judicare montem Esau: & erit Domino regnum.

℣. 1. Visio Abdiæ. De iis quæ ad ipsum Abdiam, ejusque gesta & oraculorum tempus spectant, in Præfatione disputavimus.

Hæc dicit Dominus ad Edom, vel Edom (1), sive adversus Edom. Vaticinium, quod Deus ad Edom per me pronunciat. Judæi sub Edom nomine Romanos hoc loco intelligunt. Alii quidam Interpretes (2) Judæos ipsos sub Idumæorum appellatione designatos putant. Nos planius usurpamus; ipsoque Commentario docebimus, omnes vaticinii partes Idumæis optime convenire.

Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. Jeremias 49. 14. *Auditum audivi a Domino, & legatus ad gentes missus est*. Ut imminens Idumæorum exitium describat acrius Propheta, Deum describit exercitus cogentem, & fœderatorum copias, Idumæam invasurus. Decretum est bellum: supremum gentium Dominum audivi, legatos undique mittentem, ut exercitum moveat. Is gentibus imperavit; Convenite: junctis una viribus Edom proficiscamur. Chaldæos ille exercitus ducit, universam regionem occupaturos. Illud idem omnino videtur bellum, quod Josephus Antiqu. l. 10. cap. 11. narrat, & innuunt passim Prophetæ (3), a Nabuchodonosore in omnes Judææ finitimos illatum, quarto anno vel quinto post Jerosolymæ expugnationem. Quam sævierint eo tempore in Judæos Idumæi, narrat Abdias, qui & horum captivitatis, ceu rei diu præteritæ, meminit. Bellum in Idumæos illatum est sævitiæ causa, quam hi in extremis fratrum suorum angustiis exercuerant. Qui legati sint vel Nuncii, ad cogendos exercitus a Deo missi, disputatur. Ajunt nonnulli, ipsum esse Abdiam, vel Jeremiam; quidam (4) Messiam censent; alii Angelos Divinæ justitiæ administros; alii denique secretum voluntatis motum, quo Deus illos excitat, quos ad insolitum aliquod facinus vocat. Prophetæ, qui tropica plerumque oratione utuntur, motum hunc ceu nuncium describunt, a Deo missum, ut Divinarum jussionum executionem urgeat (4).

℣. 2. Ecce parvulum dedi te in gentibus. Idumæi, cum florentissimis terrarum populis, veluti Assyriis, Chaldæis, Ægyptiis, Syris, Arabibus, &c. comparati, minima procul dubio gens erant: at multo infelicior futura erat illorum conditio, post mala illorum Regnum vastatura, quæ Abdias hic minitatur. Vilis neglectaque gens, ita ne superbiendum erat, tuisque viribus fidendum, cum angustæ adeo, sterilis, miseræque regionis limitibus coercearis?

℣. 3. Habitantem in scissuris petrarum; exaltantem solium tuum. Hebræus (6) & Septuaginta (7): *Exaltantem domicilium tuum in scissuris rupium; efferentem habitationem tuam:* te ipsum in rupium verticem evexisti, & latuisti intra inaccessos specus, quos ipse tibi parasti. Teste S. Hieronymo hic ℣. 8. universa meridionalis ora Palæstinæ, ab Eleutheropoli ad Petram usque & Ailath, specubus scatebat in rupe excisis, & subterraneis casis, furnorum similibus (8), ubi incolæ vitam agunt. Hæ olim fuere Idumæorum sedes: *Omnis australis regio Idumæorum . . . in specubus habitatiunculas habet, & propter nimios calores solis, quia meridiana provincia est, subterraneis*

(1) כה אמר אדני יהוה לאדום Vide Sanct. Vatab. Jun. Munst. Livell. &c. (2) Vide, si lubet, Sanct. Proleg. 3. num. 8. (3) Vide Ezech. xxv. xxxv. xxxvi. Jerem. xxv. 21. 22. 23. & xxvii. 3. & 12. 7. (4) Hieron. Rupert. Remig. Glossa, Dionys. Hugo, Haimo. (5) Vide Sanct. hic num. 7. Theodoret. Cyrill. Rib. Lyran. (6) השיאך שכני בחגוי סלע מרום שבתו (7) Ὑψοῦντα κατοικίαν σου. (8) Idem in Amos 1. *Qui casas habuerunt furnorum similes, quas Afri appellant Mapalia.*

meis tuguriis utitur. Similem huic locum habet Jeremias (9): *Quæ habitas in petrarum foraminibus, & tenes collium altitudinem*. Ita etiam reddi potest: *Evexisti domicilium tuum in cavernis Sela* [Petræ, Idumæorum metropoleos], *in celsitudine habitationum tuarum*; in urbe situ editissima, & naturæ & artis beneficio munitissima. Domos Petræ nuncupat cavernas, nidos, quod ejus urbes, utpote in rupe conditæ, ædes intra rupem excisæ essent. Spernenda non est hæc versio.

℣. 4. SI INTER SIDERA POSUERIS NIDUM TUUM, INDE DETRAHAM TE. Te neque rupium tuarum sublimitas, neque specuum obscuritas, neque arcium arduitas meis viribus subtrahent. *Si ascenderit usque ad cælos superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur*, inquit Job cap. 20. 6. 7.

℣. 5. SI FURES INTROISSENT AD TE . . . QUOMODO CONTICUISSES? NONNE FURATI ESSENT SUFFICIENTIA SIBI, tibique saltem quod videretur, non reliquissent? Rapuissent illi quicquid auferre possent, aut occurreret: tu saltem furem clamasses. At quam inclementer te diripuere Chaldæi? *Quomodo scrutati sunt Esau?* Quid non scrutati sunt? quid reliquere? Ullam ne vocem edere potuisti? Nonne tuis te finibus ejecerunt? *Usque ad terminum emiserunt te*. Similis Jeremiæ locus habet (10): *Si vindemiatores venissent tibi, reliquos non fecissent racemos: & si fures noctu* irruissent, *tantum vastassent, quod satis sibi fuisset*. Addita interrogationis nota, reddi potest: *Si vindemiatores venissent ad te*, ut vineam tuam diriperent, *an non reliquos fecissent racemos aliquos? Et si fures noctu, &c.* Te saltem penitus non spoliassent: evasisses certe, neque illi omnia scrutandi tempus habuissent. *Sed ego nudavi Esau*, inquit Dominus, *revelavi abstrusa ejus*. Rem veluti præteritam narrat Propheta, cum nondum eo vaticinante contigerit.

℣. 7. OMNES VIRI FOEDERIS TUI ILLUSERUNT TIBI: INVALUERUNT ADVERSUM TE. Chaldæi, quos secutus es, quibus serviisti, in Judæos sævientibus, iidem illi tibi illudent, teque vastabunt. Israële expugnato, ejusque opibus direptis, tuus denique veniet casus, tuque ipse spoliaberis; at ita ut nihil tibi relinquatur, & extra patrias sedes ejiciaris. Teste Scriptura (11), Idumæi studiosissime opem tulere, cum Jerosolyma ejusque Templum diripienda erant.

QUI COMEDUNT TECUM, PONENT INSIDIAS SUBTER TE. Hebræus ad verbum (12): *Panis tuus, posuerunt plagam*, morbum, *subter te*. Quæ verba perspicue ad Vulgatæ sensum explicat Chaldæus: *Vescentes* pane *mensæ tuæ posuerunt offendiculum sub te*, sub pedibus tuis. Alii: *Fœderati tui pro pane*, quem exhibent, lethiferum virus supposuere. Septuaginta (13) omittunt, *panis tuus*.

NON EST PRUDENTIA IN EO. Paratos sibi laqueos non videt. Hæc verba nonnulli (14) referunt ad vulnus seu virus mox memoratum. Vulnus est, quod non times: minime sentientem occidet.

℣. 8. PERDAM SAPIENTES DE IDUMÆA. Sapientiæ Idumæorum frequenter meminere Sacri Scriptores. *Numquid non ultra est sapientia in Theman?* inquit Jeremias 49. 7. *Periit consilium a filiis* Edom; *inutilis facta est sapientia eorum*. Eliphaz, Jobi amicus, sapientia clarissimus, Themanites erat; quæ urbs celebris inter Idumæos fuit. Idem ipse Job genus ex Idumæis referebat.

℣. 9 TIMEBUNT FORTES TUI A MERIDIE. Hebræus (15): *Formidabunt fortes tui Thmanitæ*. Theman Idumæorum urbs erat, quindecim millibus passuum a Petra, ætate S. Hieronymi, præsidio Romanorum nota (16).

℣. 10. PROPTER INTERFECTIONEM, ET PROPTER INIQUITATEM IN FRATREM TUUM. Non una res fidem his verbis Abdiæ in Idumæos facit. *Post bella quæ Phacee Israelis & Rasin Syriæ Reges Achazo Regi Juda intulerunt, Philistini & Idumæi, miserrimum illud Regnum invadentes* (17), urbibus bene multis occupatis, ingentem prædam abstulere; & in angustis Judæorum rebus, cum Jerosolymam Chaldæi aggrederentur, arma illis junxere Idumæi: *Tu eras quasi unus ex eis*. Vetus odium pristinasque in Judam simultates exercuere, cæsis quibuslibet obviis, hostibusque excitatis, ut urbem Templumque ferro & igne delerent: *Exinanite, exinanite*, inquiebant, *usque ad fundamentum in ea*. Psal. 136. 7.

℣. 11. QUANDO CAPIEBANT ALIENI EXERCITUM EJUS. Illud spectare videtur, quod Sedeciæ Regi contigit, una cum custodibus & Principibus capto, cum illi una Jerichuntem versus noctu fugerent.

SUPER JERUSALEM MITTEBANT SORTEM. Urbe a Chaldæis expugnata, jactæ sunt sortes super exuvias, captaque bello mancipia; vel cum sortirentur, utrum cremanda esset urbs, an solo æquanda, Chaldæi enim omnia sorte decernebant, Idumæi, neglectis fratrum suorum laboribus & ærumnis, illorum hostibus accessere, ut injurias & mala malis cumularent.

℣. 12. ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI, fratrem tuum. Cum ipse malis obrutus fueris, atque hostium potestati traditus, fratri non illudes, tuis ipsius calamitatibus satis occupatus. Aliter: Fratrem tuum spernere, ejusque infortuniis insultare non debuisti. Futurum tempus pro eo quod agendum est & eventurum, frequenter usurpatur. Ita (18): *Hemor illusit filiæ Israelis: non fiet*; scilicet, id quod factum minime conveniebat. Vel: *Non despicies*, scilicet, cave ne despicias fratrem tuum.

NON MAGNIFICABIS OS TUUM (19); superbe non gloriaberis. Vel, arroganter illi non illudes; superba in illum minime loqueris. *Non magnificabis os tuum*, veluti qui oscitantur, vel linguam proferunt irrisionis causa; vel, ut ii qui superbiam & arrogantiam præ se ferunt (20).

℣. 13. ET NON EMITTERIS ADVERSUS EXERCITUM EJUS, IN DIE VASTITATIS ILLIUS. Alia omnia meditaberis, quam ut fratres tuos cæde fractos insecteris, opemque illorum hostibus feras, ne quis ex iis fugiat. Reddi potest Hebræus (21): *Nec immittes manum in copias ejus, in die cædis illius*. Septuaginta (22): *Neque simul adjungeris fortitudini, exercitui eorum* hostium, *in die perditionis eorum*.

℣ 14. ET NON CONCLUDAS RELIQUOS EJUS. Transitu non prohibebis, ne fugiant; vel, non cinges eos, ut hosti tradas. Poterant nullo negotio Idumæi facilem Judæis fugam dare, cum illi armis Nabuchodonosoris premerentur: poterant in ipsa eorum regione illos abscondere, vel in suam excipere; saltem non prohibere, ne illi in Ægyptum, Arabiam, aliamve regionem elaberentur: at inaudita prorsus sævitia, illorum hostibus sese addidisse non contenti, in itinerum angustiis stantes, obvios quoslibet necabant: in turmas per agros coacti, fugientes undique claudebant, ut illos furori Chaldæorum darent.

℣. 15. JUXTA EST DIES DOMINI SUPER OMNES GEN-

[9] Jerem. xlix. 16. *Qui habitas in cavernis Petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis.* [10] Jerem. xlix. 9. אם בצרים באו לך לא ישאירו עוללות אם גנבים בלילה השחיתו דים [11] Vide Psal. cxxxvi. 7. Ezech. xxv. 12. Jerem. xli. 6. xxv. 14. & xl. 7. Thren. iv. 21. 22. 3. Esdr. iv. 45. [12] לחמך ישימו מזור תחתיך [13] Ἔθηκαν ἔνεδρα ὑποκάτω σου. [14] Jun. Tremel. Pisc. Tarnov. Lud. de Dieu. [15] וחתו גבוריך תימן [16] Euseb. & Hieron. in locis. [17] 2. Par. xxviii. 17. 18. [18] Genes. xxxiv. 7. in Hebræo. [19] אל תגדל פיך [20] Vide 1. Reg. ii. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* [21] ואל תשלח נה בחילו ביום אידו [22] Μηδὲ συνεπιθῇ ἐπὶ τὴν δύναμιν αὐτῶν, ἐν ἡμέρᾳ ἀπωλείας αὐτῶν.

GANTES. Dies Domini ea est, qua Deus vindictam & judicium exercet (23). Abdiam oracula fudisse post Jerosolymæ expugnationem credimus. Paulo post, quinto scilicet post anno, Nabuchodonosor eodem tempore, quo Tyrum obsidebat, finitimos aggressus est (24), Ammonitas, Moabitas, Idumæos, quemadmodum prædixerant Prophetæ. Idumæos præterit Josephus, dum populos a Nabuchodonosore superatos recenset; at nihilo obscurior est de Idumæis sacrorum voluminum sententia, quam de cæteris, calicem furoris Domini e Nabuchodonosoris manu hausturis.

Ỹ. 16. QUOMODO BIBISTIS SUPER MONTEM SANCTUM MEUM, BIBENT OMNES GENTES JUGITER. Simili sententia Jeremias (25): *Ecce qui non videbantur bibituri calicem, cum primis biberunt: tu autem innoxius & exors eris? Neutiquam eris innoxius aut exsors, sed bibendo bibes.* Quasi dicat: Populus meus, qui sedem in monte sancto meo habebat, minorum certe scelerum reus quam tu, furoris mei calice ad ebrietatem usque prolutus est: bibit, illumque ego severissime punii: tu vero, Edom, tam multa post flagitia, expers futurus es? Bibes, unaque gente universæ. *Quemadmodum bibisti*, Juda, *in monte sancto meo, ita bibent* suo ordine *omnes gentes jugiter*. Septuaginta (26): *Quemadmodum bibisti super montem sanctum meum, bibent omnes gentes vinum*. Sunt (27) qui hunc locum ita explicent: Quemadmodum vos, Idumæi, Chaldæis misti, in sancto Sionis monte bibistis, veluti Jerusolymæ expugnatione gaudentes; ita gentes universæ bibent, vestroque infortunio gaudebunt. Prior tamen explicatio melius convenit cum iis quæ sequuntur.

BIBENT, ET ABSORBEBUNT, ET ERUNT QUASI NON SINT. Furoris mei calicem bibere gentes cogam; usque ad fœces bibent; penitus interibunt, nec surgent. Eodem certe beneficio, quo Judæi post ruinam, gavisi non sunt Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Philisthini, ipsique Chaldæi. In patriam rediit Judas; incolas suos iterum vidit Judæa; Regia potestate aucta est; finitimos domuit; id quod cæteris gentibus non usuvenit. *Bibere calicem*, vulgaris est apud Sacros Scriptores locutio, qua Dei vindicta significatur. *Calix in manu Domini, vini meri plenus misto: fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ*, inquit Psalmista Psal. 79. 9. Eadem phrasi usus est Plautus in Casina: *Inde foras tacitus exeo, cum ornatu quo vides, ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet*.

Ỹ. 17. IN MONTE SION ERIT SALVATIO, ET ERIT SANCTUS. Revocata captivitate, ii qui in Sionis montem confugerint, incolumes futuri sunt. Judæi Babylone reversi, quibus sedes figere Jerosolymis contigit, Divinam opem innumeris plane argumentis experti sunt; cumque gentes pleræque, & Provinciæ Judæis finitimæ a Persarum Regibus, Alexandro, ejusque successoribus varie diriperentur, Judæa peculiari prorsus beneficio servata est. Sæviit certe Antiochus Epiphanes; at confestim illius sævitia cessavit, atque omnia in Judæorum utilitatem composuit. Absolutam denique libertatem adepti, gentiles Reges habuere Judæi, nihilo minori authoritate instructos, quam ii qui olim integra gente regnaverant.

POSSIDEBIT DOMUS JACOB EOS QUI SE POSSEDERUNT. Post captivitatem Judæi (28) sibi subjecere Idumæos, Ammonitas, Moabitas, & Philisthinos, qui Judaicæ ditionis partem occupaverant, cum illi ab Israelis, Syriæ & Chaldæorum Regibus bello vexarentur. Missos etiam in regionem suam Cuthæos expugnavere. Universam denique Palæstinam, cis & trans Jordanem, multis ante Jesu Christi adventum annis, imperio Judæorum subjectam videmus. At ubi Spirituale Regnum in Ecclesia sua Christus instituit, non modo Palestina, verum etiam Ægyptus, Syria, Arabia, Idumęa, omnesque terrarum provincię & gentes illi subditę, ejusque Regnum effectę sunt (29). Reddi potest Hebręus (30): *Possidebit domus Jacob possessiones suas*; in avitam hęreditatem postliminio redibit. Aptissima omnium & commodissima explicatio.

Ỹ. 18. ERIT DOMUS JACOB IGNIS, ET DOMUS ESAU STIPULA. Reversi Babylone Judęi ceu ignis domui Esau fuere, belloque aggressi Idumęos, illos sibi obtemperare, & Judaicę Religionis ritus servare coegerunt (31).

NON ERUNT RELIQUIÆ DOMUS ESAU. Propheticarum locutionum sensus non usquequaque ex mero vocum sono usurpandus est; frequenter enim hyperbolem sapiunt. Excidium absolutum pro clade ingenti ponunt. Vulgo etiam ita dici solet. Exercitus, ex quo pauci superfuere, deletus esse penitus dicitur. Provincia ab hoste direpta, prorsus periit, nulla surgendi spe. Apud Latinos hęc verba, *Perii, occidi, nullus sum*, &c. multo minus significant, quam ipsa sonent. Septuaginta (32): *Non erit frumentarius domui Esau*; nemo annonam conferens (33). Vel ex aliis: *Non erit flammiger*. *Pyrphoros*, flammiger, facem ferens dicitur apud Græcos, is, qui unus e prelio evasit (34). Hebręus (35): *Et non erit superstes domui Esau*.

Ỹ. 19. HÆREDITABUNT HI QUI AD AUSTRUM SUNT, MONTEM ESAU. Judęi, qui meridianam Palęstinę partem tenuerunt, montes Idumęę sibi vicinos occupabunt. Varias provincias, ab Israelitis post captivitatem occupandas, designat Propheta; ut sentias, ipsum non temere aut in incertum vaticinari. Samaritanorum regionem Judęis dono dedit Alexander Magnus (36); & Joannes Hircanus, post Syriacas expeditiones, eam regionem expugnavit (37).

ET QUI IN CAMPESTRIBUS PHILISTHIIM. Hebręus (38): *Et qui Sephala* incoluerint, possidebunt regionem *Philisthiim*, sibi finitimam. *Sephala* ingens erat planities, teste S. Hieronymo, ab Eleutheropoli usque ad Rhinocoruram & Mediterraneum mare porrecta; vel circa Liddam & Emmaus, dicta alio nomine *Sarona*. Sed primam hujus descriptionem verissimam esse censemus. Saraa & Esthaol in *Sephala* jacebant (39). Vide nos in Josue n. 40.

POSSIDEBUNT REGIONEM EPHRAIM, ET REGIONEM SAMARIÆ. Regiones Ephraimi & Samarię, ablatis trans Euphratem decem Tribubus, Cuthęis traditę fuerant; qui aliquas saltem in iis arces semper habuere, usque dum jubente Alexandro Judęis illi servierunt, ac deinde iterum ab Joanne Hircano expugnati sunt, capta ab eo eversaque ita Samaria, ut vel nulla urbis vestigia ibi

(23) Vide sup. Osee IX. 7. Joel I. 15. Amos V. 18. &c. (24) Joseph. Antiqu. lib. 10. cap. 11. (25) Jerem. XLIX. 12. הנה אשר אין משפטם לשתות הכוס שתו ישתו ואתה הוא נקה תנקה (26) Ὃν τρόπον ἔπιες ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ ἅγιόν μου, πίονται πάντα τὰ ἔθνη οἶνον. Theodoret. Οἶνον τὸν μυστικόν. Legunt חמר *Chemer*, pro תמיד *Tamid*. (27) Vide Hieronym. Cyrill. Vat. & alios plures. (28) Ita Hieron. Theodoret. Cyrill. Ribera. (29) Vide Aug. de Civit. lib. XVIII. cap. 32. Hieron. & Theodoret. hic, Rupert. Lyr. Burg. &c. (30) וירשו בית יעקב את מורשיהם (31) Vide 1. Macch. V. 3. & Joseph. Antiq. XIII. 17. (32) Καὶ οὐκ ἔσται πυροφόρος τῷ οἴκῳ Ἡσαῦ. Aliter. Οὐκ ἔσται πυρφόρος. Ita Theodoret. & quid. Codd. (33) Hieronym. hic: *Quos agentes in rebus, vel veredarios nunc appellant, Veteres frumentarios appellabant*. (34) Hesych. Πυρφόρος, ὁ πῦρ φέρων, καὶ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ. Vide Drus. (35) ולא יהיה שריד לבית עשו Symm. Διασωζόμενος. Aqu. & Theodor. Καταλελειμμένος. (36) Hecatæ. apud Joseph. lib. 2. contr. Appion. (37) Joseph. Antiqu. lib. XIII. cap. 18. (38) והשפלה את פלשתים (39) Josue XV. 33.

ibi superfuerint, ejusque rudera in torrentem eo jubente projecta fuere (40).

Beniamin possidebit Galaad. Regio trans Jordanem hic sub Galaadi appellatione significatur. Galaaditidem possidebit Beniamin, utpote maxime omnium proximus, & sibi commodissimam. Profecto post Macchabæorum ætatem (41) ea regio Judæis subjecta legitur; & sæviente in Judæos Antiocho Epiphane, ab Judæis frequentabatur. Cum Prophetam audis pollicentem fore, ut Beniamin Galaaditidis imperio potiatur, non unum intellige Beniamin, cæteris Tribubus exclusis; universa enim simul gens illi imperabat. Potior tamen Beniamini pars videbatur, cum proximus omnium illi esset, eæque provinciæ veluti in illius custodiam datæ censerentur.

℣. 10. Loca Chananæorum, usque ad Sareptam. Decem Tribus a Salmanasaro ablatæ, in patriam redibunt, universamque Phœniciam possidebunt, Sareptam usque, urbem in agro Sidonis sitam. *Chananæi* pro Phœnicibus hic usurpantur, cum Phœnices Chananæa origine essent. Hujus vaticinii fides eo tempore, quod Antiochi Epiphanis consecutum est, rerum potientibus Asmonæis, expleta fuit.

Transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri. Judæus S. Hieronymi doctor asseruerat, Hebraicam vocem (42) *Sepharad* Bosphorum significare: quo Judæi ab Adriano Imperatore missi sunt. At quæ similitudo Judæorum, qui sub Adriano fuere, cum Judæis, de quibus Abdias? Nostræ ætatis Judæi *Sepharad* Hispaniam intelligunt; nonnulli *Gallias*: omnes temere. Septuaginta legunt *Ephrata*, vel *Euphrata* (43): *Transmigratio Jerusalem usque Ephrata, hæreditabunt Nageb*. Posterior hæc vox meridiem sonat. Sepharad aliqua Babyloniæ vel Chaldææ regio fuisse videtur; in eas enim tantummodo partes translatos fuisse Judæos scimus. Iis autem in locis nota est urbs *Sepphora*, seu *Sippara* in Mesopotamia, paulo supra discrimen Euphratis (44). Tribus Juda, & incolæ Jerosolymitani Babylone reversi, urbes olim suas ad meridiem Palæstinæ occupabunt.

℣. 21. Ascendent salvatores tui in montem Sion, judicare montem Esau. Septuaginta (45): *Ascendent, qui salvi fuerint, de monte Sion, ut judicent montem Esau*. Qui e captivitate evaserint, e monte Sion orti, in supplicium montis Esau convenient. *Salvatores* hosce plerique (46) Macchabæos & Asmonæos Principes interpretantur, qui Regia & Sacerdotali dignitate simul juncta, Idumæa potiti, judicium & imperium in montem Esau verissime exercuerunt, qua in re Christi imago fuere, qui infinitam absolutamque potestatem exercuit, omnibusque temporibus exercebit in Idumæam, scilicet in Ethnicos, quos intra Ecclesiam suam ipse collegit. Hoc porro confirmant ea quæ sequuntur: *Et erit Domino regnum*. Mortale Judæorum Regnum post captivitatem in Jesu Christo desinit, Jerosolyma septimo & trigesimo post Christi resurrectionem anno funditus eversa, totaque gens dissipata est.

FINIS COMMENTARII IN ABDIAM.

IN JONAM PROLEGOMENON.



IN universa duodecim Prophetarum historia nihil Lectorum admirationem occupat magis, quam rerum a Jona gestarum narratio. In eo consilio a Deo productus videtur, ut luculentum maximi & difficillimi nostræ religionis dogmatis, nempe Resurrectionis Jesu Christi, luculentum, inquam, in se præberet documentum. Voluit Deus in eo viro non figuram simplici tantum sermone comprehensam exhibere, sed spirantem quamdam imaginem rerum futurarum exprimere; cum scilicet illum post tridui moram e ventre ceti incolumem illæsumque eduxit (1). Quod vero ejus memoriam inter Prophetas veteris Testamenti egregie commendat, illud est, quod unicus ad gentes missus fuerit Propheta. Ninivitarum conversio veluti pignus habenda erat certum assertumque futuræ Infidelium ad fidem traductionis, atque Ecclesiæ Jesu Christi super eversæ Synagogæ ruinas erectionis.

Galilæus erat genere, ortus e *Get-Opher* (2), quam Urbem cum Jotapata, in bello deinde Judæorum cum Romanis, obsidione a Josepho tanta rei militaris peritia simul & virtute tolerata, celebri (3), confundunt. Sita erat in Tribu Zabulonis (4), ubi parva regio Epher vel Opher, in qua Geth, urbs Prophetæ patria. Hanc S. Hieronymus Præfat. in Jonam gemino a Sephuri lapide Tiberiadem versus constituit. Quæ omnia apertissime erroris arguunt opinionem Judæorum, Jesu Christi ætate putantium, nullum Prophetam e Galilæa proditurum (5): *Scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa Propheta non surgit*. In Galilæa pariter Nahum ortus est, quamquam e Tribu Simeonis originem duceba. Sunt tandem, qui Malachiam e Tribu Zabulonis,

(40) 4. Macch. iv. Joseph. Antiq. lib. xiii. c. 18. (41) 1. Macch. v. 9. 15. 45. ix. 15. 36.
(42) גלת ירושלים אשר בספרד ירשו את ערי הנגב (43) Καὶ ἡ μετοικεσία Ἱερουσαλὴμ ἕως Ἐυφραθὰ, καὶ κληρονομήσουσι τὸ Ναγέβ. Edit. Rom. Ἕως Ἐφρατὰ, κληρονομήσουσι τὰς πόλεις τοῦ Ναγέβ. (44) Vide Ptolem. & Cellar. Mesopotam. lib. 3. cap. 15. (45) Ἀναβήσονται ἀνασωζόμενοι ἐξ ὄρους Σιὼν, τοῦ ἐκδικῆσαι τὸ ὄρος τοῦ Ἡσαῦ. Ita Aqu. & Theodot. Heb. מושעים Symmach. Σώζοντες. (46) Hieron. Theodor. Cyrill. Vatab. Grot. Sanct. (1) August. lib. 18. de Civit. c. 30. *Jonas Propheta non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit; profecto apertius, quam si ejus mortem & resurrectionem voce clamaret*.
(2) 4. Reg. xiv. 25. (3) Joseph. lib. 3. cap. 11. 12. (4) Josue xix. 13. (5) Jo. vii. 52.

lonis, & urbe Supha accersunt (6). Diffidens Rabbini de Prophetæ Jonæ origine; alii enim Viduæ Sareptanæ filium, quem Elias vitæ reddidit, constituunt (7). Ducuntur autem in eam opinionem verbis ejusdem Viduæ ad Prophetam, filio vitæ restituto: *Nunc in isto cognovi, quoniam verbum Domini in ore tuo verum est*; ex quo indutum eidem puero nomen filii *Amathi*, quod Hebraice est, veritas. Nobilem conjecturam! quæ sola evertendæ Judæorum opinioni potius quam confirmandæ sufficeret, nisi a Scriptura duplici apertissimo argumento falsitatis argueretur. Primo enim Jonas ortus e *Geth-Opher*, loco plane a Sarepta remoto, dicitur. II. Sub Joas & Jeroboamo Regibus Israelis flurebat, quorum postremus Regnum iniit post XL. annos a sublato in Cœlum Elia. Censuerunt alii, Jonæ matrem fuisse mulierem Sunamitidem (8), cujus filium Propheta Eliseus & nasci, & triennio post extinctum in vitam revocari, a Domino precibus impetravit 4. Reg. IV. 16. Verum altera plane erat Sunam a Geth-Opher, Jonæ patria (9); illa enim est in Tribu Issachari, hæc in Tribu Zabulonis. Non desunt, qui hunc fuisse credant Prophetam ad Ramoth Galaad missum, ut Jebu in Regem Israelis consecraret (10). Hæc omnia eadem fide traduntur, qua fabella de ortu ipsius in *Cariathaim* prope Azotum ad Mediterraneum (11), atque oraculum eidem viro adscriptum in hanc sententiam: *Cum gentes plurimas Jerosolymit conspexeritis, ab occiduis nationibus funditus urbem deletum iri noveritis*; & alterum de excidio Jerosolymæ: *Cum lapis misere plorare conspicietur*; quibus verbis Jesus Christus, lapis angularis, designatur, super prævisa mala urbis Jerusalem lacrymas fundens Luc. 19. 42. Apage apocrypha.

Certus annus missionis Jonæ in Ninivem ignoratur. Alii munus suscepisse ætate adhuc immatura tradunt (12); alii primum ejus vaticinium illud statuunt, quo prædicit, Jeroboamum filium Joas Regis Israelis, veteres Regni fines ab introitu Emath adusque Mare mortuum (13) restituturum. Utrum vero oraculum illud ipsi Jerobuamo, an Joas patri ejusdem Regis, prostratis Regni Israelis rebus (14), dederit, incertum. Quidquid sit, illud est in comperto, vixisse illum sub Joas & Jeroboamo II. Regibus Israelis, coævosque proinde habuisse Osean pariter & Amosum. Deus illi imperaverat, iret Ninivem, palamque ediceret, urbem post XL. dies everſum iri. Tergiversari ille ad hæc, & tamquam Sancti Spiritus impellentis vim declinaturus, e regione sua dilabi, conscensaque in Joppe navi Tharsum Ciliciæ solvit. Vix iter inierat, cum subita tempestas oborta, navigium corripiens, nautis suspicionem induxit, extraordinario aliquo casu hanc sibi calamitatem accidisse. Jactis igitur sortibus, eo indicio Jonas deprehensus est, qui causa fugæ suæ exposita suasit, ut, se in mare dejecto, & mari & nautis quietem procurarent. Vix undas ruens attigerat, cum marinum monstrum subito accurrens, virum deglutiit, abditusque in immanis ventris claustro, tribus diebus & tribus noctibus illæsus servatus est. Post tridui carcerem, in litore expulsus, salvus incolumisque ire iterum Ninive a Deo jussus, paruit. Urbem igitur ingressus, alte edixit futurum, intra quadraginta dies Urbem subversum iri. Ejus verbis territi Cives omnes, ne Rege quidem excepto, ad pœnitentiæ studium conversi, Deum placare, simulque imminens jam malum vitare, nec frustra, conati sunt. Jonas minime impletam Oraculi sui fidem intelligens, dolore cruciatus, querelas ea de re suas ad Dominum tulit. Versabatur autem in parva casa extra Urbem, quam virens quædam planta Hebraice *Kikaion*, Latine *Palma Christi*, tegebat. Accidit ut vermis quidam, radicibus ejus plantæ vitiatis, demisti primum, pallisque foliis lassescere, ac demum arescere coegerit. Ea doloris accessione altius ejulans Propheta, quippe quem intolerabilis solis ardor urebat, cum Deo questus est, rogavitque, ut se tandem e vivis subduceret. Cui Deus: Tu ergo tanto doloris sensu tangeris, cum amica tibi planta exaruerit; planta, inquam, quam nec coluisti, sed sponte unius noctis opificio terra emisit; & quereris, me tot populorum Ninive agentium miseratione tangi, quorum tam magna pars live nullo impie gesto me provocavit, sive ratiocinandi facultate caret; ubi tot bruta, opificium meum, genus animalium errandi incapax, in eadem cum cæteris vitæ, non sceleris, communione versantur?

Quid inde post functum Ninive munus suum Jonæ acciderit, incertum. Ejus sepulcrum in Mosul, quam veterem Ninivem esse credunt, Orientales ostendunt, ibi vitam egisse, ac tandem fato ibi functum persuasi. Locus est magnifica Moschæa etiam Turcis religiosus. Palæstini in patriam rediisse contendunt, ubi etiam S. Hieronymi ætate viri sancti monumentum visebatur. Nostra adhuc ætate Turcæ, vicum *Geth-Opher* tenentes, mausolæum Jonæ cum ædicula subterranea intra Moschæam tanta religione venerantur, ut ne ingredi quidem calceatum quemquam patiantur.

Pseudo-Epiphanius, & Pseudo-Dorotheus narrat, Jonam in Judæam regressum, cum objiciendæ sibi a gentilibus suis oraculorum in Ninivem fallaciæ dedecus ferre non posset, relicta patria, in Sur, facile Tyrum Phœniciæ, una cum matre sua confugisse; ubi vitæ cursu peracto, in *tumulum Judicis Cenezæi* illatus, jacuerit. Iste Cenezæus Judex facile Othonielem Judicem Israelis, Cenezæum origine, designat (15); qui tamen e Tribu Juda natus, facile sepulturæ in regione sua mandatus est; quare commune cum Jona sepulcrum obtinere illum potuisse, vix credimus. De reliquiis & cultu Jonæ, consule Vitas Sanctorum V. T. Baillet ad diem XXI. Septembris.

(6) Pseudo-Epiph. & Pseudo-Doroth. &c. (7) 3. Reg. XVII. 17. & seq. Vide Hieron. Præfat. in Jon. Pseudo-Epiph. Pseudo-Doroth. Quæstion. ad Antioch. in append. Oper. S. Athanas. quæst. 61. (8) Ita ex Patribus nonnulli. (9) 4. Reg. XVI. 17. 36. 37. (10) 4. Reg. IX. 1. 2. &c. (11) Pseudo-Epiph. Pseudo-Doroth. & Chronic. Pasc. (12) Pseudo-Epiph. &c. (13) 4. Reg. XIV. 25. (14) 4. Reg. XIV. 26. (15) Judic. VIII. 9. 10.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN JONAM.

CAPUT PRIMUM.

Jonas Niniven missus, ut prædicet, a Domino fugit, conscensa navi, Tharsum profecturus. At navi æstu maris agitata, jactis sortibus procellæ causa quæritur. Jonas in mare projicitur.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: 2. Sur-
ge, & vade in Ninivem civitatem grandem, & prædica in ea: quia ascen-
dit malitia ejus coram me. 3. Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Do-
mini, & descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis: & dedit nau-
lum ejus, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. 4. Do-
minus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari,
& navis periclitabatur conteri. 5. Et timuerunt nautæ, & clamaverunt viri ad deum
suum: & miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: & Jo-
nas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi. 6. Et accessit ad eum
gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si
forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus. 7. Et dixit vir ad collegam suum:
Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sor-
tes: & cecidit sors super Jonam. 8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis, cujus causa
malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quo vadis? vel ex
quo populo es tu? 9. Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum
cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam. 10. Et timuerunt viri timore magno,
& dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognoverunt enim viri, quod a facie Do-
mini fugeret, quia indicaverat eis). 11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi,
& cessabit mare a nobis? quia mare ibat, & intumescebat. 12. Et dixit ad eos:
Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare a vobis: scio enim ego, quoniam
propter me tempestas hæc grandis venit super vos. 13. Et remigabant viri, ut re-
verterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.
14. Et clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus, Domine, ne pereamus
in anima viri istius; & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine,
sicut voluisti, fecisti. 15. Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare: & stetit mare
a fervore suo. 16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt
hostias Domino, & voverunt vota.

℣. 2. VADE IN NINIVEN CIVITATEM GRANDEM, inter vetustissimas totius orbis atque amplissimas. Condidit Nemrod (1), auxit maxime omnium Ninus, ex illius Regibus unus (2), qui amplissimam omnium quæ tunc in terris essent urbem condere, eaque re nobilissimum virium suarum specimen dare decrevit. Figura erat oblonga, stadiis centum & quinquaginta in longum, nonaginta in latum porrecta. Circuitu stadia quadraginta & octoginta, gallicas scilicet leucas quinque & viginti circiter complectens. Mœnia centum pedibus in altum surgebant, ea latitudine, ut terni currus frontibus juncti commode incederent. Turres vero habebant mille & quingentas, ducentorum pedum altitudine singulas. Niniven Diodorus ad Euphratem ponit: at illam ad Tigrin jacuisse, satis constat; eamque in occidentali ejus fluminis ora collocat Plinius (3). Jonæ ætate adeo frequens populo erat, ut amplius centum viginti millia hominum contineret, qui dexteræ & sinistræ manus discrimen ignorabant (4), id quod vulgo de pueris explicatur; quamobrem necesse est, ut amplius sexcenta hominum millia complecteretur. Eversa deinde a Cya-

[1] Genes. x. 10. 11. [2] Diodor. lib. 2. Biblior. [3] Plin. lib. 6. cap. 13. *Fuit & Ninus imposita Tigri, ad solis occasum spectans.* [4] Jonas IV. 11.

Cyaxare & Nabuchodonosore (5) iterum e ruinis emersit, diuturnamque nominis gloriam servavit. Sunt qui Niniven temere misceant cum Mosul, quæ in septentrionali Tigridis ora jacet. At vetus Ninive in altera parte ad sinistram ejus fluminis oram sita erat.

Cur vero Jonas Niniven mittitur? ea certe gens Deum ejusque leges penitus ignorabat; neque Jonam, aut eum a quo is mittebatur, norat. Earum quippe in gentium numero erat, quæ a Deo dimissæ leguntur (6), ut suas sequantur vias, quas Deus profunda omnium oblivione sepultas dereliquit. His respondeo, tametsi Deus Israelem veluti peculiarem sibi populum elegerit, & fœdus cum eo solum inierit, se tamen cæterarum gentium Deum esse, nunquam fuisse oblitum (7). Quamobrem Prophetas identidem ad illas misisse, ut & minis terrerent, & suo nomine illas alloquerentur; ut nullus iis excusationi locus superesset, si contumaciter studia sua & errores sequerentur. Universus terrarum orbis clarissima Dei prodigia pleraque spectavit, adeo ut nemo ignorantiam causari posset. Notæ erant illius leges, servabantur, atque ab omnibus terrarum gentibus cernebantur, quæ cæteros docere poterant, si ipsi vellent. Peculiaria sunt de Ægypto, Idumæa, Phœnicia, Syria, Moabitide, Ammonitide, Babylone, & Ninive vaticinia. Ninives excidium, quemadmodum Jonas, prædixere Nahum. 1. 2. 3. & Tobias xiv. 2. Babylonicum Isaias 13. 1. 14. 4. 21. 4. Jeremias cap. 41. Ezechiel (8): cæterique ferme omnes Prophetæ. Iidem assiduis prope minis Ægyptum, Idumæam, cæterosque Judææ finitimos minis exagitavere. Jussus a Deo est Jeremias c. 27. 2. vincula & catenas cervicibus suis imponere, ac similia mittere ad Reges Edom, Moab, Ammonis, Tyri, Sidonis, cæterosque, quorum legati ad Sedeciam regem Juda venerant, iisdemque Legatis imperare, Reges suos Dei nomine monere, ipsos Dei sententia traditos esse Babyloniorum Regi, illique servituros. Idem Deus Prophetam suum misit, ut Hazaelem Syriæ Regem ungeret 3. Reg. 19. 15. Diu antea Cyri Christi sui (9) ortum, & Nabuchodonosoris servi sui expeditiones renuntiarat (10). Quam multa objectis per visum spectris Reges Chaldæorum Nabuchodonosorem & Balthasarum edocuit (11)? Minime igitur putandum est, Deum ita populi sui saluti & rebus vacasse, ut cæteras gentes prorsus negligeret. Luculenta semper patrocinii sui, absolutæque potestatis indicia exhibuit non Israeli modo, verum etiam remotissimis gentibus, modo pœnas minitatus, ut errantes ad sese revocaret, modo suppliciis afficiens, ubi eæ minas contemnerent; at ita semper, ut illæ servitutem suam, supremamque Dei ipsius authoritatem sentirent.

Ascendit malitia ejus coram me (12). Gravibus adeo vulgatisque flagitiis inquinantur, ut dissimulare jam nequeam. Invitum cogunt in ipsos irasci. Septuaginta (13): *Ascendit clamor malitiæ ejus ad me.*

℣. 3. Ut fugeret in Tharsis a facie Domini. Tharsis docuimus Gen. 10. 4. esse Tharsum, Ciliciæ Metropolim. Quæritur, quid cogeret Jonam a Domini aspectu fugere? An ignorabat, Deum ubique esse, frustraque sese laborare, ut illius potestati se subduceret, *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me.* Psalm. 133. 8. Cur igitur Niniven proficisci renuebat? Varia est Patrum sententia. Alii enim (14) censent, Prophetam, gloriæ ac salutis suorum studiosissimum, ægerrime persuaderi potuisse, ut ad extraneos verba faceret, quorum docilitatem & conversionem probro & damnationi fore Judæis agnoscebat, qui adeo in scelere occalluerant, ut assiduis Prophetarum Dei nomine loquentium exhortationibus minime proficerent. Ajunt alii (15), Jonam, cum summam Dei clementiam nosset, Deumque Misericordiæ plenissimum lacrymis precibusque Ninivitarum facillime flexum iri præviderет, ægre hoc legationis officium subisse, quo futurum erat, ut ipse falsus Propheta, & inanium visorum fictor haberetur, ubi ipsius minæ in irritum caderent. Hoc ipsum innuit Jonas infra, nu. 2. *Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens & misericors es*, &c. Sunt denique qui veram hujus fugæ causam fuisse putent rei difficultatem, exitumque incertissimum; quemadmodum ferme Moyses & Gedeon renuebant, ille Pharaonem adire, ut Israelitarum libertatem Pharaoni imperaret; hic arma capere, ut Israelem servitute Madianitarum solveret; quamobrem uterque prodigiis iteratisque jussionibus cogendi fuere. Postrema hæc ratio maxime simplex est, & certe solidissima.

Descendit in Joppen. *Joppe*, si profanis Scriptoribus (16) credas, *antiquior terrarum inundatione, ut ferunt.* Celebrem fecit apud Veteres Andromedæ fabula, quam Cepheus pater marinæ belluæ exposuit, Perseus liberavit. Melæ, Josephi, & Plinii ætate (17) ostendebantur vestigia vinculorum, quibus illa ad rupem fluctibus percussam vincta fuerat. Ibi, ait Mela, *servatæ a Perseo Andromedæ clarum vestigium, belluæ Marinæ ossa immania ostendunt.* Plinius lib. 9. c. 5. *Belluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ, apportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in Ædilitate sua M. Scaurus longitudine pedum* xl. *altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali.* Judæorum portus erat Joppe, teste Strabone lib. 16. & Scriptura, ubi convecta legimus ad portum Joppes ligna Libani, in templi ædificium adhibenda, sub Salomone (18), Zorobabele (19). Nostra etiam ætate ii, qui recto itinere Jerosolymam proficiscuntur, ad portum Joppes appellunt. At Josephus de Bello lib. 3. c. 29. seu 15. in Latino, portum esse minime tutum scribit, & procelloso mari naves magno ibi discrimine versari. At cum nullus eo melior Jerosolymæ vicinus esset, omnes eo utebantur.

Dedit naulum ejus. Hebræus (20): *Dedit mercedem ejus* navis; vel portorium, naulum.

℣. 4. Facta est tempestas magna in mari. Judæi & Orientales, qui fabulas & prodigia sectantur, amplum satis in Jonæ historia malæ huic libidini locum inveniunt, & prodigia prodigiis cumulant (21). Ajunt quippe, navim, qua Jonas ferebatur, statim stetisse, quin vel progrederetur, vel recederet, quantumvis remigiis conarentur. Putant alii, unam Jonæ navim procella agitatam fuisse, reliquo circum mari prorsus quieto; quamobrem

[5] Vide Tob. ult. ℣. ult. [6] Act. xiv. 15. *Deus qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* [7] Vide Theodoreti Præfationem in Jonam. [8] Ezech. xxxi. 3. Vide & Zach. ii. Sophon. xiii. &c. [9] Isai. xliv. 28. xlv. 1. [10] Ezech. xxix. 18. Jerem. xxv. 9.
[11] Dan. ii. iv. 5. [12] עלתה רעתם לפני [13] Ἀνέβη ἡ κραυγὴ τῆς κακίας αὐτῆς πρός με.
[14] Vide Hieron. hic; Greg. lib. 6. Moral. cap. 11. Nazianz. in Apolog.
[15] Athanas. serm. in passione Domini tom. 3. Theodoret. Cyrill. Theophylact. hic. [16] Mela l. 1. c. 11. Plin. lib. 5. 13. [17] Mela, & Plin. loco citat Joseph. lib. 3. de bello Jud. c. 15. [18] 2. Par. 11. 16. [19] 1. Esdr. iii. 7. [20] ויתן שכרה Septuag. Εὗρε πλοῖον, & ἔδωκε τὸ ναῦλον αὐτοῦ.
[21] Hebræi in Lyrano, Mont. ex Eleazaro, d'Herbelot Bibl. Orient. Vide & Theodoretum: Καὶ τῶν ἄλλων πάντων ἀκινδύνως φερομένων, περὶ τοῦτο μόνον τὸ πλοῖον ἠγείρετο τῆς θαλάσσης ὁ ζάλη, & τὸ ῥόθιον ἦγε.

obrem nautas intelligentes, prodigii aliquid in ea re esse, sortes jecisse, ut mali auctorem invenirent. Addunt, sortibus ter jactis, Jonam semper prodiisse; at nihilominus nautas, cum timerent, ne ipsi deciperentur, ac Dei furorem provocarent, merso Propheta, illum funibus ad aquas usque demisisse, quin tamen mergeretur: at ubi procellam sedari agnoverunt, cum is aquas tangeret, eoque reducto, iterum sævire; illum denique fluctibus tradidisse. Hæc omnia profecto nihil habent, quod Scripturarum veritati repugnet. at nullo satis certo fundamento nituntur.

℣. 5. Clamaverunt viri ad Deum suum. Profanos Deos ii Nautæ colebant; uti satis docet ℣. 6.

Miserunt vasa in mare, ut navim levarent, quemadmodum fieri in his rebus solet (22).

Jonas dormiebat sopore gravi, quem lassitudo, labor, seu dolor mœrorque pepererant; uti Apostolis in horto Gethsemani usu venit; *Invenit eos dormientes præ tristitia*, inquit S. Lucas (23). Jonæ somnus *non securitatis* erat, *sed mœroris*, ait S. Hieronymus.

℣. 7. Mittamus sortes, ut mali hujus causam intelligamus, cur tam subita, tamque insolita sæviat procella, qua nos uni, reliquo circum mari quieto, petimur (24): *Si solitos, & quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, nunquam forte auctorem naufragii quærerent*, notat S. Hieronymus. Putant, sese procella agitari, ob secretum socii alicujus crimen, quemadmodum dum ii, qui cum Diagora Melio navigabant, ingenti orta tempestate, causam ad ipsum retulere, tanquam ἀθέου.

℣. 13. Et remigabant viri, Jonam in litore expósituri, cum ipsum statim projicere in undas nollent. Verebantur quippe, ne mortis illius rei ipsi fierent, Divinumque furorem in capita sua provocarent, ubi in peregrinum, qui suam ipsis vitam crediderat, ita sævìissent (25).

℣. 14. Ne pereamus in anima viri istius. Hominis hujus mortem nobis ne adscribito: tuis nimirum imperiis, ipsiusque exhortationibus obtemperamus, Justę defensionis causa illum præcipitem damus, evidens discrimen, quod illius gratia subiimus, vitaturi.

℣. 15. Jonam miserunt in mare. Quo maris loco projectus fuerit Jonas, ignoratur: sex passuum millibus, ab Antipatride, meridiem versus, ajunt Orientales (26); quamobrem non longe a Joppe, cum hęc ab Antipatride abesset stadiis centum & quinquaginta, sex nempe leucis, boream versus (27).

℣. 16. Immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. Statim, in ipsa navi, vota nuncupavere; hostias vero confecto itinere mactaverunt; vel, hostias immolasse dicuntur, quod se se immolaturos spoponderint (28). Rei faciendę deliberatio pro ipsa re frequenter usurpatur (29).

C A P U T II.

Ingens piscis Jonam vorat, eumque tribus diebus in ventre illæsum tenet; ac denique incolumem evomit.

℣. 1. ET præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: & erat Jo-
nas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. 2. Et oravit Jo-
nas ad Dominum Deum suum de ventre piscis. 3. Et dixit: Clamavi de tribula-
tione mea ad Dominum, & exaudivit me: de ventre inferi clamavi, & exaudisti
vocem meam. 4. Et projecit me in profundum in corde maris, & flumen cir-
cumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. 5. Et ego
dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo tem-
plum sanctum tuum. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam: abys-
sus vallavit me, pelagus operuit caput meum. 7. Ad extrema montium descendi:
terræ vectes concluserunt me in æternum, & sublevabis de corruptione vitam meam,
Dominus Deus meus. 8. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus
sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. 9. Qui custodiunt
vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis
immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. 11. Et dixit Domi-
nus pisci, & evomuit Jonam in aridam.

℣. 1. PRæparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Quod piscis genus fuerit illud, a quo voratus est Jonas, peculiari Dissertatione disputavimus. Ex iis quæ sequuntur discimus, Jonam aliquandiu fluctibus innatasse, antequam a pisce voraretur. Solertissimo Providentiæ suæ consilio id egit Deus, ut eodem in loco, ubi projectus est Jonas, adesset piscis, antequam ille undis mergeretur.

Tribus diebus, et tribus noctibus. Dies noctesque integras intelligi non jubent ipsa Scripturæ verba; satis enim erat, si tantumdem temporis ibi jaceret, quantum Christus in sepulcro, quem Jonas ceu imago figurabat; totum scilicet diem unum, duorumque reliquorum partem.

℣. 2. Oravit de ventre piscis. Oratio, quam hic legimus, his quidem sententiis in ventre piscis concepta est; at non his certe verbis (29). Illam Jonas, eo carcere liber, scripsit, atque in carminis formam redegit, omnem discriminis sui historiam narrans, & animi sui sensa recitans, cum ipse ibi detineretur.

℣. 3.

[22] Vide Act. xxvii. 18. 19. [23] Matt. xxvi. 40. Luc. xxii. 45. [24] Theodoret. Hieronym. hic. [25] Joseph. Antiq. lib. ix. c. 11. [26] Eugène Roger liv. 1. ch. 12. [27] Joseph. Antiq. lib. xiii. c. 23. [28] Ita Theodoret. Vat. Grot. Mercer. Glass. [29] Genes. xxxvii. 21. 22. Exod. viii. 18. Ezech. xxiv. 13. 1. Cor. 2. 33. Heb. vi. 6. [30] Vide, si placet, Sanct. n. 14. 15. 18. Grot. Livel. Tarnov. Mercer.

℣. 3. Clamavi de tribulatione mea. Hoc versiculo, tribusque sequentibus recitantur Jonæ sensa, cum is mersus esset mari, nondum a pisce voratus. Ita sentiunt S. Hieronymus (1), & Interpretes bene multi, qui illius verba exscribere consueverunt. Videtur aliis ea recitare, quæ ipse animo volvebat, cum intra piscis ventrem moraretur. Priorem sententiam magis probo.

De ventre inferi clamavi; ex imo piscis ventre, ubi ceu vivo sepulcro claudebar (2); vel potius e profundo maris, ubi mersus fueram. Imus sepulcri sinus quodlibet evidentissimi discriminis genus significare videtur. Postremæ huic explicationi favere videntur versiculi qui sequuntur; ibi enim ait, sese in imos maris vortices projectum fuisse, fluctibus & aquarum abysso circumdatum; ad montium fundamenta descendisse, &c.

℣. 4. Flumen circumdedit me (3). Undique obrutus sum. Solent Veteres (4) interdum fluminis vocabulo mare, oceani vel maris numine amnem, veluti Nilum, significare.

℣. 5. Ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum. Quodam desperationis genere actus, hæc dixi, cum me penitus a te derelictum arbitrarer. Ita Psalmista nimis vehementi criminum suorum meditatione occupatus, ajebat Psal. 30. 23. *Projectus sum a facie oculorum tuorum*. Tum addit: *Ideo exaudisti vocem orationis meæ*. Eodem modo Jonas, exposita animi sui dejectione, & doloris vi, seipsum confirmat: *Verumtamen rursus videbo Templum sanctum tuum*. Quamvis multum graviterque peccaverim, misericordia tua fretus futurum spero, ut hoc discrimine liber evadam, meaque vota & gratiarum actiones in Templo persolvam. Jonas, quamquam Samariæ Regi subditus, Templum Jerosolymitanum frequenter adibat, quemadmodum ingens piorum Israelitarum numerus consueverat.

℣. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam (5), usque ad spiritus angustias, veluti prælufo spiritu. Simili locutione David Psal. 68. 2. *Intraverant aquæ usque ad animam meam*, me fere necant.

Pelagus operuit caput meum. Ad verbum (6): *Juncus*, alga *operuit caput meum*. In imo maris fui, capite alga implicito. Statum suum describit, antequam a pisce voraretur. Junco & alga abundat Mediterraneum, præsertim ad litus. Poetica oratione, adeoque hyperbolica, utitur Jonas.

℣. 7. Ad extrema montium descendi. Hebræus (7) & Septuaginta: *Usque ad scissuras montium*. Montes sibi fingunt Hebræi veluti fixis in mari radicibus fundatos firmatosque, eorumque fundamenta radicibus arborum similia.

Terræ vectes concluserunt me. Subterraneis in specubus fui, ceu homo telluris carceribus clausus; voragines enim quæ sub aquis latent, veluti carceres universi sunt. Tropica & hyperbolica narratio.

℣. 8. Cum angustiaretur in me anima mea. Cum proximus morti essem, tot malis obrutus, libertatis spe destitutus, de tua pietate non desperavi. *Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea*. Hebræus (8): *Domini recordatus sum, & venit ad te oratio mea ad Templum sanctitatis tuæ*.

℣. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. Qui Deos colunt, Dei misericordiam deserunt, inutilem efficiunt, abjiciunt, vel tum, cum ipsa ultro illos quærit, ut servet. *Deus natura misericors est*, inquit S. Hieronymus, *& paratus ut salvet clementia, quos non potest salvare justitia. Nos autem vitio nostro paratam misericordiam, & ultro se offerentem perdimus*. Putat Theodoretus, nautas a Jona sævitiæ accusari, quod sese mari merserint. Impii idolorum cultores humanitatem & misericordiam relinquere, me fluctibus merso. Placet Drusio ita Hebræum reddere (9): *Qui colunt Deos, probrum suum*, probrosam religionem *deserant*. At hisce interpretationibus posthabitis, misericordiam hic pro pietate, sanctitate & justitia usurpamus (10). Qui inanem inutilemque Numinum religionem sectantur, abjiciunt pietatem ac sanctitatem, qua Deo chari fiunt. Dum sese cum nautis Ethnicis comparat, innuere videtur, hos minime reddidisse Deo gloriam, quam debebant: *Pietatem suam dereliquere*; votorum piarumque promissionum obliti sunt. At ego (℣. 10.) laudis sacrificia Deo offero; quæ pro salute vovi, Domino reddidi.

℣. 11. Evomuit Jonam in aridam. Quo loco piscis Jonam vomuerit, dissident Orientales; alii enim in Erythræi litore expositum fuisse ajunt (11); alii in Sinu Persico, vel Erythræo; alii denique in litore Ninive vicino (12): omnes temere. Qui fieri potuit, ut piscis in Oceanum, atque in Erythræum vel sinum Persicum transierit, vel contrario Tigri natans, prope Ninivem vexerit Jonam, tridui unius spatio? Sunt (13) qui reddi putent ad eujusdam montis radices, in mare longius procurrentis, Berithum inter & Tripolim; cui montis adhuc montis Jonæ nomen manet. Teste Tavernier (14), ostenditur rupes, ad quam projectus est Jonas, duabus leucis ab urbe, quæ vulgo *Alexandretta* dicitur, boream versus, prope urbem vulgo *Paiassas*, in ora Ciliciæ. Sententiam hanc plures probant, nihilque habet quod cum Geographia pugnet; nihil tamen certum, quemadmodum & alteia, quæ piscem agit usque Laodiceam, in Syriæ & Ciliciæ finibus, vel ad portum Joppes Prophetam reducit, unde is solverat. Longius æquo iter illi tribuit Josephus Antiqu. lib. 9. c. 11. cum illum in Pontum usque Euxinum natasse tradat. Opus erat, piscem hunc brevi dierum ae noctium trium spatio leucas octingentas emetiri; præter id quod scribit Aristoteles hist. Animal. l. 8. c. 13. magnas hujusmodi belluas eo usque pervadere nunquam posse. Tot inter ambages, tutissimum est silere (15), ac fateri, nihil prorsus hac de re compertum esse.

(1) Hieron. hic: *Indicans nobis quod ex eo tempore quo præcipitatus est in mare, vidisset cetum, & tantam corporis molem, immanes rictus aperte se ore sorbere, Domini recordatus sit*. Ita Remig. Haimo, Dionys. Hugo, Rib. Sanct. (2) Vide Mercer. Grot. Pisc. &c. Theodoret. hic, Ἅδου δὲ νῦν κοιλίαν τοῦ κήτους ἐκάλεσεν. (3) נהר יסובבני Septuag. Ποταμοί ἐκύκλωσάν με. (4) Homer. Iliad. Ξ.

Καὶ ἂν ὠκεανοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Idem Odyss. A. Vide Livel. & Drus. Virgil. Æneid. 1.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Nicander in Theriac. Pontum, fluvium appellat. (5) אפפוני מים עד נפש (6) סוף חבוש לראשי Septuag. Ἔδυ ἡ κεφαλή μου (℣. 7.) Εἰς σχισμὰς ὀρέων. (7) לקצבי הרים ירדתי (8) את יהוה זכרתי ותבוא אליך תפלתי אל היכל קדשך (9) משמרים הבלי שוא חסדם יעזבו Vide Drus. in Levit. xx. 17. ubi probat חסד quandoque sumi pro probro. (10) Vide nos in Osee iv. 4. Lud. de Dieu, & Munster. (11) Vide Sanct. hic n. 39. (12) Sulpit. Sever. histor. Ecclas. l. 1. Gregor. Magn. lib. 6. moral. c. 12. (13) Ita narrant indigenæ, inquit P. Eugenius Roger l. 1. c. 12. (14) Tavernier, Voyage de Perse liv. 2. ch. 1. p. 116. Vide & Boch. de animal. sacr. 1. 2. l. 5. c. 12. (15) Theodoret. in c. 2. Μηδεὶς τοίνυν πολυπραγμονείτω πῶς ἢ ποίαν αὐτὸν ἐξήγαγεν ὁδὸν, ἐπεὶ τοῦτό γε τῆς ἄγαν ἐστὶ τολμηρίας.

CAPUT III.

Jonas iterum jubetur Ninivem proficisci. Imminens Ninives exitium prædicit. Convertuntur Ninivitæ, & pœnitentiam agunt. His parcit Deus.

℣. 1. ET factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens: 2. Surge, & va-
de in Ninivem civitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam
ego loquor ad te. 3. Et surrexit Jonas, & abiit in Ninivem juxta verbum Domini,
& Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 4. Et cœpit Jonas introire in
civitatem itinere diei unius: & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Nini-
ve subvertetur. 5. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt jeju-
nium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. 6. Et pervenit verbum
ad regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & in-
dutus est sacco, & sedit in cinere. 7. Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore regis,
& principum ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent
quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines,
& jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via sua
mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit, si convertatur,
& ignoscat Deus: & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus? 10. Et vidit
Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super
malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.

℣. 2. VADE IN NINIVEN, ET PRÆDICA IN EA. Sua jam mandata Prophetæ dederat Deus; eadem hic non repetit; vel, minime monens, quid dicturus esset, discedere jubet, civibusque nunciare ea quæ ipse inspiraturus erat, ubi is eo pervenisset. Josephus Antiquit. lib. 9. cap. 11. scribit Jonam missum fuisse ad Ninivitas, ut Regi eorum denunciaret imminentem Imperii amissionem. S. Prosper in carmine de Providentia gemina tradit; additque Theodoretus Prophetam illum ægre missionis illius mandatum excipientem catenis onustum Dei jussu eo processisse.

℣. 3. ITINERE TRIUM DIERUM. Docent Profani (1). Ninivem multo ampliorem fuisse Babylone, ejusque conditorem id animo agitasse, ut urbem conderet amplissimam omnium, quæ vel tunc essent, vel futurarum (2). Circuitu, quemadmodum diximus, leucas quinque & viginti, longitudine passuum octo & decem millia, sive leucas septem amplectebatur: figura enim oblonga erat, teste Diodoro Siculo, qui ejus urbis mensuras tradit. Hebræus (3): *Ninive erat urbs magna Deo*, amplissima scilicet, magnitudinis prodigium. Cum rei alicujus magnitudinem, præstantiam, pulcritudinem, &c. commendant Hebræi, Dei nomen addunt: *flumen Dei* Ps. 64. 10. *cedrus Dei* Ps. 79. 11. *prælium Dei*. Gen. 30. 8.

℣. 4. INTROIRE IN CIVITATEM ITINERE UNIUS DIEI. Diei unius itinere totam illius longitudinem emensus est. Septem circiter leucis, uti diximus, in longum porrigebatur; eaque tertia pars erat spatii, quod ambitu complectebatur. Censent plures (4), illum multos continenter dies ibi verba fecisse, atque hic ea solum narrare, quæ primo adventus die egit.

ADHUC QUADRAGINTA DIES, ET NINIVE SUBVERTETUR. Septuaginta, & Patres veteres horum asseclæ tres tantum dies legunt. At Hebræus, Syrus, Chaldæus, & prisci ex Græcis Interpretes dies quadraginta constanter ferunt. Putat Origen. homil. 16. in Num. minime jussum fuisse Jonam definire tempus, quo elapso Ninives excidium immineret; cum nullibi legatur Deus id tempus definisse, cum illum mitteret. Non dicit: Ninive post tres dies evertetur; sed: *Vade in Niniven, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Ut sermo iste*, addit Origenes, *qui scriptus est, & non est factus, a Jona potius quam a Deo prolatus esse videatur.* S. Augustinus lib. 18. de Civit. cap. 44. causam expendens discriminis, quod Hebræum inter & septuaginta Interpretes animadvertitur de horum dierum numero, putare videtur, tres tantummodo pro quadraginta diebus a septuaginta Interpretibus poni, ut mysterium Resurrectionis innuerent. At Theodoretus, Theophylactus, aliique nonnulli censent, mendum esse e primis Librariis Græcis ortum; qui *tres* pro quadraginta scripserunt, in cæteros deinde Codices derivatum. In Dialogo S. Justini cum Tryphone legitur *tres*, vel ex aliis, *tres & quadraginta dies*.

Fortasse veteres hi Interpretes trium tantummodo dierum numerum apud Jonam se invenisse censuere. Primus nimirum dies is est, quo Jonas urbem peragrans, imminens Ninives excidium nunciavit. Altera die Rex populusque pœnitentiam egere, & Jonas ex urbe egressus, vaticinii sui exitum præstolabatur; structoque ibi umbraculo eam diem ac sequentem tranquillam egit. Tertia demum die elapsa, cum urbs adhuc staret, id omnino impatienter tulit. Ita fortasse Interpretes hi totam Jonæ moram in urbe Ninive distribuerunt. At multo probabilius est, Prophetam multorum dierum curriculo in ea urbe verba fecisse; quæ cum amplissima esset, multo tempore opus erat, ut tota urbs loquentis verba intelligeret. Post hæc, Ninivitæ pœnitentiam egere, non una tantum die aut hebdomada, sed ad prædictum usque quadraginta dierum finem. Per id tempus, Jonas, qui urbem vel eversum iri, vel cœlesti igne combustum iri putabat, domicilium extra urbem sub viridi umbraculo posuit. Elapsis quadraginta diebus, cum Deo questus est, quod nimia usus clementia, ipsum ludibrio exposuisset, ita ut mendax & falsus Propheta deinceps habendus esset. Et reliqua, quæ legimus capite IV.

℣. 5. CREDIDERUNT NINIVITÆ IN DEUM. Quamquam verba, quibus editum est Jonæ vaticinium, nullam conditionem præseferebant, mens Prophe-

(1) Strabo l. XVI. initio. (2) Diodor. Sicul. Bibliot. lib. 2. (3) ונינוה היתה עיר גדולה לאלהים Septuag. Πόλις μεγάλη τῷ Θεῷ. (4) Theodoret. Grot. Vat.

phetæ conditionem intelligebat (5). Auditis Jonæ vicissitudinibus, casibus, Ninivitæ sapientissime collegerunt, minime futurum fuisse, ut a remotissimis plagis, tam multo rerum apparatu Deus hominem ad sese mitteret, si ipsorum exitium solummodo quæsivisset (6). Cum minas simul audirent, ac supplicium cessare cernerent, novere statim, quid vellet Deus; quamobrem animis dejecti, emendatoque vitæ instituto, veram sinceramque pœnitentiam amplexi sunt; digni proinde, quos Christus ipse Matth. XII. 41. & Patres (7) cæteris exempli loco proponerent; inter quos animadvertit S. Augustinus: *Factum est ergo quod prædixit Deus: eversa est Ninive, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus.*

℣. 6. Ad Regem Niniva. Quem vero illum? Sardanapalum, inquiunt nonnulli (8), libidine opibusque clarissimum apud Profanos, quo regnante Arbaces & Belesis Niniven expugnavere (9). Ajunt alii, ipsum fuisse qui apud Scripturam dicitur Phul, & suppetias Manahemo tulit (10). Idem fuisse creditur, qui ab Athenæo *Anabaxares*, a Strabone, Arriano & Suida *Anacyndaraxes* appellatur. Sardanapali pater. Hic Palæstinam invasit circa annum Mundi 3233. Periodi Julianæ 3943. adeoque anno circiter quinto & septuagesimo post initum a Joas regnum, sub quo Jonas prædixerat futurum, ut Jeroboam II. res Israelis restitueret (11). Nihil prohibet, quin Phul, Sardanapali pater, qui, authore Usserio, diem supremum obiit circa an. Mundi 3237. solium Ninives occuparet, quo tempore profectus est eo Jonas, regnante, uti creditur, Jeroboamo II. filio Joas Regis Israelis.

℣. 7. Clamavit ex ore Regis et Principum ejus. Reddi potest (12): *Clamatum est & indictum est ex consilio Regis & Principum ejus*. In rebus gravissimis, Regis sententiæ placita Principum accedebant; quibus additis, nullus aut revocationi aut appellationi locus erat (13). Id revera sub Persis & Chaldæis Regibus servatum videmus; quamquam autem idem consuevisse & Assyrios nullo satis perspicuo argumento discimus, in sacris tamen Libris invenisse videmur, mores, quos servaverant Assyrii, ad Chaldæos deinde vel Babylonicos, postea ad Persas, denique ad Græcos transiisse. Vide Oseę VIII. 10.

Homines et jumenta non gustent quicquam. Lactentes adhuc pueros a cibo remotos fuisse, minime tradit Scriptura; id tamen asseruere Patres plerique (14), qui de Ninivitarum jejunio scripsere. Putat etiam S. Basilius, bestiarum catulos a matribus ablatos fuisse, coactosque cibo & lacte carere, quemadmodum cætera animalia. Judæi, ut in Joelem II. 16. animadvertimus, in publicis calamitatibus, jejunium vel a pueris exigebant; & nostra ætate, in jejoniis a Lege imperatis, septennes pueri cibo abstinent. His severiores Samaritani, totis quatuor & viginti horis jejunii in expiatione solemni, & ipsi cibo abstinent, & pueros vix a lacte pulsos abstinere cogunt. Hic porro extraordinarium est, bestiarum jejonium; quod apud Hebræos nuspiam legitur, at apud Profanos invenitur. Jejunium servavere greges in Cæsaris morte, teste Virgilio Eclog. V.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neq; amnem
Libavit quadrupes, atque herbæ attigit undam.

In Canariis Insulis, & apud Peruanos (15), cum nimia siccitas est, oves & capellæ intra septa clauduntur, donec fame vexatæ balatus edant; quippe quarum balatu moveri creditur Deus, & imbrem impetrari. Apud Veteres, in Heroum morte, equis cibus negatur, cæduntur comæ (16), neque lupatum aufertur. Teste S. Chrysostomo hom. 3. ad Popul. Antioch. in locupletum funeribus, equi sacco vilibusque pannis operti, in funebri pompa ducebantur, ut spectatorum misericordiam lacrymasque cierent. Cum cibus bestiis subducitur, inquit Theodoretus, illud agitur, ut innoxiorum animalium clamore & balatu moveantur homines, & impius ad lacrymas & pœnitudinem excitetur, quibus Dei misericordiam impetret.

℣. 10. Misertus est super malitiam, quam locutus fuerat. Misericordia motus est Deus, ne malum quod minitatus fuerat, illis inferret. Ad verbum (17): *Pœnituit Dominum super malo, quod locutus fuerat ut faceret illis*. Septuaginta Complutenses (18): *Consolatus est*, placatus est *super malo, quod locutus fuerat ut faceret eis*. At Romana Editio, Theodoretus (19), &c. *Pœnituit Deum*, &c. Duplicem in Græcis Codicibus lectionem hic agnoscit Interpres Origenis (20). Chaldæus: *Conversus est a malo*; decretum mutavit. S. Hieronymus (21), nonnullis consentientibus, censuit, statutum Ninives excidium aliquandiu solummodo distulisse. Latam in Ninivitas sententiam aliquot annis coercuit, pœnitentiæ causa, quam Rex & populus amplexi sunt. At populo in vetera flagitia iterum ruente. Deus iræ suæ pondus in illos denique convertit, regnante Sardanapalo, qui in ipsis Regiis ædibus sese, opesque suas, pellices & eunuchos cremavit, ne in Arbaeis & Belesis, urbem obsidentium, potestatem deveniret. Ninivem expugnatam ponit Usserius anno Mundi 3257. septimo circiter ac trigesimo post Jeroboami II. obitum. Sardanapalus regnum tenuit annis viginti, testibus Eusebio & Julio Africano. At primum hoc Ninives infortunium cæteris quodammodo prælusit, quæ illam deinde manebant. Tobias, qui diu post Sardanapalum in ea urbe vixit (22), filium monuit, ut in Mediam secederet, cum Ninives excidium immineret, ex Jonæ vaticinio: *Scio enim quæ locutus est Jonas de Ninive, quoniam subvertetur*. Hoc porro, de quo Tobias, contigit circa annum Mundi 3378. Periodi Julianæ 4088. quo tempore Nabopolassar & Astyages, apud Tobiam Nabuchodonosor & Assuerus, Niniven expugnavere, regnante inter Assyrios Chinaladano (23). Ita vero eversa est, ut nulla illius vestigia Luciani ætate superfuerint (24); atque a multis jam inde sæculis vel ipse illius situs ignoretur; urbs enim Mosul, quam pro Ninive obtrudere conantur, remotissima ab illius loco est, & in opposita Tigridis ripa jacet.

(5) Isidor. Pelus. l. 4. ep. 149. Ἡ τῶν ἀνθρώπων ἀπειλὴ ἀπαρεγχώρητα γίνεται, ἄρρητα λανθάνουσα ἄχρι τῆς συμπεπληρωμένης ὑπερθέσεως κεκρυμμένην. Vide & Chrysost. tom. 5. homil. 10. & ad Theodor. Lampf. paræn. 1. (6) Theodoret. hic, ad ℣ 10. Κολάζειν δὲ βουλόμενος οὐκ ἂν προεῖπεν τὴν ἀπειλὴν, ἀλλ᾽ αὐτὴν τὴν τιμωρίαν ἐπέθηκεν.
(7) Ambrof. ferm. 40. Chrysost. t. 1. hom. 27. & t. 5. ferm. de jejunio; Theodoret. hic; Aug. l. XXI. de civit. c. 24. & in Psal. 50. & Basil. hom. 8. in avaros. (8) Livell. Salian. an. 3216. Turniel. an. 3275. & alii.
(9) Diodor. Sicul. l. 2. Vide Usser. ad an. M. 3254. (10) 4. Reg. XV. 19. & 1. Par. V. 26. (11) 4. Reg. XIV. 25. 26. (12) ויזעק ויאמר מטעם המלך וגדליו Hebræi tertiam activi personam usurpant interdum impersonali modo pro passivo: ita *clamavit*, pro *clamatum est*, dictum est, Ἐκηρύχθη. &c. (13) Vide Dan. VI. 8. Esth. I. 19. VIII. 8. (14) Basil. hom. 8. in avaros. Vide & orat. 4. de pœnit. & Chrysost. t. 1. hom. 7. de pœnit. 3. Ambrof. seu Maxim. ferm. olim 40. inter Ambrof. (15) Horn. de orig. gent. Americ. l. 2. cap. 13. (16) Vide Homer. Plutarch. in Pelopida, Stat. alios. (17) וינחם האלהים על הרעה אשר דבר לעשות להם (18) Παρεκλήθη ἐπὶ τῇ κακίᾳ ᾗ ἐλάλησε τοῦ ποιῆσαι αὐτοῖς. (19) Καὶ μετενόησεν ὁ Θεὸς ἐπὶ τῇ κακίᾳ, &c. (20) Origen. in Num. hom. 16. *Pœnituit, vel, ut in aliis exemplaribus legimus: Deprecatus est Deus super malitiam*, &c. (21) Hieron. Præfat. in Jonam, & Theodoret. Præfat. in Nahum. (22) Tobiæ XIV. 5. 6. in Græco. (23) Vide, si lubet, Usser. ad an. 3378.
(24) Lucian. in Charon.

CAPUT IV.

Dolet Jonas, quod nullus fuerit vaticinii sui exitus. Domicilium sibi struit extra urbem sub hedera; qua Dei jussu arefacta, id ægre fert Jonas. Docet Jonam Deus, cur ipse Ninivitis pepercerit.

℣. 1. ET afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est: 2. Et oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis: scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. 3. Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. 4. Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu? 5. Et egressus est Jonas de civitate, & sedit contra Orientem civitatis, & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati. 6. Et præparavit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum (laboraverat enim) & lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna. 7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit. 8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, & urenti: & percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat: & petivit animæ suæ, ut moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quam vivere. 9. Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne, bene irasceris tu super hederam? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. 10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti, ut cresceret: quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit. 11. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & jumenta multa?

℣. 1. AFFLICTUS EST JONAS ... ET IRATUS EST, cum ea quæ ipse in Ninivitas vaticinatus fuerat, cessare, Deumque pœnitudine Ninivitarum motum esse intelligeret. Idcirco autem irascitur, quod de auctoritate sua se periclitari existimet, veritus ne mendax falsusque Propheta habeatur (1), sacrum ministerium ludibrio, suaque ipsius persona injuriis Ninivitarum objiciantur. Putat S. Hieronymus (2), Jonam eo potissimum doluisse, quod futurum Israelis exitium, ac præsentem populi sui pertinaciam intueretur, dum Ninivitis Deus & conversionem & verbi sui prædicationem largiebatur; quibus certe beneficiis anticipatum vocationis gentium pignus, & necessaria condemnationis Judæorum fides portendebatur. Id maxime omnium & veriti semper fuere, & dolent Judæi, Ethnicos nimirum hæredes bonorum Patribus suis promissorum fieri, dum ipsi, dignitatibus spoliati, ad vilissimarum gentium numerum redacti sunt (3). Christus ipse, infortunii hujus aspectu motus, olim Jerosolymæ causa lacrymas fudit Luc. 19. & S. Paulus Roman. 9. ipse anathema fieri cupiebat, ut fratres a condemnatione servaret. Septuaginta (4): *Contristatus est Jonas tristitia magna, & confusus est.*

℣. 2. NUMQUID NON HOC EST VERBUM MEUM? Noram certe futurum, ut consuetæ clementiæ tuæ minime deesses, atque huic genti parceres. Vide supra I. xi. 3. Quantumvis studiose ac mitissime Jonæ verba interpreteris, nunquam plane purgabis, quin illum dolori nimium indulsisse, plumque animi sui fervorem scientia & charitate non satis coercuisse fatearis. Se suasque res in hoc negotio nimis amavit.

℣. 3. MELIOR EST MIHI MORS QUAM VITA. Probro superstes esse nolo, qui minas meas meaque vaticinia eventu carere videam. Ægerrime fero, me falsum vatem ac mendacem existimari. Vel: Mori malo, quam mala genti meæ imminentia intueri. Me dolor meus enecabit, ubi ex iis quæ erga Ninivitas agis, gentem meam damnatum iri intellexero (5).

℣. 4. PUTAS NE BENE IRASCERIS? Nihil objurgationi respondet Jonas, silentio satis fassus, sese nimium exarsisse. Septuaginta (6): *Nunne multum contristatus es?* Cæteri Græci Interpretes (7): *Num juste contristatus es?* Eamdem hanc vocem Septuaginta Interpretes priore versiculo reddidere *confusionem*, & S. Hieronymus toto hoc Capite, *irasci*.

℣. 5. ET EGRESSUS EST DE CIVITATE, postquam aliquot dies ibi prædicando absumpsit, domicilium sibi extra urbem statuit, minarum eventum præstolans. Reddendum fuit. *Egressus est de civitate*; questus enim, quos supra legimus, tum denique protulit, cum dies quadraginta elapsos esse vidit, quin Ninive everteretur; ac fortasse ipso adventus sui initio ibi sedem fixerat.

FECIT SIBIMET UMBRACULUM. Septuaginta (8): *Fecit sibi tentorium*. Hebræa vox quodlibet tecti genus significat. Quæ sequuntur, tentorium e foliis fuisse indicant.

℣. 6. PRÆPARAVIT DOMINUS HEDERAM. Septuaginta (9), Syrus, Arabs: *Cucurbitam*. Veteres Græci Interpretes (10) Hebraicam vocem *Kikaion* reddiderant *hederam*, itemque S. Hieronymus; at hic, *Secuti sumus*, inquit, *veteres translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græce appel-*

(1) Theodoret. Grot. Livel. Drus. (2) Hieron. hic: *Non tristatur quod gentium multitudo salvetur, sed quod pereat Israel.* (3) Act. xi. 2. 3. Rom. x. 19. (4) Ἐλυπήθη Ἰωνᾶς λύπην μεγάλην, καὶ συνεχύθη. Heb. וירע אל יונה רעה גדלה ויחר לו (5) Vide Hieron. Vatab. Mercer. Drus. Munst. ad ℣. 1. (6) Εἰ σφόδρα λελύπησαι σύ. Heb. ההיטב חרה לך. (7) Sym. Ἆρα δικαίως ἐλυπήθης. Alii: Εἰ σφόδρα ἐλυπήθης. Apud Theodoret. hic. (5) ויעש לו שם סכה Septuag. Ἐποίησεν ἑαυτῷ σκηνήν. (9) Προσέταξε Κύριος κολοκύνθῃ. (10) Aq. Th. Κισσῶνα apud Barberin.

appellatur κίκι ; *aliud enim quid dicerent, non habebant*. Alterum plane ab hedera esse ait ; at nihilo minus a cucurbita. *Est autem*, inquit, *genus virgulti vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini & umbram densissimam, suo trunco se sustinens ; quæ in Palæstina creberrime nascitur, & maxime in arenosis locis ; mirumque in modum si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, & intra paucos dies quam herbam videras, arbusculam suspicis*. Hanc igitur arborem S. Hieronymus *hederam* reddidit, ut idem in Commentario explicat, & in Epistola ad S. Augustinum (12), qui ita scripserat : *Quidam frater noster Episcopus, cum lectitari instituisset in Ecclesia, cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Jonam Prophetam* (hederam pro cucurbita) *quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, & tot ætatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus, & inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur Episcopus Judæorum testimonium flagitare. Utrum autem illi imperitia an malitia, hoc esse in Hebræis Codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant atque dicebant* (cucurbitam). *Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens, post magnum periculum, non remanere sine plebe*. S. Hieronymus igitur hederam omnino servandam esse non voluit : quippe qui optime nosset, hederam nec tam brevi tempore provenire, nec illius radicem tam facile vermium injuriis obnoxiam esse, cum illam & succi acrimonia, & ligni durities tueatur.

Recentiores Interpretes (13) uno assensu docent. Hebraica voce *Kikaion* (14) significari *palmam Christi*, aliter *ricinum*, apud Ægyptios *Kiki*, Græcis *sillicyprion*. Planta est lilio similis, foliis politis, sparsis, & nigro maculatis, trunco tereti & levi, floribus colore variis. Hujus herbę genus quoddam esse ait Dioscorides, in arboris magnitudinem crescens, ut vel modicam ficulneam æquet, foliis platano similibus, quamquam amplioribus, politioribus, magisque ad nigrum inclinaris ; trunco & ramis intus inanibus, instar arundinis. Hanc fortasse postremam arborem significat Scriptura.

ỳ. 8. PRÆCEPIT VENTO CALIDO ET URENTI. Sunt (15) qui Hebręum reddant, *ventum orientalem surdum*, seu *ventum orientalem, qui non exauditur* ; ventum silentem, mitem, urentem, qui aerem non ita movet ut refrigeret, ęstum auget, ac pulverem excitat. *Surdi* epitheto distinguitur a vehementi, rapido, sonoro. Vulgatę favent Septuaginta, Syrus, Arabs, aliique Recentiores Vide Lud. de Dieu, Tigur.

ỳ. 9. BENE IRASCOR EGO USQUE AD MORTEM. Vides hic vividam, acrem subitamque Jonę naturam, quę Prophetię beneficio mutari non potuit.

ỳ. 10. QUÆ SUB UNA NOCTE NATA EST. Mox didicimus ex S. Hieronymo, quam celeri ortu *Kikaïon* proveniat. Similis est Plinii sententia (16), qui *Palmam Christi* in Ægypto & Hispania quam citissime provenire testatur.

ỳ. 11. ET EGO NON PARCAM NINIVE. Eadem Hebraica vox (17) hic occurrit, quæ superiore versiculo redditur : *Iratus es*, &c. Tu ægre fers mortem arboris, quæ minimi est, nullumque tibi laborem peperit, nec vis me dolere aut misereri Ninives, urbis amplissimæ, quæ mea est, cujus incolas ipse finxi, quorum pars magna crimine caret?

QUI NESCIUNT QUID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM. Qua in urbe ingens adeo est puerorum numerus, qui nullum rationis usum habent, quidve discriminis bonum inter & malum sit, ignorant. Si centum ac viginti puerorum, nondum rationis compotum, millibus Ninive frequentabatur, sexcenta igitur hominum millia ea urbs continebat, cum pueri plerumque quinta pars hominum sint, quæ civitatem componunt.

Supremum ac potissimum vaticiniorum argumentum est Christus ; quippe quibus ubique illius Persona, adventus, gesta, mors, Ecclesia describuntur. Nedum Prophetarum verba, verum etiam gesta Divinum hunc Archetypum repræsentant (18) : *In manu Prophetarum assimilatus sum*. Jonas, si externa tantum specie illum inspicias, nihil simile Jesu Christo præ se fert. Profecto illius verba nonnisi historiam rei prorsus insolitæ ac miræ continent ; in quibus tamen nullam figuræ speciem videas : at hanc ipsam Christus explicat, docetque, prodigium omni expectatione majus, quo ipse demonstraturus erat Judæis missionis ac Divinitatis suæ veritatem, fore signum Jonæ Prophetæ : *Sicut enim*, inquit Matth. 12. 39. *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus ; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Incolumis prodiit e pisce Jonas, post dierum ac noctium trium moram ; Christus e sepulcro mortis & tartari victor prodiit, ut immortali & gloriosa deinceps vita fruatur. Jonas in mare præceps datur, ut navigationis socios certo naufragio liberet : Christus neci traditur, ut certo & inevitabili exitio genus humanum servet (19). Ipso statim missionis initio jubetur Propheta verba facere ad Niniviras, idque nonnisi post libertatem e ventre piscis explet. Ita ante Christi passionem decretum est, ut Evangelium Ethnicis nunciaretur ; at nonnisi expleta passione nunciatum est. Antequam is obiret, panem filiorum canibus mittere (20) nunquam voluit. Viride tentorium, quod Jonas extra Niniven sibi struxerat, inquietis curis præstolans, dum Divinus furor in eam urbem erumperet ; ejusdem querelæ & iracundia in Dei clementiam, quæ nullum servare modum ipsi videbatur, invidiam Judæorum significant, irascentium, quod Deus Ethnicis Evangelii gratiam contulerit, & Apostoli salutis dogmata alienis nunciarint. Arbor Jonam tegens, quæ deinde radicibus vitiata aret, ac Prophetam ferventissimo solis æstui exponit, Lex Judęorum est, quæ eam gentem aliquandiu umbra texit ; nunc tamen penitus destituit inter ærumnas, mœrores atque offensiones, quas optime describunt acerrima illa Jonę verba : *Bene irascor ego usque ad mortem*. Ipsemet Jonę piscis mysterio non vacat ; primorumque Christianorum sedulitas (21) in hac voce ΙΧΘΥΣ, *piscis*, hoc monogramma rimata est : Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *Jesus Christus Dei Filius Servator*. Claudendum igitur est cum S. Augustino lib. 18. de Civit. c. 30. *Jonas non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit ; profecto apertius, quam si ejus mortem & resurrectionem voce clamaret*.

[12] Vide Ep. 71. D. Aug. & Ep. Hieron. inter August. 75. n. 22. nov. edit. [13] Vide Boch. de animal. sacr. par. 2. l. 2. c. 24. p. 291. & sequ. Kimchi, S. Ben-Melech, Mont. Jun. Pisc. Mercer. Grot. Cocc. Schindler. Buxtorf. Drus. J. H. Ursin. Berman, &c. [14] וימן יהוה אלהים קיקיון Lingua Syra, & Punica Ciccia, apud Hieron. hic, & ep. 75. inter August. Ægyptii, kiki. Vide Herodot. l. 2. c. 94. Ita & Plin. l. 15. c. 7. Dioscorid. l. 1. c. 38. Theophrast. lib. 1. c. 16. &c. [15] רוח קדים חרישית Septuag. Πνεύματι καύσωνος συγκαίοντι. Vide Jun. Fisc. Munst. Grot. Drus. Tarnov. &c. [16] Plin. lib. xv. c. 7. *Ibique non pridem, & in Hispania repente provenit, altitudine oleæ, &c.* [17] אתה חסת על הקיקיון (ỳ. 10.) ואני לא אחוס על נינוה (ỳ. 11.) Septuag. Σὺ ἐφείσω ὑπὲρ κολοκύνθης . . . ἐγὼ δὲ οὐ φείσομαι ὑπὲρ Νινευή. [18] Osee xii. 10. [19] Vide Aug. ep. cii. nov. edit. qu. 6. de Jona Propheta ; & Chrysolog. hom. 37. Cyrill. Præfat. Comment. in Jonam. [20] Matth. xv. 26. [21] Vide, si lubet, Optat. lib. 3. contra Parmen. Prosper. de Prædestin. Paulin. epist. 33. Tertull. de Baptismo cap. 1. Hieronym.

FINIS COMMENTARII IN JONAM.

IN MICHÆAM
PROLEGOMENON.



Ichæas, e Tribu Juda, e Morasthi modico vico ad Eleuteropolim, in plaga meridionali Jerosolymæ, ortus, munus exercuit sub Regibus Juda Joathano, Achazo, Ezechia, quinquaginta circiter annorum spatio. Hunc aliqui præpostere miscent (1) cum Michæa filio Jemlæ, Propheta sub Achabo Rege Israelis (2), cujus nulla scripta supersunt. Pseudo-Epiphanius, cæterique ejus fidem sequuti, e Tribu Ephraimi, & vico *Marathi* accersunt: sed quis locus Marathi in Tribu Ephraim? Legimus quidem in Josue xv. 59. *Mareth*, sed in Tribu Juda; & *Maresa*, *Maressa*, *Marissa*, *Morasthi*, ad eamdem Tribum spectabant. Quare Authores illos confudisse Maresam cum Maratha, facile credimus. Neque inviti suspicamur, Morasthi, Maressam, Marissam, Maresam unum eumdemque vicum ad Eleuteropolim designare (3). Chaldæus habet *Maresam* pro *Morasthi* (4); quæ duo nomina ex eadem radice ducta, unum idemque significant (5). Pseudo-Dorothæus testatur, Prophetam sepulturæ datum in Polyandrio Enakim, nempe in Cœmeterio *Enacim*: quod in eam nos sententiam ducit, ut Marathi in Tribu Juda ad Eleuteropolim, non secus ac Maresam & Morasthi, constituamus. Numquam enim Enacim in Tribu Ephraimi sedem habuerunt, sed in montibus Juda, in urbe Hebrone, locisque subjectis.

Oracula dedit Michæas æque in duo Regna Samariæ & Juda. Coætaneus fuit Isaiæ, quamvis in Prophetiæ munere tempore inferior. Legimus apud illum ingens fragmentum ex Isaia (6). Primo autem ærumnis Samariæ a Salmanasaro captæ, atque in acervum lapidum redactæ, occupatur (7). Deinde versis in Judam oculis, adventum Sennacheribi, inferendamque ab ipso in Judæam mala non obscure minitatur (8). Iterum ad Regnum Israelis, cujus regnantem passim licentiam arguit, adjectis de imminenti captivitate minis; ac demum orationem claudit post factas de solvenda demum captivitate promissiones (9).

Novum sermonem capite III. exorsus, Principibus domus Jacob, & Principibus domus Israel, idest Principibus Judicibus, magistratibus & Pseudoprophetis Juda sævitiam & avaritiam exprobrat: paribus etiam in Principes Israelis invectus, id denique eventurum dicit, ut Sion quasi ager exaretur, & Jerosolyma in acervum lapidum, ac tandem mons Templi in excelsa sylvarum redigatur.

Oraculum illud rerum potiente Ezechia a Propheta editum esse, Jeremia XXVI. 18. docente intelligimus. Ipse enim Jeremias eo vaticinio opportune usus est; ostendens enim, paria ac Michæas in Jerusolymam se pronunciasse, imminenti nece sub Joachimo liberatus est. Jerem. 26.6.

Post tristia in Judæam oracula, ad lætiora conversus Propheta, felicem aden statum prædicit, ut facile legentibus appareat alio spectare, quam ad tempora post captivitatem Babylonicam. Erat illi præ oculis Messiæ Regnum & Ecclesiæ institutio (10). Cum tamen tot felicitatum cursus brevi quadam calamitate turbandus esset, ita rem exposuit, ut brevius complexus videatur, quæ de bello Gog in Sanctos susius Ezechiel c. 38. & 39. prosequitur. Pristina deinde ad studia rediens, oriturum dicit in Bethleem Principem in universum late Israelem regnaturum (11), cujus futurum esset cnævum æternitati genus. Ejus administrationem & Regnum, inter utrasque mundi extremitates definitum, prosequitur. Excitandos a Deo pandit septem Pastores vel octo Principes, qui regionem Assur & terram Nemrod jure armorum sibi vindicabunt: quod nos de Dario Hystaspis ac septem conjuratis, Magorum nece, Imperium Persarum, post extinctam Cyri familiam, invadentibus, intelligimus. Tum ad Hebræos conversus Propheta (12) florentem eorum statum post Regnum Darii & Macchabæos describit; plura identidem addens, ad Ecclesiam Christi unice pertinentia.

Capita VI. & VII, tertiam & postremam orationem, seu potius prolixam in flagitia Samariæ querelam continent (13). Excurrit deinde ad eversionem & mala Babylonis (14), restitutionem Urbium Israelis, Regni illius amplitudinem, incolarum felicitatem, uti & conferenda a Deo beneficia; eo artificio singula prosequutus, ut futuram simul Israelis & Ecclesiæ felicitatem designet, hanc re & cumulatam, illam vero specie tantum & imperfectam.

Tempus & genus mortis æque latent, Pseudo-Epiphanius, & aliqui ex Græcis, fidei nihilo certioris, præcipitem datum esse jussu Jorami filii Achabi, ejus in dicendo carpendoque Regis scelera libertate offensi. Addunt illi, sepulturæ mandatum in cœmeterio, sive juxta cœmeterium *Marathi* patriæ suæ. S. Hieronymus epist. 27. sepulcrum illius in Morasthi spectari testatur; & Sozo-

(1) Athan. in Synops. Pseudo-Epiph. Pseudo-Dorotch. Euseb. Chron. Alexandr. Sozomen. lib. 7. cap. 20.
(2) 3. Reg. XXII. 2. &c.
(3) Ita sentiunt Vatablus, Montanus, Isidorus, Masius in Josue XV.
(4) Chald. in Mich. I. I.
(5) Vide Mich. I. 14. 15.
(6) Confer Mich. IV. I. Is. II. 2. & Is. XLI. 15. cum Mich. IV. 13.
(7) Mich. I. 6. 7.
(8) Mich. I. 9. 13. 14. 15.
(9) Mich. cap. II. per totum.
(10) Cap. IV. usque ad II.
(11) Mich. V. 2. &c.
(12) Cap. V. 7. &c.
(13) Cap. VI. totum, & cap. VII. 2. . . . 7.
(14) Cap. VII. 8. 10.

Sozomenus lib. 7. cap. 29. Hist. Eccl. tradit, viri Sancti corpus divinitus ostensum fuisse Zebenno Episcopo Eleuteropolitano, sub Theodosio Magno, eoque indicio inventum in loco, cui nomen *Beretsate*, quod facile ex *Morasthi* corruptum est. Porro locum illum decem stadiis ab Eleuteropoli situm dicit. S. Hieronymo urbs *Maresa* gemino ab eadem urbe lapide distat; quod ferme in idem recidit.

Stylo utitur brevi, conciso, præcipiti, obscuro, Osee simillimo; quod autem vivido quodam igne exardescat, & ex uno in aliud subito transeat, ideo durus est, minusque legentibus pronus.

COMMENTARIUS LITERALIS IN MICHÆAM.

CAPUT PRIMUM.

Michææ vaticinium in Samariam & Jerosolymam; quibus mala extrema minitatur; earumque superstitionem arguit, & casum luget.

Ÿ. 1. VErbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthitem, in diebus Joa-
than, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda: quod vidit super Samariam, &
Jerusalem. 2. Audite, populi omnes, & attendat terra, & plenitudo ejus: & sit
Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo. 3. Quia ecce Do-
minus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ. 4. Et
consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera a facie ignis, & si-
cut aquæ, quæ decurrunt in præceps. 5. In scelere Jacob omne istud, & in pec-
catis domus Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? & quæ excelsa Judæ? nonne
Jerusalem? 6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur
vinea: & detraham in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo. 7. Et
omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & om-
nia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt,
& usque ad mercedem meretricis revertentur. 8. Super hoc plangam, & ululabo:
vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi stru-
thionum. 9. Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit por-
tam populi mei usque ad Jerusalem. 10. In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne
ploretis, in domo pulveris pulvere vos conspergite. 11. Et transite vobis habitatio
Pulchra, confusa ignominia: non est egressa, quæ habitat in exitu: planctum Do-
mus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. 12. Quia infirmata est in bonum,
quæ habitat in amaritudinibus: quia ascendit malum a Domino in portam Jerusalem.
13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion,
quia in te inventa sunt scelera Israel. 14. Propterea dabit emissarios super hæredi-
tatem Geth: domus mendacii in deceptionem regibus Israel. 15. Adhuc hæredem
adducam tibi, qui habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel.
16. Decalvare, & condere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum si-
cut aquila: quoniam captivi ducti sunt ex te.

Ÿ. 1. VErbum Domini ad Michæam, in diebus Joathan, Achaz et Ezechiæ Regum Juda. Tres hi Reges spatium annorum sexaginta complent. Propheticum munus Michæas annis fortasse quadraginta vel quinquaginta exercuit: at & paucissima ex eo habemus vaticinia, neque plura illum scripsisse novimus.

Ÿ. 2. Audita, populi ..... sit vobis Dominus in testem. Illustris adeo & sublimis dicendorum præfatio non vulgaria dicturum mox Prophetam significat, gravemque animi illius terrorem tum ob Israelis flagitia; tum ob ærumnas quæ Israelem manent. Testes veritatis eorum quæ dicturus est, cœlum terramque vocat; vel flagitiorum Jacobi testes & accusatores.

Ÿ. 3. Dominus egredietur de loco suo. Deum exhi-

exhibet sub victoris imagine, domo egredientis, ut hostes profliget. Sublimia terræ, montes seu nubes pede terit: *Calcabit super excelsa terræ*. Familiares Prophetis descriptiones. Vide *Deut.* XXXII. 13. XXXIII. 19. *Amos* IV. 13. IX. 11. *Abacuc*, III. 3. 4. *&c.*

℣. 4. CONSUMENTUR MONTES. Hebræus (1): *Liquefient montes sub eo*. Ubi is pede illos calcaverit, hi veluti cera inclinabuntur, & molles fient. Hyperbole. Septuaginta (2). *Commovebuntur montes subtus eum*.

VALLES SCINDENTUR SICUT CERA. Scindentur valles (3) & aperientur, uti olim Erythræum, ut Hebræis transitum daret (4), atque uti dehiscens terra seditiosos absorsit (5); atque ita facile, uti cera ab igne. Septuaginta (6): *Valles liquescent, ut liquescit cera a facie ignis*.

℣. 5. IN SCELERE JACOB OMNE ISTUD. Totus hic Dei ad vindictam proficiscentis apparatus in flagitia Jacobi est. Quo tamen loco, Jacobi scelus impudentissime bacchatum est; aut in quem Dei furor maxime sæviet? Nonne in Samariam & & Jerosolymam, utpote scelestissimas, primasque mali causas? *Quod scelus Jacob, nonne Samaria? Et quæ excelsa Judæ? Nonne Jerusalem?* Ubi Deorum fana? Ubi morum corruptio? Ubi flagitia? Nonne Samariæ & Jerosolymis? Post impii Achabi tempora, Baalis cultus altas Samariæ radices egit. Jehu certe Baalis fana evertit 4. Reg. 10. 18. ejusque successores, usque ad Zachariam, Israelitarum flagitia coercuisse videntur, ac vetuisse, ne publice Baal coleretur, neque aut Prophetarum aut Regum Libri Baalis cultum vitio illis vertunt. At desinente familia Jehu, cum Israelis Regnum turbis iterum & seditionibus agitaretur, Samaria in vetera flagitia lapsa est. Id porro arguit Michæas, qui ea ætate florebat. Judam etiam accusat, quod edita loca, Lege omnino repugnante Deut 12.5. veneraretur: *Quæ excelsa Judæ? Nonne Jerusalem?* Illud etiam dicere videtur, ipsammet Jerosolymam, & vicinum illi agrum editis locis non caruisse, quamvis Templi conspectu, ac Regis & Sacerdotum præsentia hujusmodi flagitia coercenda essent. De Joathano certe narrat Scriptura 4. Reg. 15. 35. *Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis*. Is erat in utroque Regno Religionis status, quo tempore Michæas vaticinium iniit.

℣. 6. PONAM SAMARIAM QUASI ACERVUM LAPIDUM IN AGRO. Hujus vaticinii fides expleta est, capta eversaque Samaria per Salmanasarum, sub Osee, ultimo Israelitarum Rege 4. Reg. 17. 6. Eadem postquam suis sepulta ruinis diu jacuit, iterum post Babylonicam captivitatem restituta est; rursus deinde eversa per Joannem Hircanum, Judæorum Principem. *Hircanus*, inquit Josephus Antiqu. l. 13. c. 18. *Samariam, uno anno obsessam, cepit; nec eo solo contentus erat, sed & eam funditus delevit, inductis eo torrentibus*. Quæ quidem verba cave de ipsa urbe intelligas, quæ colli insidebat, sed de illius parte in plano sita, vel de illius ruderibus, in torrentem ad Samariæ pedes fluentem ejus jussu projectis; qua re certissimam is fecit horum verborum fidem: *Detraham in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo*. Reddunt Septuaginta (7): *Ponam Samariam in pomorum custodiam, & in plantationem vineæ*. Ita desertus erit Samariæ mons, ut ibi serenda sit vinea, congerendaque eo sint ædificiorum illius rudera, quemadmodum unum in locum congeruntur vineæ lapides, ubi ea colitur. *Vinea facta est dilecto meo*, inquit Isaias v. 2. *sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit illam electam*. Hebræus ad verbum (8): *Ponam Samariam in acervum agri, in plantationem vineæ*; scilicet ex Grotio: Similem efficiam colli, qui aretur, & vineto.

℣. 7. OMNES MERCEDES EJUS. Hebræus (9): *Omnia donaria ejus comburentur igne*. Munera & donaria, quæ ipsa Baali obtulit, vel ea quæ ipsa ab amatoribus accepit, uti meretrix solet, exteros quoslibet sequens, quorum cultum & Religionem amplexa est.

DE MERCEDIBUS MERETRICIS CONGREGATA SUNT, ET USQUE AD MERCEDEM MERETRICIS REVERTENTUR. Cum Templorum tuorum opes coaluerint ex muneribus, quæ a turpissimis libidinis victimis conferuntur, eædem illæ opes redibunt, ab iis in ipsorum Templis in similem usum convertendæ; vel inanibus nimirum Diis, quos illi venerantur, oblatæ, vel iis fœminis datæ, quæ in honorem Numinum prostant. Hæc usurpari ad verbum possunt. Teste Herodoto lib. 1. c. 199. fœminæ omnes apud Babylonios semel in vita in Mylittæ honorem, ejusque Templi utilitatem meretricium exercebant. Id luculenter innuit Baruch VI. 9. ubi de Babyloniorum Diis agit: *Coronas aureas habent super capita sua Dii illorum: unde subtrahunt Sacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in semetipsos. Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant; & iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant Deos suos*. Horreo chartam conspurcare moris turpissimi narratione, deferendi scilicet Diis infamium libidinum mercedes, longe lateque pervagatum, ut nulla ferme gens eo probro careret. Moris hujus vetustatem hinc disce, quod Moyses vetuerit (10): *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, &c.* Septuaginta hic legunt (11): *Ex mercedibus fornicationis congregavit, & ex mercedibus meretricis evertit*; vel, *pretio meretricis mutavit*.

℣. 8. VADAM SPOLIATUS ET NUDUS. Chaldæus & Septuaginta (12) de Israelis gente interpretantur, mox in captivitatem redigenda, bonisque & vestibus spolianda: *Planget & lamentabitur, ibit discalceata & nuda, &c.* Si de Propheta usurpes, dicito, illum vestes scidisse, nudisque pedibus incessisse, instar lugentium; scilicet, male indutum, scissis vestibus, pedibus nudis, &c. Quibus indiciis animi sui dolorem ostendebat, ob imminens populi sui infortunium; vel inopiam significabat, ad quam populus ab hoste redigendus erat.

FACIAM PLANCTUM VELUT DRACONUM, ET LUCTUM QUASI STRUTHIONUM. Ajunt, dracones, vel angues, qui in India cum elephantis pugnant, irritatos, terribili sibilo personare, cum elephanti corporis pondere oppressi vincuntur (13). Struthiones etiam acutissimas & lugubres voces edere testantur (14).

Reddi potest Hebræus (15): *Faciam planctum quasi magni piscis, & luctum quasi filiarum Jabanab. Jabanab* cycnum esse docuimus in Isaiam, XIII. 21. cycni autem cantum lugubrem esse & acutissimum, nemo ignorat. Quoddam etiam magnorum piscium genus est, tam alte mugientium,

(1) ונמסו ההרים תחתיו (2) Σαλευθήσεται τὰ ὄρη ὑποκάτωθεν αὐτοῦ. (3) והעמקים יתבקעו כדונג מפני האש
(4) Exod. XIV. 16. 21. ויבקעו המים (5) Num. XVI. 31. תבקע האדמה (6) Καὶ αἱ κοιλάδες τακήσονται ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρός. (7) Θήσομαι Σαμάρειαν εἰς ὀπωροφυλάκιον ἀγροῦ, καὶ εἰς φυτείαν ἀμπελῶνος.
(8) ושמתי שמרון לעי השדה למטעי כרם (9) וכל אתנניה ישרפו באש Septuag. Τὰ μισθώματα αὐτῆς.
(10) Deut. XXIII. 18. Vide, si lubet, August. lib. 4. de civit. cap. 10. & Comment. in eum locum.
(11) Septuag. Ἐκ μισθωμάτων πορνείας συνήγαγε, καὶ ἐκ μισθωμάτων πόρνης κατέστρεψε. Alii: Συνέστρεψε, vel ἐπέστρεψε. (12) Septuag. Πορεύσεται ἀνυπόδετος καὶ γυμνή. Heb. אילכה שולל וערום (13) Vide Hieron. hic, Riber. Sanct. Men. (14) Vide Boch. de animal. sacr. p. 2. lib. 2. cap. 14. Vatab. Menoch. &c.
(15) אעשה מספד כתנים ואבל כבנות יענה Vide Levit. XI. 16.

tium, ut illorum clamor longissime exaudiatur. Vituli marini mugiunt; ac, teste Plinio lib. 9. c. 13. *accipiunt disciplinam, vocesque pariter & visu populum salutant, incondito fremitu: nomine vocati respondent*. Balænæ vox, authore Rondeletio, a sex millium passuum intervallo auditur, & vulnerata clamores inconditos edit, quibus auditis cæteræ accurrunt. Delphines gemitus prope humanos cient (16): *Pro voce, gemitus humano similis*, inquit Plinius. Quoslibet magnos pisces Hebræi communi appellatione *Tannim* nuncupant.

℣. 9. Desperata est plaga ejus; pervenit usque ad Judam. Samariæ plaga est vel Samariæ superstitio & scelus, vel pœna & supplicium; altera enim ex alteris oriuntur. Morum ac Religionis corruptio a Samaria in Jerosolymam transiit. Nullus erat Baalis cultus in Juda, antequam ab Achabo Samariam inveheretur. Assyriorum Reges, qui Israelis Regnum depopulati, tandem everterunt, nonnisi expugnata Samaria Regnum Juda invasere. Israelem diripuere Phul, Theglathphalassar, & Salmanasar; statim deinde Sennacherib, Judam aggressus, omnia terrore complevit. Sequutus Nabuchodonosor, capta Jerosolyma, populum captivum rapuit. Michæam spectasse potissimum Sennacheribi expeditionem, ℣. 13. hujus Capitis omnino suadet. Ante Sennacheribum, invaserant Regnum Juda Razin Syriæ Rex, & Phacee Rex Israelis, labente Joathani Regno, & Achazo incipiente (17). Durissimam hic obsidionem Jerosolymis tulit; at præsentissimo Providentiæ beneficio liberatus, ad priora flagitia iterum rediit; quamobrem illius Regnum hostibus tradidit Deus, a quibus ita sævitum est, ut nihil crudelius expectari posset. Phacee Rex Israelis, cæsis uno die centum millibus ex Juda, ducenta captivorum millia abduxit. Turbis ejus Regni opportune usi Philisthini & Idumæi, quamplures Judææ urbes, in suis finibus sitas, occupavere (18): quamobrem Achaz Theglathphalassari Assyriorum Regis opem implorare coactus est (19). Hæc fortasse spectabat Michæas, qui sub Joathano Achazi patre vaticinari cœperat.

℣. 10. In Geth nolite annuntiare. Quæ prædico, in urbe Geth ne prædicetis, ne Philisthini hostes vestri malis vestris gaudeant. Frequenter utuntur Prophetæ hoc locutionis genere: Nolite nunciare hostibus. David id Carmine de Saulis & Jonathæ morte exarato 2. Reg. 1. 20. *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis; ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum*. Contra vero, ut devictorum dolor, impiorumque cruciatus augeatur, mala inter hostes prædicari jubent (20): *Auditum facite in ædibus Azothi, & in ædibus terræ Ægypti, & dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias in medio ejus*. Septuaginta (21): *Qui Geth* incolitis, *nolite magnificare; & qui* incolitis *Bakim, nolite reædificare*. Vel, ex Editione Romana & Theodoreto (22): *Qui in Geth, nolite magnificari, & vos, Enacim, nolite reædificare ex domo in derisum*. Gigantes e stirpe Enak sedes habuisse potissimum in urbe Hebrone, satis constat; quibus tamen non caruit Geth. Gethæus erat Goliah (23), & e genere priscorum Raphaim, quemadmodum & alii nonnulli gigantes, qui Davidis ætate claruerunt (24). Nihil tamen adhuc videmus, quod hunc locum veluti malam imprecationem in Geth atque Enacim usurpari jubeat; vel in *Bokim*, locum Jerosolymæ vicinum, de quo 2. *Reg*. v. 23. & *Judic*. 11. 5.

Ita porro verti totus versiculus ex Hebræo potest (25): *In Geth ne nuntietis; lacrymas ne fundite: in Beth-Aphara*, vel in domo pulveris, *pulvere ne conspergamini*. Apharam urbem in Tribu Benjamini (26) scimus, & Ephronem, vel Aphronem in Juda (27), atque alteram, unde ortus est Joas Gedeonis pater, forte in Tribu Manasse (28). *Domum pulveris* esse arbitror Samariam, cujus excidium prædicit ℣. 6. Verba hæc parva facta in textu Hebræo mutatione verti optime possent sic: nolite annuntiare in Geth; lacrymis ne ploretis in Acco, [sive in Ptolemaide]; pulvere vos ne conspergite in Beithaphara. Vide Relandum Palæst. to. 2. pag. 534. & 334.

℣. 11. Transite vobis, habitatio pulcra. Creditur S. Hieronymus ad verbum reddidisse urbium nomina, quæ minime opus erat interpretari (29): *Transi in exteram regionem*, vel fuge, *quæ habitas in Sanir nudata pudendis. Non extat habitatrix Saanan ad planctum: Beth haezel discat a vobis quiescere*. Saphir, seu Sephoris, vel Sephora, deinde Diocæsarea, teste Josepho lib. 2. de Bello cap. 37. validissima erat Galilææ arx, totiusque Provinciæ munimen. Hanc nihilominus jubet Propheta transire, fugere, quod ab hoste occupanda esset; vel potius futurum prædicit, ut captiva & nuda instar mancipii abducatur; *transire* enim significare videtur hoc loco captivitatem, transmigrationem. *Saanan* etiam in Galilæa erat (30), & in Tribu Nephtali. Circa ea loca sedes erat Heber Cinæi (31). Vetat Michæas, ejus urbis cives ex urbe egredi, ut in vicino agro luctum trahant, quemadmodum in publicis calamitatibus fieri solebat. *Beth Hezel* urbem penitus ignoramus. Hæc fortasse appellatio generice pro locis Sephori & Sennæ vicinis usurpatur. *Bethaezel* בית·האצל, idest, *Domus vicinæ*.

℣. 12. Infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus. Hebræus ita fert (32): *Quia acerbe doluit propter bonum; habitatrix Maroth*. Mœrere non potuit nisi ob ea quæ perdidit, vel quæ se amissuram timet. Nullam in Palæstina *Mara* vel *Maroth* urbem novimus; at urbs Mareth in Tribu Juda legitur Josue xv. 59. Putat Grotius, legendum *Ramoth*, pro *Maroth*. Frequentes in ea regione sunt urbes Ramoth. Tota autem Prophetæ oratio ad Judæ vel Benjamini Tribum ducit. Benjaminum inter & utramque hanc Tribum erant *Excelsa*, vel *Ramoth* Ephraimi, & prope Jerosolymam jacebat Ramath vel Ramatha urbs; & in Benjamino, modica urbs Rama.

℣. 13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis. Urbs Lachis in plaga maxime meridiana Tribus Juda jacebat, septem millibus passuum ab Eleutheropoli, meridiem versus (33). Sennacherib, arma in Ezechiam movens, urbem Lachis obsedit (34), antequam Jerosolymam aggrederetur; fortasse nequas ab Ægypto suppetias speraret Ezechias (35). Tunc certe Lachis fremitu curruum Sennacheribi jure territa est.

Principium peccati est filiæ Sion [Lachis], quia in te inventa sunt scelera Israel. At qui fieri potuit, ut Lachis, a Samaria remotissima, cui minime vitio vertit Scriptura, quod flagitia in

(16) Plin. lib. IX. c. 8. Solin. c. 12. (17) Vide 4. Reg. XVI. 37. & Isai. VIII. (18) Vide 2. Paralip. XXVIII. (19) 4. Reg. XVI. (20) Amos III. 9. (21) Οἱ ἐν Γέθ, μὴ μεγαλύνεσθε, & οἱ Βακεὶμ, μὴ ἀνοικοδομεῖτε, &c. Ita Complut. & Hieron. (22) Edit. Rom. & Theodor. Οἱ ἐν Γέθ, μὴ μεγαλύνεσθε, καὶ οἱ Ἐνακεὶμ, μὴ ἀνοικοδομεῖτε ἐξ οἴκου κατὰ γέλωτα. (23) 1. Reg. XVII. 4. (24) 2. Reg. XXI. 22. & seq. (25) בגת אל תגידו בכו אל תבכו בבית לעפרה עפר התפלשתי (26) Josue XVIII. 23. Vide & 1. Reg. XIII. 17. (27) עפרון 2. Par. XIII. 19. (28) Judic. VI. 11. & VIII. 32. (29) עברי לכם ישבת שפיר עריה בשת לא יצאה ישבת צאנן מספד בית האצל יקח מכם עמדתו (30) Josue XIX. 33. Saananim. צעננים (31) Judic. IV. 11. *Ad vallem quæ appellatur Sennim*. צענים (32) כי חלה לטוב יושבת מרות (33) Euseb. & Hieron. in locis. (34) 4. Reg. XVIII. 13. & seq. (35) Vide Isai. XXXVI. 6.

in Judam invexerit, principium & origo scelerum Jerosolymæ fuerit? Reddi planius potest (1): *Principium peccati hoc fuit filiæ Sion; quoniam in te inventa sunt flagitia Israelis*. Hæc malorum ac suppliciorum tuorum origo est, Filia Sion, quod nimirum Samariæ flagitia imitata fueris. *Peccatum* passim pro pœna peccatum consequente usurpatur. Aliter: Primum inter Sionis scelera illud est, quod Israelis sacrilegia amplexa fuerit.

℣. 14. PROPTEREA DABIT EMISSARIOS SUPER HÆREDITATEM GETH: DOMOS MENDACII, &c. Hebræus (2): *Propterea dabit Legatos*, vel munera *ad possessionem Geth, ad domos Acsib, ut fallat Reges Israel*. Nihil in Scriptura legimus, quod hujus loci explicationem juvet; nuspiam enim dicuntur Reges Israelis aut Judæ opem aut ab urbe Geth, aut a subjectis illi gentibus, vel ab urbe Acsib, Tribus Juda (3), postulasse. Geth nunquam certe iis viribus fluruit, ut suppetias his Regibus ferre potuerit: & Acsib unquam urbi Geth paruisse, ignoramus. Achaz Rex Juda mittere utique potuit legatos ad Getheos gentem nemini parentem & potentem, verum post aliquot annos in potestatem Regis Ezechiæ venerunt. Joseph. Antiquit. lib. 9. cap. 13.

Sunt qui pro *possessione* vel *hæreditate Geth*, legant *Moreseth*, vel *Morasthi* subjectam urbi Geth, *domos mendacii*, vel *domos Acsib*, *in mendacium Regibus Israel*; atque hoc proprie arbitror in Textu significari. Scimus, *Maresam*, aliter *Morasthi* & *Acsib* non longe a Geth abfuisse (4), & Philisthinos, rerum potiente Achazo, aliquas in planitie urbes, ubi Maresa erant & Eleutheropolis (5), occupasse. Achaz Rex Juda cum in ultimas rerum angustias a Phacee Israelis Rege adactus esset, opem fortasse a *Geth*, *Maresa* & *Acsib* imploravit, ut Regem Israelis falleret; scilicet, ut inanes illius spes & conatus efficeret. Hac locutione, *in mendacium Regibus Israel*, usus est Propheta, occasione nominis Acsib, quod mendacium & dolum significat. Vocum lusus est inter *Acsib*, & *domus mendacii*, & *fallere*.

℣. 15. ADHUC HÆREDES ADDUCAM TIBI, QUÆ HABITAS IN MARESA. Lusus verborum est inter *Maresam*, & vocabulum *hæredis* (6); isque genus quoddam ironiæ & minarum continet. Novum tibi Regem daturus sum Maresa: tui imperium occubabit Assyrius. Harum minarum fides tunc fortasse expleta est, cum Sennacherib urbem Lachis obsidione strinxit, atque omnia circa illam loca occupavit. Maresa, duobus tantummodo passuum millibus ab Eleutheropoli remota, novem, ut plurimum, millibus a Lachis abfuit. Michææ patria Maresa fuit, quamobrem is maxime illius rebus vicibusque tangitur.

USQUE AD ODOLLAM VENIET GLORIA ISRAEL. Odolla duobus passuum millibus ab Eleutheropoli aberat, orientem versus (7). Quamobrem mirum non est, captam esse a Sennacheribo, inter cæteras Judæ urbes, quas expugnavit (8). Ambigua est in Hebræo vox *cabod* (9), gloriam & onus significans: *Ad Odollam veniet onus Israelis*. Divini furoris pondus Odolla sentiet, quemadmodum cæteræ urbes expertæ sunt. *Onus Israelis* usurpatur hic pro ærumnis, quæ Israelem oppressere, aut illi imminent. Vide ℣. 16. & proximum Caput.

℣. 16. DECALVA & TONDERE... DILATA CALVITIUM TUUM SICUT AQUILA. Notissimus est Hebræorum mos, capillos cædendi in funere, aut evellendi (10). Ut doloris mœrorisque magnitudinem, quo homines Juda tenendi sunt, exprimat Propheta, futurum ait, ut capillos evellant aut scindant, ac simile aquilæ calvitium faciant; omnes enim pennas aquila quotannis mutat, quo tempore, inquit Theodoretus (11), adeo languet, ut neque suo more venari, neque cæteras aves terrere queat. Novam sententiam hic versiculus instituit, jungendusque est cum Capite sequenti, quo grave in Israelem vaticinium continetur. Jubet Propheta Samariam capillos evellere, civium suorum causa, *quoniam captivi ducti sunt ex te*; cujus oraculi fidem statim explevit Salmanasar. Vide Caput II. 4. 5.

(1) ראשית חטאת היא לבת ציון כי בך נמצאו פשעי ישראל (2) לכן תתני שלוחים על מורשת גת בתי אכזיב לאכזב למלכי ישראל (3) Josue xv. 44. (4) Vide Eusebium & S. Hieronymum de Locis, & nostram Tabulam. (5) 2. Par. xxviii. 18. (6) עד היורש אבי לך יושבת מרשה (7) Euseb. & Hieron. in locis. (8) 4. Reg. xviii. 13. *Ascendit Sennacherib ad universas civitates Juda munitas, & cepit eas.* (9) עד עדלם יבוא כבוד ישראל (10) Vide Deut. xiv. 1. Isai. iii. 24. xv. 2. Jerem. xvi. 6 xlviii. 37. Amos viii. 10. (11) Theodoret. hic: [illegible]

C A P U T II.

Israelis flagitia. Certa & proxima cædes imminet. Reditus e captivitate promittitur.

℣. 1. VÆ, qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. 2.
Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum ejus: virum, & hæreditatem ejus. 3. Idcirco hæc dicit Dominus; Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi: quoniam tempus pessimum est. 4. In die illa sumetur super vos parabola, & cantabitur canticum cum suavitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars populi mei commutata est: quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat? 5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini. 6. Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprehendet confusio. 7. Dicit domus Jacob: Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur? 8. Et e contrario populus meus in adversarium consurrexit, desuper tuni-

tunica pallium sustulistis: & eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.
9. Mulieres populi mei ejecistis de domo delitiarum suarum: a parvulis earum tuli-
stis laudem meam in perpetuum. 10. Surgite, & ite, quia non habetis hic re-
quiem: propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima. 11. Utinam non
essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum,
& in ebrietatem, & erit, super quem stillatur populus iste. 12. Congregatione con-
gregabo Jacob totum te: in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum
quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur a multitu-
dine hominum. 13. Ascendet enim pandens iter ante eos: divident, & transibunt
portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in
capite eorum.

℣. 1. VÆ QUI COGITATIS INUTILE; qui desideria eventu caritura concipitis: qui ea molimini, quæ Deus fieri non patietur. Reddi Hebræus potest (1): *Væ qui cogitatis iniqua*. Septuaginta (2): *facti sunt cogitantes labores*. Consilia meditati sunt, quibus miseri efficientur; quæ mœrorem animis illorum pariunt. Legitur frequentissime in Scriptura *labor & iniquitas*, vel dolor & vanitas; eadem enim Hebræa vox significat id quod inane est, inutile, iniquum (3): *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, seu *nihil*. Proverbii genus. Animum excruciavit impiis consiliis excogitandis, quæ in illud desitura sunt, ut reos magis efficiant, atque omne malorum genus in ipsos trahant. Idololatriam falsosque Deos si vanitatem vel iniquitatem nuncupabant; inde orta sunt nomina *Beth-aven*, domus iniquitatis seu nihili; *Emek aven*, vallis inanitatis, &c. Toto hoc Capite, & postremo superioris versiculo, decem Tribus & Israelis Regnum spectantur.

IN LUCE MATUTINA FACIUNT ILLUD. Hæc facere festinatis; nihil moramini; effusissime in idipsum nitimini. David ipse testatur, Psal. 100. 8. sese *in matutino interficere omnes peccatores terræ*; & Sapientia Proverb. 8. 17. *Qui mane vigilant ad me, invenient me*. Et Eccle. 11. 6. *Mane semina semen tuum, &c.*

QUONIAM CONTRA DEUM EST MANUS EORUM. Septuaginta (4): *Quoniam non sustulerunt ad Dominum manus suas*. Chaldæus (5): *In manu eorum adest potestas*. Vel ex aliis (6): *Cogitata exsequentur, si modo res sit in potestate eorum*, nisi Magistratuum metu coerceantur. Hebræus ad verbum: *Quoniam potestas est ad manum eorum*.

℣. 2. CALUMNIABANTUR VIRUM, ET HÆREDITATEM EJUS; quemadmodum Achab & Jezabel Nabothum iniquis criminationibus oppressere, ut illius vinea potirentur 3. Reg. 21. 13. Reddi potest Hebræus (7): *Oppressere virum & hæreditatem ejus*; illius agrum calumniis & injuriis occupavere.

℣. 3. EGO COGITO SUPER FAMILIAM ISTAM MALUM. Cum iniqua in proximos meditemini, vestrum ego exitium molior.

NON AMBULABITIS SUPERBI. Hebræus & Septuaginta (8): *Non ambulabitis sublimes*, alta fronte, rigido rectoque corpore, confidenti ore & securo; jam enim calamitatis vestræ tempus adest: *Quoniam tempus pessimum est* (9). Venit jam tempus ea explendi, quæ in vos prædixi. Samariæ Regnum sub Achazo Theglathphalassar invasit; Salmanasar prorsus evertit, populumque in Assyriam rapuit, regnante in Juda Ezechia. Hæc omnia præsens vidit Michæas; quamobrem propiora esse non potuerunt.

℣. 4. SUMETUR SUPER VOS PARABOLA, ET CANTABITUR CANTICUM CUM SUAVITATE. Hominum fabula efficiemini. Ad verbum (10): *Sumetur super vos proverbium*, sententiosa oratio de rebus vestris instituetur, *& canetur carmen lugubre*. Carminum fictores, vel qui funebres nænias canunt, flebile hoc carmen de vobis dicent. Tota Carminis series satis docet, ipsum Israelitarum causa exaratum fuisse, atque ipsis Israelitis recitatum. Similium huic carminum, a Prophetis exaratorum, exempla jam sæpe vidimus (11). Quæ ipsi prædicebant, ita certo eventura arbitrabantur, ut veluti præterita jam quererentur.

DEPOPULATIONE VASTATI SUMUS. Obscurissimum Carmen, cujus in explicatione mire dissident Interpretes. Nos totum ex Hebræo ita reddimus (12): *Actum est*, inquient, *penitus direpti fuimus. Populi mei hæreditas in alienorum manus conversa est. Quomodo adimit mihi* hostis, alienos *accersiturus*, qui *agrum nostrum dividant?* [℣. 5.] *Propterea nullus erit tibi deinceps agrorum mensor, funiculum mittens, ut dividat hæreditates in Cœtu Domini.* [℣. 6.] *Malorum nobis imminentium vaticinia, ceu noxium imbrem, super nos ne demittatis: nunquam paria cernentur his* quæ patimur: *æterno penitus probro obruemur.*

QUOMODO RECEDET A ME, CUM REVERTATUR QUI REGIONES NOSTRAS DIVIDAT (13)? Recessere hostes: at quomodo? ita nimirum, ut reversuri sint, nostrosque agros inter sese divisuri. Heu, quomodo hæreditas mea adempta est mihi? Funditus perii: quæ amisi, nunquam recuperaturus sum; quippe hostis in mei locum alienas gentes duxit, quibus agros meos distribuat. Profecto Assyrii Reges in Israelitidem Cuthæos aliosque alieni generis homines induxit, qui totius regionis urbes & agros occupavere. Vide 4. Reg. 17. 24. Septuaginta (14): *Non erat qui prohiberet* malum, *avertens ipsum. Agri nostri distributi sunt.*

℣. 5. NON ERIT TIBI MITTENS FUNICULUM SORTIS (15), qui funem projiciat, ut agros metiatur, atque inter fratres dividat. Hoc ex dictis sponte oritur: occupata enim ab alienis regione, qui captivorum agros absoluta authoritate usurparent, nihil omnino futurum suadebat, ut avitam hæreditatem Israel ullo unquam tempore recuperaret.

℣. 6. NE LOQUAMINI LOQUENTES (ne dicatis): NON STILLABIT SUPER ISTOS (hæc mala his non evenient): NON COMPREHENDET CONFUSIO (probro non obruentur). Hebræus (16): *Ne stilletis; stilla-*

(1) הוי חשבי און (2) Ἐγένοντο λογιζόμενοι κόπους. (3) Isai. LIX. 4. הרה עמל והוליד און Vide & Psalm. VII. 15. X. 7. LV. 11. &c. (4) Διότι οὐκ ἦραν πρὸς τὸν Κύριον τὰς χεῖρας αὐτῶν. Ita & Arab. Hebr. כי יש לאל ידם (5) Chald. אית חילא בידהון Vide & Pagn. Munst. Tig. Jun. (6) Grot. Tarnov. Castal. alii. (7) עשקו איש ונחלתו (8) לא תלכו רומה (9) כי עת רעה היא (10) ישא עליכם משל ונהה נהי נהיה אמר שדוד נשדנו (11) Isai. XXVI. 1. Jerem. VII. 29. XXVIII. 32. Ezech. XIX. 1. XXVIII. 12. XXXII. 16. Amos V. 1. (12) נהיה אמר שדוד נשדנו וגו׳ (13) איך ימיש לי לשובב שדינו יחלק (14) Οὐκ ἦν ὁ κωλύων αὐτὸν τοῦ ἀποστρέψαι αὐτόν· οἱ ἀγροὶ ἡμῶν διεμερίσθησαν. (15) לא יהיה לך משליך חבל בגורל בקהל יהוה (16) אל תטיפו יטיפון לא יטיפו לאלה לא יסג כלימות

ſtillabant : nihil ſtillabunt ſimile huic : non recedet confuſio. Sullare plerumque uſurpatur pro vaticinari (17); verbaque frequenter cum imbre comparantur (18). Oppreſſa præſentibus ærumnis gens Prophetas adit, quorum verba tam ſæpe contempſit, oratque: Ne vaticinere, quæſo: Quid gravius timendum mihi eſt in his, quibus obvolvor, calamitatibus? Vaticinentur, quamdiu voluerit Deus, pejora his quæ patior non prædicent. Aliter: Ne vaticinare mala, quibus cædimur: nunquam majora videbimus. Ora noſtra æterno probro & pudore obruentur. Hic carminis finis.

℣. 7. DICIT DOMUS JACOB: NUMQUID ABBREVIATUS EST SPIRITUS DOMINI? An minus miſeretur? Vel: Nonne contractus quodammodo eſt Dei Spiritus, noſque perſpicuis illius erga nos clementiæ & miſericordiæ argumentis caremus, quibus olim abundabamus? Ita queruntur Iſraelitæ; quibus reſpondet Propheta: *Nonne verba mea bona ſunt cum eo, qui recte graditur?* An non beneficia meditor erga eos, qui rectum vitæ inſtitutum ſequuntur? Mea igitur miſericordia brevior ſolummodo erga pertinaces ac veſtri ſimiles eſt. Hæc verba, *Dicit Dominus Jacob*, jungi poſſunt cum ſuperiore verſiculo, ut finis lugubris næniæ ſint. Hæc dicet Jacobi ſuboles inter eas ærumnas, quibus affligetur. Reſpondet Michæas: Dei ſeveritatem acriter querimini (19): *An Dei patientia minor nunc eſt quam ante fuit? Iſta ne meditatur Deus?* Ita ne ſolet Deus? An populi exitium amat? *An non pia conſilia erga eos habet, qui recte incedunt?* Vos igitur ipſi Deum cogitis vim ingenio ſuo inferre. *Brevi ſpiritu eſſe* (20) apud Hebræos eſt impatienter ferre, quaſi dicas, ſpiritum frequenter brevibuſque hauſtibus ducere; id quod iratis uſu venit: contra vero (21), *longo ſpiritu eſſe*, longum ventum, flatum, os, naſum habere, ſignificat eſſe mitem, veniæ facilem, patienter ferre.

℣. 8. ET E CONTRARIO POPULUS MEUS IN ADVERSARIUM CONSURREXIT. Ipſe mihi ſe inimicum præbuit. Nonne is me provocavit, in me obriguit, medium inter nos aggerem ſtatuit, quo meæ in caput ſuum miſericordiæ imbrem avertit? Reddunt nonnulli (22): *Non ita pridem populus meus pro hoſte in me inſurrexit*. Septuaginta (23): *Et antea populus meus reſtitit in inimicitia contra pacem ſuam*; adverſus Deum pacis, qui nonniſi pacem & amicitiam erga ipſum meditabatur.

DESUPER TUNICA, PALLIUM SUSTULISTIS: ET EOS, QUI TRANSIBANT SIMPLICITER, CONVERTISTIS IN BELLUM; in eos qui nihil mali verebantur, hoſtiliter ſæviiſtis. Perſpicua eſt ſententia: aliter tamen habet Hebræus (24). Jungi autem poteſt cum ſuperiore: *Populus meus pro hoſte inſurrexit in pacificum: veſtes abſtuliſtis iis qui ſecure gradiebantur, e bello reverſi*. Scilicet: Iſraelitæ, confecto prælio, ex acie redeuntes, nullum injuriis finem fecere; omnia veluti integro bello depopulati. Nullus dubito, quin hic Michæas ſævitiæ illius arguat Iſraelitas, quam hi in fratres exercuere, Achazo Rege Juda rerum potiente. Impius hic Dei furorem ſacrilegiis & ſuperſtitione in Regni ſui perniciem provocaverat. Quamobrem Judam Deus diripiendum tradidit Regi Syriæ Raſin, & Phacee Iſraelis Regi (25); quorum alteri nulla prorſus fuiſſe belli Achazo inferendi cauſa videtur. *Pro hoſte inſurrexit in tranquillum Regnum*; unaque die centum & viginti millia armatorum ex Juda mactavit. Neque his contentus miles, univerſam late ditionem diripuit ac ſpoliavit, ducentis millibus ex Juda in captivitatem raptis, immenſiſque opibus exuviarum loco ablatis. Id optime innuit Michæas: *Ex acie redeuntes, abſtulere veſtes eorum qui ſecure gradiebantur, nihilque metuebant*: pro hoſte ſævierunt. Profecto captivos raptaſque exuvias reſtituere; at Oded Prophetæ minis territi, atque Ephraimi Procerum authoritate coacti. Florebat ſub Achazo Michęas, atque hæc omnia fortaſſe præſens ipſe vidit. Obſcura adeo eſt magna hujus Capitis parte Septuaginta Interpretum verſio, ut ſingulis verſiculis eorum verba recitare inutile ſit.

℣. 9. MULIERES POPULI MEI EJECISTIS DE DOMO DELICIARUM SUARUM, ET A PARVULIS EARUM TULISTIS LAUDEM MEAM IN PERPETUUM. Pergit ſævitiam arguere, ab Iſraelitis in bello mox recitato exhibitam. *Ceperunt filii Iſrael de fratribus ſuis* (ex Juda) *ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum* (26). Imbellis ea miſerorum turba, patriis ædibus pulſa, atque in captivitatem rapta, queſtus gemituſque edebat, oblita Dei laudum, quas in domorum otio iterabant. Teſte paſſim Scriptura (27), docebantur pueri Dei laudes canere, cum hæc innocentium animarum verba jucundiſſima Deo eſſe cenſerentur; vel ſaltem Deus illorum gemitu & clamoribus tangi putaretur. Uſurpari hic verſiculus poteſt, veluti eo arguantur Iſraelitæ frequentis nimium uxorum repudii; Uxores facillime remittitis; quamobrem liberi ad extremas rerum anguſtias adacti, miſerabiles ad me voces tollunt, veſtramque ſævitiam queruntur, non me laudant. Vitium hoc acriter damnat Malachias 2. 15. *Auferre laudem Dei ab ore puerorum*, ſignificare poteſt, ipſos ad eam inopiam redigere, ut de Providentia querantur, eamque ſævitiæ accuſent.

℣. 10. SURGITE, ET ITE, QUIA NON HABETIS HIC QUIETEM; quieta ſedes hic vobis non eſt. Minitatur Propheta futurum, ut ipſi in alienum ſolum ducantur. Terram hanc, quam ſcelere corrupiſtis, deſerite: *Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine peſſima*. Hebræus (28): *Propter immunditiam ſuam inquinabitur labe peſſima*. Cum cœperitis terram hanc flagitiis inquinare, pergam horrore dignam reddere, alienis deſtitutam.

℣. 11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM Domini, & adeo triſtia in populi mei patriam vaticinari non cogerer! Utinam inanes prorſus caderent minæ, quas loquor (29). Nero, *cum de ſupplicio cujuſdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur, quam vellem, inquit, neſcire literas* (30)! Hebræus (31): *Utinam homo eſſem, qui in omnem ventum vertitur, & mendacia loquens!* Septuaginta (32): *Fugitis, nemine perſequente: ſpiritus protulit* vobis *mendacium*. Falſos Prophetas ſpectat.

STILLABO TIBI IN VINUM. Prædico futurum, ut Divini furoris vinum haurias, ita ut ebria fias, & ſtupida. Tu ipſa hoc vaticinio ſpectaris. Nullum ego alienum; te ipſum alloquor: *Erit ſuper quem ſtillatur, populus iſte*. Hæc porro ſententia ex toto verſiculo elici poteſt: *Si homo eſſem, qui in omnem ventum facile verterer, & fabulas confingerem, nonniſi jucunda vaticinarer, quibus te fallerem, & ebriam efficerem* [ad verbum

(17) Ezech. xx. 46. xxi. 2. Amos vii. 16. (18) Deut. xxxii. 2. Job xxix. 22. Prov. v. 3. Cant. iv. 11.
(19) הקצר רוח יהוה אם אלה מעלליו (20) Exod. vi. 9. Num. xxi. 4. Judic. x. 6. xvi. 16. Job xxi. 4. Prov. xiv. 17. & 29. Zach. xi. 8. (21) Num. xiv. 18. יהוה ארך אפים ורב חסד 2. Eſdr. ix. 17. Pſalm. lxxxv. 15. & cii. 8. Prov. xiv. 29. Job xxi. 4. לא תקצר רוחי Et Eccle. vii. 9. טוב ארך רוח מגבה רוח
(22) ואתמול עמי לאויב יקומם Vide Muoſt. Tarnov. Grot. Druſ. Pagn. (23) Καὶ ἔμπροσθεν ὁ λαός μου κατέναντι εἰς ἔχθραν ἀντέστη τῆς εἰρήνης αὐτοῦ. (24) ממול שלמה אדר תפשטון מעברים בטח שובי מלחמה
(25) 2. Par. xxviii. 6. & ſeq. (26) 2. Par. xxviii. 8. (27) Vide Pſal. viii. 2. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*. Joel ii. 16. Judith iv. 9. Pſal. cxii. 2. (28) בעבור טמאה תחבל וחבל נמרץ (29) Vide Caput iii. 8. (30) Seneca l. 2. de Clement. l. 2. c. 1. Sueton. in Nerone n. 10.
(31) לו איש הלך רוח ושקר כזב (32) Κατεδιώχθητε ἐχθροῦ διώκοντος, πνεῦμα ἔστησε ψεῦδος.

bum (33), stillarem super vos vinum & ebrietatem]; *vosque ii estis, qui his rebus capi queatis*. Priorem explicationem præfero. Dei furor & vindicta plerumque significantur calice, quem hostibus suis propinat Deus (34).

℣. 12. Congregatione congregabo Jacob. Decem Tribus e captivitate reversuras pollicetur. Ita plerumque solent Prophetæ; post minas addunt leniora. S. Hieronymus aliique plures (35) interpretantur de Israele ad Christi sacra converso; id quod tunc denique futurum est, cum integer gentium numerus ad Ecclesiam accesserit (36). Reditus e captivitate supremæ hujus conversionis pignus est & figura. Alii (37) Divinam ultionem in Israelis caput exercendam hic vident: Ceu victimas ad lanienam vos colligam, ab Assyriis mactandas.

Tumultuabuntur a multitudine hominum; ingens hominum multitudo turbas pariet, veluti cum numerosus grex ad ovilis vel septi fores uno impetu accedit. Quam magno civium numero floruerint Israelitæ supremis Hebraicæ Reipublicæ temporibus, nemo ignorat. Rara certe erant in terris Regna, huic multitudini paria. Israelitæ e variis regionibus, quo dissipati fuerant, non uno statim tempore, sed variis intervallis ac sensim, redierunt.

℣. 13. Ascendet pandens iter ante eos. Hebræus (38): *Ascendet*, dux illorum erit, *effractor*, is qui murum effringit: *effringent murum, & transibunt per portam, & egredientur*. Illud his verbis innuit, Israelitas non fugitivorum more redituros. Erecta cervice ab exilio revertentur, ducibus populi Principibus, sub Dei ac Regis imperio. Profecto Israelitarum reditus e captivitate, Dei triumphus fuit, quippe qui luculentissimum erat Divinæ potestatis atque in populum Providentiæ argumentum. Vide Libros Esdræ, cæterosque Prophetas, de hoc reditu agentes, præsertim Isaiam.

CAPUT III.

Flagitia Principum, Judicum, Sacerdotum, falsorumque Prophetarum Judæ & Israelis; atque in hos minæ. Jerosolyma & Templum evertentur.

℣. 1. ET dixi: Audite principes Jacob, & duces domus Israel: Numquid non
vestrum est scire judicium, 2. Qui odio habetis bonum, & diligitis ma-
lum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossi-
bus eorum? 3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper ex-
coriaverunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi car-
nem in medio ollæ. 4. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, &
abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventio-
nibus suis. 5. Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum:
qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eo-
rum quippiam, sanctificant super eum prælium. 6. Propterea nox vobis pro visio-
ne erit, & tenebræ vobis pro divinatione, & occumbet sol super prophetas, & ob-
tenebrabitur super eos dies. 7. Et confundentur, qui vident visiones, & confunden-
tur divini: & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. 8. Verum-
tamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, & virtute, ut annun-
tiem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum. 9. Audite hoc principes domus
Jacob, & judices domus Israel: qui abominamini judicium, & omnia recta perver-
titis. 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. 11. Prin-
cipes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & pro-
phetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant, dicentes: Num-
quid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. 12. Propter
hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum
erit, & mons templi in excelsa silvarum.

℣. 1. ET dixi: Audite, Principes Jacob. Proceres utriusque Regni Judæ & Samariæ hoc vaticinio spectantur (1). Orationem hanc Deo tribuere videntur Hebræus (2) & Septuaginta, & cum superiori capite conjungere: *Proficiscetur Dominus ante eos, & dixit: Audite, Principes Jacobi*. At reddi etiam potest per participium, ac de Michæa loquente usurpari: *Proficiscetur Dominus ante eos. Dicens*: [vel, dixi] *Audite, Principes Jacob*, &c. Novam hic orationem institui censemus, eamque Ezechiæ ætate a Michæa pronunciatam fuisse, testatur Jeremias (3).

Scire judicium. Illos non ignorantiæ accusat, sed neglectæ justitiæ. Scire, interdum ea cognitio est, quæ nos ad virtutis exercitationem impellit (4).

[33] אטיף לך ליין ולשכר והיה מטיף העם הזה [34] Isai. LI. 17. 22. XLX. 9. Jerem. XXV. 15. Psalm. LXXIV. 9. Apoc. XIV. 10. [35] Ita Euseb. Demonstr. l. 2. c. 50. Haimo, Remig. Rupert. Albert. Hugo, Riber. Montan. Munst. Menoch. alii. [36] Rom. XI. 25. [37] Sanct. Grot. Tarnov. Vat. Jun.
[38] עלה הפרץ לפניהם פרצו ויעברו שער ויצאו [1] Vide infra ℣. 9. 10. 12.
[2] יהוה בראשם ואמר שמעו נא ראשי יעקב Septuag. Καὶ Κύριος ἡγήσεται αὐτῶν, καὶ ἐρεῖ, ἀκούσατε.
[3] Jerem. XXVI. 18. collatus cum Mich. III. 12. [4] Jerem. IX. 24. & XXIV. 7. *Dabo eis cor ut sciant, quia ego sum Dominus*, &c. Osee VI. 3. *Sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum*.

℣. 3. Violenter tollitis pelles eorum desuper eis. Hyperbole, qua Procerum Israelis sævitia & avaritia significatur. Impios pastores imitantur, qui vivas oves deglubunt, ut ipsarum carne vescantur; lupi potius quam pastores. Tiberius Provinciarum *Præsidibus, onerandas tributo provincias suadentibus, rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere* (5).

℣. 5. Qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem. Vel, qui læta nunciant, si illorum avaritia expleatur; bellum vero, nisi os illorum impleas: *Et si quis non dederit in ore eorum, sanctificant super eum prælium.* Hæc locutio, *sanctificare prælium* (6) significat parare prælium, in aciem prodire, arma capere, &c. Significat hic solummodo, bellum a falsis Prophetis nunciari ac prædici; & moneri Principes, ut sese in prælium parent, quemadmodum ferme Deus Isaiæ imperavit (7), ut *populum excæcaret*, illius nempe cæcitatem prædiceret.

℣. 6. Nox vobis pro visione erit; extrema nimirum calamitas, noctis & tenebrarum nomine designata (8). Probro & mœrore obruemini; spreti, rejecti, afflictique nec os prodere, nec edere vocem audebitis, ubi populus una in captivitatem raptus, tandem aliquandu sentiet se errasse, fidem habens pessimis consiliis, quæ veluti oracula venditabatis: *Quia non est responsum Dei*, ℣. 7.

℣. 8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine. Securus audacter loquor, quippe qui Dei spiritu me agi sentiam. Superiori Capite ℣. 11. dixerat, optare se, non vera vaticinari, cum populi mala prædiceret; hic vero testatur, certissimam esse vaticiniorum suorum fidem, neque vereri, quin res ipsæ vaticiniis respondeant.

℣. 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Qui Templum Domini struitis, eoque munera & ornamenta superbe confertis, manibus interim cruore fratrum iniqua morte damnatorum infectis; vel, qui opes in Templum congeritis, a fratribus vi ablatas, quas æquo jure sanguinem pauperum appellavemus. Vide ℣℣. 2. & 3. hujus Capitis. Vel denique: qui superbas Jerosolymis ædes vobis construitis, pauperum spoliatorum necatorumque sanguine indutas. Qui vitæ necessaria homini aufert, tantumdem agit, ac si illius sanguinem hauriat.

℣. 11. Sacerdotes ejus in mercede docebant; ita ut docere nollent, si nulla merces esset; neque enim aut Dei gloriam, aut audientium utilitatem docendo quærebant, sed lucrum. Fas quidem est, eos qui cæteros docent, ab iis accipere, vel debiti nomine, unde vivant (9); æquum etiam est, ut ii qui docentur, necessaria vitæ doctoribus præbeant: at nefas est, unicum doctori propositum esse mercedem, ut institutionem neget iis, qui vel inopia vel sævitia nihil exhibeant: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. x. 8.

℣. 12. Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons Templi ut excelsa sylvarum. Hoc vaticinium animos Judæorum alte tetigerat; luculentius quippe prædici non poterat Templi & urbis excidium. Meminerant adhuc ætate Jeremiæ, Michæam regnante Ezechia hæc prædixisse (10); ejusque exemplo diu postea usi sunt sub Joakimo, ut cohiberent intentatam a quibusdam Jeremiæ necem, quod is (11) Templum fore simile Silo, & Jerosolymam populis omnibus argumentum execrationis futuram esse prædixisset. Cum enim, ajebant, Michæas hoc idem, & certe luculentius, prædixerit, nemo illi molestiam intulit. Porro minime dubium est, quin uterque Propheta urbis ac Templi excidium ex Nabuchodonosore imminens spectarint. Eversarum urbium ruinæ interdum aratro æquabantur. Horatius lib. Ode 16.

. . . . Altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque maris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Narrant Judæi, Turnum quemdam Rufum, vel Titum Arenium Rufum, ut habet S. Hieronymus in Zach. 8. 19. qui fortasse idem est Terentius Rufus Josephi de Bello l. 7. c. 20. quem Titus ruinæ Templi Præfectum reliquerat, Templi atria aratro invertisse (12), ut irreparabilem omnino ruinam significaret. Nemus in ipso Templi loco nasciturum, res præter fidem non est. Duorum & quinquaginta annorum spatio, quibus Templum suis sepultum ruinis & derelictum jacuit, ejus certe locus nato facillime nemore squallere potuis. Jeremias certe, paulo post Templi excidium, Sionis montem describens, vulpes jam ibi cubilia posuisse testatur (13). Et Macchabæorum ætate, post brevem trium annorum curriculum, quo Templum a Græcis profanatum est, totum virgultis vepribusque squallidum invenere (14): *Viderunt sanctificationem desertam, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus.* Septuaginta (15): *Idcirco propter vos, Sion sicut ager arabitur, & Jerusalem ut pomorum custodia erit, & mons Templi in locum saltus.*

(5) Sueton. in Tiber. n. 32. (6) Vide Isai. vi. 4. Joel iii. 9. (7) Isai. 6. 10. (8) Vide Jerem. xv. 9. Amos viii. 9. (9) Galat. vi. 6. Matt. x. 10. 1. Timot. v. 18. (10) Jerem. xxvi. 18. (11) Ibid. ℣. 6. (12) Gemar. Babyl. ad tit. Tamith c. 4. ad tit. Nedarim c. 8. ad tit. Sanhedrin c. 7. Maimon. tit. Tainiot c. 5. (13) Jerem. Thren. v. 18. *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* (14) 1. Macch. iv. 38. (15) Διὰ τοῦτο δι' ὑμᾶς Σιὼν ὡς ἀγρὸς ἀροτριαθήσεται, καὶ Ἱερουσαλὴμ ὡς ὀπωροφυλάκιον ἔσται, καὶ τὸ ὄρος τοῦ οἴκου εἰς ἄλσος δρυμοῦ.

C A P U T IV.

Ecclesiæ Christianæ, cujus imago est Sion, gloria & dignitas. Israelitarum e captivitate reversorum felicitas. In horum hostes ultio.

℣. 1. Et erit: in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice
montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. 2. Et pro-
perabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad
domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus, quia de
Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. 3. Et judicabit inter popu-
los multos, & corripiet gentes fortes usque in longitudinem, & concident gladios
suos

suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit, qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est. 5. Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum, & ultra. 6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam ejeceram, colligam, & quam afflixeram: 7. Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quæ laboraverat, in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in æternum. 8. Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion usque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. 9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole, & satage, filia Sion, quasi parturiens; quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. 11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster. 12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium ejus: quia congregavit eos quasi fœnum areæ. 13. Surge, & tritura, filia Sion; quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas; & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

℣. 1. ERIT: IN NOVISSIMO DIERUM ERIT MONS DOMUS DOMINI PRÆPARATUS IN VERTICE MONTIUM. Caput Isaiæ II. ℣℣. 2. 3. 4. simile omnino est in Hebræo Michææ Capiti IV. 1. 2. 3. Hæc accepisse Michæas creditur ab Isaia (1), quod Isaias vaticinandi munus ante Michæam inierit, atque hoc vaticinium inter prima sit ab Isaia pronunciata sub Ozia; Michæam vero superioris Capitis vaticinia, ex quibus præsens hoc sequitur, nonnisi sub Ezechia edidisse novimus (2). Porro Messiam toto hoc oraculo spectari, ipsa orationis series satis docet. Ita Patres & Interprates ferme omnes semper usurpavere. Certe illius fides nonnisi in Ecclesia Christiana ad verbum expleta spectatur; ipsa quippe est Domus Domini, in editissimorum montium cacumine condita, ex qua Dei verbum prodiit, in quam innumera alienorum multitudo ex omnibus undique terrarum plagis convenit (3). Eadem in Ecclesia Regnum habet Deus in tempore, & usque in æternum (4). Ibi sedem pax & perfectus animorum consensus posuere; ibique populi, nunquam aberrantes, Domini vias terunt (5): *Ambulabimus in nomine Dei nostri, in æternum & ultra*. Hæc denique sacra Domus est, in montibus condita extremis temporibus, *in novissimo dierum*, expleta jam vaticiniorum fide, cum Synagoga vera esse Ecclesia desiit, & Abrahami soboles dissipata rejectaque est. Hæc verba, *In novissimis diebus*, in veteri Testamento, plerumque Messiæ adventum (6), & Reipublicæ Judaicæ finem significant. Hos fines non prætereunt Prophetarum oracula. Quicquid post novissimos hosce dies evenit, ad Christum ejusque Ecclesiam ex ipso verborum sono referendum est. At in Novo Fœdere, *dies novissimi* sunt supremi Judicii tempus, quo Christi Regnum in militanre Ecclesia clauditur.

Judæi, teste Theodoreto, locum hunc de tempore, quod post Babylonicam captivitatem consequutum est, interpretantur. Favet plerumque huic sententiæ Grotius; & certe inficias non iverim, plura esse in ipsa Prophetæ oratione, quæ celebetrimæ huic libertati conveniant. Ita solet Spiritus Sanctus duo hæc magna argumenta miscere, ut tamen confundi nequeant. Illud autem, id agendo, vult, ut Judæi spectato rerum quarumdam eventu, certam adventus Messiæ fidem videant, quem ipsi quidem votis omnibus cursque potissimum quærebant. Ad vulgaria interdum descendunt Prophetæ, quo facilius legentium animos ad majora, Christum ejusque Ecclesiam spectantia, erigant. Judeorum plerique, nostra etiam ætate, hoc Michææ Caput, & alterum Isaiæ, quod simile huic est, ad Divini Liberatoris adventum pertinere vel inviti fatentur: ea est verborum perspicuitas, & sublimitas sententiarum, quæ illorum animos tangunt.

Sequitur hoc Caput ex superiore, quod de Regno Juda potissimum agit; atque uti Micheas, post gravissimas Israelis objurgationes, maximarumque ærumnarum & durissimæ captivitatis vaticinia, Judæos solatur, futurum promittens, ut in patriam redeant, suisque calamitatibus liberentur (7); ita redargutis Judæ flagitiis, populoque expectationa captivitatis, ruinæ Templi & urbis territo (8), solatium hic admovet, certamque ipsi libertatem, Sionis restaurationem, novum Imperium, innumeram subditorum multitudinem, perfactam pacem, insolitamque pietatem pollicetur, verbis adeo magnificis, ut optime sentias, aliud certe ab ipso spectari, quam quod de iis quæ post captivitatem Babylonicam gesta sunt, ab Historicis narrantur.

℣. 2. PROPERABUNT GENTES MULTÆ. Id profecto nunquam in Synagoga spectatum est; nunquam enim exteræ gentes Judaicam Religionem discere & amplecti certatim studuere. At quam ingens Ethnicorum multitudo quantoque studio in Christi Ecclesiam collacta est! Quam avide Dei verbum perbibere!

QUIA DE SION EXIBIT LEX. Judæorum Lex & Religio nunquam ab ipsis prodiit, easque nulla gens alia vel ante vel post captivitatem amplexa est: at egressum Sione Evangelium, Jerosolymis & ex veteri Lege ortum, quam cito universum orbem occupavit? *Hesterni sumus, & omnia vestra implevimus*, ajebat Tertullianus Apolog. c. 37.

℣. 3. JUDICABIT INTER POPULOS MULTOS. Innume-

[1] Sanct. Grot. [2] Jerem. XXVI. 18. Vide sup. cap. II. ℣. 12. [3] ℣. 3. [4] ℣. 7. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in æternum.* [5] ℣. 5. [6] Vide Isai. II. 2. & Jerem. XLVIII. 47. IL. 39. Ezech. XXXVII. 5. 16. Dan. X. 14. Osee III. 5. Act. II. 17. Joan. II. 18. I. Timot. IV. 1. Hebr. I. 2. [7] Cap. II. ℣. 12. 13.
[8] Vide totum Cap. III. præsertim ℣℣. 11. 12.

merarum gantium Rex & Princeps agnoscitur Christus. *Judicare* est regnare, imperare, moderari (9). Infinito is Imperio fruitur: *Corripiet gentes fortes usque in longinquum.*

Concident gladios suos in vomeres, vel *ligones*, sive (10) *in aratri dentalia*, ferrea instrumenta, forma cultro similia, quæ aratro juncta, terram findunt, uti vomer evertit, & sulcos agit. Ex ense facile fit dentale, non vomer. Adde, quod instrumentum, quod hic habet Hebræus, in aliis quibusdam locis a vomere perspicue distinguitur (11). Contrario sensu, ut bellum significaret, jussit Joel 3. 10. *concidi aratri dentes in gladios*. Similibus plane figuris Poetæ eamdem rem dixere. Martialis lib. 14. ep. 34. de falce, quæ prius ensis fuerat:

Pax me certa ducis placidos conflavit in usus,
Agricolæ nunc sum: militis ante fui.

Non sumat gens adversus gentem gladium. Nascente inter homines Christo, Romanum Imperium, quàm late patebat, tranquillissima pace fruebatur. De eo tempore Virgilius Ep. 1.

Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis.
. . . . . . Diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

℣. 4. Sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam. Aliud proverbii genus, quo placidissima tranquillitas, & beatissima bonorum omnium ubertas commendatur. Ita solebant Hebræi maximam hujus vitæ felicitatem describere (12). Hæc porro verba agrestе vitæ genus indicant, jucundum, innoxium, curis vacuum, ambitione liberum, placidum, quietum. At illud spernunt ambitiosi homines, quibus jucundum non est, quod tumultu caret, quique cupiditarum turbas amant.

℣. 5. Omnes populi ambulabunt in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri. Hic locus ex iis est, qui ad solos Judæos & ad tempora post captivitatem consequentia pertinent. Suam unusquisque tunc Religionem sequetur, Deos suos Ethnici (13), Judæi avitam Religionem constanter servavere. Periit denique mala libido (14) deserendi Majorum Leges, ac Dei cultum, Deorumque alienorum sacra sectandi. Post Christi adventum, contraria omnia evenere; gentes enim certatim confluxerunt, ut Christiana sacra amplecterentur. Neglecta gentium superstitio, Templa falsorum Numinum deserta. Ipsa Judæorum Religio, Templo cadente, quodammodo eversa est. Sectæ ab Ecclesia Catholica sejunctæ nonnisi turbas & inconstantiam præferunt. Ii tantummodo, qui vere fideles sunt, Dominum constanter sequuntur, super lapidem, qui Christus est, probe fundati: *Nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & ultra.*

℣. 6. Congregabo claudicantem, et eam, quam ejeceram, colligam. Eam quæ clauda erat, revocabo, iterum mihi conjungam, & quam repudiaveram, rursus accipiam. Similis fuit Synagoga fœminæ vitio fœdatæ & claudæ, filios non parienti. Ethnicorum gens veluti repudiata expulsaque uxor erat, flagitiorum causa & adulteriorum. Illa Deum inter & Baalem claudicabat (15), diviso cultu inter Deum & Idola; nihil perfectum (16) aut Deo dignum agebat, servorum non liberorum parens. Altera penitus infœcunda, omnino derelicta fuerat ceu meretrix pudoris nescia. Has Deus mero misericordiæ suæ beneficio revocat ac recipit; Ecclesiam suam ex Judæis atque Ethnicis conflat. Fœcunda fit Synagoga, sanctamque ac florentissimam gentem parit (17): *Ponam claudicantem in reliquias*; atque Ethnicorum gens nobilissimæ sobolis mater efficitur: *Et eam quæ laboraverat, in gentem robustam.* Hebræus (18): *Et repudiatam in gentem robustam.*

℣. 8. Et tu, turris gregis, nebulosa, filia Sion, usque ad te veniet. Sunt (19) qui censeant, *turrim gregis* esse Bethlehem, natalem Jesu Christi terram; atque ajunt, eamdem hoc versiculo sententiam ferri, quam fert secundus capitis consequentis versiculus: *Et tu Bethlehem, Ephrata, parvulus es in millibus*. Plerique tamen docent (20), Jerosolymam hic a Propheta innui, Sionis filiam vulgo nuncupatam, quod ad radices & circa Sionis montem, jaceret, quo in monte & Dei Templum, & Regiæ ædes surgebant. *Turris gregis* dicitur, quod veluti a Chaldæis eversa inspiciatur, atque agresti pastorum casæ similis effecta, quas casas Scriptura ceu vilissima totius regionis domicilia describit (21): *A turre custodum, usque ad civitatem munitam*. *Nebulosa* nuncupatur, vel tenebris obsita, Hebræus (22), *Turris gregis Ophel*. Turris quædam erat Jerosolymis, seu murus nomine *Ophel* (23), fortasse non longe a Templo, cum sedes Nathinæorum esset (24). Jerosolymam rediere Zorobabel, Jesus Josedechi filius, Nehemias, Esdras, aliique gentis Principes. Totius regionis & gentis Metropolis Jerosolyma semper habita est. Hinc orti sunt Macchabæi & Asmonæi, qui feliciter adeo Judaicam Rempublicam administravere. Christus denique Jerosolymam veniens, illam doctrina, prodigiis, morte illustravit. Ibi illius Imperii exordia sunt, & Christianæ Ecclesiæ incunabula. Reddi Hebræus potest: *Et tu, turris gregis, arx filiæ Sion, usque ad te veniet: veniet Imperium, quo olim fruebaris, Regnum filiæ Jerusalem*. Addunt Septuaginta: Regnum filiæ Jerusalem *de Babylone*.

℣. 9. Nunc quare mœrore contraheris? Hebræus (25): *Cur vociferaris vociferationem?* Cur quereris? An, quod Rege careas & Principe? Jerosolymam veluti jam eversam alloquitur, quo tempore Sedecias & Judæ Principes cæsi, vel captivi Babylonem rapti sunt. Jure quereris: (℣. 10.) patria ejicieris: in agro, sub dio, in deserto morabeis: *Habitabis in regione*. Hebræus (26): *Habitabis in agro*. Ædes tuas evertet hostis, teque in incultis locis morari coget. Denique, Babylonem usque transibis. At ne animis cadas: *ibi liberaberis*.

℣. 11. Congregatæ sunt super te gentes multæ. Minime dubitamus, quin hæc verba referantur ad ea, quæ post captivitatem evenere, iisque cum Ezechiele collatis, ubi is de Gog arma Israeli inferente (27), eamdem hic expeditionem a Michæa spectari arbitramur. Unum idemque utriusque argumentum esse intelliges, si utrumque oraculum comparaveris (28). Confecta Ægypti expeditione, Cambyses cum ingenti exercitu, e variis gentibus composito, in media Palæstina castra locavit. Variæ hujusmodi gantes, qui aviditatem rapina, veterem in Judæos simultatem cedi-

(9) Vide 1. Reg. III. 9. Psal. LXXI. 2. Judit. VIII. 22. & 12. 2. (10) ונתתו חרבותיהם לאיתים Septuag. Τὰς ῥομφαίας αὐτῶν εἰς ἄροτρα. (11) Vide 1. Reg. XIII. 20. & 21. את מחרשתו ואת אתו (12) Zach. III. 10. 3. Macch. XIV. 12. (13) כל העמים ילכו איש בשם אלהיו ואנחנו נלך בשם יהוה (14) Vide Sophon. III. 13. Osee II. 18. & Mich. V. 11. 12. 13. (15) 3. Reg. XVIII. 21. *Quousque claudicatis in duas partes?* (16) Heb. VII. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* (17) Vide Act. XXI. 20. (18) והנהלאה לגוי עצום Septuag. Καὶ τὴν ἀπωσμένην εἰς ἔθνος ἰσχυρόν. (19) Beda in Luc. II. Haimo, Remig. Grot. (20) Hieron. Tradit. Hebr. in Genes. Hebræi, Theodoret. Cyrill. Hugo, Dionys. Riber. Sanct. Menoch. Vat. Jun. &c. (21) 4. Reg. XVII. 9. & XVIII. 8. (22) מגדל עדר עפל בת ציון Septuag. Πύργος ποιμνίου αὐχμώδης. (23) 2. Par. XXVII. 3. (24) 2. Esdr. III. 26. 27. (25) למה תריעי רע Septuag. Ἵνα τί ἔγνως κακά; Leguat תרעי (26) שכנת בשדה Septuag. Κατασκηνώσεις ἐν πεδίῳ. (27) Ezech. XXXVIII. (28) Ita Theodoret. hic.

cædibus explere ſtudebant, Cambyſem hortantur, ut Jeroſolymam cruore civium inundet: *Lapidetur, & inſpiciat in Sion oculus noſter*. Hebræus (29): *Profanetur, & videat in Sion oculus noſter*. Violetur Templum, ipſumque illius adytum, quo ingredi neminem licet, referetur. Palam exponantur myſteria, quæ illi tam ſtudioſe celant. Ezechiel cap. 38. 11. conſilia Gog deſcribens, illum ita loquentem inducit: *Aſcendam ad terram abſque muro, veniam ad quieſcentes habitanteſque ſecure: hi omnes habitant ſine muro; vectes & portæ non ſunt eis. Ut diripias ſpolia, & invadas prædam... Saba, Dedan & reliqui dicent tibi: Numquid ad ſumenda ſpolia tu venis? Ecce ad diripiendam prædam congregaſti multitudinem: ut tollas argentum & aurum, & auferas ſupellectilem atque ſubſtantiam, & diripias manubias infinitas*. Quemadmodum promiſſiones, quæ hujus Capitis initio leguntur, ad Chriſtianam Eccleſiam maxime omnium pertinent; ita referri ad eamdem poteſt hic Capitis finis, ceu vaticinium eorum, quæ ſub ipſa ſui initia ab hoſtibus paſſura erat.

Ỷ. 12. Congregavit eos quasi fœnum areæ, ut boum pedibus excutiatur, teratur, & conculcetur. Id mire explicat verſiculus proxime conſequens. Eamdem rem alia ſub imagine exhibet Ezechiel cap. 39. 17. Convivium parat Deus omnibus univerſæ regionis feris avibuſque rapacibus, magnam in Iſraelis montibus victimam; Cambyſis exercitum cædit; eorumque cadavera in ferarum cibum relinquit. Hanc cædem prædicit Joel 3. 13. meſſis & vindemiæ nomine; populoſque vocat, ut maturam jam meſſem & vindemiam colligant.

Ỷ. 13. Surge et tritura, filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas. Superbos hoſce victores pede calcabis, ceu bos in area triticum. Incede jam audacter, nihilque metuens tere: pedum quippe tuorum ungulis æris duritiem dabo, cornu tuum ferro durius reddam. Docuimus alibi (30), hoſtes olim ſub equorum ungulis fuiſſe confractos. Mileſii, teſte Heraclide Pontico (31), locupletum filios, quos ipſi in exilium rapuerant, in aream collectos, boum pedibus terendos dedere. Vide Ezechielis Caput XXXIX. ut expleram videas hujus Michææ vaticinii fidem. Cambyſis exercitus non Iſraelitarum armis cæſus eſt, ſed ab iis ipſis, qui exercitum componebant, verſis in mutuam perniciem armis (32), mutuiſque vulneribus. Quam ſæpe vero, ajunt Prophetæ, id ab aliquo fieri, quod ab eo nunciatur futurum, vel Deus ipſe coram illo ejuſque cauſa gerit?

Interficies Domino rapinas eorum. Spoliis copiarum Cambyſis, Ægypti exuviis onuſtarum, uſi ſunt Iſraelitæ. *Deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant*, inquit Ezechiel 39. 10. & *diripient vaſtatores ſuos*. Hebræus (33): *Anathemate devovebis Domino quæſtum eorum*, id quod ii bello ſibi comparavere. Septuaginta (34): *Devovebis Domino multitudinem eorum*.

(29) תחנף ותחז בציון עינינו (30) In Diſſertatione de ſuppliciis Hebræorum. (31) Athen. lib. 12. cap. 5. Dipnoſoph. Συνηγάγοντες τὰ τέκνα τῶν φυγόντων εἰς ἅλωνας βοῦς συναγαγόντες συνηλοίησαν.
(32) Ezech. XXXVIII. 21. *Gladius uniuſcujuſque in fratrem ſuum dirigetur*. (33) והחרמתי ליהוה בצעם
(34) Ἀναθήσεις τῷ Κυρίῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν. Quinta Edit. *Emolumentum*, ſeu ὠφέλειαν. Sym. *Lucrum*, τὸ κέρδος αὐτῶν. Theodot. *Munera*.



CAPUT V.

Meſſias in Bethlehem oriturus. Aſſyriorum regio ſeptem Regibus donanda. Iſrael captivitate ſolutus, ceu leo inter populos futurus eſt. Idololatriæ excidium.

Ỷ. 1. NUnc vaſtaberis, filia latronis: obſidionem poſuerunt ſuper nos, in virga percutient maxillam judicis Iſrael. 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus ejus ab initio, & a diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus, in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael. 4. Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui; & convertentur, quia nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ. 5. Et erit iſte pax: cum venerit Aſſyrius in terram noſtram, & quando calcaverit in domibus noſtris: & ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines. 6. Et paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus, & liberabit ab Aſſur, cum venerit in terram noſtram, & cum calcaverit in finibus noſtris. 7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quaſi ros a Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum. 8. Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus in medio populorum multorum, quaſi leo in jumentis ſylvarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum tranſierit, & conculcaverit, & ceperit, non eſt, qui eruat. 9. Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & diſperdam quadrigas tuas. 11. Et perdam civitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te. 12. Et perire faciam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui, & non adorabis ultra opera ma-

num tuarum. 13. Et evellam lucos tuos de medio tui, & conteram civitates tuas. 14. Et faciam in furore, & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

℣. 1. NUNC VASTABERIS, FILIA LATRONIS. Hebræus (1): *Nunc congregaberis, filia turmarum. Posuit obsidionem super nos, virga percussit maxillam Judicis Israel.* Quamprimum arma in Jerosolymam vertes, o Babylon, urbs exercituum ac latronum; obsidebis, capies, atque indignissime in Sedeciam Judæ Regem sævies. Vel: Imminet jam exitium tuum, urbs latronum. Tu nos obsidione cinxisti, ac fuste feriisti maxillam Principis Israelis, &c. Septuaginta (2): *Nunc obstruetur filia obstructione: angustiam posuit super nos: in virga percutient super maxillam Tribus Israel.* Probabilior prima versio. Ad Jerosolymæ obsidionem atque expugnationem redit Michæas, atque ad sævitiam, qua Sedecias a Nabuchodonosore cruciatus est. Illum enim Reblatam accersitum, coram se ceu reum trahi jussit (3): *Locutus est ad eum judicia*; necatisque coram eo liberis, atque Aulæ Optimatibus, oculos illi eruit, ipsumque vinculis onustum Babylonem misit.

ET TU, BETHLEHEM, EPHRATA, PARVULUS ES IN MILLIBUS JUDA. Nunciatis Judæ malis quæ priore versiculo vidimus, populum solatur Propheta, novumque Liberatorem, ex Bethlehemo, alio nomine Ephrata, in Tribu Juda, oriturum, pollicetur (4). Minime dubitabant Hebræi, ætate Jesu Christi, quin Messiæ ortus hoc oraculo spectaretur, quemadmodum testati sunt coram Herode Matt. 2. 4. sciscitante, quo loco Christus esset oriturus. Hoc ipsum agnoscunt Chaldæus (5), atque ex Rabbinis nonnulli (6), Judæi alii veteres, Theodoreto, S. Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio coætanei, & nonnulli Recentiores, veluti Grotius, novorumque Hebræorum plerique ajunt, id de Zorobabele usurpandum esse, cujus genus e Bethlehemo esset, quippe nobilissimo ac vetustissimo Davidis sanguine procreati. Is porro Judæ Princeps erat (7), redeunte populo e captivitate. Quis tamen ostendat, Zorobabelem Bethlehemi natum esse, æternisque natalibus frui? *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Quis illum libertatem vindicaturum fuisse Israelitas doceat, eosque pastoris more ducturum, ejusque gloriam ad extremos usque terrarum fines micaturam? *Magnificabitur usque ad terminos terræ.* Nullus certe est Israelis captivitate Babylonica Liberator, cui hæc ad verbum conveniant, præter Christum Jesum, qui verus Messias est, Dux, Dominator, Princeps & Liberator Israelis. Vide nos in S. Matthæum, de iis quæ objiciuntur in hunc Michææ locum, a Judæis Herodi recitatum.

PARVULUS ES IN MILLIBUS JUDA. Ad verbum (8): *Minima es, ut sis in millibus Juda.* Tametsi inops vicus sis, minorque quam ut conspicua regionis urbs habearis, ex te Dominatorem eliciam, qui Judam sit moderaturus. His verbis, *millia Juda*, significari potest ingens populi multitudo, qua Tribus Juda componitur. Ea non esse videris, quæ Tribui florentissimæ, veluti Judæ, Principem dare queas. Vel: Ex earum urbium numero non es, quas Chiliarchus, mille hominum Præfectus, moderatur. Seu denique: Minor ea, quam ut inter magnas regionis urbes, inter urbes *mille hominum* recensearis; quasi dicas, inter Metropoles, Principes urbes. Eadem vox, quæ mille significat, Principem etiam designat; & Zacharias (9), ut innuat, Azothum Philisthinam urbem principibus Judæ urbibus similem fore, ait futuram ut mille, *Aleph in Juda.* Reddunt alii, addita interrogationis nota: *An parvulus es tu millibus Juda?* Quæ legendi ratio cum ea convenit, quam Scribæ Herodem alloquentes tenuere; *Nequaquam minima es in Principibus Juda.* Contrario sensu alii: *Satis conspicua es, ut sis in urbibus Juda.* Hebraicam vocem (10) Zeir Chaldæus interdum reddit magnum, fortem, spectabilem.

ET EGRESSUS EJUS AB INITIO, A DIEBUS ÆTERNITATIS. Patres & Interpretes (11) de æterna Verbi generatione usurpant: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Joan. 1. 1. Explicari etiam potest de Divinæ clementiæ beneficio, quo oris sui præsentiam, suique sermonis sonum priscis Patriarchis ac Prophetis, ipso rerum initio, largitus est. Jam tum quodammodo prodiit, ut sese servis amicisque suis daret (12). At prior explicatio probatissima omnium est. Duas hic Christi Jesu nativitates perspicue innuit Michæas; alteram Bethlehemi temporalem; alteram e sinu Patris ab æternitate: *A diebus æternitatis.*

℣. 3. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO PARTURIENS PARIET. Populum suum Chaldæis tradidit Deus, eosque in captivitate dereliquit, donec *ea quæ parturit, pariat*; donec nimirum Babylon captivos, quos velut utero clausos continebat, dimitteret (13). Aliter: Liberatorem in patria præstolabuntur Hebræi (14), donec nascatur Rex, illos in libertatem vindicaturus, ipsosque cum fratribus suis conjuncturus: *Et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel*, Judæis Ethnicisque ad meliora conversis: eamdemque in Ecclesiam una collectis. Ita demum explicari potest: Suæ ipsorum cæcitati, atque animorum pertinaciæ relinquet Judæos Christus, donec Ecclesia fœtum edat, quem tamdiu parturit, quamdiu cum Mundo, carne, Diabolo, errore, & infidelitate pugnat. Absoluto gentium numero in Ecclesiam recepto, reliquiæ Israelis ad Deum redibunt (15), atque ad Jesu Christi sacra convertentur; ut unus pastor sit, & unum ovile. Joan. x. 16.

℣. 4. ET STABIT, ET PASCET IN FORTITUDINE DOMINI. Rex Israelis creabitur Christus, æternoque ac firmo stabilique regno fruetur: gregem pascet, populum moderabitur, Ecclesiam reget *fortitudine Domini*, Divina prorsus vi & authoritate, Spiritus Sancti virtute, qua ipse uberrime abundabit, ac pastores, suo nomine Ecclesiam regentes, sua-

(1) עתה תתגדדי בת גדוד מצור שם עלינו בשבט יכו על הלחי את שפט ישראל. (2) Νῦν ἐμφραχθήσεται θυγάτηρ ἐμφραγμῷ, συνοχὴν ἔταξεν ἐφ' ἡμᾶς· ἐν ῥάβδῳ πατάξουσι τὰς φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. (3) Jerem. xxxix. 6. 7. & lii. 9. 10. (4) Vide Josue xv. 60. in Græco; Judic. xvii. 7. 1. Reg. xvii. 12. Matt. ii. 5. 6. Sunt qui putent Bethlehem vocitatam esse Ephratam ab uxore Calebi, cui id nominis erat; 1. Paral. ii. 19. 24. &c. At Moyses sæpe nuncupat Bethlehemum, Ephratam, Genes. xxxv. 16. xlviii. 7. (5) מנך קדמי יפק משיחא למהוי עבד שולטן על ישראל (6) Talmud. lib. Sanhedr. c. ult. & lib. de Pasch. cap. 10. Rab. Salom. & Kimchi, & Pirke Eliezer, Abarbanel, &c. (7) 1. Esdr. 1. 5. ii. 2. (8) צעיר להיות באלפי יהודה (9) Zach. ix. 7. והיה כאלף ביהודה Septuag. Ὡς χιλίαρχος ἐν Ἰούδᾳ. Vulg. *Erit quasi dux in Juda.* (10) צעיר Jerem. xlviii. 4. Chald. שלטוני Et xl. 20. Hebr. צעירי הצאן Chald. תקיפי ענא (11) Origen. lib. 1. contra Cels. Euseb. lib. 2. Demonstr. c. 2. Hieron. hic; Theodoret. Cyrill. Chrysost. lib. quod Christus sit Deus; & in Psal. xliv. 7. & alii passim. (12) Hieronym. hic; Riber. Figuer. Pisc. (13) Sanct. n. 39. Grot. (14) Hieron. hic, Exposit. 2. Euseb. lib. 7. Demonstr. c. 8. Haimo, Remig. Hugo, Menoch. Tirin. Calov. (15) Rom. xi. 25.

suaque ipsius manu creatos, cumulabit. *In sublimitate nominis Domini Dei sui*. Ecclesiæ suæ Caput, Rex, Deus futurus est: Dei Patris nomine, majestate ac potestate instruetur; atque uti Homo Deus Patri æqualis, sua ipsius virtute & natura erit Ecclesiæ Caput.

ET CONVERTENTUR, QUIA NUNC MAGNIFICABITUR USQUE AD TERMINOS TERRÆ. Ubi Christus Apostolos miserit, dogmata sua omnibus terrarum populis nunciantes, certatim gentes ad divini hujus luminis jubar confluent, auditamque veritatem commendabunt. Aliter: Evangelio ubique nunciato, & Dei gloria per omnes terrarum partes diffusa, Judæi ad Christiana sacra convertentur. Reddi Hebræus (16) potest: *Habitabunt* [in Ecclesia, sive in patria, tranquilla pace fruentes] *quia* Jesus Christus omnium Liberator *magnificabitur usque ad extrema terræ*. Vel: Reduces e captivitate Judæi tranquillam in avitis sedibus vitam agent, quia terra omnis Dei gloria implebitur, omnesque populi gentem verebuntur, cui omnipotens luculentis adeo benevolentiæ indiciis favet.

℣. 5. ET ERIT ISTE PAX (17). Jesus Christus Rex pacificus est, Deus & Princeps pacis (18). Ipse veram homini pacem vindicat, nosque conciliat cum Patre, pacis Deo (19). Facere non possumus, quin hic repetamus. Quæ a ℣. 2. hucusque leguntur, proprie atque ad verbum uni Jesu Christo conveniunt. Finge quicquid lubet de Zorobabelis dignitate, imperio & virtute; nullis certe historiarum monumentis ostendes, illum ea penitus implevisse, quæ hic magnifica & sublimia Prophetæ verbis traduntur.

CUM VENERIT ASSYRIUS IN TERRAM NOSTRAM .... SUSCITABIMUS SUPER EUM SEPTEM PASTORES, ET OCTO PRIMATES HOMINES. Salebras habes hic & ambages, Interpretibus inextricabiles. Relictis variorum explicationibus, ita rem conficimus. Ingresso in Judæam Cambyse, ibique interfecto, uti vidimus Capite IV. 11. 12. 13. Magos septem adversus illum protulit Deus (20). Qui pro Persarum Rege sese gerebat, *Smerdis* apud Herodotum lib. 2. c. 65. *Oropastes* apud Trogum Just. lib. 1. *Artaxarta* apud Esdram 4. 7. dicitur. Magos necavere septem Persarum Proceres conjurati, qui liberato tyrannis Imperio, unum e suis, Darium Hystaspis filium, Regem creavere (21). En septem Pastores, vel *octo Primates homines*, Assyriorum vel terræ Nemrod imperio donatos, eam regionem ense & hasta moderantes. Septem vides, si septem Magos solummodo, vel septem conjuratos spectaveris: at octo invenies, si *Maraphin*, vel *Artaphanum* numeres, quem Æschylus Poeta inter Magum neci traditum, & Darium imperio donatum collocat. Illud etiam animadvertendum est, post id tempus, & fortasse etiam jam antea, septem viros a consiliis fuisse Regibus Persarum, quorum absque consilio nihil grave decernebatur. Vide nos in Librum Ester I. 14. Denique *septem* & *octo* ingentem quemlibet numerum indefinite significant, uti ex nonnullis Scripturæ locis discimus (22). Authore Herodoto lib. 3. c. 80. 84. 88. septem cum Dario conjurati, antequam imperium uni traderent, consensere, ne is, cui suprema potestas daretur, quodlibet injuriæ genus in cæteros converteret, eosve aut veneno, aut ferro, aut fame, aliave nece tolleret; ne cui aditus in Regias ædes, atque in ipsa Regis conclavia clauderetur; ut rectæ thiaræ honos, uni Regi peculiaris, singulis concederetur. Ex his unus Otanes, cum jure suo in Regiam potestatem cessisset, ipse universaque illius familia liberi ac nemini obnoxii effecti fuere. Quamobrem septem hi conjurati ceu totidem Imperii comites Dario dati sunt, divisa cum illo authoritate gaudentes. Id porro his Prophetæ verbis optime convenit, nimirum Regionem Assur a septem Principibus hominum ferro administrandam fore.

Hebræus verti potest (23): Ubi Assur ditionem nostram invaserit, & *calcaverit domos nostras*, palatia nostra, *tunc suscitabimus contra eum septem Pastores, & octo Principes hominum*. Septuaginta (24): *Septem pastores, & octo morsus hominum*. Assur & terra Nemrod hoc loco sunt Persarum Rex, & Babylonis Regnum, quod Imperii Assyriorum, a Nemrodo conditi, appendix fuit. *Genes.* X. 8. ... 11.

℣. 6. PASCENT TERRAM ASSUR IN GLADIO, ET TERRAM NEMROD IN LANCEIS EJUS. Severissime suprema cum authoritate imperabunt: cruentum erit illorum Regnum, violentum, imperiosum. Docent historica monumenta, Darium Hystaspis filium, primum inter Persarum Reges fuisse, qui a subditis vectigal exigeret. Qui præcesserant, spontaneis muneribus contenti erant. Unaquæque provincia proventuum suorum partem deferebat. Darius pecuniam vectigalium nomine postulavit, numerumque decrevit; quamobrem mercatoris appellationem a Persis obtinuit (25). Cyrus, ajebant Persæ, pater erat, Cambyses dominus, Darius mercator. Hujus regnum sævissimum fuit, diuturnisque & frequentibus bellis agitatum. Pro iis verbis, *Et terram Nemrod in lanceis*, habent Septuaginta (26), *Et terram Nebrod in fovea ejus*; Symmachus ac Theodotion, *In portis eorum*, in ejus regionis portis, intra ejusdem urbes. Versio hæc omnium proxima videtur & literæ & Hebræo. Portæ frequenter usurpantur pro loco, ubi jus dicitur, atque authoritatem exercent Principes. Aquilæ: *In lanceis ejus*; quinta Editio, *in ficis eorum*.

ET LIBERABIT AB ASSUR, CUM VENERIT IN TERRAM NOSTRAM. Ita claudit ea, quæ dixit ℣. 5. Ditionem nostram invasit Assur; at septem vel octo Principes adversus illum protulit Deus, qui illius Regnum occupavere. Ita nos Cambysis, sævissimi hostis, qui occupatis jam regionis nostræ agris excidium minitabatur, sævitiam vitavimus.

℣. 7. ERUNT RELIQUIÆ JACOB IN MEDIO POPULORUM, QUASI ROS A DOMINO. Post regnum Darii Hystaspis filii, qui idem est Assuerus maritus Estheris, Judaica gens Deo charissima habita est. Pacem intra fines suos coluit, iique qui in Perside remanserunt, magno in honore a reliquis Imperio subditis habiti sunt, sub Mardochæi & Reginæ auspiciis.

QUASI STILLÆ SUPER HERBAM, QUÆ NON EXPECTAT VIRUM; nulla hominum opera cadentes, quas Deus ipse quodammodo elaborat. Ita Judæi medias inter gentes perspicuo Omnipotentis patrocinio floruere. Septuaginta (27): *Quasi agni super herbam, ut congregatus sit nemo, neque subsistat in filiis*

(16) וישבו כי עתה יגדל עד אפסי ארץ *Et habitabunt*, &c. Ita Symmach. Hieron. hic, Jun. Pisc. Vat. Grot.
(17) Ephes. II. 14. *Ipse enim pax nostra*. (18) Isai. IX. 6. *Princeps pacis*. (19) Rom. XV. 33. *Deus pacis*. Vide & XVI. 20. 1. Cor. XIV. 33. 2. Cor. XIII. 11. Philipp. IV. 9. 1. Thessal. 5. 23. &c.
(20) Ammian. lib. 23. *Magos septem, ex antiquis libris, regnum iniisse refert*. Ita & Valer. Max. lib. 9. c. 2.
(21) Vide Herod. Ctesiam, Justin. &c. (22) Eccle. XI. 2. & Ruth IV. 16 1. Reg. II. 5.
(23) אשור כי יבוא בארצנו וכי ידרך בארמנותינו והקמנו עליו שבעה רעים ושמנה נסיכי אדם. (24) Septuag. Ἑπτὰ ποιμένες, καὶ ὀκτὼ δήγματα ἀνθρώπων. Sym. *Christos hominum*, Theodot. & V. Edit. *Principes hominum*. Aquila: *Graves, vel constitutos homines*, idest, καθεσταμένους. Hieron. hic. (25) Herodot. lib. 3. 89. Λέγουσι Πέρσαι, ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πατήρ. (26) 70. Καὶ γῆν τοῦ Νεβρὼδ ἐν τῇ τάφρῳ αὐτῆς. Heb. ואת ארץ נמרוד בפתחיה (27) Καὶ ὡς ἄρνες ἐπ' ἄγρωστιν, ὅπως μὴ συναχθῇ μηδείς, μηδὲ ὑποστῇ ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων. Heb. כרביבים עלי עשב אשר לא יקוה לאיש ולא ייחל לבני אדם

filiis hominum. Aquila & Symmachus cum Vulgata consentiunt.

℣. 8. QUASI LEO IN JUMENTIS SYLVARUM, inter feras. Describuntur his verbis Judæi inter Persas, qui, permittente Assuero, vindictam in hostes suos exercuere (28); vel iidem in patria, ducibus Macchabæis. Fractis Syriæ Regum viribus, formidabiles adeo inter finitimos effecti sunt, ut nemo illos aggredi auderet. Judas Macchabæus (29) *similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis*.

℣. 9. OMNES INIMICI TUI INTERIBUNT. Syriæ Reges, qui Judæorum Religionem impugnaverant, eosque Lege sua abducere conati fuerant, ut ad Gentium sacra traducerent, vario mortis genere perierunt. Horum sævitia populi fidem, virtutem, constantiam commendavit. Brevissimo nimirum temporis spatio evanuere Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes, Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Demetrius Nicanor, Alexander Bala, Antiochus Deus, Zebina, aliique, qui simul juncti vix annos sexaginta pluribus imperiis æquavere; turbata atque discissa externis & domesticis bellis Syria, Hebræorum res in dies confirmabantur, primaque Regni Asmonæorum, circa ea tempora orti, fundamenta posuere.

℣. 10. AUFERAM EQUOS TUOS DE MEDIO TUI. Id efficiam, ut equorum ope non egeas. Vel: Defensor tuus ipse futurus sum; superbiæ ac fiduciæ tuæ argumenta tibi auferam, pacemque tranquillissimam tibi largiar.

℣. 11. PERDAM CIVITATES TERRÆ TUÆ, arces evertam. Constantem adeo, certam, absolutamque pacem tibi pariam, ut urbes munire neglecturus sis.

AUFERAM MALEFICIA DE MANU TUA. Nullum deinceps divinationis, Magiæ, sortilegiorum, ac superstitionum exercitium sectaberis; nulla simulacra, nullos Deos lucosque profanis Numinibus sacros (℣. 12.). Describunt hæc Judæorum statum Babylone reversorum. At multo aptius Christianæ Ecclesiæ conveniunt, ubi nullus unquam Idolorum cultus, aut magna ea flagitia, quæ inter Judæos erant, publica authoritate probata vel dissimulata, obtinuerunt.

℣. 14. FACIAM ULTIONEM IN OMNIBUS GENTIBUS. Qui in Dei populum inique sævierunt, justissimam illius ultionem sensere. Babylon, Tyrus, Damascus, Ammon, Moab, Edom, Philisthini, Ægyptus, Syria; omnes hi minarum pondus experti sunt, quas Prophetæ ex Deo Israelis, justo iniquitatis judice, & infirmorum protectore, pronunciarunt.

(28) Esth. ix. (29) 1. Macch. iii. 4.

CAPUT VI.

Deus Israelem arguit. Quæ a populo postulat Deus. Minæ in impios, & eos qui fraudem in commercio exercent.

℣. 1. Audite, quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adversum montes,
& audiant colles vocem tuam. 2. Audiant montes judicium Domini, &
fortia fundamenta terræ: quia judicium Domini cum populo suo, & cum Israel
dijudicabitur. 3. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? re-
sponde mihi. 4. Quia eduxi te de Terra Ægypti, & de domo servientium
liberavi te, & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam? 5. Po-
pule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach rex Moab: & quid re-
sponderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justi-
tias Domini. 6. Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Num-
quid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? 7. Numquid placari potest Do-
minus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid da-
bo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ
meæ? 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te:
Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo
tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum:
Audite tribus, & quis approbabit illud? 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri ini-
quitatis, & mensura minor iræ plena. 11. Numquid justificabo stateram impiam,
& saccelli pondera dolosa? 12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & ha-
bitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.
13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. 14. Tu come-
des, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui, & apprehendes, & non sal-
vabis: & quos salvaveris, in gladium dabo. 15. Tu seminabis, & non metes; tu
calcabis olivam, & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum. 16. Et cu-
stodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus
eorum, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium
populi mei portabitis.

℣. 1. Con-

℣. 1. CONTENDE JUDICIO ADVERSUS MONTES. Nova hic oratio adversus decem Tribus instituitur. Juber Prophetam Deus Israelem in jus vocare coram montibus collibusque, ut is ingrati animi infidelitatis iniquitatisque atque impietatis damnetur. Adesse ibi debet Michæas, ceu Dei orator, sponte judicium subeuntis, ut probet, æquissime sese erga Israelem gessisse, populoque facilius persuadeat, ipsum causa uti iniquissima. Sunt (1) qui censeant, montium nomine Principes, Judices, ac Locupletes Israelis intelligi; id quod in Scriptura præter morem non est (2). At Hebræus (3), ipsaque orationis series satis docet, de veris montibus esse usurpandum (4). Principes Proceresque, non secus atque infimum vulgus arguit Deus; & utrosque ad montes provocat, veluti anima instructos, ac probe scientes, quid erga populum egerit Deus, quid erga Deum Israel, quippe qui a tam multis sæculis idipsum noverint. Passim in Sacris Libris (5) videtur Deus cum populo ceu cum pari agere, seque judicio sistere, ut causam suam adversus illum agat ac tueatur, ac deinde illum opportunius arguat & accuset.

℣. 2. FORTIA FUNDAMENTA TERRÆ. Montes, quorum radices veluti firmissima terræ fundamenta sunt. Vide Jonam II. 7. Septuaginta (6): *Valles, fundamenta terræ*. Symmachus ac Theodotion: *Antiqua fundamenta terræ*.

℣. 3. QUID FECI TIBI, AUT QUID MOLESTUS FUI? Septuaginta: *Popule meus, quid feci tibi? aut quid contristavi te? aut in quo molestus fui tibi?* Major omni expectatione est hæc Dei clementia, atque impios prorsus opprimit. Nimium deprimi non timet Deus, cum sublimia omnia infinito intervallo superet. Deprimi possunt homines, quippe quorum dignitas in aliorum mente solummodo sita est.

℣. 4. DE DOMO SERVIENTIUM LIBERAVI TE. Te e servorum carcere eduxi. Si miseram mancipiorum conditionem inspexeris apud barbaros Algerii dominos, vel Tunetanos, & carceres quibus noctu illa clauduntur, facile intelliges, quam ingens beneficium sit, horrido servorum carcere, ac miserrima ea conditione liberari.

MISI ANTE FACIEM TUAM MOYSEN, AARON, ET MARIAM. Censent Theodoretus (7), Chaldæus, aliique plures, uti Moyses virorum institutioni datus fuerat, ita Mariam fœminas edocuisse; quamobrem Mariam ita haberi posse, veluti legem fœminis Israeliticis tulerit.

℣. 5. QUID COGITAVERIT CONTRA TE BALAC, ... ET QUID RESPONDERIT BALAAM, DE SETHIM, USQUE AD GALGALAM. Balac Moabitarum Rex, veritus, ne Israelitæ suam ipsius ditionem occuparent, Ariolum Balaam misit, ut illos devoveret (8). At Deus Ariolum benedicere coegit, non devovere; quamobrem is invitus Dei Israelis gloriam commendavit, futurasque populi illius de hostibus victorias nunciavit. Castra tunc metabatur Israel in agro Moab, Sethim inter & Jordanem (9). Ibi Balac Hebræorum castra prospexit. Hæc tamen verba hoc loco negotium faciunt.

DE SETHIM USQUE AD GALGALAM. *Sethim* in agro Moabitico jacet, ad orientem Jordanis. *Galgala* in Jerichuntis planitie, ad ejusdem Jordanis occasum. Dici igitur nequit Balac Israelitas inter Sethim & Galgala castrametatos prospexisse. Galgalam vero populus nonnisi uno amplius mense post venit. Tria tamen his repono: I. Propheta hic Israelitas arguit libidinis cum Moabiticis puellis exercitæ in campo Sethim arvisque Moabiticis, sitis inter Sethim ad ortum, & Galgalam ad occasum, trans amnem. Alia urbs nulla noscitur a Scriptura inter Sethim & Galgalam; atque ipsa certe res ferebat, ut agri hujus amplitudo duobus hisce celeberrimis finibus, invicem oppositis, describeretur. II. *Galgala* hic fortasse pro sublimibus Jordanis locis ejusve limitibus, Hebraice *Geliloth Jordanis*, usurpatur; cujusmodi *Geliloth* in utraque Jordanis ripa erant (10). Docent itineraria, geminos quodammodo alveos limitesque Jordani esse, alterum, intra quem æstate se continet; alterum, a priore semotum, quem in alluvionibus implet. Alterum fortasse hunc alveum nuncupabant Hebræi *Geliloth Jordanis*; & perspicuum sane est, Israelis castra inter *Sethim* & hæc *Geliloth* seu *Galgala* fuisse, (utraque enim vox ab una eademque radice oritur) quo tempore Balac & Balaam Israelitas, eo successu quem narrant Numeri, in libidinem impellere decreverunt. III. Additis denique nonnullis voculis, elici potest hæc sententia: Mementote, quæ mala in vos molitus fuerit Balac, quidve illi responderit Balaam; *quæque ego vestri causa egerim* a Sethim ad Galgalam usque, quo prodigio aquas Jordanis coercuerim, ut liberum vobis aditum in Chanaanitidem facerem, meumque fœdus vobiscum ad Galgala instauraverim. His certe indiciis Dei sanctitatem nosse debueras, *Ut cognosceres justitias Domini*, & certissimam illius fidem servandis iis, quæ Majoribus tuis promiserat; vel etiam, ut suæ erga te benevolentiæ indicia exhiberet; hoc enim interdum sensu justitia usurpatur (11), atque ita Symmachus hoc loco reddidit (12).

℣. 6. QUID DIGNUM OFFERAM DOMINO. Ita respondet populus. Nihil iis, quæ objecit Deus, reponit, nihil pro se affert: quid enim Deo tam luculenter acriterque arguenti respondeat? Septuaginta (13): *In quo apprehendam Dominum, suscipiam Deum meum excelsum?* quid illius beneficiis, quibus cumulatus sum, reddam? Hebræus (14): *In quo præveniam Dominum, curvabo me coram Deo altissimo?* Quo pacto mea illi munera & obsequia grata efficiam?

℣. 7. AUT IN MULTIS MILLIBUS HIRCORUM PINGUIUM? Hebræus (15): *In myriadibus torrentium olei*, super ipsius altare fundendi, aut in lucernis cremandi.

NUMQUID DABO PRIMOGENITUM MEUM PRO SCELERE MEO? uti Moabitarum Rex (16), armis Regum Juda, Israelis, & Edom pressus; vel Jephte (17) qui Natam mactavit; vel denique ut Chananæi solebant, antequam ipsorum regio ab Israelitis occuparetur (18). In gravissimis rerum angustiis carissimum ex liberis mactabant Diis Phœnices. Sævissimi moris author Saturnus fuisse dicitur (19).

℣. 8. FACERE JUDICIUM, ET DILIGERE MISERICORDIAM, ET SOLLICITUM AMBULARE CUM DEO TUO. Enim vero hæc sunt, quæ Dei Lex maxime præcipit, & quæ verum Israelitam efficiunt: at id carnales Ju-

(1) Cyrill. Albert. Haimo, Ribera, Vat. &c. (2) Psal. LXXI. 3. Isai. II. 11. Abac. III. 16.
(3) קום ריב את ההרים ותשמענה הגבעות קולך : שמעו הרים את ריב יהוה (4) Septuag. Κρίθητι πρὸς τὰ ὄρη. Καὶ ἀκουσάτωσαν οἱ βουνοὶ φωνῆς σου. Ita & Theodoret. hic, & Chrysost. orat. V. de Provid. & Jun. Pisc. Grot. Drus. Munst. (5) Vide Isai. III. 13. V. 3. XLIII. 26. Jerem. II. 5. Osee IV. 1. XII. 2. (6) Septuag. Ἀκούσατε λαοὶ τὴν κρίσιν Κυρίου, καὶ φάραγγες, θεμέλια τῆς γῆς. Heb. שמעו הרים את ריב יהוה והאתנים מסדי Quinta Edit. *Ethanim fundamenta terræ*. Hieron. (7) Theodoret. hic: Οὐδὲ τὰς γυναῖκας τῆς παρανομίας ἀπέλαυσας, ἀλλὰ καὶ ταύταις τὴν Μαριὰμ ἐπιστήσας, καὶ προφήτιδος χειροτονηθεῖσαν ἐμφανίσας. Vide Sanct. Drus. alios.
(8) Num. XXII. XXIII. XXIV. (9) Num. XXVI. *Morabatur eo tempore in Setim*. (10) Confer Josue XVIII. 17. & XXII. 10. 11. (11) Psal. XCIII. 5. & CXI. 9. (12) *Pro justitiis, sive justitias, misericordias interpretatus est Symmachus*. Hieron. (13) 70. Ἐν τίνι καταλάβω τὸν Κύριον, ἀντιλήψομαι Θεοῦ μου ὑψίστου. (14) במה אקדם יהוה אכף לאלהי מרום (15) ברבבות נחלי שמן 70. Ἐν μυριάσι χειμάῤῥων πιόνων, Forte, Χειμάῤῥων. Torrentium. (16) 4. Reg. III. 27. (17) Judic. XI.
(18) Levit. XX. 27. Deut. X. 12. (19) Vide Porphyr. de abstin. Euseb. præp. lib. 4. c. 16.

Princeps postulat, et Judex in reddendo est, judex reddit. In ipsis male gestis probari volunt. Iniquissima postulat Princeps; consentit Judex. Vel: Munera sponte delata non expectat Princeps: ipse postulat exigitque; Judex junctis studiis sævitiæ illius favet. Hebræus aliter explicatur (10). Accipe totum versiculum: *Adversus eos qui malefaciunt* vexantque (ad verbum, adversus malum manuum) *ad benefaciendum postulat Princeps; & Judex remuneratur* malum. Chaldæus: *Mala operantur manibus suis, & non benefaciunt: Princeps postulat, & Judex dicit: Fac pro me, & retribuam tibi*. Septuaginta (11): *In malum manus suas præparant. Princeps postulat, & judex verba pacifica loquutus est*. Judex Procerum flagitia & iniquitatem dissimulat, patitur, & arguere non audet. Syrus: *Manus eorum promptæ sunt ad malum, nec benefaciunt. Præfectus postulat, dicens: Affer*: Judex *dicit: Da manus*.

Magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam? Quis tam constans erit, ut repugnet? Hebræus (12): *Magnus loquitur desiderium* (13) *animæ suæ, & corroborant illam*. Certatim adulantur homines, ac desiderium quamvis iniquissimum probant. Vel: Animi sui nequitiam & corruptionem ostendit Princeps, eoque confirmatur.

℣. 4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus, pauperem non protegit, non tuetur, non levat, sed pungit & cruciat. Spinis horret ceu paliurus. Inutile lignum est paliurus, nihil ferens, atque igni tantummodo aptum. Ajunt, Hebraica voce *Chedek* (14) proprie spinosam quamdam arbusculam significari, nomine *Pyxacanthum*, seu *Lycium*. Septuaginta: *Ceu vermis erodens*.

Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit. Deus ipse adest, ut vos visitet, puniat, rationes exigat. Reddi potest (15): *Dies speculatorum tuorum, visitationis tuæ*. Adest jam, ut severissimum jus exerceat in te, Principes tuos, Magistratus, fallos Prophetas, quorum erat saluti tuæ prospicere, atque hoc ipsum gravissimum munus penitus neglexere.

Tunc erit vastitas eorum; nunc vastabimini. Hebræus (16): *Nunc erit confusio eorum*, obsidio, circumvallatio (17). Septuaginta (18): *Nunc erunt planctus eorum*.

℣. 5. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Ingens adeo erit discrimen, extremaque calamitas, ut neque pater filio, neque uxori vir opem ferre queat (19). Adeo dubia vel inter charissimos erit fides, ut ne vir quidem uxori credat. Ita etiam vaticinatur Jeremias 9. 4. extremas Judæorum ærumnas sub Nabuchodonosore futuras prædicens. Et Capite xlvii. 3. de Philisthinis agens, idem ferme futurum pollicetur. Hunc Michææ locum spectat Christus, ubi de iis agens, quæ ex Evangelii prædicatione oritura erant, ait (20): *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus*. Quibus verbis duplex Inbesse potest sententia; vel scilicet bella & odia ex religione oritura, quibus homines inter se sanguine conjunctissimi committentur, falso religionis studio; quæ quidem sententia cum hoc loco maxime congruere videtur (21): vel religionem, quam Christus instituit, asseclis imperare, ut quidquid saluti nocet, abjiciant; filius a Patre, vir ab uxore discedant, si uterque vel saluti opponantur, vel iis quæ præcipit Deus; atque hæc explicatio ad mores potius atque animi sanctitatem, quam ad literalem loci sententiam pertinet. Samariæ excidio bella & domesticæ seditiones præcessere (22).

℣. 8. Ne læteris, inimica mea, super me. Babylon, cæteræque urbes inimicæ, exitio meo ne lætemini. Restituar ego vestrumque vos fatum manet. Ita loquitur Samaria.

Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Me in captivitate, ac durissimis in ærumnis non destituet Deus: obscurissima nocte obsitam is me lucis instar illostrabit. Nox passim pro captivitate, rerum angustiis, vastitate usurpatur (23). His me tenebris eripiet Deus, ejusque justitiam intuebor: [℣. 9.] *Educet me in lucem, videbo justitiam ejus*. E captivitate revertar, ac Dei mei justitia in hostes meos emicabit. Vel justitia pro clementia usurpata: Iterum justitiæ suæ pondus io me converret. Vide supra vi. 5.

℣. 10. Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. Capietur ab hoste Babylon, & superbe despicietur. Vaticinia in Babylonem edita in ipsa illius per Cyrum expugnatione expleta esse creduntur. Certe in illam sævierunt Persæ, ac publica ædificia plurima everterunt: diu tamen postea urbs stetit. Tota Propheticarum minarum fides nonnisi variis temporibus atque intervallis completa est.

℣. 11. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longe fiet lex. Ruinas tuas iterum restitutas intueberis, Jerosolyma; hostium jugo liberaberis (24). Confer hæc verba, totumque hoc vaticinium cum primo Aggæi Capite. Jerosolymæ restaurationem prædicit hic Michæas; idque Dei nomine præcipit.

℣. 12. In die illa usque ad te veniet de Assur, et usque ad civitates munitas. Reddi potest Hebræus (25): *Et ad te venietur ab Assur usque ad Ægyptum, & ab ipsa Ægypto usque ad flumen* Euphratem, *& a mari ad mare, & a monte ad montem*. Hæc versio aptam fatis lententiam facit; at quæ sint cæterarum versionum urbes munitæ, non fatis videtur. Reversuri erant e captivitate Judæi, veteresque sedes occupaturi, ab Assyria usque ad Ægyptum: scilicet ab Euphrate usque ad Nilum, & a Nilo usque ad Euphratem; a Mediterraneo mari ad Oceanum (26), & a Libano ad Arabiæ petrææ montes. Varietinium hoc penitus expletum est post reditum e captivitate, præsertim post regnum Asmonæorum. Locupletissima erat gens Judaica & Regno amplissima, quo tempore Christus sub Magni Herodis Regno inter homines prodiit.

℣. 13. Et terra erit in desolationem. Malo per tempus præteritum reddere (27): *Et fuit terra desolationi ob incolarum* iniquitatem. Severissime in illam animadvertisti, o Deus, ut illius flagitia punires: at denique misericordiæ tuæ memento, populumque non uti furoris tui argumentum, sed uti tuum inspice. (℣. 14.) *Pasce populum tuum, in virga tua gregem hæreditatis tuæ*. Vel, ex iis quæ diximus ℣. 11. Cum populus Babylone reversus majores ædibus suis domibusque restituendis, quam Templo Domini, curas contulisset, variis ærumnis affectus est, sterilitate, fame. Vide Aggæum 1. 10. 11.

℣. 14. Pasce gregem hæreditatis tuæ, habitan-

[10] על הרע כפים להיטיב השר שואל והשפט בשלום [11] Septuag. Ἐπὶ τὸ κακὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἑτοιμάζοντες. Ὁ ἄρχων αἰτεῖ, καὶ ὁ κριτὴς εἰρηνικοὺς λόγους ἐλάλησε. [12] והגדול דבר הות נפשו הוא ויעבתוה [13] Usurpato הות pro תאות cum Septuaginta, Vulgata, & Chaldæo. [14] חדק Chedek. Septuag. Ὡς σὴς ἐκτρώγων. [15] יום מצפיך פקדתך [16] עתה תהיה מבוכתם [17] Hieron. hic: Magis πολιορκίαν, ἢ φρέμετι, quam vastitatem in Hebræo sonat. [18] Νῦν ἔσονται κλαυθμοὶ αὐτῶν. [19] Deut. xiii. 6. xxviii. 54. 2. Reg. xii. 3. 8. Eccli. ix. 1. [20] Matt. x. 35. Luc. xii. 51. [21] Vide Luc. xxi. 16. & Joan. xvi. 2. [22] Vide totum Caput xv. quarti Regum Libri, & Isai. ix. 19. [23] Isai. xvi. 3. xxvi. 9. Amos v. 8. & passim. [24] יום ההוא ירחק חק Theodot. & Symm. Ἐν ταύτῃ ἡ πρόσταγμα. Septuag. Ἀποτρίψεται νόμιμα. Hieron. [25] ועדיך יבוא למני אשור ועדי מצור ולמני מצור ועד נהר וים מים והר ההר [26] Vide Amos viii. 12. [27] והיתה הארץ לשממה על ישביה

HABITANTES SOLOS IN SALTU, IN MEDIO CARMELI. Solum habitare, duplici sensu usurpatur. Significat interdum destitutionem, tristem statum ac miserrimum, solitudinem, exilium a patria, amicis & propinquis (28); interdum vero securum esse, nullius egere, sibi sufficere. Ita Balaam de Israelitis agens (29), ait: *Populus solus habitabit*. Tum de civibus Lais tradit Scriptura (30): *Securum & quietum... atque a cunctis hominibus separatum*. Osee superbiam & fiduciam Euphraimi describens (31): *Onager solitarius sibi Ephraim*. Hic porro grex *habitans solus in saltu, in medio Carmeli*, sunt Israelitæ e captivitate reversi. Hostium servitute liberi, sibi sufficientes, absque alterius ope, libere & sine metu in regione sua, atque in uberrimis Carmeli agris vescuntur. Orat Deum Propheta, ut gregem hunc ne deserat, ipsumque, uti olim, ceu pastor agat. Respondet Deus futurum, ut idem grex in Basanitide & Galaaditide pascatur, quemadmodum olim consueverat; Israelitæ scilicet regionem trans Jordanem possideant, montesque Galaaditidos, & quæ cis amnem sunt, uti ante captivitatem obtinuerant.

℣. 15. SECUNDUM DIES EGRESSIONIS TUÆ DE TERRA ÆGYPTI, OSTENDAM EI MIRABILIA. Cum animum gereret Prophetæ plenum dignitate Messiæ, cujus figura erat reditus e captivitate Babylonica, nihil satis esse putabat, ut hujus majestatem nobilitatemque commendaret. At ubi horum verba explicas, cave ne ea, quæ ipsi de Babylonico reditu usurpant, ex mero verborum sonu intelligas. Hujus reditus descriptionem apud Esdram habemus, ubi nihil adeo insolitum legitur. Ad Christum igitur & Christianam religionem referenda sunt ea, quæ Isaias (32), Micheas & Zacharias (33) de prodigiis eam uberratem commirantibus cecinere.

℣. 16. PONENT MANUM SUPER OS, AURES EORUM SURDÆ ERUNT. Spectaculi novitate, tantorumque prodigiorum aspectu adeo afficientur, ut stupeant, nullasque voces concipere queant (34), & aures cæteris clausas gerant. Similes surdis erunt, quos nullus fragor ab iis, quæ attente inspiciunt, removet.

℣. 17. LINGENT PULVEREM SICUT SERPENTES. Hoc Deus in anguem pronunciavit Gen. 3. 14. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Eo adigendi erant Judæorum hostes, ut coram ipsis ore humi strato jacerent, & pulverem ab iis calcatum oscularentur. *Vultu in terram demisso adorabunt te*, inquit Isaias (35), de Judæorum felicitate agens, e captivitate reversorum, & *pulverem pedum tuorum lingent*. Vel: Terram rabie & furore mordebunt, ubi hostium suorum prosperas res viderint, seseque pedibus Judæorum calcari senserint, quos hactenus contempserant. Virg. Æneid. XI.

Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Hyperbolicæ tropicæque locutiones, quarum fides expleta quærenda est (*) in Ethnicis Ecclesiam ingressis, atque ore humi coram Apostolis strato baptismi & impositionis manuum gratiam postulantibus.

℣. 18. NON IMMITTET ULTRA FUROREM SUUM. Præteritorum criminum obliviscetur, & flagitiorum a Jacobo ante captivitatem patratorum non reminiscetur: at in nova scelera illum impune labi non feret. Novimus qua severitate in Israelem animadverterit, beneficiorum suorum contemptus, & Messiæ necis reum. Recens adhuc vulnus est & semper erit. Septuaginta (36): *Non tenuit in testimonium iram suam*, scilicet ut testis sit judiciorum suorum æquitatis. Reddi Hebræus potest: *Non retinebit perpetuo iram suam*.

℣. 19. DEPONET INIQUITATES NOSTRAS. Hebræus ad verbum (37): *Subjiciet* pedibus *iniquitates nostras, & projiciet in profunda maris omnia peccata nostra*. Veluti omnem illorum memoriam abjecturus.

℣. 20. DABIS VERITATEM JACOB. Ea explebis, quæ Jacob pollicitus es; datam fidem sancte liberabis.

---

[28] Jerem. XV. 17. IL. 31. Isai. IL. 21. [29] Num. XXIII. 9. הן עם לבדד ישכן
[30] Judic. XVIII. 7. [31] Osee VIII. 9. [32] Isai. XI. 15. XLIII. 16. 17. 18. 19.
[33] Zach. X. 11. [34] Job XXI. 5. XXIX. 9. XL. 4. Eccli. V. 14. [35] Isai. IL. XL. Vide & Psal. LXXI. 9. Thren. III. 29. [*] Ita Patres. Vide Theodoret. Dionys. Lyr. Vatab. Ribes. Sanct. num. 67.
[36] Οὐ συνέσχεν εἰς μαρτύριον τὴν ὀργὴν αὐτοῦ. Hebr. לא החזיק לעד אפו Sym. *In æternum*. Theodot. *In finem*. Septuag. & quinta Edit. *In testimonium*. [37] יכבש עונותינו ותשליך במצלות ים כל חטאותם

FINIS COMMENTARII IN MICHÆAM.

℣. 3. VIOLENTER TOLLITIS PELLES EORUM DESUPER EIS. Hyperbole, qua Procerum Israelis sævitia & avaritia significatur. Impios pastores imitantur, qui vivas oves deglubunt, ut ipsarum carne vescantur; lupi potius quam pastores. Tiberius Provinciarum *Præsidibus, onerandas tributo provincias suadentibus*, *rescripsit*, *boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere* (5).

℣. 5. QUI MORDENT DENTIBUS SUIS, ET PRÆDICANT PACEM. Vel, qui læta nunciant, si illorum avaritia expleatur; bellum vero, nisi os illorum impleas: *Et si quis non dederit in ore eorum, sanctificant super eum prælium.* Hæc locutio, *sanctificare prælium* (6) significat parare prælium, in aciem prodire, arma capere, &c. Significat hic solummodo, bellum a falsis Prophetis nunciari ac prædici; & moneri Principes, ut sese in prælium parent, quemadmodum ferme Deus Isaiæ imperavit (7), ut *populum excæcaret*, illius nempe cæcitatem prædiceret.

℣. 6. NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT; extrema nimirum calamitas, noctis & tenebrarum nomine designata (8). Probro & mœrore obruemini; spreti, rejecti, afflictique nec os prodere, nec edere vocem audebitis, ubi populus una in captivitatem raptus, tandem aliquando sentiet se errasse, fidem habens pessimis consiliis, quæ veluti oracula venditabatis: *Quia non est responsum Dei*, ℣. 7.

℣. 8. VERUMTAMEN EGO REPLETUS SUM FORTITUDINE. Securus audacter loquor, quippe qui Dei spiritu me agi sentiam. Superiori Capite ℣. 11. dixerat, optare se, non vera vaticinari, cum populi mala prædiceret; hic vero testatur, certissimam esse vaticiniorum suorum fidem, neque vereri, quin res ipsæ vaticiniis respondeant.

℣. 10. QUI ÆDIFICATIS SION IN SANGUINIBUS, ET JERUSALEM IN INIQUITATE. Qui Templum Domini struitis, eoque munera & ornamenta superbe confertis, manibus interim cruore fratrum iniqua morte damnatorum infectis; vel, qui opes in Templum congeritis, a fratribus vi ablatas, quas æquo jure sanguinem pauperum appellavemus. Vide ℣℣. 2. & 3. hujus Capitis. Vel denique: qui superbas Jerosolymis ædes vobis construitis, pauperum spoliatorum necatorumque sanguine indutas. Qui vitæ necessaria homini aufert, tantumdem agit, ac si illius sanguinem hauriat.

℣. 11. SACERDOTES EJUS IN MERCEDE DOCEBANT; ita ut docere nollent, si nulla merces esset; neque enim aut Dei gloriam, aut audientium utilitatem docendo quærebant, sed lucrum. Fas quidem est, eos qui cæteros docent, ab iis accipere, vel debiti nomine, unde vivant (9); æquum etiam est, ut ii qui docentur, necessaria vitæ doctoribus præbeant: at nefas est, unicum doctori propositum esse mercedem, ut institutionem neget iis, qui vel inopia vel sævitia nihil exhibeant: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. x. 8.

℣. 12. SION QUASI AGER ARABITUR, ET JERUSALEM QUASI ACERVUS LAPIDUM ERIT, ET MONS TEMPLI UT EXCELSA SYLVARUM. Hoc vaticinium animos Judæorum alte tetigerat; luculentius quippe prædici non poterat Templi & urbis excidium. Meminerant adhuc ætate Jeremiæ, Michæam regnante Ezechia hæc prædixisse (10); ejusque exemplo diu postea usi sunt sub Joakimo, ut cohiberent intentatam a quibusdam Jeremiæ necem, quod is (11) Templum fore simile Silo, & Jerosolymam populis omnibus argumentum execrationis futuram esse prædixisset. Cum enim, ajebant, Michæas hoc idem, & certe luculentius, prædixerit, nemo illi molestiam intulit. Porro minime dubium est, quin uterque Propheta urbis ac Templi excidium ex Nabuchodonosore imminens spectarint. Eversarum urbium ruinæ interdum aratro æquabantur. Horatius lib. Ode 16.

. . . . *Altis urbibus ultimæ*
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Narrant Judæi, Turnum quemdam Rufum, vel Titum Arenium Rufum, ut habet S. Hieronymus in Zach. 8. 19. qui fortasse idem est Terentius Rufus Josephi de Bello l. 7. c. 20. quem Titus ruinæ Templi Præfectum reliquerat, Templi atria aratro invexisse (12), ut irreparabilem omnino ruinam significaret. Nemus in ipso Templi loco nascitnrum, res præter fidem non est. Duorum & quinquaginta annorum spatio, quibus Templum suis sepultum ruinis & derelictum jacuit, ejus certe locus nato facillime nemore squallere potuit. Jeremias certe, paulo post Templi excidium, Sionis montem describens, vulpes jam ibi cubilia posuisse testatur (13). Et Macchabæorum ætate, post brevem trium annorum curriculum, quo Templum a Græcis profanatum est, totum virgultis vepribusque squallidum invenere (14): *Viderunt sanctificationem desertam, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus.* Septuaginta (15): *Idcirco propter vos, Sion sicut ager arabitur, & Jerusalem ut pomorum custodia erit, & mons Templi in locum saltus.*

---

(5) Sueton. in Tiber. n. 32. (6) Vide Isai. vi. 4. Joel iii. 9. (7) Isai. 6. 10. (8) Vide Jerem. xv. 9. Amos viii. 9. (9) Galat. vi. 6. Matt. x. 10. 1. Timot. v. 15. (10) Jerem. xxvi. 18. (11) Ibid. ℣. 6. (12) Gemar. Babyl. ad tit. Tamith c. 4. ad tit. Nedarim c. 6. ad tit. Sanhedrin c. 7. Maimoni tit. Tainiot c. 5. (13) Jerem. Thren. v. 18. *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* (14) 1. Mach. iv. 38. (15) Διὰ τοῦτο δι' ὑμᾶς Σιὼν ὡς ἀγρὸς ἀροτριαθήσεται, καὶ Ἱερουσαλὴμ ὡς ὀπωροφυλάκιον ἔσται, καὶ τὸ ὄρος τοῦ οἴκου εἰς ἄλσος δρυμοῦ.

CAPUT IV.

Ecclesia Christiana, cujus imago est Sion, gloria & dignitas. Israelitarum e captivitate reversorum felicitas. In horum hostes ultio.

℣. 1. ET erit: in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. 2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. 3. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longitudinem, & concident gladios suos

fuos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gla-
dium, & non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir subtus vitem suam, &
subtus ficum suam, & non erit, qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum
est. 5. Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui: nos au-
tem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum, & ultra. 6. In die
illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam ejeceram, colligam,
& quam afflixeram: 7. Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quæ labora-
verat, in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc
nunc, & usque in æternum. 8. Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion usque ad te
veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. 9. Nunc quare mœrore
contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia compre-
hendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole, & satage, filia Sion, quasi partu-
riens: quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque
ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuo-
rum. 11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapide-
tur, & aspiciat in Sion oculus noster. 12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes
Domini, & non intellexerunt consilium ejus: quia congregavit eos quasi fœnum
areæ. 13. Surge, & tritura, filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & un-
gulas tuas ponam æreas; & comminues populos multos, & interficies Domino ra-
pinas eorum, & fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

℣. 1. ERIT: IN NOVISSIMO DIERUM ERIT MONS DOMUS DOMINI PRÆPARATUS IN VERTICE MONTIUM. Caput Isaiæ II. ℣℣. 2. 3. 4. simile omnino est in Hebræo Michææ Capiti IV. 1. 2. 3. Hæc accepisse Michæas creditur ab Isaia (1), quod Isaias vaticinandi munus ante Michæam inierit, atque hoc vaticinium inter prima sit ab Isaia pronunciata sub Ozia; Michæam vero superioris Capitis vaticinia, ex quibus præsens hoc sequitur, nonnisi sub Ezechia edidisse novimus (2). Porro Messiam toto hoc oraculo spectari, ipsa orationis series satis docet. Ita Patres & Interpretes ferme omnes semper usurpavere. Certe illius fides nonnisi in Ecclesia Christiana ad verbum expleta spectatur; ipsa quippe est Domus Domini, in editissimorum montium cacumine condita, ex qua Dei verbum prodiit, in quam innumera alienorum multitudo ex omnibus undique terrarum plagis convenit (3). Eadem in Ecclesia Regnum habet Deus in tempore, & usque in æternum (4). Ibi sedem pax & perfectus animorum consensus posuere; ibique populi, nunquam aberrantes, Domini vias terunt (5): *Ambulabimus in nomine Dei nostri, in æternum & ultra*. Hæc denique sacra Domus est, in montibus condita extremis temporibus, *in novissimo dierum*, expleta jam vaticiniorum fide, cum Synagoga vera esse Ecclesia desiit, & Abrahami soboles dissipata rejectaque est. Hæc verba, *In novissimis diebus*, in veteri Testamento, plerumque Messiæ adventum (6), & Reipublicæ Judaicæ finem significant. Hos fines non prætereunt Prophetarum oracula. Quicquid post novissimos hosce dies evenit, ad Christum ejusque Ecclesiam ex ipso verborum sono referendum est. At in Novo Fœdere, *dies novissimi* sunt supremi Judicii tempus, quo Christi Regnum in militante Ecclesia clauditur.

Judæi, teste Theodoreto, locum hunc de tempore, quod post Babylonicam captivitatem consequutum est, interpretantur. Favet plerumque huic sententiæ Grotius; & certe inficias non iverim, plura esse in ipsa Prophetæ oratione, quæ celeberrimæ huic libertati conveniant. Ita solet Spiritus Sanctus duo hæc magna argumenta miscere, ut tamen confundi nequeant. Illud autem, id agendo, vult, ut Judæi spectato rerum quarumdam eventu, certam adventus Messiæ fidem videant, quem ipsi quidem votis omnibus curisque potissimum quærebant. Ad vulgaria interdum descendunt Prophetæ, quo facilius legentium animos ad majora, Christum ejusque Ecclesiam spectantia, erigant. Judæorum plerique, nostra etiam ætate, hoc Michææ Caput, & alterum Isaiæ, quod simile huic est, ad Divini Liberatoris adventum pertinere vel inviti fatentur: ea est verborum perspicuitas, & sublimitas sententiarum, quæ illorum animos tangunt.

Sequitur hoc Caput ex superiore, quod de Regno Juda potissimum agit; atque uti Michæas, post gravissimas Israelis objurgationes, maximarumque ærumnarum & durissimæ captivitatis vaticinia, Judæos solatur, futurum promittens, ut in patriam redeant, suisque calamitatibus liberentur (7); ita sedargutis Judæ flagitiis, populoque expectatione captivitatis, ruinæ Templi & urbis territo (8), solatium hic admovet, certamque ipsi libertatem, Sionis restaurationem, novum Imperium, innumeram subditorum multitudinem, perfectam pacem, insolitamque pietatem pollicetur, verbis adeo magnificis, ut optime sentias, aliud certe ab ipso spectari, quam quod de iis quæ post captivitatem Babylonicam gesta sunt, ab Historicis narrantur.

℣. 2. PROPERABUNT GENTES MULTÆ. Id profecto nunquam in Synagoga spectatum est; nunquam enim exteræ gentes Judaicam Religionem discere & amplecti certatim studuere. At quam ingens Ethnicorum multitudo quantoque studio in Christi Ecclesiam collecta est! Quam avide Dei verbum perbibere!

QUIA DE SION EXIBIT LEX. Judæorum Lex & Religio nunquam ab ipsis prodiit, easque nulla gens alia vel ante vel post captivitatem amplexa est: at egressum Sione Evangelium, Jerosolymis & ex veteri Lege ortum, quam cito universum orbem occupavit? *Hesterni sumus, & omnia vestra implevimus*, ajebat Tertullianus Apolog. c. 37.

℣. 3. JUDICABIT INTER POPULOS MULTOS. Innume-

[1] Sanct. Gior. [2] Jerem. XXVI. 18. Vide sup. cap. 1. ℣. 12. [3] ℣. 3. [4] ℣. 7. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in æternum.* [5] ℣. 5. [6] Vide Isai. II. 2. & Jerem. XLVIII. 47. IL. 39. Ezech. XXXVIII. 8. 16. Dan. X. 14. Osee III. 5. Act. II. 17. Joan. II. 18. 1. Timot. IV. 1. Hebr. I. 2. [7] Cap. II. ℣. 12. 13.
[8] Vide totum Cap. III. præsertim ℣℣. 11. 12.

merasum gentium Rex & Princeps agnoscitur Christus. *Judicare* est regnare, imperare, moderari (9). Infinito is Imperio fruitur: *Corripiet gentes fortes usque in longinquum.*

Concident gladios suos in vomeres, vel *ligones*, sive (10) *in aratri dentalia*, ferrea instrumenta, forma cultro similia, quæ aratro juncta, terram findunt, ubi vomer everrit, & sulcos agit. Ex ense facile fit dentale, non vomer. Adde, quod instrumentum, quod hic habet Hebræus, in aliis quibusdam locis a vomere perspicue distinguitur (11). Contrario sensu, ut bellum significaret, jussit Joel 3. 10. *concidi aratri dentes in gladios*. Similibus plane figuris Poetæ eamdem rem dixere. Martialis lib. 14. ep. 34. de falce, quæ prius ensis fuerat:

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus.
Agricolæ nunc sum; militis ante fui.

Non sumat gens adversus gentem gladium. Nascente inter homines Christo, Romanum Imperium, quàm late patebat, tranquillissima pace fruebatur. De eo tempore Virgilius Ep. 1.

Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis.
. . . . . . Diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

℣. 4. Sedebit vir subtus vitem suam, et subtus ficum suam. Aliud proverbii genus, quo placidissima tranquillitas, & beatissima bonorum omnium ubertas commendatur. Ita solebant Hebræi maximam hujus vitæ felicitatem describere (12). Hæc porro verba agreste vitæ genus indicant, jucundum, innoxium, curis vacuum, ambitione liberum, placidum, quietum. At illud spernunt ambitiosi homines, quibus jucundum non est, quod tumultu caret, quique cupiditatum turbas amant.

℣. 5. Omnes populi ambulabunt in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri. Hic locus ex iis est, qui ad solos Judæos & ad tempora post captivitatem consequentia pertinent. Suam unusquisque tunc Religionem sequetur. Deus suos Ethnici (13), Judæi avitam Religionem constanter servavere. Periit denique mala libido (14) deserendi Majorum Leges, ac Dei cultum, Deorumque alienorum sacra sectandi. Post Christi adventum, contraria omnia evenere; gentes enim certatim confluxerunt, ut Christiana sacra amplecterentur. Neglecta gentium superstitio, Templa falsorum Numinum deserta, Ipsa Judæorum Religio, Templo cadente, quodammodo eversa est. Sectæ ab Ecclesia Catholica sejunctæ nonnisi turbas & inconstantiam præseferunt. Ii tantummodo, qui vere fideles sunt, Dominum constanter sequuntur, super lapidem, qui Christus est, probe fundati: *Nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & ultra.*

℣. 6. Congregabo claudicantem, et eam, quam ejeceram, colligam. Eam quæ clauda erat, revocabo, iterum mihi conjungam, & quam repudiaveram, rursus accipiam. Similis fuit Synagoga fœminæ vitio fœdatæ & claudæ, filios non parienti. Ethnicorum gens veluti repudiata expulsaque uxor erat, flagitiorum causa & adulteriorum. Illa Deum inter & Baalem claudicabat (15), diviso cultu inter Deum & Idola; nihil perfectum (16) aut Deo dignum agebat, servorum non liberorum parens. Altera penitus infœcunda, omnino derelicta fuerat ceu meretrix pudoris nescia. Has Deus mero misericordiæ suæ beneficio revocat ac recipit; Ecclesiam suam ex Judæis atque Ethnicis conflat. Fœcunda fit Synagoga, sanctamque ac florentissimam gentem parit (17): *Ponam claudicantem in reliquias*; atque Ethnicorum gens nobilissimæ sobolis mater efficitur: *Et eam quæ laboraverat, in gentem robustam.* Hebræus (18): *Et repudiatam in gentem robustam.*

℣. 8. Et tu, turris gregis, nebulosa, filia Sion, usque ad te veniet. Sunt (19) qui censeant, *turrim gregis* esse Bethlehem, natalem Jesu Christi terram; atque ajunt, eamdem hoc versiculo sententiam ferri, quam fert secundus capitis consequentis versiculus: *Et tu Bethlehem, Ephrata, parvulus es in millibus*. Plerique tamen docent (20), Jerosolymam hic a Propheta innui, Sionis filiam vulgo nuncupatam, quod ad radices & circa Sionis montem, jaceret, quo in monte & Dei Templum, & Regiæ ædes surgebant. *Turris gregis* dicitur, quod veluti a Chaldæis eversa inspiciatur, atque agresti pastorum casæ similis effecta, quas casas Scriptura ceu vilissima totius regionis domicilia describit (21): *A turre custodum, usque ad civitatem munitam*. *Nebulosa* nuncupatur, vel tenebris obsita, Hebræus (22), *Turris gregis Ophel*. Turris quædam erat Jerosolymis, seu murus nomine *Ophel* (23), fortasse non longe a Templo, cum sedes Nathinæorum esset (24). Jerosolymam rediere Zorobabel, Jesua Josedechi filius, Nehemias, Esdras, aliique gentis Principes. Totius regionis & gentis Metropolis Jerosolyma semper habita est. Hinc orti sunt Macchabæi & Asmonæi, qui feliciter adeo Judaicam Rempublicam administravere. Christus denique Jerosolymam veniens, illam doctrina, prodigiis, morte illustravit. Ibi illius Imperii exordia sunt, & Christianæ Ecclesiæ incunabula. Reddi Hebræus potest: *Et tu, turris gregis, arx filiæ Sion, usque ad te veniet: veniet Imperium, quo olim fruebaris, Regnum filiæ Jerusalem.* Addunt Septuaginta: Regnum filiæ Jerusalem *de Babylone*.

℣. 9. Nunc quare mœrore contraheris? Hebræus (25): *Cur vociferaris vociferationem?* Cur quereris? An, quod Rege careas & Principe? Jerosolymam veluti jam eversam alloquitur, quo tempore Sedecias & Judæ Principes cæsi, vel captivi Babylonem rapti sunt. Jure quereris: (℣. 10.) patria ejicieris: in agro, sub dio, in deserto moraberis: *Habitabis in regione*. Hebræus (26): *Habitabis in agro*. Ædes tuas evertet hostis, teque in incultis locis morari coget. Denique, Babylonem usque transibis. At ne animis cadas: *ibi liberaberis*.

℣. 11. Congregatæ sunt super te gentes multæ. Minime dubitamus, quin hæc verba referantur ad ea, quæ post captivitatem evenere, iisque cum Ezechiele collatis, ubi is de Gog arma Israeli inferente (27), eamdem hic expeditionem a Michæa spectari arbitramur. Unum idemque utriusque argumentum esse intelliges, si utrumque oraculum comparaveris (28). Confecta Ægypti expeditione, Cambyses cum ingenti exercitu, e variis gentibus composito, in media Palæstina castra locavit. Variæ hujusmodi gentes, qui aviditatem rapinæ, veterem in Judæos simultatem

ςedi-

(9) Vide 1. Reg. iii. 9. Psal. lxxi. 2. Judit. viii. 22. & Isa. 2. (10) וכתתו חרבותיהם לאתים Septuag. Τὰς ῥομφαίας αὐτῶν εἰς ἄροτρα. (11) Vide 1. Reg. xiii. 20. & 21. את מחרשתו ואת אתו (12) Zach. iii. 10. 1. Macch. xiv. 12. (13) כל העמים ילכו איש בשם אלהיו ואנחנו נלך בשם יהוה (14) Vide Sophon. iii. 13. Osee ii. 16. & Mich. v. 11. 12. 13. (15) 3. Reg. xviii. 21. *Quousque claudicatis in duas partes?* (16) Heb. vii. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* (17) Vide Act. xxi. 20. (18) והנהלאה לגוי עצום Septuag. Καὶ τὴν ἀπωσμένην εἰς ἔθνος ἰσχυρόν. (19) Beda in Luc. ii. Haimo, Remig. Grot. (20) Hieron. Tradit. Hebr. in Genes. Hebræi, Theodoret. Cyrill. Hugo. Dionys. Riber. Sanct. Menoch. Vat. Jun. &c. (21) 4. Reg. xvii. 9. & xviii. 8. (22) מגדל עדר עפל בת ציון Septuag. Πύργος ποιμνίου αὐχμώδης. (23) 2. Par. xxvii. 3. (24) 2. Esdr. iii. 26. 27. (25) למה תריעי רע Septuag. Ἵνα τί ἔγνως κακά; Legunt תדעי (26) שכנת בשדה Septuag. Κατασκηνώσεις ἐν πεδίῳ. (27) Ezech. xxxviii. (28) Ita Theodoret. hic.

cędibus explere studebant, Cambysem hortantor, ut Jerusalymam cruore civium inundet: *Lapidetur, & inspiciat in Sion oculus noster*. Hebræus (29): *Profanetur, & videat in Sion oculus noster*. Violetur Templum, ipsumque illius adytum, quo ingredi neminem licet, reseretur. Palam exponantur mysteria, quæ illi tam studiose celant. Ezechiel cap. 38. 11. consilia Gog describens, illum ita loquentem inducit: *Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro; vectes & portæ non sunt eis. Ut diripias spolia, & invadas prædam . . . Saba, Dedan & reliqui dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem: ut tollas argentum & aurum, & auferas supellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas*. Quemadmodum promissiones, quæ hujus Capitis initio leguntur, ad Christianam Ecclesiam maxime omnium pertinent; ita referri ad eamdem potest hic Capitis finis, ceu vaticinium eorum, quæ sub ipsa sui initia ab hostibus passura erat.

℣. 12. CONGREGAVIT EOS QUASI FŒNUM AREÆ, ut boum pedibus excutiatur, teratur, & conculcetur. Id mire explicat versiculus proxime consequens. Eamdem rem alia sub imagine exhibet Ezechiel cap. 39. 17. Convivium parat Deus omnibus universæ regionis feris avibusque rapacibus, magnam in Israelis montibus victimam; Cambysis exercitum cædit; eorumque cadavera in ferarum cibum relinquit. Hanc cædem prædicit Joel 3. 13. messis & vindemiæ nomine; populosque vocat, ut maturam jam messem & vindemiam colligant.

℣. 13. SURGE ET TRITURA, FILIA SION: QUIA CORNU TUUM PONAM FERREUM, ET UNGULAS TUAS PONAM ÆREAS. Superbos hosce victores pede calcabis, ceu bos in area triticum. Incede jam audacter, nihilque metuens tere: pedum quippe tuorum ungulis æris duritiem dabo, cornu tuum ferro durius reddam. Docuimus alibi (30), hostes olim sub equorum ungulis fuisse confractos. Milesii, teste Heraclide Pontico (31), locupletum filios, quos ipsi in exilium rapuerant, in aream collectos, boum pedibus terendos dedere. Vide Ezechielis Caput xxxix. ut expletam videas hujus Michææ vaticinii fidem. Cambysis exercitus non Israelitarum armis cæsus est, sed ab iis ipsis, qui exercitum componebant, versis in mutuam perniciem armis (32), mutuisque vulneribus. Quam sæpe vero, ajunt Prophetæ, id ab aliquo fieri, quod ab eo nunciatur futurum, vel Deus ipse coram illo ejusque causa gerit?

INTERFICIES DOMINO RAPINAS EORUM. Spoliis copiarum Cambysis, Ægypti exuviis onustarum, usi sunt Israelitæ. *Deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant*, inquit Ezechiel 39. 10. & *diripient vastatores suos*. Hebræus (33): *Anathemate devovebis Domino quæstum eorum*, id quod ii bello sibi comparavere. Septuaginta (34): *Devovebis Domino multitudinem eorum*.

(29) תחנף ותחז בציון עינינו (30) In Dissertatione de suppliciis Hebræorum. (31) Athen. lib. 12. cap. 5. Dipnosoph. Συναγαγόντες τὰ τέκνα τῶν φυγόντων εἰς ἅλωνας βοῦς συναγαγόντες κατηλόησαν.
(32) Ezech. xxxviii. 21. *Gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur*. (33) והחרמתי ליהוה בצעם
(34) Ἀναθήσεις τῷ Κυρίῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν. Quinta Edit. *Emolumentum*, seu ὠφέλειαν. Sym. *Lucrum*, τὸ κέρδος αὐτῶν. Theodot. *Munera*.



CAPUT V.

Messias in Bethlehem oriturus. Assyriorum regio septem Regibus donanda. Israel captivitate solutus, ceu leo inter populos futurus est. Idololatriæ excidium.

℣. 1. NUnc vastaberis, filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel. 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: & egressus ejus ab initio, & a diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet, & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. 4. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui; & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. 5. Et erit iste pax: cum venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines. 6. Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus, & liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram, & cum calcaverit in finibus nostris. 7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. 8. Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis sylvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum transierit, & conculcaverit, & ceperit, non est, qui eruat. 9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas. 11. Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te. 12. Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui, & non adorabis ultra opera ma-

num tuarum. 13. Et evellam lucos tuos de medio tui, & conteram civitates tuas. 14. Et faciam in furore, & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

℣. 1. NUNC VASTABERIS, FILIA LATRONIS. Hebræus (1): *Nunc congregaberis, filia turmarum. Posuit obsidionem super nos, virga percussit maxillam Judicis Israel.* Quamprimum arma in Jerosolymam vertes, o Babylon, urbs exercituum ac latronum; obsidebis, capies, atque indignissime in Sedeciam Judæ Regem sævies. Vel: Imminet jam exitium tuum, urbs latronum. Tu nos obsidione cinxisti, ac fuste feriisti maxillam Principis Israelis, &c. Septuaginta (2): *Nunc obstruetur filia obstructione: angustiam posuit super nos: in virga percutient super maxillam Tribus Israel.* Probabilior prima versio. Ad Jerosolymæ obsidionem atque expugnationem redit Michæas, atque ad sævitiam, qua Sedecias a Nabuchodonosore cruciatus est. Illum enim Reblatam accersitum, coram se ceu reum trahi jussit (3): *Locutus est ad eum judicia*; necatisque coram eo liberis, atque Aulæ Optimatibus, oculos illi eruit, ipsumque vinculis onustum Babylonem misit.

ET TU, BATHLEHEM, EPHRATA, PARVULUS ES IN MILLIBUS JUDA. Nunciatis Judæ malis quæ priore versiculo vidimus, populum solatur Propheta, novumque Liberatorem, ex Bethlehemo, alio nomine Ephrata, in Tribu Juda, oriturum, pollicetur (4). Minime dubitabant Hebræi, ætate Jesu Christi, quin Messiæ ortus hoc oraculo spectaretur, quemadmodum testati sunt coram Herode Matt. 2. 4. sciscitante, quo loco Christus esset oriturus. Hoc ipsum agnoscunt Chaldæus (5), atque ex Rabbinis nonnulli (6). Judæi alii veteres, Theodoreto, S. Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio coætanei, & nonnulli Recentiores, veluti Grotius, novorumque Hebræorum plerique ajunt, id de Zorobabele usurpandum esse, cujus genus e Bethlehemo esset, quippe nobilissimo ac vetustissimo Davidis sanguine procreati. Is porro Judæ Princeps erat (7), redeunte populo e captivitate. Quis tamen ostendat, Zorobabelem Bethlehemi natum esse, æternisque natalibus frui? *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Quis illum libertatem vindicaturum fuisse Israelitas doceat, eosque pastoris more ducturum, ejusque gloriam ad extremos usque terrarum fines micaturam? *Magnificabitur usque ad terminos terræ.* Nullus certe est Israelis captivitate Babylonica Liberatur, cui hæc ad verbum conveniant, præter Christum Jesum, qui verus Messias est, Dux, Dominator, Princeps & Liberator Israelis. Vide nos in S. Matthæum, de iis quæ objiciuntur in hunc Michææ locum, a Judæis Herodi recitatum.

PARVULUS ES IN MILLIBUS JUDA. Ad verbum (8): *Minima es, ut sis in millibus Juda.* Tametsi inops vicus sis, minorque quam ut conspicua regionis urbs habearis, ex te Dominatorem eliciam, qui Judam sit moderaturus. His verbis, *millia Juda*, significari potest ingens populi multitudo, qua Tribus Juda componitur. Ea non esse videris, quæ Tribui florentissimæ, veluti Judæ, Principem dare queas. Vel: Ex earum urbium numero non es, quas Chiliarchus, mille hominum Præfectus, moderatur. Seu denique: Minor es, quam ut inter magnas regionis urbes, inter urbes *mille hominum* recensearis; quasi dicas, inter Metropoles, Principes urbes. Eadem vox, quæ mille significat, Principem etiam designat; & Zacharias (9), ut innuat, Azothum Philisthinam urbem principibus Judæ urbibus similem fore, ait futuram ut mille, *Aleph in Juda*. Reddunt alii, addita interrogationis nota: *An parvulus es in millibus Juda?* Quæ legendi ratio cum ea convenit, quam Scribæ Herodem alloquentes tenuere: *Nequaquam minima es in Principibus Juda.* Contrario sensu alii: *Satis conspicua es, ut sis in urbibus Juda.* Hebraicam vocem (10) *Zeir* Chaldæus interdum reddit magnum, fortem, spectabilem.

ET EGRESSUS EJUS AB INITIO, A DIEBUS ÆTERNITATIS. Patres & Interpretes (11) de æterna Verbi generatione usurpant: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Joan. 1. 1. Explicari etiam potest de Divinæ clementiæ beneficio, quo oris sui præsentiam, suique sermonis sonum priscis Patriarchis ac Prophetis, ipso rerum initio, largitus est. Jam tum quodammodo prodiit, ut sese servis amicisque suis daret (12). At prior explicatio probatissima omnium est. Duas hic Christi Jesu nativitates perspicue innuit Michæas; alteram Bethlehemi temporalem; alteram e sinu Patris ab æternitate: *A diebus æternitatis.*

℣. 3. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO PARTURIENS PARIET. Populum suum Chaldæis tradidit Deus, eosque in captivitate dereliquit, donec *ea quæ parturit, pariat*; donec nimirum Babylon captivos, quos veluti utero clausos continebat, dimitteret (13). Aliter: Liberatorem in patria præstolabuntur Hebræi (14), donec nascatur Rex, illos in libertatem vindicaturus, ipsosque cum fratribus suis conjuncturus: *Et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad* filios *Israel*, Judæis Ethnicisque ad meliora conversis: eamdemque in Ecclesiam una collectis. Ita demum explicari potest: Suæ ipsorum cæcitati, atque animorum pertinaciæ relinquet Judæos Christus, donec Ecclesia fœtum edat, quem tamdiu parturit, quamdiu cum Mundo, carne, Diabolo, errore, & infidelitate pugnat. Absoluto gentium numero in Ecclesiam recepto, reliquiæ Israelis ad Deum redibunt (15), atque ad Jesu Christi sacra convertentur; ut unus pastor sit, & unum ovile. Joan. x. 16.

℣. 4. ET STABIT, ET PASCET IN FORTITUDINE DOMINI. Rex Israelis creabitur Christus, æternoque ac firmo stabilique regno fruetur: gregem pascet, populum moderabitur, Ecclesiam reget *fortitudine Domini*, Divina prorsus vi & authoritate, Spiritus Sancti virtute, qua ipse uberrime abundabit, ac pastores, suo nomine Ecclesiam regentes, sua-

(1) עתה תתגדדי בת גדוד מצור שם עלינו בשבט יכו על הלחי את שפט ישראל (2) Νῦν ἐμφραχθήσεται θυγάτηρ ἐμφραγμῷ, συνοχὴν ἔταξεν ἐφ' ἡμᾶς· ἐν ῥάβδῳ πατάξεσιν ἐπὶ φυλὰς τῦ Ἰσραήλ. (3) Jerem. XXXIX. 6. 7. & LII. 9. 10. (4) Vide Josue XV. 60. in Græco; Judic. XVII. 7. 1. Reg. XVII. 12. Matt. II. 5. 6. Sunt qui putent Bethlehem vocitatam esse Ephratam ab uxore Calebi, cui id nominis erat: 1. Paral. II. 19. 24. &c. At Moyses sæpe nuncupat Bethlehemum, Ephratam, Genes. XXXV. 16. XLVIII. 7. (5) מנך קדמי יפק משיחא למהוי עבד שלטן על ישראל (6) Talmud. lib. Sanhedr. c. qlr. & lib. de Pasch. cap. 10. Rab. Salom. & Kimchi, & Pirke Eliezer, Abarbanel, &c. (7) 1. Esdr. I. 5. II. 2. (8) צעיר להיות באלפי יהודה (9) Zach. IX. 7. והיה כאלף ביהודה Septuag. Ὡς χιλίαρχος ἐν Ἰούδᾳ. Vulg. erit quasi dux in Juda. (10) צעיר Jerem. XLVIII. 4. Chald. שלטוני Et II. 20. Hebr. צעירי הצאן Chald. יתקפי ענא (11) Origen. lib. 1. contra Cels. Euseb. lib. 2. Demonstr. c. 2. Hieron. hic; Theodoret. Cyrill. Chrysost. lib. quod Christus sit Deus; & in Psal. XLIV. 7. & alii passim. (12) Hieronym. hic; Riber. Pigner. Pisc. (13) Sanct. n. 39. Grot. (14) Hieron. hic, Exposit. 2. Euseb. lib. 7. Demonstr. c. 1. Halmo, Remig. Hugo, Menoch. Tirin. Calov. (15) Rom. XI. 25.

furque ipsius manu creatos, cumulabit. *In sublimitate nominis Domini Dei sui*. Ecclesiæ suæ Caput, Rex, Deus futurus est: Dei Patris nomine, majestate ac potestate instruetur; atque uti Homo Deus Patri æqualis, sua ipsius virtute & natura erit Ecclesiæ Caput.

Et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Ubi Christus Apostolos miserit, dogmata sua omnibus terrarum populis nunciantes, certatim gentes ad divini hujus luminis jubar confluent, auditamque veritatem commendabunt. Aliter: Evangelio ubique nunciato, & Dei gloria per omnes terrarum partes diffusa, Judæi ad Christiana sacra convertentur. Reddi Hebræus (16) potest: *Habitabunt* [in Ecclesia, sive in patria, tranquilla pace fruentes] *quia* Jesus Christus omnium Liberator *magnificabitur usque ad extrema terræ*. Vel: Reduces e captivitate Judæi tranquillam in avitis sedibus vitam agent, quia terra omnis Dei gloria implebitur, omnesque populi gentem verebuntur, cui omnipotens luculentis adeo benevolentiæ indiciis favet.

℣. 5. Et erit iste pax (17). Jesus Christus Rex pacificus est, Deus & Princeps pacis (18). Ipse veram homini pacem vindicat, nosque conciliat cum Patre, pacis Deo (19). Facere non possumus, quin hic repetamus. Quæ a ℣. 2. hucusque leguntur, proprie atque ad verbum uni Jesu Christo conveniunt. Finge quicquid lubet de Zorobabelis dignitate, imperio & virtute; nullis certe historiarum monumentis ostendes, illum ea penitus implevisse, quæ hic magnifica & sublimia Prophetæ verbis traduntur.

Cum venerit Assyrius in terram nostram .... suscitabimus super eum septem Pastores, et octo Primates homines. Salebras habes hic & ambages, Interpretibus inextricabiles. Relictis variorum explicationibus, ita rem conficimus. Ingresso in Judæam Cambyse, ibiqueinterfecto, uti vidimus Capite IV. 11. 12. 13. Magos septem adversus illum protulit Deus (20). Qui pro Persarum Rege sese gerebat, *Smerdis* apud Herodotum lib. 3. c. 65. *Oropastes* apud Trogum Just. lib. 1. *Artaxarta* apud Esdram 4. 7. dicitur. Magos necavere septem Persarum Proceres conjurati, qui liberato tyrannis Imperio, unum e suis, Darium Hystaspis filium, Regem creavere (21). En septem Pastores, vel *octo Primates homines*, Assyriorum vel terræ Nemrod imperio donatos, eam regionem ense & hasta moderantes. Septem vides, si septem Magos solummodo, vel septem conjuratos spectaveris: at octo invenies, si *Marapbin*, vel *Artapbanum* numeraes, quem Æschylus Poeta inter Magum neci traditum, & Darium imperio donatum collocat. Illud etiam animadvertendum est, post id tempus, & fortasse etiam jam antea, septem viros a consiliis fuisse Regibus Persarum, quorum absque consilio nihil grave decernebatur. Vide nos in Librum Ester 1. 14. Denique *septem* & *octo* ingentem quemlibet numerum indefinite significant, uti ex nonnullis Scripturæ locis discimus (22). Authore Herodoto lib. 3. c. 80. 84. 88. septem cum Dario conjurati, antequam imperium uni traderent, consensere, ne is, cui suprema potestas daretur, quodlibet injuriæ genus in cæteros converteret, eosve aut veneno, aut ferro, aut fame, aliave nece tolleret; ne cui aditus in Regias ædes, atque in ipsa Regis conclavia clauderetur; ut recte thiaræ honos, uni Regi peculiaris, singulis concederetur. Ex his unus Otanes, cum jure suo in Regiam potestatem cessisset, ipse universaque illius familia liberi ac nemini obnoxii effecti fuere. Quamobrem septem hi conjurati ceu totidem Imperii comites Dario dati sunt, divisa cum illo authoritate gaudentes. Id porro his Prophetæ verbis optime convenit, nimirum Regionem Assur a septem Principibus hominum ferro administrandam fore.

Hebræus verti potest (23): Ubi Assur ditionem nostram invaserit, & *calcaverit domus nostras*, palatia nostra, *tunc suscitabimus contra eum septem Pastores, & octo Principes hominum*. Septuaginta (24): *Septem pastores, & octo morsus hominum*. Assur & terra Nemrod hoc loco sunt Persarum Rex, & Babylonis Regnum, quod Imperii Assyriorum, a Nemrodo conditi, appendix fuit. *Genes.* x. 8.... 11.

℣. 6. Pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus. Severissime suprema cum authoritate imperabunt: cruentum erit illorum Regnum, violentum, imperiosum. Docent historica monumenta, Darium Hystaspis filium, primum inter Persarum Reges fuisse, qui a subditis vectigal exigeret. Qui præcesserant, spontaneis muneribus contenti erant. Unaquæque provincia proventuum suorum partem deferebat. Darius pecuniam vectigalium nomine postulavit, numerumque decrevit; quamobrem mercatoris appellationem a Persis obtinuit (25). Cyrus, ajebant Persæ, pater erat, Cambyses dominus, Darius mercator. Hujus regnum sævissimum fuit, diuturnisque & frequentibus bellis agitatum. Pro iis verbis, *Et terram Nemrod in lanceis*, habent Septuaginta (26), *Et terram Nebrod in fovea ejus*; Symmachus ac Theodotion, *In partis eorum*, in ejus regionis portis, intra ejusdem urbes. Versio hæc omnium proxima videtur & literæ & Hebræo. Portæ frequenter usurpantur pro loco, ubi jus dicitur, atque authoritatem exercent Principes. Aquilæ: *In lanceis ejus*; quinta Editio, *in sicis eorum*.

Et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram. Ita claudit ea, quæ dixit ℣. 5. Ditionem nostram invasit Assur; at septem vel octo Principes adversus illum protulit Deus, qui illius Regnum occupavere. Ita nos Cambysis, sævissimi hostis, qui occupatis jam regionis nostræ agris excidium minitabatur, sævitiam vitavimus.

℣. 7. Erunt reliquiæ Jacob in medio populorum, quasi ros a Domino. Post regnum Darii Hystaspis filii, qui idem est Assuerus maritus Estheris, Judaica gens Deo charissima habita est. Pacem intra fines suos coluit, iique qui in Perside remanserunt, magno in honore & reliquis Imperii subditis habiti sunt, sub Mardochæi & Reginæ auspiciis.

Quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum; nulla hominum opera cadentes, quas Deus ipse quodammodo elaborat. Ita Judæi medias inter gentes perspicuo Omnipotentis patrocinio floruere. Septuaginta (27): *Quasi agni super herbam, ut congregatus sit nemo, neque subsistat in filiis*

(16) וישבו כי עתה יגדל עד אפסי ארץ *Et habitabunt*, &c. Ita Symmach. Hieron. hic, Jun. Pisc. Vat. Grot.
(17) Ephes. II. 14. *Ipse enim pax nostra*. (18) Isai. IX. 6. *Princeps pacis*. (19) Rom. XV. 33. *Deus pacis*. Vide & XVI. 20. 1. Cor. XIV. 33. 2. Cor. XIII. 11. Philipp. IV. 9. 1. Thessal. 5. 23. &c.
(20) Ammian. lib. 23. *Magos septem, ex antiquis libris, regnum iniisse refert*. Ita & Valer. Max. lib. 9. c. 2.
(21) Vide Herod. Ctesiam, Justin. &c. (22) Eccle. XI. 2. & Ruth IV. 15. 1. Reg. II. 5.
(23) אשור כי יבוא בארצנו וכי ידרך בארמנותינו והקמנו עליו שבעה רעים ושמנה נסיכי אדם (24) Septuag. Ἑπτὰ ποιμένες, καὶ ὀκτὼ δήγματα ἀνθρώπων. Sym. *Christos hominum*. Theodot. & V. Edit. *Principes hominum*. Aquila: *Graves*, vel *constitutos homines*, idest, καθεσταμένους. Hieron. hic. (25) Herodot. lib. 3. 89. Λέγουσι Πέρσαι, ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πατήρ. (26) 70. Καὶ τὴν γῆν τοῦ Νεβρὼδ ἐν τῇ τάφρῳ αὐτῆς. Heb. ואת ארץ נמרוד בפתחיה (27) Καὶ ὡς ἄρνες ἐπ' ἄγρωστιν, ὅπως μὴ συναχθῇ μηδεὶς, μηδὲ ὑποστῇ ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων. Heb. כרביבים עלי עשב אשר לא יקוה לאיש ולא ייחל לבני אדם

filiis hominum. Aquila & Symmachus cum Vulgata consentiunt.

℣. 8. QUASI LEO IN JUMENTIS SYLVARUM, inter feras. Describuntur his verbis Judæi inter Persas, qui, permittente Assuero, vindictam in hostes suos exercuere (28); vel iidem in patria, ducibus Macchabæis. Fractis Syriæ Regum viribus, formidabiles adeo inter finitimos effecti sunt, ut nemo illos aggredi auderet. Judas Macchabæus (29) *similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis.*

℣. 9. OMNES INIMICI TUI INTERIBUNT. Syriæ Reges, qui Judæorum Religionem impugnaverant, eosque Lege sua abducere conati fuerant, ut ad Gentium sacra traducerent, vario mortis genere perierunt. Horum sævitia populi fidem, virtutem, constantiam commendavit. Brevissimo nimirum temporis spatio evanuere Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes, Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Demetrius Nicanor, Alexander Bala, Antiochus Deus, Zebina, aliique, qui simul juncti vix annos sexaginta pluribus imperiis æquavere; turbata atque discissa externis & domesticis bellis Syria, Hebræorum res in dies confirmabantur, primaque Regni Asmonæorum, circa ea tempora orti, fundamenta posuere.

℣. 10. AUFERAM EQUOS TUOS DE MEDIO TUI. Id efficiam, ut equorum ope non egeas. Vel: Defensor tuus ipse futurus sum; superbiæ ac fiduciæ tuæ argumenta tibi auferam, pacemque tranquillissimam tibi largiar.

℣. 11. PERDAM CIVITATES TERRÆ TUÆ, arces evertam. Constantem adeo, certam, absolutamque pacem tibi pariam, ut urbes munire neglecturus sis.

AUFERAM MALEFICIA DE MANU TUA. Nullum deinceps divinationis, Magiæ, sortilegiorum, ac superstitionum exercitium sectaberis; nulla simulacra, nullos Deos lucosque profanis Numinibus sacros (℣. 12.). Describunt hæc Judæorum statum Babylone reversorum. At multo aptius Christianæ Ecclesiæ conveniunt, ubi nullus unquam Idolorum cultus, aut magna ea flagitia, quæ inter Judæos erant, publica authoritate probata vel dissimulata, obtinuerunt.

℣. 14. FACIAM ULTIONEM IN OMNIBUS GENTIBUS. Qui in Dei populum inique sævierunt, justissimam illius ultionem sensere. Babylon, Tyrus, Damascus, Ammon, Moab, Edom, Philisthini, Ægyptus, Syria; omnes hi minarum pondus experti sunt, quas Prophetæ ex Deo Israelis, justo iniquitatis judice, & infirmorum protectore, pronunciarunt.

(28) Esth. ix. (29) 1. Mach. iii. 4.

CAPUT VI.

Deus Israelem arguit. Quæ a populo postulat Deus. Minæ in impios, & eos qui fraudem in commercio exercent.

℣. 1. AUdite, quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adversum montes, & audiant colles vocem tuam. 2. Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia judicium Domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. 3. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. 4. Quia eduxi te de Terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te, & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam? 5. Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach rex Moab: & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini. 6. Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud? 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. 11. Numquid justificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa? 12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. 14. Tu comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui, & apprehendes, & non salvabis: & quos salvaveris, in gladium dabo. 15. Tu seminabis, & non metes; tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum. 16. Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.

℣. 1. Contende judicio adversus montes. Nova hic oratio adversus decem Tribus instituitur. Jubet Prophetam Deus Israelem in jus vocare coram montibus collibusque, ut is ingrati animi infidelitatis iniquitatisque atque impietatis damnetur. Adesse ibi debet Michæas, ceu Dei orator, sponte judicium subeuntis, ut probet, æquissime sese erga Israelem gessisse, populoque facilius persuadeat, ipsum causa uti iniquissima. Sunt (1) qui censeant, montium nomine Principes, Judices, ac Locupletes Israelis intelligi; id quod in Scriptura præter morem non est (2). At Hebræus (3), ipsaque orationis series satis docet, de veris montibus esse usurpandum (4). Principes Proceresque, non secus atque infimum vulgus arguit Deus; & utrosque ad montes provocat, veluti anima instructos, ac probe scientes, quid erga populum egerit Deus, quid erga Deum Israel, quippe qui a tam multis sæculis idipsum noverint. Passim in Sacris Libris (5) videtur Deus cum populo ceu cum pari agere, seque judicio sistere, ut causam suam adversus illum agat ac tueatur, ac deinde illum opportunius arguat & accuset.

℣. 2. Fortia fundamenta terræ. Montes, quorum radices veluti firmissima terræ fundamenta sunt. Vide Jonam II. 7. Septuaginta (6): *Valles, fundamenta terræ*. Symmachus ac Theodotion: *Antiqua fundamenta terræ*.

℣. 3. Quid feci tibi, aut quid molestus fui? Septuaginta: *Popule meus, quid feci tibi? aut quid contristavi te? aut in quo molestus fui tibi?* Major omni exspectatione est hæc Dei clementia, atque impios prorsus opprimit. Nimium deprimi non timet Deus, cum sublimia omnia infinito intervallo superet. Deprimi possunt homines, quippe quorum dignitas in aliorum mente solummodo sita est.

℣. 4. De domo servientium liberavi te. Te e servorum carcere eduxi. Si miseram mancipiorum conditionem inspexeris apud barbaros Algerii dominos, vel Tunetanos, & carceres quibus noctu illa clauduntur, facile intelliges, quam ingens beneficium sit, horrido servorum carcere, ac miserrima ea conditione liberari.

Misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, et Mariam. Censent Theodoretus (7), Chaldæus, aliique plures, uti Moyses virorum institutioni datus fuerat, ita Mariam fœminas edocuisse; quamobrem Mariam ita haberi posse, veluti legem fœminis Israeliticis tulerit.

℣. 5. Quid cogitaverit contra te Balac, ... et quid responderit Balaam, de Sethim, usque ad Galgalam. Balac Moabitarum Rex, veritus, ne Israelitæ suam ipsius ditionem occuparent, Ariolum Balaam misit, ut illos devoveret (8). At Deus Ariolum benedicere coegit, non devovere; quamobrem is invitus Dei Israelis gloriam commendavit, futurasque populi illius de hostibus victorias nunciavit. Castra tunc metabatur Israel in agro Moab, Sethim inter & Jordanem (9). Ibi Balac Hebræorum castra prospexit. Hæc tamen verba hoc loc negotium faciunt.

De Sethim usque ad Galgalam. *Sethim* in agro Moabitico jacet, ad orientem Jordanis. *Galgala* in Jerichuntis planitie, ad ejusdem Jordanis occasum. Dici igitur nequit Balac Israelitas inter Sethim & Galgala castrametatos prospexisse. Galgalam vero populus nonnisi uno amplius mense post venit. Tria tamen bis repono: 1. Propheta hic Israelitas arguit libidinis cum Moabiticis puellis exercitæ in campo Sethim arvisque Moabiticis, sitis inter Sethim ad ortum, & Galgalam ad occasum, trans amnem. Alia urbs nulla nofcitur a Scriptura inter Sethim & Galgalam; atque ipsa certe res ferebat, ut agri hujus amplitudo duobus hisce celeberrimis finibus, invicem oppositis, describeretur. 2. *Galgala* hic fortasse pro sublimibus Jordanis locis ejusve limitibus, Hebraice *Gelilotb Jordanis*, usurpatur; cujusmodi *Gelilotb* in utraque Jordanis ripa erant (10). Docent itineraria, geminos quodammodo alveos limitesque Jordani esse, alterum, intra quem æstate se continet; alterum, a priore remotum, quem is alluvionibus implet. Alterum fortasse hunc alveum nuncupabant Hebræi *Gelilotb Jordanis*; & perspicuum sane est, Israelis castra inter *Sethim* & hæc *Gelilotb* seu *Galgala* fuisse, (utraque enim vox ab una eademque radice oritur) quo tempore Balac & Balaam Israelitas, eo successu quem narrant Numeri, in libidinem impellere decreverunt. 3. Additis denique nonnullis voculis, elici potest hæc sententia: Mementote, quæ mala in vos molitus fuerit Balac, quidve illi responderit Balaam; *quæque ego vestri causa egerim* a Sethim ad Galgalam usque, quo prodigio aquas Jordanis coercuerim, ut liberum vobis aditum in Chananæidem facesem, meumque fœdus vobiscum ad Galgala instauraverim. His certe indiciis Dei sanctitatem nosse debuetas, *Ut cognosceres justitias Domini*, & certissimam illius fidem servandis iis, quæ Majoribus tuis promiserat; vel etiam, ut suæ erga te benevolentiæ indicia exhiberet; hoc enim interdum sensu justitia usurpatur (11), atque ita Symmachus hoc loco reddidit (12).

℣. 6. Quid dignum offeram Domino. Ita respondet populus. Nihil iis, quæ objecit Deus, reponit, nihil pro se affert: quid enim Deo tam luculenter acriterque arguenti respondeat? Septuaginta (13): *In quo apprehendam Dominum, suscipiam Deum meum excelsum?* quid illius beneficiis, quibus cumulatus sum, reddam? Hebræus (14): *In quo præveniam Dominum, curvabo me coram Deo altissimo?* Quo pacto mea illi munera & obsequia grata efficiam?

℣. 7. Aut in multis millibus hircorum pinguium? Hebræus (15): *In myriadibus torrentium olei*, supes ipsius altare fundendi, aut in lucernis cremandi.

Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? uti Moabitarum Rex (16), armis Regum Juda, Israelis, & Edom pressus; vel Jephte (17) qui Natam mactavit; vel denique ut Chananæi solebant, antequam ipsorum regio ab Israelitis occuparetur (18). In gravissimis rerum angustiis carissimum ex liberis mactabant Diis Phœnices. Sævissimi moris author Saturnus fuisse dicitur (19).

℣. 8. Facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Enim vero hæc sunt, quæ Dei Lex maxime præcipit, & quæ verum Israelitam efficiunt: at id carnales Ju-

(1) Cyrill. Albert. Haimo, Ribera, Vat. &c. (2) Psal. LXXI. 3. Isai. II. 11. Abac. III. 16. (3) ריב את ההרים ותשמענה הגבעות קולך : שמעו הרים את ריב יהוה (4) Septuag. Κρίθητι πρὸς τὰ ὄρη. Καὶ ἀκουσάτωσαν οἱ βουνοὶ φωνῆς σου. Ita & Theodoret. hic, & Chrysost. orat. v. de Provid. & Jun. Pisc. Grot. Druf. Munst. (5) Vide Isai. III. 13. v. 3. XLIII. 26. Jerem. II. 5. Osee IV. 1. XII. 3. (6) Septuag. Ἀκούσατε λαοὶ τὴν κρίσιν Κυρίου, καὶ φάραγγες, θεμέλια τῆς γῆς. Heb. שמעו הרים את ריב יהוה והאתנים מסדי Quinta Edit. *Robustæ fundamenta terræ*. Hieron. (7) Theodoret. hic: Οὐδὲ τὰς γυναῖκας τῆς προσηκούσης θεραπείας ἠμέλησας, ἀλλὰ ταύταις τὴν Μαριὰμ ἐπέστησα, καὶ προφήτιδα χαρίσματι ἐκόσμησα. Vide Sanct. Druf. alios. (8) Num. XXII. XXIII. XXIV. (9) Num. XXVI. *Morabatur eo tempore in Setim*. (10) Confer Josue XVIII. 17. & XXII. 10. 11. (11) Psal. XXIII. 5. & CXI. 9. (12) *Pro justitiis, sive justitias, misericordias interpretatus est Symmachus*. Hieron. (13) 70. Ἐν τίνι καταλάβω τὸν Κύριον, ἀντιλήψομαι Θεοῦ μου ὑψίστου. (14) במה אקדם יהוה אכף לאלהי מרום (15) ברבבות נחלי שמן 70. Ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων, Forte, Χειμάρρων. Torrentium. (16) 4. Reg. III. 27. (17) Judic. XI. (18) Levit. XX. 27. Deut. X. 12. (19) Vide Porphyr. de abstin. Euseb. præp. lib. 4. c. 16.

Judæi nunquam intellexere, quippe quod nobilius esset, quam ut humillimo illorum ingenio accommodaretur. Frustra idipsum docuere passim Legislator Moyses & Prophetæ (20); eo enim spreto, ad rudiora semper exercitia descendebant. Cruenta Sacrificia, locupletissima Templo munera, Propheticorum sepulcrorum cura, vestes ac frons inscriptæ multis suæ ergu Dei Legem Religionis indiciis, rituum molestissimorum exercicium, frequentium lotionum usus, minimarum etiam macularum horror, hæc erant in quibus sanctitatis suæ fastigium collocabant, spretis gravioribus officiis solidisque virtutibus.

SOLLICITUM AMBULARE. Hebræus (21): *Humilem ambulare*, submissum, modestum, obsequii plenum *coram Deo tuo*. Septuaginta (22): *Paratum esse ambulare cum Deo tuo*. Theodotion (23): *Cave diligenter ut ambules cum Deo tuo*.

℣. 9. VOX DOMINI AD CIVITATEM CLAMAT. ET SALUS ERIT TIMENTIBUS NOMEN TUUM. Vocem emittit Deus, atque omnes vocat; sed non omnes audiunt. At ii solummodo salutem consequentur, qui illum audierint, qui obtemperaverint, qui ipsius gratia bene usi fuerint, qui vitam ac mores ad illius voluntatem formaverint. Hebræus (24): *Vox Domini ad civitatem clamat: & sapientia* [sapiens homo.] *videbit nomen tuum*, præ se feret, verebitur. Chaldeus: *Voce Prophetæ Domini ad civitatem clamant, & Doctores timent nomen Domini*. Syrus: *Vox Domini super urbem doctrinam prædicat reverentibus nomen ejus*. Vocem tollit Deus, ut in civitate audiatur: qui illius nomen veritus fuerit, sapiens erit.

AUDITE, TRIBUS, ET QUIS APPROBABIT ILLUD? quis submisso animo excipiet? Clamat Deus: Audite, Tribus: at quis docilem attentumque animum præbet? Hebræus (25): *Audite, Tribus: & quis intelligit?* Septuaginta (26): *Audi, Tribus, & quis ornabit civitatem?* Reddunt alii: *Audite virgam, & eum qui nunciat illam*, qui ea minitatur. Syrus: *Audi, Tribus, eum qui contestatur*. Aliter: *Audite, Tribus: & quis ad cœtum convenit, ut audiat?*

℣. 10. MENSURA MINOR IRÆ PLENA. Servat impius apud se mensuram minorem, quæ Divini furoris vas illi futura est. Proferet aliquando iram suam Deus, veluti ex imo hujus vasis. Hebræus (27): *Epha minus, abominabile*. Epha mensuræ genus est, continens pintas novem & viginti, dimidium pintæ, hemisextarium, acetabulum, & aliquanto amplius. Epha pro qualibet generatim mensura usurpatur. Adulterina pondera & mensuras arguit passim Scriptura (28).

℣. 11. NUMQUID JUSTIFICABO SACCELLI PONDERA DOLOSA? Hebræus (29): *Justificabo sacculi lapides dolosos?* lapides nimirum, quibus utebantur, ut argentum ad pondus darent acciperentque; nullus enim tunc erat cusi numismatis usus, & unusquisque, præsertim mercatores, apud se gerebat pondera seu lapides & stateram, quibus aurum argentumve rude ad pondus expenderent.

℣. 14. HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI (30); probro obrueris; vel, ærumnas & probrum, quibus in ipsis sedibus tuis cumulaberis, ipse spectabis. Septuaginta (31): *Deseram te tibi ipsi*.

APPREHENDES, ET NON SALVABIS. Filios servatura amplecteris, at non servabis. Vel (32) *Congregabis* fructus aliquot, at *non servabis*: hostis enim rapiet. Sive (33): *Tanges* uxorem tuam, & filii non nascentur. Concipiet uxor, non pariet.

℣. 16. CUSTODISTI PRÆCEPTA AMRI, ET OMNE OPUS DOMUS ACHAB. Amri Israelis Rex, & Achabi pater ex pessimis Israelitarum Regibus fuit. Majores impietate ab eo superatos, tradit Scriptura (34). Impii Jeroboami, qui Israelem in scelus traxit, instituta servavit. Major his addidit Achab, qui, aureis vitulis, cæterisque superstitionibus hactenus in Israele servatis probatisque minime contentus, Baalis & Astaroth, Phœniciorum Numinum, impietatem in Israelem invexit, ut uxori suæ Jezabeli, Tyrii Regis filiæ, morem gereret (35). His nimirum dominis Judæi, spretis Dei sanctionibus Legibusque, religiose obtemperabant. Hæc illi exempla sequebantur. Septuaginta (36): *Delebuntur legitima populi mei, & omnia opera domus Achab*.

OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS (37); quod populo meo, ingrato, impio, refractario, minitatus sum. Vel refer ad locupletes, de quibus supra: Locupletes avari & iniqui, universum populi mei dedecus in vos cadet; ærumnarum, quibus ille affligitur, causa & origo habebimini. Septuaginta (38): *Et opprobria populorum accipietis*.

---

(20) Deut. x. 12. 13. Psal. xl. 9. . . . 14. 15. Isai. i. 11. 12. (21) והצנע לכת עם אלהיך
(22) Septuag. Ἕτοιμον εἶναι τοῦ πορεύεσθαι μετὰ τοῦ Θεοῦ σου. (23) Καὶ ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Ἐλωΐχ. Quinta Edit. Φροντίζων. (24) קול יהוה לעיר יקרא ותושיה יראה שמך Septuag. Φωνὴ Κυρίου πόλει ἐπικληθήσεται, καὶ σώσει φοβουμένους τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Legunt תושיה יראי שמך (25) שמעו מטה ומי יעדה
(26) Ἄκουε, φυλή, καὶ τίς κοσμήσει πόλιν. (27) ואיפת רזון זעומה 70. Καὶ μετὰ ὕβρεως ἀδικία.
(28) Deut. xxv. 13. Amos viii. 5. Prov. xx. 10. (29) האזכה בכיס אבני מרמה (30) ישחך בקרבך
(31) Ἀποβαλῶ σε εἰς σεαυτόν. (32) תסג ולא תפליט (33) Pagn. Vatab. Grot. Munst. Cast. Kimchi, Abenezra. (34) 3. Reg. xvi. 25. *Fecit Amri malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum.* (35) Ibid. ℣. 30. *Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum . . . & servivit Baal, & adoravit eum*, &c.
(36) Septuag. Καὶ ἀφανισθήσεται νόμιμα λαοῦ μου, καὶ πάντα τὰ ἔργα οἴκου Ἀχαάβ. Legunt עמי *Ammi populus meus*, pro עמרי *Amri*. (37) וחרפת עמי תשאו (38) Καὶ ὀνείδη λαῶν λήψεσθε.

CAPUT VII.

Modicus Justorum numerus. Fiducia in uno Deo collocanda est. Populus e captivitate redux. Dedecus hostium Israelis. Expleta divinarum promissionum fides.

℣. 1. VÆ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. 2. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. 3. Malum manuum suarum dicunt bonum, princeps postulat, & judex in reddendo est: & magnus locutus est desside-

ſiderium animæ ſuæ, & conturbaverunt eam. 4. Qui optimus in eis eſt, quaſi pa-
liurus, & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe. Dies ſpeculationis tuæ, viſitatio ſua ve-
nit: nunc erit vaſtitas eorum. 5. Nolite credere amico, & nolite confidere in du-
ce: ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. 6. Quia filius contu-
meliam facit patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum
ſuam: & inimici hominis domeſtici ejus. 7. Ego autem ad Dominum aſpiciam: ex-
pectabo Deum ſalvatorem meum: audiet me Deus meus: 8. Ne læteris inimica
mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea
eſt. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet,
& faciat judicium meum: ducet me in lucem, videbo juſtitiam ejus. 10. Et aſpi-
ciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me: Ubi eſt Dominus Deus
tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.
11. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longe fiet lex. 12. In die illa,
& uſque ad te veniet de Aſſur, & uſque ad civitates munitas, & a civitatibus mu-
nitis uſque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte. 13. Et ter-
ra erit in deſolationem propter habitatores ſuos, & propter fructum cogitationum eo-
rum. 14. Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes
ſolos in ſaltu, in medio Carmeli: paſcentur Baſan, & Galaad, juxta dies antiquos.
15. Secundum dies egreſſionis tuæ de terra Ægypti oſtendam ei mirabilia. 16. Vi-
debunt gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua: ponent manum ſuper os,
aures eorum ſurdæ erunt. 17. Lingent pulverem ſicut ſerpentes, velut reptilia ter-
ræ perturbabuntur in ædibus ſuis: Dominum Deum noſtrum formidabunt, & time-
bunt te. 18. Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum re-
liquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem ſuum, quoniam volens miſe-
ricordiam eſt. 19. Revertetur, & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, &
projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. 20. Dabis veritatem Jacob,
miſericordiam Abraham: quæ juraſti patribus noſtris a diebus antiquis.

℣. 1. SICUT QUI COLLIGIT IN AUTUMNO RACEMOS VINDEMIÆ: NON EST BOTRUS AD COMEDENDUM. PRÆCOQUAS FICUS DESIDERAVIT ANIMA MEA. Pergit Capitis ſuperioris oratio. Ut parvum juſtorum numerum in Iſraele ſuperſtitum ſignificet, quibus Divina manus, ejuſque in populum furor cohiberi poterat, illos ſeſe quærere ait Propheta quam maxima ſollicitudine poteſt, at nullum penitus invenire. Omnes Iſraelis angulos timor, hominis inſtar, qui ſiti æſtuans, in vineam ingreditur poſt vindemiam, ut uva ſitim levet: at vitibus omnino ſpoliatis, ne unum quidem botrum reperit. Similis eſt quærenti primas ficus vere (1), ficus præcoquas, quæ cæteras neque ſpecie nec magnitudine æquant (2); at ne unam quidem videt.

Hebraica vox *Biccorah* (3) pro iis ficubus uſurpatur, quæ poſt autumnum natæ, atque ab hyemis frigore interceptæ, non maturescunt; at hyemis rigori ſuperſtites, quemadmodum in calidis regionibus uſu venit, vere maturescunt, quo tempore cæteræ ficus vix florent; eæque avidiſſime quæruntur. Frequens illarum eſt apud Prophetas mentio. Ita: Samariæ gloria & felicitas ſimilis præcoquæ ficui eſt, quæ ſtatim viſa carpitur, carptaque voratur (4): *Quod cum aſpexerit videns, ſtatim ac manu tenuerit, devorabit illud*. Iſraelem in deſerto ceu ficum præcoquam inveni, ait Oſee ix. 10. *Quaſi prima poma ficulneæ*. Ficus eximias ſignificans Jeremias (5), eſſe ſcribit *ficus bonas nimis, ut ſolent eſſe ficus primi temporis*. Præcoquas haſce ficus quæſiviſſe videtur Chriſtus in ficulnea, quam prope Ieroſolymam devovit, Matth. xxi. 19. Teſtatur S. Marcus xi. 13. *tunc non fuiſſe tempus ficorum*; ordinarium ſcilicet cæterarum ficuum tempus, ſed præcoquæ non deerant; ſi enim nullæ ficus tunc temporis maturæ eſſe poterant, nulla naſcebatur cauſa, cur id ageret Chriſtus, quo hunc Michææ locum ſpectare videbatur. Prophetæ oratio, & res a Chriſto geſtæ ſimillimæ inter ſe ſunt, ejuſdemque propoſiti.

Hebræus (6): *Heu mihi, quia factus ſum tamquam colligentes fructus æſtivos, ſicut vindemiatrices. Non eſt botrus ad comedendum: ficum non maturam deſideravit anima mea*. Similem ſeſe dicit homini fructus legenti & vindemiatori, queriturque, ſe neque fructum in arbore, neque in vite racemum invenire. Adeſt jam legendorum fructuum tempus ac vindemiæ: arbores viteſque fructu carent. Meſſem mox acturus eſt Deus; Samaria fructum non habet. Septuaginta (7): *Heu mihi quia factus ſum ſicut colligens ſtipulam in meſſe, & racemos in vindemia. Non ſunt ex botris ad comedendum primitiæ? Heu, anima!*

℣. 2. PERIIT SANCTUS DE TERRA, ET RECTUS IN HOMINIBUS NON EST. Late adeo bacchantur flagitia, ut nulla jam ſanctitas aut æquitas ſuperſit. His plerumque locutionibus utuntur Prophetæ, ut rariſſimos in Iſraele pios eſſe ſignificent. At non ita certe rari erant, ut nemo unus relinqueretur. Hebræus (8): *Periit pius, miſericors, beneficus in terra*. Vocabulum *Chaſid*, quo hic Propheta utitur, uſitatiſſimus erat apud illius ætatis Judæos, ut pium hominem ſignificarent; ex quo *Aſſidæorum* appellatio apud Macchabæos (9).

℣. 3. MALUM MANUUM SUARUM DICUNT BONUM. PRIN-

[1] Hieronym. hic, Remig. Albert. Haimo. [2] Vide, ſi placet, Hieron. hic. Nyſſen. orat. 3. in Cant. Ambroſ. in Luc. lib. 7. cap. 1. [3] בכורה Vide Plin. lib. xv. cap. 18. [4] Iſai. xxviii. 4. [5] Jerem. xxiv. 2. כתאני הבכורות [6] אללי לי כי הייתי כאספי קיץ כעללת בציר: אין אשכול לאכל: בכורה אותה נפשי .. [7] Οἴμοι, ὅτι ἐγενήθην ὡς συνάγων καλάμην ἐν ἀμήτῳ, καὶ ὡς ἐπιφυλλίδα ἐν τρυγήτῳ, οὐχ ὑπάρχοντος βότρυος τοῦ φαγεῖν πρωτόγονα. οἴμοι ψυχή. [8] אבד חסיד מן הארץ Septuag. Ἀπόλωλεν ὁ εὐλαβής. [9] 1. Macch. 11. 42. vii. 13. & 2. Macch. xiv. 6.

PRINCEPS POSTULAT, ET JUDEX IN REDDENDO EST, judex reddit. In ipsis male gestis probari volunt. Iniquissime postulat Princeps; consentit Judex. Vel: Munera sponte delata non expectat Princeps: ipse postulat exigitque; Judex junctis studiis sævitiæ illius favet. Hebræus aliter explicatur (10). Accipe totum versiculum: *Adversus eos qui malefaciunt* vexantque (ad verbum, adversus malum manuum) *ad benefaciendum postulat Princeps; & Judex remuneratur* malum. Chaldæus: *Mala operantur manibus suis, & non benefaciunt: Princeps postulat, & Judex dicit: Fac pro me, & retribuam tibi*. Septuaginta (11): *In malum manus suas præparant. Princeps postulat, & judex verba pacifica loquutus est*. Judex Procerum flagitia & iniquitatem dissimulat, patitur, & arguere non audet. Syrus: *Manus eorum promptæ sunt ad malum, nec benefaciunt. Præfectus postulat, dicens: Affer: Judex dicit: Da munus*.

MAGNUS LOCUTUS EST DESIDERIUM ANIMÆ SUÆ, ET CONTURBAVERUNT EAM? Quis tam constans erit, ut repugnet? Hebræus (12): *Magnus loquitur desiderium* (13) *animæ suæ, & corroborant illam*. Certatim adulantur homines, ac desiderium quamvis iniquissimum probant. Vel: Animi sui nequitiam & corruptionem ostendit Princeps, eoque confirmatur.

℣. 4. QUI OPTIMUS IN EIS EST, QUASI PALIURUS, pauperem non protegit, non tuetur, non levat, sed pungit & cruciat. Spinis horret ceu paliurus. Inutile lignum est paliurus, nihil ferens, atque igni tantummodo aptum. Ajunt, Hebraica voce *Chedek* (14) proprie spinosam quamdam arbusculam significari, nomine *Pyxacantham*, seu *Lycium*. Septuaginta: *Ceu vermis erodens*.

DIES SPECULATIONIS TUÆ, VISITATIO TUA VENIT. Deus ipse adest, ut vos visitet, puniat, rationes exigat. Reddi potest (15): *Dies speculatorum tuorum, visitationis tuæ*. Adest jam, ut severissimum jus exerceat in te, Principes tuos, Magistratus, fallos Prophetas, quorum erat saluti tuæ prospicere, atque hoc ipsum gravissimum munus penitus neglexere.

TUNC ERIT VASTITAS EORUM; hinc vastabimini. Hebræus (16): *Nunc erit confusio eorum*, obsidio, circumvallatio (17). Septuaginta (18): *Nunc erunt planctus eorum*.

℣. 5. AB EA QUÆ DORMIT IN SINU TUO, CUSTODI CLAUSTRA ORIS TUI. Ingens adeo erit discrimen, extremaque calamitas, ut neque pater filio, neque uxori vir opem ferre queat (19). Adeo dubia vel inter charissimos erit fides, ut ne vir quidem uxori credat. Ita etiam vaticinatur Jeremias 9. 4. extremas Judæorum ærumnas sub Nabuchodonosore futuras prædicens. Et Capite XLVII. 3. de Philisthinis agens, idem ferme futurum pollicetur. Hunc Michææ locum spectat Christus, ubi de iis agens, quæ ex Evangelii prædicatione oritura erant, ait (20): *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus*. Quibus verbis duplex subesse potest sententia; vel scilicet bella & odia ex religione oritura, quibus homines inter se sanguine conjunctissimi committentur, falso religionis studio; quæ quidem sententia cum hoc loco maxime congruere videtur (21): vel religionem, quam Christus instituit, asseclis imperare, ut quidquid saluti nocet, abjiciant; filius a Patre, vir ab uxore discedant, si uterque vel saluti opponatur, vel iis quæ præcipit Deus; atque hæc explicatio ad mores potius atque animi sanctitatem, quam ad literalem loci sententiam pertinet. Samariæ excidio bella & domesticæ seditiones præcessere (22).

℣. 8. NE LÆTERIS, INIMICA MEA, SUPER ME. Babylon, cæteræque urbes inimicæ, exitio meo ne lætemini. Restituar ego vestrumque vos fatum manet. Ita loquitur Samaria.

CUM SEDERO IN TENEBRIS, DOMINUS LUX MEA EST. Me in captivitate, ac durissimis in ærumnis non destituet Deus: obscurissima nocte obsitam is me lucis instar illustrabit. Nox passim pro captivitate, rerum angustiis, vastitate usurpatur (23). His me tenebris eripiet Deus, ejusque justitiam intuebor: [℣. 9.] *Educet me in lucem, videbo justitiam ejus*. E captivitate revertar, ac Dei mei justitia in hostes meos emicabit. Vel justitia pro clementia usurpata: Iterum justitiæ suæ pondus in me convertet. Vide supra VI. 5.

℣. 10. NUNC ERIT IN CONCULCATIONEM UT LUTUM PLATEARUM. Capietur ab hoste Babylon, & superbe despicietur. Vaticinia in Babylonem edita in ipsa illius per Cyrum expugnatione expleta esse creduntur. Certe in illam sævierunt Persæ, ac publica ædificia plurima everterunt: diu tamen postea urbs stetit. Tota Propheticarum minarum fides nonnisi variis temporibus atque intervallis completa est.

℣. 11. DIES, UT ÆDIFICENTUR MACERIÆ TUÆ: IN DIE ILLA LONGE FIET LEX. Ruinas tuas iterum restitutas intueberis, Jerosolyma; hostium jugo liberaberis (24). Confer hæc verba, totumque hoc vaticinium cum primo Aggæi Capite. Jerosolymæ restaurationem prædicit hic Michæas; idque Dei nomine præcipit.

℣. 12. IN DIE ILLA USQUE AD TE VENIET DE ASSUR, ET USQUE AD CIVITATES MUNITAS. Reddi potest Hebræus (25): *Et ad te venietur ab Assur usque ad Ægyptum, & ab ipsa Ægypto usque ad flumen* Euphratem, *& a mari ad mare, & a monte ad montem*. Hæc versio aptam satis sententiam facit; at quæ sint cæterarum versionum urbes munitæ, non satis videtur. Reversuri erant e captivitate Judæi, veteresque sedes occupaturi, ab Assyria usque ad Ægyptum: scilicet ab Euphrate usque ad Nilum, & a Nilo usque ad Euphratem; a Mediterraneo mari ad Oceanum (26), & a Libano ad Arabiæ petrææ montes. Vaticinium hoc penitus expletum est post reditum e captivitate, præsertim post regnum Asmonæorum. Locupletissima erat gens Judaica & Regno amplissima, quo tempore Christus sub Magni Herodis Regno inter homines prodiit.

℣. 13. ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM. Malo per tempus præteritum reddere (27): *Et fuit terra desolationi ob incolarum* iniquitatem. Severissime in illam animadvertisti, o Deus, ut illius flagitia punires: at denique misericordiæ tuæ memento, populumque non uti furoris tui argumentum, sed uti tuum inspice. (℣. 14.) *Pasce populum tuum, in virga tua gregem hæreditatis tuæ*. Vel, ex iis quæ diximus ℣. 11. Cum populus Babylone reversus majores ædibus suis domibusque restituendis, quam Templo Domini, curas contulisset, variis ærumnis affectus est, sterilitate, fame. Vide Aggæum I. 10. 11.

℣. 14. PASCE GREGEM HÆREDITATIS TUÆ, HABITAN-

[10] על הרע כפים להיטיב השר שאל והשפט בשלום [11] Septuag. Ἐπὶ τὸ κακὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἑτοιμάζουσι. Ὁ ἄρχων αἰτεῖ, καὶ ὁ κριτὴς εἰρηνικοὺς λόγους ἐλάλησε. [12] והגדול דבר הות נפשו הוא ויעבתוה [13] Usurpatur הות pro תאות cum Septuaginta, Vulgata, & Chaldæo. [14] חדק Chedek. Septuag. Ὡς σὴς ἐκτρώγων. [15] יום מצפיך פקדתך [16] עתה מבוכתם [17] Hieron. hic: Magis πολιορκίαν, καὶ φραγμὸν, quam vastitatem in Hebræo sonat. [18] Νῦν ἔσονται κλαυθμοὶ αὐτῶν. [19] Deut. XIII. 6. XXVIII. 54. 2. Reg. XII. 5. 8. Eccli. IX. 1. [20] Matt. X. 35. Luc. XII. 51. [21] Vide Luc. XXI. 16. & Joan. XVI. 2. [22] Vide totum Caput XV. quarti Regum Libri, & Isai. IX. 19. [23] Isai. XVI. 3. XXVI. 9. Amos V. 8. & passim. [24] יום ההוא ירחק חק Theodot. & Symm. Ἐν ταύτῃ ἐκφράγματι. Septuag. Ἀποτρίψεται νόμιμα. Hieron. [25] ועדיך יבוא למני אשור ועדי מצור ולמני מצור ועד נהר וים מים והר ההר [26] Vide Amos VIII. 12. [27] והיתה הארץ לשממה על ישביה

BITANTES SOLOS IN SALTU, IN MEDIO CARMELI. Solum habitare, duplici sensu usurpatur. Significat interdum destitutionem, tristem statum ac miserrimum, solitudinem, exilium a patria, amicis & propinquis (28); interdum vero securum esse, aullius egere, sibi sufficere. Ita Balaam de Israelitis agens (29), ait: *Populus solus habitabit*. Tum de civibus Lais tradit Scriptura (30): *Securum & quietum... atque a cunctis hominibus separatum*. Osee superbiam & fiduciam Euphraimi describens (31): *Onager solitarius sibi Ephraim*. Hic porro grex *habitans solus in salta, in medio Carmeli*, sunt Israelitæ e captivitate reversi. Hostium servitute liberi, sibi sufficientes, absque alterius ope, libere & sine metu in regione sua, atque in uberrimis Carmeli agris vescuntur. Orat Deum Propheta, ut gregem hunc ne deserat, ipsumque, uti olim, ceu pastor agat. Respondet Deus futurum, ut idem grex in Basanitide & Galaadite pascatur, quemadmodum olim consueverat; Israelitæ scilicet regionem trans Jordanem possideant, monresque Galaaditidos, & quæ cis amnem sunt, uti ante captivitatem obtinuerant.

℣. 15. SECUNDUM DIES EGRESSIONIS TUÆ DE TERRA ÆGYPTI, OSTENDAM EI MIRABILIA. Cum animum gererent Prophetæ plenum dignitate Messiæ, cujus figura erat reditus e captivitate Babylonica, nihil satis esse putabant, ut hujus majestatem nobilitatemque commendarent. At ubi horum verba explicas, cave ae ea, quæ ipsi de Babylonico reditu usurpant, ex mero verborum sonu intelligas. Hujus reditus descriptionem apud Esdram habemus, ubi nihil adeo insolitum legitur. Ad Christum igitur & Christianam religionem referenda fuat ea, quæ Isaias (32), Micheas & Zacharias (33) de prodigiis eam ubertatem comitantibus cecinere.

℣. 16. PONENT MANUM SUPER OS, AURES EORUM SURDÆ ERUNT. Spectaculi novitate, tantorumque prodigiorum aspectu adeo afficientur, ut stupeant, nullasque voces concipere queant (34), & aures cæteris clausas gerant. Similes surdis erunt, quos nullus fragor ab iis, quæ attente inspiciunt, removet.

℣. 17. LINGENT PULVEREM SICUT SERPENTES. Hoc Deus in anguem pronunciavit Gen. 3. 14. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Eo adigendi erant Judæorum hostes, ut coram ipsis ore humi strato jacerent, & pulverem ab iis calcatum oscularentur. *Vultu in terram demisso adorabunt te*, inquit Isaias (35), de Judæorum felicitate agens, e captivitate reversorum, & *pulverem pedum tuorum lingent*. Vel: Terram rabie & furore mordebunt, ubi hostium suorum prosperas res viderint, seseque pedibus Judæorum calcari seseriot, quos hactenus contempserant. Virg. Æneid. xi.

Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Hyperbolicæ tropicæque locutiones, quarum fides expleta quærenda est (*) in Ethaicis Ecclesiam ingressis, atque ore humi entam Apostolis strato baptismi & impositionis manuum gratiam postulantibus.

℣. 18. NON IMMITTET ULTRA FUROREM SUUM. Præteritorum criminum obliviscetur, & flagitiorum a Jacobo ante captivitatem patratorum non reminiscetur: at in nova scelera illum impune labi non feret. Novimus qua severitate in Israelem animadverterit, beneficiorum suorum contemptus, & Messiæ necis reum. Recens adhuc vulnus est & semper erit. Septuaginta (36): *Non tenuit in testimonium iram suam*, scilicet ut testis sit judiciorum suorum æquitatis. Reddi Hebræus potest: *Non retinebit perpetuo iram suam*.

℣. 19. DEPONET INIQUITATES NOSTRAS. Hebræus ad verbum (37): *Subjiciet* pedibus *iniquitates nostras, & projiciet in profunda maris omnia peccata nostra*. Veluti omnem illorum memoriam abjecturus.

℣. 20. DABIS VERITATEM JACOB. Ea explebis, quæ Jacob pollicitus es; datam fidem sancte liberabis.

[28] Jerem. xv. 17. il. 31. Isai. ii. 21. [29] Num. xxiii. 9. הן עם לבדד ישכן
[30] Judic. xviii. 7. [31] Osee viii. 9. [32] Isai. ii. 15. xlii. 16. 17. 18. 19.
[33] Zach. x. 11. [34] Job xxi. 5. xxix. 9. xl. 4. Eccli. v. 14. [35] Isai. il. 23. Vide & Psal. xxxi. 9. Thren. iii. 29. [*] Ita Patres. Vide Theodoret. Dionys. Lyr. Vatab. Ribes. Sanct. num. 67.
[36] Οὐ συνέσχεν εἰς μαρτύριον τὴν ὀργὴν αὐτοῦ. Hebr. לא החזיק לעד אפו Sym. *In æternum*. Theodot. *In finem*. Septuag. & quinta Edit. *In testimonium*. [37] יכבש עונותינו ותשליך במצלות ים כל חטאותם

FINIS COMMENTARII IN MICHÆAM.

IN NAHUM

PROLEGOMENON.



QUÆ ad vitam resque a Nahum gestas pertinent, æque omnia latent. Unum hoc tradit Scriptura (1), illum ex Elcesai originem duxisse; quamquam de nomine quidem, non de re etiam constat. Sunt enim, qui ortum in Begabor, & patrem habuisse *Elkesai* (2) contendant. Verum S. Hieronymus & Interpretum plerique natum in Elcesai vico Galilææ, cujus vestigia ætate viri sancti supererant, maluerunt. Hic locus, cum nusquam alibi in Sacra Scriptura, nec apud Josephum legatur, situm habet incertum; nec magis constat de Begabor. Alii (3) constituunt ad Emmaus, duabus vel tribus leucis a Jerosolyma, ubi olim sepulcrum Nahum in vico Betogabræ, hodie Giblin, juxta Emmaus, monstrabatur. Verum Pseudo-Epiphanius in Vitis Prophetarum Begabaram trans Jordanem rejicit; ex quo facile colligas, indicasse illum *Bethabaram*, in eadem regione satis proxime amnem sitam (4). Interdum litera *hain* pronunciatur, ut G; ita e Bethabara factum est *Bethgabara*. Sed negocium facit idem Author, e Tribu Simeonis virum accersens; Bethabara enim nimis longe a regione ejusdem Tribus distabat; nec Elcesai minus aberat. Verum qui natum in Elcesai Prophetam constituunt, nihil de Tribu tradunt. Chaldæus pro Elcesai habet *Beth-kesi*, & Targum *Beth-kosi*. Nihilo tamen ex ea re doctiores efficimur; cum æque omnia loca ista lateant. Ferunt in pace diem clausisse, in Begabara patria sua sepulturæ mandatum.

Totus hujus Prophetæ Liber, in tria capita distributus, perpetuam orationis seriem de eversione Ninive continet. Ita vero loquitur, quasi data opera Niniven ad oraculum suum alte prædicandum sese contulisset. Stylo utitur vivido, sublimi, acri, pathetico, ut res spectaculo futuras Lectori veluti pingat; variato non semel vividis identidem igniculis argumento. Vix credo similes ingenii igniculos apud Profanos, aut æqualem in descriptionibus sive magnificentiam sive pompam occurrere. Quo tempore Prophetam egerit, non satis inter Scriptores convenit. Captivitatem Ninives centum & quindecim ante eventum annis prædixisse illum, Josephus Historicus Antiqu. l. 9. c. 11. testatur; quo ad Regnum Achaz Regis Juda deducimur: quamquam ipse vetustiorem etiam, nempe sub Joathano, constituit. Judæi (5) sub Manasse malunt. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. inter Danielem & Ezechielem, premente scilicet captivitate; nos cum S. Hieronymo, eversionem Ninives sub Ezechia, post expeditionem Sennacheribi in Ægyptum & Judæam, vaticinatum constituimus. Non obscure captam *No-Ammon*, Urbem Ægypti, cap. 3. 8. exprimit, quam a Sennacheribo ante bellum in Ezechiam expugnatam scimus. Minas pariter temerarias Rabsacis (6), & violentum Sennacheribi consilium, atque exactam de illo ultionem (7) veluti res jam præteritas commemorat. Innuit etiam dispersionem & captivitatem Israelitarum (8). De Juda sic agit, quasi in regione sua versans, stata per annum solemnia celebraret (9). His omnibus inducimur ad constituendum Virum post annum xv. Ezechiæ. Ninives captivitatem ab eo prædictam, alteram plane fuisse oportet a prima sub Sardanapalo (10) diu ante Sennacheribum. Altera proinde designanda erit sub Nabopolassaro, patre Nabuchodonosoris Magni, & sub Astyage avo Cyri, quæ componitur cum anno Per. Jul. 4088. & A. M. juxta Usserium 3378. nempe cum anno xvi. Josiæ Regis Juda, in quem, Ninives eversionem S. Hieronymus Præf. in Jonam consignat. Hanc urbem Tobias (11) captam a Nabuchodonosore & Assuero dicit, Nabuchodonosorem pro Nabopolassaro, Assuerum pro Astyage usurpans.

Plura hujus obsidionis & animadversione digna ex Nahum discimus; nimirum captam Urbem ex inundantium aquarum eruptione (12), claustris, pontibus, sive aggeribus disjectis; mœnibus insuper lateritiis eam Urbem vallatam fuisse. Post extremum illud excidium, ea Urbs perpetuo jacuit; & Assyriorum Imperium inter Chaldæos & Medos divisum concidit.

---

(1) Nahum I. 1. (2) Quidam apud Hieron. Pseudo-Epiphan. (3) Vide Quaresm. t. 1. pag. 306. (4) Vide Hieron. in loc. Pseudo-Isid. Vit. Proph. appellat *Bethasarim*, seu *Bethabarim*; & Chronicon Paschale *Bethabaram*. (5) Seder-Olam, & Grot. hic, Var. Mont. Sixtus Sen. Genebr. (6) Nahum II. 13. (7) Nahum II. 11. & I. 9. 11. 13. 15. (8) Nahum II. 2. (9) Nahum I. 15. (10) An. Per. Jul. 3966. (11) Cap. XIV. in Græco, ℣. 16. (12) Nahum II. 6. 8. & I. 8.

COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN NAHUM.

CAPUT PRIMUM.

Vaticinium in Niniven. Vindex, patiens & misericors Deus homines in se sperantes tuetur; sese spernentes punit.

℣. 1. ONus Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi: 2. Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, & habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. 3. Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem: Dominus in tempestate, & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus. 4. Increpans mare, & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus, & flos Libani elanguit. 5. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra a facie ejus, & orbis, & omnes habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? indignatio effusa est ut ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo. 7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. 8. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus: & inimicos ejus persequentur tenebræ. 9. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet, non consurget duplex tribulatio. 10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena. 11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans prævaricationem. 12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures; sic quoque attondentur, & pertransibit: afflixi te, & non affligam te ultra. 13. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, & vincula tua disrumpam. 14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra, Juda, festivitates tuas, & redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial; universus interiit.

℣. 1. ONUS NINIVE (1): vaticinium in Niniven. Hoc nomine tristia & minacia vaticinia nuncupant Prophetæ. Septuaginta (2): *Assumptio Ninive*; scilicet, authore Theodoreto (3), elevatio mentis Prophetæ, Ninives excidium spectantis. Hujus urbis historiam fuse prosecuti sumus in Jonam. Toto Nahum Libro versari credimus expugnationem Ninives per Astyagem & Nabopolassarum, magni Nabuchodonosoris patrem. Contigit hæc circa annum Periodi Julianæ 4088. Mundi 3378. ex Usserio. Satis probabile est, Nahum hæc pronunciantem in urbe Ninive fuisse; illi præsens enim loquitur (4); vel scilicet eo data opera se contulerit, uti Jonas; vel eo translatus sit una cum captivis cæteris, veluti Tobias aliique, a Salmanasaro; quippe in *Elcesai* Galilææ urbe natus, ad Samariæ regnum pertinebat, cujus veluti penitus eversi meminit cap. XI. 2.

℣. 2. DEUS ÆMULATOR, ULCISCENS DOMINUS. Versiculus hic, & qui sequuntur usque ad 8. procemium sunt, aliis simile, quæ apud Prophetas leguntur, quo lectoris mens paratur, & obsequio ac formidine impletur.

℣. 3. MUNDANS NON FACIET INNOCENTEM (5); scelus impune non derelinquet. Hebraicam hujus loci locutionem S. Hieronymus in Exodo 34. 7. reddidit: *Nullus apud te per se innocens est*. Si uteris severitate, nemo effugiet. Plurima unusquisque peccat, & supremi Judicis misericordia eget. Ludovicus de Dieu in Exod. 24. 7. aliter explicat: *Evacuando non evacuabit, visitans peccata*; idest, cum populum suum punit, non prorsus succidit: fines vindictæ ponet. Hæc maxime cum superioribus congruunt: *Dominus patiens & magnus fortitudine, non prorsus destruet*. Eadem phrasi bis utitur Jeremias, ubi nonnisi hoc sensu explicari potest (6): *Tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem in cunctis gentibus*,

(1) משא נינוה (2) Λῆμμα Νινευΐ. Aqu. Ἄρμα, Currus. (3) Λῆμμα περιεχόμενον τῆς διανοίας τὴν λῆψιν, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων μετάθεσιν. (4) Cap. 1. 9. tertisque Capitibus II. & III.
(5) ונקה לא ינקה (6) Jerem. XXX. 11. & XLVI. 28. ונקה לא אנקך

in quibus dispersi te : te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio. Conatus placare Deum Moyses, populi seditione irritatum, ajebat Num. 14. 18. *Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, & peccatorem non penitus evertens* (7), *qui visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. Æquissima omnium videtur hæc explicatio. Septuaginta (8): *Innoxium non faciet innocentem*. Qui maxime innoxius videtur, coram illo culpa non vacat. Animadversionis causas in homine vel sanctissimo inveniet, ubi severitate uti voluerit.

NEBULÆ PULVIS PEDUM EJUS. Incedens, nubes movet atque agitat, ceu pulverem currus. Vel: Nubes pede calcat, uti nos humum.

℣. 4. INCREPANS MARE, ET EXSICCANS ILLUD. Minaci iratoque vultu mare alloquitur, ipsumque contrahitur, quemadmodum in Erythræi transitu usuvenit: *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est*. Psalm. 105. 9.

FLUMINA AD DESERTUM ADDUCIT, exsiccat, eorumque alveos agro deserto similes facit. Hebræus (9): *Omnia flumina exsiccat*.

INFIRMATUS EST BASAN ET CARMELUS (10), ægri fiunt, nihil ferunt; eo per iracundiam loquente. Agri Basan, & Carmeli montes plerumque (11) ceu amœnissimorum & uberrimorum locorum exempla commendantur. Septuaginta (12): *Imminuta est Basanitis & Carmelus*.

℣. 5. COLLES DESOLATI SUNT. Hebræus (13): *Colles liquati sunt*, tabuerunt. Septuaginta (14): *Commoti sunt*.

CONTREMUIT TERRA. Hebræus & Septuaginta (15): *Elevata est terra coram eo*, attollitur, gaudio gestit. Seu, veluti fugiens attollitur. Aquila: Ἔφριξε, *Horruit*. Symmachus: Ἐκινήθη, *Mota est*. Chaldæus (16): *Vastata est terra*, aruit coram eo. Alii (17): *Conflagrat terra*, in fumum vel in flammam abiit.

℣. 6. INDIGNATIO EJUS EFFUSA EST UT IGNIS, ET PETRÆ DISSOLUTÆ SUNT AB EO. Ubi illius furor instar ignis exarserit, rupes durissimæ coram illius flammis veluti cera liquescent. Aliter: Ejus furor velut ignis lucum corripiet, vel metallum liquabit: cujus vi durissima etiam metalla cedunt. Septuaginta (18): *Furor ejus consumit principatus, & petræ contritæ sunt ab eo*.

℣. 7. BONUS DOMINUS, CONFORTANS IN DIE TRIBULATIONIS, ET SCIENS SPERANTES IN SE, amans, protegens. Hebræus (19): *Bonus Dominus, ad robur* faciendum *in die angustiæ; & sciens sperantes in eo*. Septuaginta (20): *Suavis Dominus expectantibus eum in die tribulationis, & cognoscens timentes se*.

℣. 8. IN DILUVIO PRÆTEREUNTE CONSUMMATIONEM FACIET LOCI EJUS. Niniven evertet vehementi adeo alluvione, ut dirutis mœnibus tota urbs inundetur. Obsessa per Belesin & Arbacem Ninive, regnante Sardanapalo, assiduis imbribus ita excrevit Tigris, ut urbis partem amnis aquæ occupaverint, & viginti mœnium stadia (21) everterint. Hostes per mœnium ruinas ingressi, nullo negotio urbe potiti sunt. Ea tamen obsidione multo recentior est Nahum, cum is expeditionis meminerit a Sennacheribo infeliciter in Judæam gestæ, expugnatæque No-Ammon urbis Ægypti, veluti rerum præteritarum, quamvis diu post Sardanapalum evenerint. Igitur necesse est, in altera Ninives obsidione per Astyagem & Nabuchodonosorem, alluvionem contigisse, primæ similem. Idque satis probabile est, spectato Ninives situ ad Tigrim, quamquam omnino id silent Profani. Innuit etiam hanc alluvionem Propheta infra II. 6. 8. idque ad verbum usuvenisse, nonnulli Interpretes censent (22); atque hæc certe verba, *Diluvium præteriens*, nonnisi consuetam aliquam alluvionem significant.

At majori numero alii (23) putant, *diluvii* nomine designari hostium agmina, quibus Ninive & obsessa & capta est. Neque hæc *diluvii* acceptio insolita est apud Scripturas (24): *Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus*.

Septuaginta totum versiculum ita vertunt (25): *Et in diluvio transeunte penitus perdet: Consurgentes*, & inimicos *ejus persequentur tenebræ*. Aquila & Theodotion, itemque Chaldæus eodem modo explicant. Symmachus cum Vulgata consentit, & plerique Interpretum huic explicationi favent. Jungi potest cum superiori versiculo hoc modo (26): [℣. 7.] *Bonus Dominus, ut sit robur in die angustiæ; & noscens sperantes in se*. (℣. 8.) *&* *alluvione* malorum *super ipsos fundenda, eos penitus delebit: hostes ejus persequentur tenebræ*. (℣. 9.) *Cur cogitatis contra Dominum? Ipse omnino perdet, & bis non consurget tribulatio*.

INIMICOS EJUS PERSEQUENTUR TENEBRÆ. Cum fugere voluerint hostes, sese tenebris obsitos sentient. Vel, tenebrarum nomine pro ærumnis usurpato: Illos sequentur mala, nec elabi poterunt.

℣. 9. QUID COGITATIS CONTRA DOMINUM? vel: cur animo fingitis ea, quæ Deo injuriæ sunt? Imbecillem Deum vobis ipsi finxistis; eumque cum falsis ceterarum gentium Numinibus comparare non veriti estis. Provocastis quodammodo, ut populum suum e vestra potestate liberaret. Spectantur his verbis Sennacherib atque audacissimus Rabsaces, qui ajebat Isai. 36. 18. *Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos: Numquid liberaverunt Dii gentium unusquisque terram suam de manu Regis Assyriorum?* Ita vero Deus apud Isaiam 37. 23. Sennacheribum arguit: *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad Sanctum Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino*, &c.

CONSUMMATIONEM IPSA FACIET: NON CONSURGET DUPLEX TRIBULATIO. Penitus adeo delebit, ut iterato ictu opus non sit. Ita Saulem perfodere volebat Abisai, ut alterum vulnus superfluum esset (27): *Perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit*. Aptissima est hæc loci hujus explicatio (28). Septuaginta (29): *Consummatio-*

(7) ונקה לא ינקה (8) Ἀθῷον οὐκ ἀθωώσει. Theodoret. & Hieron. Ἀθῷος οὐκ ἀθωώσει. (9) וכל הנהרות החריב Septuag. Καὶ πάντας τοὺς ποταμοὺς ἐξερημῶν. (10) אמלל בשן וכרמל (11) Vide Isai. xxxiii. 9. Jerem. v. 19. (12) Septuag. Ὠλιγώθη ἡ Βασανῖτις, καὶ ὁ Κάρμηλος. (13) הגבעות התמגגו (14) Οἱ βουνοὶ ἐσαλεύθησαν. (15) ותשא הארץ מפניו Ἀνεσάλη ἡ γῆ. (16) חרובת ארעא (17) Jun. Trem. Grot. Vat. Mont. Drus. (18) Ὁ θυμὸς αὐτοῦ τήκει ἀρχάς, καὶ αἱ πέτραι διεθρύβησαν ἀπ' αὐτοῦ. Aq. Ὁ θυμὸς αὐτοῦ συνεχωνεύθη. *Conflata, liquata est*. Sym. & Theodot. Ἔσταξε, *stillavit*. (19) טוב יהוה למעוז ביום צרה וידע חוסי בו (20) Χρηστὸς Κύριος τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως, καὶ γινώσκων τοὺς εὐλαβουμένους αὐτόν. (21) Diodor. Sicul. lib. 2. Athen. lib. 12. ex Ctesia. Stadia viginti sunt passus bis mille & quingenti, longitudine. (22) Vide Pseudo-Epiphan. & alios de vita Prophet. Vide & Tirin. (23) Vat. Mont. Sanct. Calv. Forer. Grot. (24) Isai. VIII. 7. XVII. 12. 13. XXVIII. 2. 18. Jerem. XLVIII. 2. Ezech. XXVI. 10. (25) Καὶ ἐν κατακλυσμῷ πορείας συντέλειαν ποιήσεται τοὺς ἐπεγειρομένους, καὶ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ διώξεται σκότος. Usurpant מקומה כלה יעשה quasi מקומה esset participium e קום Aqu. Ἀπὸ ἀνισταμένων. Theodot. *Consurgentibus ei*. Quint. edit. *A consurgentibus illi*. Hieron.
(26) צרה מקומה תקום פעמים צרה Supple יעשה כלה ℣. 7. ביום צרה ℣. 8. לא עשה כלה היא ℣. 9.
(27) 1. Reg. XXVI. 8. (28) Ita Theodoret. Theophylact. Hugo, Castr. Vat. Drus. Grot. (29) Septuag. Συντέλειαν αὐτὸς ποιήσεται, οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει. Symm. *Non sustinebis impetum secundæ angustiæ*. Theodot. *Non consurget secunda tribulatio*.

tionem ipse faciet: non vindicabit bis in idipsum. Versionem hanc magno numero Veteres & amplexi sunt, & recitavere, censentes, illud hic velle Prophetam, Deum duplici suppliciorum genere in idem crimen non animadvertere. Hac sententia ducti, arbitrati sunt plures, Sodomæ cives, Urbis suæ incendio obvolutos, Ægyptios Erythræo mari absortos. Israelitas in deserto necatos, aliosque quam plurimos, insolito malorum genere a Deo in hac vita mulctatos, misericordiam in altera consecutos esse, æternaque inferorum supplicia evasisse; Deo temporalibus pœnis placato, quas illi in hac vita pertulerant (30). At multa sunt absurda, quæ huic explicationi repugnant; omnino enim rejiciendum est id quod dicitur, iis, quos in hac vita punit, Deum in æterna parcere. Plerumque mala, quibus impius afficit Deus, anticipata æternorum cruciatuum pars sunt. Suppliciorum sævitia ex hac vita auferuntur, ut longe miseriorem molestioremque exordiantur. *Eorum percussio hic cœpta, illic perficitur*, inquit S. Gregorius Magnus l. 18. Moral. in Job. c. 12. *ut iacorrectis unum flagellum fit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur*.

℣. 10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, ita illi conjunguntur in conviviis, atque uti stipula consumentur. Ut explicet ea quæ mox dixit, futurum scilicet ut Ninivitas ita deleat Deus, ut iterato ictu necesse non sit, ait Propheta, miserrimas ejusmodi divini furoris victimas similes vepribus fore, se invicem complectentibus. Si densam spissamque sepem corripiat ignis, nulla illius pars vitare discrimen potest, totaque crematur. Hac ignis comparatione, sepem corripientis, frequenter utitur Scriptura (31), ut divini furoris vim exprimat; ac certe nihil aptius impetum, rapiditatem, humanarumque virium eo extinguendo imbecillitatem describit. Septuaginta (32): *Usque ad fundamentum suum redigetur in vepres, & quasi volvola circumdata comedetur, & quasi stipula ariditate plena*.

℣. 11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam. Reddi per præteritum tempus potest (33): Ex te exiit cogitans contra Dominum mala. Egressi sunt e Ninive Sennacherib, impiusque Rabsaces, indignissima & superba de Deo oblocuti. Vide supra ℣. 9.

℣. 12. Si perfecti fuerint, et ita plures; sic quoque attondentur, et pertransibit. Tametsi validissimi sint, capillorum instar sub novacula cadent, totusque illorum exercitus evanescet. Vel aliter: Si plures fuerint pii justique homines in Urbe Ninive, punietur tamen illa, ac deinde præteribitur. Vel relata ad Judæos sententia (34): *Hæc dicit Dominus; si Hebræi perfecti fuissent*, vel *pacifici*, *& si multi ejus generis fuissent*, *totondissem illos*, cæcidissem, afflixissem, *& præteriissem*, vel pepercissem. *Afflixi te: non affligam te ultra*. Quasi causam reddat Deus, cur Judæ Regnum his malis affligi passus sit. Paria peccatis in ea Regione inventis supplicia intuli; minus puniturus, si minora invenissem. At jam in hostes tuos iram verto, teque eorum Tyrannide mox liberabo, ℣. 13. Septuaginta legunt aliter in Hebræo (35): *Hæc dicit Dominus, imperans aquis multis: Et sic dividentur, & auditus tuus non audietur amplius*; nemo tui deinceps meminerit.

℣. 13. Conteram virgam ejus de dorso tuo. Assyriorum Regi vectigalis erat Ezechias (36): huic igitur futurum pollicetur Nahum, ut quantocius ab hujus virgæ, qua tam diu feriebatur, sævitia liber esset. Assyriis autem paruerat ab eo tempore, quo Achaz Theglatphalassari opem postulaverat (37). Expugnata per Astyagem & Nabuchodonosorem Ninive, Reges Juda Jugo Regum Assyriorum colla subduxerunt.

℣. 14. Non seminabitur ex nomine tuo amplius. Nominis tui rumor deinceps non spargetur. Nemo de te horribiles sermones feret. Alii: Posteris carebis. Regum Ninives memoria penitus interibit. Prior tamen explicatio aptior est, & probatissima.

De domo Dei tui interficiam sculptile. Justissima probrorum pœna, quæ Sennacherib & Rabsaces, in Israelis Deum evomuere. Hi victarum gentium Deos una cum cultoribus captivos trahebant; atque inanes Dii, &c. felicem aut miseram gentis suæ conditionem sequebantur; victoresque aut victi pro cultorum fortuna dicebantur; legem denique a validiore accipiebant.

Ponam sepulcrum tuum. In ipso numinis sui fano interfectus est Sennacherib a Liberis (38).

℣. 15. Ecce super montes pedes Evangelizantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas. Sennacheribi necem innuit, qua & Judææ pax, & libera festorum suorum frequentia illi reddita est. Ait S. Hieronymus, obsessa per Sennacheribum Jerosolyma, Judæos primo mense, ex legis sanctione, celebrare non potuisse: at cæso Sennacheribi exercitu, Angeli opera, allatoque Jerosolymam necis ipsius Sennacheribi in Urbe Ninive gestæ nuncio, populum secundo mense Pascha agitasse. Recitat id S. Hieronymus veluti ex Paralipomenis: at ibi minime legimus. Adde quod fieri minime potuit, ut alterum Pascha ageretur die quartadecima mensis, qui Sennacheribi cædem secutus est, audita ejus cædis fama. Docet enim Tobias I. 21. Sennacheribum quinto & quadragesimo, vel etiam, uti fert Græcus, quinto, & quinquagesimo die, postquam Niniven rediit, fuisse trucidatum. His si addas tempus in ipso reditu insumptum, ac deinde illud, quo ejus cædis rumor Ninive Jerosolymam venit, majus quam duorum mensium spatium fluxisse intelliges. Ad veterem Hebræorum morem alludere videtur Propheta, ponendi scilicet in montibus exploratores; cum vel Provincia tumultibus æstuaret, vel de gravissimis rebus ageretur, ut ignibus, aliisve signis, de quibus conventum fuerat, hostium invasiones, aut ea, quorum causa missi fuerant, quam citissime nunciarent.

---

(30) Origen. homil. 1. in Ezech. Hieronym. hic, Remig. Haimo, D. Thom. 3. parte quæst. 59. art. 5.
(31) Psalm. LVII. 10. Isai. IX. 18. XXXIII. 12.
(32) Ὅτι ἕως θεμελίων αὐτῶ χερσωθήσεται, καὶ ὡς σμίλαξ περιπλεκόμενος βρωθήσεται, καὶ ὡς καλάμη ξηρὰ ξηρανθήσεται.
(33) ממך יצא חשב על יהוה רעה
(34) כה אמר יהוה אם שלמים וכן רבים וכן נגזו ועבר ועניתך לא אענך עוד
(35) Septuag. Τάδε λέγει Κύριος κατάρχων ὑδάτων πολλῶν, καὶ οὕτως διασταλήσονται. Καὶ ἡ ἀκοή σου οὐκ ἀκουσθήσεται ἔτι.
(36) 4. Regum XVIII. 14.
(37) 4. Reg. XVI. 7. 8.
(38) Isai. XXXVII. 38.

CAPUT II.

Ninive obsidetur, capitur, atque evertitur a Chaldæis. Illius superbiam punit Deus.

℣. 1. ASCENDIT, qui disperga t coram te, qui custodiat obsidionem : contemplare
viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. 2. Quia reddidit Do-
minus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipaverunt eos, &
propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in
coccineis : igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, & agitatores consopiti
sunt. 4. In itineribus conturbati sunt : quadrigæ collisæ sunt in plateis : aspectus
eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. 5. Recordabitur fortium suorum,
ruent in itineribus suis : velociter ascendent muros ejus, & præparabitur umbracu-
lum. 6. Portæ fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum. 7. Et mi-
les captivus abductus est, & ancillæ ejus minabuntur gementes ut columbæ, mur-
murantes in cordibus suis. 8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus; ipsi ve-
ro fugerunt: state, state, & non est, qui revertatur. 9. Diripite argentum, diripite
aurum, & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. 10. Dissipata
est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio
in cunctis renibus, & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. 11. Ubi est habi-
taculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo, ut ingrederetur
illuc, catulus leonis, & non est, qui exterreat? 12. Leo cepit sufficienter catulis
suis, & necavit leænis suis, & implevit præda speluncas suas, & cubile suum rapi-
na. 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam usque ad fumum
quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam
tuam, & non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

℣. 1. ASCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE. Pergit Propheta Judam alloqui (1), ad quem postrema superioris capitis verba pertinent. Bono animo esse jubet; cum Nabopolassar, qui Niniven expugnaturus est, iter jam ineat, illam obsidione cincturus. Rem hanc, quamquam adhuc remotam, ceu præsentem describit, uti Prophetæ solent. Reddi potest Hebræus (2): *Ascendit dissipator*, vastator, malleus, *coram facie tua*. Septuaginta (3): *Ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione*. Describitur his verbis Deus, Adamum vita instruens, in os illius spirans: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Gen. 2. 7.

CONTEMPLARE VIAM, CONFORTA LUMBOS (4), constans sta. Pergit Judam alloqui. Partum tibi a Sennacheribo terrorem pone, surge, vires tuas iterum sume; Ninives viam prospice, copiasque in illius perniciem proficiscentes intuere. Injuriarum tuarum vindictam mox cernes. Ajunt alii (5), Nahum Niniven alloqui, amaroque sarcasmo hortari, ut constanti animo sit, sese ad obsidionem paret, arma capiat. Prior interpretatio cum sequenti versiculo melius conjungitur.

℣. 2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM JACOB, SICUT SUPERBIAM ISRAEL. Vel (6): Puniturus est Deus *superbiam*, arrogantiam, sævitiam, *vim*, quibus illa *Jacobum* vexavit, *quemadmodum* sævitiam in *Israelem*. Peperit Ninive Phul, Theglathphalassarum, Salmanasarum, qui Israelem cædibus, ruinis, depopulationibus vastavere. Eadem superbum Sennacheribum edidit. In hos igitur brachii sui vires commendaturus est Deus, Niniven evertens (7).

PROPAGINES EORUM CORRUPERUNT. Uberrimæ vitis racemos evulsere, populo e patriis sedibus pulso, raptoque in alienum solum captivo. Israel passim cum vite comparatur in Scriptura (8).

℣. 3. CLYPEUS FORTIUM EJUS IGNITUS. Versiculus hic, & qui sequuntur tres, de exercitu Niniven obsidente vulgo explicantur. At mihi certum est, de armis bellicoque apparatu Ninivitarum esse intelligendos. Movent 1. ipsa orationis series, ubi leges, currus nobilissimos ab ebriis ac dormientibus aurigis agi; hos vero simul frangi atque impediri; fortes hosce probe armis instructos incerto vestigio passim labi; ac demum fugere, ita ut nemo in prælium redeat: *State, state, & non est qui revertatur*. II. Obsidentium currus & apparatum describit Propheta Capite III. 2. 3. III. Ipsa rei natura fert, ut hæc descriptio referatur ad Niniven, cujus statim antea meminit. Prædixit Nahum, Deum eversurum illorum superbiam, qui Judam & Israelem oppressere, pergit deinde, arma & currus horum hostium describens; eodemque tempore animadvertit, omnem hunc apparatum inutile fore, fugientibus territisque Ninivitis. Quod ad ea verba spectat, *clypeus fortium ejus ignitus*, animadvertendum est, consuevisse Veteres arma habere nitidissima, & polito chalybe, vel auro & ære conflare. Virgilius Æneid. x.

. . . . . *Vastos umbo vomit aureus ignes.*

Plautus Milit. Gloriof.

Curate ut splendor meo sit clypeo major,
Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent.

VIRI EXERCITUS IN COCCINEIS. Vestium armorumque Ninivitarum pompam ac magnificentiam commendat. Ruber seu purpureus color familiaris militibus erat. Teste Xenophonte (9), Cyri mili-

(1) Ita Hieron. 2. Exposit. Theodor. Theophyl. Rupert. Vat. Sanct. (2) עלה מפיץ על פניך (3) Ἀνέβη ἐμφυσῶν εἰς πρόσωπόν σου, ἐξαιρούμενος ἐκ θλίψεως. (4) צפה דרך חזק מתנים (5) Hieron. Haimo, Albert. Remig. Dionys. Lyran. Riber. Drus. Munst. Grot. (6) כי שב יהוה את גאון יעקב כגאון ישראל Septuag. Διότι ἀπέστρεψε Κύριος τὴν ὕβριν Ἰακὼβ, καθὼς τὴν ὕβριν τοῦ Ἰσραήλ. (7) Ita Hieron. Theodoret. Est. Grot. Castal. &c. (8) Psal. LXXIX. 9. Isai. V. 1. & sequ. Jerem. II. 21. Ezech. XVII. 6. Joel. I. 7. (9) Xenophon, de instit. Cyri lib. 1. initio.

milites vestibus ejusdem coloris ac Cyrus ipse, purpurei scilicet, utabantur. Septuaginta (10): *Homines potentes ludentes in igne*.

Igneæ habenæ currus. Vel: *Habenæ* equorum, bellicos currus trahentium, ita nitido ac polito metallo constant, ut micent, atque igneæ videantur. Veteres habenarum pompa magnopere gloriabantur. Aurea fræna plurima in Darii castris erant (11). Virgilius equos describens, a Latino ad Æneam dono missos Æneid. 7.

. . . . . *Fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

Hebræus (12): Currus eorum *ut ignis lampadum in die profectionis*; ignis instar micant; vel, tam rapide currunt ut flamma; sive obvia quæque prosternunt, ut ignis vorans quicquid corripuerit. At inutile prorsus erit curruum jubar & præstantia, aurigis prope dormientibus.

Agitatores ejus consopiti sunt, ebrii, stupent ut ebrius; temere nullo ordine aut alacritate currunt. Hebræus (13): *Abietes concussæ sunt*. Jacula fortasse innuit ex abiete, flagrantia, quæ in hostem jaciebantur (14). Vel: *Abietes veneno infectæ sunt*. Usitatum erat apud Veteres, jaculorum telorumque cuspides veneno inficere. Septuaginta (15): *Equites eorum turbabuntur*. Aliter atque nos in Hebræo legebant, uti S. Hieronymus; ac meliorem certe sententiam reddit illorum versio.

℣. 4. In itineribus conturbati sunt, uti fit, cum exercitus ingens movetur, præsertim si territus sit, & duce careat. Vide Caput III. 18. Hebræus (16): *Currus* eorum, vel aurigæ, *insaniunt*, insanorum more currunt *in vicis*. Septuaginta (17): *In egressibus confundentur currus*. Nos cum S. Hieronymo (18) de Ninivitis interpretamur intra urbem clausis, qui hostium adventu territi, adeo turbati sunt, ut neque currus in ordinem instruere, neque illis uti possent. Impedientur invicem & collidentur: *Quadrigæ collisæ sunt in plateis*.

Aspectus eorum quasi lampades. Tædarum instar micant oculi. Furor & rabies, quibus agentur, oculos tædis similes efficient. Senec. Oedip.

Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculique vix se sedibus retinent suis.

℣. 5. Recordabitur fortium suorum. Reminiscentur Ninivitæ fortissimorum hominum, & clarissimorum Principum, sub quibus ipsi floruerant; at celebres ii defensores penitus deficient, civesque miserrimi auxilio præsidioque sese destitutos sentient. Salmanasar, Sennacherib, aliique, magna illa nomina, inutiles illis erunt, neque opem ferent.

Ruent in itineribus suis, vel incedendo. Tumultu & festinatione præcipiti cadent. Alii alios allident & impedient. Hebræus (19): *Offendent in incessu suo*, veluti qui in lapidem eundo impingit.

Velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum, machinæ quibus protegantur. Descriptio hæc tota urbi ex improviso ab hostibus exceptæ & obsessæ mire convenit; certatim quippe conveniunt cives, & machinas ad defensionem parant. Hebræus (20): *Festinanter ascendent ad murum ejus, & præparabitur tegumen*. Septuaginta (21): *Præparabunt propugnacula sua*, machinas; Chaldæus, *turres*. Vel: *Festinabunt ad muros, & paratus est defensor*. Sese ad resistendum comparabunt. At urbis expugnandæ labori parcet hostis; immittet quippe alluvionem Deus, qua mœnia evertantur.

℣. 6. Portæ fluviorum apertæ sunt, et Templum ad solum dirutum. Niniven alluvione expugnatam fuisse, & supra vidimus, & iterum deinceps videbimus. Fluminum portas dicunt Hebræi pontes vel arcus, sub quibus fluunt (22). Templum, de quo hic, idem est atque illud, quod Capite I. ℣. 14. eversum iri, ejusque Idola comminuenda prædicit. Hebraica vox (23) palatium etiam significat; eamque Septuaginta, aliique Interpretes doctissimi (24) ita usurpavere.

℣. 7. Miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur gementes. Ad verbum (25): *Statio* [præsidium] *captiva ducta est, & ancillæ ejus gementes ut columbæ*. Custodes Regiarum ædium milites, de quibus superiori versiculo, captivi abducti sunt, itemque ancillæ. Putat Grotius, Hebræum *Huzzab* Niniven significare; & *ancillas* oppidula & vicos urbi subditos. Censent alii, priori vocabulo Reginam Ninives, altero ancillas Reginæ designari. Intelligi potest *Huzzab* Templi Ninivitici simulacrum, ab hostibus ablatum; *ancillæ* vero Sacerdotes fœminæ in Templo ministrantes; eæ fortasse, quæ religionis nomine meretricium in Templo exercebant, vulgato apud Orientales more (26).

℣. 8. Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus. Aquis obruta est Ninive, ut palus. His verbis vel alluvio significatur, quæ Niniven obruit, vel urbis cives. Magna aquarum vis Prophetico more frequenter sunt populi (27). Vel uberem aquarum copiam intellige, quibus illa rigabatur. *Ninive quasi piscina aquarum*. Reddi potest Hebræus (28): *Ninive quasi piscina aquarum, vetustissima est*. Niniven condidit Nemrod (29); eaque Asiæ ferme totius imperium diu tenuit. Chaldæus: *Ninive instar loci collectionis aquarum a diebus antiquis est*. Innumeras gentes opesque collegerat.

℣. 10. Cor tabescens, et dissolutio geniculorum. Mirificus omnino in descriptionibus est Nahum, quem imitari nequeas. Ninivitarum fugam, terrorem, consternationem, formidinem mire pingit. Nihil melius Virgilius Æneid. XII.

Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.

Defectio in cunctis renibus; corpora deficiunt ac nutant. Ad verbum (30): *Dolor* tamquam parturientis *in cunctis lumbis*. Vide *Jerem.* XXX. 6. & *Isai.* XXI. 3.

Facies omnium sicut nigredo ollæ (31). Atræ omnium facies ac deformes, quasi os carbone liniverint. Afferunt Itineraria quædam (32), Orientales in luctu ora fuligine ollarum tingere. Utitur passim hujusmodi locutione Scriptura, ut insolitum luctum, & plumbeum, atrum, fuscum oris luridi squallentisque colorem describat (33).

℣. 11. Ubi est habitaculum leonum? Ubi Ninive, leonum perfugium, Principum scilicet violentorum iniquorumque, qui nullam nisi ambitionis & libidinis legem sequebantur?

Ad

(10) Ἄνδρας δυνατοὺς ἐμπαίζοντας ἐν πυρί. Legunt מתלענים vel מתללים pro מתלעים ex *Tolahat* תלעת *Purpura*.
(11) Curt. lib. 3. (12) באש פלדות הרכב ביום הכינו (13) והברושים הרעלו (14) Vide Psal. CXIX. 4. (15) Οἱ ἱππεῖς αὐτῶν θορυβηθήσονται. Legunt פרשים *equites*, pro ברושים *abietes*.
(16) בחוצות יתהוללו הרכב (17) Septuag. Ἐν ταῖς ἐξόδοις συγχυθήσεται τὰ ἅρματα. (18) Hieron. hic, Vatab. (19) יכשלו בהליכותם Septuag. Ἀσθενήσουσιν τῇ πορείᾳ αὐτῶν. (20) ימהרו חומתה והכן הסכך
(21) Σπεύσουσιν ἐπὶ τὰ τείχη, καὶ ἑτοιμάσουσι τὰς προφυλακὰς αὐτῶν. (22) Chald. Grot. (23) והיכל נמוג
(24) 70. Βασίλεια διέπεσε. Vide Grot. Drus. Vatab Pagn. (25) והצב גלתה העלתה ואמהותיה מנהגות כקול יונים Septuag. Καὶ ἡ ὑπόστασις ἀπεκαλύφθη, καὶ αὕτη ἀνέβαινε, καὶ αἱ δοῦλαι αὐτῆς ἤγοντο. (26) Vide Herodot. l. 1. & Sanct. hic n. 31. Strabo lib. XII. de Comana: Vide eumd. lib. XII. Cappadocia p. 169. & 370.
(27) Isai. VIII. 7. Apoc. XVII. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes, & linguæ*.
(28) ונינוה כברכת מים מימי היא (29) Genes. X. 11. (30) וחלחלה בכל מתנים
(31) ופני כלם קבצו פארור (32) Tavernier, voyage de Perse liv. 2. ch. 7. p. 192. (33) Joel. II. 6. Isai. XIII. 7. 8. Ezech. XX. 46.

Ad quam ivit leo. Eo fecedebant Salmanafar & Sennacherib poft gentium & provinciarum cædes, quemadmodum poft prædam fecedunt in antrum leones, expleta fame. Ita etiam explicari poteft: fpelunca, quam ingreffus eft alter leo, prioribus pulfis. Is potro eft Nabopolaffat, Nabuchodonoforis pater, & Aftyages, qui Niniven fub Chinaladano expugnavere; vel ipfe Nabuchodonofor, qui fuperatis Ægypto & Syria, Niniven penitus evertit. Prior tamen explicatio multo probatiffima videtur.

Ỹ. 13. Succendam usque ad fumum quadrigas tuas. Aliter legunt Septuaginta (34). *Cremabo in fumo multitudinem tuam*. Putat Theodoretus, pergere in metaphora Prophetam, atque Affyriis Regibus cum leone comparatis, quorum perfugium effet Ninive, minitatur futurum, ut fuis ipfos in antris igne & fumo fuffocet, quemadmodum interdum in feras hafce beftias fervatur. Hæc explicatio cum confequentibus magnopere congruit: *Comburam fumo multitudinem tuam, & leunculos tuos comedet gladius*.

Non audietur ultra vox nuntiorum tuorum. Nuncios impio Rabfaci fimiles in pofterum non mittes (35).

C A P U T III.

Ninives fævitia & flagitium; ejus excidium & probrum. Divini furoris calice proluetur, uti No-Ammon: Illius Principum militumque imbecillitas & ignavia.

Ỹ. 1. VÆ civitas fanguinum, univerfa mendacii dilaceratione plena: non recedet
a te rapina. 2. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equitis frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis afcendentis: 3. Et micantis gladii, & fulgurantis haftæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ; nec eft finis cadaverum, &
corruent in corporibus fuis. 4. Propter multitudinem fornicationum meretricis fpeciofæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit Gentes in fornicationibus fuis, &
familias in maleficiis fuis. 5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, & oftendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. 6. Et projiciam fuper te abominationem, & contumeliis te afficiam,
& ponam te in exemplum. 7. Et erit: omnis, qui viderit te, refiliet a te, & dicet: Vaftata eft Ninive: quis commovebit fuper te caput? unde quæram confolatorem tibi? 8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus?
aquæ in circuitu ejus: cujus divitiæ, mare: aquæ, muri ejus. 9. Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus, & non eft finis: Africa, & Libyes fuerunt in auxilio tuo.
10. Sed & ipfa in tranfmigrationem ducta eft in captivitatem: parvuli ejus elifi funt
in capite omnium viarum, & fuper inclytos ejus miferunt fortem, & omnes optimates ejus confixi funt in compedibus. 11. Et tu ergo inebriaberis, & eris defpecta, & tu quæres auxilium ab inimico. 12. Omnes munitiones tuæ ficut ficus cum
groffis fuis: fi concuffæ fuerint, cadent in os comedentis. 13. Ecce populus tuus
mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. 14. Aquam propter obfidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas, intra in lutum, & calca, fubigens tene laterem. 15. Ibi comedet
te ignis: peribis gladio, devorabit te ut bruchus: congregare ut bruchus: multiplicare ut locufta. 16. Plures fecifti negotiationes tuas, quam ftellæ fint cœli:
bruchus expanfus eft, & avolavit. 17. Cuftodes tui quafi locuftæ, & parvuli tui quafi locuftæ locuftarum, quæ confidunt in fepibus in die frigoris: fol ortus eft, &
avolaverunt, & non eft cognitus locus earum, ubi fuerint. 18. Dormitaverunt
paftores tui, rex Affur: fepelientur principes tui, latitavit populus tuus in montibus, & non eft, qui congreget. 19. Non eft obfcura contritio tua, peffima eft plaga tua: omnes, qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum fuper te: quia fuper quem non tranfiit malitia tua femper?

Ỹ. 1. VÆ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena; vel opibus frande & mendacio partis, raptis, ufurpatis. Hebræus (1): *Væ civitati fanguinum, tota mendacio & dilaceratione* feu iniqua vi *plena*. Iniquitate & rapinis opes quæfivit. Septuaginta (2): *Tota mendacium, iniquitate plena*. Aquila (3): Mendacio & *excervicatione plena*. Symmacus (4): *Sævi-*

[34] Καὶ ἐκκαύσω ἐν καπνῷ πλῆθός σου. Legunt הבערתי בעשן רכבה pro רכבה *quadrigas tuas*.
[35] 4. Reg. xviii. 17. & feq. 2. Par. xxxii. Ifai. xxxvi.
[1] הוי עיר דמים כלה כחש פרק מלאה
[2] Ὅλη ψευδὴς, ἀδικίας πλήρης.
[3] Aqu. Ἐξαυχενισμοῦ πλήρης.
[4] Sym. Ἀποτομίας πλήρης, vel μαλακιστίας πλήρης. Hieron. hic.

Sævitiæ plena, vel ex alia Editione, *concisione membrorum plena*. Hebraicum vocabulum *Pherek* ad verbum reddere voluerunt.

NON RECEDET A TE RAPINA. Hebræus (5): *Non recedet præda*. Continuum est latrocinium: prædam dimittere nescit. Septuaginta (6): *Non contrectabitur venatio*. Quæ injuste congessit, neminem tangere patitur. At aderunt mox venatores, qui ex imo antro tuo prædas suas rapiant. Sequitur metaphora de leone, superiori Capite incepta.

℣. 2. VOX FLAGELLI. Hostilium curruum flagella jam audio. Magnificus currus Ninivitarum describit supra Cap. II. 3. 4. hic Cyaxaris & Nabopolassari currus, in Niniven proficiscentes narrat. Currus hostium audio, enses atque hastas video, &c. Hoc esse debuit initium Capitis III. primus enim versiculus ad Capitis II. sententiam pertinet.

℣. 3. CORRUENT IN CORPORIBUS SUIS. Hebræus (7): *Impingent in corpora*: viæ & compita cadaveribus impedientur.

℣. 4. PROPTER MULTITUDINEM FORNICATIONUM. En malorum Ninivea origo. Iniquas Ninives extorsiones supra exhibuit sub leonis imagine: hic illius flagitia, idololatriam, corruptionem sub figura meretricis describit.

HABENTIS MALEFICIA, quæ amatoriis artibus poculisque cæteros in sui amorem trahit. Gentes omnes in suas libidines & flagitia impulit. Veneficiis præstabant Assyrii (8).

QUÆ VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIS. Illos ceu mancipia constrinxit coegitque, sua ipsius flagitia & libidines imitari. *Venundari ad faciendum malum* (9), est male agere ex obligatione; ita ad illud adigi, ut relinqui nequeat; quemadmodum facere non potest servus, quin hero obtemperet, illique ministerium, cujus gratia emptum est, præstet. Hoc sensu ajebat S. Paulus (10), impium *venundatum sub peccato* esse, mala habitudine, pravarumque cupiditatum pondere in scelus quodammodo impelli. Ita Ninive, ceu meretrix, sese alienis dedit, ut illos libidini suæ subjiceret. Ea nimirum erat turpissimæ consuetudinis merces. Gentium libertatem invadebat, easque in fœdissima crimina rapere conabatur.

℣. 5. REVELABO PUDENDA TUA IN FACIE TUA. Te loco ancillæ miserrimæ, infamisque meretricis habebo. Probrum tuum detegam; teque earum gentium irrisionibus exponam, quas fascinasti veneficiis, & blanditiis fefellisti.

℣. 6. PROJICIAM SUPER TE ABOMINATIONES (11), sordes, cœnum, uti fit in eos qui horrori sunt, in damnatos supplicio criminum causa maxime horribilium, omnibusque hominibus odiosorum.

℣. 7. OMNIS QUI VIDERIT TE, RESILIET A TE, veluti a re, quæ horrorem & odium parit. Ipsi illi, quos venustatis tuæ lenocinio pellexisti, te fugient, ceu cadaver fœtens.

QUIS COMMOVEBIT SUPER TE CAPUT? Quem tui miserebit? Gestus est irridentis contemnentisque (12). Hic nonnisi doloris est & commiserationis indicium, uti apud Jobum 42. 2. ad quem adventantes amici & genere proximi, *moverunt super eum caput, & consolati sunt eum*. Et 16. 5. ipse Job amicos alloquens, aiebat: *Utinam esset anima vestra pro anima mea! Consolarer & ego vos sermonibus, & moverem caput meum super vos*.

Hebræus tamen (13) non habet, hoc loco *caput*, ac solum fert: *Quis condolebit* (14)? quis illius malis mœrebit? Aliter: *Quis illius causa movebitur*? Quis vel uno passu illi solatium admovebit? Supplent alii (15): *Quis movebit labia ejus causa*? illam alloquetur, ut malis levet? Eo sensu, quem proposuimus, *caput* æque ac *labia* suppleri potest.

℣. 8. NUMQUID MELIOR ES ALEXANDRIA POPULORUM. Pro Alexandria Hebræus habet *No Ammon*, quam vocem Chaldæus & S. Hieronymus ubique interpretantur *Alexandriam*. Censet autem S. Hieronymus, Alexandriam in ipsa veteris No-Ammon sede conditam fuisse. At quo loco Alexander urbis suæ fundamenta jecit, nulla certe alicujus momenti urbs erat. *Racotis* duntaxat apud Scriptores legitur, oppidulum ad mare & portum (16). Condita est urbs in libero solo, Mareotidem inter & mare, Rachotin complectens. Nimium credidit Judæis S. Hieronymus, *No Ammon* eodem loco fuisse censentibus, quo deinde stetit Alexandria. Non una semper est Septuaginta Interpretum versio; hic enim *Ammon* nuncupant, quam alibi *Memphim* aut *Diospolim*. Vult Bochartus (17), urbem esse Thebas, superioris Ægypti metropolim, amplitudine, opibus, civium numero præclarissimam. At ea tradit de No Ammon Scriptura, quæ Thebis minime conveniant. Hæc enim urbs non *habitabat in fluminibus*, nec *aquæ in circuitu ejus*: non *illius divitiæ, mare*; neque *aquæ, muri ejus*. Nilo certe insidebant Thebæ, at a mari remotissimæ.

Locus conjecturæ est, Prophetas, qui sæpe adeo de *No Ammon* vel *Ammon No*, ceu de validissima & nobilissima Ægypti arce agunt, urbem (18) & Templum Ammun, in cognomine nomo (19) & in Libya situm, intellexisse. Ammoniorum meminit Herodotus (20), nomum illum colentium, quasi florentissima & bellica gens fuerint, cui suus Rex esset, quæque finitimos bello aggrederetur. Scribit Diodorus (21), arcem Ammon triplici mœnium ambitu fuisse; quorum in medio ædes Regiæ; altero circuitu Templum & fons Jovis Ammonis, & domicilia uxorum liberorumque Sacerdotum; tertio denique Templi custodes & excubitores continebantur. Reliquæ totius nomi partes ab agricolis oppidanis colebantur. Tradit Herodotus lib. 2. c. 42. Ammonios coloniam esse Æthiopum & Ægyptiorum. No-Ammon igitur celebris olim urbs fuit, Ammoniorum Metropolis, quæ ab Assyriis & Chaldæis Regibus eversa, restaurari non potuit, superstite tantum arce, quam Diodorus describit. Conjecturas tamen hasce omnes ruere sentias, inspectis iis quæ a Propheta traduntur, *No Ammon* scilicet urbem esse in medio fluminum sitam, & mari proximam: quæ duo quidem urbi Ammon, Ammoniorum provinciæ, a mari remotæ, & amnibus carenti, minime conveniunt.

Quærenda igitur est alia urbs *Ammon*, in quam notæ a Nahum traditæ congruant. Porro opportuniorem non videmus Diospoli, seu Jovis urbe in Delta, ad unum e Nili ramis, inter Busirin ad meridiem, & Menden ad boream. Præstantissimus omnino erat situs. In extremo angulo jacet duo-

(5) לא ימיש טרף (6) Οὐ ψηλαφηθήσεται θήρα. (7) יכשלו בגויתם Septuag. Ἀσθενήσουσιν ἐν τοῖς σώμασιν αὐτῶν. (8) Grot. hic, Theocrit. Pharmaceutria:
Ταῦτα δ' ἐν κίστᾳ αὐτῷ φάρμακα φαμὶ φυλάσσειν,
Ἀσσυρίω, δέσποινα, παρὰ ξείνοιο μαθοῖσα.
(9) 3. Reg. XXI. 20. 25. *Qui venumdatus est ut faceret malum*. 1. Macch. 1. 16. (10) Rom. VII. 14. Ibid. VI. 6. 16. 17. (11) והשלכתי עליך שקצים (12) Psal. XLIV. 15. *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis*. Vide & Matt. XXVII. 39. Isai. XXXVII. 22. Jerem. XVIII. 16. Thren. II. 15. (13) כי ינוד לה (14) Septuag. Τίς στενάξει αὐτῇ. Ita Chald. מן ירדי עלך Ita Mont. Pagn. Jun. Tisc. Grot. Munst. Castr. &c. (15) Deus. Tarnov. Vide Job II. 11. Isai. LI. 19. Jerem. XV. 5. XVI. 5. (16) Vide Strabon. lib. 17. p. 792. Pausan. Eliac. (17) Boch. Phaleg lib. 4. c. 27. (18) Ptolem. lib. 4. c. 5. Ὁ Ἄμμων πόλις. (19) Plin. v. 9. *Hammonicum nomum, tendentem ad Hammonis Jovis oraculum*. (20) Herodot. lib. 2. c. 32. & 42. & l. 4. c. 181. (21) Diodor. l. 17. c. 50. Curt. lib. 4.

duorum Nili rivorum, quorum uterque in Mediterraneum influit, minimo a Diospoli intervallo. Lacubus cingitur, de quibus Strabo lib. 17. Suidas in Demetrio Phalareo, Diogenes Laertius lib. 5. Maris autem nomine lacus etiam usurpari, uno Interpretes assensu fatentur. Ipsum nomen *Diospolis*, quod olim a Græcis obtinuit, perspicuo satis argumento est, veterem illius appellationem fuisse *No-Ammon* Jovis domum; Ægyptiis enim Jupiter est *Ammon*, teste Herodoto lib. 2. cap. 42. Atqui, inquies, de qua agitur, urbs non erat neque amplitudine, neque civium numero, neque opibus florens, ut eum Ninive comparari posset. Fateor, Græcos Scriptores non ita de Diospoli egisse, veluti hæc inter nobilissimas regionis urbes fuerit: at a Sennacheribo & Nabuchodonosore ingens annorum intervallum fluxit ad Ægyptiacas Alexandri expeditiones. Nonne ipsa Scriptura causas exeidii, vel diminutionis Diospoleos tradit? Diospolim vastatam esse, docent Prophetæ (22), ejusque Principes in vincula conjectos, civium proceres venundatos, pueros ad terram allisos, civesque in captivitatem raptos.

At quo tempore, aut a quo expugnata est No-Ammon? A Nabuchodonosore, inquiunt vulgo Interpretes, post Tyri excidium. Tradunt conceptis verbis Jeremias (23) & Ezechiel, No-Ammon a Nabuchodonosore obsessam esse captamque, quo tempore is in Ægyptum bellum gerebat. Censent alii (24), Nahum hic de hujus urbis expugnatione ita agere, quasi jam gesta esset, quamquam adhuc futura. Quasi diceret: Si Chaldæorum exercitus urbem No-Ammon eversurus, atque in eam vehementissime sæviturus est, an futurum speras, Ninive, ut minori dispendio tu elabaris? An minus rea, vel ea validior es? Nobis tamen videtur Propheta, No-Ammon ceu jam diu eversam spectare, tota enim illius orationis vis ab hujus rei explorata certaque notitia pendet. Quam acriter movere Ninivitas poterat res adeo illis incerta, No-Ammonis nimirum ruina, si adhuc illa stetisset?

Ægyptum invasit Sennacherib, antequam arma in Ezechiam ferret (25). Putabat ille, fractum adeo suis viribus fuisse Pharaonem, ut opem Judææ ferre non posset, cum Rabsaces Ezechiæ minitans diceret 4. Reg. 18. 21. *An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? Sic est Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in se.* Gloriabatur ille (26): *Exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum* (Hebræus, Ægypti). Minitatur Deus futurum, ut omnes ejus regionis rivos exhauriat (27). Berosus apud Joseph. Antiq. lib. 10. c. 1. & denique & Herodotus lib. 2. c. 141. narrant, Sennacheribum, armis in Ægyptum illatis, Pelusium usque processisse. Haud satis constat Sennacheribum in Ægyptum venisse. Viæ se quidem ille commisit ut illuc iret; an vero consilium suum reipsa impleverit ignoramus. Reliquam narrationem Sacerdotes Ægypti corruperant, narrabantque, Sethonem Vulcani Sacerdotem, formidolosum hominem, cum Dei sui opem quæsisset, facilem de Assyriis victoriam impetrasse; innumera enim murium multitudo, in castra Assyriorum a Vulcano missa, arcuum nervos, pharetras, & clypeorum lora abrosit; quamobrem Assyrii cœptis absistere coacti sunt. Fabulam certe vides, qua mala in Ægyptum a Sennacheribo illata dissimulantur, conflatam ex vera narratione cædis copiarum Sennacheribi, ab Angelo patratæ CLXXXV. millibus hominum una nocte necatis (28). Procul dubio igitur esse videtur, bellum Ægypto intulisse Sennacheribum; atque urbis No-Ammon expugnationem hoc ipso tempore statuendam esse arbitramur. Ut enim ex verbis Nahum colligimus, suas adhuc sedes occupabat Juda (29), quo tempore Ninive eversa est. Porro *No-Ammon* supremum a Nabuchodonosore fatum passa est, post Jerosolymæ expugnationem, & Judæ captivitatem. Duplex igitur Nu-Ammonis expugnatio sedulo distinguenda est. Primam solummodo spectat Nahum. Vide Isaiam XVIII. XIX. Si ingressus Ægyptum Assaradon, Sennacheribi successor, bellum eo intulit, quemadmodum docere conati fumus in Isaiæ Caput XX. No Ammonis excidium sub Assaradonis regno collocare licebit; in his quippe rebus nonnisi conjecturas adduci posse, fatendum est.

QUÆ HABITAT IN FLUMINIBUS. Diospolis, quam esse No-Ammon credimus, sita erat ad Nilum, supra discrimen ramorum Mendesii & Phatnitici, lacubus obsita, & mari vicina: *Aquæ in circuitu ejus, cujus divitiæ mare*. Adde quod Nilum Ægyptii oceanum vocitabant (30), atque ille oceani loco apud ipsos erat.

℣. 9. ÆTHIOPIA FORTITUDO EJUS. Regio Chus, quam hic Æthiopiam nominat, in Arabia erat, ad Erythræum, non longe a Diospoli.

ET ÆGYPTUS, ET NON EST FINIS (31), aliique innumeri. Robore incredibili pollet, immensasque ab Ægypto vires habet.

AFRICA ET LIBYES FUERUNT IN AUXILIO TUO. Utraque hæc provincia non multum a Diospoli absunt. Hebræus (32): *Phut & Lubim fuerunt in auxilio tuo*. Phut magnam Africæ partem frequentavit (33); *Lubim* populos Libyæ significat, peculiaris nempe illius Provinciæ, quæ Marmaricam inter & Ægyptum jacet.

℣. 10. IPSA IN TRANSMIGRATIONE DUCTA EST. No-Ammonem e ruinis emersisse necesse est, cum inter Nabuchodonosoris captivos recenseatur.

PARVULI ELISI. Frequens apud veteres Orientales est sævitiæ hujus exemplum (34).

OPTIMATES CONFIXI SUNT IN COMPEDIBUS (35), vinculis onerati. Compedes erant lignei asses, variis foraminibus ad plura intervalla perforati, quibus manus pedesque captivorum inserebantur, statu corporum molestissimo.

℣. 11. ET TU ERGO INEBRIABERIS, non secus ac No Ammon. Frequenter jam hoc loquendi genus occurrit (36), *inebriari vino furoris Domini*.

QUÆRES TU AUXILIUM AB INIMICO. Ab iis, in quos secundis rebus superbe sævisti, opem flagitabis. Nonnulli Hebræum reddunt (37): *Quæres auxilium adversus hostem*, vel hostium causa, ut te ab illorum vi tuearis (38).

℣. 12. OMNES MUNITIONES TUÆ, vel (39) *arces tuæ*, omnia præsidii loca quæ tibi parent, omnia Assyriaci Imperii munita oppida, una cum Ninive ruerunt, quemadmodum maturæ ficus quassata arbore labuntur. *Sicut ficus cum grossis suis*.

℣. 13. ECCE POPULUS TUUS, MULIERES, robore, alacritate, constantia carentes; meticulosi, molles, deliciis fluentes, &c. Virgilius Æneid. IX.

O vere

(22) Nahum III. 10. Vide Jerem. XLVI. 25. Ezech. XXX. 14. 15. 16. (23) Jerem. XLVI. Ezech. XXX. (24) Hieron. hic, Sanct. Druf. Menoch. (25) Vide Usser. ad an. M. 3292. Joseph. Antiq. lib. 6. c. 1. 2. (26) Isai. XXXVII. 25. כל יארי מצור (27) Isai. XI. 15. (28) 4. Reg. XIX. 35. (29) Nahum I. 5. (30) Diodor. lib. 1. p. 8. Οἱ δ' Αἰγύπτιοι νομίζουσι ὠκεανὸν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον, ἐν ᾧ τὰς τῶν θεῶν γενέσεις ὑπάρξαι. (31) ומצרים ואין קצה Septuag. Καὶ Αἴγυπτος, καὶ οὐκ ἔστι πέρας τῆς φυγῆς σου. Membro huic jungunt τὸ פוט quod ad membrum proxime sequens pertinet. (32) פוט ולובים היו בעזרתך (33) Vide Genes. X. 6. Vide nos ibi. (34) Vide Isai. XIII. 16. Psalm. CXXXVI. 9. Osee X. 14. (35) כל גדוליה רתקו בזקים (36) Isai. LXIII. 6. LI. 17. Jerem. XXV. 27. LI. 7. XLIX. 12. Psalm. X. 7. LXXIV. 9. Ezech. XXIII. 32. &c. (37) תבקשי מעוז מאויב (38) Septuag. Ζητήσεις στάσιν σεαυτῇ ἐξ ἐχθρῶν. Vide Munst. Tigur. Jun. Pisc. Drus. &c. (39) כל מבצריך Septuag. Πάντα ὀχυρώματα.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.
Ita Truas arguebat Numanus.

℣. 14. Aquam propter obsidionem haura tibi. Aquam in diuturnæ obsidionis usum tibi compara. Prope Ninivem fluebat Tigris, & aliqui etiam illius rami mediam perluebant: at horum ostia certe per obsidionem clausa fuere, ne hostis iis alveis usus, in urbem irrumperet. Dixit supra ii. 6. fluminis portas patuisse, urbemque aquis obrutam esse, cum ea expugnata est. In calidis regionibus maxima civium intra urbes obsessorum cura est aquas quærere, aggressorum vero prohibere. Vide (40) quid pararit Ezechias adversus Sennacheribum, ubi ille Jerosolymam aggrederetur.

Intra in lutum, et calca. Lateres finge, mœnibus restaurandis, magnamque illorum copiam para in obsidionis usum, ut mœnium ruinas repares. Nobilissimarum Orientis urbium mœnia lateritia erant, atque hoc mœnium genere Babylon ipsa muniebatur.

Cum tamen a figulis munitam intraveris urbem;
inquit de Alexandria Juvenalis, Satyra x.

Subigens tene laterem. Hebræus (41): *Tene fortiter*, acriter defende *lateritium opus*. Irrisionis genus (42). Aliter (43): *Refice fornacem laterariam.*

℣. 15. Congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. Tametsi tam frequenti civium numero complearis, quam ager locustis, integras quandoque provincias vastantibus, te fugabit hostis, & tam facile necabit, quam locustas. Totus ita reddi potest Versiculus (44): *Comedet te ignis, gladius vorabit, ceu locustam, tametsi ita magno numero fueris ut locustæ*. Locustas in cibum ab Orientalibus adhiberi, compertum est (45). Quo plures eritis, eo plures vorabit hostis. *Bruchus* non scarabæum significat, sed aliud locustæ genus.

℣. 16. Bruchus expansus est, et avolavit. Ingens mercatorum multitudo, qui undique Niniven conveniebant eo numero, ut pares locustis terram operientibus essent, avolavere, secesserunt, ubi hostem adversus te accedere intellexere. Hebræus (46): *Bruchus*, locusta, *grassatus est, & avolavit*. Septuaginta (47): *Bruchus irruit, & avolavit*.

℣. 17. Custodes tui quasi locustæ; vorant rodduntque, non defendent. Ubi hostis advenerit, fugient, ceu locustæ quæ in sepibus latent per noctis frigus, & matutini roris tempus; at prodeunte sole fugiunt avolantque: *Sol ortus est, & avolaverunt*. Accipe totum versiculum ex Hebræo (48): *Principes tui*, corona vel diademate insigniti, *quasi locustæ; & Satrapæ tui sicut locustæ majores, quæ castrametantur in sepibus*, in maceriis, *in die frigoris: sole orto fugiunt; & non agnoscitur locus ejus amplius ubi fuerint*. Trojanos senes, bello ineptos, cum cicadis tota die canentibus comparat Homerus in Iliade.

℣. 18. Dormitaverunt pastores tui. Sua ipsorum socordia, & inani virium suarum fiducia decepti sunt. Gregem deseruere, neglecta illius custodia; dissipatum gregem nemo colligit: *Latitavit*. Hebr. (49) *dispersus est in montibus, & non est qui congreget*. Septuaginta: *Abiit populus tuus super montes, & non erat qui susciperet*.

℣. 19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Hebræus (50): *Non est curata fractura tua*, non coiit vulnus, non obvolutum est linteis vittisque; *acerba est plaga tua*. Septuaginta (51): *Non est sanatio contritionis tuæ; intumuit*, vel inflammata est *plaga tua*. Chaldæus: *Non est qui doleat sibi de fractione tua; infirmatum est vulnus tuum*.

Compresserunt manum; malis tuis plausere; seu, vulnus tuum manu pressere, ut acerbior fieret dolor. Hebræus (52) & Septuaginta proprie significant plaudere manu, lætantium gestu.

---

(40) 2. Par. xxxii. 3. 4. & 30. (41) החזיקי מלבן (42) Grot. hic. (43) Mont. Pagn. Drus. Jun. Tremel. Cast. Munst. Pisc. (44) תאכלך כילק התכבד כילק התכבדי כארבה (45) Vide Matth. iii. 4. (46) ילק פשט ויעף (47) Oʼ βροῦχος ὥρμησε, καὶ ἐξεπετάσθη.
(48) מנזריך כארבה וטפסריך כגוב גובי החונים בגדרות ביום קרה וגו׳ S Hieronym. legit טפסיך pro טפסריך *Taphsar*, quod nomen est Magistratus apud Assyrios, ex quo Græci finxere *Satrapam*. Vide Jerem. li. 27. Septuaginta vocem hanc vel neglexere, vel non intellexere. (49) נפשו עמך על ההרים ואין מקבץ
(50) אין כהה לשברך נחלה מכתך (51) Oὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντρίψει σου, ἐφλέγμανεν ἡ πληγή σου.
(52) תקעו כף עליך Septuag. Ἐκρότησαν χεῖρας ἐπὶ σέ.

FINIS COMMENTARII IN NAHUM.

IN HABACUC PROLEGOMENON.



Atus in Berzacar, ac Tribu Simeonis, si fides sit Pseudo-Epiphanio, Dorotheo, aliisque similis furfuris Scriptoribus, Habacuc, cum gravem instare Urbi Jerosolymæ Nabuchodonosorem audivit, celeri se fuga subducens, Ostracinen in Arabia ad lacum Sirbonem contendit. Ibi aliquo temporis spatio moratus, postquam Chaldæos eversa Jerosolyma Judæam deseruisse intellexit, patriam repetiit, quo tempore Judæi, qui Babylonicam captivitatem effugerant, in Ægyptum sese conferebant. Agrestem ibi vitam colendis agris exercuit, & cum forte prandium Messoribus deferret, accidit, ut subito coma capitis apprehensus, & in aerem sublatus, Babylonem ad Danielem, inter Leones clausum, transferretur. Ubi ex allato prandio recreatus est, iterum Habacuc per aerem traductus, Judæam tenuit. Ibi vitæ cursu confecto, biennio ante exitum captivitatis Babylonicæ in patria sua sepulturæ mandatus est. Plura illi non canonicæ authoritatis vaticinia, extra Librum ejus nomine scriptum vagantia, tribuuntur; uti de futura mox Judæorum in Patriam restitutione; de ingenti quodam lumine gloriaque Domini, in Templo stato quodam tempore spectanda (Jesum Christum innuebat); de urbe Jerosolyma ab occidentali quodam populo evertenda (Romanos intellige); tunc autem velum *Dabir* in duas partes scindendum; epistylia duarum columnarum ab Angelis in deserto quodam loco occultanda, ibi scilicet, ubi paulo ante captivitatem Tabernaculum fœderis conditum est. Scriptam etiam eidem Authori referunt historiam Susannæ, Belis, Draconis, & translationis suæ Babylonem; quibus omnibus opinionibus ex inscriptione in Exemplaribus Græcis apposita, fides adstruitur: *Prophetia Habacum, Sacerdotis Juda, ex Tribu Levi*. Hunc tamen Habacuc, alterum alii putant ab Authore Operis, de quo modo. Ne vero incertis hisce & apocryphis immoremur, ex ipso ejus Opere res ab eo gestas certamque ætatem explorabimus.

In ipso Operis vestibulo alte queritur Habacuc de scelere & licentia in Regno Juda impune regnante (1); atque ex Deo discit, insignem regioni imminere per Chaldæos ultionem (2). Hæc satis expresse designant, munus suscepisse Prophetam ante primum adventum Chaldæorum in Palæstinam, anno tertio Joachimi Regis Juda; quod maxime cum illorum opinione congruit, qui coætaneum Jeremiæ Habacuc, & paulo post Jonam (3) floruisse constituunt. Victorias etiam Nabuchodonosoris, ejusque metamorphosim in bovem, ac tandem obitum prædicit (4).

Cum vero graviter ferret Propheta, Principem infidelem, in subjectas sibi gentes impotenter & impie bacchantem, ut ad cultum lignorum & lapidum invitas adigeret, seque vero omnium victoriarum suarum authorem reputantem, tot nihilominus scelerum merito, præmio & felicitate donari (5); Deus illi morem gerens, quid deinde Nabuchodonosorem post tot felicitatum cursum maneret, aperuit (6). Quare risui habendum a cæteris populis, spoliandum ab iis, quorum ipse exuvias legerat, demonstravit (7). Quod vero ad Joachimum spectat, cum scelestissimi etiam Regis facta Prophetam cruciarent, ait, omnia quæ ab ipso agitarentur consilia, inania prorsus futura (8). Tum Principem quemdam, in sanguine & iniquitate, Urbis novæ fundamenta jacientem, (Ithobalum Regem Tyri credimus) arguit. Ejus divitias omnes igne vastandas denunciat (9). Instituit post hæc in quarrum alium Principem accusarionem, reum inductæ in amicum suum ebrietatis, ut prubrum ipsius detegeret. Suggillatum hoc Oraculo arbitramur Regem Ægypti, qui adducto in defectionem adversus Nabuchodonosorem Sedecia, hostium arma in illum provocavit. Qua ille cæteros ebrietate affecit, hac a Deo ipsum afficiendum prænunciat (10). Neque ipsum modo, sed omnes etiam Idolorum cultores excidium manere, Deus Vatis ore testatur (11).

Grandia hæc agitans Propheta, subito œstro abreptus (12), Dei ad pietatem facti clementiam, qui, dum maxime irasceitur, mistam plurima indulgentia severitatem exercet, Carmine prosequitur. Vetera in Israelem beneficia magnificis laudibus extollit; fassus sola tot prodigiorum narratione sese quodam obsequii terrore opprimi; sperare se tamen addit, tamdiu se in vivis mansurum, ut fratres suos in exilio intueatur (13); se tamen caprearum pernicitate donandum a Deo fore non dubitat, ut Chaldæorum Judæam vastantium manus, in montes elapsus effugiat (14). Nec sperantem fefellit eventus. Ipse Chaldæorum furore immunis, cum deinde eorum metu patria soluta est, agrestem vitam exercuit. Ad pascendum Danielem Babylone versantem, prodigio translatus est Dan. XIV. & vitam usque ad solutam captivitatem, vel biennio ante fortasse produxit; nam ab anno primo Joachimi, quocum initium ejus Prophetiæ componimus, ad captivitatem usque solutam LXVI. annorum est intervallum. Vide tabulam Chronologicam Danielis.

Ejus sepulcrum non uno olim in loco monstrabatur (15); in *Ceila*, *Echela*, *Gabata*, duodecimo ab Eleutheropoli lapide, ad viam Liddæ, & in *Betzekar*. Sed *Ceila*, & *Echela* unus idemque sunt locus Gabbata & Beth-Zarar non differunt nisi nomine: quare ibi absque ulla ambiguitate sepultura Prophetæ hujus constituenda est. Ejus corpus ibidem inventum regnante Theodosio Seniore, Sozomenus Hist. Eccl. lib. 7. cap. 29. testatur.

---

[1] Habac. 1. 2. 3. 4. [2] Ibid. 5. 6. . . 10. [3] Clemen Alexan. l. 1. Strom. pag. 92. Theodoret. Præfat. in Habacuc. [4] Habac. 1. 7. 8. 9. 10. 11. 12. [5] Ibid. ℣. 12. 13. . . 17. [6] Habac. II. 1. 2. 3. 4. [7] Habac. II. 5. 6. 7. [8] Ibid. 9. 10. 11. [9] ℣. 12. 13. 14. [10] ℣. 15. 16. 17. [11] ℣. 18. 19. [12] Habac. III. 2. . . 16. [13] ℣. 16. [14] ℣. 19. [15] Vide Euseb. & Hieronym. in Ceila, Gabaa, Echila.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN HABACUC.

CAPUT PRIMUM.

Sui temporis flagitia luget & arguit. Chaldæorum sævitia, qui victoriarum suarum gloriam Diis suis tribuunt.

℣. 1. ONus, quod vidit Habacuc Propheta. 2. Usquequo, Domine, clamabo, &
non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? 3. Quare
ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & injustitiam contra me?
& factum est judicium, & contradictio potentior. 4. Propter hoc lacerata est lex,
& non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum,
propterea egreditur judicium perversum. 5. Aspicite in Gentibus, & videte: admi-
ramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet,
cum narrabitur. 6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velo-
cem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. 7.
Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa judicium, & onus ejus egredietur. 8. Le-
viores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis; & diffundentur equites ejus;
equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comeden-
dum. 9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens; & congregabit
quasi arenam, captivitatem. 10. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridi-
culi ejus erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem,
& capiet eam. 11. Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet: hæc est
fortitudo ejus Dei sui. 12. Numquid non tu a principio, Domine Deus meus, san-
cte meus, & non moriemur? Domine, in judicium posuisti eum: & fortem ut cor-
riperes, fundasti eum. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere
ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante
impio justiorem se? 14. Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non
habens principem. 15. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, &
congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, & exultabit. 16. Propterea immo-
labit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars ejus, &
cibus ejus electus. 17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper inter-
ficere Gentes non parcet.

℣. 1. ONUS, QUOD VIDIT HABACUC. *Onus* (1), uti sæpe diximus, triste molestumque vaticinium sonat. De Habacuc ejusque vaticiniorum argumento satis disputavimus in Prolegomeno. Illum sub novissimis Judæ Regibus oracula fudisse credimus, antequam geminæ Tribus Juda & Beniamin in exilium raperentur. Primis quatuor versiculis Propheta Judæ flagitia persequitur; & ℣. 6. de Chaldæis regionem invasuris agit, ceu de re prorsus nova, quasi Judæa nunquam antea illos experta fuerit.

℣. 2. USQUEQUO CLAMABO, ET NON EXAUDIES? Sermonem exorditur Habacuc ab ærumnis, quas ipse præsens videbat, & ab impiorum felicitate. Duabus hisce rebus ita affligitur ac movetur, ut descendere cogatur in questus, quos in alio ægre excusaveris, & nonnulli Veteres (2) veluti nimis acres atque impatientiæ plenos arguunt. Alii putavere (3), Prophetam non ipsum suas recitare, sed populi sententias, Dei consilia non intelligentis, atque ægre ferentis, ubi iniquitatem & sævitiam impune bacchantes videt. Pari orationis figura David Psal. 72. 2. homines animo infirmos in quodam Psalmo loquentes inducit, quasi ipse visa impiorum felicitate irascatur. Vel, narrat hic Habacuc, quid olim ipse meditaretur, ante-

[1] Hebr. משא Septuag. Sym. Theodot. Λῆμμα. Theodoret. Λῆμμα δὲ καλεῖ τὴν θεωρίαν τὴν λῆψιν, καὶ τὴν οἷον τῶν ἀοράτων μετάβασιν ἐπὶ τὴν θείαν κατάληψιν. [2] Hieron. Præfat. in Habacuc: *Vides, quod temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis, creatorem suum ad judicium provocare*, &c. Vide & Nazianzen. orat. 1. Apolog. & Eliam Cretens. in eum locum Naz. [3] Theodoret. hic, Sanct. Vatab.

quam futuras Chaldæorum vices a Deo intelligeret; quemadmodum & David non præsentes animi sui sententias exponit, sed ea quæ animo agitabat, antequam magis seria meditatione uteretur. Fatendum tamen est, in Scriptoribus sacris quosdam acris naturę impetus legi, quę debito erga Deum obsequio deesse videntur, nostrisque ingeniis multo mitioribus moribusque modestioribus minime conveniunt. Similia his exempla legimus in Moyse Exod. 32. 32. Jobo 3. 11. Elia (4), Davide (5). Jeremia (6). Jona 4. 8. &c.

℣. 3. FACTUM EST JUDICIUM, ET CONTRADICTIO POTENTIOR. Ubique lites & jurgia. Hebręus (7): *Est contentio, & judicium tollitur*: lites sunt, sed jus ęquum non fit. Exulant a foro justitia & ęquitas. Vel: Cur videntur lites, non justitia? Vel junge cum consequentibus; *sunt lites, & fertur sententia*. (℣. 4.) *Idcirco negligitur Lex*. Dum teritur tempus litigando jurgandoque, Lex deseritur: corrumpuntur Judices, & melior causa est qui locupletior. Septuaginta (8): *Fit judicium & judex accipit* munera. Chaldęus: *Contentione & superbia* impii *prævalent*. Hęc inter Judęos videbantur sub novissimis Regibus, post Josię obitum, Vide Jeremiam XXI. 12. XXII. 3.

℣. 4. NON PERVENIT USQUE AD FINEM JUDICIUM, cum Judices constantia & authoritate careant, & eos qui sententię executionem impediunt, non coerceant, Vel: Judicium, ęquum jus loco cessere, non regnant (9), *non vincunt*. Seu denique: Res indefinita manet: Judices quippe pauperis causam deserunt, & adversus locupletem sententiam ferre non audent.

℣. 5. ASPICITE IN GENTIBUS, ET VIDETE . . . QUIA OPUS FACTUM EST IN DIEBUS VESTRIS, QUOD NEMO CREDET, CUM NARRABITUR. Post quatuor priorum versiculorum exordium, rem aggreditur Propheta; Deumque inducit verba facientem ad eos, qui iniquitatem sęvitiamque in Juda cultam ęgre ferunt. Jubet igitur Deus intueri gentes, inter quas vivunt Judęi, ac sedulo meditari, quid ipsis mox eventurum sit. Illas invasum iri a Chaldæis prædicit, atque imminens illis exitium minitatur. Deinde vero Nabuchodonosoris supplicium leviter tangit. Cum vero his vaticiniorum argumentis Prophetæ dubia & scrupulus magis magisque augerentur, quippe quod Chaldæi nihilo minoribus quam cæteræ gentes flagitiis obvolverentur; denique docet Deus, Imperium Chaldæorum eversum iri, infirmarumque mentium turbas omnino cessaturas. Septuaginta (10): *Videte, contemptores, & respicite, & admiramini mirabilia, & disperdimini; quia opus ego operor in diebus vestris, quod non credetis, si quis narraverit*. Locum hunc ita recitat S. Paulus (11), ut cum versione Septuaginta Interpretum consentiat. Veteres Græci Interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotion cum S. Hieronymo conveniebant: at duas ille versiones recitat, authore carentes, quarum altera ferebat, *Videbitis calumniatores*; altera, *Videbitis declinantes*, pro, *Aspicite in gentibus*. Hinc disce, quam ingens esset ea ętate Codicum Hebraicorum dissidium. Nonnihil adhuc in Græcis Libris discrimen cernitur, sed levissimum,

℣. 6. SUSCITABO CHALDÆOS, GENTEM AMARAM. Primus Regum Chaldæorum Judæam finitimasque provincias invasit Nabuchodonosor. Antea Assyrii Reges horrenda virium suarum vestigia ibi reliquerant. Missus eo est initio Nabuchodonosor a patre suo Nabopolassaro, ut seditionem a Satrapa Cœlesyriæ & Phœniciæ, qui ad Ægyptios desciverat, excitatam compesceret (12). Fortasse & Joakim nova molitus erat in Nabuchodonosorem; quamobrem Nabuchodonosor, armis in Jerosolymam versis, Joakimum cepit, atque in vincula dedit, Babylonem adducturus: at gravissimis conditionibus oneratum in suo Regno reliquit, ablatis tantummodo ex magna parte sacris Templi vasis, raptisque in captivitatem nobilissimis pueris & elegantissimis, ut illos obsidum loco pro Judæorum fide apud se haberet (13). Hos inter fuere Daniel, Ananias, Azarias, Misael (14). Nabuchodonosor sub patris imperium reduxit quicquid Nilum inter & Euphratem jacebat, & Ægyptios intra ditionis suæ fines coercuit. Mortuo interim Nabopolassaro, Nabuchodonosor Babylonem rediit, imperii habenas accepturus (15). Neque tamen diu quievit, Jechoniæ seditione in Judæam accersitus (16). Capto Jechonia, & Babylonem ducto, pacatæ Regni res usque ad annum Sedeciæ nonum fuere (17). Hic juncto cum Ægyptiis fœdere, Assyriorum jugo se subducere conatus est. At Nabuchodonosor tertio in Judæam veniens, bello Judæos, Tyrios, Ægyptios, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, finitimosque omnes afflixit. Hæc omnia fortasse vaticiniis spectavit Habacuc, præsertim vero primam Regis Chaldæorum expeditionem in Joakimum.

GENTEM AMARAM ET VELOCEM. Omnes ferme Græcorum Historici, externarum rerum Scriptores, Chaldæorum militum virtutem & constantiam commendant, ac celeritatem, qua regiones a se expugnatas occupavere (18).

℣. 7. HORRIBILIS ET TERRIBILIS EST; EX SEMETIPSA JUDICIUM, ET ONUS EJUS EGREDIETUR: nullum judicem timet, ac pro libitu depopulabitur. Instrumentum est, quo utetur Deus, ut judiciorum suorum severitatem ac vindictam in homines exerceat. Vel: Legem ac tributa imperat iis, quos subjecerit. Libera gens, imperiosa, sævissima, quæ cæterarum gentium libertati perniciem molitur. Septuaginta (19): Populus *terribilis & illustris est; ex ipso judicium ipsius erit*: nullam agnoscit authoritatem se superiorem; *& assumptio ejus ex illo egredietur*, omnia sibi arrogat. Reddi potest Hebræus (20): Populus terribilis est & horribilis, legem a nemine accipiens, atque aliorum ope non indigens, ut crescat; absoluta authoritate imperans, seque ipsum absque aliis sustinens. Symmachus (21): *Ipse sibi judicabit, & decretum suum ipse exequetur*.

℣. 8. LEVIORES PARDIS EQUI EJUS. Chaldæorum equi pernicitate commendabantur. Horum currus instar procellæ veloces esse, & equos aquilis similes, ait Jeremias 4. 13. Oppiano teste (22), equi ad Euphratem pasti natura sua bellicosi sunt & intrepidi; leonis neque aspectum neque rugitum verentur, & mira pernicitate præstant. Par-

[4] 3. Reg. XIX. 4. 10. & seq. 4. Reg. 1. 19. [5] Psalm. XLI. 1. XLIII. 24. [6] Jerem. XV. 14. 15. 12. [7] ויהי ריב ומדון ישא [8] Γέγονε ἡ κρίσις, καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει. [9] ולא יצא לנצח משפט Septuag. Οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρίμα. [10] Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε· διότι ἐγὼ ἔργον ἐργάζομαι, &c. Legunt בגדים vel בוגדים pro בגוים. [11] Act. XIII. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε· ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, &c. Theodoret. hic: Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἴδετε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε, διότι ἐγὼ ἐργάζομαι, &c. Edit. Rom. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε, &c. [12] Vide Usser. ad an. Periodi Jul. 4107. Mundi 3397. [13] 2. Par. XXXVI. 5. & 4. Reg. XXIV. 1. [14] Dan. 1. 3. 7. [15] Beros. Rer. Chald. lib. 3. Vide Usser. ad an. Mundi 3399. [16] Anno Mundi 3405. [17] An. Mundi 3415. [18] Hieron. hic: *Gentem pugnacissimam, & velocem, cujus roboris, & ad bellandum audaciæ omnes pene Græci, qui barbaras historias conscripserunt, testes sunt*. [19] Φοβερὸς καὶ ἐπιφανής ἐστιν, ἐξ αὐτοῦ τὸ κρίμα αὐτοῦ ἔσται, καὶ τὸ λῆμμα αὐτοῦ, ἐξ αὐτοῦ ἐξελεύσεται. [20] Heb. איום ונורא הוא ממנו משפטו ושאתו יצא [21] Sym. Αὐτὸς ἑαυτῷ δικάσει, καὶ δόγμα τὸ ἑαυτοῦ ἐξελεύσεται. [22] Oppian. Vide Sanct. hic.

Pardus inter quadrupedes pernicissimus est & cursu levissimus.

VELOCIORES LUPIS VESPERTINIS. Plerumque lupi vespere & sub noctem ad prædam egrediuntur; quo tempore fames, silentium, hominum & tumultus absentia perniciores efficit ac leviores. Virgilius Æneid. 2.

.... *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit rabies.

Hebræus (23) acrem potius oculorum aciem, quam pernicitatem significat. Revera lupi nocte etiam illuni acerrime vident (24). Legunt Septuaginta (25): *Velociores lupis Arabiæ.* Quoddam luporum genus esse apud Arabes dicitur, cursu velocissimum, & communibus lupis longe ferocius (26). Putat Guevara, hyænam hic a Propheta significari, quæ vespertinus seu nocturnus lupus dicitur, quod illa plerumque noctu prædatum egrediatur (27); cum cæteri sub vesperum potius, vel matutino tempore prodeant. Hyæna Arabiæ cæterarum multo sævissima est, si Rerum naturalium Scriptoribus credas.

VOLABUNT QUASI AQUILA. Eadem comparatione cæteri Prophetæ utuntur, ubi de Chaldæis agunt (28); ut illorum velocitatem, robur, præstantiam, & Imperii ipsorum sublimitatem innuant.

℣. 9. FACIES EORUM VENTUS URENS. Ignem ubique ferunt, Turbas, exitium. Hebræus (29): *Facies eorum ventus orientalis.* Venti ex Arabia deserta flantes, perniciosissimi iis regionibus sunt urentesque, tum proprio ipsorum calore, tum pulvere & arenarum turbinibus, quos secum rapiunt. Vidimus apud Jeremiam 4. 2. & 18. 17. Ezechielem 17. 10. & 19. 12. Oseen (30) transeuphratæos exercitus cum orientali vento comparatos; qui ventus veluti in proverbium abierat, ut perniciosam rem, agro, messibus, fructibus, hominum corporibus exitialem significaret.

CONGREGABIT QUASI ARENAM CAPTIVITATEM, tam facile tamque numerosam, quam arenæ cumulos. Non modo ex regione Juda captivos habuit Nabuchodonosor, verum etiam e Phœnicia, Idumæa, Palæstina, Moabitide, Ammonitide, ac præsertim Ægypto. Hoc in Prophetis legimus (31), & animadvertimus in Beroso (32).

℣. 10. IPSE DE REGIBUS TRIUMPHABIT, ET TYRANNI RIDICULI EJUS ERUNT. Judæorum Reges, Tyrios, Ægyptios ludibrio habuit Nabuchodonosor; cepit, captivos rapuit, pro arbitrio spoliavit: illis veluti per jocum illusit. *Tyranni* appellatio nihil odiosum hic sonat; ea enim legitimus verusque Rex & Princeps significabatur. Latinum Virgilius Æneid. 7. Tyrannum nuncupat:

Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis,
Principio Latium & Laurentis tecta Tyranni
Celsa petit.

Eodem nomine Latinus Æneam donat:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni.

Hebræus ad verbum (33): *Ipse Regibus illudet, & Gubernatores de ridiculo ipsi erunt.* Septuaginta (34): *Ipse in Regibus delectabitur, & Tyranni ludi ipsius erunt.* Gloriabatur Sennacherib (35) se in familiarium numero Reges habere, seu potius qui olim fuerant.

SUPER OMNEM MUNITIONEM RIDEBIT, ET COMPORTABIT AGGEREM, ET CAPIET EAM. Ad verbum (36): *Ipse irridebit omnem munitionem, & coacervabit humum*, aggeres struet, *& capiet eam.* Urbium obsidiones fiebant olim, cincta mœnibus & aggeribus urbe, ut in angustias redigeretur; obstructisque fossis & vallo, iter aggressioni mœnium sternebatur, admovebantur mœnibus machinæ, ex quibus projicerentur pontes, & defensores a muro arcerentur. Hujusmodi aggerum ope potissimum urbes olim capiebantur. Vide Ezechielem, qui cap. 4. 1. 2. Jerosolymæ obsidionem, Deo jubente, in latere describit: *Ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem.*

℣. 11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS, ET PERTRANSIBIT, ET CORRUET. Bellis ubique gestis ea facilitate & fortuna, quas nemo speraverit, victoriis opibusque onustus Babylonem redit Nabuchodonosor. Cum vero suis in ædibus esset, magnamque Babylonem a se auctam ornatamque admiraretur, improvisa e Cœlo vox sonuit (37): *Regnum tuum transibit a te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua; fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Turbata statim illius mente, se bovem esse credidit; atque ab hominum consuetudine ejectus, inter feras relictus est. Id Habacuc his verbis prędicit: *Tunc mutabitur spiritus* ejus, *pertransibit, & corruet.* Septuaginta (38): *Tunc mutabit spiritum, transiet, & reconciliabitur.* Hebræus (39): *Tunc mutabitur spiritus, & transiet, & peccabit.* Scilicet, ex Interpretum quorumdam sententia (40): *Tunc mutabitur, novos spiritus capiet*, superbe extolletur, & majora conditione humana sentiet; in rebus prosperis sui ipsius oblivisceretur, *& corruet* in peccatum superbiæ ingratique animi vitium.

HÆC EST FORTITUDO EJUS DEI SUI. Ejus Numinum vires illum ab hoc insaniæ supplicio non tuebitur, quo is a Deo Israelis mulctabitur. Vel: Huc desinet omnis illius superbia, qua contra Dominum insanit. Magnis ille expeditionibus animos adversus Deum extulit; at Dei viribus fractus sensit, quicquid roboris sibi inerat, meram esse imbecillitatem, atque unicum sortis suæ arbitrum esse Deum. Jungi hæc possunt cum superioribus (41): *Corruit in peccatum*, dicens, *has sibi vires a Deo suo esse.* Vel: Peccavit, expeditionum suarum decus sibi tribuens, seque Deo similem putans, ac Dei loco substituens, dum gloriam, supremo omnium Domino debitam, sibi usurpavit. Septuaginta (42): *Hæc est fortitudo Deo meo.* Chaldæus: *Flagitium admisit, eo quod multiplicaverit gloriam Idolo suo.*

℣. 12. NUMQUID NON TU A PRINCIPIO, DOMINE, ET NON MORIEMUR? Post hæc vaticinia Judęis molestissima, aliisque innumeris, in Chaldæorum potestatem deventuris, verba ad Deum convertens Habacuc, ait: Fieri ne igitur poterit, ut nos, o Deus, penitus perdas? Id porro minime fiet; quippe idem ille es, cujus misericordiam ab initio experti sumus: *Non moriemur*; minime patieris, ut Nabuchodonosor, terribile justitiæ tuæ instrumentum, mala, quæ adversus nos meditatus est, expleat: *Et non moriemur.*

DOMINE, IN JUDICIUM POSUISTI EUM, ET FORTEM, UT CORRIPERES (punires impios), FUNDA-

(23) וחדו מזאבי ערב (24) Ælian. de animal. lib. x. cap. 26. Ὀξυωπέστατόν ἐστι ζῷον, καὶ μάλιστα, καὶ νυκτὸς, καὶ σελήνης οὐκ οὔσης ἰδεῖν ὁρᾷ. (25) Septuag. Ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους τῆς Ἀραβίας. (26) Vide Cyrill. hic. (27) Oppian. Cynæget. Guevar. hic. (28) Deut. xxviii. 49. Jerem. xlviii. 40. ix. 22. Ezech. xvii. 3. Thren. iv. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis Cæli.* (29) פניהם קדימה (30) Osee xiii. 15. *Adducet ventum urentem Dominus.* (31) Isai. xx. 4. Jerem. xxvii. xxviii. Ezech. xxv. & seq. Amos i. 11. (32) Beros. lib. 3. Rerum Chald. apud Joseph. lib. 1. contra Appion. p. 1044. (33) והוא במלכים יתקלס ורזנים משחק לו (34) Αὐτὸς ἐν βασιλεῦσιν ἐντρυφήσει, καὶ τύραννοι παίγνια αὐτοῦ. (35) Isai. x. 8. (36) לכל מבצר ישחק ויצבר עפר וילכדה (37) Dan. iv. 27. 28. 29. (38) Τότε μεταβαλεῖ τὸ πνεῦμα, καὶ διελεύσεται, καὶ ἐξιλάσεται. Edit. Rom. Ἐξιλάσεται. Alii, Ἐξιλάσεται. (39) אז חלף רוח ויעבור ואשם (40) Pagn. Drus. Vat. Mon. Grot. Tarnov. &c. (41) אשם זו כוחו לאלהו (42) Αὕτη ἡ ἰσχὺς τῷ Θεῷ μου.

ATI EUM. Vel: Illum crescere atque extolli passus es, ut judiciorum tuorum severitatem in illum luculentius exerceres; atque his viribus opibusque cumulasti, ut dejiceres atque deprimeres; quemadmodum evexisti olim Pharaonem, ut illustre virium tuarum specimen, tuæque severitatis exemplum in eo exhiberes (43): *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam*. Hebræus (44): *Et ipsum ad judicium posuisti; & tu, ô Petra, ut corriperes illum, ipsum fundasti*. Petræ nomen consueta est Dei appellatio. At vulgata versio communius probatur. Septuaginta (45): *Domine, in judicium posuisti eum, & plasmasti me ut docerem disciplinam ejus*. Creditum sibi munus innuit Propheta.

℣. 13. MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM (46), ne feras malum, ne probes. Inquinari videretur Dei oculus, si ita malum intueretur, ut probaret. Vel, dubio locum relinquerent, utrum ita perspicua illi esset ac pura oculorum acies, uti credimus, si malum intuens ferret. Cum igitur malum videre nequeas, cur te præsente atque intuente adeo sævit insanitque Nabuchodonosor? *Quare taces, devorante impio justiorem se?*

℣. 14. FACIES HOMINES QUASI PISCES MARIS? Dum illos Nabuchodonosori permittis, reti capiendos, veluti pisces a piscatore. Minimo negotio capiuntur pisces, cum & viribus ad sui defensionem eareant, & Principe cujus solertia securi ducantur: *Quasi reptile non habens Principem*. Reptilium nomine pisces ab Hebræis significantur, uti sæpe vidimus (47). Minuti pisces majoribus pro cibo sunt, ex vetere proverbio (48):

Qui pote plus, urget; pisces ut sæpe minutos
Magnu' comest; ut aves enecat accipiter.

℣. 16. PROPTEREA IMMOLABIT SAGENÆ SUÆ. Victorias suas suæ ipsius virtuti, solertiæ, fortunæ tribuit; vel omnino Deo suo. Sua ipsius arma, peritiam, vires, se ipsum ille colebat, authore Sanctio ad ℣. 11. n. 55. Mezentius apud Virgilium Æneid. 10. sui unius dextram hastamque pro Diis in prælio invocat:

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro,
Nunc adsint.

Capaneus apud Statium Thebaid. 10.

...... *Ades o mihi dextera tantum:*
Tu præses belli, & inevitabile Numen,
Te voco, te solum, Superum contemptor, adoro,

Hastam suam Cenæus in Deorum numerum retulit, subdirosque per illam jurare jussit. Ita etiam fortasse Nabuchodonosor sagenæ suæ immolat. Illum pisces coluisse, rerium nomine significatos, censer Guevara. Ægypti certe olim & Syri sacra piscibus faciebant. Hæc tamea explicatio exquisitior justo videtur. Ea porro probabilissima est, quæ docet, illum victoriarum suarum gloriam, & quæ uni Deo debebantur, sibi arrogasse; vel Belo decus omne tribuisse, cui & simulacrum in campo Dura prope Babylonem dedicavit, addita sanctione, ut illud ab universis Imperii subditis coleretur. Dan. 3. 1.

℣. 17. PROPTER HOC EXPANDIT SAGENAM SUAM, Utilem adeo felicemque piscationem deserere nescit; quamobrem piscari, capere, necare non desinet. Pauci sunt, quos magna adeo cupiditas egerit, uti Nabuchodonosorem.

---

[41] Exod. IX. 16. [44] יהוה למשפט שמתו וצור להוכיח יסדתו [45] Κύριε εἰς κρῖμα τέταχας αὐτὸν, & ἔπλασέ με τοῦ ἐλέγχειν παιδείαν αὐτοῦ. [46] טהור עינים מראות רע [47] Vide Genes. 1, 30. Psalm. CIII. 25. [48] Marc. Varro.

CAPUT II.

Jubetur Propheta scriptis redigere quæ vidit, Damnatur incredulus. Justus ex fide vivit, Væ iis qui insatiabili ambitione tenentur. Væ qui opes injusta vi familiæ parit. Væ qui urbem sanguine ædificat; qui fel vino miscet, ut fœderatum ebrium efficiat. Væ denique iis, qui ligna & lapides colunt.

℣. 1. SUper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. 2. Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum. 3. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet. 5. Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur: & congregabit ad se omnes gentes, & coacervabit ad se omnes populos. 6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum ejus: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequo & aggravat contra se densum lutum? 7. Numquid non repente consurgent, qui mordeant te; & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea. 9. Væ, qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali. 10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit. 12. Væ,

qui

qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. 13. Num-
quid non hæc sunt a Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne,
& gentes in vacuum, & deficient. 14. Quia replebitur terra, ut cognoscant glo-
riam Domini, quasi aquæ operientes mare. 15. Væ, qui potum dat amico suo
mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. 16. Repletus es igno-
minia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Do-
mini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam. 17. Quia iniquitas Libani ope-
riet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitatem
terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea. 18. Quid prodest sculptile, quia
sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia speravit in figmento
fictor ejus, ut faceret simulachra muta. 19. Væ, qui dicit ligno: Expergiscere;
Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro,
& argento: & omnis spiritus non est in visceribus ejus. 20. Dominus autem in
templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra.

℣. 1. SUPER CUSTODIAM MEAM STABO. Flagitia, quæ in Juda patrabantur, intuens Habacuc, animo cruciabatur & hærebat (1). Cum vero compertum illi fecisset Deus futurum, ut Chaldæorum arma Hebræorum scelera & iniquitates punirent; ea res animi illius turbas minime compescebat. Tria enim adhuc supererant, quæ scrupulum faciebant. I. Videbatur Deus, omnem populi sui curam penitus abjecisse, cæterasque gentes habere loco piscium & ferarum. II. Nabuchodonosoris, cujus celeberrima facinora prædixerat, rapinas, probare videbatur. III. Impiis quodammodo favebat Deus, tot beneficiis hominem cumulans, qui non modo gestorum gloriam Deo non tribuebat, verum etiam *Sagenæ suæ immolabat*, & lignum lapidesque venerabatur. Docet hic Habacuc, sese similem excubitori esse, custodiam servanti, ut ea, quæ Deus hac de re sibi ostenderit, suisque difficultatibus responderit, intelligat. Jubet Deus quæ viderit scribere, nunciatque futurum, I. ut Nabuchodonosor, superbus ille victor, deprimatur, & hostibus ludibrio sit. Amplissimumque imperium, tantis illius laboribus conditum, cadat (2). II. Joachim Rex Juda, domum suam iniqua vi & extorsionibus ædificans, ipsius Domus ruina puniatur (3). III. Rex Tyri, qui Urbem sanguine Populorum struebat, eamque in iniquitate fundabat, Urbem ipsam Belli igne consumptam cerneret (4). IV. Ægypti Rex, qui Judæorum Regem in partes suas traxerat, eumque *vino suo ebrium* fecerat, eodem calice ebrius ipse fieret, & mala, quæ in Judæam induxerat, in ipsum cederent (5). V. denique is, qui Idola colebat, spe, & illorum ope sese destitutum sentiret (6). His auditis, Propheta, sedatis animi turbis, agnoscit, nihil nisi justissimum in Dei gestis & Judiciis inveniri, & æquum esse, ut terra universa coram illo obsequii plena sileat. Hæc, uti credimus, hujus capitis distributio est. Nabuchodonosorem Babylonis Regem, Joachimum Regem Juda, Hophram Regem Ægypti, Ethalum, sive Ithobalum Regem Tyri non nominat Propheta, sed iis notis singulos designat, quibus facile agnoscantur.

SUPER CUSTODIAM MEAM STABO, ... UT VIDEAM QUID DICATUR MIHI, ET QUID RESPONDEAM AD ARGUENTEM ME. Expositis animi sui laboribus curisque, præstolatur Propheta, quid respondeat ac doceat Deus. Ita olim David, impiorum felicitate offensus, Sanctuarium ingrediens, impiorum exitum coram Deo meditatur Psal. 72. 17. *Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*. Similem se dicit Habacuc excubitori super speculam constituto, ut Israeli nunciet quæ eventura sunt, & hostium itinera adventumque significet. Hoc porro munus est Prophetarum. *Super speculam Domini sum*, inquit Isaias 21. 8. *stans jugiter per diem*. Ezechielem monuit Deus (7): *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me*. Reddi potest hujus loci Hebræus (8): *In custodia mea* (in loco meo) *stabo, ut videam quid loquatur de me, & quid respondeam ad objurgationem meam*, iis quæ objicio; quo pacto tuear quæ dixi, & quæ Deo objeci, de impiorum felicitate qua animus meus offendebatur (9); vel, quid respondeam objurgationi, qua Deum prævideo in me animadversurum, quod ipsius gesta ad meum examen revocare ausus sim. *Quid loquatur in me*, significat, quid mihi dicturus sit (10), vel quid significaturus; sive, quod adversus me sit responsurus.

FIGAM GRADUM SUPER MUNITIONEM (11), super mœnia, vel turrim ubi constiturus sum. Septuaginta (12): *Ascendam super petram*. Theodotion, Aquila, & quinta Editio (13): *Stabo super circulum*. Veteres Hebræi doctores, teste Kimchi, docent, Habacuc circulo humi descripto, dixisse se minime ex eo egressurum, nisi a Deo intelligeret, cur impiorum supplicium ipse differret; quemadmodum ferme Popilius a Senatu Romano ad Antiochum Epiphanem missus (14), *virga solum, quo insistebat, denotavit, ac prius, inquit, quam hoc circulo excedas da responsum quod Senatui referam*.

℣. 2. SCRIBE VISUM, ET EXPLANA EUM SUPER TABULAS, ut legi queat, ne cui locus dicendo sit, ea quæ eventura sunt, vel casui vel mortalium causarum conjunctioni deberi. Vaticinia scriptis redigi voluit Deus, addita temporum nota & Prophetarum nomine, ut incredulorum ora obstruantur, piorumque fides confirmetur, ubi rerum gestarum veritas cum vaticiniis comparata fuerit. Septuaginta (15): *Scribe visum diligenter super buxum, ut percurrat ea qui legerit*. Buxum posuere pro tabulis, in quibus olim scribi consueverat, quod ejusmodi tabulæ revera buxeæ essent, cera inductæ. Propertius:

Non illas fixum ceras effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.

(1) Habac. 1. 3. 4. (2) Cap. 11. ℣. 5. . . . 8. (3) Cap. 11. 9. 10. 11. (4) ℣. 12. 13. 14. (5) ℣. 15. 16. 17. 18. (6) ℣. 18. 19. (7) Ezech. xxxiii. 7. (8) על משמרתי אעמדה . . . . לראות מה ידבר בי ומה אשיב על תוכחתי (9) Vatab. Grot. Drus. Lud. de Dieu, Tir. (10) Vide 2. Reg. xxiii. 2. Psal. lxxxiv. 9. Zach. 1. 1. (11) ואתיצבה על מצור (12) Septuag. Ἐπιβήσομαι ἐπὶ πέτραν. (13) Theodot. Gyrum. Aq. & V. edit. Circum. (14) Valer. Max. lib. 6. cap. 4. Liv. lib. 45. Cicer. Philippica 8. &c. (15) Γράψον ὅρασιν σαφῶς εἰς πυξίον, ὅπως διώκῃ ὁ ἀναγινώσκων αὐτά. Heb. באר על הלחות

Has tabulas Habacuc legendas volentibus dedit, ac fortasse palam populo exposuit (16), quas unusquisque pro libito exscripsit.

℣. 3. QUIA ADHUC VISUS PROCUL, ET APPAREBIT IN FINEM . . . QUIA VENIENS VENIET, ET NON TARDABIT. Secum pugnare videotur hæc verba. Qui fieri potest, ut vaticinii fides longe absit, quæ mox proditura est? Hebræus (17): *Quia adhuc visum est ad constitutum tempus, & apparebit ad finem ... quia certo eveniet, & non tardabit.* Post ea quæ prius vidisti, de Nabuchodonosoris victoriis, quas tibi explanavi, alia supersunt tibi ostendenda, suo tempore eventura. Si hæc statim expleri non vides, patienter expecta; suo enim tempore singula fient, ac tu ipse intueberis. Habacuc profecto, si illum vaticinari cœpisse ponas paulo ante quam Judæam Chaldæi invaderent, ea quæ toto hoc Capite prædicit, spectare potuit; neque solum Nabuchodonosoris victorias fortunasque, verum etiam ruinam & insaniam, qua turbatis animi viribus, ille in bovem sese conversum esse credidit; ac denique illius mortem & Cyri bella, quorum finis fuere Chaldaici Imperii excidium, & Persici institutio.

Veteres, novique Interpretes plurimi (18) locum hunc de Jesu Christi adventu explicavere; atque uti Gentium servitus & captivitas sub Nabuchodonosore, figura erat servitutis, qua universum hominum genus sub Dæmonis imperio tenebatur, ita Nabuchodonosoris mors, imperii illius excidium, gentium libertas a Cyro parta, qui Cyrus inter Messiæ figuras recensebatur, felicissimum Jesu Christi regnum adventumque perspicue significabant. At inter eos quos diximus, plurimi sunt, qui de altero Servatoris adventu interpretantur. Locum hunc recitans S. Paulus, ex posteriori hac interpretatione explicare videtur (19). At alibi (20) usurpans ea, quæ sequente Versiculo leguntur, *Justus in fide sua vivet*, hæc ad novæ legis tempus refert. Nihil hic est quod repugnet, cum frequentissimi occurrant Scripturæ loci, in quibus uterque adventus uno vaticinio spectatur. At verus verborum sensus, ad res & Historias pertinens, ea potius spectat, quæ sub Nabuchodonosore usque ad Persici Imperii exordium eventura erant. Ultimus omnium quæ prædicit Habacuc, est reditus Judæorum e captivitate. Vide Caput III. 16. 18. Atque ita ex veteribus explicant Theodoretus & S. Cyrillus Alexandrinus, & plurimi recentiorum (21).

℣. 4. QUI INCREDULUS EST, NON ERIT RECTA ANIMA EIUS IN SEMETIPSO; JUSTUS AUTEM IN FIDE SUA VIVET; sua illum fides tuebitur ac servabit. Impii solummodo, vaticiniis tuis increduli, peribunt. Aliter: Qui incredulus fuerit, prosperos rerum exitus non habebit: *Non erit recta anima ejus in semetipso*; nonnisi mœrorem & molestiam sentiet: omnia illius consilia evertet Deus. At credent pii, iisque salubris utilisque futura est fides, eosque a morte servabit; omnia præcavebunt, ne malis, quæ ipse nuntias, opprimantur; quamobrem hæc illis improvisa, quemadmodum incredulis, non accident (22).

Aliter: Qui de earum rerum, quæ dicturus sum, veritate dubitat, rectam non habet animam, neque justus coram me est; qui vero crediderit, justus erit, & vivet: justitiam pariet fides, & vitam justitia comparabit: illius vero obedientiæ ac fidei præmium addam justitiam & vitam. Vel, explicata de Nabuchodonosore sententia (23): Qui incredulus est, Princeps impius & infidelis, coram Deo justus non erit, illumque prosperis uti successibus non patietur Deus: magna illius molimina evertet, ejusque Imperium diruet: at justi & fideles, qui mihi tuisque verbis crediderint, vitam invenient, omniumque malorum immunes erunt.

Hebræus ad verbum (24): *Extollit sese, & non est recta anima ejus in eo; & justus in fide sua vivet.* Superbia effertur Nabuchodonosor, suarumque victoriarum gloriam sibi tribuit; *cor rectum non habet*, & juste non graditur; vel, prospero moliminum suorum successu carebit; illius anima dolebit; at justus qui verbis meis fidem habet, Israel vaticinia mea cum obsequio excipiens, vitam in illis nanciscetur; captivitatis suæ exitum aliquando intuebitur. Septuaginta (25): *Si retraxerit se, non placet animæ meæ in eo: justus ex fide mea vivet*; vel, uti fert Author Epistolæ ad Hebræos & Theodoretus: *At justus meus ex fide vivet.* Si voluntati meæ se subduxerit, meæque fidei contumax fuerit, hostis loco illum habebo: at qui verbis meis obsequuti fuerint, in fide & obedientia felicitatem & vitam invenient. Aquila (26): *Ignavo, non recta est anima mea in ipso*, ignavus mihi non placet, & *justus in fide sua vivet*. Quo sensu locum hunc recitaverit S. Paulus, disputabimus, cum de illo agemus. Controversias hic non agitamus.

℣. 5. QUOMODO VINUM POTANTEM DECIPIT, SIC ERIT VIR SUPERBUS, ET NON DECORABITUR, decus suum non servabit: Hebræus (27), *non manebit*, certam fixamque sedem non habebit. Fortunis suis ebrius Nabuchodonosor, omnia sibi pollicetur, nihilque majus esse viribus suis credit: at ubi cessaverit ebrietas, nudum sese exutumque, atque ab hominum consuetudine propriisque ædibus pulsum sentiet. Septuaginta (28): *Qui arrogans est & contemptor, vir superbus? nihil perducet ad finem.* Symmachus (29): *Prospere nihil ei cedet*; vel, in rerum omnium penuria erit. Hebræus (30): *Sed quia in vino prævaricatus est superbus, non permanebit in habitaculo*, certa sede carebit. Vatablus & Ludovicus de Dieu de Balthasaro explicant, qui sacra Templi vasa in mensæ usum adhibens, profanavit, eademque nocte post Regnum brevissimum occatus est (31).

DILATAVIT QUASI INFERNUS ANIMAM SUAM, desideria. Vel: Dilatavit animam instar sepulcri. Insatiabilis est uti mors & sepulcrum, quæ nunquam dicunt: Sufficit. Proverbium apud Hebræos erat; Insatiabilis ut sepulcrum. *Tria sunt insatiabilia, infernus, & os vulvæ, & terra* (32). Angustior est terra universa, quam ut Victoris ambitionem expleat. In iis quæ sibi comparavit, nescit quietus esse Nabuchodonosor. Querebatur Alexander, unicum esse orbem, qui expugnari posset. Juvenalis Sat. 10.

Unus Pellæo Juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi.

℣. 6.

---

(16) Sanct. hic. (17) כי עוד חזון למועד ויפח לקץ . . . כי בא יבא לא יאחר (18) Hieron. hic, Eusеb. Præp. lib. 6. cap. 24. Theophylact. Rup. Haimo, Remig. Hugo, Dionys. Riber. Salmeron, & Rabb. apud Calovium. (19) Heb. x. 36. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem; adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est veniet, & non tardabit.* (20) Rom. I. 17. Galat. III. 11. (21) Vide Mont. Clarium, Guevar. Castr. Sanct. Var. Grot. &c. (22) Vide Jerem. XXVII. 2. 8. 11. Sanct. hic, Isidor. Clar. & Theodoret. (23) Guevar. Varab. Dous. (24) הנה עפלה לא ישרה נפשו בו וצדיק באמונתו יחיה (25) Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. Ita Euseb. Præp. 6. Hieron. hic. Edit. Rom. sed Theodoret. & Ald. Edit. & Apostol. Heb. x. 38. Ὁ δὲ δίκαιος μου ἐκ πίστεως ζήσεται. Legunt צדקי אמונתי . . . . . נפשי . . . . . עלפה (26) Νωχελευομένου οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, καὶ δίκαιος ἐν πίστει αὐτοῦ ζήσεται. Dous. ex Euseb. l. 6. Demonstr. (27) ולא ינוה 70 Οὐ μὴ περάνῃ. (28) Ὁ δὲ κατοιόμενος καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν, οὐθὲν οὐ μὴ περάνῃ. (29) Οὐκ εὐπορήσει. Hieron. Ἐνεργήσει. Barber. (30) אף כי היין בוגד גבר יהיר ולא ינוה (31) Dan. V. (32) Prov. XXX. 16. Isai. V. 14.

℣. 6. Omnes isti super eum parabolam sument? Nonne illius infortunio illudent? *Væ ei qui multiplicat non sua*. Id Nabuchodonosori contigit, quo tempore ad bestiæ conditionem redactus est; præsertim vero post ipsius obitum, illius Imperio ad Persas verso. Parabolam & ænigma nuncupat Scriptura quicquid sententiosæ orationis est, sive ad mores informandos pertineat, sive ad irrisum, satyram, scomma, aliudve genus spectat.

Usquequo et aggravat contra se densum lutum? Aurum scilicet argentumque, quod denique humus est indurata (33), colore imbuta & elaborata. Job 27. 16. Impius *si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta; præparabit quidem, sed justus vestietur illis*. Zacharias 9. 3. de Tyro: *Tyrus coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum*. Quibus verbis ingens auri & argenti copia significatur. At Habacuc majore contemptu *densum lutum* nuncupat, propria appellatione relicta. Hebræus (34): *Quousque aggravabit super se densum lutum*, homini similis, qui sarcina minime ferenda se ipsum opprimat? Vel, ex aliis (35) Quousque congeret gravem humum, qua in sepulcro obruatur? Romani amicis post obitum levem terram optabant: *sit tibi terra levis*; inimicis gravem.

℣. 7. Numquid non repente consurgent, qui mordeant te? Qui dilanient, uti vermes anguisque hominum cadavera in sepulcris. Porro hi sunt Cyrus, merentesque sub illo Medi & Persæ, qui Chaldæorum Imperium aggressi, illud sub Balthasaro Nabuchodonosoris successore evertent. Docent Rabbini, Evilmerodachum, veritum ne Nabuchodonosor pater suus post obitum iterum viveret, quemadmodum post insaniam ad hominum consuetudinem redierat, illius cadaver in frusta concisum corvis dedisse, qui laniatos artus in varia loca abstulere.

℣. 8. Propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ, civitatis, et omnium habitantium in ea. Urbs, de qua hic agitur, Jerosolyma esse censetur, in quam Nabuchodonosor iniquissime sævierat. Reddi potest Hebræus (36): *Ob sanguinem hominis* fusum, *& violentiam terræ oppidorum*, & ob sævitiam in variarum regionum oppida exercitam, *& in omnes habitantes in eis*. Usurpari etiam potest de Babylone: Ob iniquitatem terræ illius, & urbis, & civium ejus. Ad verbum: *Ob sanguinem hominis, & oppressionem terræ urbis, & omnium habitantium in ea*. Eadem sententia legitur ℣. 17. *Terra* vel *regio urbis* fortasse significat regionem a populis intra urbes collectis frequentatam; uti opponitur Arabibus Scenitis, aliisque, quibus certa sedes non est, & vita sub tentoriis agitur.

℣. 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ. Hæc verba vulgo de Nabuchodonosore usurpantur: mihi tamen probatur, his argui Joakimum Regem Juda, quem Jeremias similibus ferme reprehendit 22. 13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio; amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei; qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro, .. Tui vero oculi & cor ad avaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum*, &c. Flagitia, quæ sub eo Principe patrabantur, animum Habacuc offendebant. Eo regnante, Chaldæi Palæstinam invadere cœperunt.

℣. 10. Cogitasti confusionem domus tuæ; consumpsisti populos multos, et peccavit anima tua. Hæc verba, *Consumpsisti populos multos*, uni omnino Nabuchodonosori convenire videntur. At de Joakimo quoque explicari queunt, qui plurimos e populo spoliaverat, & iniquam vim atque exactiones in populum exercitas probaverat, ut suam ipsius avaritiam & ambitionem expleret. Magna hæc ædificia quæ mente agitas, atque hæc molimina quæ meditaris, probro tibi futura sunt: non diu regnabis: morieris, atque insepultus projicieris: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Jerusalem*, inquit de Joakimo Jeremias 22. 19. Neque novum in Scripturis est, Israelem plurali populorum vocabulo significari (37), imo vel unius Tribus homines (38). Supremos Judæ Reges Ezechiel 19. 6. sub leonis imagine describit, prædantis vorantisque homines, urbes terramque universam desolantis: *Desolata est terra, & plenitudo ejus*.

℣. 11. Lapis de pariete clamabit, et lignum quod est inter juncturas. Ædes superbæ, quas ipse struis, Joakim, & pretiosa ligna, quæ in ædificiorum usum impendis, voces adversum te tollent. Divinamque in te vindictam invocabunt, qui populum iniquissimis exactionibus vexaveris, ut ambitionem tuam expleres. Ligna lapidibus miscebant Veteres in ædificiis, ita ut uni lignorum ordini unus vel duplex lapidum ordo succederet. Hac arte structa fuere & Salomonis Palatium, & interius Templi atrium. Vide nos in 3. *Reg*. vi. 36. Disputant Interpretes, quid significent Hebraicæ hujus loci voces (39): *Lapis de pariete clamabit, & chaphis de ligno respondebit*. Ipsum hoc vocabulum *chaphis* servavimus, cum incerta sit illius significatio. Septuaginta (40): *Lapis ex pariete clamabit, & scarabæus e ligno loquetur hæc*; quasi scarabæus vocem editurus esset e laquearibus cæterisque lignis, quibus Principis hujus ædes componebantur. Theodotion & Symmachus reddunt (41): *Vinculum ligneum*, ea scilicet ligna in caudæ hirundinis formam cæsa, quæ olim lapidum ordinibus interserebantur, ut lapides invicem necterent; vel ea quæ in tota parietis crassitie collocabantur, ut ædificium firmius fieret, & lapides necterentur. Certius nihil cæteri Interpretes ferunt. Reddit Chaldæus *Fructum ligni*; Syrus & Arabs, clavum ligneum; Rabbi Salomon, paleam qua lutum miscetur; alii, cœnaculum vel laqueare; alii denique, trabes. Thalmudistis *chaphis* est later palmi unius & dimidii latitudine. Denique omnes temere, nulloque argumento. Sanctius *caphim* legit pro *caphis*; apud Hebræos enim *samech* ס & *mem finalis* ם adeo similes literæ sunt, ut nullo negotio misceantur. *Chaphim* porro sonat manus, vincula, juncturas, id quo aliquid nectitur jungiturque. Ita legisse videntur Symmachus & Theodotion. At illud huic sententiæ repugnat, quod verbum *respondebit* singulari numero est, cum *caphim* sit plurale vocabulum. Puto ego, Græcos Interpretes, & S. Hieronymum illos secutum, usurpasse *caphis* ceu synonymum τῷ כפת *chephath* (42), quod est apud Chaldæos *ligare*. Chaldaicum *t* veluti *s* Hebraicum effertur.

℣. 12. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus. Hæc aptissime de Nabuchodonosore intelliguntur; at nos de Tyrio Rege usurpamus, quem Nabuchodonosor diuturno maxime bello petiit. Hujus descriptio apud Ezechielem, huic omnino simillima est; ac prorsus inutile videbatur, eadem sæpe Regi Chaldæorum minitari. Tyrium Regem Eze-

(33) Χρυσὸς γῆς πίων ἐστί, καὶ ἄργυρος. Naumach. (34) עד מתי ומכביר עליו עבטים (35) Kimchi, Drus. (36) מדמי אדם וחמס ארץ קריה וכל ישבי בה (37) Deut. xxxiii. 3. 19. Psal. xcv. 7. Osee x. 14. (38) Vide Judic. v. 14. in Hebr. (39) כי אבן מקיר תזעק וכפיס מעץ יעננה (40) Διότι λίθος ἐκ τοίχου βοήσεται, καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου φθέγξεται αὐτά. (41) Sym. apud Theodor. Σύνδεσμος ξύλινος. Aq. Μάζα. Aliæ duæ antiquæ vers. Σκώληξ, Vermis. Vide nov. Edit. Hexapl. (42) Genes. xxi. 30. 31. 33. 34.

Ezechiel c. 28. superbiæ & impietatis arguit; vitio illi vertit, quod sese ceu Numen obtrudere ausus sit; iniquissimas illius negotiationes damnat; denique maxima illius flagitia, quæ illum Regio nomine indignum effecerant.

℣. 13. NUMQUID NON HÆC SUNT A DOMINO EXERCITUUM? Vires quibus abuteris, opes quibus superbiam tuam alis, urbs, quam sævitia & iniquitate condis, tua ne sunt? An non Domini exercituum, quem ignoras, at tibi parem facis? Hæc omnino Tyrio Regi conveniunt, de quo Ezechiel 28. 2. *Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris*, &c. Hæc quæ in te vaticinor, nonne a Domino proficiscuntur? Nonne ipse te malis afflicturus est, & iis, quibus insanissime gloriatis, spoliaturus?

LABORABUNT ENIM POPULI MULTI IN MULTO IGNE. Tyrus immensis opibus, collectisque assiduo plusium annorum labore & negotiatione divitiis florens, cum his simul igne consumetur. Tyrum Nabuchodonosor tredecim annorum obsidione expugnavit; eaque capta, satis prædæ nactus non est, ut par præmium suis ipsius suorumque laboribus haberetur: quamobrem mercedis loco universam Ægyptum ejusque gazas Deus illi largitus est (43). Reddi potest Hebræus (44): *Et laborabunt populi usque ad exinanitionem ignis, & gentes frustra consumentur*. Quibus verbis innuuntur fortasse Nabuchodonosoris labores, quibus par præmium eo tempore non fuit. Uno Deus supplicio Tyriorum superbiam & flagitia, Nabuchodonosoris ambitionem, ejusque militum avaritiam punit.

℣. 14. REPLEBITUR TERRA, UT COGNOSCANT GLORIAM DOMINI, QUASI AQUÆ OPERIENTES MARE. Nabuchodonosoris copiæ Phœniciam universam implevere, ut Domini gloriam a Rege Tyri labefactatam ulciscerentur. Eodem tempore maritima classis alluvioni similis fuit, mare obruenti, & Tyrum *in corde maris* sitam aggressa est. *Morieris in interitu occisorum in corde maris*, ajebat ad Tyri Regem Ezechiel 28. 10. Hebræus (45): *Implebitur terra ad cognoscendam gloriam Domini; quasi aquæ operient mare*; vel terram operient, *ut aquæ* operiunt *mare*.

℣. 15. VÆ QUI POTUM DAT AMICO SUO, MITTENS FEL SUUM, ET INEBRIANS. Hæc de Ægypti Rege aptissime usurpantur. Quicquid ille in Syria habebat, quicquid intra ditionis suæ fines clauserat, omnia abstulerat Nabuchodonosor. Quamobrem ut jacturas repararet, viribusque non iniquis arma Chaldæo inferret, Judæ Regem in partes suas traxit, pollicitus libertatem, fracto Nabuchodonosore, cui Rex Juda vectigalis erat. Hisce pollicitationibus cum fidem habuisset Joakim, Nabuchodonosor Judæam invadens, Jerosolymam expugnavit, captoque ac necato Joakimo, illum insepultum projici jussit 4. Reg. 24. 1. Nihilo sapientior fratre Sedecias, pollicitationibus *Pharaonis Hophræ*, Regis Ægyptiorum, deceptus, arma in Nabuchodonosorem vertit (46); qui, ducto in Sedeciam exercitu, ipsum intra Regni Metropolim obsedit. Suppetias laturus venit Ægyptius; at eo cæso fugatoque (47), gravem iterum Sedecias sensit Nabuchodonosorem, qui reducto ab urbe exercitu, Pharaoni Hophræ occurrerat. Vera tunc expertus est ea vaticinia, quæ tam sæpe prædixerant, Ægyptum arundini similem esse (48), innitentis manum laniantis; perfidumque amicum esse Pharaonem, qui perniciosum venenatumque vinum amico porrigit, ut is ebrius fiat, nudusque inter hostes exponatur.

Hebræus (49): *Væ qui potum dat amicis suis, exhibenti fel suum* [furorem, iram, amarorem suum, vel utrem suum vino plenum], *& inebrianti, ut videat nuditates eorum*. Septuaginta (50): *O qui potum das proximo tuo subversionem turbidam* & confusam, *& inebrias, ut inspicias in speluncas eorum*. Narrant Rabbini (51), Nabuchodonosorem pleno cum amicis convivio Sedeciam Regem Juda accersivisse, ipsique propinasse liquorem, quo factus ille statim ebrius pudenda coram convivis detexit. Spernunt hæc qui veritatem amant.

℣. 16. BIBE TU QUOQUE, ET CONSOPIRE. CIRCUMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI; calix iræ Dei tuo ordine tibi propinabitur. Ad veterem conviviorum morem alludit, ubi calix per convivarum manus porrigebatur, omnesque ex eodem calice bibebant. Jeremias 25. 17. se accepisse ait calicem a manu Domini, propinandum populis omnibus, ad quos ipse mittitur. Et Thren. 4. 21. Idumæos alloquens, inquit: Lætare, filia Edom: *ad te quoque perveniet calix: inebriaberis atque nudaberis*. Apostoli ex eodem calice Christi sanguinem ab eo propinatum biberunt Matt. 26. 27. Apud Profanos, ex eodem calice bibitur ac propinatur. Fides vaticinii adversus Regem Ægypti penitus expleta est. Is quippe omnium postremus bibit; at usque ad fæces hausit. Aggressus est Ægyptum Nabuchodonosor, expugnatis Syria, Judæa, Phœnicia & Arabia. Victi sunt Ægyptii, spoliati, direpti, in captivitatem abducti; ad vomitum usque perbiberunt: *Vomitus ignominiæ super gloriam tuam*. Vide Jeremiam Capp. 43. 44. 45. & Ezechielem Capp. 29. 30. 31. De his Isaias xix. 14. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis*, vinum quo vertigo spiritibus inducitur, *& errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens*.

℣. 17. INIQUITAS LIBANI OPERIET TE. Mala quæ in Libano patrasti, in te recident. Usurpari ad verbum hæc possunt de Regis Ægyptiorum scelere, adversus Nabopolassarum admisso, cum is Satrapam Cœlesyriæ, qui a Chaldæorum Rege defecerat, vel ad seditionem compulit, vel seditiosum juvit (52). Vel: Iniquitas *a* te patrata in Jerosolymam, quæ a Prophetis Libanus nominatur, in caput tuum labetur. Regem Juda temere impulisti, ut a Nabuchodonosore desciscerer, ac deinde illum perfidissimum deseruisti, suppetiis quas poteras, minime allatis. Ea porro perfidia est, cujus pœnas ferre debes.

ET VASTITAS ANIMALIUM (53) DETERREBIT EOS, DE SANGUINIBUS HOMINIS, &c. Quodlibet animalium genus sacrum Ægyptiis erat (54). Ægypto occupata, Chaldæi animalia ab Ægyptiis culta necavere. Hac ratione puniit Deus Ægyptios ob cædes ab ipsis patratas, humanumque cruorem, cujus fundendi causa ipsi fuerant, bello inter Judæ & Chaldæorum Reges excitato. Hoc supplicio persecutus est sævitiam & iniquam vim, quibus in suam ipsorum regionem bacchati fuerant Ægyptii, vel in Judæam regnante Nechao, qui, cæso Josia (55), Judæam sibi vectigalem fecit. Bestias ab Ægyptiis cultas necasse Nabuchodonosorem, nulli tradunt Historici; at res probabilissima

(43) Vide ad Ezech. xxix. 18. (44) ויגעו עמים בדי אש ולאמים בדי ריק יעפו (45) כי תמלא הארץ לדעת את כבוד יהוה כמים יכסו על ים (46) Ezech. xvii. 15. 17. (47) Vide Ezech. xvii. 17. (48) Isai. xxxvi. 6. Ezech. xxix. 6. (49) הוי משקה רעהו מספח חמתך ואף שכר למען הביט על מעוריהם (50) Ὦ ὁ ποτίζων τὸν πλησίον αὐτοῦ ἀνατροπῇ θολερᾷ, καὶ μεθύσκων, ὅπως ἐπιβλέπῃ ἐπὶ τὰ σπήλαια αὐτῶν. (51) Vide Hieron. hic. (52) Beros. lib. 3. Rer. Chald. apud Joseph. lib. x. Antiq. cap. 11. & lib. 1. contra Appion. (53) ושד בהמות יחיתן מדמי אדם וחמס ארץ וגו׳ Septuag. Ταλαιπωρία θηρίων πτοήσει σε διὰ αἵματα ἀνθρώπων, &c. (54) *Quis nescit qualia demens Ægyptus portenta colat?* Juvenal.

(55) 4. Reg. xxiii. 29.

ſima eſt; docentque Prophetæ (56), cæſos ibi fuiſſe homines & beſtias, everſaque totius regionis Numina & ſimulacra (57). Ita denique hæc de re agunt, ut ſatis intelligas, eo bello ſævitum eſſe in Ægypto. Hæc verba, *De ſanguinibus hominum & iniquitate terræ & civitatis, &c.* eadem ſunt atque illa, ℣. 8. *Propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ, &c.*

Interpretes, qui totum hoc vaticinium de Nabuchodonoſoris ſupplicio explicant, hærent, dum aptam ac literalem interpretationem quærunt. Putant nonnulli (58), animalia, quibus Chaldæi terrentur, eſſe Perſas Cyro duce pugnantes. Cenſent alii futurum, ut populi, quos Chaldæi duriſſimo imperio oppreſſere, erumpant aliquando, & pœnas ſanguinis iniquiſſime ab illis fuſi ex ipſis repetant. Alii denique aſſerunt, cæteras gentes territas eſſe a Chaldæis, a quibus, ceu greges auxilio armiſque carentes, a feris invadebantur. Elige, Lector.

℣. 18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus? Hæc communiter in Idola Principeſque Idolorum cultores, in quos minas effudit, pronunciantur. Quid Nabuchodonoſori ſua proſunt ſimulacra? Quid Tyrio Regi, quid Ægyptio? Iſta ne ærumnas, quas prædico, avertent.

℣. 19. Numquid ipse docere poterit? ecce iste coopertus est auro, &c. Hebræus (59): *Ipſe docebit* (vel, *an docebit?*) *Ecce ille coopertus eſt auro*. Septuaginta (60): *Et ipſe eſt inanis repræſentatio, & bractea auri & argenti*.

℣. 20. Dominus autem in Templo sancto suo. Sileat a facie ejus omnis terra. Iſraelis Deus ſimilis non eſt fictitiis hiſce Diis, quibus nulla res aut virtus ſubeſt. Terram univerſam legibus temperat; rerumque creatarum eſt, coram illo adorare, obſequium profiteri & ſervitutem. Supremus vitæ illorum mortiſque arbiter ipſe eſt, exitii aut incolumitatis. Templum, de quo hic propheta, intelligi poteſt Cœlum; neque enim *domus* appellationem, Templo propriam, uſurpat, ſed *palatii* (61), qua voce frequenter intelligitur Cœlum. Silentium obſequii indicium eſt, ſubjectionis, doloris, ſervitutis (62). In Orientalium Regum ædibus altum ſilentium, modeſtiam, gravitatem, immobilitatem ſervant milites & Præfecti, ut imaginem aliquam ſilentii, de quo Habacuc, videas.

(56) Ezech. xxix. 7. & xxxii. 13. (57) Idem xxx. 13. (58) Vide Græcos, Theodor. Cyrill. Theophyl. Menoch. Tir. (59) הוא יורה הנה הוא תפוש זהב (60) Καὶ αὐτό ἐστι φαντασία, καὶ ἐστι ἔλασμα χρυσίου. (61) בהיכל קדשו Septuag. Ἐν ναῷ ἁγίῳ αὐτοῦ. (62) Vide Job xxi. 5. xxix. 9. Pſalm. xxi. 5. lxiv. 2. Jerem. viii. 14.

CAPUT III.

Carmen Habacuc. Dei opera meditans formidat, præſertim prodigia, quæ in egreſſu ex Ægypto, & poſt egreſſum contigere. Futurum ſperat Propheta, ut liberum aliquando populum ſuum videat, eaque ſpe gaudet.

℣. 1. Domine, audivi auditionem tuam, & timui. 2. Domine, opus tuum, in
medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. 3. Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Operuit cœlos gloria ejus: & laudis ejus plena eſt terra. 4. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus: Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus: 5. Ante faciem ejus ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes ejus. 6. Stetit, & menſus eſt terram. Aſpexit, & diſſolvit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi. Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſalvatio. 9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es. 10. Fluvios ſcindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſiit. Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas levavit. 11. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. 12. In fremitu conculcabis terram: in furore obſtupefacies gentes. 13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum. 14. Maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad diſpergendum me. Exultatio eorum, ſicut ejus, qui devorat pauperem in abſcondito. 15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 16. Audivi, & conturbatus eſt venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Ut requieſcam in die tribulationis: ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum. 17. Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ: & arva non afferent cibum. Abſcindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præſepibus. 18. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Jeſu meo. 19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi cervorum. Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.

Oaa

ORATIO HABACUC PROPHETÆ PRO IGNORANTIIS. Postrema hæc verba, *Pro ignorantiis*, in vetustis Codicibus quibusdam non leguntur. Legunt alii (1): *Pro ignorantibus*. S. Hieronymus in Commentario fert: *Pro ignorationibus*; Aquilam secutus, Symmachum, & quintam Editionem (2). Reddunt Septuaginta (3): *Oratio Habacuc Prophetæ cum Carmine*. Theodotion (4): *Pro peccatis voluntariis*. Hebraica vox (5) *schegionoth*, ex iis est, quarum significationem prorsus amittimus, neque vel Doctores vel Vocabularia certo doceant. Suam unusquisque sententiam hic fingit. Censent nonnulli, musicum instrumentum ea voce significari; alii certos quosdam vulgari carminis numeros, ad quos hoc carmen canendum esset. Leguntur in Psalterio *schiggaion* (6) & *biggaion* (7); quæ voces simillimæ omnino sunt τῷ *schiggaioth*; nosque alibi pro viribus docuimus, his vocibus quoddam Carminis genus significari, quo solatium inter ærumnas adhibetur. *Schaga* apud Arabes est, in mœrore, inter curas versari; & Hebraice *Shagah* sonat oblectari (8). Vide Præfationem in Psalmum VII.

Veterum plerique (9) Carmen hoc de Messiæ adventu solummodo explicant; variosque illius locos Ecclesia mutuata est (10), quos ad Christum refert. Nullum erroris periculum est, ubi certos adeo duces sequatis; neque ulla unquam Scripturis vis adhibetur, ubi illas ad Messiam referas; procul dubio enim quidquid in Sacris Codicibus legitur, vel perspicue ac directe, vel tropice & ex obliquo, ad illum spectat. Alii (11), minime neglecta ea sententia, quæ carmen de Jesu Christo explicat, putant, ex mero verborum sono ad reditum ex captivitate posse referri: Hæc igitur vaticinii Habacuc conclusio est. Duplici capite Propheta animi sui angustias Deo exhibet; I. Quod innumeris patriam flagitiis inquinari videret, cui ostendit Deus futurum, ut flagitia impune non abeant. II. Sese impiorum felicitate offendi testatur; cui morem gerens Deus, docet illum, quod exitium eos maneat, quorum causa ipse animo excruciabatur. His intellectis, Propheta Dei æquitatem & sapientiam intuens, vetera prodigia in mentem revocat, quibus tutatus est Israelitas Deus in Ægypto, ad Erythræum, ad Sinai, ac demum sub Josue; quorum meditatione occupatus, constantissimam animi sui in Deo fiduciam testatur, quippe qui Israelem in pristinam conditionem a Deo restitutum iri, atque ex demonstrata sibi superioribus Capitibus captivitate reducendum fore sciret. Ea vero libertas, atque hic reditus inter luculentissimas sunt humanæ per Messiam Redemptionis figuras, quemadmodum & exitus ab Ægypto, quem maxima Carminis parte Habacuc nobilissima oratione describit.

℣. 1. DOMINE, AUDIVI AUDITIONEM TUAM [verbum tuum]; ET TIMUI. Docuisti, quam ingens malorum series iniquissimos ac sævissimos Reges maneat, quorum felicitatem intuens mens mea hærebat. At nunc judiciorum tuorum sublimitatem, o Deus, admiror, minasque tuas intelligens formido. Ita porro hæc (12) verti queunt, ut cum consequentibus aptius nectantur: Quæ de te narrantur audiens, expavi. Rerum olim a te prodigiose in Ægypto, in deserto, in Chananitide gestarum tumor me penitus terruit. Mente hæc evolvi, & stupens hæsi.

℣. 2. DOMINE, OPUS TUUM, IN MEDIO ANNORUM VIVIFICA ILLUD; opus tuum expleto. Vel: Prodigia, quæ Patrum nostrorum causa olim patrasti, iterum exhibeto. Potentiam tuam excita; hostibus, quos minitaris, nos libera; Chaldæos a tua ditione removeto. *Vivificare*, sive in vitam revocare, apud sacros Scriptores plerumque est, captivitate, ærumnis, præsentibus cujuscumque naturæ malis liberari. *In medio annorum*, significat, hoc ipso tempore, in mediis vitæ nostræ annis, videntibus nobis, nostri causa.

Septuaginta (13): *Domine, consideravi opera tua, & perculsus fui. In medio duorum animalium cognosceris*. Quæ verba ad Christum in antro Bethlehemico natum referunt, ubi *duo animalia* fuisse ajunt, *In medio duorum animalium*, quamquam silentibus Evangeliis Patribusque. Hujus sententiæ exordium circa quintum sæculum fuit; & Veteres, qui in hunc locum vel diu postea scripsere, nihil ea de re tradunt. Ex iis nonnulli dixere, duo animalia, quorum medius videndus erat Deus, Filium & Spiritum Sanctum esse (14), quorum in medio sese agnoscendum dedit Pater; alii duo Testamenta, vel duo Arcæ Cherubim; sive latrones duos, inter quos cruci fixus est Christus; seu Moysen & Eliam, quorum medius ipsa Transfigurationis die in monte is fulsit; vel gentes duas, Judæos Ethnicosque, in unam Christi Ecclesiam collectas, sive Judæos & Babylonios; seu duplicem Angelorum hominumque naturam; sive Cherubim & Seraphim; vel Medas & Persas, &c. relictis prorsus asino & bove, quem nostrorum Pictorum licentia Servatoris præsepio appingit.

Legebant alii (15): *In medio duarum vitarum*. Eædem omnino literæ in Græco vocabulo, ex vario accentu, vel *duas vitas* significant, vel *duo animalia* (16). Qui lectionem hanc præferunt, duplicem vitam interpretantur, præsentem ac futuram. At S. Hieronymi versio æquior est magisque probata a Recentioribus, qui versiones ex Hebræo adornavere.

CUM IRATUS FUERIS, MISERICORDIÆ RECORDABERIS. Vel: Cum irasceris, memor es misericordiæ. Nunquam ita excandescis, ut clementiæ obliviscaris. Ultimam puniendo severitatem non persequeris. Divinæ Misericordiæ fores nulli unquam hominum clausæ sunt, qui serio ad pœnitentiam redeat. Vide nos in Nahum I. 3. Septuaginta (17): *Cum conturbata fuerit anima mea, misericordiæ memor eris*.

℣. 3. DEUS AB AUSTRO VENIET, ET SANCTUS DE MONTE PHARAN. Quæ hinc usque ad ℣. 16. habentur, per præteritum tempus usurpanda sunt. Ab Austro venit Deus, e monte Pharan egressus est, ut populum suum in promissionis terram duceret. Nonnulla aggreditur Habacuc prodigia describere, quæ olim Deus in commodum Israelis olim gessit. Nullum sequitur vel rerum vel temporum ordinem, sed Divini Spiritus intus agentis impetum. Hebræus (18): *Deus a Theman venit, & Sanctus de monte Pharan. Selah*. De postrema hac

[1] Vide nov. Edit. Hieron. [2] Ἐπὶ ἀγνοημάτων. [3] Προσευχὴ Ἀμβακοὺμ τοῦ προφήτου μετ' ᾠδῆς.
[4] Ὑπὲρ τῶν ἑκουσίων. [5] תפילה לחבקוק הנביא על שגיונות [6] Titul. Psalm. VII.
[7] Tit. Psal. XCI. & Psal. IX. 17. [8] Vide Prov. V. 19. באהבתה תשגה תמיד *Delectare jugiter in amore sapientiæ*, Et v. 20 XX. 1. [9] Cyprian. lib. 2. contra Jud. Euseb. de Præpar. lib. 2. cap. 15. August. lib. XVIII. de Trinit. Athanas. in Synops. Hieron. Theodoret. Theophylact. Cyrill. Rupert. Euthym. & e recentioribus plurimi. [10] In Officio Feriæ sextæ in Parasceve, Antiphona ad laudes, & in Missa, in Tractu post primam Epistolam. [11] Quidam apud Theodoret. & Theophylact. Hieron. in ℣. 14. & seq. Ita Chald. Hugo, Lyr. Dionys. Vat. Isidor. Castr. Marian. Sanct. alii. [12] יהוה שמעתי שמעך יראתי *Audivi famam tuam, vel famam de te.* [13] Κύριε, κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην. Ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ. Heb. יהוה פעלך בקרב שנים חייהו [14] Vide Sanct. hic, Cyrill. Theodoret. Hieron. in hunc loc. August. de civit. lib. 15. cap. 32. [15] Euseb. Demonstr. lib. 6. Theodoret. & Theophylact. hic.
[16] Ἐν μέσῳ δύο ζωῶν, *In medio duarum vitarum*. Ἐν μέσῳ δύο ζώων, *In medio duorum animalium*.
[17] Ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου, ἐλέους μνησθήσῃ. Heb. ברגז רחם תזכור
[18] אלוה מתימן יבוא וקדוש מהר פארן

hac voce *Selah* fuse disputavimus in fronte Libri Psalmorum. Simplicem notam esse credimus, qua vel pausa, vel finis versiculi seu cantus significabatur; pluresque hujusmodi notæ uno in Carmine esse poterant. *Theman* urbs erat, in quodam Idumææ vico Metropolis, ad meridiem Chanaanitidis. Pharan quoque urbs fuit, e cujus nomine quidam ejusdem regionis vicus appellabatur, in eadem plaga, in ea scilicet Arabiæ parte, quam Geographi Arabiam petræam nominant. Egressi ex Ægypto Hebræi, diu in iis regionibus iter habuere; totumque ferme insumpserunt circumeundo per regionem Sehir (19), & montes qui inter Sinai & Mare mortuum jacent. Illos ducebat Deus, veluti exercituum Imperator. Deum exhibet Habacuc ceu victorem, e Theman & Pharan Palæstinam versus proficiscentem; alluditque ad ea Moysis verba Deut. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Sehir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex*, vel ignis instar micans. Septuaginta (20): *Deus de Theman veniet, & Sanctus de monte umbroso. Diapsalma*, seu pausa.

℣. 4. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus (21): cornua pro telis gerit. Dorylam Centaurum describit Ovidius Metamorph. xii. ℣. 381. duo bovis cornua pro spiculis manu gerentem:

. . . . . Sævique vicem præstantia teli,
Cornua dura boum, multo madefacta cruore,

Spicula auro & cornu armabantur; quamobrem Poetæ interdum *cornua* pro *jaculis* usurpant (22):

. . . . . . Cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent,

Arcus cornu confici consuevisse, docet Homerus (23). Cornua in Scripturis robur significant. Quamobrem Deus dici potest e Sinai proficisci ceu Victor robore instructus, ut Israelem in Chanaanitidem inducat. Cornua denique plerumque usurpantur pro gloria radiisque: hinc Moysis os *cornutum* fuisse dicitur (24), fulgido scilicet jubare circumdatum. Exhibetur hic Deus arma gerens manu instar ignis micantia. Illum describit Moyses in Deuteronomio igneam Legem dextra tenentem: *In dextera ejus ignea Lex*. Hæc fortasse Moysis verba spectat Habacuc. Tabulas digito suo scriptas, jubare ardentes, porrigit Deus. Deo legem Moysi tradente, Sinai mons totus ardebat (25): Æquissima tamen omnium interpretatio ea est, quæ de fulgidis armis, a Deo manu delatis, explicat. Igneis telis, & micante hasta armabatur Deus ℣. 11. *In luce Sagittarum tuarum, in splendore fulgurantis hastæ tuæ*. Ita ferme Profani suum Jovem fulmine armatum ignesque spargentem fingebant. Fulmina & fulgura in Scripturis *Sagittæ Dei* plerumque nuncupantur. Vide Psalm. 17. 16.

Ibi abscondita est fortitudo ejus. In armis modo narratis vires suas continet. Ruinæ, quas fulmen ignisque cœlestis ferunt, luculentissimum sunt Divini roboris argumentum. Hæc arma nihil retundit, nihil arcet: his constantissimorum & audacissimorum vis & magnanimitas cedit. Virgilius Æneid. 1.

. . . . O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis & fulmine terres.

Septuaginta (26): *Constituit amorem robustum fortitudinis suæ*, vel, perspicua validissimi amoris sui indicia hominibus exhibuit. Hæc de Jesu Christo, nostri causa vitam ipsam profundente, explicantur.

℣. 5. Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. Deus ita armatus, uti vidimus, mortem ac terrorem ubique seret. Hebræus (27): *Ante faciem ibit pestis, & egredietur carbunculus ante pedes ejus*. Ægyptios peste afflixit (28): seditiosos ac rebelles e populo variis suppliciorum generibus abstulit: Chananæos terruit, gentesque brachii sui viribus e Chanaanitide expulit. Septuaginta (29): *Ante faciem ejus ibit verbum, & egredietur in campos. Ante pedes ejus stetit & commota est terra*. Hæc de Evangelio *in campos*, scilicet inter Ethnicos, sparso accipiuntur. Hebrea vox, quæ redditur mortuus, si pronuncietur per *Dabar* sonat Verbum; si vero per *Deber* pronuncietur, est pestis; S. Hieronymus, qui in commentario ibidem hæc adnotavit, sequutus est interpretationem Aquilæ & Symmachi; Septuaginta vero & Theodotion *Verbum* reddere maluerunt.

Vox רשף, quam S. Hieronymus exposuit *Diabolus*, ad literam sonat *Cherubim*, urens vel *repens*. Symmachus, Theodotion & quinta editio posuerunt avis; septuaginta vero *Campi*. S. Hieronymus in Hebræorum traditiones tradit ea plane ratione quo in Evangelio Beelsebub appellatur Princeps Dæmoniorum, ita Dæmon Resph, quæ vox sonat *Avis*, seu *volucris* perinde haberi ac Dæmonum caput, eo quod res sit levissima & sine volatu reptet. Hunc vero esse, ait, Dæmonem illum, qui primam hominum parentem sub anguis persona in Paradiso terrestri tentavit, ejusque rei merito diris devotus est a Deo, jussusque in terram reptare. Hæc enim est altera vocis *Joseph* significatio. Addit insuper hanc Prophetæ sententiam ita commode exponi posse: postquam Jesus Christus tinctus fuit baptismate, *exeunti de aquis occurrit Diabolus, & ante pedes illius stabit mors & coluber antiquus, qui quadraginta diebus tentavit eum in solitudine*.

℣. 6. Stetit, et mensus est terram. Aspexit, et dissolvit gentes. Ubi cum exercitu populoque suo stetit Deus, oculisque mensus est, quam terræ partem expugnare vellet, hujus incolas intuitu terruit, scilicet Chananæos: *Irruit in nos terror vester, &. elanguerunt omnes habitatores terræ*, monebat exploratores a Josue missos Rahab (30). Aliter: Populos intuitu dissipavit delevitque; quamobrem stetit solummodo, ut terram populo acquisitam distribueret.

Contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Deum describit comminuentem ac dejicientem montes, qui proficiscenti opponuntur. Sublimia maxime & inaccessa cacumina deprimit. Solent Hebræi montibus epitheton *æternorum* addere (31); nihil enim in natura est, quod minus obnoxium mutationi sit, quam ingentes hæ humus moles rupesque, ab ipso rerum initio consistentes: *Colles sæculi*. Hebræus (32): *Contriti sunt montes æterni*, ceu rupes in partes plures discissa; *depressi sunt colles sæculi*, pati vetustate cum Mundo.

(19) Deut. ii. 1. *Circuivimus montem Sehir longo tempore.* (20) O' Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους κατασκίου (Edit. Complat. addit: Φαράν.) διάψαλμα. (21) נגה כאור תהיה קרנים מידו לו (22) Æneid. xii. (23) Iliad. Δ, ℣. 142.

Καὶ τὰ μὲν ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων,
Πᾶν δ' εὖ λειήνας χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην.

(24) Exod. xxxiv. 29. *Ignorabat quod cornuta esset facies sua.* (25) Exod. xix. 18. Deut. v. 22.
(26) Καὶ ἔθετο ἀγάπησιν ἰσχυρὰν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Heb. ושם חביון עזה (27) לפניו ילך דבר ויצא רשף לרגליו
(28) Exod. 12. 3. (29) Πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος, καὶ ἐξελεύσεται εἰς πεδία. Κατὰ πόδας αὐτοῦ [6.] ἔστη καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ. Soli 70. & Theodot. pro sermone mortem interpretati sunt. Aqu. Pestis. Sym. & quinta Edit. Mors. Heb. דבר pro diabolo. Heb. רשף Aqu. *Volatile*. Sym. Th. & quinta Edit. *Volucris*. Mont. Pagn. Jun. Pisc. Drus. Grot. Ἄνθραξ, seu Carbo, aut Carbunculus, morbus pesti affinis. Ita & Chald.
(30) Josue ii. 9. (31) Deut. xxxiii. 15. Psal. lxxv. 5.
(32) ויתפצצו הררי עד שחו גבעות עולם הליכות עולם לו

du. *Itinera æternitatis sunt ei*. Vetustissimorum itinerum, a tot sæculis frequentatorum dominus est, viarum regionis ab exordio cultæ. Vel: Licet illi vias sibi struere in æternis montibus, quos nulla hominum vestigia signavere: illas evertit stravitque, ut exercitui iter faceret. Poetica descriptio est itineris Israelitarum per Arabiæ solitudines, ubi omnia vitæ necessaria populo exhibuit Deus, eumque per inaccessas solitudines, montesque asperrimos duxit, quasi per cultam planamque regionem proficisceretur (33).

℣. 7. PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ: TURBABUNTUR PELLES TERRÆ MADIAN. Æthiopum tentoria iniquitatis illorum causa eversa sunt, turbatæque Madianitarum pelles. Vel: In iniquitate, vel sub iniquitate, uti fert Hebræus, vidi tentoria Madianitarum, quos scriptura *Chuschim* vel Æthiopes nominat (34). Inquinata vidi scelere ab Israelitis patrato, cum illi turpissimis Beelphegor mysteriis initiarentur (35), eademque Madianitarum tentoria turbata vidi ob victoriam qua illos fregit Phinees, ulturus Madianitidum fœminarum scelus, quæ Israelitas in flagitium traxere (36). Hebræus (37): *sub nihilo vidi tentoria Chusan*. Othoniel bello fregit Chusan Rasathaim (38), ejusque tentoria & castra evertit. *Turbatæ sunt Pelles Madian* a Gedeone, cæsis insigni victoria Madianitis (39). Utrique huic explicationi æque favet Historia: sed fortasse *Chusan* posuit pro Chus, ut eodem sono utraque versiculi pars desinat. Ubi Deus in Sinai apparuit, Arabes Æthiopes territi tentoria deseruerunt; turbati sunt etiam Madianitæ. Æquissima omnium mihi videtur hæc explicatio.

℣. 8. NUMQUID IN FLUMINIBUS IRATUS ES? . . . VEL IN MARI INDIGNATIO TUA? Te adventante, Erythræum mare & Jordanes territi sunt, & recesserunt, ut tibi tuoque exercitui liberum iter relinquerent. Igiturne Erythræi aut Jordanis aquis, o Deus, irascebaris? nequaquam neque in Erythræum, neque in Jordanem indignabaris, sed illud solummodo volebas, ut populum tuum in Chanaanitidis possessionem induceres, uti & ipse decreveras, & jurejurando promiseras. *Juramenta tribubus, quæ locutus es*. Aquas secedere jussisti, & aquæ obtemperaverunt. Ubi cum bellicis curribus accessisti, loco cesserunt aquæ. *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio*. Quadrigæ sunt arca fœderis.

℣. 9. SUSCITANS SUSCITABIS ARCUM TUUM, JURAMENTA TRIBUBUS, QUÆ LOCUTUS ES. Arcum tuum parasti, ut ea expleres, quæ tribubus jurejurando promisisti, terræ amnes divisisti. Hebræus (40): *Nudum eduxisti arcum tuum*, ut expleres *Juramenta tribuum*, quæ Tribubus præstitisti. *Flumina scidisti terræ*. Fluminibus certe iratus non es, sed ut veteres promissa compleres, ad Erythræum, Jordanem, Arnon, & Jabok (41), cum bellicis quadrigis paratoque arcu adfuisti. Vix te viderunt aquæ discissæ sunt, ut viam tibi facerent. Legitur hic in Hebræo *Selah*, quæ vox supra occurrit ℣. 3. quam neglexit S. Hieronymus, quasi otiosam.

℣. 10. VIDERUNT TE, ET DOLUERUNT MONTES: GURGES AQUARUM TRANSIIT. Pergit respondere iis, quæ postulaverat supra ℣. 8. *Numquid in fluminibus iratus es, aut in mari?* Ubi te videre montes, parturientibus similes doluere (42); teque ad maris oram accedente, obsequio territum fugit mare; suoque more te salutavit, vel formidine actum clamavit: *Dedit Abyssus vocem suam*. Montes te adventante manibus plauserunt; vel sustulere manus, stupentis instar, & admirantis: *Altitudo manus suas levavit*. Eodem fere artificio Psalmista Psal. 113. 3. transitum Erythræi & Jordanis describens, usus est: *Mare vidit Deum, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum; montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium; quid est tibi*, mare, *quod fugisti? & tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum? Montes, exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ovium? A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob*. Vetus poeta (43) eamdem ferme descriptionem habet: *Fremunt montes & terra, & ingens profunditas maris, & montium sublimitas magna, ubi viderunt terribilem aspectum Domini*. Obscuri sunt Septuaginta (44): *Viderunt te, & una doluerunt populi: disperges aquas itineris: dedit abyssus vocem suam; altitudo visionis illius elevata est*.

℣. 11. SOL ET LUNA STETERUNT IN HABITACULO SUO: IN LUCE SAGITTARUM TUARUM IBUNT, IN SPLENDORE FULGURANTIS HASTÆ TUÆ. Stetere Sol & Luna, ubi, orante Josue, utrumque stare jussisti (45), atque ubi micante hastæ tuæ jubare signum dedisti, institutum iter absolverunt. Vel: Sol & Luna, te jubente, steterunt; & quinque Chananæi Reges cum exercitu fugere, hastæ tuæ igneorumque telorum jubar intuiti. Ignea tela sunt fulmina & fulgura, quibus hostes Israelis terruit Deus in procella, quæ illos in descensu Bethoronis oppressit (46). Septuaginta (47): *Sol & Luna steterunt in ordine suo. In luce sagittæ tuæ ibunt, & in splendore fulguris armorum tuorum*.

℣. 12. IN FREMITU CONCULCABIS TERRAM. Chanaanitidem triumphantis habitu ingressus es: hostes minime repugnavere; quippe cum illos terrueris, pugnæ impares effecisti. Reddi potest Hebræus (48): *In fremitum conculcasti eam regionem, & in furore contrivisti gentes*. Septuaginta (49): *In comminatione tua in pulverem comminues terram & in furore conteres gentes*.

℣. 13. EGRESSUS ES IN SALUTEM POPULI TUI IN SALUTEM CUM CHRISTO TUO. Hæc minimo negotio de Verbi Incarnatione explicantur, quod minime relicto Patris sinu, egressum est, ut intra virginis viscera humanis membris indueretur. Misertus malorum, quibus gens sua in Ægypto opprimebatur, egressus est cum Christo, scilicet cum Moyse, ut Israeli salutem afferret, eumque angustiis & captivitate, quibus ille detinebatur, liberaret.

PERCUSSISTI CAPUT DE DOMO IMPII; DENUDASTI FUNDAMENTUM EJUS USQUE AD COLLUM. Primores Ægyptiorum natos necasti, *a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ* (50). En *Caput domus impii, & fundamentum ejus*. Hæc verba (51), *Usque ad collum, denudasti fundamentum domus usque ad collum*, significat, a summo ad imum (52).

℣. 14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EJUS; CAPITI BELLATORUM EJUS, &c. Pharaoni ejusque Ducibus, turbinis instar in gentem tuam irruentibus, postquam ille ex Ægypto egressus est (53). Hebræus ad verbum (54): *Percussisti inter Tribus suas Caput*

(33) Vide Deut. VIII. 4. (34) Exod. II. 15. 21. & Num. XII. 1. (35) Num. XXV. 2. Psal. CV. 28. (36) Ibid. XXXI. 1. 2. & seq. (37) תחת און ראיתי אהלי כושן ירגזון יריעות ארץ מדין (38) Judic. III. 10. 11. (39) Judic. VI. VII. VIII. (40) עריה תעור קשתך שבעות מטות אמר סלה נהרות תבקע ארץ (41) Psal. LXXIII. 15. *Tu siccasti fluvios Ethan*. Vide Commentarium, & Num. XXI. 13. 14. 15. *Sicut fecit in Mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon*. (42) יחילו הרים (43) Æschyl. apud Justin. Mart. de Monarchia Dei. (44) Septuag. Εἶδόν σε, καὶ ὠδινήσουσι λαοί· διασκορπίζων ὕδατα πορείας, ἔδωκεν ἡ ἄβυσσος φωνὴν αὐτῆς, τὸ ὕψος τῆς φαντασίας αὐτῆς ὑψώθη. (45) Josue X. 12. (46) Josue X. 11. Vide Joseph. Antiq. lib. 5. c. 1. (47) Septuag. Ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη ἔστη ἐν τῇ τάξει αὐτῆς, εἰς φῶς βολίδες σου πορεύσονται, καὶ εἰς φέγγος ἀστραπῆς τῶν ὅπλων σου. (48) בזעם תצעד ארץ באף תדוש גוים (49) Ἐν ἀπειλῇ ὀλιγώσεις τὴν γῆν, καὶ ἐν θυμῷ κατάξεις ἔθνη. (50) Exod. XII. 29. (51) ערות יסוד עד צואר (52) Vide Ezech. XIII. 14. Mich. I. 6. Isai. XXIV. 18. Psal. XVII. 13. (53) Exod. XIV. 17. (54) נקבת במטיו ראש פרזו

put exercituum ejus; vel, *feristi armis* [baculis] *suis Caput militum* [rusticorum] *ejus*. Propriis ipsorum armis confecti sunt, fortasse in transitu Erythræi. Interpretatio, quam primo loco dedimus ex Hebræo, magis placet. Mersus est inter agmina sua Pharao. Quæ sequuntur, ad Pharaonem iterum animum referunt: Venientes ut turbo, exultantesque ut is, *qui devorat pauperem in abscondito*. Secum illi ajebant, teste Moyse Exod. xiv. 9. *Persequar & comprehendam; dividam spolia, implebitur anima mea*.

℣. 15. Viam fecisti in mari equis tuis. Aquas divisisti, ut quadrigæ tuæ iter aperires. Pergit Deum describere, ceu magni exercitus Imperatorem.

In luto aquarum multarum. Ad verbum (56). *Per acervum aquarum magnarum*. Maris aquæ acervorum instar, montium altitudine, ad utrumque Hebræorum latus steterunt (57): *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ*, Hebr. *coacervatæ*.

℣. 16. Audivi, et conturbatus est venter meus. Hęc nimirum Divinæ potestatis argumenta sunt, quibus sese terreri, ab exordio dixerat: *Domine, audivi auditionem tuam, & timui*. Cum hęc prodigia meditor, totus horreo, moventur viscera, labra tremunt, & vocem edere prohibeor: *A voce contremuerunt labia mea* (58) Tantarum rerum narratio & rumor fremitum mihi & horrorem, labiorumque tremorem pariunt.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. Testatur hic Propheta, se minime vereri, ne ossa sua putredine corripiantur, aut a vermibus vorentur; tametsi enim id evenerit, incolumitatem vitamque restituere, & quietem inter ęrumnas largiri poterit Deus: *Ut requiescam in die tribulationis*. Aliter: Putredine vel intra ossa consumar, pabulum vermium sim; spe tamen Divinæ opis non cadam; ex ipso quietem inter mala præstolabor, meamque gentem captivitate liberam intuebor. Ita explicari potest Vulgata.

At luculentior in Hebræo (59) sententia est, juncta cum præcedentibus; atque ita & Septuaginta & Interpretes plerique usurpavere: Prodigiorum tuorum fama *contremuerunt labia mea, invasit ossa mea putredo, & intra me contremui*. Septuaginta (60): *Extimuit venter meus a voce orationis labiorum meorum. Et ingressus est tremor in ossa mea, & subter* (intra) *me conturbata est habitudo mea*, forma mea exterior, vel ex aliis Codicibus, *virtus mea*.

Ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Hæc si cum superiore membro conjungas, explicatis ex nostra sententia Hebræo & Septuaginta, ita usurpari queunt: Audita prodigiorum tuorum narratione, exhorrui; at te juvante futurum spero, ut inter ærumnas meas tranquillissima quiete fruar; fratres meos captivitate liberos me visurum, mihi polliceor, ac redeuntibus occursurum. Hebræus (61): *Qui requieturus sum in die calamitatis, ut ascendam ad populum transmigrationis nostræ*. Iter suum Babylonicum prædicere videtur, cum scilicet ipse capillis per aerem raptus, prandium Danieli, in leonum cavea posito, detulit (62). Eo tempore *ascendit ad populum transmigrationis* Juda, fratresque Babylone captivos vidit. Aliter. *Ut ascendam ad populum vastationis nostræ*, ut, abeuntibus Chaldæis, in patriam revertar, ibique gentis miserrimæ reliquias inveniam. Prodigiosum certe Divinæ clementiæ beneficium erga Habacuc fuit, ut eversa Jerosolyma, fratribusque Babylonem translatis, ipse quietus in Judæa viveret; multoque majus alterum, ut cives suos Babylone captivos, nemine aut prohibente aut vidente, spectaret. Hic locus eum ℣. 2. hujus Capitis, ubi Propheta, narrato terrore, quo ipse occupabatur, Dei opera intuens, ait, se sperare futurum, ut munificam illius potestatem experiretur, & Deus in medio sui furoris æstu misericordiæ suę reminisceretur.

℣. 17. Ficus enim non florebit. Hoc malorum & ęrumnarum tempore, dum Chaldæi Judęam depopulabantur, ignemque & gladium ubique ferent, neque florebit ficus, neque vinea fructum feret &c. Aliter (63): *Ficus non floreat, non sit germen in vineis*, universa late regio vastata direptaque squalleat; nihil me prohibebit, quin certam in Domino fiduciam collocem: *Ego autem in Domino gaudebo*, &c. ℣. 18.

Mentietur opus olivæ. Familiari locutione Hebræi (64) & Latini vineam, agrum, collem mendaces nuncupant, ubi agricolę aut coloni spem fallant. Horatius lib. 3. Ode 1.

Non verberatæ grandine vineæ,
fundusque mendax.

Et lib. 1. Epist. 7.

Spem mentita seges.

Item lib. 3. Ode 15.

. . . . . Segetis certa fides meæ.

℣. 18. Exultabo in Deo Jesu meo. Fidelium lętitia, solatium, spes, vita Christus est Jesus. Eo absente, nonnisi falsas delicias exhibet Mundus. Ipse unus Prophetarum ac Patriarcharum desiderium & solatium fuit: *Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est*, Joan. 8. 56. Hebræus & Septuaginta (65): *Exultabo in Deo servatore meo*; vel, in Deo qui me servaturus est, discrimine lіberaturus, vindicaturus.

℣. 19. Ponet pedes meos quasi cervorum, ut ex hostium manibus effugiam, in montes & rupes evadam: *Et super excelsa mea deducet me*. Futurum prędicit, ut Dei beneficio sibi contingat, sęvitiam Chaldęorum vitare, viresque & locus sibi sit, in sublimia & inaccessa loca elabendi, ubi victor Eucharisticum Carmen Deo canat: *Deducet me victor, in psalmis canentem*. Reddi potest (66): In sublimia me ducet. *Profecto puellarum musicis instrumentis canentium*. Postrema hæc verba in fronte nonnullorum Psalmorum leguntur (67), eaque hic Carminis Habacuc partem non esse arbitror. Nota est Musica apud Hebræos, quemadmodum *Sela*, quam vocem in Capitis hujus versiculis 3. 9. & 13. legimus. Vel orationi addidit Propheta, ut Carmen totum in Religiosis Cœtibus canendum sese tradidisse significarat.

(56) חמר מים רבים (57) Exod. xiv. 8. (58) לקול צללו שפתי *Ad vocem, ad famam horum, tremiscunt labia mea.* (59) לקול צללו שפתי יבוא רקב בעצמי ותחתי ארגז (60) Ἐπτοήθη ἡ κοιλία μου ἀπὸ φωνῆς προσευχῆς χειλέων μου. Καὶ εἰσῆλθε τρόμος εἰς τὰ ὀστᾶ μου, καὶ ὑποκάτωθέν μου ἐταράχθη ἡ ἕξις μου. Ita Theodoret. & Edit. Rom. vel *ἰσχύς μου*. Ita Edit. Complut. & alii apud Hieron. (61) אשר אנוח ליום צרה לעלות לעם יגודנו Septuag. Τοῦ ἀναβῆναι πρὸς τὸν λαὸν τῆς παροικίας μου. (62) Dan. xiv. 32. & sequ. (63) כי תאנה לא תפרח ואין יבול בגפנים (64) Vide Osee ix. 2. Jerem. iii. 25. Isai. lviii. 11. (65) אגילה באלהי ישעי Septuag. Ἐυφρανθήσομαι ἐπὶ τῷ Θεῷ σωτῆρί μου. (66) ידרכני למנצח בנגינותי Septuag. Τοῦ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ. (67) Vide nos in Psalmos, & in Dissertatione de instrumentis musicis.

FINIS COMMENTARII IN HABACUC.

IN SOPHONIAM

PROLEGOMENON.



Ophonias, filius Chusi, nepos Godoliæ, abnepos Amariæ, fili Ezechiæ, e Tribu Simeonis, si fides habeatur Pseudo-Epiphanio cæterisque ejus furfuris, & ortus in monte *Sarabatha*. Quis iste locus, silente Scriptura, incertum: facile *Saraa* prope Esthaol, in Tribu Simeonis, cui nomini adjectum est *Beth*, sive *Batha*, Domum vel moram sonans, ut *Sarabatha*, sit Domus Saraa. Sed hæ meræ conjecturæ; quemadmodum nihil certius afferri potest de illo oraculo, quod Sophoniæ adscribitur, quo opportunius fuisse dicitur, si Jerosolyma in longum & latum porrecta condita fuisset. Solemne etiam Judæorum effatum refert S. Hieronymus; nimirum nunquam in Scriptura patres vel avos Prophetarum exprimi, nisi eodem Prophetiæ dono insignes fuerint (1); quod proinde in causa fuit, cur Chusi, Amarias, Godolias, & Ezechias avi Sophoniæ in censu Prophetarum haberentur. Hæc tamen nihilo meliora sunt, quam quæ ab aliis de eodem Propheta ex illustri genere nato traduntur. His enim fucum fecie Ezechiæ nomen inter avos ejusdem viri, male cum Rege cognomine confusum. S. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 5. verba hæc tanquam ex Sophonia accepta depromit: & assumpsit me spiritus, & sustulit me in quintum cœlum, & contemplabor angelos qui Domini vocabantur, & Diadema eorum impositum in S. Spiritu, & erat sedes uniuscujusque eorum septuplo major lucis solis Orientis, habitantes in templo salutis, & laudantes Deum ineffabilem altissimum.

Paruit idem Propheta sub Josia; munusque ante duodevigesimum ejusdem Regis annum, quo ille purgare ditionem suam invento Legis Libro aggressus est (2), inivisse, ex eo potissimum colligimus, quod scelera & licentiam in Magistratibus Juda simul & Idololatriam ubique regnantem acrioribus verbis reprehendit. Aliud etiam ejusdem rei documentum præbent Oracula de futura Ninives captivitate, & imperii Assyrii excidio (3); utrumque enim non citius quam anno XVI. Josiæ assignandum est, si Nabopolassaro in Chaldæos regnanti annos XXI. cum Beroso tribuamus (4). Componendus est igitur Sophonias cum inito a Josia Regno, quo Idololatria commune malum tolerabatur.

In primo Operis capite omnes æque populos ultioni cædique a Domino destinatos minis verbisque exagitat; invectus potissimum in Judam, & Philisthæos, quos designat amaro illo dicterio (5): *Qui transiliunt limen*. Alterum caput in Philisthæos impenditur, quorum Urbes evertendas, & in potestatem hostium tradendas, quin & omnes a Judæis jure proprio occupandas prænunciat. Eadem pariter minatur Moabitis, Ammonitis, Æthiopibusque, alio nomine Chusim, nempe Arabibus plagam orientalem in extrema ora Maris rubri tenentibus. Tandem succedunt oracula de excidio Assyriorum, & Ninives. Tertium caput in duas partes distribuitur, quarum prima invectivas & ruinas complectitur; in secunda vero ad contraria studia versus Propheta, facta melioris status & solvendæ captivitatis spe Judæos solatur; plura tamen identidem miscet, nunnisi de Ecclesia Jesu Christi, & futuro Christianorum statu ad literam intelligenda, uti fusius in commentario docuimus.

---

(1) Hieron. Comment. in Sophon. initio. *Tradunt Hebræi, cujuscumque Prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse.* (2) 4. Reg. XXII. 3. 10. 12. &c. (3) Soph. II. 13.
(4) Apud Joseph. lib. 10. Antiq. c. 2. n. 13. (5) Soph. 1. 9.

COM.

COMMENTARIUS LITERALIS IN SOPHONIAM.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore oracula fudit Sophonias. Arguit hic Judaos Idolorum cultores, minisque terret. Horribilis Domini dies.

℣. 1. VErbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Ammon regis Judæ. 2. Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus: 3. Congregans hominem, & pecus, congregans volatilia cœli, & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. 4. Et extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus: 5. Et eos, qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom. 6. Et qui avertuntur de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. 7. Silete a facie Domini Dei: quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. 8. Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina: 9. Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, & ululatus a Secunda, & contritio magna a collibus. 11. Ululate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. 12. Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis. Non faciet bene Dominus, & non faciet male. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum: & ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum. 14. Juxta est dies Domini magnus, juxta est, & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis. 16. Dies tubæ, & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos. 17. Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. 18. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

℣. 1. VErbum Domini ad Sophoniam filium Chusi ..... in diebus Josiæ. Quæ ad Sophoniam ejusque ætatem pertinent, vidimus in Prolegomeno.

℣. 2. Congregans congregabo omnia a facie terræ. *Congregare* hoc loco, ut alibi sæpe (1), est interficere, cadavera in acervos congerere, magnam cædem edere, mortuos sepelire. Non ea modo prædicit Sophonias mala, quæ Judæ, verum etiam quæ Babyloniis, Phœnicibus, cæterisque Judææ finitimis imminebant. Hasce provincias unicum continuumque sepulcrum faciet Deus; id enim proprie hæc verba significant (2): *Congregans congregabo omnia*, homines, bestias, super terræ faciem: homines ac bestias indiscriminatim in sepulcrum congeram, in foveam nullo ordine conjiciam. Eadem ferme iisdemque verbis minitatur Osee, IV. 3.

℣. 3. Congregans hominem et pecus: homines interficiam & pecus, tum mite, tum ferum, ipsasque aves & pisces. Desertam adeo vastatamque regionem late omnem efficiam, ut nedum ho-

(1) Jerem. VIII. 2. XXV. 33. Ezech. XXIX. 5. Osee IV. 3.

(2) אסף אסף כל Septuag. Ἐκλείψει ἐκλειπέτω ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς.

homines, verum etiam aves & feræ vitam ibi agere nequeant. Aquæ vel arescent, vel venenatis ac voracibus bestiis implebuntur, quæ pisces vorent. Non semel animadvertit S. Hieronymus (3), pecoris inopiam a regionis excidio certissime oriri. Variis excursionibus Barbari provincias Romani Imperii, olim uberrimas, adeo desolaverant, ut tristis ubique sterilitas, vepres & luci ubique crescentes, nullis ferme bestiis frequentati, cernerentur.

Ruinæ impiorum erunt. Hebræus (4): Congregabo homines & pecus, *& offendicula cum improbis*. Impios, qui cæteris offendiculo sunt, destruam. Vel: Idola, quæ impiis ea colentibus sunt offensioni, conteram; eu simul cum cultoribus evertam. Septuaginta (5): *Infirmabantur impii*: non stabunt, passim impingent.

℣. 4. Disperdam de loco hoc reliquias Baal. Antequam Josias a ditione sua Baalis cæterorumque falsorum Numinum cultum proscriberet (6); id quod anno Regni sui decimo octavo præstitit; idolorum cultus & superstitio sub illius regno, quemadmodum sub superioribus, invaluerant. Censent nonnulli (7), reliquias hasce Baalis, a Domino destruendas, non modo profanorum Numinum cultum esse, verum & memoriam ac nomen. Ita evellam, ut vel ipsum nomen ignoretur, aut a nemine pronuncietur. Septuaginta (8): *Auferam de loco hoc nomina Baal*. Ait apud Oseen 2. 16. Deus: *Auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum*. At magis simplex interpretatio est, Deum quicquid simulacrorum in regione erat, delevisse, eorumque cultum penitus eradicasse.

Nomen Æditorum cum Sacerdotibus. Hebræus (9): *Nomen atratorum, cum Sacerdotibus*. Atrati, seu *Chamarim* Idolorum Sacerdotes fuisse dicuntur; vel quod revera atris vestibus uterentur, vel irrisionis causa ita nuncuparentur, qui candidas nimio studio quærerent; plerique enim veterum Sacerdotes id vestium genus in sacris ritibus usurpabant; vel denique quod nudo vel ferme nudo corpore sacrum in Templis ministerium obirent, consuetaque nuditas atrum vel fuscum membris colorem induxerit. Posteriori huic sententiæ quis ægre fidem habuerit: at conjecturam his argumentis fulcimus. Putant Eruditi, *Camilli* seu *Casmilli* appellationem ab Hebraica voce *Chamarim* derivari, Etrusci vocem hanc ab Orientalibus sumpserant, mitiorisque pronunciationis effecerant, mutata *R* in *L*, quemadmodum sæpe usu venit. Porro *Camilli* prisca Etruscorum lingua dicebantur Deorum Ministri, vel *pueri ac puellæ* (10) *nobiles & investes*, quos *Romani Camillos & Camillas appellant*, *Flaminicarum & Flaminum præministros*. Docere possumus, nudos vel ferme nudos fuisse Baali, Astartes, vel Deæ Syriæ Sacerdotes; cum Sacerdotes Domini vestibus aptissimis, & nunquam non candidis uterentur, & plenissima obsequii modestia & gravitate ministrarent. Illi dum prophana numinum suorum insania afflabantur, Isidi, seu Bellonæ suo ipsorum sanguine sacrificabant, & brachia, pectus humerosque incidebant, futurum sperantes, ut Dea hac arte placaretur. Morem hunc in Baalis Sacerdotibus, in Carmelo coram Elia sacra facientibus, luculenter tradit Scriptura 3. Reg. 18. 28. incidebant se cultris & lanceolis. Id porro Moyses non sacerdotibus modo, sed meris etiam Israelitis interdixerat, vetans, ne quis sese incideret (11). Sævissima hæc sacra, vel inter Ethnicos, Poetæ cæterique prophani Scriptores derisere (12): *Quum aliquis secando lacertos suos artifex, brachiaque atque humeros suspensa manu cruentat*, &c. Turpissimorum Numinum Sacerdotes, ceu Priapi, Veneris, Adonidis, flagitiis multo indignissimis in probrosa nuditate inquinabantur. Non male igitur Hebræi falsorum Numinum Ministros irrisionis causa atratos, fuscos, Hebraice *Chemarim*, appellabant, quod plerumque in Numinum sacris turpissime nudi prodirent.

℣. 5. Et eos qui adorant super tecta militiam Cœli. Cum plana essent tecta, aræ ibi statuebantur, positoque tripode thus cremabatur Astris (13), Soli & Lunæ, quæ Cœli Militia in Scripturis appellari consuevere. Vitium hoc coercuit atque abolevit Josias (14), at post Sophoniæ vaticinia. Mos colendi Astra, eaque thure in tectis venerandi, diu inter Arabes viguit (15).

Jurant in Domino, et jurant in Melcham. Dei cultum cum Molochi, Ammonitarum Numinis, religione conjungere conantur. *Veri Dei & falsi* Numinis nomine jurant; atque ita Dominum cum Belial, veritatem cum mendacio comparant. Jusjurandum Religionis actio est, uni Deo debita *Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua*. Matt. 5. 33. Jurare nomine Deorum est, id tribuere Diis, quod proprium est Dei. Hoc in Scriptura 3. Reg. 18. 21. dicitur claudicare in duas partes: *Usquequo claudicatis in duas partes?* Colligi videtur ex Prophetis, errorem hunc in Israele & Juda latissime esse pervagatum, Deoque non penitus relicto, populum Idola coluisse, diviso Deum inter & Baalem cultu.

℣. 7. Silete a facie Domini, quia juxta est dies Domini. Silete jam; adest Deus; proxima est vindictæ illius dies. Animadvertit S. Hieronymus, Hebraicam vocem *has* (16) formam esse imperantis silentium, ut eæ quæ passim in Comœdiis leguntur. Ita apud Latinos usurpabatur *St*, *&c*. Cum imperat gentibus silentium Propheta, sese magna dicturum significat, docetque, quo obsequio Dei verba excipienda sint, quæ mox est nunciaturus.

Præparavit Dominus hostiam; sanctificavit vocatos suos, convivas vocavit. Præsto sunt cœnare, in mensa discumbere. Paratum illis convivium cruor est populorum, Destinatæ convivio victimæ sunt impii ac mali, quos ultioni suæ mactaturus est Deus, ceu hostiæ furori suo jamdiu paratæ. Convivii metaphora frequenter utuntur Prophetæ, ut Divinæ ultionis tempus innuant (17).

℣. 8. Visitabo super Principes, et super Filios Regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina. Hæc post pii Josiæ obitum expleta sunt. Eo infeliciter cæso in prælio, quo is Nechaum Ægypti Regem aggressus est 3. Reg. 28. 29. Divinus furor, hactenus sanctissimi & religiosissimi Principis precibus & virtute coercitus, statim in Judam exarsit; ac deinceps continua malorum series populum, Principes, Regiamque familiam obvolvit.

Nechaus, post hanc de Josia victoriam, Euphra-

(3) Vide Hieron. in Osee iv. 3. & in hunc locum: *Vastatis urbibus hominibusque interfectis, solitudinem, & raritatem bestiarum quoque fieri, & volatilium pisciumque, testis Illyricum est, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum; ubi præter Cælum, & terram, & crescentes vepres, & condensa sylvarum, cuncta perierunt*. Vide eumdem in Jerem. iv. 25. (4) והמכשלות את הרשעים Sym. Καὶ τὰ σκάνδαλα τῶν ἀσεβῶν. Septuag. & Th. Ἀσθενήσουσιν οἱ ἀσεβεῖς. (5) Καὶ ἀσθενήσουσιν οἱ ἀσεβεῖς. (6) 4. Reg. xxiii. 4. 5. (7) Vide Sanct. n. 9. (8) Ἐξαρῶ ἐκ τοῦ τόπου τούτου τὰ ὀνόματα τοῦ Βααλ. (9) את שם הכמרים עם הכהנים (10) Vide Servium ad Virgil. Æneid. xi. & Macrob. Satur. l. 3. c. 8. (11) Levit. xxi. 5. *Nec in carne sua facient incisuras*. (12) Senec. lib. de vita beata. (13) Vide Jerem. xix. 13. & 4. Reg. xxiii. 12. (14) 4. Reg. xxiii. 5. *Delevit eos qui adolebant incensum Baal, & soli, & lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ Cæli*. Vide ℣. 12. (15) Ἥλιον τιμῶσιν ἐπὶ τοῦ δώματος ἱδρυσάμενοι βωμὸν, σπένδοντες ἐν αὐτῷ καθ' ἡμέραν, καὶ λιβανωτίζοντες. Strabo l. 17. p. 745. (16) הס מפני אדני 70. Εὐλαβεῖσθε ἀπὸ προσώπου Κυρίου. (17) Ezech. xxxix. 17. 18. Isai. xxxiv. Jerem. xlvi. 10.

phratem versus institutum iter profecutus, inde redux, Joachazum, quem populus Regem creaverat, cepit; eamque vinculis onustum, captivum in Ægyptum duxit (18). Nihilo feliciot fuit Joakim, qui Joachazo successit. Illum enim Nabuchodonosor, obsessa Jerosolyma, cepit, atque in vincula datum, Babylonem mittere decreverat (19): verso deinde consilio, illum Jerosolymis reliquit, ubi is Chaldæorum subditus & vectigalis fuit. At non diu quietus mansit; missi enim Dei consilio latrones ex Chaldæis, Syris, Moabitis & Ammonitis, illius ditionem depopulati sunt (20). Denique cum res novas moliretur, captus a Nabuchodonosoris ducibus interfectusque, projectus est insepultus (21). Joachin, qui patri successit, in Nabuchodonosoris quoque potestatem datus, missus est Babylonem captivus (22), ubi vinctus usque ad Evilmerodachi regnum vixit. Tandem Sedecias, Regum Juda postremus, Jerosolymis captus, atque ad Nabuchodonosorem ductus, damnatusque perduellionis, oculis orbatus est, raptusque Babylonem. Hoc fuit filiorum nepotumque Josiæ fatum; atque ita hujus vaticinii pars expleta est: super *filios Regis*.

Principes Juda, Aulæ Proceres, Regisque cognati eadem quisque supplicia subierunt. Pars neci traditi, pars in captivitatem, alii in carcerem dati, omnes patria pulsi, ac variis ærumnarum generibus afflicti. Calamitatum socii Regibus semper fuere, quemadmodum sævitiæ administri & instrumenta, participesque flagitiorum fuerant.

Ii denique, *qui peregrina veste induebantur*, & contemptis Dei Legibus (23) moribusque patriis, externorum elegantiam sectabantur; vel luxu & ambitione occupati, patrios pannos negligebant, & elegantiori magisque sumptuosa ex Ægypto, Babylonia, aut remotioribus etiam populis vestes utebantur, communibus patriæ infortuniis obvoluti sunt. Hos præsertim Chaldæorum avaritia & sævities exagitavit; omnibusque ambitionis suæ ornamentis spoliati, probrosam nuditatem pati coacti sunt. *Peregrinæ vestis* nomine nonnulli vestes intelligunt, quas illi iniquissime possidebant, atque imbecillioribus vi rapuerant, seu vestes pignori acceptas, quas usurpaverant, repugnante Lege Exod. c. 22. 26. 27. quæ vestes hujusmodi iis, qui eas pignori dederant, restitui jubebat. Ajunt alii (24), vestes hasce ex iis fuisse, quarum usus in Lege damnatur, ex lana scilicet linoque textas (25); seu viriles vestes, quibus fœminæ, & fœmineas, quibus viri (26) in sacris Festisque Veneris ac Martis induebantur. Nonnulli (27) peregrinas vestes de pessima Israelitarum imitatione interpretantur, qua scilicet hi mores & ornamenta externarum gentium, quibus serviebant, affectarent. Sunt (28) qui putent, Israeliticos Sacerdotes, ubi sacra facerent profanis Diis, iisdem usos esse ornamentis, quibus Profani Sacerdotes, quorum ritus & sacra sequebantur. Quidam denique (29) hypocrisin intelligunt, quæ lupum quandoque pellis tegit.

℣. 9. SUPER OMNEM, QUI INGREDITUR ARROGANTER SUPER LIMEN, in Templum, magnifica veste, superboque apparatu, quasi pompam sui facientes suæque ambitionis ac superbiæ specimen exhibentes: *Ingredientes pompatice Domum Israel*, inquit Amos VI. 5. vel qui immodesto animo, ad res alienas distracto, superbo, veluti in suo ipsius solio Religioni insultaturi. Hebræus (30): *Adversus omnes qui transiliunt limen*.

Chaldæus, cui magna Interpretum pars suffragatur, putat, argui a Propheta eos, qui superstitionem imitabantur Philisthinorum, quibus religio erat limen Templi Dagonis pede tangere, quod Dagonis simulacrum, vel saltem simulacri manus in foribus jacentes repertæ fuerint, Arca Domini in Dagonis Templo collocata (31). Philisthinos igitur arguit hoc vaticinio Sophonias, propria ipsorum superstitione designans. Hujus vestigia cernuntur apud Latinos & Persas, uti diximus in 1. Regum, v. 5. Apud Tartaros, Regii Palatii limen, obsequii causa, pede non tangitur (32). Reddunt hic Septuaginta (33): *Ulciscar super omnes, conspicue euntes super vestibula*.

QUI COMPLENT DOMUM DOMINI DEI SUI INIQUITATE ET DOLO. Qui magnifica ex bonis iniqua vi & dolo raptis munera deferrent. Vel: Qui Dei Domum in negotiationis, iniquitatis ac fraudis locum vertunt, quemadmodum ætatis suæ Judæis vitio vertit Christus, qui mercimonia in Templo indignissime vendebant emebantque Matt. 21. 13. Fortasse etiam Philisthinos spectat. Reddi potest Hebræus (34): *Complentes domum dominorum* seu deorum *suorum iniquitate & dolo*.

℣. 10. ERIT IN DIE ILLA VOX CLAMORIS A PORTA PISCIUM; quæ porta, inquit S. Hieronymus, ad maris plagam erat, Joppen versus & Diospolim; ea ea fortasse porta nuncius cædis ac mortis Josiæ in campo Mageddo allatus est. Vel: Ab hac audietur Philisthinorum clamor, quibus proxima erat, & in quos minas intorsit.

ET ULULATUS A SECUNDA urbis parte, paulo ante Josiam a Manasse condita, muroque cincta a porta piscium usque ad Ophel, ad occidentem fontis Gehon (35). Ophel sedes erat Nathinæorum, Templi servitii addictorum (36). Questus ob Josiæ necem, vel Philisthinorum ab hoste invasorum devictorumque clamor a porta piscium exaudiri cœpit. Inde ad secundam urbis partem, illi conjunctam, pervenit rumor, ac deinde urbem universam implevit; ita ut vicini colles insonuerint: *Et contritio magna a collibus*. Vel: Colles, quibus insidet Jerosolyma, iis clamoribus personuere; secunda enim urbs, quam diximus, vallem ad montis radices occupabat (37).

℣. 11. ULULATE, HABITATORES PILÆ. Nomen est cujusdam vici in urbe Jerosolyma, qui Hebraice *Masthes*, pila, dicebatur, seu lapis in pilæ formam, in qua frumenta tundi solebant, ut folliculis exuerentur. Putat S. Hieronymus (38), Pilam hic nominari vicum Jerosolymæ, fonti Siloe proximum, a profunditate dictum. Rabbi Salomon censet esse Tiberiadam, quæ in humillimo totius regionis loco jacebat. Ajunt alii (39), Sophoniam hoc nomine universam Jerosolymæ urbem significari, in qua velut in pila tundendi erant ii, qui Chaldæis urbem obsidentibus ibi morarentur. Jeremias 1. 13. & Ezechiel 24. 3. Jerosolymam cum olla igni imposita, plenaque carnibus comparant. Israelis Proceres arguit Michæas 3. 3. quod populi carnes & ossa velut in olla seu pila comminuerint. Nonnulla sunt ejus sævitiæ exempla, hominum scilicet in lapideis pilis, ubi fru-

(18) 2. Par. xxxvi. 4. (19) 2. Par. xxxvi. 6. (20) 4. Reg. xxiv. 2. (21) Jerem. xxii. 18. 19. & xxxvi. 30. (22) 4. Reg. xxiv. 10. 11. 12. (23) Num. xv. 38. & Deut. xxii. 12. (24) Theodoret. Vat. Albert. (25) Deut. xxii. 11. Levit. xix. 19. (26) Deut. xxii. 5. Grot. hic. (27) Sanct. hic n. 25. Men. Tir. Drus. (28) Chald. Hieron. Haimo, Remig. Lir. (29) Rupert. in hunc loc. (30) על כל הדלג על המפתן (31) 1. Reg. v. 5. *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum ejus, super limen Dagon.* (32) Bergeron, Voyage de Carpin Ch. 10. & suiv. (33) Ἐκδικήσω ἐπὶ πάντας ἐμφανῶς τὰς ἐπὶ τὰ πρόπυλα. (34) הממלאים בית אדניהם חמס ומרמה (35) 2. Par. xxxiii. 14. (36) 2. Esdr. iii. 26. 27. (37) 2. Par. xxxiii. 14. *Ad occidentem Gihon in convalle.* (38) Hieron. *Pila, prima producta, ut de pila sciamus dici . . . . in qua frumenta tunduntur: vas concavum, & Medicorum aptum usui; in quo proprie ptisanæ feriri solent.* (39) Sanct. Tir. Riber.

mentum & hordeum pinsebantur, confractorum. Nicocreon Cypri Rex Anaxarchum Philosophum (40) in pilam conjici, ferreisque pistillis tundi jussit. Ait Salomon Prover. 27. 22. *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Locus etiam invenitur, nomine *Machtes*, seu Deus molaris, ubi Deus Samsoni sitienti aquas elicuit (41). Septuaginta (42): *Plangite qui habitatis* urbem *concisam*. Chaldæus: *Qui habitatis in torrente Cedron.* Ex hoc lectionum dissidio satis discimus, veram hujus loci significationem ignorari. Puto ego, pro habitatoribus Machtes Philisthinos a Propheta designari. Machtes quippe locus erat vel intra vel prope Philisthinorum fines, & ex Capite sequenti ℣℣. 4. & 5. Philisthinos æque ut Judæos hoc vaticinio spectari.

Conticuit omnis populus Chanaan. Innuere creditur (43) hoc nomine Sophonias Judæos impios ac refractarios, Chananæorum appellatione dignos potius quam Judæorum. *Semen Chanaan & non Juda*, inquit Daniel (44), iniquos Judices arguens. Plerique Recentiorum (45), qui *Machtes* forum vel locum nundinarum Jerosolymis interpretantur, ajunt, Chanaan hic esse Mercatores, qui negotiationis causa eo confluebant, Chanaan generice interdum pro Mercatore usurpatur; at Capitis sequentis versiculi 4. 5. 6. de Chananæis seu Philisthinis intelligi jubent. Eadem erant hisce gentibus Numina. Sap. XII. 23. 24.

Disperierunt omnes involuti argento; locupletes sumptuosis vestibus auroque & argento nitentibus conspicui. Vel ex eorum sententia, qui de Mercatoribus interpretantur: Qui zonas pecunia graves semper gerunt: *Involuti argento*. Hebræus (46): *Omnes portantes argentum*; qui eo onusti incedunt. Septuaginta (47): *Omnes qui erecti sunt argento*; magna bonorum copia superbi. Explicanda sunt de Philisthinis ac Phœnicibus, quemadmodum ea quæ superioribus versiculis duobus continentur.

℣. 12. Scrutabor Jerusalem in lucernis. Remotissima omnia facibus scrutabor, ne ii qui studiosissime aliquid quærunt; ut Evangelica fœmina, quæ amissum nummum accensa lucerna, ac domum verrens quærit (48). Ita Deus omnes Jerosolymæ incolas scrutabitur, cum iratus fuerit, quin reus aliquis illius solertiam fugiat. Illos vel in cloacis locisque sordidissimis, quo illos timor impulerit, perquiret: *Defixos in fæcibus suis*. Chaldæos odiosa naturæ loca rimatos esse, nulli tradunt Historici; at post ultimam Jerosolymę obsidionem per Romanos, testatur Josephus (49), Judæos plures repertos esse in cloacis locisque subterraneis, ubi perfugium illi quæsiverant.

Non faciet Dominus bene, et non faciet male. Hominum res Providentia temperari omnino negabant, ut Epicuræi, qui mortalium res Deum non curare arbitrabantur.

℣. 14. Juxta est dies Domini, qui dies Josię morte incepit. Deinceps calamitates & ærumnę Regnum Juda facto impetu inundavere. Confer cum Sophonia Holdę Prophetidis vaticinia, ea ętate florentis 4. Reg. 14. & sequ.

Tribulabitur ibi fortis. Hebręus (50): *Vociferabitur illic fortis.* Chaldęus: *Ibi potentes interficientur.* Septuaginta (51): *Vox diei Domini dura & amara posita est fortis.*

℣. 16. Dies tubæ et clangoris. Redux ab Euphratis expeditione Nechaus, in Judęam venit, & buccinarum clangore omnia miscuit; Jerosolymam ingressus, Joachazum, quem populus Regem creaverat, amovit.

℣. 17. Ambulabunt ut cæci, cum territi nescient quo se vertant, quidve consilii capiant, Vide *Deut.* XXVIII. 29 *Palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Isaias LIX. 10. *Palpavimus sicut cæci parietem .... impegimus in meridie quasi in tenebris.* Idem XIX. 14. *Miscuit in medio ejus spiritum vertiginis.*

℣. 18. Aurum eorum non poterit liberare eos. Eamdem rem iisdemque verbis prędicit Ezechiel VII. 19. Agens de Medis Babylonem invasuris Isaias (52) ait, illos neque aurum neque argentum magni facere, sed cędem solummodo & sanguinem spirare.

---

[40] Laert. in Anaxarch. [41] Judic. XV. 19. [42] Θρηνήσατε οἱ κατοικοῦντες τὴν κατακεκομμένην. Aqu. Sym. Ὅλμος, *Mortarium*. [43] Hieron. hic, Tarnov. Drus. [44] Dan. XIII. 56. Vide & Osee XII. 7. [45] Tigur. Pagn. Munst. Jun. Grot. [46] כל נטילי כסף [47] Πάντες οἱ ἐπηρμένοι ἀργυρίῳ. [48] Luc. XV. 8. [49] Joseph. de bello l. 7. c. 16. in Lat. item c. 20. & 26. [50] צרח שם גבור [51] Φωνὴ ἡμέρας Κυρίου πικρὰ, καὶ σκληρὰ τέτακται δυνατή. [52] Isai. XIII. 17. *Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, & aurum nolint, &c.*

CAPUT II.

Impios hortatur, ut resipiscant. Philisthinorum, Phœnicum, Moabitarum, Ammonitarum, Arabum, Assyriorum exitium prædicit. Plerarumque harum gentium regio ab Israelitis post captivitatem occupabitur.

℣. 1. Convenite, congregamini gens non amabilis. 2. Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. 3. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati: quærite justum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini. 4. Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, & Accaron eradicabitur. 5. Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum; verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita ut non sit inhabitator. 6. Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum: 7. Et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & avertet captivitatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon:

quæ

quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. 9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos. 10. Hoc eis eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. 12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis. 13. Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet speciosam in solitudinem, & in invium, & quasi desertum. 14. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium; & onocrotalus, & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. 15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis, qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.

℣. 1. CONVENITE, CONGREGAMINI, GENS NON AMABILIS. Junge hæc cum præcedentibus: Divini furoris flamma terram universam voratura est. Festinate, odiosa gens, Deo inimica, convenite, uti colligi solent minuta ligna; colligite vel paleas, antequam opprimat vos hæc flamma, atque hic turbo vos auferat. Hæc omnino mihi videtur Hebræi sententia. Israelitas alloquitur, Philisthinos, cæterosque, quibus Divinum furorem minitatus est. Turbini comparatur Divinus furor, obvia quæque auferenti, atque igni voranti omnia. Populi similes ligno & paleis sunt. Illos resipiscere jubet, & neque lignum neque paleas Deo adveniente relinquere; utrumque enim dissipabit vel exuret. Sententiam suam luculentius explicat sequenti versiculo: *Quærite Dominum, neque unquam desinite justitiam quærere, lenitatem, & cætera*. Hebræus (1): *Congregamini & colligite, gens amore vacua, antequam decretum* vos perdendi, quod apud se constituit Deus, *pariat ut palea quæ transit hodie*. Utitur passim hac comparatione Propheta (2), Divinæ scilicet iræ, inimicos vorantis, ut ignis paleam, vel ceu turbo illos dissipans & evertens.

Septuaginta (3): *Congregamini & colligamini, gens inerudita*, male instituta, *antequam sitis vos sicut flos pertransiens*. Chaldæus: *Congregamini & venite, & accedite populus generationis nolentis converti ad legem, antequam prodeat in vos edictum Domus Judicii, & sitis similes plumæ, quam perflat ventus, & umbræ quæ transit a conspectu diei*.

℣. 3. QUÆRITE JUSTUM; QUÆRITE MANSUETUM; Deum scilicet æquitatis & mansuetudinis plenum; illius clementiam implorate. Vel: quærite justitiam & mansuetudinem. Hebræus posteriori huic explicationi magis favet. Septuaginta (4): *Quærite justitiam, & respondete ea*. Causas, cur puniturus sit Philisthinos Deus, silet Sophonias; at vide Ezechielem XXV. 15. ubi veterem illorum simultatem & sævitiam in Israelitas vitio iis vertit.

℣. 4. GAZA DESTRUCTA ERIT. Philisthini, gens odiosa, ad vestri judicis clementiam confugite, justitiam exercete, iniquitatem abjicite, si mala imminentia vitare cupitis. Gaza, Ascalon, Azotus, Accaron, nobilissimæ regni vestri urbes, destruentur. Fortasse sub Psammeticho Ægypti Rege, Nechai patre, hæc Philisthinorum calamitas cœpit. Aggressus est Philisthinorum urbes Psammetichus, atque inter cæteras Azotum, quam, teste Herodoto lib. 2. c. 157. diuturna annorum novem & viginti obsidione cinxit. Quicquid Euphratem inter & Ægyptum est, Nechaus Psammetichi filius expugnavit. Is universam Syriam domuit (5); atque ad illum nonnulli ea referunt, quæ de Gazæ expugnatione tradidit Jeremias (6). Post aliquot annos, Nabopolassar Nabuchodonosorem misit, qui omnes hasce provincias Ægyptiis abstulit. Aliquo deinde post tempore, cum hic aliquas seditionis reliquias in ea regione gliscere intellexisset, eo rediit; eversaque Jerosolyma, Tyrum cepit, Phœniciam universam domuit, finitimosque omnes expugnavit. His potissimum temporibus expleta est hujus vaticinii fides. Vindictam exercere ab ipsa domo sua incepit Deus. Cæteræ Philisthinorum, Idumæorum, Ammonitarum & Moabitarum gentes, quæ Jerosolymæ malis illuserant, suas etiam vices & sua fata sensere. Confer hæc vaticinia cum Jeremia XLVII. 4. & Ezechiele XXV. 15. qui eadem Philisthinis infortunia nunciant. Hi uno assensu docent, hæc in Philisthinos mala profecta esse a septemtrione, scilicet a Chaldæis, qui eo nomine plerumque in Scripturis significantur.

℣. 5. VÆ QUI HABITATIS FUNICULUM MARIS, oras maris. Apud eas gentes, ager funiculorum mensura dividebatur. Philisthini imperium secus Mediterraneum a Joppe ad Gazam usque porrigebant.

GENS PERDITORUM. Hebræus (7): *Gens Cerethim*. Iidem hi sunt atque Philisthini, uti late docuimus in Dissertatione de Philisthinorum origine, ad primum Librum Regum. Inter corporis custodes David alebat cohortem Cerethim, qui ipsum constantissime secuti fuerant, cum is in Geth & Siceleg versaretur (8). Philisthinos sub appellatione Cerethim designat Ezechiel (9), iisque eadem, quæ hic legimus, mala prædicit. Reddunt Septuaginta (10): *Advenæ Cretensium*; putatque Theodoretus, Philisthinorum partem ex Insula Creta forte esse profectam. Illos Palæstinæ advenas fuisse, translatis ex Insula Caphtor sedibus, Scriptura testatur (11). Conjecturas alibi (12) proposuimus, ut illos ex insula Cypro originem duxisse ostenderemus: at nos ea tenemus, quæ de Cretensibus diximus.

VER-

[1] התקוששו וקושו הגוי לא נכסף בטרם לדת חק כמוץ עבר יום Corruptus videtur hic locus. Confer cum Jerem. XIII. 24. Legi potest לדת חש [2] Exod. XV. 7. Job XXII. 25. Isai. V. 24. XXIII. II. XL. 24. XLI. 2. XLVII. 14. Jerem. XIII. 24. Joel V. 2. Abdias I. 18. [3] Συνάχθητε καὶ συνδέθητε τὸ ἔθνος τὸ ἀπαίδευτον, πρὸ τοῦ γενέσθαι ὑμᾶς ὡς ἄνθος παραπορευόμενον ἡμέρᾳ. [4] בקשו צדק בקשו ענוה Septuag. Ζητήσατε δικαιοσύνην, καὶ ἀποκρίνεσθε. [5] Herodor. lib. 2. cap. 158. collatus cum 4. Reg. XXIV. 7. [6] Jerem. XLVII. 1. *Verbum Domini contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam*. [7] גוי כרתים [8] 2. Reg. XV. 18. [9] Ezech. XXV. 16. in Hebr. הכרתי את כרתים [10] Septuag. Πάροικοι Κρητῶν. Aqu. & V. Edit. Ἔθνος ὀλεθρευόμενον. Th. Ἔθνος ὀλεθρίας. [11] Deut. II. 23. Jerem. XLVII. 4. Amos IX. 7. [12] Vide Genes. X. 14.

mentum & hordeum pinsebantur, confractorum. Nicocreon Cypri Rex Anaxarchum Philosophum (40) in pilam conjici, ferreisque pistillis tundi jussit. Ait Salomon Prover. 27. 22. *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus*. Locus etiam invenitur, nomine *Machtes*, seu Deus molaris, ubi Deus Samsoni sitienti aquas elicuit (41). Septuaginta (42): *Plangite qui habitatis* urbem *concisam*. Chaldæus: *Qui habitatis in torrente Cedron*. Ex hoc lectionum dissidio satis discimus, veram hujus loci significationem ignorari. Puto ego, pro habitatoribus Machtes Philisthinos a Propheta designari. Machtes quippe locus erat vel intra vel prope Philisthinorum fines, & ex Capite sequenti ℣℣. 4. & 5. Philisthinos æque ut Judæos hoc vaticinio spectari.

Conticuit omnis populus Chanaan. Innuere creditur (43) hoc nomine Sophonias Judæos impios ac refractarios, Chananæorum appellatione dignos potius quam Judæorum. *Semen Chanaan & non Juda*, inquit Daniel (44), iniquos Judices arguens. Pleriqua Recentiorum (45), qui *Machtes* forum vel locum nundinarum Jerosolymis interpretantur, ajunt, Chanaan hic esse Mercatores, qui negotiationis causa eo confluebant, Chanaan generice interdum pro Mercatore usurpatur; at Capitis sequentis versiculi 4. 5. 6. de Chananæis seu Philisthinis intelligi jubent, Eadem erant hisce gentibus Numina. Sap. xii. 23. 24.

Disperierunt omnes involuti argento; locupletes sumptuosis vestibus auroque & argento nitentibus conspicui. Vel ex eorum sententia, qui de Mercatoribus interpretantur: Qui zonas pecunia graves semper gerunt: *Involuti argento*. Hebræus (46): *Omnes portantes argentum*; qui eo onusti incedunt. Septuaginta (47): *Omnes qui erecti sunt argento*; magna bonorum copia superbi, Explicanda sunt de Philisthinis ac Phœnicibus, quemadmodum ea quæ superioribus versiculis duobus continentur.

℣. 12. Scrutabor Jerusalem in lucernis. Remotissima omnia facibus scrutabor, ut ii qui studiosissime aliquid quærunt; ut Evangelica fœmina, quæ amissum nummum accensa lucerna, ac domum verrens quærit (48). Ita Deus omnes Jerosolymæ incolas scrutabitur, cum iratus fuerit, quin reus aliquis illius solertiam fugiat. Illos vel in cloacis locisque sordidissimis, quo illos timor impulerit, perquiret: *Defixos in fæcibus suis*. Chaldæos odiosa naturæ loca rimatos esse, nulli tradunt Historici; at post ultimam Jerosolymę obsidionem per Romanos, testatur Josephus (49), Judæos plures repertos esse in cloacis locisque subterraneis, ubi perfugium illi quæsiverant.

Non faciet Dominus bena, et non faciet male. Hominum res Providentia temperari omnino negabant, ut Epicuræi, qui mortalium res Deum non curare arbitrabantur.

℣. 14. Juxta est dies Domini, qui dies Josię morte incepit. Deinceps calamitates & ærumnę Regnum Juda facto impetu inundavere. Confer cum Sophonia Holdę Prophetidis vaticinia, ea ętate florentis 4. Reg. 14. & sequ.

Tribulabitur ibi fortis. Hebręus (50): *Vociferabitur illic fortis*. Chaldęus: *Ibi potentes interficientur*. Septuaginta (51): *Vox diei Domini dura & amara posita est fortis*.

℣. 16. Dies tubæ et clangoris. Redux ab Euphratis expeditione Nechaus, in Judæam venit, & buccinarum clangore omnia miscuit; Jerosolymam ingressus, Joachazum, quem populus Regem creaverat, amovit.

℣. 17. Ambulabunt ut cæci, cum territi nescient quo se vertant, quidve consilii capiant, Vide *Deut.* xxviii. 29 *Palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas*. Isaias lix. 10. *Palpavimus sicut cæci parietem .... impegimus in meridie quasi in tenebris*. Idem xix. 14. *Miscuit in medio ejus spiritum vertiginis*.

℣. 18. Aurum eorum non poterit liberare eos. Eamdem rem iisdemque verbis prędicit Ezechiel vii. 19. Agens de Medis Babylonem invasuris Isaias (52) ait, illos neque aurum neque argentum magni facere, sed cędem solummodo & sanguinem spirare.

[40] Laert. in Anaxarch. [41] Judic. xv. 19. [42] Θρηνήσατε οἱ κατοικοῦντες τὴν κατακεκομμένην. Aqu. Sym. Ὅλμον, *Mortarium*. [43] Hieron. hic, Tarnov. Drus. [44] Dan. xiii. 56. Vide & Osee xii. 7. [45] Tigur. Pagn. Munst. Jun. Grot. [46] כל נטילי כסף [47] Πάντες οἱ ἐπηρμένοι ἀργυρίῳ. [48] Luc. xv. 8. [49] Joseph. de bello l. 7. c. 16. in Lat. Item c. 20. & 26. [50] צרח שם גבור [51] Φωνὴ ἡμέρας Κυρίου πικρὰ, καὶ σκληρὰ τέτακται δυνατή. [52] Isai. xiii. 17. *Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, & aurum nolint, &c.*

CAPUT II.

Impios hortatur, ut resipiscant. Philisthinorum, Phœnicum, Moabitarum, Ammonitarum, Arabum, Assyriorum exitium prædicit. Plerarumque harum gentium regio ab Israelitis post captivitatem occupabitur.

℣. 1. CONVENITE, congregamini gens non amabilis. 2. Priusquam pariat jussio
quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris
Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. 3. Quærite Domi-
num omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati: quærite justum, quærite
mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini. 4. Quia Gaza destru-
cta erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, & Accaron eradica-
bitur. 5. Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum; verbum Domini
super vos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita ut non sit inhabita-
tor. 6. Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum: 7. Et erit
funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis
ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & avertet capti-
vitatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon:

quæ

quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. 9. Pro-
pterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit,
& filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque
in æternum : reliquiæ populi mei diripient eos , & residui gentis meæ possidebunt
illos. 10. Hoc eis eveniet pro superbia sua : quia blasphemaverunt , & magnificati
sunt super populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super eos, & at-
tenuabit omnes deos terræ : & adorabunt eum viri de loco suo , omnes insulæ gen-
tium. 12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis. 13. Et extendet ma-
num suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet speciosam in solitudinem, &
in invium, & quasi desertum. 14. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes be-
stiæ gentium; & onocrotalus, & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis
in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. 15. Hæc est ci-
vitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra
me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ? omnis , qui
transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.

℣. 1. CONVENITE, CONGREGAMINI, GENS NON AMABILIS. Junge hæc cum præcedentibus: Divini furoris flamma terram universam voratura est. Festinate, odiosa gens, Deo inimica, convenite, uti colligi solent minuta ligna; colligite vel paleas, antequam opprimat vos hæc flamma, atque hic turbo vos auferat. Hæc omnino mihi videtur Hebræi sententia. Israelitas alloquitur, Philisthinos, cæterosque, quibus Divinum furorem minitatus est. Turbini comparatur Divinus furor, obvia quæque auferenti, atque igni voranti omnia. Populi similes ligno & paleis sunt. Illos resipiscere jubet, & neque lignum neque paleas Deo adveniente relinquere; utrumque enim dissipabit vel exuret. Sententiam suam luculentius explicat sequenti versiculo : *Quærite Dominum , neque unquam desinite justitiam quærere , lenitatem , & cætera*. Hebræus (1): *Congregamini & colligite , gens amore vacua , antequam decretum* vos perdendi , quod apud se constituit Deus , *pariat ut palea quæ transit hodie*. Utuntur passim hac comparatione Prophetæ (2) , Divinæ scilicet iræ , inimicos vorantis , ut ignis paleam , vel ceu turbo illos dissipans & evertens.

Septuaginta (3): *Congregamini & colligamini , gens inerudita* , male instituta , *antequam sitis vos sicut flos pertransiens* . Chaldæus : *Congregamini & venite , & accedite populus generationis nolentis converti ad legem , antequam prodeat in vos edictum Domus Judicii , & sitis similes plumæ , quam perflat ventus , & umbræ quæ transit a conspectu diei*.

℣. 3. QUÆRITE JUSTUM ; QUÆRITE MANSUETUM ; Deum scilicet æquitatis & mansuetudinis plenum ; illius clementiam implorate . Vel : quærite justitiam & mansuetudinem. Hebræus posteriori huic explicationi magis favet. Septuaginta (4): *Quærite justitiam , & respondete ea* . Causas, cur puniturus sit Philisthinos Deus, silet Sophonias ; at vide Ezechielem xxv. 15. ubi veterem illorum simultatem & sævitiam in Israelitas vitio iis vertit.

℣. 4. GAZA DESTRUCTA ERIT. Philisthini , gens odiosa , ad vestri Judicis clementiam confugite , justitiam exercete , iniquitatem abjicite , si mala imminentia vitare cupitis. Gaza, Ascalon , Azotus , Accaron , nobilissimæ regni vestri urbes, destruentur. Fortasse sub Psammeticho Ægypti Rege, Nechai patre , hæc Philisthinorum calamitas cœpit. Aggressus est Philisthinorum urbes Psammetichus , atque inter cæteras Azotum , quam , teste Herodoto lib. 2. c. 157. diuturna annorum novem & viginti obsidione cinxit . Quicquid Euphratem inter & Ægyptum est , Nechaus Psammetichi filius expugnavit . Is universam Syriam domuit (5); atque ad illum nonnulli ea referunt, quæ de Gazæ expugnatione tradidit Jeremias (6). Post aliquot annos , Nabopolassar Nabuchodonosorem misit, qui omnes hasce provincias Ægyptiis abstulit. Aliquo deinde post tempore, cum hic aliquas seditionis reliquias in ea regione gliscere intellexisset, eo rediit; eversaque Jerosolyma , Tyrum cepit , Phœniciam universam domuit , finitimosque omnes expugnavit. His potissimum temporibus expleta est hujus vaticinii fides . Vindictam exercere ab ipsa domo sua incepit Deus. Cæteræ Philisthinorum, Idumæorum , Ammonitarum & Moabitarum gentes, quæ Jerosolymæ malis illuserant , suas etiam vices & sua fata sensere . Confer hæc vaticinia cum Jeremia XLVII. 4. & Ezechiele XXV. 15. qui eadem Philisthinis infortunia nunciant . Hi uno assensu docent , hæc in Philisthinos mala profecta esse a septemtrione, scilicet a Chaldæis , qui eo nomine plerumque in Scripturis significantur.

℣. 5. VÆ QUI HABITATIS FUNICULUM MARIS , oras maris. Apud eas gentes, ager funiculorum mensura dividebatur . Philisthini imperium secus Mediterraneum a Joppe ad Gazam usque porrigebant .

GENS PERDITORUM . Hebræus (7): *Gens Cerethim* . Iidem hi sunt atque Philisthini , uti late docuimus in Dissertatione de Philisthinorum origine , ad primum Librum Regum . Inter corporis custodes David alebat cohortem Cerethim , qui ipsum constantissime secuti fuerant , cum is in Geth & Siceleg versaretur (8). Philisthinos sub appellatione Cerethim designat Ezechiel (9), iisque eadem , quæ hic legimus , mala prædicit . Reddunt Septuaginta (10): *Advenæ Cretensium* ; putatque Theodoretus , Philisthinorum partem ex Insula Creta forte esse profectam . Illos Palæstinæ advenas fuisse , translatis ex Insula Caphtor sedibus , Scriptura testatur (11). Conjecturas alibi (12) proposuimus , ut illos ex insula Cypro originem duxisse ostenderemus: at nos ea tenemus, quæ de Cretensibus diximus.

VER-

[1] התקוששו וקושו הגוי לא נכסף בטרם לדת חק כמוץ עבר יום Corruptus videtur hic locus . Confer cum Jerem. XIII. 24. Legi potest לדת חש [2] Exod. xv. 7. Job XIII. 25. Isai. v. 24. XXXIII. 11. XL. 24. XLI. 2. XLVII. 14. Jerem. XIII. 24. Joel v. 2. Abdiæ 1. 18. [3] Συνάχθητε καὶ συνδέθητε τὸ ἔθνος τὸ ἀπαίδευτον. (2.) Πρὸ τοῦ γενέσθαι ὑμᾶς ὡς ἄνθος παραπορευόμενον ἡμέρας. [4] בקשו צדק בקשו ענוה Septuag. Ζητήσατε δικαιοσύνην, καὶ ἀποκρίνεσθε. [5] Herodot. lib. 2. cap. 158. collatus cum 4. Reg. XXIV. 7. [6] Jerem. XLVII. 1. *Verbum Domini contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam*. [7] גוי כרתים [8] 2. Reg. XV. 18. [9] Ezech. XXV. 16 in Hebr. הכריתי את כרתים [10] Septuag. Πάροικοι Κρητῶν. Aqu. & v. Edit. Ἔθνος ὀλέθριον. Th. Ἔθνος ὀλεθρίας. [11] Deut. II. 23. Jerem. XLVII. 4. Amos IX. 7. [12] Vide Genes. X. 14.

VERBUM DOMINI SUPER VOS, CHANAAN, TERRA PHILISTHINORUM. Prædiximus, Philisthinos advenas fuisse Chanaanitidi, eosque ex Insula Caphtor eo venisse. At Chanaan appellantur, veluti per contemptum, quod communes cum Phœnicibus, easdem Mediterranei oras incolentibus, res haberent, iisque finitimi essent. Numina a Philisthæis culta tribuit Chananæis Author Sapientiæ, XII. 23. 24.

℣. 6. ERIT FUNICULUS (ora) MARIS REQUIES PASTORUM. Cessabunt tumultus & turbæ, ex copia Mercatorum atque advenarum, maritimos portus negotiationis causa frequentantium. Pascuorum locus erit Philisthinorum regio, quo pastores sine metu greges agent. Contigit hoc post excidium Philisthinorum per Nabuchodunosorem; & diu etiam post, superatis iis gentibus per Macchabæos, quemadmodum sequenti versiculo innuitur.

℣. 7. ERIT FUNICULUS EJUS, QUI REMANSERIT DE DOMO JUDA. Philisthinorum regionem post Macchabæos obtinuere ii ex Judæis, qui captivitati Babylonicæ, & Antiochi Epiphanis furiis superfuerant. Post Nabuchodonosorem, Philisthinorum urbes felicissime restauratæ fuerant (13); at deinde illas iterum Alexander Magnus evertit. Gazæ præsertim Alexandri arma exitio fuerunt (14); supremamque manum iis, quæ Prophetæ in Philisthinos cecinerant, imposuere (15), plerisque ipsorum urbibus occupatis.

℣. 8. AUDIVI OPPROBRIUM MOAB, ET BLASPHEMIAS FILIORUM AMMON. Iniquissimam simultatem, odiumque sævissimum in Israelitas Ammonitæ & Moabitæ exercuerunt, exhibito prætertim supremis Hebraicæ Reipublicæ temporibus illustri utriusque specimine, cum illis calamitate oppressis superbissime insultarent, atque illorum vulnera irrisionibus acriora efficerent. Queruntur ea de re, præter Sophoniam, reliqui Prophetæ, Jeremias capp. 48. 49. Ezechiel c. 25. Amos c. 2. Hi arma cum Chaldæis cæterisque Judæorum hostibus conjunxere, ut Jerosolymæ expugnationem, Templi excidium, electæque gentis servitutem urgerent. Id ętate Sophonię nondum contigerat; sed aliis temporibus ii luculentissima nequitię suę specimina ediderant. Justitię Omnipotentis consilio factum est, ut ipsos aggrederentur, vincerent, subjugarent, diriperent, in captivitatem agerent iidem illi, quorum iniquissimis in finitimos conatibus ipsi savent (16): *Et ita factum est, ut qui insultaverant populo Dei, ipsi quoque eadem malorum angustia premerentur, & haberent conservum Juda, quem putaverant se habere subjectum*. Narrat Josephus Antiq. lib. 10. c. 11. id quinto anno post Jerosolymę expugnationem contigisse, tertio scilicet ac vigesimo Nabuchodonosoris, qui, direpta Cœlesyria, aggressus est Ammonitas, iisque superatis, invasit Ægyptum.

MAGNIFICATI SUNT SUPER TERMINOS EORUM. Tribum Gad inter exteros aggressi Ammonitæ, usurpavere. Id vitio iis vertit Deus per Jeremiam 49. 1. *Numquid non filii sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad: & populus ejus in urbibus ejus habitavit?* Inter Moabiticas urbes numerantur quamplures, quę olim ad Tribus Ruben & Gad pertinebant; quibus Tribubus a Teglatphalassaro translatis, Regio veluti deserta squaluerat, ac primum occupanti derelicta. Illud pręsertim in Ammonitis & Moabitis damnat Deus, quod Israelitarum calamitate lętati sint, eorumque Regionem pessima avaritia invaserint; parati vi occupare, si id fieri posse credidissent, dominia etiam minime absentibus. Quamobrem par erat ex illis iniquitas.

℣. 9. FILII AMMON QUASI GOMORRHA. Ammonitas & Moabitas duxere captivos Chaldęi (17); quibus captivis Regio deserta squaluit; ita ferme sterilis, uti Sodoma: *Desertum usque in æternum*, scilicet diu deserta; illorum enim reditum e captivitate prædicit Jeremias c. 48. 4. 49. 6. eorumque Regio florentissima populis erat, Macchabæorum ætate, quibus vectigales effecti fuere: *Reliquiæ populi mei diripient eos*. Vide Jeremiam XLVIII. 49. 1. Mach. v. 6. 7. (18).

SICCITAS SPINARUM, arentium veprium acervus. Septuaginta (19): *Damascus derelicta*. Qui de Nabuchodonosoris victoriis, gentibusque ab eo subjungandis egerunt Prophetæ, Damascum simul complexi sunt. Vide Isai. XVII. 1. Jerem. XLIX. 23. &c. Amos 1. 3. &c.

℣. 11. ATTENUABIT OMNES DEOS TERRÆ, ET ADORABUNT EUM VIRI DE LOCO SUO, OMNES INSULÆ GENTIUM. Habes hic luculentissimum conversionis gentium ad Christiana sacra vaticinium. Frustra conantur Judæi ad se trahere, & de Babylonico reditu interpretari (20). Quis tunc ex advenis Jerosolymam venit, & Judaicæ Religioni nomen dedit? Nihil hic tale pollicetur Propheta; quin & futurum ait, ut unusquisque sua in regione adoret. Religionem igitur finibus multo amplissimis porrectam, quam Judaicam, spectat. Quinimo, si hæc ad verbum explenda sunt, Judaicæ Religioni repugnant. Judaica enim Religio nonnisi Jerosolymis pie exercetur, fatentibus ultro Judæis.

℣. 12. SED ET VOS, ÆTHIOPES, INTERFECTI GLADIO MEO ERITIS. Hebraica vox *Chusch* Madianitas significat, Arabes, qui circa Mare Erythræum sedent, Æthiopas proprie dictos. Hi omnes Nabuchodonosoris vires experti sunt, is enim Arabes, Ægyptios, eorumque fœderatos domuit. Docent id Jeremias, Ezechiel (21), & Berosus apud Josephum (22).

℣. 13. EXTENDET MANUM SUAM SUPER AQUILONEM, ET PERDET ASSUR, ET PONET SPECIOSAM IN SOLITUDINEM. Hebræus (23): *Reddet Niniven desolatam*. Eversum est Assyriorum Imperium, direptaque urbs Ninive a Nabopolassaro & Astyage, sexto Josiæ anno, Usserio authore. Quamobrem Sophoniæ vaticinia ante id tempus collocanda sunt. Confer hunc locum cum Isaia x. 5. Nahum 1. 11. 12. Jona III. 4. Tobia XIV. 6. Ezechiele XXXII. 22.

℣. 14. ONOCROTALUS ET ERICIUS IN LIMINIBUS EJUS. Ignotissima sunt Hebraica vocabula (24) *Kaath* (25) & *Kippod* (26), deque illorum significatione disputant Interpretes. Sunt qui reddant pelecanum & noctuam. Alii vertunt: *Cuculus & castor in liminibus vestris erunt*, ad verbum, *in malogranatis*. Foricum ornamentum fuisse creditur; sed nihil ea in re certum.

VOX CANTANTIS IN FENESTRA: CORVUS IN SUPERLIMINARI. Hebræus (27): *Vox canens in fenestra. vastitas in limine*. At legendi ratio, quam Vulgata sequuntur & Septuaginta, multo probatissima

(13) Vide Zach. IX. 5. (14) Vide Hieron. in locis Hebr. Curt. lib. 4. Arrian. lib. 2. (15) 1. Macchab. v. 68. 2. Macc. 12. 32. & 1. Macc. XI. 61. & XIII. 43. (16) Hieron. hic: *Nunc adversus Moab, & filios Ammon texitur prophetia, eo quod præbentes auxilia Nabuchodonosor, vastaverint Judam, conculcaverint sanctuarium ejus, templum quoque subverterint, & subjugato populo Israel, Dominum blasphemaverint; Nabuchodonosor quippe atque Chaldæi, Judæorum urbibus subeuntis, cæteras gentes oppresserunt.* (17) Jerem. XLVIII. 7. & 12. 5. 6. Vide & Ezech. XXV. (18) Jerem. 11. 2. *Possidebit Israel possessores suos.* (19) Καὶ Δαμασκὸς ἐκλελειμμένη. Heb. ממשק חרול Legunt דמשק חרול (20) Vide S. Hieronym. hic. (21) Jerem. XLVI. 9. Vide & Ezech. XXX. 4. (22) Joseph. Antiq. lib. x. cap. 11. alt. 13. (23) וישם את נינוה (24) גם קאת גם קפד בכפתריה ילינו (25) Vide Levit. XI. 18. (26) Isai. XIV. 23. XXXIV. 11. (27) קול ישורר בחלון חרב בסף Septuag. Κόρακες ἐν τοῖς πυλῶσιν αὐτῆς. Legunt ערב pro חרב Aqu. *Gladius in superliminari*. Alii *siccitas*. Hieron.

*issime est. Favet similis Isaiæ locus xxxiv. 11. ubi de Idumææ excidio agens, iisdem utitur loquendi formulis, quibus hic Sophonias.

Attenuabo robur ejus. Hebræus (28): *Quia nudavit cedrum*. Cedrina laquearia detexit, solisque & imbrium injuriis exposuit. Areas in domorum tectis positas, trabibus & columnis cedrinis fultas, diruit. Septuaginta (29): *Cedrus corona ejus*. Universa fere Ninive cedro tecta erat ac ornata.

℣. 15. Ego sum, et extra me non est alia. Ita gloriari poterat Ninive, antequam everteretur, quemadmodum in Nahum vidimus, & in Jonam 1. 2. & iii. 3. Testatur Diodorus Siculus lib. 2. Ninives Conditorem in id potissimum incubuisse, ut omnium ætate sua urbium amplissimam strueret, atque ita magnificam faceret, ut huic similem nemo deinceps conditurus esset. Quamobrem jure gloriatur Ninive, parem sibi esse nullam.

CAPUT III.

Jerosolymam, ejusque Principes ac Prophetas & Reges arguit. Dei vindicta in alienos. Fausta Jerosolymis & Israelitis promissa. Temporum captivitate posteriorum felicitas. Ecclesiæ Christianæ institutio.

℣. 1. VÆ provocatrix, & redempta civitas, columba. 2. Non audivit vocem,
& non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suum
non appropinquavit. 3. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: judi-
ces ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. 4. Prophetæ ejus vesani, viri in-
fideles: sacerdotes ejus polluerunt Sanctum, injuste egerunt contra legem. 5. Domi-
nus justus in medio ejus non faciet iniquitatem: mane mane judicium suum dabit in
lucem, & non abscondetur: nescivit autem iniquus confusionem. 6. Disperdidi gen-
tes, & dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui tran-
seat: desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore.
7. Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum ejus,
propter omnia in quibus visitavi eam: verumtamen diluculo surgentes corruperunt
omnes cogitationes suas. 8. Quapropter expecta me, dicit Dominus: in die resurre-
ctionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes, & colligam Re-
gna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne
enim zeli mei devorabitur omnis terra. 9. Quia tunc reddam populis labium ele-
ctum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. 10. Ul-
tra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus
mihi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus
prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ,
& non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. 12. Et derelinquam in me-
dio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini. 13. Reli-
quiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in
ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui
exterreat. 14. Lauda, filia Sion: jubila, Israel: lætare, & exulta in omni corde,
filia Jerusalem. 15. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex
Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. 16. In die illa dicetur Je-
rusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ. 17. Dominus Deus tuus
in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione
sua, exultabit super te in laude. 18. Nugas, qui a lege recesserant, congregabo,
quia ex te erant; ut non ultra habeas super eis opprobrium. 19. Ecce ego interfi-
ciam omnes, qui affixerunt te in tempore illo: & salvabo claudicantem: & eam,
quæ ejecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni
terra confusionis eorum. 20. In tempore illo, quo adducam vos: & in tempore,
quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis ter-
ræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

℣. 1. VÆ provocatrix et redempta civitas, columba. Væ urbi, quæ Dominum provocare non cessat, ac postquam redempta est, ceu columba stupet. Caput hoc ad Jerosolymam pertinet, eoque miscentur minæ, promissiones, objurgationes, blanditiæ. Te redemerat, teque hæreditatis nomine suam possederat Deus; ceu sponsam, ceu columbam amaverat: tu vero amo-

[28] כי ארזה ערה [29] Διότι κέδρος τὸ ἀνάστημα αὐτῆς.

amori ingrata, illum perfidis moribus irritare, ac mœrore afficere non destitisti. Hebræus (1): *Væ tibi, spectata flagitiis civitas*, digito indicanda, *polluta & prædatrix*. Septuaginta (2): *O illustris & redempta civitas, columba*. Chaldæus: *Væ festinanti & redemptæ civitati, quæ multiplicat iræ provocationem*.

℣. 2. In Domino non est confisa. Externorum Principum opem implorare Judæi, cum fiduciam in Domino collocare oporteret. Ea porro præcipua malorum ipsius causa fuit. Theglatphalassarum in Judæam accivit Achaz, seque illi vectigalem fecit. Post hunc Sennacherib Judæam invadens, pene omnino vastavit. Joachim & Sedecias Ægypto freti, spe decepti sunt; utrumque enim subjugavit Nabuchodonosor, ipsamque Ægyptum suo subjecit imperio.

℣. 3. Principes ejus quasi leones. Flagitia describit, quæ in Juda invaluerant, antequam Josias, invento Legis volumine, Imperii mores corrigere, rectumque justitiæ ordinem, & Divinæ Legis ac Religionis exercitium in populo statuere aggrederetur.

Lupi vespera, prædam vespere vorantes. Septuaginta (3): *Lupi Arabiæ*. Vide Habacuc 1. 8.

℣. 4. Prophetæ ejus vesani, viri infideles. Frequentissimi erant falsi Prophetæ regnante Josia, antequam is superstitionem & profanum Numinum cultum a Juda proscriberet. Hebræus (4): *Prophetæ ejus leves*, temerarii, inconstantes, vani, evanidi. Septuaginta (5): *Prophetæ ejus vento rapti, homines contemptores*, mendaces, perfidi, *viri infideles*, ex Vulgata. Aquila: *Stupidi*.

℣. 5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem; quod justum est, faciet, urbem impiam puniens. In impium animadvertet, quin reum cum innocente misceat. Quanrocius perspicuam justitiam suam faciet: *Mane, mane judicium suum dabit*; palam aden & luculenter, ut nemo ignoret: *In luce, & non abscondetur*.

Nescivit iniquus confusionem: dura fronte est, justissimas Dei querelas, Prophetarum ore pronunciatas, non audit. Septuaginta (6): *Nescit Deus injustitiam in destructione*. Inviolabili æquitate est, ubi vindictam in hostes prosequitur.

℣. 6. Disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum, turres. Vel; Populos delevi, penitus perdidi, ad extremos usque fines destruxi, undique, omnino. Ita explicari queunt hæc verba: *Anguli eorum* (7). Ubi externas gentes semel ferii, vulnera medicinam respuunt, prorsus delevi. Hæc vobis exempla ob oculos posui, ut ad officium te reducerem, meique rimorem docerem: *Attamen timebis me*. Aliter: *Disperdidi gentes, & eversi sunt proceres*, anguli *earum*; quemadmodum usuvenit ædificio, cujus anguli & fulcimenta destruuntur (8). At nihilo dociliores, ac mei studiosiores effecti estis.

℣. 7. Attamen timebis me ... et non peribit habitaculum ejus. Post tam multa meæ ultionis exempla, in urbes gentesque innumeras, a me penitus deleras, sevieris, denique forurum censeo ut me timeas, tuaque urbs tam sepe minis meis territa, ad officium redeat, meamque iram placet. At omnem animi mei spem tu fefellisti: firmatoque in flagitiis animo me coegisti in te ceu seditiosam & disciplinę impatientem animadvertere: *Verumtamen diluculo surgentes, corruperunt omnes cogitationes suas*; omnes animi sui morus corrumpere festinavere. Septuaginta (9): *Corrupta est omnis frondositas eorum*. Quicquid ferunt, vitiatum est.

℣. 8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. Non una est hujus loci explicatio. Sunt (10) qui de Christi adventu in terras ejusque resurrectione interpretentur, post quam alienas gentes in Ecclesiam collecturus erat: *Quia judicium meum ut congregem gentes*. Alii (11) secundum Servatoris adventum intelligunt, quo gentes universas ad judicium coacturus est, ut unusquisque parem meritis sententiam referat. Alii denique (12) reditum e captivitate, qua absoluta, Deus *labium electum* purumque, de quo statim, populo dedit, ut uno assensu junctisque animis sibi obsequium exhibeant: *Ut serviant ei humero uno*. Reddi potest Hebræus (13): *Quapropter expecta me, ait Dominus, in die qua surrecturus sum in testimonium*; vel, *in die qua surrecturus sum ad faciendum prædam*. Vel: *Expecta me quo tempore surrecturus sum in finem*, ut judicem, &c. Intelligens Deus, curas suas a populo negligi, quibus illum trahere conatus fuerat, ut mala extrema preverteret, sese denique surrecturum ait ceu Fortem, qui hactenus obdormierit, suamque in hostes ultionem persecuturus sit. Patientiam meam & venię tempus neglexisti: omnes igitur populos in ira mea colligam, meique furoris igne terram universam obruam: *In igne zeli mei devorabitur omnis terra*. Post hęc, misericordię meę reminiscar, novumque populum mihi instituam. Ita solent Prophetæ: inter minas gravissimas feliciora pollicentur; & post captivitatis vaticinia libertas promittitur.

Septuaginta (14): *Expecta me in die resurrectionis meæ in testimonium, quia judicium meum in collectiones gentium est, ut suscipiam Reges*. Quæ verba de externis gentibus, ac sæculi Principibus ad Christi fidem conversis explicari queunt. Chaldæus: *Quapropter sperate in verbo meo, ait Dominus, quo die revelabor ad vindicandum, quoniam judicium meum erit ad congregandum gentes, ad prope sistendum coram me Regna*, &c.

℣. 9. Quia tunc reddam populis labium electum. Omnes nullo discrimine illustrabo. Discent omnes me nosse ac laudare. Nomen meum intra Judæ fines non continebitur: nulla non gens me Deum suum invocabunt, & dicent. Quantumvis conentur Judæi locum de tempore, quod captivitatem Babylonicam consequutum est, explicare, nemo non videt, illi minime convenire. Integra hujus vaticinii fides nonnisi post Jesu Christi adventum expleta est; quo tempore omnium hominum labia puro sermone uti ceperunt, terraque universa Dei laudibus insonuit.

Septuaginta (15): *Quare tunc convertam inter populos unamquamque linguam in specie sua, ut invocent omnes nomen Domini*. Origenes lib. 8. contra Celsum & Judæi (16) ajunt futurum, ut veniente Messia, quem illi præstolantur, linguæ omnes eo in statu sint, quo ante Babelicam confusionem fuere. Unus omnibus sermo futurus est, unusque consensus in iis quæ ad Religionem pertinent. Hæc tamen explicatio exquisitior est. Ut plena vaticinii fides constet, satis est, ut gentes ad

---

[1] הוי מוראה ונגאלה העיר היונה S. Hieronymus legit מרה [2] Ὦ ἡ ἐπιφανὴς, & ἀπολελυτρωμένη ἡ πόλις, ἡ περιστερά. Alius: Οὐαὶ ἡ ἐπιφανής. [3] Ὡς λύκοι τῆς Ἀραβίας. Hebr. זאבי ערב [4] בבאיה פחזים אנשי בגדות [5] Οἱ Προφῆται αὐτῆς πνευματοφόροι, ἄνδρες καταφρονηταί. Aqu. Οἱ Προφῆται αὐτῆς θαμβωτοί. [6] Οὐκ ἔδει ἀδικίαν ἐν διαθέσει. [7] Vide Judic. xx. 2. & 1. Reg. xiv. 38. Isai. xix. 13. [8] Vide Job xxxviii. 6. Psalm. cxvii. 22. Isai. xxviii. 16. Jerem. li. 26. Zach. x. 4. [9] Διέφθαρται πᾶσα ἡ ἐπιφυλλὶς αὐτῶν. [10] Hieron. 3. Exposit. Euseb. lib. 2. Demonstr. cap. 17. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 33. Hugo, Dionys. Mont. [11] Hieronym. 2. Exposit. Remig. Haimo, Lyr. Vat. Clarius. [12] Chald. Albert. Sanct. n. 19. [13] לכן חכו לי נאם יהוה ליום קומי לעד [14] Διὰ τοῦτο ὑπόμεινόν με, ἐν ἡμέρᾳ ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον, διότι τὸ κρίμα μου εἰς συναγωγὰς ἐθνῶν, τοῦ εἰσδέξασθαι βασιλεῖς. [15] Διότι τότε μεταστρέψω ἐπὶ λαοὺς γλῶσσαν εἰς γενεὰν αὐτῆς, τοῦ ἐπικαλεῖσθαι πάντας τὸ ὄνομα Κυρίου. [16] Hieronym. hic.

ad Christum conversæ in præcipuis Religionis articulis eadem omnes sentiant, & loquantur, plenoque obsequio Dei mandate & Ecclesiæ institutiones sequantur. Aquila & Theodotion (17): *Tunc convertam in omnibus populis labium electum*, seu *labium purum*, ut habet Symmachus. Inanium Deorum nomina nemo usurpabit, inquit Theodoretus, unusque Deus loquendi argumentum erit, Hæc mundities labiorum est.

SERVIANT EI HUMERO UNO, uno consensu; veluti cum multi homines uni sarcinæ humeros supponunt. Septuaginta (18): *Ut serviant ei sub jugo uno*. Qui Babylone rediere, fidem Deo servaverunt majori Religione quam Patres; atque exactiori studio & solertia obtemperavere legi, & a superstitione abhorruerunt. Id omnino fatendum est. At animadverte, mundissimos solummodo & piissimos Judæorum in Patriam rediisse. Ea gens per novissime bella diuturnamque captivitatem fermanto quo vitiebatur, purgata est. Quæ quamquam ita sunt, nunquam tamen ea fuit Synagogæ mundities, sanctitas, & perfectio, uti Christianorum Ecclesiæ, inter ipsas miserrimorum, & remissiorum temporum calamitates.

℣. 10. ULTRA FLUMINA ÆTHIOPIÆ, INDE SUPPLICES MEI. Flumine Æthiopiæ unus idemque Nilus sunt septem ostiis in Mediterraneum influens. Nilus in Æthiopia proprie dicta ortus, Ægyptum universam alluebat, ac deinde in Mare ferebatur in ea Arabiæ parte, quam Scriptura Chusch, vel Æthiopiam nominat. Vide quæ animadvertimus in Isaiam XVIII. 1. Veri Dei cultores ab extremi Mundi, & Ægypti finibus profecti sunt; hanc enim provinciam significare videntur hæc verba: *Ultra flumina Æthiopiæ*, vel Chusch. Antequam Templum Onion conderetur (19), Judæi omnes, qui in Ægypto erant, Jerosolymam veniebant adoratum; imo post ejus Templi initia, plurimi Jerosolymam confluere non destiterunt. Ægyptiorum Reges munere nobilissima interdum ad Dei domum misere; externæ gentes, vel curiositate, vel Religione ductæ a remotissimis interdum plagis conveniebant. Integra tamen hujus vaticinii fides nonnisi sub Jesu Christi Regno penitus expleta esse dicenda est.

FILII DISPERSORUM MEORUM, gentis meæ, in omnes terrarum plagas dissipatæ, munere ad Jerosolymæ Templum vel mittent, vel ipsi ultro deferent. Hoc post reditum e captivitate præsertim contigit; quo tempore Judaica gens ita populorum numero, & veri Dei Religione floruit, ut nullum unquam tempus simile viderit; quippe præter eos, qui magno numero Judæam frequentabant, in omnibus ubique terrarum plagis Judæi erant, quibus Jerosolymitanum Templum ceu Religionis suæ sedes habebatur, quique annua Templo munera, & dimidium viritim siclum, redemptionis suæ pretium, ex Legis instituto mittebant (20).

℣. 11. IN DIE ILLA NON CONFUNDERIS SUPER CUNCTIS ADINVENTIONIBUS TUIS. Præteritorum scelerum obliviscar; quibus paria nisi commiseris, ea tibi crimini aut probro non vertam. Ex se ejiciem superbos, quorum exhortationibus decepta, Legi meæ refractaria extitisti. *Magniloquos superbiæ tuæ*; inquieta illa ingenia, quæ superbiæ & arrogantiæ tuæ, quam ab ipsis didiceras, fevebant. Nullus deinceps Templi mei profanator in te futurus est; cujus generis homines vel meum intra Sanctuarium idolorum cultum & flagitium intulere: *Non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo*. Vel: Nulla tibi deinceps causa futura est, cur Templo meo gloriaris; hujus enim majestas & pulchritudo superbiæ tuæ fomes non erunt. Illud ego per Chaldæos evertam, ut intelligas, me neque lapides neque aurum magni facere, sed innocentiam & æquitatem.

℣. 12. DERELINQUAM IN MEDIO TUI POPULUM PAUPEREM ET EGENUM. Pro superbis & arrogantibus, quos dixi, populum pauperem, & inopiæ suæ optime conscium eligam. Vides hic Christianos, pauperis Doctoris discipulos, qui omnia ita reliquit, ut nihil omnino sibi reliquerit, neque locum habeat, ubi caput reclinet. Hebræus (21): *Derelinquam in medio tui populum mitem*, modestum, *& attenuatum*. Cessabit superbia & arrogantia, quam rerum copia & virium suarum suæque virtutis fiducia pariunt. Tenuis Judæorum numerus in Judæa relictorum post Jerosolymæ excidium per Chaldæos, & cæteri Babylone reversi sub Cyro, veros Christianos satis apte figurabant. Gens erant humilis, aliorum imperiis obnoxia, subdita, inops, ærumnis assueta, supplex; atque his similes primorum temporum Christiani, quibus nulla esset animi vis & constantia, nisi pro veritate pugnandum esset, aut sceleri resistendum. Cæteris in rebus subditi & patientes, bonorum vitæque jacturam ferebant, ut veritatem defenderent; inopia gloriabantur, atque omnia hujus vitæ bona nihili faciebant.

℣. 13. RELIQUIÆ ISRAEL NON FACIENT INIQUITATEM. Gens indocilis non erunt, iteratis frequenter in idololatriam lapsibus contumax, quamquam innumeris a Deo animadversionibus feriebatur. Vetus morum corruptio, & ad imitandos externorum mores effrænis libido deinceps in Israeln non bacchabitur. Post Jerosolymæ excidium & Babylonicam captivitatem, minore certe fuere flagitia. At Synagoga nunquam attigit sanctitatem illi similem, qua prima Christianorum sæcula floruere, aut quæ adhuc inter pios est, miseris hisce remississque temporibus.

IPSI PASCENTUR, ET ACCUBABUNT, ET NON ERIT QUI EXTERREAT. Modicus Judæorum numerus, post Templi ruinam in Judæa relictus, & qui e captivitate Babylonica rediere, tranquillissima pace pateriis in sedibus gavisi sunt usque ad Antiochum Epiphanem; ac cessantibus Epiphanis furiis, usque ad Christi Jesu adventum, Judæam non vastavere aut diripuere tot bella & hostes, uti antea tam sæpe, ab Josue ad Babylonicam usque captivitatem (22). Hæc tamen multo nobilius in Ecclesia Christiane expleta sunt, interiori mentis pace, non ea quæ mundi est, sed meliore, quam Discipulis largitus est Christus (23): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*; pacem scilicet, quam assidua adversus carnem, Mundum, Diabolum, & seipsum pugna tuetur.

℣. 15. ABSTULIT DOMINUS JUDICIUM TUUM, damnationis tuæ sententiam. Septuaginta (24): *Abstulit Dominus injustitias tuas*. Acta adversus te exarata, & judicia quibus damnabaris, oblitus est Deus. Vel: Judicium tuum evertit; justitiæ suæ leges tui causa quodammodo violavit: severitate in te uti non vult, sed misericordiæ. Vide Jobum XXVII. 2. XXXIV. 5. In medio tui ceu Rex versatur, & imperium in populum suum solus exercet: *Rex Israel Dominus in medio tui*. Hebræi e captivitate reduces sero Regas habuere. At verus Israelis Rex, de quo Propheta, Christus est Jesus, vere in populum regnans, imperio gratiæ & amoris, quibus animos suorum implevit.

℣. 17. GAUDEBIT SUPER TE IN LÆTITIA, SILEBIT IN DILECTIONE TUA; in benevolentia, qua ipse te prosequetur, quiescet. Certum constantemque erga

(17) Aqu. & Theodot. apud Theodoret. Τότε στρέψω πρὸς πάντας τοὺς λαοὺς χεῖλος ἐξειλεγμένον. Sym. Τότε μεταστρέψω ἐν τοῖς λαοῖς χεῖλος καθαρόν. (18) Δουλεύειν αὐτῷ ὑπὸ ζυγὸν ἕνα. Heb. לעבדו שכם אחד
(19) Josi. XIX. 18. (20) Num. III. 46. 47. & XVIII. 16. Vide Matt. XVII. 23.
(21) והשארתי בקרבך עם עני ודל (22) Confer Mich. IV. 12. 13. (23) Joan. XIV. 27.
(24) Περιεῖλε Κύριος τὰ ἀδικήματά σου. Hebr. הסיר משפטיך יהוה

ga te amorem profitebitur. *Silere* est immobilem esse, constantem, immutabilem. Nunquam te deseret, teque odio nunquam deinceps prosequetur. Quis tamen dicat, Judæos post captivitatem sese dignos præstitisse, quos Deus constanti amore diligeret? Quin & ab eo tempore illos penitus abjecit Deus aut semper aut quam diutissime, nimirum donec plenus gentium numerus in Ecclesiam venerit, & Evangelium toto orbe insonuerit. Quamobrem hæc de Christiana Ecclesia intelligenda sunt, quam certo & æterno amore dilexit Deus. Reddi etiam potest Hebræus (25): *Silebit in dilectione tua*, sui erga te amoris causa. Te amabit Deus, suoque erga te amore prohibebitur, ne te deinceps accuset, aut arguat. Prophetas, ut olim, non audies flagitia tua arguentes, teque minis Dei nomine terrentes. Rarissimi profecto post captivitatem fuere inter Hebræos Prophetæ. Septuaginta (26): *Renovabit te in dilectione sua.*

℣. 18. NUGAS, vanissimos homines, QUI A LEGE RECESSERANT, CONGREGABO, QUIA EX TE ERANT: Ipsos e captivitate revocabo, & spretas olim Leges servare docebo. Septuaginta (27) jungunt hæc cum superioribus: *Gaudebit super te in lætitia*, [℣. 18.] *sicut in die festi, & congregabo dispersos. Væ qui accepit super illam opprobrium.* Hebræus ad verbum (28): *Mœstos*, tristes, dolentes, *post certum tempus congregavi. Ex te erant. Oneri fuit opprobrium eis.* Captivos tuos, qui diuturno miserrimoque in exilio gemunt, & servitutis suæ opprobrio, ceu sarcina, opprimuntur, reducam. Reddi etiam potest: *Mœstos ob solemnitates* intermissas, exilium a Templo ægre ferentes, *qui ex te erant, revocabo: similes fuere muneri rejecto*, opprobriis onusto.

℣. 19. SALVABO CLAUDICANTEM, ET EAM, QUÆ EJECTA FUERAT, CONGREGABO. Claudam & prole carentem curabo, & fœcundam efficiam; [vide Michæam IV. 7. *Ponam claudicantem in reliquias*] & repudiatam uxorem, captivos Israelitas, revocabo. *Claudicans* significare videtur *Ethnicos*; & repudiata, Synagogam.

PONAM EOS IN LAUDEM ET IN NOMEN (29). Nomen illorum illustre efficiam. Illorum laudes & gloria ubique insonabunt; in honore erunt. Quæ sterilis erat, in opprobrio squallebat: hanc ego honore cumulabo. Quæ repudiata fuerat, nomine & adminiculo carebat: hanc illustri nomine gloriosam efficiam. Uxor mea appellabitur. Hæc porro tunc fient, cum captivitati vestræ finem imposuero: *Cum convertero captivitatem vestram.* Captivitatis meminit ceu præsentis.

Finis Commentarii in Sophoniam.

IN AGGÆUM
PROLEGOMENON.

DE Patria, natalibus, & familia Aggæi, nihil assertum. Sunt qui natum credant in captivitate Babylonica; rediisse vero cum Zorobabele aliisque in I. Esdra II. 1. recensitis. Reduces illi e captivitate nihil habuerunt antiquius, quam ut Templum repararent, brevique eo redactum est opus, ut stata sacrificia resumerentur (1). Sed adversariorum invidia malisque eorum apud Aulicos officiis factum est, ut Cyrus concessam facultatem ædificandi Templi altero Regni sui anno revocaret (2); quod Cambyses post ejus obitum ratum esse jussit; ut proinde opus spatio circiter XIV. annorum intermitteretur. Verum fatis functo Cambyse, & Dario Hystaspis rerum potito, excitatus a Deo Aggæus (3) populi Proceres, Zorobabelem Principem Juda, & Jesu filium Josedechi Summum Sacerdotem hortatur, ut collata simul opera intermisso diu ædificio supremam manum imponant. Arguit Aggæus Judæorum incuriam, qui studiis omnibus amplas sibi & commodas ædes instruentes, Domum Dei desertam propriisque ruderibus sepultam derelinquerent (4). Ob oculos revocat sterilitatem & siccitatem, qua elapsis proxime annis segniores ad opus Deus revocaverat (5); scirent, hæc omnia negligentiæ suæ merito in caput suum ipsos provocasse.

His Prophetæ verbis inducti Zorobabel Princeps Juda, & Jesus Filius Josedechi Summus Sacerdos, una cum Optimatibus populi uno consilio operi necessaria parare aggressi sunt (6). Vix resumpto opere, Deus ire Prophetam jussit, ac renunciare populo, ut si quis gloriam veteris Templi a Salomone conditi antea vidisset (7), cui impar secundum hoc Templum videretur, ille animis non desponderet; decrevisse enim Deum hujus secundi Templi gloriam magis quam illius augere, non auri argentique fulgore, sed præsentia *Desiderati cunctis gentibus*, & pace ac prosperitate ex illo diffundenda.

Geminas deinde quæstiones Sacerdotibus proponit (8); I. An omnia quæ a carne sanctificata continguntur, Sanctitatem contrahant. Negarunt Sacerdotes. II. An omnia, quæ ab homine impuro tanguntur, impura item censenda essent. Affirmantibus illis, Propheta ex ea confessione

(25) יחריש באהבתו (26) Septuag. Καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ. Legunt יחדש (27) Εὐφρανθήσεται ἐπὶ σοὶ ἐν τέρψει, (18.) ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς, καὶ συνάξω τοὺς διεσκορπισμένους. Οὐαὶ ἔλαβεν ἐπ' αὐτὴν ὀνειδισμόν.
(28) נוגי ממועד אספתי ממך היו משאת עליה חרפה (29) שמתים לתהלה ולשם
(1) 1. Esdr. III. 3. &c. (2) 1. Esdr. IV. 5. (3) 1. Esdr. V. 1. (4) Aggæus I. 4.
(5) Ibid. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. (6) Agg. I. 14. II. 1. (7) Agg. II. 2. 3. 4. 5. . . . 10.
(8) Agg. II. 12. 13. 14. 15.

ne argumentum ducit, omnia a populo, neglectæ ædificationis Templi reo, oblata Sacrificia oculis Domini minus grata fuisse & accepta; & Sacerdotes perversa cordis habitudine impuros, macula sua hostias etiam quodammodo vitiasse. Variis illos ærumnis cecidisse Dominum, ut denique socordiam ponerent; cum autem vocibus Domini obtemperassent, meliora sperare illos ac potissimum terræ fertilitatem jubet (9). Tandem meritis laudibus virtutem Zorobabelis efferens, electum illum a Domino dicit, ut veluti annulum in manu sua pretiosum teneret, ex quo terribilem Judææ adversarium, nempe Cambysem, prostravit (10). De tempore quo Aggæus obiit, nihil memoriæ proditum est. Sepulturæ mandatum esse Jerosolymis inter Sacerdotes, Pseudo-Epiphanius asseruit; unde facilis conjectura de Sacerdotali viri dignitate caperetur, si Authoris testimonium majoris esset ad fidem momenti.

(9) Agg. II. 16. . . . 20. (10) Ibid. 19. 24.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN AGGÆUM.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Aggæus vaticinia ediderit. Judæos incuriæ arguit in Templi restauratione. Hanc esse ait causam sterilitatis ac famis, qua afflicti fuere. Zorobabel & Jesus ædificio Domus Domini manus iterum admovent.

℣. 1. IN anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, & ad Jesum filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens: 2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 4. Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? 5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. 6. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: 8. Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. 9. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. 11. Et vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, & Jesus filius Josedec sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus a facie Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus. 14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda, & spiritum Jesu, filii Josedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

℣. 1. IN ANNO SECUNDO DARII REGIS, Hystaspis filii. Quamdiu Regibus suis paruerunt Israelitæ, vaticiniis suis annos Regum suorum Prophetæ adscripsere; at ubi externis Principibus subjecti sunt, horum nomina vaticiniis suis præfixerunt (1). Secundus Darii annus, decimus sextus a Babylonico reditu fuit, & quartus decimus ab intermisso Templi ædificio (2). *Mensis sextus* apud Hebræos erat Elul, sextus anni sancti, & communis anni ultimus, cum septembri congruens. Eo tempore, post messem ac vindemiam, Aggæus Dei nomine populo significavit, Divini furoris æstu rapta fuisse ex agris & vineis, quæ ipsi sperabant, quod Templi restaurationem neglexissent.

AD ZOROBABEL FILIUM SALATHIEL, DUCEM JUDA. Tribus Juda Princeps & Dux erat Zorobabel (3); at neque absoluta potestate, neque Præfectura fruebatur a Regibus Persarum data, quibus Judæi semper parebant. Alius initio Præfectus, Sarasar Persa, a Cyro missus, Judæis fuit, ut in Esdræ 1. 8. docuimus. Fortasse, cæso Cambyse, hic Persarum Præfectus abscessit; Aggæo enim teste 2. 24. tunc Zorobabelem eligens Deus, quasi annulum in manu sua posuit. Et apud Zachariam 3. pollicetur Deus Jesu Josedechi filio futurum, ut ipsum in domo sua Judicem constituat. Et c. 6. 11. Zacharias aureum diadema Jesu Josedechi filio, & alterum Zorobabeli componit: duplici in solio sedentes statuit, ac futurum inter eos fœdus pacis, absolutamque amicitiam. Id vero minime prohibebat, quin eodem tempore Præfectus Provinciæ trans Euphratem, nomine Thartanai (4), ea quæ Jerosolymis a Judæis gerebantur, quæsierit, Regibusque Persarum nunciarit, ceu Dignitatis & Præfecturæ suæ officio. Igitur Dux Juda Magistratus erat, Præfecto Provinciæ subditus, uti urbis alicujus Magistratus Præsidi provinciæ paret. Davidico genere erat Zorobabel, Jechoniæ nepos, filius Salathielis, uti ferunt hic locus, & Matthæi Evangelium 1. 12. vel Phadaiæ filius, nepos Salathielis, uti ex 1. Par. 3. 17. colligitur; vel denique filius Phadaiæ, naturæ ordine; Salathielis vero ex adoptione, vel lege. Septuaginta (5): *ad Zorobabel filium Salathiel, ex tribu Juda.*

AD JESUM FILIUM JOSEDECH, Pontificem, e genere Eleazari, & Filium Josedechi, qui gesto ante captivitatem Sacerdotio, captivus cum cæteris a Nabuchodonosore ductus est. 1. Par. 6. 15.

℣. 2. NONDUM VENIT TEMPUS DOMUS DOMINI ÆDIFICANDÆ. Cum putarent Judæi, annos septuaginta, quos Jeremias (6) pro fine vastitatis Templi dederat, nondum esse absolutos, tempusque restaurationis illius nondum advenisse, nedum Templi restaurationi non vacabant (7), verum etiam Religioni ducebant, ne momenta per Prophetam descripta præverterent. At revera ejus temporis curriculum claudebatur, atque a suprema Jerosolymorum obsidionis initio ad eam usque ætatem anni novem & sexaginta fluxerant (8). Erant qui aliis ducti argumentis, & obstacula intuentes quę huic negotio objiciebantur, Deo permittente, Cyrus & Cambyses Templum absolvi vetarent, illius struendi tempus nondum adesse arbitrarentur. Cæterum verissima hujus moræ causa fuerunt ipsorum incuria, ignavia, turbarum metus, laborisque & impensarum timor: cætera falso prætexebant. Sublatis Cyro & Cambyse, Regnoque in externam familiam converso, elapsi temporis sanctiones cessaverant.

℣. 4. NUMQUID TEMPUS VOBIS EST UT HABITETIS IN DOMIBUS LAQUEATIS? Simplices domos, tectaque arcendis aeris injuriis sufficientia, cæterasque res vitæ solummodo necessarias, vobis satis non esse censentes, delicias, superbiam & pompam quæritis, dum Dei Domus sub ruderibus jacet. Cum satis temporis habeatis, ut magnifica vobis domicilia paretis, nullum ne superest, ut Dei Domum struatis? Hebraicæ voces (9) significant solummodo *domos tectas*; at plerique de domibus laqueatis ornatisque interpretantur. Septuaginta (10): *In domibus vestris concavis*, laqueatis, concameratis. Chaldæus: *In tabulatis cedrinis*.

℣. 5. PONITE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS. Vitæ vestræ institutum serio meditamini, & cum iis, quæ vobis accidunt, comparate. Animadvertite, utrum mala, quibus vos afficit Deus, vestrorum pœna sint flagitiorum. Nonne id satis ostendit Deus, dum hisce vos calamitatibus premit? Discite jam, Deum nondum esse contentum. Illius nomine nuncio, id ab eo postulari, ut assiduam templi sui ædificio operam detis. Vide ℣. 9.

℣. 6. BIBISTIS, ET NON ESTIS INEBRIATI (11); Neque extincta est sitis: Vinum collegistis, at ita modicum, ut satis non esset ad hilaritatem, quam vinum cum modo haustum parit. *Vinum bibistis ex vineis*, inquit S. Hieronymus, *sed non tantum, ut lætaretur cor vestrum, & diceretur de vobis: Et vinum exhilarat cor hominis.*

QUI MERCEDES CONGREGAVIT, MISIT EAS IN SACCULUM PERTUSUM. Vel (12): *Mercede elocans se, mercedem ponit in sacculo pertuso* (13), vel in Zona pertusa. Olim pecunia in zonis ferri solebat. *Nolite portare pecuniam in zonis vestris*, ait Christus (14). Aggæi verba proverbium sapiunt, qualia sunt illa, cribro aquam haurire, pertusum dolium implere. *In pertusum ingerimus dicta dolium*, inquit Plautus (15). Chaldæus: *Qui operas suas locat, mercedem reportat maledictionem*. Eadem vox, quę pertusum significat, Hebraice sonat etiam maledictum. Hæc tamen explicatio asseclis caret.

℣. 8. ASCENDITE IN MONTEM, PARATE LIGNA, ET ÆDIFICATE DOMUM. Manus operi admota est aliquanto post, cum ligna lapidesque, quibus opus erat ad ædificium, comparata fuere. Magnæ arbores raræ in agro Judæorum erant, idcirco ex Libano repetendæ. Altero statim anno a reditu ex captivitate, ligna hujusmodi e Tyriis & Sidoniis emerant (16); at cum paulo post, Regię sanctionis jussu, ab opere cessandum fuerit, ligna in alios usus adhibita sunt. Quamobrem emenda fuerunt alia, cum manus iterum operi admota est. Hebræus (17) satis perspicue notat, montem de quo hic, Templi montem non esse, sed Libanum, ubi ligna cæsa sunt, & ad ædificium comparata: *Ascendite ad montem, & afferte ligna*. Septuaginta (18): *Ascendite in montem, & cædite ligna*. Cyri sanctionem (19), qua Templi restauratio permittebatur, anno sequenti confirmavit Darius; statimque Judæi tuto ad opus incubuere.

ACCEPTABILIS MIHI ERIT, ET GLORIFICABOR. Domus mea mihi placebit, meamque gloriam ibi ostendam. Vel: studia vestra mihi placebunt, iisque favebo, & perspicua patrocinii mei indicia vobis exhibebo. Res promissionem statim sequuta est. Revocatis sanctionibus, quæ opus interdicebant, Darius Hebræis favere non destitit. Porro ea rerum mutatio nonnisi ab omnipotente profecta haberi poterat.

℣. 11. VOCAVI SICCITATEM SUPER TERRAM ET SUPER

(1) Theodoret. hic. (2) Vide 1. Esdr. IV. 5. & Usser. ad ann. 3470. (3) פחת יהודה Aqu. Sym. Theod. Ἡγούμενος Ἰούδα. (4) 1. Esdr. V. 3. (5) Πρὸς Ζοροβάβελ τὸν τοῦ Σαλαθιὴλ ἐκ φυλῆς Ἰούδα. (6) Jerem. XXV. 11. 12. Vide & Zach. 1. 7. 12. (7) Vide Vat. hic, & Hieron. Præfat. in Agg. (8) Vide Usser. ad ann. M. 3485. (9) העת לכם אתם לשבת בבתיכם ספונים (10) Τὸ ἐν οἴκοις ὑμῶν κοιλοστάθμοις. (11) שתו ואין לשכרה *Bibistis, & non ad ebrietatem*. Septuag. Ἐπίετε καὶ οὐκ εἰς μέθην. (12) והמשתכר משתכר אל צרור נקוב (13) Septuag. Συνήγαγεν εἰς δεσμὸν τετρυπημένον. (14) Matth. X. 9. (15) Plaut. Penulo. (16) 1. Esdr. III. 7. (17) עלו ההר והבאתם עץ (18) Ἀνάβητε εἰς τὸ ὄρος, καὶ κόψατε ξύλα. (19) 1. Esdr. VI. 1. & sequ.

PER MONTES. Ager vester uberes, ut olim, messes non protulit; vineæque & olea in montibus satæ, itemque pascua, spem fefellerunt. Septuaginta (20): *Inducam gladium super terram*. Eædem in Hebræo literæ tum gladium tum siccitatem sonant; seu ventum urentem, Authore S. Hieronymo, ex varia pronunciandi ratione, quæ nondum ea ætate certa erat punctorum vocalium ope.

℣. 13. ET DIXIT AGGÆUS NUNTIUS DOMINI, DE NUNTIIS DOMINI. Aggæus Propheta, e Prophetarum numero, missus a Deo post captivitatem, quemadmodum veteres ante captivitatem Prophetæ. Hebræus (21): *Et dixit Aggæus legatus Domini in legationibus Domini, populo*. Nonnulli ex Judæis putavere (22), Angelos revera fuisse Aggæum, Malachiam, & S. Joannem Baptistam, qui Dei jussu humanis artubus induti inter homines vixerint, ut illius consilia in terris explerent. Idem de Jacobo, Israele deinde appellato, Libri quidam apocryphi asseruere. At doctas hasce fabulas, vetustaque commenta relinquamus.

---

(20) ואקרא חרב על הארץ Septuag. Ἐπάξω ῥομφαίαν ἐπὶ τὴν γῆν. (21) ויאמר חגי מלאך יהוה במלאכות יהוה לעם Septuag. Καὶ εἶπεν Ἀγγαῖος ὁ ἄγγελος Κυρίου ἐν ἀγγέλοις Κυρίου. Alius: Ἐν ἀποστολῇ.
(22) Vide Hieronym. hic.

CAPUT II.

Secundum Templum locupletius & augustius primo futurum promittitur. Impura erant sacra, & sterilis terra, antequam Templum conderetur; at deinde omnia pura & felicissima fuere.

℣. 1. IN die vigesima, & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii
regis. 2. In septimo mense, vigesima, & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium
Salathiel ducem Juda, & ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: 4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in
gloria sua prima? 5. Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus: & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum
sum, dicit Dominus exercituum) 6. Verbum, quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.
7. Quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. 8. Et movebo omnes gentes: ET
VENIET DESIDERATUS cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria: dicit Dominus exercituum. 9. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus
exercituum. 10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In
vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: 12. Hæc dicit Dominus exercituum: interroga sacerdotes legem, dicens: 13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes,
dixerunt: Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur.
15. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia, quæ obtulerunt
ibi, contaminata erunt. 16. Et nunc ponite corda vestra a die hac, & supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. 18. Percussi vos vento urente, & aurigine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum, a die vigesima & quarta noni mensis: a die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. 20. Numquid jam semen in germine est:
& adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? ex die ista
benedicam. 21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum, in vigesima
& quarta mensis, dicens: 22. Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens: ego movebo cœlum pariter, & terram. 23. Et subvertam solium regnorum, & conteram

fortitudinem regni gentium: & subvertam quadrigam, & ascensorem ejus: & descendent equi, & ascensores eorum: vir in gladio fratris sui. 24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, filii Salathiel, serve meus, dicit Dominus; & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

ỳ. 5. IN DIE VIGESIMA QUARTA MENSIS. Quarto & vigesimo die postquam popnlum & gentis Proceres allocutus est Aggæus, manus Templo Domini restituendo admota est. Hunc versiculum cum superioris fine conjungito. At prima & vigesima sequentis mensis die, Prophetam misit Deus ad Zorobabelem, & Jesum Josedechi filium Pontificem (1), illis nunciaturum ea, quæ hic leguntur a ỳ. 4. usque ad 11.

ỳ. 4. QUIS IN VOBIS EST DERELICTUS, QUI VIDIT DOMUM ISTAM IN GLORIA SUA PRIMA? Ullus ne est, qui Templum primum a Salomone conditum viderit? Illud nimirum everterat Nabuchodonosor, annis antea novem & sexaginta, Non pauci supererant, qui primam Domini Domum stantem florentemque conspexerant. Teste Esdra 1. 3. 12. in prima alterius hujus Templi Dedicatione, secundo post reditum captivorum anno, & ante hanc Aggæi orationem quartodecimo, senes nonnulli, qui prioris Templi majestatem viderant, magnam lacrymarum vim profundebant, quod præsentis mox purgati ac dedicati, ut in usum sacrificiorum esset, inopiam cerneret; juniosibus reditu felici gaudentibus; *Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi; commistim enim populus vociferabatur clamore magno*. Interrogat igitur Aggæus senes, qui prius Templum stare viderant, utrum videretur, Templum, cujus restaurationi manus iterum admota fuerat, cum prioris magnificentia, amplitudine, ac majestate non esse comparandum: *Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* At proximis deinde versiculis respondet futurum, ut secundi hujus Templi gloria veteris famam opprimat: *Magna erit gloria Domus istius novissimæ magis quam primæ*.

ỳ. 7. ADHUC UNUM MODICUM EST, ET EGO COMMOVEBO COELUM ET TERRAM. Hebræus (2): *Adhuc illud parum est*; & commovebo cœlum & terram. Vel (3): *Adhuc semel*, &c. Plerique tamen de brevi temporis spatio explicant, quo elapso, *Desideratus cunctis gentibus* proditurus esset. Adventabant magnis itineribus momenta; & a secundo Darii anno usque ad Christi Jesu ortum vix quindecim anni supra quingentos supererant. Nunquam proprius Israelis liberatio prædicta fuerat. *Commota sunt cœlum & terra*, antequam Christus inter homines prodiret, orbe universo bellis agitato, tum per Alexandrum Magnum, Persici Imperii eversorem, tum per Romanos, qui cæteris totius terræ deletis, suum ipsi imperium condidere: at ita *commota sunt*, ut post graves adeo motus turbasque, terra universa tranquillissima pace gauderet, quo tempore Divinus hominum Servator inter homines prodiit. Dici etiam potest, Cœlum, terram, mare, Deum, Angelos, homines, omnes denique creatas res, atque omnia elementa Jesu Christo testimonium exhibuisse ab ipso illius ortu usque ad obitum. Nascentem nunciant Angeli; ad illius præsepe Magos ab extremis terrarum finibus stella docit. Ipse elementis imperat, morbis, morti, Diabolo, qui & obtemperant. Eo moriente, obtenebrescunt Cœlum & astra, tremit terra, rupes finduntur. Vix Evangelium prædicari cœpit, terra universa commovetur. Frustra terræ Principes in Jesu Christi cultores armantur odiis; integræ gentes ab avita superstitione discedunt: omnes denique terrarum partes religionem, mores & dogmata mutant. In supremo demum seculorum fine motus longe gravior fiet, cum scilicet is qui salutem allaturus ex misericordia venerat, iterum adveniet, severissime judicaturus.

ỳ. 8. VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS, ET IMPLEBO DOMUM ISTAM GLORIA. Secundi Templi gloria & dignitas in eo sita est, quod Jesu Christi præsentiam senserit; quamobrem multo gloriosius Salomonico efficiebatur. Desideratus gentibus, vel, ut habet Hebræus (4): *Desiderium cunctarum gentium*, Messias est, communi Patrum omnium & Interpretum nostrorum consensu. Idem, qui ab Jacobo in Gen. dicitur *expectatio gentium, & desiderium collium æternorum* (5): & in Cantico Canticorum (6) *totus desiderabilis*, Hebraice, *totus desideria*; *Speciosus forma præ filiis hominum* (7). Apud Hebræos *desiderium* usurpatur pro re amabili, & optabili. Ut vir desideriorum, terra desiderii, vas desiderii; &c. Ea locutio nova non est apud Latinos. *Valete, mea desideria*, inquit Cicero (8).

Hebræus ad verbum: *Venient desiderium omnium gentium*; seu, venient desideria; vel, optatissimi cunctis gentibus; sive, populi venient ad desiderium omnium gentium. Variæ hujusmodi explicationes aptari queunt, illi, quam dedimus. Veniet Christus, ut cunctis gentibus saluti sit. Omnes ad ipsum gentes venient. Suos ipse Apostolos ad omnes gentes mittet. Septuaginta (9): *Venient electa cunctarum gentium*. Quicquid nobilissimum ac maxime conspicuum in gentibus fuit, illud Christus ad Fidem vocavit. Frustra Judæi deridént, quod locum hunc ad Jesum Christum referimus. Quid aptius, quid commodius, aut luculentius ipsi afferant? Quid hic vident, quod Messiæ, vel ex ipsa eorum sententia expresso, non conveniat? Nonne Messias, quisquis ille sit, gentium omnium desiderium est? Christus porro Jesus nonne Ethnicis largitus est bonorum omnium præstantissimum, veritatis nimirum veræque Religionis cognitionem? Criminentur, ut lubet, nos disputando petere principium: nihil certe evincent, quamdiu non doceant, falsam esse ineptamque nostram de Jesu Christo interpretationem. Neque satis pugnaverint, ubi ad res alias referri posse dixerint, veluti ad munera nobilissima, quæ ab externis gentibus conferenda erant in Templum; neque ubi objecerint, fieri non potuisse, ut Gentes Messiam, quem minime nossent, desiderarent. Nullus enim locus Scripturarum est, cui aptari nequeant variæ ab humana mente interpretationes; cumque Messias rerum omnium amabilissima sit, verissime dicetur esse gentium omnium desiderium, quamvis illum ignoraverint; uti æger optat morbi sui remedium, tametsi illud minime agnoscat; omnesque homines illud enixe cupiunt, quo beati effici queant, quamquam plerisque obscurissima est illius cognitio.

ỳ. 9. MEUM EST ARGENTUM, ET MEUM EST AURUM. Hæc pro arbitrio cui voluero ipse largior. Neque aurum argentumque postulo; iisque non egeo, ut Templum meum ornem (10). Alia nimirum ornamenta opesque alias volo. Novi hujus Templi præstantia gloriam veteris longe superabit duobus de causis; I. quod *desiderium omnium*

[1] Agg. 11. ỳ. 2. [2] עוד אחת מעט היא [3] Septuag. Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείω, &c, Ludov. Tigur.
[4] באו חמדת כל הגוים [5] Ibid. ỳ. 26. [6] Cant. v. 16. [7] Psal. xliv. 3.
[8] Tull. lib. 14. Ep. 2. ad uxorem, & filiam. [9] Ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν.
[10] Vide Psalm. xlix. 10. Cyrill. in hunc loc. Grot. Sanct.

nium gentium illuc veniet; II. quod ibi regnatura sit pax: *In loco isto dabo pacem*.

℣. 10. MAGNA EST GLORIA DOMUS ISTIUS NOVISSIMÆ, PLUSQUAM PRIMÆ. Nobilissimum secundi Templi decus in eo situm est, uti diximus, quod eo illatus est Christus Luc. 2. 22. quod sua ibi dogmata ipse explicavit Luc. 2. 46. frequens ibi fuit, suamque authoritatem, legationem, dignitatem in eo exercuit, pulsis a Patris Domo iis, qui illius sanctitatem violabant (11). Idem ipse est, quem Propheta *pacis* appellatione designat. Pax nostra ipse est, quem Scriptura Principem pacis, Regem pacificum, vitæ pacisque omnibus hominibus largitorem appellat.

Interpretes nonnulli ajunt (12), secundum Templum revera augustius, splendidius, nobiliusque fuisse Salomonico; neque Zorobabelicum spectant, neque illius statum in Dedicatione, quarto anno post Aggæi orationem, quam hic legimus, sextoque anno Darii (13); sed Templum ab Herode Magno restitutum (14), anno circiter duodecimo antequam Christus nasceretur (15). Templum hoc Herodis constantissime habitum est a Rabbinis idem ac Zorobabelicum (16). Porro illud, teste Josepho, amplius nobiliusque Salomonico fuit. Montis Templi verticem æquavit Salomon, & murum ad orientalem montis partem struxit, quo humus sustineretur; Herodes vero ab ipsius radicibus cæteras tres montis partes validissimis muris cinxit, quibus sustinebatur humus, & sternebatur area stadii unius in quadro, passuum scilicet CXXV. vel pedum DCXXV. (17). Secundum Templum cubitis centum in longum, & centum viginti in altum porrigebatur, constabatque lapidibus mira magnitudine & præstantia; columnis ac marmore pretiosissimis; denique auro argentoque undique rutilabat. Muneribus Regum Persarum Ægyptiorumque & Judæorum, ac populi locupletissimis ornabatur. Hæc omnia simul juncta secundum Templum longe locupletissimum, vastissimum & magnificentissimum efficiebant quam Salomonicum. Adde alterum Templi hujus nobilissimum decus, majorem scilicet diuturnitatem, Salomonicum quippe, teste Josepho Antiqu. l. 10. c. 10. annis CDLXX. Zorobabeli cum DCXXXIX. annis stetit. (18). Salomonicum, nostra sententia, annis CDXVI. Zorobabelicum, ab anno secundo post reditum e captivitate, usque ad excidium per Titum DCIII. annis floruit. Hæc afferri solent, ut secundum Templum priori, vel ipsa molis magnitudine & magnificentia, nobilius fuisse ostendatur.

Quamquam nihil nos movet ut vera esse negemus ea, quæ de temporali Templis Zorobabelici dignitate dicuntur, qua Salomonicum superat, dum præcipuum illius decus in eo situm fuisse teneamus, quod Divinum hominum Reparatorem exceperit, omnibus tamen, quæ pro secundo Templo afferuntur, assentiri non possumus. Neque vero absolute inficiamur, quemadmodum nonnulli ajunt (19), Herodem manus admovisse Templi restaurationi, aut novam illi formam sive magnitudinem dedisse. Notior erat res & recentior, Josephi ætate, quam ut is aliquid asseruisse credatur, quod falso scripsisse gens universa objiceret. At neque Josepho plane credendum est, Scriptori non ubique religioso, & facile augenti ea, quæ in gentis honorem cedunt. Quam suæ auto is ferre sententiam potuit, Templum, quod ipse vidit, augustius esse Salomonico, quod nunquam vidit, aut describi intellexit? Quæ enim de eo tradit Scriptura, satis certe sunt, ut nobilissimam illius imaginem in animis legentium excitent, ipsumque ceu artis & magnificentiæ locupletissimi & sapientissimi omnium Regis prodigium fuisse doceant; minime vero ut luculentam illius notitiam accuratamque descriptionem tradant. Levis laus est diuturnitas; nemo enim unquam dixerit, ædificia maxime diuturna eadem esse & pulcherrima & magnificentissima; nisi illorum diuturnitas ex lapidum præstantia, vel firmitate structuræ, sive ex optime servatis architectonices regulis oriatur. Salomonici Templi diuturnitas minor quam Zorobabelici idcirco fuit, quod citius eversum sit; multo pluribus sæculis duraturum, quippe quod vetustatem nulla ex parte sentiret, cum crematum ac dirutum est a Chaldæis.

℣. 13. SI TULERIT HOMO CARNEM SANCTIFICATAM IN ORA VESTIMENTI SUI, ET TETIGERIT DE SUMMITATE EJUS PANEM ..... NUMQUID SANCTIFICABITUR? Mense tertio antequam manus ædificio Templi admoveretur (20), jubetur a Deo Aggæus, duo a Sacerdotibus postulare circa Legis & sacrorum ritus, ut ex illorum responsione occasionem docendi Principes & populum capiat. Rogat primo, utrum e sacris hostiæ Domino mactatæ carnibus, quas in vestis suæ ora quis tulerit, sanctitas manet in ea, quæ illas tetigerint, itaut in communes indiscriminatim usus adhiberi nequeant. Negant Sacerdotes. Iterum rogat Propheta [℣. 14.], utrum homo præsentia funeris inquinatus, si quid cibi tetigerit, illud polluat; itaut qui puri sunt, eo uti nequeant. Ajunt Sacerdotes, hominem hac labe pollutum ea inquinare quæ tangit.

Prima Prophetæ quæstio in eo versabatur, quod Lex præceperat (21), ut quicquid carnes victimæ pro peccato tangeret, sanctum haberetur; lavaretur vestis, illarum cruore respersa & luteum vas, quo coctæ fuissent, frangeretur; & alibi (22), ut qui similam Domino oblatam tetigisset, sanctum censeretur. Videbantur igitur sacræ carnes, linteo obvolutæ, sanctum reddere quicquid illæ tangerent, illudque in communes usus convertere, nefas esse; itaut unis Sacerdotibus eo tempore ministrantibus liceret iis uti. At Legis Doctores censuere, sacris carnibus sanctum fieri solummodo id, quod proxime tangerent, minime vero id quod medio linteo seu veste contingeret; vel, sacrarum carnium tactu non eam sanctitatem rebus contactis dari, ut a reliquis e vulgo Israelitis contingi non possent, modo ii labe carerent; si enim labe aliqua inquinarentur, veluti contactu cadaveris, non modo sacras res, verum etiam communes inquinabant; itaut nefas esset puris hominibus eas in cibum adhibere, quemadmodum explicant Sacerdotes, dum alteri quæstioni ab Aggæo propositæ respondent. Duplex hic sacrarum carnium genus distinguendum est. Aliæ ex victimis pro peccato erant, quibus uti solummodo poterant Sacerdotes, qui tunc temporis sacro Templi ministerio occupabantur (23). Aliæ carnes erant e victimis pacificis, vel spontaneæ religionis, quarum usus non modo Sacerdotibus eorumque uxoribus & liberis tum intra tum extra Templum permittebatur, sed meris etiam Israelitis, cum nulla labe aspergerentur (24).

(11) Joan. 11. 56. (12) Vide Hieron. hic, & Chrysost. tom. 1. Demonstr. quod Christus sit Deus; & homil. 54. in 1. Cor. Vide Kimchi, & alios Rabb. apud Manasse-Ben-Israel, lib. de termino vitæ. (13) 1. Esdr. VI. 15. & sequ. (14) Vide Joseph. Antiq. lib. XV. c. 14. & de Bello lib. VI. cap. 6. in Lat. (15) Vide Usser. ad an. M. 3985. (16) Vide, si lubet, Tract. Middot; & Not. Constant. Imperat. & Monst. hic. (17) Joseph. Antiqu. l. XV. c. 14. Vide eumdem lib. 6. cap. 6. de Bello. (18) Idem l. 7. de Bello c. 10. (19) Vide Villalpand. in Ezech. t. 2. p. 2. l. 5. Disp. 4. c. 68. Salian. tom. 6. Annal. an. 4035. Spond. an. 4032. Sanct. hic. Alii recentes, nec pauci, nec contemnendi. (20) Confer ℣. 1. cum ℣. 11. hujus Capitis. (21) Levit. VI. 27. 28. (22) Levit. VI. 16. 17. 18. (23) Levit. VI. 27. & VII. 1. 6. (24) Levit. VII. 19. *Qui fuerit mundus, vescetur ex ea.* Et 20. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, peribit de populis suis.*

Quicquid primi generis carnes tangerent, sanctum efficiebatur, non quod secundæ. Utriusque autem generis carnes tactu rei immundæ polluebantur, itaut in nullos plane usus adhiberi possent, & igne consumebantur (25); at vulgares quælibet res, carnesque in sacrificium non oblatæ, unicuique homini, etiam impuro, concedebantur; veluti iis qui luctum agerent, ubi aliqua Legis macula tenerentur (26).

℣. 15. Sic gens ista ante faciam meam, dicit Dominus . . . Et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Ultimam Sacerdotum responsionem ad præsentem populi statum ita refert Aggæus. Ut impurus homo impurum facit quicquid ipse tetigerit; ita quicquid hactenus egistis, & in Templo meo obtulistis, coram me impurum fuit. Frustra sacra fecistis, ut iram meam ab agris vestris averteretis, iisque ubertatem pristinam ego restituerem: surdis auribus vota vestra excepi, sacrificia vestra aversatus sum. Furoris mei plagis ad hunc usque diem cæsi estis: at cum manum Templi mei restaurationi admoveritis, meam in vos benevolentiam ac liberalitatem experiemini. Ubertatem agris, vineis & oletis reddam. Ut rudi gentis ingenio morem gereret Deus, magisque perspicuum neglectæ Domus suæ crimen illi exhiberet, ait, se deinde illos habiturum ceu homines contactu cadaveris pollutos, qui nedum misericordiam muneribus non moveant, sed Templum, Altare & victimas sua labe inquinaverint (27).

Quod ad primam quæstionem attinet, ℣. 13. expositam, utrum scilicet id quod a sacris carnibus tangitur, sacrum ipso tactu fiat; hoc in nullam partem refert Propheta; sed post ea quæ diximus, nullo negotio refertur. Sacrificiis ac victimis, quibus mihi litavistis, nihilo puriores facti estis, quam sacræ carnes in vestis ora clausæ, vestem ipsam sanctam efficiunt. Eā vos polluistis perversis animorum vestrorum cupiditatibus; at illorum sanctitas vos minime purgavit. Ita Jeremias xi. 5. arguebat Judæos: *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?*

Judæus socordiæ suæ in sacrificiis acriter arguit Malachias i. 6. 7. queriturque nullas nisi ex rejectaneis, languidis, claudis atque ægris animalibus victimas Deo sisti. Jure igitur Aggæus nedum de pravo offerentium animo, verum etiam de ipsismet sacrificiis querebatur.

℣. 16. Ponite corda vestra a die hac, et supra; præteritam sterilitatem cum ubertate, quam vobis largiturus sum, comparate, ne ullus sit dubio locus, quin, uti elapsam calamitatem peperit furor meus, ita futuras fortunas vestra ad me conversio pariat. Bonorum omnium copiam vobis polliceor, quo tempore nihil promissis favet (28); ut intelligatis hanc a causis naturalibus non proficisci; neglectæque gloriæ meæ causa me vobis succensuisse, si superioribus annis minor ubertas fuit ea, quam vobis polliceor.

℣. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum. Neque frumenti neque mensuræ genus tradit Hebræus, & solum habet (29): *Cum ventum est ad acervos viginti, & facti sunt decem.* Septuaginta (30): *Quando mittebatis in cypselen* (cistam) *hordei viginti sata, & fiebant decem sata.* Satum vel *Seah* novem pintas continebat, pintæ dimidium, hemi sextarium, octavam pintæ partem, quatuor pollices cubicos, & aliquanto amplius. Græca vox *cypsele*, quam nos reddidimus cistam, luteum vas erat, seu vimineum, quo hordeum vel frumentum continebatur (31). Hebraicum vocabulum de frumenti acervis, in horreo sive area collectis, usurpatur (32). Postremo hoc sensu hic intelligendum videtur; frumentum enim ventilatum & in horreo conditum numquam dimidia sui parte minuitur; at in area collectum multo minorem spe messem reddere potest. Manipuli vel frumentum cum palea mistum, parem semper ventilati frumenti copiam non reddit.

℣. 20. Numquid jam semen in germine est? Hebræum (33) alii aliter vertunt. Nonnulli (34): *Num adhuc semen in horreo est?* Nonne semen agro credidistis? Nonne inania sunt horrea? Ullane frumenta supersunt, dum messem præstolamini? Nihilominus annonam ad messem usque vobis suppeditabo: horreis vestris benedicam, eaque uberius affluentia invenietis, quam cum ea complestis. Sunt qui reddant: *Numquid jam semen in spica est?* Hebraica tamen vox proprie sonat illud mapalium sive subterranearum in agro scrobum genus, quo frumenta post messem colligebantur (35). Hebraica vox *magerah* eadem est ac *magaria*, qua voce Afri significabant agricolarum & pastorum casas. Chaldæus (36) & Septuaginta reddunt aream, ubi triticum excutitur. Revera enim area proxima agrestibus hisce casis vel magalibus seu scrobibus erat; atque hanc puto esse Prophetæ sententiam: Nonne adhuc in horreis frumenta sunt? Certe nondum credita sunt telluri, multoque minus matura: nondum florent arbores: attamen uberem jam nunc messem pollicetur Deus. Populum alloquebatur Aggæus die vigesimaquarta mensis noni (37), nostro Novembri respondentis; quo tempore nondum credita telluri erant frumenti semina. Authore Plinio (38), hordei messis habetur sexto mense, frumenti vero septimo post sementem. Ita igitur fieri consueverat in Palæstina, Ægypto proxima; & hordei messis circa Aprilis mensem post Paschatis festum (39), frumenti autem circa exitum Junii ibi agebatur (40). Quamobrem sementis circa Novembrem & Decembrem habenda erat. Ita cum Aggæus verba ad populum faceret, adhuc frumenta in horreis erant, aut humi defossa: nondum terræ credita fuerant, neque gemmas ediderant; uberrima tamen messis in proximum annum populo promittitur. Censeo ego, Psalmo LXIV. grates Deo agi ob ubertatem telluri datam post Aggæi promissa; idemque fortasse Psalmus Aggæi est opus.

℣. 22. Ego movebo Cœlum et terram. (℣. 23.) Et subvertam solium Regnorum ..... (℣. 24.) In die illa assumam te, Zorobabel. Insolitum aliquid ac maximum hic spectat Aggæus, quemadmodum ex illius verbis constat: *Ego movebo Cœlum & terram* (41). Nihil magnum a sacris Scriptoribus traditur, quod egerit Zorobabel post alterum hunc Darii Hystaspis annum; Nihil enim apud Josephum legimus ex iis, quæ ad horum temporum historiam spectant, cui hæc descriptio congruat. Putat Theodoretus, hic spectari a Propheta Scytharum adventum in Judæam, atque hoc idem illud esse, quod prædicit Ezechiel capp. 38. 39. dum Gog & Magog bellum in Israelitas describit. Plerique Interpretum ajunt, promissa hæc ad Zorobabelem data neque ipsum Zoroba-

(25) Levit. vii. 19. (26) Vide nos in hunc locum Levitici. (27) Vide Hieron. Theodoret. Sanct. Drus. Menoch. Tir. Vat. alii passim. (28) ℣. 20. (29) מהיותם בא אל ערמת עשרים והיתה עשרה (30) Ὅτε ἐνεβάλλετε εἰς κυψέλην κριθῆς εἴκοσι σάτα, καὶ ἐγένετο κριθῆς δέκα σάτα. (31) Aristophan. Pace & Scholiast. (32) Ruth iii. 7. Jerem. L. 22. (33) העוד הזרע במגורה (34) Pagn. Mont. Munst. Pisc. Vatab. Menoch. Grot. Ludov. de Dieu. (35) Vide nos in Joelem i. 17. (36) Chald. *An adhuc in area?* 70. Ἅλωι. (37) Agg. ii. 11. & 19. (38) Plin. lib. xviii. c. 7. *In Ægypto hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo metuntur.* (39) Levit. xxiii. 10. 11. (40) Vide Hieronym. ad Amos iv. 7. & i. Reg. xii. 17. (41) Vide similes ferme locutiones Agg. ii. 7. Psal. xvii. 8. Isai. xxiv. 19. 20. & Jerem. xlix. 21. Ezech. xxxviii. 19. 20. &c.

robabelem, neque illius ætatem spectare, sed Jesu Christi tempora, ex ipsius genere prodituri; atque ex iis alii (42) ad primum Servatoris adventum, alii (43) ad secundum referunt. Nos quidem minime dubitamus, quin Aggæos hic Cambysis adventum in ditionem Juda, ejusque mortem & cædem spectet. Hebræus in præterito legit ea quæ Vulgata in futuro fert (44). Porro hæc cædes contigit tertio anno antequam manus Templo admoveretur. Tota celeberrimæ hujus cædis gloria & utilitas ad ætatem Zorobabelis pertinebat; atque hoc Divini in populum patrocinii exemplo multo aptius erigebatur Zorobabelis animus, quam rei futuræ, ignotæ ac remotæ promissio. Eadem ferme hic verba leguntur, atque in Ezechiele, XXXVIII. 19. 20. Reddimus autem: *Ego commovi cœlum & terram, & subverti solium Regum*, Cambysis nimirum Magorumque, qui Persarum Regnum usurpavere: *Perdidi robur regni gentium*, validissimum Persarum Imperium, quod e Cyri familia in Darii Hystaspis posteros transiit: *Subverti quadrigam & ascensorem ejus*; exercitus Cambysis (45) *unusquisque arma in fratrem suum converteut*; id quod apertissime significat Ezechiel (46): *Gladius unicujusque in fratrem suum convertetur*. Tunc, ait Dominus, *assumpsi te, o Zorobabel, & posui te quasi annulum in manu mea, quia te elegi, dicit Dominus exercituum*. Ante hanc cædem constringebamini, & sub Persici Præfecti regimine serviebatis: at nunc majori libertate gaudetis sub pio Principe, vestræque gentis amantissimo. Te vero elegi, ac populi mei ducem constitui. Annulus es manus meæ; te mihi amicissimum, servumque fidissimum habeo. *Esse quasi signaculum in manu*, significat, plurimi fieri a Principe, participem arcanorum haberi (47). Certe hujus rei recens adhuc mamoria Zorobabeli authoritatem conciliabat, animos excitabat; innuebat, Deum ita fieri permisisse, Zorobabelis causa, ut administrationis illius gloria augeretur.

FINIS COMMENTARII IN AGGÆUM.

IN ZACHARIAM

PROLEGOMENON.

ZAcharias, filius Barachiæ & nepos Addo, permissa a Cyro Judæis omnibus patriam repetendi facultate sub Zorobabele usus est. Prophetam egit Jerosolymis anno secundo Darii filii Hystaspis, a mense octavo anni Sancti, duobus mensibus post susceptum ab Aggæo munus; cui in suadenda Templi ædificatione, aliquibus annis antea intermissa (1), comitem se præbuit. De ejus natalibus, obitu, rebusque gestis nihil in Scriptura, nihil apud Scriptores satis exploratæ authoritatis.

De hoc argumento hæc scribit Sozomenus. Calmerus quidam in oppido *Caphar Zachariæ* in finibus Eleuteropolis præfecturam gerebat. Apparuit illi olim Propheta monens ut ligone excavaret terram in horto quodam duobus cubitis a muro loci in via quæ ducit Bilttrebao; ibi vero, ait, duas arcas unam intra aliam invenies, illam ligneam, alteram plumbeam, quarum lignea plumbeam continet; apud arcas illas invenies vas vitreum plenum aqua & juxta illa geminos serpentes spirantes, cicures, lenes, familiares. Paruit Calomerus & cuncta reperit. Simul vero spectandum se obtulit Propheta Zacharias indutus albis utpote, uti facile credimus, Sacerdos; ante cujus pedes & extra arculas cernere erat infans in terra jacens aureo diademate redimitus, aureo calceatus, & splendidissime vestitus. Cum regionis illius sapientes de infante illo interrogassent, monstratum est illis ex veteri quodam hebraico volumine e monasterio Gararirano accepto, sed non canonico. Ex eo vero didicerunt Joas Regem Judæ neci tradidisse Zachariam Prophetam, atque in pœnam sceleris morbum periculosum retulisse, & post septiduum filium ejus dilectum interiisse. Cum Rex intellexisset hunc subitum casum accidisse sibi a Deo in ultionem criminis, jussit puerum sepulturæ juxta corpus Prophetæ mandari. Addit Sozomenus viri illius Sancti cadaver, etsi multis annis in sepulcro jacuisset, immunem a corruptione mansisse, integrum membris, coma decurtata, recto naso, barba prælonga, capite brevi, oculis infossis, & veloti intra supercilia præeminentia latentibus. Satis constare arbitror fabellæ hujus authorem putasse Zachariam Prophetam eundem esse hujus nominis virum, quem Joas in templo interemit. 2. Paralip. XXIV. 20. 21. 22.

Sunt qui natum asserant in Judæa ante traductum in captivitatem a Nabuchodonosore populum; sunt etiam qui Babylone e genere Sacerdotali affirment. Sozomenus (2) & Nicephorus (3) narrant, ejus cadaver in tumulo inventum, veste alba, quales Sacerdotes adhibent, eadem,

qua

(42) Cyrill. Lyr. Remig. Dionys. Vat. Riber. (43) Hieronym. Hugo, Haimo &c.

(44) 22. אני מרעיש את השמים . . . . . 23. והפכתי כסא ממלכות והשמדתי חזק ממלכות הגוים והפכתי מרכבה ורכביה . . . . 24. ביום ההוא אקחך זרובבל ושמתיך כחותם

(45) Ezech. XXXVIII. 15. (46) Ezech. XXXVIII. 21. (47) Vide Jerem. XXII. 24. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim Regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.*

(1) 1. Esdr. V. 1. (2) Lib. 9. cap. 17. (3) Lib. 14. cap. 8.

qua sepulturæ mandatum fuerat, indutum. Sed illi cum Zacharia filio Jojadæ Summi Sacerdotis Prophetam cognomiuem miscent. Nam Propheta filius Addo dicitur (4); id quod pluribus persuasit, Zachariam revera habuisse parentem Addo, Barachiæ vero nonnisi adoptione filium habitum fuisse; nisi quæ nobis sedet opinio, malueris, patris nomine apud Esdram avum designari; solemne est enim Scripturæ, ut avi parentum nomine appellentur. Qui Judæorum effatum sequuntur (5), cooptandos nimirum inter Prophetas parentes aliosque Prophetarum necessarios, quorum nomina in capite Operis exprimuntur, illi Vatis privilegium tribuunt Barachiæ & Addo; quin & eumdem Addo, Zachariæ patrem vel avum, ipsissimum credunt cum Propheta ad Jeroboamum misso, ut sacrilegium illius in consecratione aureorum vitulorum verbis castigaret (6). Alii vero nostrum hunc Zachariam a Jesu Christo (7) designatum credunt, cum Zachariam quemdam inter Templum & Altare occisum commemorat. Sed falluntur utrique: vetustior est enim Jeroboamus, quam ut posset ejus crimen ab avo Zachariæ castigari; quis autem Zacharias iste fuerit a Christo designatus, Commentatores & Critici disputant. Alii tandem Zachariam nostrum confundunt cum altero Zacharia filio Barachiæ, ad Isaiæ ætatem pertinente (8). Sunt denique qui cum Zacharia patre Sancti Joannis Baptistæ misceant; quæ ambæ opiniones ipsa sui expositione refelluntur.

Quo mortis genere obierit, incertum. Profecto si neci traditum inter Templum & Altare constaret, suum illi locum inter Marryres V. T. daremus; sed in re adeo incerta & ardua nihil possumus certi constituere. Pseudo-Dorothæus sepultum Betharlæ, CL. stadiis a Jerosolymis, tradit. Extar adhuc monumentum ad radices montis Oliveti, quod Zachariæ Prophetæ asserunt; aliud plane ab eo, de quo Sozomenus, posito in *Caphar* sive Caphar-Zachariæ, in finibus regionis Eleuteropolitanæ; & a sepulcro Betharlæ, CL. stadiis sive quinque leucis a Jerosolymis, de quo Dorothæus. Apertissimum plane documentum de inconstantia hujus traditionis.

Eidem Prophetæ tribuit Pseudo-Epiphanius oracula quædam ab ipso prolata, cum Babylone esset, vel cum Babylone in Judæam veniret. Edixisse fertur, oriturum Jesum filium Josedechi, & Zorobabelem filium Salathielis; sicut & victoriam Cyri de Crœso & Astyage; ac tandem restituendum ab eo Principe, una cum urbe Jerosolyma, pristinum religionis & cæremoniarum cultum. Sed hæc, silente Scriptura, fidei sunt dubiæ; totosque proinde nos intentos occupat genuinum ejusdem Prophetæ scriptum, cujus schema subjicimus.

In ipso Operis exordio Zacharias Judæus hortatur, ut tandem ad obsequium Domini redeant, neque ulterius pervicaciam Patrum suorum, quos Dominus dure afflixerat, perennare velint (9). Post tres menses, Angelum adequitantem per myrteta ad flumen sata spectavit (10). Accedebat in obsequium Angeli aliorum Angelorum satellitium, omnem regionem composita pace quiescere atque incolarum numero florere narrantium. Ejus nuncii occasione (11), Angelus Dominum rogavit, ut tandem Urbium Juda misertus, jacentes erigi simulque restitui permitteret. Roganti facilem se præbuit Dominus, facultatem benigne permittens.

Oblatæ deinde sunt Prophetæ quatuor cornuum (12), & totidem hominum, malleis in eadem cornua armatorum, species. His cornubus hostes designari, populi dissipatores, audivit; futurum, ut tandem omnes dejicerentur & contererentur. Obversabatur etiam oculis Prophetæ vir, funiculo Jerosolymam metiens; adjectumque est oraculum, adesse jam tempus, quo Jerosolyma incolarum multitudine adeo coleretur, ut intra mœnium ambitum contineri omnes non possent; ac tandem Deum post exactam de Babylone ultionem, iterum Jerosolyma sedem constituturum, eamque largo benedictionum imbre perfusurum.

Secundum hæc, oblatus per visum Summus Sacerdos Jesus filius Josedechi (13), qui coram Angelo Domini stans, Satanæ accusationes sustinebat. Immunis a crimine Judicis sententia pronunciatus, summo est honore affectus. Tum Deus fide sua obstricta promisit, suscitaturum se *Orientem*, sive germen *servum suum* (14); illum vero ceu gemma habendum, super quam ait, *Septem oculi sunt*. Spectavit etiam candelabrum septiceps (15), cujus utrimque latera geminæ olivæ tenebant, oleo in lampadas candelabri manantes. Eo emblemate Jesus Summus Sacerdos & Zorobabel designabantur. Liber volitans (16), in quo Judicium universæ terræ scriptum continebatur; vas fœmina repletum; massa plumbi in os ejusdem vasis cadens, geminæ alatæ mulieres, figuræ sunt, quorum interpretatio ex Commentario repetenda est. Quatuor currus e montibus æneis egredientes (17), referebant Imperia Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Ægyptiorum, & Syrorum, quorum singula suo quæque tempore in ultionem regionis Septemtrionalis & meridianæ a Domino immissa sunt.

Accepto ab Holdai, Tobia, & Idaia auro, Zacharias geminas coronas conflavit (18); quarum alteram Jesu Pontifici destinavit, altera reservata *Orienti* sive *germini*, quo nomine Zorobabel, Jesu Christi typus, designabatur. Ambo vero hæc pietatis & liberalitatis trium illorum virorum monumenta, in Templo deinde posita sunt.

Anno quarto Darii, die quarta noni mensis, consultus a Sarasaro & Rogommelech, aliisque nonnullis, utrum quinti mensis jejunium, quod ad eam usque diem post Templi & Urbis eversionem

(4) I. Esdr. v. I. (5) Vide Hieron. in Sophon. I. initio. (6) 3. Reg. XIII. I. 2. 3. & 2. Par. XII. 13. (7) Matth. XXIII. 35. (8) Isai. VIII. 2. (9) Zach. I. 1. 6. (10) Zach. I. 7. 11. (11) V. 12. & seq. (12) Zach. I. 19. 20. 21. (13) Zach. III. 1. 8. (14) Ibid. 8. 9. 10. (15) Zach. IV. 1. 14. (16) Zach. V. 1. 11. (17) Zach. VI. 1. 9. (18) Zach. VI. 10. 15.

sionem servatum fuerat, ratum integrumque maneret (19); Dei nomine respondit: I. Jejunium illud hominum opera, nihil Deo agente sive jubente, esse institutum (20): II. Exercendas illis justitiam, charitatem, & scelera evitanda, quorum causa jam multas in caput suum calamitates patres ipsorum provocaverant. Scirent tamen, Deum ad pietatem & misericordiam erga populum suum versum, restituere Urbes Juda, atque fertilitatem effœtæ jam ac tamdiu sterili regioni reddere apud se constituisse: III. (21) Jejunia quarti, quinti, septimi, & decimi mensis in lætos dies domui Juda mutandos nunciat.

Nonum caput in referendis Oraculis adversus regionem Adrac, Syriam & Philisthæos impenditur; quos postremos populos tandem in obsequium Hebræorum redigendos, atque in unum cum illis corpus coalituros edicit (22). Versus dein sermo, nec obscurus, adducit Jesum Christum servatorem, tenuis fortunæ virum, asinæ & pullo ipsius insidentem (23). Nec prætermittit Regnum Messiæ, & ultionem Domini de Antiocho Epiphane malisque Israelis Pastoribus repetendam (24). Succedit deinde bellum Judæorum cum Romanis, scissumque Dei cum populo suo fœdus. Adjicit pretium triginta argenteorum, in pretium Summi Pastoris destinatum; ænigma de tribus pastoribus, unius mensis spatio neci traditis; ac tandem de Pastore insano, cui gregis sui curam Dominus dereliquit (25).

Recentiores quidam Critici (26) suspicati sunt, capita IX. X. XI. opus genuinum esse Jeremiæ; supposititium vero Zachariæ; quippe S. Matthæus 27. 9. laudat Jeremiæ nomine versum 12. capitis XI. Zachariæ: præcedentia autem capita IX. & X. una serie cum capite XI. continuantur; ex quo illud consequitur, ut tria simul capita uni eidemque Scriptori tribuenda sint. Malumus tamen in Evangelio mendum errore librariorum, supposito Jeremiæ nomine, agnoscere, quam tria capita a Zacharia abjudicare. Quæ vero Authores isti deprehendisse sibi visi sunt in capitibus IX. & X. tamquam ab ætate Zachariæ aliena, atque tempus ante captivitatem indicantia, hæc satis apte de tempore post captivitatem ex nostra sententia usurpantur.

Caput duodecimum bella Antiochi Epiphanis in Judæos, victorias Macchabæorum, & luctum in funere Judæ Macchabæi prosequitur. In ipso capitis limine a vers. 1. ad 7. florentes Judæorum res post Antiochi furias ad usque obitum Messiæ describuntur. Succedit vers. 7. Messiæ obitus; accedunt duobus sequentibus versiculis mala post ejus necem a Judæis subeunda; quæ deinde Propheta etiam capite sequenti deplorat. Nec prætermissa obsidio Jerosolymæ per Romanos; tum adjecta Ecclesiæ Christianæ felicitas, Gentium ad illam reductio, persequutiones in Fideles excitatæ, & ultio in persequutores.

Fusior est, & stylo utitur magis quam cæteri Prophetæ minores obscuro (27), interciso, praecipiti & desultorio. Hoc autem illi inter cæteros commodi accedit, quod quanto illis Messiæ propinquior est tempore, ita in Oraculis de illo luculentior magisque perspicuus. Non enim apud Zachariam desideres oracula de adventu, de obitu, de ingressu in Urbem, de pretio XXX. argenteorum, quibus veniit, de postrema Urbis obsidione, de persequutionibus in Ecclesiam Christianam excitatis; oracula, inquam, plus quam cæterorum Prophetarum luculenta.

---

(19) Ibid. vers. 4. 14. (20) Zach. VIII. 1. 18. (21) Ibid. 18. 27. (22) Cap. IX. 1. 8. (23) Ibid. 9. 10. 11. (24) Ibid. 12. 17. & X. 1. 12. (25) Zach. XI. per totum. (26) Medus lib. 4. Epist. 31. Hamm. in Matth. XXVII. 10. (27) Hieron. Præfat. in lib. 1. *Obscurissimus Liber Zachariæ Prophetæ, & inter duodecim longissimus.* Vide etiam Præfat. in secundum Librum Commentar. in eumdem.

COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN ZACHARIAM.

CAPUT PRIMUM.

*Zachariæ vaticinium altero Darii anno. Populos hortatur, ut ad frugem meliorem redeant,
neque majorum pervicaciam imitentur. Eques apparet; ad quem quatuor equites
totius regionis statum referunt. Quatuor cornua, quæ Israelem dissipavere.
Fabri quatuor in eorum cornuum exitum missi.*

℣. 1. IN mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini
ad Zachariam filium Barachiæ filii Addo, prophetam, dicens: 2. Iratus est
Dominus super patres vestros iracundia. 3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus
exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos,
dicit Dominus exercituum. 4. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant pro-
phetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis ve-
stris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attende-
runt ad me, dicit Dominus. 5. Patres vestri ubi sunt? & Prophetæ numquid in
sempiternum vivent? 6. Verumtamen verba mea, & legitima mea, quæ mandavi
servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, & conversi
sunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias
nostras, & secundum adinventiones nostras, fecit nobis? 7. In die vigesima, &
quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini
ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens: 8. Vidi per noctem,
& ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant
in profundo: & post eum equi rufi, varii, & albi. 9. Et dixi: Quid sunt isti,
Domine mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi,
quid sint hæc. 10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt,
quos misit Dominus, ut perambulent terram. 11. Et responderunt Angelo Domini,
qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus terram, & ecce omnis terra
habitatur, & quiescit. 12. Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine ex-
ercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es?
Iste jam septuagesimus annus est. 13. Et respondit Dominus Angelo, qui loqueba-
tur in me verba bona, verba consolatoria. 14. Et dixit ad me Angelus, qui lo-
quebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Jeru-
salem, & Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas:
quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. 16. Propterea hæc
dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis: & domus mea ædificabitur
in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur super Jerusalem. 17.
Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc affluent civitates meæ
bonis: & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Jerusalem. 18. Et le-
vavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua. 19. Et dixi ad Angelum, qui
loquebatur in me: Quid sunt hæc? & dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventila-
verunt Judam, & Israel, & Jerusalem. 20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fa-
bros. 21. Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua,
quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, & nemo eorum levavit caput suum: &
venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super
terram Juda, ut dispergerent eam.

℣. 1. IN MENSE OCTAVO, IN ANNO SECUNDO DARII. Eodem anno, sed aliquanto serius quam Aggæus, vaticinari cœpit Zacharias; ille siquidem prima die mensis sexti (1), hic mense demum octavo. Certum visionis suæ diem silet. Duobus circiter mensibus antea manus admoveri ædificio Templi cœperat (2). Quæ ad Zachariam, ejusque vitæ & mortis genus pertinent, vide in Præfatione.

℣. 2. IRATUS EST DOMINUS SUPER PATRES VESTROS. Severitas, qua iis animadvertit, satis est argumenti. Vestrum est, ex illorum malis discere, & iis uti. Cum irascitur Deus, mistis una dolore, indignatione, impatientia, odioque non movetur. Turbatum agitatumque Deum Scriptura describit, ut criminum nostrorum gravitatem nos doceat: *Ira Domini non perturbationem ejus significat, qui non irascitur; sed eorum merita atque peccata, in quos ira Dei desævit.*

℣. 3. CONVERTIMINI AD ME, ET CONVERTAR AD VOS; vos, ut olim, inter amicos excipiam. Socordiam, quam hactenus coluistis, abjicite, vestrorumque animorum studia erga Domus meæ majestatem excitate: majores vestros in scelere pertinaces ne imitemini; Prophetis meis aures date, neque illorum monitis repugnate. Populum jubere videtur Deus, ut primus ipse gradum moveat, ad Deum reversurus; quasi satis virium Israeli sit, nulla gratiæ ipsius ope, ut se ipse ad Deum convertat. Cæterum Scriptura virtutis nostræ imbecillitatem ubique prædicat, Divinæ opis egentem, quæ ad ipsum reversuros misericordia prævertat & moveat. *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*, ajebat Jeremias Thren. 5. 2. *innova dies nostros sicut a principio*. Hanc tamen specie tenus pugnam Fides Ecclesiæ (3) dissipat, docetque, liberam nobis inesse potestatem assentiendi gratiæ qua nos movet Deus & prævenit, sive rejiciendi; quinimo nos illi revera resistere, dum animos obduramus, oculosque lumini claudimus, atque ita inutile illud efficimus.

℣. 5. PATRES VESTRI UBI SUNT? ET PROPHETÆ NUMQUID IN SEMPITERNUM VIVENT? Quo periere majores vestri, homines durissimi, meisque verbis contumaces? Quid illis profuit proservia sua, malusque suæ voluntatis amor? Nonne furori meo denique succubuerunt? Ubi jam falsi illi Prophetæ, qui malis illorum cupiditatibus assentabantur, eosque in scelere consopiebant? Vel: Ubi jam sunt veteres Prophetæ, qui jussa mea majoribus vestris nunciabant? Nonne in sepulcris jacent? An semper vos alloqui debet Deus? Futurum ne speraris, ut semper Prophetas excitet, qui vos ad officium revocent? Optabitis olim divinorum hujusmodi hominum, quos majores vestri neglexere, voces audire, nec licebit. Minitari videtur Judæis diuturnum illud ac triste silentium, quod Deus ab Aggæo, Zacharia & Malachia, usque ad Jesu Christi ortum servavit. Vel denique: Ubi sunt majores vestri, ubi Prophetæ quos ad illos misi? Utrique perierunt: at meus sermo non moritur, totaque illius fides expleta est. Nonne mala, quæ majoribus vestris prædixi, evenere? *Numquid non comprehenderunt patres vestros?*

℣. 6. ET CONVERSI SUNT. Cum diu vocibus meis repugnaverint, nonne illos denique suppliciorum severitate coegi ad me reverti, justitiam meam, potestatem, meorumque verborum veritatem agnoscere? Revera populus, eversas urbes, vastatos agros, Jerosolymam Templumque cremata, Reges Principesque vel neci vel in captivitatem datos, seque ipsum in alienam regionem raptum, oppressum, & malorum pondere velut obtritum videns, Divinæ manus pondus vel invitus sensit; & crimen fassus, Dei sui clementiam imploravit (4).

℣. 7. IN DIE VIGESIMA ET QUARTA UNDECIMI MENSIS SABATH. Undecimus hic mensis cum nostro ferme Januario congruit; ferme, inquam, menses enim Hebræis lunares erant, cum nostri solares sint, quamobrem nunquam adamussim componuntur. At mensis undecimus lunaris interdum Decembris & Januarii partem, interdum Januarium solommodo, interdum Januarii & Februarii partem complectitur. Appellatio *Sabath* ex Chaldæis est; atque ex iis Judæi post captivitatem mensium nomina, quibus adhuc utuntur, retulere.

℣. 8. VIDI PER NOCTEM, ET ECCE VIR ASCENDENS SUPER EQUUM RUFUM, ET IPSE STABAT INTER MYRTETA, QUÆ ERANT IN PROFUNDO, in loco humili. Hæc per somnium intuitus est Zacharias; non in ipsa diei luce vidit, ut interdum Prophetis usuveniebat. Virum, seu potius Angelum sub viri forma, equo insidentem vidit. Fuisse is creditur (5) Michael Archangelus, electæ a Deo gentis Princeps ac defensor, & regionis Israeliticæ custos. In tenebris apparet, in loco humili, inter myrteta ad aquas sata; veluti significaturus ærumnas, resque miserrimas & angustissimas, ad quas universa regio devenerat. Hebræus (6): *Et ipse stans inter chadasim* (myrteta) quæ erant *ad aquas magnas*. Litorea arbor est myrtus. Virgilius Georg. 2.

Litora myrtetis lætissima.

Septuaginta (7): *Et ipse stabat inter montes umbrosos*. Chaldæus: *Et ipse stabat inter arbores myrtinas, quæ sunt in Babylone*. Tametsi Propheta spiritu Babylonem translatus fuerit, minime inde colligas, hæc illum in Chaldæa inspexisse. Altero Darii anno, procul dubio Zacharias Jerusolymis erat.

ET POST EUM EQUI RUFI, VARII, ET ALBI. Equorum numerus non traditur; at singuli suos equites habebant, qui regionem universam peragraverant, illius statum scrutati, ut Angelo inter myrtos stanti narrarent. Equorum color, quos Septuaginta & Vulgata nuncupant *varios* (8), variis coloribus, maculosos, ignotus est Interpretibus. Hebraicam vocem *serukim* reddunt nonnulli probe pexos; alii fulvos. Bochartus *gilvos* putat, colore inter album & rufum medio, quem vulgo *isabellam* nominant. Hebraicum vocabulum de uva alba, & de lino non macerato usurpatur Isaiæ c. v. 2. xvi. 8. xix. 9.

℣. 11. ECCE OMNIS TERRA HABITATUR, ET QUIESCIT. Populorum ingenio sese accommodat Deus, ubi aliquid iis aperit. Putabant Hebræi, singulis Provinciis singulos Angelos esse custodes, quibus minores alii obtemperarent, subinde narrantes quid rerum ageretur in locis curæ ipsorum creditis; Proregis instar, qui in Provincia minores Præfectos creat, minora negotia curantes. Minores igitur Angeli narrant Michaeli, provinciam ipsi creditam frequentari & quiescere. Post reditum e captivitate, iterum ea Provincia populo floruit; & sub Darii initia tranquillissima pace fruebatur.

℣. 12. ET RESPONDIT ANGELUS DOMINI, ET DIXIT: USQUEQUO NON MISERERIS JERUSALEM ET URBIUM JUDA? .... ISTE JAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST. Idem Archangelus Michael, inter myrteta stans, auditis iis, quæ de regionis statu Angeli minores narravere, Deum orat, ut bene cœptis

(1) Agg. 1. 1. (2) Agg. 1. 4. & 11. 1. (3) Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. (4) Osee vi. 1. Jerem. xxxi. 18. 19. Dan. ix. 27. 28. & seq. 2. Esdr. 1. 6. (5) Ita Hebræi, Hieron. Theodoret. Patres, & Interpp. passim. Vide ℣. sequ. *Dixit ad me Angelus*. (6) והוא עמד בין ההדסים אשר במצלה (7) Καὶ αὐτὸς εἱστήκει ἀναμέσον τῶν ὀρέων τῶν κατασκίων. Aq. Sym. Μυρσινῶνος. (8) Septuag. Ποικίλοι שרקים Vulg. Varii. Ita Syr. Arab. Maass. Tig. Pag. Cast. Aqu. Ξανθοί, Nigri.

ptis manum imponat. Non satis est, Domine, si Judæa iterum populis & pace floreat; absoluta illi nunquam erit felicitas, nisi restituatur Jerosolyma, Templum restauretur, urbesque Juda ad pristinum decus iterum revocentur. Quousque misereima hæc regio furoris tui pondus experietur? Anno abhinc septuagesimo, Jerosolyma Templumque suis sub ruderibus jacent. Prædixeras per Prophetam (9), o Deus: at definitum tempus præterit. Annus jam adest septuagesimus: fac igitur meliora videant.

Aliud omnino temporis curriculum sunt septuaginta anni excidii Jerosolymæ, atque anni captivitatis septuaginta, quorum alius Jeremiæ locus meminit (10). Hi porro primo Cyri anno desierant (11); expletamque hac parte vaticinii hujus fidem populus ab annis sexdecim videbat. At in altero septuaginta annorum curriculo (12) nulla adhuc spes affulgebat futurum ut restitueretur Templum, Jerosolyma resurgeret, urbesque Juda in pristinum statum revocarentur. Paulo antea populum arguebat Aggæus neglectæ restaurationis Templi, cum dicerent Aggæi I. 2. *Nondum venit tempus Domus Domini ædificandæ*. Fortasse tempus excidii Jerosolymæ ab ipsa expugnationis die numerabant, cum illius initium ducendum esset ab exordio obsidionis, quæ ab Januario mense anni 3414. usque ad mensem Julium anni 3416. producta est. Urbs Templumque ooonisi proximo Augusto exarsere. Monet hic Deum Michael, tempus vindictæ jam præteriisse, oratque, ut Jerosolymam cæterasque Judæ urbes mitiore oculo intueatur. De Templo nihil habet, quod populus, Aggæi verbis excitatus, illius restaurationi manus jam admovisset.

℣. 14. Dixit ad me Angelus qui loquebatur in me. Quis iste? Alium nonnulli (13) putant a Michaele, inter myrteta stante; Angelum scilicet qui Zachariam afflabat, Divinamque voluntatem Prophetæ aperiebat. Reddunt alii (14): *Angelus qui loquebatur ad me*, vel, qui mecum loquebatur, & de Michaele interpretantur, eodem quem descripsit ℣. 8. qui respondit ea quæ narrantur ℣℣. 9. & 10. atque hæc explicatio maxime omnium simplex & apta videtur.

Zelatus sum [amo] Jerusalem [℣. 15.] Et irascor super gentes opulentas, quæ Jerosolymam oppressere. Hæc solatii verba dedit Angelo Deus, & hic ad Prophetam retulit, jubens enixe clamare, & sanctissima hæc populo edicere, desiisse Deum Jerosolymæ succensere, populoque amicitiam restituisse, & futurum mox ut Deus in Jerosolymę hostes vindictam exerceret, urbemque in pristinum decus restitueret. *Gentes opulentæ*, quas nominat, eædem sunt quas ℣℣. 18. & 19. sub quatuor cornuum imagine mox designatutus est.

℣. 15. Iratus sum parum; ipsi vero adjuverunt in malum, cum ego nonnihil Jerosolymæ irascerer, ipsi in Jerosolymam sævierunt: meas in Jerosolymam iras exercuere, sed prẹter modum. Odio suo privatisque simultatibus morem gessere, cum jussa mea in eam urbem explere ipsos jussi. Hebreus (15): *Me irascente parum, ipsæ adjutrices mihi fuerunt in malum*, ut sævirem, gravissime affligerem. Leves ego plagas paraveram; at illę manum meam impulere, ut acrius ferirem. Locus hic plura & difficillima Scripturarum loca explicat, ubi Deus punire dicitur eos ipsos, quos Deus exciravit, imperans, ut suam ipsius in populum vindictam exercerent; idcirco scilicet, quod modum vindictę excesserint, odio suo indulgere studentes, cum ęgre ac parce odiosum hoc munus exercendum esset. Ita Divinus furor in Jehu, Nabuchodonosorem & Ægypti Regem, quibus ensem suum credidit Deus, exarsit (16).

℣. 16. Perpendiculum extendetur super Jerusalem. Urbis mœnia & domus restituentur. Constat, in ædificiis funiculum intandi, ut parietes ad normam struantur. Id præcipue contigit post aliquod tempus, adveniente Nehemia, cui ab Artaxerxe Longimano facultas data est, ut mœnia Jerosolymæ restitueret (17).

℣. 18. Ecce quatuor cornua; quatuor nimirum Principes, qui Israelem & Judam dissipavere, taurorum instar, obvia quælibet cornu ventilantium. Innuitur id ℣. 19. *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Juda & Israel & Jerusalem*. Scimus autem, quatuor Imperia, quæ ita in Dei populum sævierunt, Assyrios esse, Chaldæos, Persas, & Ægyptios. Reliqua igitur hujus vaticinii ex hoc principio explicanda sunt. Phul, Theglatphalassar, Sennacherib, Assaradon, Salmanasar, quorum sævitia in Judam & Israelem notissima e sacris voluminibus est, Assyrii Principes erant. Nabuchodonosor, qui Judam & Israelis reliquias diripuit, Chaldæis imperabat. Cyrus, qui, reddita populo libertate Templi ædificium intermitti jussit, quamvis antea illius restituendi potestatem fecisset; & Cambyses, apertissimus Judæorum hostis, inter Persas regnaverant. Nechaus, qui, fracto necatoque pio Rege Josia, Jerosolymam ingressus, gravissimum Judæis vectigal imperavit, & Joachazum Regem vinculis onustum captivum in Ægyptum rapuit, ubi is diem clausit (18), Rex Ægyptiorum fuit. *Pharao Hophra*, sive *Apries*, Nechai successor, Sedeciæ propinavit *vinum venenatum, inebrians ut aspiceret nuditatem ejus*, ut ait Habacuc II. 15. Suppetias pollicitus est, quas deinde negavit, vel saltem inutiles (19). En quatuor Imperia, quatuor cornubus a Zacharia visis significata.

Cur vero minitatur Deus hic ℣℣. 20. & 21. perducturum se quatuor fabros, quatuor ea cornua fracturos? Qui porro ii sunt? Luculenter satis illos describit infra VI. 1. 2. 3. 6. 7. sub quatuor quadrigarum imagine, e quibus tres aquilonem versus progrediuntur, quartæ dividuntur; earumque pars altera ad meridiem pergit, altera universum orbem peragrat. Primæ Nabopolassarum, Nabuchodonosoris patrem, a quo Imperium Assyriorum eversum est, significabant; alteræ Cyrum, sub quo Chaldaicum periit; tertiæ Magnum Alexandrum, qui Persicum delevit. Singulis hisce unum est iter aquilonem versus. Quartæ Ptolemæum innuebant, qui meridiem seu Ægyptum usurpavit. Altera harum quadrigarum pars, terram universam peragrans, est Regnum Seleucidarum. Eadem ferme res hic est, ac bestię quatuor apud Danielem VII. 1. 2. exhibitæ, quibus magna Imperia quatuor, Assyriorum scilicet, Chaldæorum, Persarum, Græcorumque figurabantur.

At, inquies, cur Zacharias de his agit quasi futuris, cum Imperia Assyriorum, Chaldæorum Ægyptiorumque altero Darii Hystaspis anno jam jacerent, atque hic provinciis omnibus, quibus, tria hæc nobilissima Imperia olim componebantur,

(9) Jerem. XXV. 11. *Erit universa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* (10) Jerem. XXIX. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum.* (11) Septuaginta captivitatis anni incipiunt anno M. 3398. desinunt anno 3468. (12) Septuaginta anni solitudinis Templi & regionis exordiuntur cum obsidione Jerosolymæ per Nabuchodonosorem, anno 3415. desinunt vero secundo Darii anno, Mundi 3485. (13) Hieronym. Remig. Albert. Hugo, Lyran. (14) Chald. Theodoret. Vat. Vide sup. Habac. II. 2. & infra Zach. IV. 1. 4. 5. V. 12. VI. 4. (15) אני קצפתי מעט והמה עזרו לרעה Septuag. Ἐγὼ μὲν ὠργίσθην ὀλίγα, αὐτοὶ δὲ συνεπέθεντο εἰς κακά. (16) Vide quæ animadvertimus Osee I. 4. & in 4. Reg. X. 30. (17) 2. Esdr. II. 3. 8. & III. IV. & seq. (18) 4. Regum XXIII. 30. 32. 33. 34. & 2. Par. XXXVI. 2. 3. (19) Jerem. XXXVII. 4. 5. 6.

tur, imperaret? Respondeo, Prophetam de singulis hisce non eodem modo agere. Alia enim veluti summatim collecta repetit, alia ceu futura prædicit. Exhibet Zachariæ Deus quatuor fabros: rogat Propheta, quid ii acturi sint: respondet Deus: (℣. 21.) *Hæc sunt quatuor cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros*, pro arbitrio; *& nemo eorum levabit caput suum*. Vides hic rem præteritam. *Venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam*. Magnam muneris sui partem explevere: cætera suo tempore absolventur. Hoc porro tradetur Capite VI. S. Hieronymus, & magno numero Interpretes, ipsum plerumque secuti, censent, quatuor iis cornubus significari Chaldæos, Persas, Græcos & Romanos, qui variis temporibus exagitavere Judæos, quatuor vero fabros esse Angelos, qui quatuor hæc Imperia per varia temporum intervalla fregere. Alii (20), qui nonnisi futuras vices a Propheta hic prædici putant, ajunt, quatuor cornua esse populos Judæis finitimos, qui illos ab ortu, occasu, aquilone & meridie aggressi sunt; quatuor vero fabris innui Principes, qui noxiis hisce gentibus supplicium ac perniciem intulere. Censet Grotius, Persas esse Magnum Alexandrum, Ægypti & Syriæ Reges, Cuthæis, Idumæis, Philisthinis, Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis & Syris variis temporibus graves. At Zachariæ ætate, uti credimus, pœnas e singulis hisce gentibus per Nabuchodonosorem Deus expetierat, quemadmodum in Amos & in Ezechielem docuimus. Quamobrem ad explicationem, quam dedimus priore loco, revertimur.

℣. 20. Quatuor fabros, ad ustrinam malleatores, ut vulgo creditur; fortasse quod malleo instructi exhibeantur, ut quatuor ea cornua conterant ac dejiciant. At fabrorum genus non tradunt Hebræus (21), Septuaginta & Chaldæus.

℣. 21. Ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levabit caput suum. Hebræus reddi potest (22): *Disperserunt Juda pro libito*, quamdiu voluere (23): *nemo eriget caput*. Nullum ex iis cornubus erigetur, nullus ex iis Principibus ita opibus crescet, ut cuiquam metum injiciat noceatve.

CAPUT II.

Angelus longitudinem ac latitudinem Jerosolymæ dimetiens. Ingens illius civium multitudo. Deus pro mœnibus urbi est. Gentes multæ in eam confluent.

℣. 1. ET levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funiculus
mensorum. 2. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Je-
rusalem, & videam quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus. 3. Et Ange-
lus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum
ejus. 4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro
habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum, & jumentorum in medio ejus.
5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio
ejus. 6. O, o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ven-
tos cœli dispersi vos, dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Ba-
bylonis. 8. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gen-
tes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.
9. Quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui serviebant
sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. 10. Lauda, & lætare, fi-
lia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. 11. Et ap-
plicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, &
habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. 12. Et
possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Jerusalem.
13. Sileat omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

℣. 1. ECce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. Post melioris fortunæ promissa, quibus Angelus Zachariæ animos confirmaverat, futurum scilicet, ut Jerosolyma Templumque restaurarentur, urbesque Juda in pristinum statum restituerentur (1), nova visione superiores probat. Vir seu Angelus exhibetur Zachariæ, Jerosolymæ latitudinem ac longitudinem metiens, instar architecti, qui aream struendi mox ædificii dimetitur.

℣. 3. Ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, veluti rogaturus ab Angelo Jerosolymam metiente, quid rei illud esset, aut quid moliretur; cumque Michael urbem versus progrederetur, Angelus specie mensoris apparens, obviam venit, jussitque significare Zachariæ, Jerosolymam ea amplitudine & civium numero futuram, ut mœnium ambitus angustior futurus sit, quam ut civium multitudinem contineat; vel ita ingentibus militum copiis tutam fore, ut neque obsidionem, neque injuriam ab hostibus veritura sit: *Absque muro habitabitur Jerusalem*: mœnibus non egebit, vel in ipsis pomeriis habitabitur. Id revera contigit nonnullis ante annis, quam Jerosolyma caderet; angusta quippe pro civium numero urbe veteri, nova urbs addita est, adjectæ-

[20] Theodoret. Cyrill. Ribera Sanct.

[21] ארבעה חרשים 70. Τέσσαρας τέκτονας. Chald. ארבעא אומנים

[22] זרו את יהודה כפי איש לא נשא ראשו

[23] Hebraica vox כפי seu לפי significat proprie secundum os ejus, ut ejus vires, res, modus & appetitus ferunt. Vide Genes. XLVII. 12. Exod. XII. 4. XVI. 16. 18. 21. Deut. XXI. 17. Josue XVIII. 4. 2. Par. XXXI. 2.

[1] Zach. I. 16. 17.

que domus, quæ sensim extra urbis ambitum conditæ fuerant (2). Hæc civium multitudo Jerosolymam incolentium, figura fuit ac pignus futuræ populorum copiæ, quæ olim Ecclesiam inundatura erat.

℣. 5. Ego ero ei murus ignis, quo accedere hostes nec poterunt, nec audebunt. Hosti non favebunt aut noctis tenebræ, aut facillimus urbis undique patentis ingressus. Ignis circa illam ero, noctu illustrans, & accedentes vorans. Idem ipse Deus per Michæam v. 10. 11. ajebat, sese arma fracturum, crematurum currus, eversurum munitiones, & tutissimas populi sui urbes diruturum; & apud Isaiam (3), futurum ait, ut nemo tunc de bello cogitet, arma ab universa regione exulent, unumquemque ex ensibus vomeres conflaturum, &c. Porro hæc omnia tranquillissimam pacem significabant, in Jesu Christi Ecclesia regnaturam, cujus pacis vix levis umbra & imago erat Judæorum e captivitate reducum felicitas.

℣. 6. O, fugite de terra aquilonis. Judæos alloquitur & Israelitas trans Euphratem relictos, qui nondum in Judæam redierant; minime enim censendum est, Judæos omnes usos esse facultate redeundi, quam dederat Cyrus. Variis temporibus & per turmas redierunt, multique in exilio mansere, vel post Zachariæ monita. Testes Mardochæus & Esther, quorum historia sub Dario Hystaspis filio contigit, & Nehemias sub Artaxerxe.

In quatuor ventos cœli dispersi vos; in omnes plagas circa Palæstinam; in Ægyptum, in Insulas Mediterranei, Syriam, Babyloniam, &c. Hoc ipsum significatum fuerat Ezechieli (4), cum jussit illum Deus capillos & barbam cædere, & utrumque in tres æquas partes dividere; & altera cremata, alteraque gladio comminuta, tertiam in ventum spargere; atque ex ea nonnihil in pallii fimbria servare, igni tradendum.

℣. 8. Post gloriam, misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos. Ita Zachariam alloquitur Angelus, & pollicetur futurum, ut pœnas ex Israelis hostibus expetat, populo in regionem suam revocato, ejusque urbibus in pristinum decus restitutis. Hebræus varie explicatur (5): *Hoc præcepit Deus repercussioni gloriæ suæ. Misit me*, &c. Vult autem, Michaelem eo nomine nuncupari, quod quidam veluti radius Divinitatis sit (6), ipsumque Deus suo nomine ac veluti alterum se mittat. Ita, inquit, optabat David, ut hoc ipsum sibi largiretur Deus, atque, uti Michaelem, gloriæ suæ repercussionem efficeret, ubi ait: *Post gloriam suscepisti me*. At subtilior æquo est interpretatio; nihil enim plane indicat, *τὸ post gloriam*, Hebraice *Achar-Chabod*, hominem esse, quem alloquitur Deus. Ita etiam intelligi potest: *Post gloriam*, qua gentes hasce cumulavit Deus, post beneficia quibus illas auxit, *misit me*, ut justæ ultionis suæ pondus in illa exercerem. Vel: *Post pondus* oneris, quo vos oppressi, post iræ meæ sarcinam, quam vobis imposui, *misit me* Deus *ad gentes quæ afflixerunt vos*, &c. Apud Prophetas, *onus* pro rerum molestissimarum vaticinio usurpatur (7). *Dei manus aggravari* dicitur super eos, quos affligit; & *grave onus imponere* iis quos opprimit. Denique locus Psalmi a Grotio recitatus, optime ex nostra sententia explicatur (8): *Post onus, suscipies me*. Post iræ tuæ pondus, me iterum inter amicos excepisti.

℣. 9. Ego levo manum meam super eos. Vindictam exercere cœpit Deus in Babylonios (9), qui a Dario desciscentes, viginti mensium obsidionem tulere, & a Zopyro, cui copias crediderant, proditi sunt. Fuse narrant Herodotus & Justinus. Babylonii ut diuturnæ obsidioni sese pares efficerent, separatis fœminis quæ filios habebant, optionem dedere, ut singuli cives singulas sibi haberent, & alteram eligerent, quæ panem conficeret: cæteris fauces elisere, ne annonam absumerent. Prodita a Zopyro urbe Dario, hic illius mœnia evertit ac portas, quibus pepercerat Cyrus, ac ter mille Babylonios proceres suspendit. Animadvertit Justinus, seditionem partam esse ab Assyriis, qui Babylonem occupavere: *Cum Babylonii defecissent, & Babyloniam occupassent*. Ita Dei furor in duos hosce populos, Hebræis adeo noxios, simul sæviit. Hæc gesta creduntur, ut serius, post duos annos a Zachariæ vaticinio. Utrum Judæi Babylone viventes monitis Zachariæ usi sint, ignoramus.

℣. 11. Applicabuntur gentes multæ ad Dominum. Nullas novimus aut urbes, aut provincias, aut gentes, quæ avitam Religionem reliquerint, ut Judaicam amplecterentur: at universum orbem videmus genua submittentem Jesu Christo, illique servientem. Omnes terrarum plagas, tum veteres tum novas, Religio Christiana occupavit.

Habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Zachariam ita alloquitur Michael, Messiæ personam exhibens, a Deo missi, ut in medio populi moretur. Medius in Israele vixit Jesus Christus, dogmata sua in tota Palæstina, Jerosolymis & in Templo tradidit, tam multaque edidit Divinitatis ac missionis suæ argumenta, ut nullus excusationi locus Judæis sit, nisi ipsum agnovere: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Joan. xv. 24.

℣. 13. Sileat omnis caro a facie Domini. Deo loquente, terra omnis sileat & frontem deprimat. Silentium a Propheta imperatum, indicium est supremæ authoritatis ac potestatis in eo, cui creatæ res omnes obsequuntur. Vide Habacuc II. 20. Sophoniam I. 7. Teste scriptore primi Machabæorum (10), terra omnis coram Alexandro siluit; is nimirum omnibus late hominibus silentium imperavit.

---

[2] Joseph. lib. 6. de bello cap. 6. [3] Isai. II. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* [4] Ezech. v. 2. 3. & sequ. 12. *Tertiam partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos.*

[5] אמר יהוה צבאות אחר כבד שלחני [6] Grot. hic: *Michael vocatur* אחר כבד *Quia est ἀπαύγασμα quoddam Dei*. Dan. 2. 5. Confer cum Ezech. I. 27. 28. & VIII. 2. *Sic David optat a Deo fieri* אחר כבד Psal. LXXII. 24. *Et cum gloria suscepisti me.* [7] Isai. XXX. 27. בער אפו וכבד משאה

[8] Psal. LXXII. 24. אחר כבד תקחני [9] Herodot. lib. 3. cap. 150. & sequ. Justin. lib. I. ad fin. Vide Usser. ad an. 3489. [10] I. Macc. I. 3. *Pertransiit usque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium, & siluit terra a facie ejus.*

C A-

CAPUT III.

Jesus Sacerdos magnus a Satan accusatur. Idem vestibus sordidis exutus, locupletissimis induitur. Monetur ut sit fidelis, facta spe futurum, ut Judex in Domo Dei creetur. Oriens venturus. Lapis septem oculis plenus, politus, & insculptus.

℣. 1. ET ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo
Domini: & satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. 2. Et dixit Do-
minus ad satan: Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui ele-
git Jerusalem: numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et Jesus erat indutus
vestibus sordidis: & stabat ante faciem angeli. 4. Qui respondit, & ait ad eos, qui
stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce
abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis. 5. Et dixit: Ponite cidarim
mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, & in-
duerunt eum vestibus: & angelus Domini stabat. 6. Et contestabatur angelus Domi-
ni Jesum, dicens. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris,
& custodiam meam custodieris: tu quoque judicabis domum meam, & custodies
atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. 8. Audi, Jesu
sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes
sunt, ecce enim ego ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM. 9. Quia ecce
lapis quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cæla-
bo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in
die una. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum sub-
ter vitem, & subter ficum.

℣. 1. OSTENDIT MIHI (Michael Archangelus, qui hactenus Zachariam comitatus fuerat) JESUM SACERDOTEM MAGNUM (Josedechi (11) filium), STANTEM CORAM ANGELO; ET SATAN STABAT A DEXTRIS EJUS. Jesus & Satan coram Angelo stabant; a dextris Satan, utpote accusator (12). *Satan* (13) apud Hebræos generice est adversarius, accusator, calumniator. Redditur hic a Septuaginta *Diabolos*, scilicet maledicus, calumniator. Eo nomine apud Scripturas (14) appellatur Dæmon, generis humani hostis, *& fratrum suorum accusator*. Cujus vero criminis postulabat Jesum Satan? Iniquum aliquid fuisse videtur, cum Judex, jubens illum sordidis vestibus exui, dixerit (15): *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*, pretiosis. Censet S. Hieronymus (16), Sacerdotis Magni iniquitatem in eo sitam fuisse, quod Babylone commorans, alieni generis uxorem duxisset. Ajunt alii (17), id vitio datum illi esse, quod hoc peccati genus in filiis dissimularet. Certe hujus filios alieni generis uxores habuisse, narrat Esdras l. 1. c. 10. 18. at nil tale de Jesu tradit. Denique aliis placet, ipsa Jesu persona gentem Judaicam universam significari; & adversario, qui Jesum coram Angelo accusat, exhiberi hostes populi, apud Darium criminantes, conantesque Templi ædificium paulo antea inceptum interturbare (18). Sordidis vestibus, & rei habitu prodit Sacerdos; quippe, uti populi Princeps, gentis suæ peccata quodammodo ferebat, quæ vivere quodammodo censebantur, dum Rex ædificandi potestatem non faceret. Quamobrem duo hic pronunciat Angelus; 1. ut coerceatur Satan, quod Jerosolymam elegerit Deus, utque hic *torris erutus de igne* in pristinum statum restituatur; II. ut Jesus pretiosis vestibus induatur, quod deleta sit illius iniquitas. Aptissima omnium mihi videtur hæc explicatio.

Plurimi e priscis Patribus (19) hunc locum de Jesu Christo interpretati sunt: ac profecto, si solus spectetur, & a consequentibus sejunctus, ad hominum Reparatorem aptissime refertur. Rei forma indui voluit Christus, sordidisque vestibus apparere, ut causam nostram adversus Satanam ageret. Si vero jungatur cum consequentibus, quæ sponte ex eo oriuntur, ægre de Messia explicabitur, authore S. Hieronymo in ℣. 8. Statim quippe legimus ℣. 8. *Audi, Jesu Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te . . . ecce enim ego adducam servum meum Orientem*. Messiam ne ipsi Messiæ pollicetur Deus? An *Orientis* adventum promittit Jesu Christo, qui idem est sub hac appellatione promissus? Est tamen quod huic objectioni respondeant. Jesus Josedechi filius duplici ex parte spectari potest; nimirum ut Jesu Christi figura, atque uti magnus Judæorum Sacerdos. Prima sub imagine, sordidis vestibus induitur, & cum Dæmone jurgatur; atque illum Patres ita inspexere. Uti magno Judæorum Sacerdoti, Angelus prædicit Liberatoris adventum ab universa gente expectati. Nullæ hic salebræ, nullaque sententiarum pugna.

℣. 2. DIXIT DOMINUS AD SATAN. Duplex hic *Dominus*, quorum alter imprecatur Satanæ, ut illum coerceat Dominus, sunt Pater & Filius; quemadmodum in Psalmo cix. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*. Porro uterque nomen *Jehovah* obtinet (20). Sunt qui censeant (21), eum qui

(11) Agg. 1. 1. (12) Psal. cviii. 6. *Constitue super eum peccatorem, & Diabolus* [Heb. Satan] *stet a dextris ejus*. (13) והשטן עמד על ימינו לשטנו Septuag. *Καὶ ὁ διάβολος εἱστήκει ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἀντικεῖσθαι αὐτῷ*. (14) Apoc. xii. 10. (15) Vide ℣. 4. (16) Hieron. & Hebræi apud eumdem. (17) Chald. ad ℣. 3. Lyr. Tir. Grot. Drus. Sanct. (18) 1. Esdr. iv. 1. 4. & seq. v. vi. (19) Vide Origen. homil. ix. in Levit. & xiv. in Luc. Justin. Mart. in dialog. cum Tryph. Tertull. contra Jud. ad finem; Ambros. de fide lib. 3. c. 4. Chrysost. homil. 5. ex variis in Matth. locis; Greg. Mag. lib. 2. Moral. cap. 20. Lactant. lib. 4. c. 14. (20) ויאמר יהוה אל השטן יגער יהוה בך (21) Vide Sanct. hic n. 7. Albert. Stunica, Mont. Vasquez, S. Thom. disp. 112. cap. 4. Drus.

qui priore loco dicitur Dominus, Angelum esse, coram quo Sacerdos Jesus & Satan disputant; eumque Zacharias Dominum appellat, uti Abraham Angelos, quibuscum loquebatur, quosque pronus adoravit (22); & Moyses alterum, qui in rubo apparuit (23); denique uti Scriptura passim vocat Angelos, priscis Patriarchis visos (24), Abrahamo, Jacobo, Moysi, Josue, Gedeoni, Manue, Davidi, Salomoni.

NUMQUID NON ISTE EST TORRIS ERUTUS DE IGNE? Vulgaris dicendi modus, qui & apud Amosum occurrit (25), ut aliquem e discrimine elapsum cum detrimento significet. Bellicum ignem quodammodo passa erat Jerosolyma; eamque Chaldæi revera everterant cremaverantque. Hanc ab incendio eripuit Dominus; exustamque & dejectam restituere volebat Deus. Hostis Judæorum Diabolus, eorum fortunæ invidens, coram Deo illam accusat, & vetera flagitia illi objicit: at accusatorem repellit Judex, inquiens: Nonne hæc urbs ea est, quæ tam multis exagitata est malis? An veteres culpas nondum satis expiavit? Nonne in Dei amicitiam rediit? Sunt qui de magno Sacerdote Jesu, Josedechi filio, explicent. Hic nonne torris est, de igne erutus? An non satis multa passus est in captivitate?

℣. 4. INDUI TE MUTATORIIS (26), pretiosis vestibus, quibus indui solent homines per festos dies. Quemadmodum sordidæ vestes oppressionem & ærumnas Judæorum significabant; ita nitidioribus & pretiosis innuebatur fortunarum conversio, meliorque sors, qua mox fruituri erant Judæi. Septuaginta (27): *Induite illum podere*, syrmate fluenti.

℣. 5. PONITE CIDARIM MUNDAM. Hebraica vox (28) sonat tiaram Pontificis propriam, byssinum galerum (29), cui aurea lamina imponebatur.

℣. 7. TU QUOQUE JUDICABIS DOMUM MEAM, moderaberis; supremam ibi authoritatem exercebis, vel saltem primum ibi locum occupabis: Hebræi enim semper vel Persis, vel Græcis, vel Ægyptiis, vel Syris, seu denique Romanis a reditu e captivitate, ad supremum usque gentis excidium paruerunt, si brevia quædam excipias intervalla, quibus vel sub Asmonæis vel sub Magno Herode fuere; quibus tamen Principibus absoluta omnino authoritas non fuit. At omnino hoc tempore, quo Judæi aliis obnoxii vixere, Pontifex totius gentis Princeps habebatur, non in iis modo quæ ad Religionem, verum etiam quæ ad civilem administrationem pertinent; & præter Zorobabelem, Esdram, & Nehemiam, qui aliqua authoritate potiti sunt, Regum Persarum nomine (30), cæteri Pontifices Principum gentis, primorumque totius regionis Judicum loco habiti sunt. Narrat hoc Josephus Antiqu. l. XI. c. 4. & lib. 20. c. 8. tradens, post captivitatem Judæorum imperium aristocraticum fuisse, oligarchico mistum, illudque moderatos esse Pontifices usque ad Asmonæos. Et de Jesu Josedechi filio Pontifice agens, ait, ipsum ejusque successores popularis Reipublicæ formam in Judæa servasse, usque ad Antiochum Eupatorem, annis tredecim & quadringentis. At minime censendum est, Pontifices absoluta usos esse in populum potestate. Semper fuere aut fere semper Provinciæ Præsides, quibus obnoxius erat Pontifex, in iis præcipue quæ ad civilem administrationem spectabant, ad quos publica & graviora negotia deferebantur. Quamobrem summi Sacerdotis authoritas in eo versabatur, ut privatas populi causas cognosceret ac moderaretur. Neque illi aut de bello aut de pace decernere licebat, neque cum externo Principe agere, aut fœdus facere gentis suæ nomine, nisi assentientibus Persarum Principibus & Provinciæ Præfectis.

DABO TIBI AMBULANTES DE HIS, QUI NUNC HIC ASSISTUNT. Dabo tibi comites, Procuratores, Consiliarios, Angelos aliquot ex præsentibus. Hæc pollicetur Jesu Deus. Ad verbum (31): *Dabo tibi ambulatores*, vel nuncios, *inter adstantes*. Comites tibi erunt & custodes: totius regionis curam habebunt, illique consulent, ut moneant, quid rerum ibi geratur. Vide ℣. 9. & Zachariam, IV. 10. Ferme uti alterum Angelum Deus Moysi pollicetur Exod. 23. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi*. Septuaginta (32): *Dabo tibi qui conversentur in medio stantium istorum*. Theodoretus de Magni Sacerdotis successoribus interpretatur: Dabo tibi ex filiis tuis tuæ dignitatis hæredes.

℣. 8. AUDI, JESU ... ET AMICI TUI ... QUIA VIRI PORTENDENTES SUNT, electi, ut figura sint futurorum; vel (33), viri sunt portenta quærentes, qui nonnisi prodigiis vinci queunt. Patrocinii mei pignora expetunt erga ceptum Templi mei restituendi opus; prodigia petunt, ut noverint, utrum hoc ego imperaverim, & res bene cessura sit. Vel (34): Cum homines sint in prodigiorum interpretatatione peritissimi, prodigia illis dabo, quibus in re bene constituta confirmentur.

ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM. Veteres Judæi & Christiani sub *Orientis* nomine Messiam agnoscunt, secundi Templi ætate oriturum. Ita etiam vulgo sensit Synagoga (35). Jesus Christus ceu sol labe carens apparuit, ut mundum tenebris obsitum illustraret. Nascens micat instar solis, qui naturæ decus, vita & ornamentum est. Putant Patres nonnulli (36), Deum polliceri futurum, ut Zorobabelem mittat, Messiæ symbolum, qui Templum olim restituat. Favent huic sententiæ ℣℣. 11. 12. Capitis VI.

Cur vero Zorobabel, tunc Judæ Princeps, ac tam diu Jerosolymis moratus, eo mittitur? Qui aliquem in locum jam venere, eo mittuntur? Si quis homo *Orientis* nomine significabatur, is certe erat Nehemias, qui aliquot ab hinc annis in Judæam venit, ac mœnia portasque Jerosolymæ restauravit (37). At tametsi de Zorobabele & Nehemia ad literam explices, uterque procul dubio figura Messiæ fuere, ac neuter omnes Judæorum spes implevit, neque par iis fuit, quæ de Oriente a Scriptura traduntur, futurum scilicet, ut is olim Judæ iniquitatem deleat, pacemque in terris restituat. Idem enim est, qui orientis seu *Germinis* appellatione hoc loco significatur, & sequenti versiculo Lapis septem oculis distinctus dicitur. *Germinis* nomen (38) Messiæ tribuitur apud Isaiam, IV. 2. & Jeremiam, XXIII. 5. & XXXIII. 15. atque hæc appellatio vaticinium quoddam est prodigiosæ e Virgine parente nativitatis. Zorobabeli etiam, ut minus proprie, eadem conveniebat, cum ipse Davidicæ sobolis germen esset ac surculus.

℣. 9. SUPER LAPIDEM UNUM SEPTEM OCULI SUNT. Hæc etiam figura Messiam designabat, qui (39) lapis

---

[22] Genes. XVIII. 1. 2. 13. & seq. [23] Exod. III. 2. Act. VII. 30. [24] Genes. XXVI. 2. XXXV. 9. Exod. XVI. 10. Josue, Judic. VI. 12. XIII. 3. 9. 1. Reg. III. 21. &c. [25] Amos IV. 11. *Sicut torris raptus ab incendio*. [26] מלבש אתך מחלצות [27] Ἐνδύσατε αὐτὸν ποδήρη. [28] צניף טהור [29] Exod. XXVIII. 4. Levit. VIII. 9. [30] Vide Aggæum I. 1. & II. 23. & Præfationem in Libros Macchabæorum. [31] ונתתי לך מהלכים בין העמדים האלה [32] Septuag. Δώσω σοι ἀναστρεφομένους ἐν μέσῳ τῶν ἑστηκότων τούτων. [33] כי אנשי מופת המה Viri portenti. [34] 70. Διότι ἄνδρες τερατοσκόποι εἰσί. [35] Vide Chald. & Grot. hic, & ad Agg. II. 8. [36] Theodoret. Euseb. lib. 4. Demonstr. Ita & Hebræi recentiores, & Grot. hic. [37] 2. Esdr. II. III. IV. & seq. [38] הנני מביא את עבדי צמח Vide & Zach. VI. 12. [39] Isai. XXVIII. 16. Psal. CXVII. 22. Matt. XXI. 42. 44. Act. IV. 11. Rom. IX. 32. 33.

lapis ædificii dicitur, lapis angularis, quem posuere ædificaotes, lapis pretiosus ac probatus. *Rupes* (40) pleromque apud Hebræos est Deus. Septem oculi, quibus hic lapis distinguitur, vel septem dona Spiritus Sancti sunt, vel divinæ Jesu Christi virtutes; seu potius, septem Spiritus, qui, ceu oculi Domini, tarram universam peragrant, & quid io ea geratur oarrant. Animadvertendum hic est, Judæos, quisaliquot ante annos Babylone redierant, civilem ejus geotis administrationem diu amasse; ac Deum, ut illorum iogeoio indulgeret, Domini Angelos exhibuisse ferme uti magni alicujus Principis Mioistros, puta Persarum Regis Coosiliarios. Oculi Regis ouocupabantur ii, qui Proviociarum Præfectos inspiciebant, iisque narrabant omnia, quæ io ipsorum administratione animadverteraot. Deus hic exhibet Zachariæ lapidem, septem oculis distioctum, qui septem Angeli sunt, quibus Templi ædificandi cura & custodia demaodata erat. Hi porro Zorobabeli futuri erant consiliarii, custodes, procuratores; ut ioouit proximom Caput, ℣. 10. Angelos etiam magno Sacerdoti Jesu promiserat Deus, qui illum & ope juvareot & docereot. Hos appellatos vidimus *Nuncios*, ambulatores, seu viatores, ℣. 7.

Septem ioterdum pro moltis usurpaotur (41); atque ad verbum lapis septem oculorum sigoificare optime potest jaspidem, aut lapidem alium pretiosum, variis coloribus rutilaotem. Hebræi oculum pro eolore osurpant (42). At ex Capite IV. ℣. 10. discimus, septenarium numerum hic pro eerto fixoque pooi. Duo igitur vult Deus exhibere sub imagine lapidis septem oculos habeotis, quem Deus ipse cædit atque expolit. Pollicetur oimirum eodem tempore, & restitutum iri Templum, ipso lapidem angularem ponente; & Messiam venturum, ot domum multo augustiorem nobilioremque, quam Jerosolymæ Templom, struat. Templi Jerosolymitani ædificio præfuturus erat Zorobabel Zachar. IV. 7. & Christus Ecclesiam Christianam condíturus. Primus ille conditor, primumque Templum figura erant alterius. Septem Angeli, Zorobabelis comites, omoipotentem Servatoris virtutem significant.

Ego cælabo sculpturam ejus (43); Ipse ego scalpro cęlabo, ceu sculptor, qui rude marmor cędit, atque ex eo magnifici ędificii ornamentum conficit. Septuaginta (44): *Ecce ego fodio foveam.* Cęterę tameo Versiones (45) cum Vulgata consentiunt. Zorobabel, Deo opem fereote, Templom olim eversum restituit, supremamque illi manum imposuit. *Zach.* IV. 7. Jesus Christus sua ipsius virtute Deo Templum condit vivis pretiosisque lapidibus (46), quos ipse doctrioa, exemplo, gratia cędit, & elaborat.

(40) Vide 1. Reg. II. 2. 2. Reg. XXII. 3. אלהי צורי XXIII. 3. Psal. XVII. 3. XVII. 32. XVIII. 15. & passim.
(41) 1. Reg. II. 5. Psal. XI. 7. Prov. XXIV. 16. Isai. IV. 11. (42) Vide Levit. XIII. 5. 37. 55. Num. II. 7. Ezech. I. 7. X. 9. Dan. X. 6. (43) הנני מפתח פתחה (44) Ἰδὲ ἐγὼ ὀρύσσω βόθρον.
(45) Aqu. Διαγλύψω ἔγγλυμμα αὐτῆς. Theod. & Sym. *Sculpam sculpturam ejus.* (46) 1. Petr. II. 5. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, &c.*

CAPUT IV.

Candelabrum aureum septem ramis constans, totidem lucernis, in quas oleæ duæ oleum demittunt. Templum, cujus fundamenta jecit, absolvet Zorobabel. Septem oculi Domini, universam terram pervadentes.

℣. 1. Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi
virum, qui suscitatur de somno suo. 2. Et dixit ad me: Quid tu vi-
des? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super
caput ipsius, & septem lucernæ ejus super illud: & septem infusoria lucernis, quæ
erant super caput ejus. 3. Et duæ olivæ super illud; una a dextris lampadis, &
una a sinistris ejus. 4. Et respondi, & ajo ad angelum, qui loquebatur in me
dicens: Quid sunt hæc domine mi? 5. Et respondit Angelus, qui loquebatur in
me, & dixit ad me: Numquid nescis, quid sunt hæc? Et dixi: non, domi-
ne mi. 6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zo-
robabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Do-
minus exercituum. 7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & edu-
cet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus. 8. Et factum est ver-
bum Domini ad me, dicens: 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, &
manus ejus perficient eam: & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos.
10. Quis enim despexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stan-
neum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in uni-
versam terram. 11. Et respondi, & dixi ad eum: quid sunt duæ olivæ istæ, ad
dexreram candelabri, & ad sinistram ejus? 12. Et respondi secundo, & dixi ad
eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus
sunt suffusoria ex auro? 13. Et ait ad me, dicens: Numquid nescis, quid sunt
hæc? Et dixi: Non, domine mi. 14. Et dixit: isti sunt duo filii olei, qui assi-
stunt Dominatori universæ terræ.

℣. 5. ET egressus est Angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, uti e somno hominem. Quo revertitur? quo ierat? Nihil his de rebus tradit Propheta. Libri initio scripsit Zacharias c. 1. 8. sese hæc noctu & per somnium vidisse. Ait hic, Angelum, qui dux hactenus sibi fuerat, & interpres eorum quę exhibuit Deus, ad sese conversum percussisse, uti fit, cum aliquis e somno excitatur. Minime discesserat Angelus, sed accesserat solummodo ad Jesum Sacerdotem, de quo superius Caput totum agit; habitoque sermone cum Jesu, ad Zachariam rediit; videbaturque sibi Zacharias ab eo percuti & excitari: hęc tamen per visum contigere, quemadmodum & ea, quę hactenus vidit.

℣. 2. Ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud. Hebræus (1): *Ecce candelabrum aureum, & lenticula super caput ejus, & septem lucernæ super illud* candelabrum, & *septem infundibula*, vel canaliculi *septem lucernis illis*. Accurate prius describenda est forma candelabri. Septem ramos habebat, et lucernas septem, uti candelabrum Templi, quod Moyses descripsit (2). Illud est hujus a Mosaico discrimen, quod singulas Mosaici lucernas Sacerdotes sejunctim oleo implerent; et hic oleum ęque distribuitur septem lucernis per septem canaliculos, oleum deducentes a communi lenticula, quę ipsius candelabri vertici incumbebat, oleo plena, quod in ipsam fluebat per tubos duos e duabus oleis, ad utrumque candelabri latus constitutis (3). Candelabrum hoc unquam extitisse, non credimus; at non magno negotio confici posset. Lucernas pluribus lychnuchis constantes, e communi lenticula oleum ducentibus, passim videmus.

Difficultas tota est ęnigmatis, sub candelabri imagine conditi, explicandi. Oleę duę, ad utrumque candelabri latus, sunt Jesus Josedechi filius, & Zorobabel. Docet id Angelus ℣. 14. Septem lucernę sunt septem oculi Domini, terram universam peragrantes (4). Idem porro significant lucernę septem, ac septem oculi, quos in lapide vidimus Capite superiori, ℣. 9. Quemadmodum septem lucernæ oleas duas in utroque latere constitutas illustrant, & ab ipsis oleum, quo aluntur, accipiunt; ita septem Spiritus, Jesu Sacerdoti & Zorobabeli traditi, ut loco oculorum & luminis sint, duobus hisce populi Dei Principibus quodammodo subjiciuntur, & ab iis pendent. Mandata ab illis excipiunt, eorumque sub nutu & imperio agunt.

℣. 6. Hoc est verbum Domini ad Zorobabel: Non in exercitu spem habebis, sed in Spiritu meo. Inceptum opus absolves: Templo Domini, cujus fundamenta jecisti, supremam manum impones (5); at non tuis ipsius viribus, neque exercitus ope; meum ego tibi Spiritum largiar. Spiritum hunc significant hic lucernæ septem, & septem oculi Capite superiori; Spiritus, quo uberrime complendus est Messias (6); Spiritus Sapientiæ, intellectus, consilii, roboris, scientiæ, pietatis, ac timoris Domini. Ita loquitur Isaias, ubi de Divino Exemplari agit, cujus figuram Jesus Josedechi filius & Zorobabel exhibebant. Vides hic mirum Scripturarum consensum, quarum altera alteram explicat & illustrat.

℣. 7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? In planum: complanaberis. Mons Sion, qui ruderibus plenus es & ruinis, quid sub Zorobabele fies? Te ille complanabit, & ardua omnia, quæ populi viribus adeo majora videntur, ipse superabit. Intelligi etiam per montem queunt vel Judæorum hostes, qui nihil non tentavere, ut omnes illorum conatus everterent; vel Darius, quo jubente futurum sperabant adversarii, ut Templi ædificium intermitteretur. Omnia tamen frustra cecidere (7). Septuaginta (8): *Quis es tu, mons magne, qui stas coram Zorobabele, ut corrigas?* Hebræus: *Planities eris*.

Educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus. Primos Templi lapides ponet, decusque decori adjiciet. Ex ipsis hisce ruderibus lapidem eruet, qui totum opus absolvat, & ornamenta, quæ olim desiderabantur, addet, sive toreumate sive sublimiori loco conspicuum faciens. Hebræus (9): *Producet lapidem primarium* [primum, sive ultimum; utrumque enim significare potest Hebræus; ad verbum, *lapidem capitalem*, qui pro fundamento est, vel pro coronide: porro uterque est capitalis.] *Cum elevabitur: Gratus sit & amatus*. Vel: Ponetur *cum acclamatione* populi vociferantis: *Gratia gratiæ sit ei*, Deus illi semper faveat, & diu stet.

℣. 8. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam. Duo restaurationis Templi post captivitatem tempora distinguenda sunt. Jacta primum fuere fundamenta a Sassabasaro, teste Esdra l. 1. v. 6. iterum regnante Dario, a Zorobabele. Primum opus cessavit, per annos decem & quatuor intermissum: at secundum a Zorobabele ceptum, ab eo absolvetur. Suprema Templo manus posita est anno Darii sextus (10), quarto post initium.

℣. 10. Quis enim despexit dies parvos? ad verbum (11) *diem parvorum*? Quis parva hæc Templi initia parvi facit? Lætabuntur; et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel, Judæi, fide imbecilles, qui e præsentium rerum statu sententiam fertis, atque omnia vestris ex viribus metimini, qui Zorobabelis facinus, Templi scilicet restituendi molimen, temerarium esse arbitramini; vos, inquam, brevi gaudebitis, ubi Zorobabelem ipsum perpendiculo explorantem, urgentemque opus, ac felicissime absolventem videritis. *Lapidem stanneum* (12), perpendiculum. Lapides dicebantur ab Hebræis mercatorum pondera, atque absolute quicquid pondus est. *Non habebis in sacculo lapidem & lapidem*, inquit Moyses Deut. 25. 13. duplici ponderum genere non uteris, justo & iniquo.

Septem sunt isti oculi Domini, qui discurrunt in universam terram. Lucernæ septem, quas vidisti, septem sunt Angeli, ceu oculi & speculatores, quorum ministerio Deus omnia videt quæ in terris fiunt. Ministri quidam erant Persarum Regibus, quos Regis Oculos appellabant (13), quod veluti Regii exploratores essent, quod ipsorum opera Rex cerneret ac nosset omnia, quæ in universo Imperio gerebantur. Scriptura, ut Hebræorum ingenio sese accommodet, non semel ait, septem Angelos coram Deo stare, veluti Aulæ proceres, omnia quæ in terris geruntur, illi narrantes. Tradidit id Raphael, junioris Tobiæ dux, paulo ante quam utriusque Tobiæ oculis se subduceret (14), se scilicet unum esse e septem

(1) הנה מנורת זהב כלה וגלה על ראשה ושבעה נרותיה עליה ושבעה מוצקות לנרות (2) Exod. xxxvii. 17. 18. (3) Infra ℣. 12. (4) Infra ℣. 10. (5) Infra ℣. 9. (6) Isai. xi. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* (7) 1. Esdr. v. 6. (8) Septuag. Τίς εἶ σὺ τὸ ὄρος τὸ μέγα τὸ πρὸ προσώπου Ζοροβάβελ τοῦ κατορθῶσαι. Heb. למישר (9) והוציא את האבן הראשה תשאות חן חן לה (10) 1. Esdr. v. 16. (11) כי מי בז ליום קטנות (12) את האבן הבדיל Septuag. Τὸν λίθον τὸν κασσιτέρινον. (13) Aristophan. Acharnens. Καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν, τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν. Ad quem locum Scholiastes: Οὕτως ἐκάλουν τοὺς σατράπας, δι᾽ ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ. Vide & Apul. lib. de mundo; Arist. lib. 3. politic. Heliodor. l. 1. &c. (14) Tob. xii. 15. *Ego sum Raphael Angelus unus ex septem qui adstamus ante Dominum.*

septem Angelis, coram Domino semper adstantibus. Testanturque S. Joannes in Apoc. 1. 4. & 5. 6. visum sibi *agnum stantem, habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram*. Ut molimen a Zorobabele & Jesu Sacerdote magno susceptum absolvatur, pollicetur Deus opem septem horum Spirituum, septem oculorum, Angelorum scilicet principum.

℣. 12. Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria aurea? Eadem hic res postulatur, quæ superiore versiculo, cui minime respondit Angelus. Oleæ duæ, geminique illarum rami, in duos canaliculos, vel in duo aurea infundibula inclinati, unam eamdemque rem significant. Hebræus (15): *Quid* sunt *duæ spicæ*, seu duo rami cum baccis, *olivarum aurearum, juxta duas fistulas aureas, fundentes* oleum *desuper* in lucernas?

℣. 14. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ. Geminis oleæ ramis designantur Jesus Josedechi filius & Zorobabel, gemini gentis Judaicæ Principes, alter in rebus Religionis, alter in civili administratione (16), uterque Unctus Domini, seu *filius unctionis* vel olei. Ille, utpote Sacerdos, oleo sancto unctus erat; hic, veterum Juda Regum successor, eadem unctione in majorum suorum personis inauguratus fuerat, eratque Unctus Domini, Minister, populi Princeps, electus ut Templum Deo conderet, malaque populo a Chaldæis illata repararet. Utrumque lucernæ septem illustrant, utrique adsistunt septem Spiritus, a Cœli terræque Domino missi. Uterque fundunt oleum, quo lucernæ aluntur; septem enim Spiritus nonnisi sub eorum nutum & imperio agunt, eorumque decretis obsequuntur (17): *Sunt administratorii Spiritus*. Missi sunt, ut opem illis afferant, dum sanctissimum opus complent. Septuaginta (18): *Duo filii pinguedinis*. Aquila & Theodotion (19): *Duo filii splendoris*.

CAPUT V.

Liber volans, quo omnia terræ peccata continentur. Fœmina sedens in vase, in eoque clausa plumbea massa, os vasi obstruente. Alatæ mulieres duæ vas tollunt, & Babylonem auferunt.

℣. 1. ET conversus sum, & levavi oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans. 2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ecce video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. 3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus. 5. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me; & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide quid est hoc, quod egreditur. 6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ. 8. Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus. 9. Et levavi oculus meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milvi: & levaverunt amphoram inter terram, & cœlum. 10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? 11. Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar: & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

℣. 1. ECCE volumen volans, cubitorum viginti longitudine, latitudine decem. Veterum libri ex pluribus plagulis constabant, vel membranis ad oras conjunctis in longum, & circa baculum volvebantur, cujusmodi adhuc sunt ii, quibus Judæi in Synagogis utuntur. Hoc voluminum genus ex altera solum parte plerumque exaratur; nulloque argumento suspicari licet, volumen hoc alterius generis fuisse, cum nihil ea de re tradat Propheta. Septuaginta (1) pro volumine legunt *falcem*. Aquila & Theodotion utuntur voce (2) *Diphthera*, quæ generice librum significat in membrana scriptum; cujus generis librum Poetæ tribuunt Jovi, ubi is scelerum ab hominibus patratorum, pœnarumque illis decretarum rationes habet. Tabulas hasce identidem inspicit, ac reos punit. Hinc Proverbium (3): *Jupiter Saturnius inspexit membrana*; quo significatur, illum post diuturnam moram denique pœnas inflixisse. Id simile huic loco est, ubi Zacharias volumen videt, hominum peccata pœnasque continens.

℣. 3. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. Continentur hoc libro

(15) מה שתי שבלי הזיתים אשר ביד שני צנתרות הזהב המריקים מעליהם הזהב Septuag. Τί αἱ δύο κλάδοι τῶν ἐλαιῶν, αἱ ἐν ταῖς χερσὶ τῶν δύο μυξωτήρων τῶν χρυσῶν τῶν ἐπιχεόντων, καὶ ἐπαναγόντων τὰς ἐπαρυστρίδας τὰς χρυσᾶς.
(16) Confer Caput VI. 11. 13. (17) Hebr. 1. 14. (18) Οἱ δύο υἱοὶ τῆς πιότητος.
(19) Aqu. Υἱοὶ τῆς στιλπνότητος. Theodot. Τῆς λαμπρότητος. Heb. שני בני היצהר Sym. *Duo filii olei*.
(1) Septuag. Καὶ ἰδοὺ δρέπανον πετόμενον. Legunt מגל pro מגילה (2) Aqu. & Theodot. Διφθέρα. Sym. [illegible]. (3) Ὁ Ζεὺς κατεῖδε Κρόνιος εἰς τὰς διφθέρας.

bro mala, quæ mox terram universam obruent, supplicia & execrationes, quas Deus in impios pronunciat. Definiri autem hujusmodi diræ intra solos Judæos possunt, vel ad Chaldæos etiam universumque illorum Imperium prorogari. Si primum ponas, dicito, Deum Israelitas omnes iniquitatis & perjurii reos una damnationis sententia obvolvere. Minatur futurum, ut vindictam suam in illorum domo immittat ceu ignem, quo illæ vorentur. Vas, cujus in medio iniquitas erat, sub mulieris imagine exhibita, plumbea massa obstructum, ablatumque Babylonem, ut ibi veluti in sua sede sit, vas, inquam illud eamdem rem ac liber ille significat. Judæ & Israelis iniquitatem abstulit Deus, eamque deferri jussit Babylonem & in Assyrios a fœminis seu gentibus duabus, scilicet ab Assyriis & Chaldæis. Nimirum iniquitatis regnum & sedes est Babylon. Qui ex Juda & Israele resipiscere noluerunt, neque eam regionem relinquere, ut in avitas sedes reverterentur, quique contumaces in scelere perseveraverunt, ibi manebunt, ibique in animi sui contumacia morientur.

At si de Chaldæis explices, dices, volanti volumine contineri minas dirasque jam pridem in eos pronunciatas, & in crimina, depopulationes, iniquissimam vim, fraudes, perjuria, quibus illi inquinabantur. Ruiturus mox est in illorum domos hic liber, ex quibus nunquam egressura est execratio, nisi illorum sedes, Babylon scilicet, perierit. Superbissimæ gentis iniquitas, quam fœmina in vase sedens designat, coercita est, & in imo vase clausa massa plumbea, os vasis obstruente; scilicet Persarum vi, quæ Chaldæorum solium & Imperium diruit. Vas ferunt mulieres duæ in terram Sennaar, in Babyloniam, ibique domus illi struitur, suaque in basi firmatur, quin ipsa iniquitas prodeat ex imo vasis, ubi clauditur. Chaldæos æque semper & crimen amantes, & in malum pronos, coercent primum Persæ, tum Græci. En duæ mulieres alatæ, quæ vas auferunt, illique domicilium Babylone struunt. Non penitus delentur Chaldæi, sed subditi atque ita imbecilles, ut jam nemini vim inferre queant, a populis, quos diximus, fiunt. Altera hæc explicatio firmior videtur, magisque nexa cum consequentibus.

℣. 4. Ad domum omnis furis, et ad domum jurantis. Duplici hoc nomine cætera vel Hebræorum vel Chaldæorum crimina comprehenduntur; furto scilicet, injusta vis in homines exercita; perjurio, peccata in Deum admissa. Nabuchodonosor furis appellatione non semel a Jeremia designatur (4); ejusque domus est Babylon.

℣. 6. Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hic est oculus eorum in universa terra. Secunda hæc visio eamdem rem designat ac prima, crimina scilicet ac supplicia Israelitarum seu Chaldæorum, ex duplici explicatione, quam proposuimus. Hebræus (5): *Ecce epha egrediens*, prodiens; & Angelus mihi *dixit*: *Talis est oculus eorum in universa terra*. Huic similes sunt: hæc vera est ipsorum imago. Septuaginta (6): *Dixit: Hæc est mensura egrediens; & addit*: *Hæc est iniquitas eorum in universa terra*. Epha est mensura cava, continens pintas novem & viginti cum dimidia, hemisextario, octava pintæ parte, & aliquanto amplius.

℣. 7. Ecce talentum plumbi portabatur manu non visibili, mox ruiturum, quod deinde revera cecidit in os vasis, illudque penitus obstruit. Hebræus (7) ad verbum, *talentum*, sive *massa plumbea*; & sequenti versiculo (8), *lapis plumbi*.

Ecce mulier una sedens in medio amphoræ, intra epha (9), ferme uti in Ægyptiis nummis exhibetur Canopus Deus, in amphora sedens (10). Mulier, de qua hic, iniquitas erat, explicante Angelo, proximo statim versu: *Hæc est impietas* (11).

℣. 8. Projecit eam in medio amphoræ. Vel, ex Hebræo: *Projecit se in medio amphoræ*. Plumbeam massam videns sibi minitantem, intra vas sese condidit, statimque massa in os vasis cecidit, illudque penitus obstruit.

℣. 9. Ecce duæ mulieres egredientes, Medi scilicet & Græci (12), qui Babylonios afflixere, novumque Imperium in ipsis illorum sedibus instituerunt. At censet S. Hieronymus, ipsos esse Hebræos, quorum alteros, Israelitici scilicet Regni homines, captivos Assyrii abstulere; alteros, nempe e Regno Juda, Chaldæi. Placet nonnullis (13), duabus mulieribus malos Angelos significari. Probabilius tamen, quemadmodum mulier in vase clausa Babylonis iniquitas est, ita mulieres duæ, illam in Babylonia coercentes, sunt Persæ & Græci, uti supra diximus. Scriptura & Profani plerumque populos, Provincias urbesque sub imagine mulierum exhibent.

Habebant alas, quasi alas milvi, vel ciconiæ, ex Hebræo (14): sive upupæ, ex Septuaginta (15). Aquila, Symmachus & Theodotion reddunt *herodionem* (16). Hebræos sequitur S. Hieronymus, qui milvo favent. At nostri Interpretes ciconiam malunt. Vera vocum Hebræarum, animalia significantium, sententia incertissima est.

℣. 11. Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, in Babylonia. Chaldæos toto Oriente, omnibusque amplissimi Imperii provinciis dispersos Persæ primum, deinde Græci intra angustos regionis suæ limites clausere. Hi domi suæ se continent, intra Babyloniam. Ibi clausa est ipsorum iniquitas, quin populis, ut olim, nocere queant. Vel, si de Judæis explices, qui in patriam reverti detrectavarint: Babylone commorati sunt, nec in Judæam rediere, ut illam flagitiis, quemadmodum olim, inquinarent. Teste Scriptura (17), ii solummodo, quorum animos movit Deus, usi sunt facta a Cyro patriæ repetendæ facultate.

(4) Jerem. IV. 7. XLVIII. 8. 32. L1. 48. (5) זאת האיפה היוצאת ויאמר זאת עינם בכל הארץ
(6) Καὶ εἶπεν, τοῦτο τὸ μέτρον τὸ ἐκπορευόμενον. Καὶ εἶπεν, αὕτη ἐστὶν ἡ ἀδικία αὐτῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ.
Legunt עונם pro עינם (7) ככר עפרת (8) אבן עפרת Septuag. Τὸν λίθον τοῦ μολίβδου.
(9) בתוך האיפה Septuag. Εἰς μέσον τοῦ μέτρου. (10) Vide Vaillant. hist. Reg. Ægypt. Appendic.
(11) זאת הרשעה Septuag. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἀνομία αὐτῶν. (12) Judæi apud Hieron.
(13) Vide Sanct. hic num. 27. 28. (14) כבנפי החסידה (15) Septuag. Ὡς πτέρυγας ἔποπος.
(16) Hieronym. hic. (17) 1. Esdr. 1. 5. *Surrexerunt Principes patrum . . . & omnis, cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum Templum.*

CA-

CAPUT VI.

Quatuor quadrigæ ex quatuor æneorum montium angustiis egredientes, procedentesque ad quatuor mundi plagas. Coronæ in usum Sacerdotis magni, & Orientis. Hic Dei Templum ædificabit. Gentes remotissimæ venient, ut socios operi huic manus conferant.

℣. 1. ET conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ
egredientes de medio duorum montium; & montes, montes ærei. 2. In
quadriga primi equi rufi, & in quadriga secundi equi nigri, 3. Et in quadriga ter-
tia equi albi, & in quadriga quarta equi varii, & fortes. 4. Et respondi, & dixi
ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, Domine mi? 5. Et respondit
Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent co-
ram Dominatore omnis terræ. 6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram
Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varii egressi sunt ad terram Austri. 7.
Qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem
terram. Et dixi: Ite, perambulate terram: & perambulaverunt terram. 8. Et vo-
cavit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis,
requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et factum est verbum
Domini ad me, dicens: 10. Sume a transmigratione, ab Holdai, & a Tobia, &
ab Idaia, & venies tu in die illa, & intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui ve-
nerunt de Babylone. 11. Et sumes aurum, & argentum: & facies coronas, & po-
nes in capite Jesu filii Josedech Sacerdotis magni, 12. Et loqueris ad eum, dicens:
Hæc ait Dominus exercituum, dicens: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIUS: & subter eum
orietur, & ædificabit Templum Domino. 13. Et ipse extruet Templum Domino:
& ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit Sacer-
dos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos. 14. Et coronæ erunt
Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in Templo Do-
mini. 15. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in Templo Domini: & scie-
tis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis
vocem Domini Dei vestri.

℣. 5. ECCE QUATUOR QUADRIGÆ EGREDIENTES DE MEDIO DUORUM MONTIUM; ET MONTES, MONTES ÆREI, materia solidissima, qua significabatur, quadrigas hasce idcirco venire, ut populos contererent, everterent, frangerent. Quatuor quadrigis totidem Imperia designabantur; & jure dixeris, vectos fuisse quadrigis quatuor Angelos, vel quatuor Principes, Domini vindictam persequentes. Equorum color mysterio non vacat; censemusque, hanc quatuor quadrigarum visionem eamdem sensu esse atque alteram quatuor cornuum, Capite 1. 18. recitatam. Primæ quadrigæ, quas equi rufi trahunt, sunt Imperium Chaldæorum, quod vires Assyriacas fregit, pœnasque injuriarum, quibus hi Israelitas afflixere, Dei nomine exegit. Angelus, interpres vaticinii apud Zachariam, primas hasce quadrigas silet; Assyrii enim diu antea ceciderant, ipsumque Chaldæorum Imperium minime stabat. Alteræ, nigris equis instructæ, figura erant Persici Imperii a Cyro conditi, quo nascente Chaldaicum periit. Tertiæ ab equis albis tractæ, Græcorum Imperium significabant, super ruinas Persici ab Alexandro Magno constitutum. Quartæ duplices erant; duabus nimirum bigis constabant, quarum alteræ varii coloris equos habebant, Lagidasque repræsentabant, qui Ægyptum aggressi expugnavere (1); alteræ Regnum Syriæ, a Seleuco institutum.

℣. 5. ISTI SUNT QUATUOR VENTI COELI, QUI INGREDIUNTUR UT STENT CORAM DOMINATORE OMNIS TERRÆ. Quatuor hæ quadrigæ designant Angelos necis Ministros ultoresque, a Deo missos ad *quatuor ventos*, & ad quatuor terrarum plagas, ut Dei vindictam exerceant. Hi porro appellantur *quatuor venti*, quod orbem universum peragrent, ut in impios animadvertant. Singulis quadrigis vel Imperiis singuli Angeli tribuuntur, ex Chaldæorum Theologia, & communi tunc inter Judæos sententia. Opinionem hanc etiam in Daniele (2) videas, & passim in Novi Testamenti Libris (3). Nos tamen de Angelis Provinciarum Regnorumque custodibus ita sentimus, ut illa ab iis defendi censeamus; at hic ita exhibentur, ut severitate instructi puniant ac cædant.

℣. 6. EQUI NIGRI EGREDIEBANTUR IN TERRAM AQUILONIS. Equi nigri, alteris quadrigis juncti, Cyrum significant, Persas Medosque ducentem. Niger color indicium est vel sævitiæ, acerrimæque ultionis a Persis Medisque in Chaldæos exercitæ; vel doloris mœrorisque Judæorum, quos Cambyses illis attulit, ac deinde Artaxerxes, ubi eam gentem sævissimo Amano permisit. At præcipuum Prophetæ propositum erat describere potius mala, quæ ab iis quadrigis illata sunt Judæorum hostibus, quam quæ Judæis. Cyri Imperio magis conveniens erat albus color, si ea, quæ a Cyro gesta sunt Judæorum gratia, spectarentur. Quid illi non debebant Cyro? Quamobrem præstat, equorum colorem silentio præterire, ac minime in eo mysterium scrutari.

ALBI

[1] Infra ℣. 6. *Equi varii egressi sunt in terram austri.* [2] Dan. x. 13. 20. 21. xii. 1.
[3] Act. xxi. 9. *Vir Macedo quidam erat stans,* &c. Apoc. 1. 20. 11. 1. & sequ.

ALII EGRESSI SUNT POST EOS. Græcorum Imperium, ab Alexandro Magno conditum, Persico statim successit. Neque propria Alexandri fuit sævitia, sed clementia potius ac misericordia. Siquid crudeliter gessit, id ortum est ex ebrietate, quæ iras acuit, atque aerem naturam impulit. Hujus benevolentiam experti sunt Judæi. Hostium calamitates flevit Alexander; unaque belli causa fuit Alexandro gloria.

VARII EGRESSI SUNT AD TERRAM AUSTRI. Ptolemæorum seu Lagidarum gens, quæ Imperium Ægyptium condidit, ac vetus gentilium Regnum delevit, ita ut ab ea ætate Regibus alieni generis Ægyptus paruerit; ea, inquam, gens, varii coloris equis aptissime significatur. Boni enim & mali ex iis fuere; alii modestiam, alii sævitiam sectati: misto semper virtutibus vitio, virtutibus semper vitio inferioribus. Hue primæ quartarum quadrigarum bigæ perrexerunt.

Ỳ. 7. QUI AUTEM ERANT ROBUSTISSIMI, EXIERUNT; ET QUÆREBANT IRE, ET DISCURRERE PER OMNEM TERRAM. Hi pars sunt curulis instructus e quarta quadrigia; ac Seleucidas fortasse designant, qui Syriæ Regnum ac superiores Provincias obtinuere; Ciliciam nimirum, ac Provincias trans Euphratem. Regum hujus Imperii superbia, præsertim Magni Antiochi, ac ditionis amplitudo, verborum hujus loci fidem satis explent, optare scilicet illos ire, universamque terram peragrare. Peragravere scilicet illi, malaque innumera populis bene multis intulere, cum illos assiduis pene bellis vexaverint. Septuaginta (4) pro *equis robustissimis* reddunt equos *varii coloris*, hic, & Ỳ. 3.

Ỳ. 8. REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM IN TERRA AQUILONIS: Iram meam, qua in terram aquilonis exarsi, penitus explevere. Nabopolassar & Cyrus Dei vindictam jam exercuerant; in Assyrios ille, hic in Chaldæos. Mox venturus erat Magnus Alexander, eodem modo in Persas tunc regnantes animadversurus.

Ỳ. 11. FACIES CORONAS, ET PONES IN CAPITE JESU. Ii quos alloquitur Zacharias, quique paulo ante Babylone redierant, attulerant aurum, Templo dedicandum. Quo ex auro jubet Deus confici coronas Jesu Sacerdoti Magno & Zorobabeli, ut innuit Ỳ. 13. *Ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur in solio suo.*

Ỳ. 12. ECCE VIR; ORIENS NOMEN EJUS; ET SUBTER EUM ORIETUR; ET ÆDIFICABIT TEMPLUM DOMINO. Hebræus (5): *Ecce vir: germen nomen ejus; subter se germinabit, & ædificabit Templum Domino.* Vix hæc leguntur, sponte statimque offertur menti Zorobabel, a Propheta sub Germinis ex se nascentis, vel germinis subter se provenientis, appellatione designatus. Revera enim familiæ Davidis surculus, spes & germen erat Zorobabel, quem elegit Deus, ut sibi Templum ædificaret (6). Hæc sunt quæ ad literam & historiam pertinent; atque his fortasse majora populus non intellexit. At primum Prophetæ propositum multo sublimius fuit, Messias nempe, cujus umbra & imago erat Zorobabel. Vide quæ diximus supra iii. 8. *Germen ex se*, vel *subter se germinans* vere usurpari nonnisi de Jesu Christo potest, qui humana in nativitate nihil ab homine mutuatus, ex Virgine labis nescia oritur, uti surculus e radice: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Isa. XI. 1.

Ỳ. 13. IPSE PORTABIT GLORIAM, ET SEDEBIT. Alteram e coronis, quas ipse conflaturus es, feret (7), atque in solio sedebit, ceu Princeps Juda, & Caput populi e captivitate reversi. Septuaginta (8): *Ipse accipiet virtutem, & sedebit.*

Ỳ. 14. CORONÆ ERUNT HELEM, ET TOBIÆ, utriusque hujus viri nomine consecratæ in Templo, ceu monumentum. Quamvis coronæ hujusmodi capiti Magni Sacerdotis Jesu & Zorobabelis imponantur, ipsis non relinquentur; sed in Templo consecrabuntur, ceu monumenta pietatis illorum, qui aurum, ex quo constant, obtulere. Legimus in Machabæis (9) aureas coronas in Templo dedicatas, *Helem & Tobiæ filii Sophoniæ.* Facile credo filios extitisse Sophoniæ II. Sacerdotis ex Maasia parente nati, quique a Nabuchodonosore in Reblata interfectus est.

Ỳ. 15. ET QUI PROCUL SUNT, VENIENT, ut sociam opem conferant ad Templi restaurationem. Revera Judæi etiam remotissimi, ubi Templum iterum surgere intellexere, in patriam reversi sunt, vel saltem miserunt munera ad sanctissimam Domum, quo omnes illorum spes collineabant. Ajunt Judæi (10), Ananiam, Azariam & Misaelem, Danielis socios, eo cum aliis pluribus convenisse. Neque ullus dubio est locus, quin regnante Dario Hystaspis filio Judæi quamplures in patriam redierint. Mira celeritas, qua restitutum est Templum, argumento est, quam ingens fuerit ædificantium studium, solertia, & numerus. Quatuor dumtaxat annis hoc artis prodigium stetit (11), quod annis septem Salomon innumera hominum multitudine, atque incredibili impensa condidit.

(4) Καὶ ψαροὶ ἐξεπορεύοντο. Heb. והאמצים Aqu. Καρτεροί, vel Κραταιοί. (5) הנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח ובנה את היכל יהוה (6) Vide Theodoret. & Hieronym. hic. (7) Supra Ỳ. 11.
(8) Αὐτὸς λήψεται ἀρετὴν, καὶ καθιεῖται, &c. Hebr. והוא ישא הוד (9) 1. Macch. 1. 23. IV. 57.
(10) Hieronym. hic. (11) 1. Esdr. VI. 15. cum Agg. 1. 1. & 1. Esdr. V. 1.

CAPUT VII.

Sarasar & Rogommelech Jerosolymam missi. Judæorum jejunia per captivitatem inutilia, Deoque injucunda, ob populi flagitia. Veri jejunii conditio. Mina in Judæos, pietatem non colentes.

Ỳ. 1. ET factum est in anno quarto Darii regis, & factum est verbum Domini
ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. 2. Et miserunt
ad domum Dei, Sarasar, & Rogommelech, & viri, qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini. 3. Ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, & prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me
debeo, sicut jam feci multis annis? 4. Et factum est verbum Domini exercituum
ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens:
Cum

Cum jejunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos: numquid jejunium jejunastis mihi? 6. Et cum comedistis, & bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? 7. Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, & esset opulenta, ipsa, & urbes in circuitu ejus, & ad Austrum, & in campestribus habitaretur? 8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: 9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, & misericordiam, & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. 10. Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. 11. Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt, ne audirent. 12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: & facta est indignatio magna a Domino exercituum. 13. Et factum est, sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum. 14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens, & revertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

℣. 1. IN ANNO QUARTO DARII, Mundi 3487. secundo post admotam manum Templi restaurationi. Mensis Casleu cum Novembri & Decembri, ex varia Lunationum ratione, congruit.

℣. 2. MISERUNT AD DOMUM DEI SARASAR ET ROGOMMELECH, ex Magno Sacerdote sciscitaturos, utrum servanda essent jejunia, post Templi excidium instituta. Judæi, ætate S. Hieronymi, censebant, hosce viros ad Dei Domum missos, Persas fuisse, Darii Regis Ministros, Dei cultores, qui religionem Judæorum apud se viventium ex parte servarent. Putat Theodoretus, Principes fuisse Cuthæorum, seu Samaritanorum; seu denique aliorum quorumdam advenarum, in Palæstina commorantium. Volunt Sanctius, Menochius & Grotius, fuisse Judæos in Judæa dispersos, & procul ab Jerosolymis habitantes, quorum duces essent Sarasar & Rogommelech. Nobis tamen videntur Babylone missi, vel saltem ex aliquo Babyloniæ loco, ubi Sarasar & Rogommelech alicui hominum multitudini præessent. Judæi certe in Judæa versantes neminem mitterent, ut Sacerdotum responsa ea de re intelligerent. Hi quippe in eadem regione viventes, ter quotannis in Templum conveniebant, neque Sacerdotum usus aut sententiam ignorabant. Adde, quod Zachariæ responsio ad advenas hominesque ab Euphrate profectos spectare videtur (1): *Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi?* Quæ verba illud significare videntur, hos ab annis septuaginta Babylone jejunia celebrasse. Magna procul dubio Judæorum multitudo, post Cyrum etiam & Darium Babylone stetit. Septuaginta (2): *Et misit in Bethel Sarasar, & Rogom Rex.* Reddi potest Hebræus (3): *Missi sunt ad Domum Dei Sarasar & Rogommelech.*

℣. 3. NUMQUID FLENDUM EST MIHI IN QUINTO MENSE? Jejunium & luctus, eo mense celebrata, instituta sunt ob Templi incendium, decima die mensis quinti a Chaldæis cremati (4). Jejunium vero mensis septimi, de quo ℣. 5. die tertia ejus mensis servabatur, in memoriam necis Godoliæ, ac dispersionis reliquiarum populi, quæ cum eo remanserant (5).

℣. 5. PER HOS SEPTUAGINTA ANNOS. Ab expugnatione Jerosolymæ, Templi excidio, & nece Godoliæ, quæ uno eodemque anno contigere (6), usque ad annum Darii quartum (7), annos septuaginta computamus.

NUMQUID JEJUNIUM JEJUNASTIS MIHI? An me jubente, mihique obtemperaturi, daturique debitas justitiæ meæ pœnas, aut profanati exustique Templi gloriam & decus reparaturi? Nonne potius, ut ingeniis vestris morem gereretis, fleretisque amissam urbem, opes, libertatem, locum, quem vos humano prorsus amore prosequebamini, vestri ipsorum commodi & superbiæ causa? Postulatis ex æquo non respondet Zacharias, neque servanda esse jejunia aut asserit, aut negat: satis tamen dicit, ut intelligant, minimi a Deo jejunium fieri, charitate & amore justitiæ destitutum; has a Deo virtutes postulari; at exteriora dumtaxat opera sperni. Utrum Prophetæ sententiam probe tenuerint Judæi, & jejunia sua sanctiora effecerint charitatis & justitiæ exercitio, ignoro: at quinti & septimi mensis jejunia in hanc usque diem coluere, tametsi Propheta dixerit sequenti Capite ℣. 19. hos jejuniorum dies in festos lætosque fore convertendos.

℣. 7. NUMQUID NON HÆC SUNT VERBA, QUÆ LOCUTUS EST DOMINUS IN MANU PROPHETARUM? Annon eadem exprobrare vobis debeo, quæ veteres olim Prophetæ vobis objecere? Nonne iidem semper estis? studiosissimi eorum operum, quæ solius corporis sunt, neglectis iis, quæ a veris animi virtutibus proficiscuntur. Exteriorem speciem & corpus curantes, animum & mentem Legis negligitis. Cur postulatis, utrum servanda sint jejunia nec ne? Quæ prisci Prophetæ prædicaverunt, audite: Juste agite, charitatem erga fratres exercete; deinde, si lubet, jejunia servate. At si jejunatis, utilia efficite jejunia, Denque jucunda, justitiæ & charitatis exercitio (8). Spectat hic luculentissime locum Isaiæ LVIII, 3. &c. ubi is vitia enumerat, quibus Judæorum jejunia inquinabantur.

CUM HABITARETUR AD AUSTRUM, ET IN CAMPESTRIBUS. Deserta penitus squaluere hæc loca in ultima populi captivitate; eaque Idumæi occupaverunt. Urbium meridianarum partem Judæi nunquam recuperavere; at deinde planities *Sephela* iterum populis & cultoribus lætissime floruit.

℣. 11. AVERTERUNT SCAPULAM RECEDENTEM. Datis mihi humeris, recesserunt. Latini Codices nonnulli ferunt (9): *Verterunt scapulam, &c.* Alii (10): *Averterunt scapulam recedentes.* Septuag. (11): *De-*

(1) Zach. VII. 5. (2) Καὶ ἐξαπέστειλεν εἰς Βαιθὴλ Σαρασὰρ, Ῥογὸμ ὁ βασιλεύς. (3) וישלח ביתאל שראצר ורגם מלך (4) Jerem. LII. 13. cum XXXIX. 8. (5) Jerem. XLI. 1. 2. 3. & 4. Reg. XXV. 25. (6) Usser. ad an. M. 3416. (7) Idem ad an. M. 3487. (8) Vide Isai. LVIII. 3. 4. 5. Jerem. XIV. 12. Joel. II. 12. (9) Vide nov. edit. Hieron. (10) Sixti V. & Edit. Polyglott. Antuerp. (11) Septuag. Ἔδωκαν νῶτον παραφρονοῦντα.

Dederunt dorsum contemnens, plagas minimi faciens, ceu servi disciplinæ impatientes, quos virga meliores non facit (12). Hebræus ad verbum (13): *Dederunt humerum recedentem*; quemadmodum iis qui humerum oneri supponit, ac deinde subducit, sociumque pondere opprimi sinit.

℣. 12. COR SUUM POSUERUNT UT ADAMANTEM. Hebræus (14): *Cor suum posuerunt samir*. Samir seu *Samiris*, lapidis genus est durissimi, quo gemmæ expoliuntur (15). Septuaginta (16): *Cor suum posuerunt inobediens*.

℣. 13. SIC CLAMABUNT, ET NON EXAUDIAM. Aptius verti videtur in præterito; *Sic clamaverunt, & non exaudivi, & dispersi eos per omnia regna, &c.* Ita interpretantur Theodoretus, S. Cyrillus Alexandrinus, Grotius, Drusius, aliique.

(12) Theodoret. hic. (13) ויתנו כתף סררת (14) ולבם שמו שמיר (15) Vide Jerem. xvii. 1. Ezech. iii. 9. (16) Septuag. *Τὴν καρδίαν αὐτῶν ἔταξαν ἀπειθῆ.*



CAPUT VIII.

Eversa flagitiorum causa Jerosolyma, ob ipsius fidem & justitiam restauratur. Judæis benedicent populi. Alienæ gentes jungentur Judæis, ut Dominum Jerosolymis quærant.

℣. 1. ET factum est verbum Domini exercituum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus
exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus
sum eam. 3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, & habitabo
in medio Jerusalem: & vocabitur Jerusalem civitas veritatis, & mons Domini exer-
cituum mons sanctificatus. 4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt se-
nes, & anus in plateis Jerusalem: & viri baculus in manu ejus præ multitudine die-
rum. 5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in pla-
teis ejus. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquia-
rum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Domi-
nus exercituum? 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum
meum de terra Orientis, & de terra Occasus solis. 8. Et adducam eos, & habita-
bunt in medio Jerusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in
veritate, & in justitia. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus ve-
stræ, qui auditis in his diebus sermones istos, per os prophetarum, in die, qua fun-
data est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. 10. Siquidem ante
dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat; neque introeun-
ti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines, unumquem-
que contra proximum suum. 11. Nunc autem non juxta dies priores ego faciam
reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum, 12. Sed semen pacis erit: vi-
nea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum:
& possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. 13. Et erit: sicut eratis
maledictio in Gentibus, domus Juda, & domus Israel: sic salvabo vos, & eritis be-
nedictio: nolite timere: confortentur manus vestræ. 14. Quia hæc dicit Dominus
exercituum: Sicut cogitavi, ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent pa-
tres vestri me, dicit Dominus, 15. Et non sum misertus: sic conversus cogitavi in
diebus istis, ut benefaciam domui Juda, & Jerusalem: nolite timere. 16. Hæc sunt
ergo verba, quæ facietis: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veri-
tatem, & judicium pacis judicate in portis vestris. 17. Et unusquisque malum con-
tra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: & juramentum mendax ne diliga-
tis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. 18. Et factum est verbum
Domini exercituum ad me, dicens: 19. Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium
quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda
in gaudium, & lætitiam, in solemnitates præclaras: veritatem tantum, & pacem di-
ligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum: Usquequo veniant populi, & habitent
in civitatibus multis, 21. Et vadant habitatores, unus ad alterum dicentes: Ea-
mus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam
etiam ego. 22. Et venient populi multi, & gentes robustæ, ad quærendum Do-
minum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit
Dominus exercituum: in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex
omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus
vobiscum: audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est.

℣. 1. Ze-

℣. 2. ZELATUS SUM SION ZELO MAGNO. Sionem amavi, uti sponsus uxorem (1). Violatam ab ea fidem ita severa punii, uti spretus amor meus postulabat. Tametsi vero illius flagitia & contemptum ita graviter tuli, iterum excitabitur amor meus, meaque erga illam benevolentia resurget, ubi illa vetus vivendi institutum reliquerit, atque ad me reversa fuerit: rursus excipiam, ac favore, ut olim, prosequar: *Reversus sum ad Sion, & habitabo in medio Jerusalem*. Pergit oratio, superiori Capite incepta, ubi de Saraſaro & Rogommelecho actum est.

℣. 3. CIVITAS VERITATIS, fidelis civitas, sponsa flagitio carens. Futura non est deinceps urbs illa derelicta, stuprata, destituta: nulla in posterum erunt Jerosolymis Idola, nullaque superstitio, aut extranea religio: unus ibi amabitur & agnoscetur Deus. Rei hujus imago in Judæa exhibita est, post reditum e captivitate, Judaica gens minoribus, quam olim, flagitiis ac superstitionibus implicata est. Hæc tamen fidelis civitas proprie atque ad verbum est Jesu Christi Ecclesia, ubi pudica invenitur sponsa, rugis carens; populus pacis & veritatis amans.

℣. 7. DE TERRA ORIENTIS, ET DE TERRA OCCASUS SOLIS. Populum meum in omnes terrarum plagas dissipatum Jerosolymam reducam; tum eos qui in Provinciis orientis & Asiæ sunt, tum eos qui ad occasum, in insulis, transque maria incolunt. Promissionibus hisce Christiana potissimum Ecclesia spectatur.

℣. 8. IN VERITATE ET IN JUSTITIA. Quæ illis pollicitus sum, sancte præstabo: illos in æquitate moderabor, rectissimumque jus illis reddam. Pater illis & Judex ero; si tamen integram illi erga me fidem servaverint, vitamque in æquitate instituerint.

℣. 9. IN DIE QUO FUNDATA EST DOMUS DOMINI. Duobus annis antea inceperat, cum hæc Prophetæ oratio ad annum Darii quartum pertineat. Eo tempore cœpit Deus proferre Prophetas, & magna populo commoda polliceri. Hactenus quidem illos non penitus destituerat; nihil tamen illis pro voto succedebat, inutilisque illis erat hominum & animalium labor. Vide ℣. 10. & confer Aggæum II. 16. 17. 18.

℣. 10. DIMISI OMNES HOMINES UNUMQUEMQUE CONTRA PROXIMUM SUUM. Nulla olim pace fruamini; ubique seditiones, jurgia, lites. Domesticis hisce malis externa accedebant, hostium undique exagitantium invidia & odiis parta (2).

℣. 12. SEMEN PACIS ERIT. Vel: *Gens erit pacifica*. Regionem universam pax obtinebit. Septuaginta (3): *Ostendam patem*.

℣. 13. SICUT ERATIS MALEDICTIO IN GENTIBUS . . . SIC ERITIS BENEDICTIO. Iidem illi, qui vos execrati sunt, deinceps laudabunt. Pro querelis dirisque, quas per Prophetas meos nunciari vobis jussi, bona erga vos verba undique personabunt. Vel: Cum olim ceu miserrimæ gentis exempla produceremini, & male imprecando usurpari soleret: Similis fias Israelitis; contrario sensu in posterum dicetur: Te beneficiis cumulet Deus, veluti Israelitas.

℣. 15. ET NON SUM MISERATUS. Septuaginta (4): *Nec me pœnituit*. Severissime vos punii, neque me aut pœnitentia aut misericordia coercuerunt.

℣. 16. VERITATEM ET JUDICIUM PACIS. Judicia vestra pacem atque inter jurgantes concordiam restituant. Judices æquissimi estote, atque optimi pacis sequestres. Reddi potest Hebræus (5): Sententiam ferte *ex veritate*, habita nullius ratione, *& judicia integritatis* plena *facite*. Eadem Hebraica vox, quæ *pacem* significat, sonat etiam, aliorum sententia, pronunciationem, perfectionem, integritatem.

℣. 17. MALUM CONTRA AMICUM SUUM NE COGITATIS; vel contra proximum; id enim vere sonat hoc loco amici nomen. Docuit Christus Lucæ x. 27. 36. omnes penitus homines, ipsosque inimicos, proximos nobis esse, eosque ita amandos, uti nos ipsi amamus. Damnat hic Propheta non ea modo quæ male adversus alios fiunt, sed mala etiam molimina, malamque voluntatem: *Malum ne cogitetis in cordibus vestris*.

℣. 19. JEJUNIUM QUARTI, ET JEJUNIUM QUINTI, ET JEJUNIUM SEPTIMI, ET JEJUNIUM DECIMI, ERIT DOMUI JUDA IN GAUDIUM. Quatuor hæc jejunia celebrata fuerant a captivitate usque ad eam ætatem; eaque adhuc servant Judæi (6); primum decima die mensis decimi, ob Jerosolymæ obsidionem a Nabuchodonosore inceptam; alterum die decima septima quarti mensis, qua die aperta sunt mœnia Jerosolymæ; tertium, nona vel decima die mensis quinti, qua die urbs expugnata est; (capta est urbs die decimo; at Judæi diem nonum jejunio celebrant) quartum, in memoriam necis Godoliæ, tertio die mensis septimi habebatur, teste Judæorum Calendario.

S. Hieronymus (7) causas horum jejuniorum numerat aliter atque diximus; cumque ex opinione Hebræorum ætatis suæ loquatur, conjectare licet, vel ignotas tunc fuisse jejuniorum causas, vel servari tunc minime consuevisse. *Quarti mensis jejunium*, inquit, *die septima & decima ejusdem mensis illud arbitrantur, quando Moyses, descendens de monte Sina, tabulas legis abjecerit atque confregerit, ac juxta Jeremiam muri primum fracti sunt Civitatis. In quinto mense, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt montem non ascendere: sed per quadraginta annos longis ad terram sanctam circuire dispendiis, ut omnes in solitudine caderent. In hoc mense & a Nabuchodonosore, & multa post sæcula a Tito & Vespasiano Templum Jerosolymis incensum est atque destructum. In septimo, occisus est Godolias, & Judæ Tribus ac Jerusalem reliquiæ dissipatæ. Mense decimo Ezechiel in captivitate positus audivit, & cunctus populus captivorum, quinto mense Templum esse subversum.* Ægre probabunt Judæi, quæ hic asserunt. At nostrum non est quisquilias hasce sectari.

℣. 22. VENIENT POPULI MULTI. Post captivitatem Babylonicam, ingens e quibuslibet populis proselytorum multitudu inter Judæos fuit, quorum alii Religionam Judaicam amplectebantur, alii Legis naturæ præcepta servabant. Teste Estheris Libro (8), Ethnici quamplures, Judæorum fortunas intuiti, ad illorum Religionem & sacra transierunt. Jesu Christi ætate, magnus Proselytorum numerus Judæam ceterasque provincias occupabat. Arguit Pharisæos Christus Matt. 23. 15. quod terras & maria percurrant, ut Proselytum unum faciant. Proselytos ex qualibet gente videmus in Actis Apostolorum II. 11. Hæc tamen minime satis implent id quod Propheta de advenis undique Jerosolymam confluentibus, Dominumque studiosissime quærentibus tradit. Veniendum est ad Ecclesiam Christianam, ut plane absoluta Divinarum promissionum fides spectetur.

℣. 23. APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI JUDÆI; cujusmodi fimbriis jubet Moyses angulos palliorum ab Hebræis ornari, ut a ceteris populis secernantur. Vide *Num.* xv. 38. *Deut.* XXII. 12. *Matth.* IX. 20.

(1) Vide Ezech. XVI. & Osee II. (2) Vide 1. Esdr. IV. (3) Δείξω εἰρήνην. Legunt ירוע השלום pro זרע השלום (4) Septuag. Καὶ οὐ μετενόησα. Hebr. ולא נחמתי (5) אמת ומשפט שלום שפטו (6) Vide Buxtorfium, Synag. Jud. c. 25. & Usser. ad an. 3414. 3416. & 3417. & Basnage, hist. de Juifs, liv. 5. ch. 16. art. 2. (7) Hieron. hic, Haimo, Rupert. Hugo, Dionys. (8) Esth. VIII. 17. *In tantum ut plures alterius gentis, & sectæ, eorum religioni, & ceremoniis jungerentur.*

CAPUT IX.

Vaticinium in Syriam & regionem Philisthinorum. Rex Sionis Jerosolymam venit asina vectus. Judam & Ephraimum Deus viribus instruet in Græcos, populumque suum beneficiis cumulabit.

Ỹ. 1. ONus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requiei ejus: quia Do-
mini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel. 2. Emath quoque
in terminis ejus, & Tyrus, & Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.
3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum,
& aurum ut lutum platearum. 4. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in
mari fortitudinem ejus, & hæc igni devorabitur. 5. Videbit Ascalon, & timebit:
& Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniam confusa est spes ejus: & peribit rex
de Gaza, & Ascalon non habitabitur. 6. Et sedebit separator in Azoto, & disper-
dam superbiam Philistinorum. 7. Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, & abo-
minationes ejus de medio dentium ejus, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, &
erit quasi dux in Juda, & Accaron quasi Jebusæus. 8. Et circumdabo domum meam
ex his, qui militant mihi euntes, & revertentes, & non transibit super eos ultra exa-
ctor: quia nunc vidi in oculis meis. 9. Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusa-
lem: ECCE REX TUUS veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens
super asinam, & super pullum filium asinæ. 10. Et disperdam quadrigam ex Eph-
raim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Genti-
bus, & potestas ejus a mari usque ad fines terræ. 11. Tu quoque in sanguine te-
stamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 12. Convertimini
ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. 13.
Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim: & suscitabo filios
tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladium fortium. 14. Et Do-
minus Deus super eos videbitur; & exibit ut fulgur jaculum ejus: & Dominus Deus
in tuba canet, & vadet in turbine Austri. 15. Dominus exercituum proteget eos:
& devorabunt, & subjicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quasi a vino,
& replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris. 16. Et salvabit eos Dominus
Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur su-
per terram ejus. 17. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi fru-
mentum electorum, & vinum germinans virgines?

Ỹ. 1. ONUS VERBI DOMINI IN TERRA HADRACH, ET DAMASCI REQUIEI EJUS. Caput hoc novum est vaticinium in Syriam & Philisthinos, Tyrum & Sidonem, a Magno Alexandro expugnandas. Tum verba facit Propheta de Messiæ adventu; ac denique de victoriis Macchabæorum in Græcos. Regionem Hadrach a Damasco non multum abfuisse necesse est, cum Damascus arx illius esset, præsidium & fiducia. Asserunt Rabbini, hujus nominis urbem prope Damascum fuisse; idque ita sese habere, jurat per Cœlum terramque Rabbi Joses, Damascenus (1). Apud Ptolemæum occurrit Adra urbs Arabiæ Petrææ in 69. $\frac{3}{4}$ gradu latitudinis & 31. $\frac{2}{3}$ gradu longitudinis. Apud eundem est urbs alia ejusdem nominis in Cælesyria in 68. $\frac{2}{3}$ gradu latitudinis & 32. $\frac{6}{7}$ longitudinis. Postremam hanc, utpote Damasco vicinam, a Zacharia designatam arbitror. A nostris nihilominus Geographis ea urbs ignoratur. Illam Theodoretus in Arabia collocat (2). *Atram* seu *Hatras* in Arabia deserta novimus, urbem olim satis celebrem, claramque obsidione Trajani, ipso copias ducente (3), & Severi Imperatoris (4). Ex hoc nomen ducebant Hatræi. Non longe hæc aberat a Damasco. In Arabes circa Antilibanum commorantes, cujus ad radicem Damascus jacebat, copias ipse duxit Magnus Alexander (5); eosque brevissimo tempore fractos ejecit, atque expugnavit; atque hac fortasse expeditione fidem explevit hujus vaticinii Zachariæ in regionem Hadrach.

Idem Damascum cepit, omnesque thesauros illuc a Dario Condomano congestos usurpavit. Neque hæc illi victoria magno stetit; quidam enim ex Regis Persarum Præfectis illam Parmenoni prodidit (6). Syri diuturna pace superbi, vires Alexandri primum spernebant, novumque hunc Imperatorem minime æstimabant (7). Brevi tamen experti sunt, quem Dominum ipsi haberent, & quam ingens discrimen intercederet inter Græcorum externorumque imperium & Persarum, dicere.

Ỹ. 2. EMATH QUOQUE IN TERMINIS EJUS. Alexander Magnus, fracto ad Issum in angustiis Syriam inter & Ciliciam Dario, Syriam ingressus, univer-

(1) Vide Drus. & Menoch. hic. (2) Theodoret. hic: Ἀδρὰχ ἐν πόλει ἐςὶ τῆς Ἀραβίας.
(3) Xiphilin. ex Dione, & Dion. (4) Herodian. lib. 3. cap. 9. Zonar. p. 216. Vide Cellar. lib. 3. c. 15. ad finem. (5) Curt. lib. 4. cap. 8. Arrian. Plutar. Polyæn. lib. 4. Stratagem. (6) Plutarch. in Alex. Curt. lib. 3. (7) Arrian. lib. 2. Curt. lib. 4. cap. 1.

versam sibi subjecit (8). Reges multi, Regiis insignibus ornati, illi obviam venere, ut sese ultro submitterent. Præfecto Cœlesyriæ Parmenone, Syriæ oras deinde percurrit, obvias subinde civitates expugnans. Emath eadem est Emesa, inter urbes totius Provinciæ nobilissimas.

TYRUS ET SIDON. Capta Tyro a Nabuchodonosore, qua de re fuse actum est in Ezechielem (9), ea urbs post annorum septuaginta oblivionem, ex Isaiæ vaticinio c. 23. 16. iterum e ruinis emerserat, quemadmodum Sidon. Munitissimo insulæ situ secura, inexpugnabilis habebatur. Mercimoniis ultro citroque delatis, navigatione situque opportunissimo, immensas plane divitias sibi comparaverat. *Ædificavit Tyrus munitionem suam*, inquit Zacharias 9. 3. *& coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum*. Tyriorum Sidoniorumque solertia, ars, & sapientia commendabatur: *Assumpserunt quippe sibi sapientiam valde*. Ingresso Palæstinam Alexandro, Sidon sponte seu vi sese illi subjicit. Excepisse dicitur Alexandrum Persicæ tyrannidis odio. At vim omnem non abfuisse, satis illud argumento est, quod Alexander, pulso e Regno Stratone, tum temporis imperante, Abdalonymum, sive Ballonymum creavit (10).

Acrius pugnavit Tyrus (11). Castrametatus est Alexander in agro, e regione insulæ & urbis posito; atque ad illum Tyrii aureum diadema, & munera exercitui. Dona & Legatos humanissime excipiens Alexander, ait, sibi illud maximopere in votis esse, ut urbem ingrederetur, Herculi vota facturus. At respondentibus Tyriis, alterum Herculis Templum in vetere Tyro esse, ubi is religionem explere posset: intelligens Alexander id eos causari, ut sese ab ingressu Tyri prohiberent, iratus urbem penitus perdere decrevit. Quamobrem copias urbi admovens, obsidionem instituit, atque aggere insulam cum continente conjunxit. Nulla illi santi stetit obsidio, septem nimirum mensibus producta. Tyriis denique usque ad extremum pugnantibus, denique urbs vi capta est, authoribus Dioduro siculo, Quinto Curtio, & Arriano. Cives universi gladio cæsi, præter bis millenos, quos in maris litore suspendi jussit Alexander. Captivæ & venumdatæ mulieres ac pueri, urbs cremata; servato dumtaxat Herculis Templo: *Et hæc igni devorabitur*, ait hic Zacharias ℣. 4. *Triremes omnes ante ipsa mœnia Rex* [Alexander] *demersit* (12). Idque Zacharias iis verbis innuit cap. 9. 4. *Percutiet in mari fortitudinem ejus*.

℣. 5. VIDEBIT ASCALON, ET TIMEBIT. In regione Philisthinorum sita erat Ascalon, non longe a Tyro; qua cadente, cæteræ ejus regionis urbes spem abjecere futurum ut Alexandro resisterent. Hic igitur statim eo progressus, urbes omnes in deditionem accepit (13), præter Gazam, quæ portas victori clausit. Antequam copias ad Gazam duceret, Jerosolymam profectus est Alexander, ab Jaddu Pontifice exceptus, uti narrat Josephus lib. XI. Antiq. cap. ult. Nihil de Ascalone tradunt Historici; at eversam fuisse ab Alexandro testatur Zacharias; *Ascalon non habitabitur*.

PERIBIT REX DE GAZA. Relicta Jerosolyma, Alexander Ægyptum versus profectus, Gazam venit, a Persico Præfecto & præsidio occupatam. Nomen Præfecto *Bati*, ex Q. Curtio & Arriano, *Bamemese*, ex Josepho. Duos menses producta est obsidio, ibique duplici vulnere affectus est Alexander, & exercitus non modicos labores tulit (14): at capta urbe satis ulti sunt, cæsis militibus civibusque, ac venumdatis fœminis & pueris. Alexander Batim, trajecto per talos fune, & ad currum alligato, rapi per urbem jussit. Tum homines ex finitimis colligens, novam in urbe coloniam sibi fidelem statuit; Gaza uti volens ceu arce, in expeditionibus quas moliebatur (15). Neque desunt, qui urbem alio in loco illum condidisse scribant.

℣. 6. SEDEBIT SEPARATOR [advena] IN AZOTO (16): *Et sedebit Mamzer in Azoto*. Sunt (17) qui *Mamzer*, scilicet spurium, Alexandrum Magnum interpretentur, qui se Jove satum esse gloriabatur (18), cujus genus incertum fuit, quemadmodum & suspecta Olympiadis matris pudicitia. Ajunt, fassam esse Olympiadem, sese illum ex Nectabano, qui formam Jovis simulaverat, concepisse. Illum alii ex angue genitum fabulati sunt. Ipse etiam Alexander non Philippum, sed Jovem Ammonem sibi patrem esse dictitabat. Quin & Olympias mater, querens, Alexandrum nullum finem facere ipsam apud Junonem accusandi (19), luculentam satis de filii natalibus suspicionem faciebat. Denique ea quæ supra dicta sunt de Alexandri Magni victoriis, ab his quæ hic dicuntur, sejungi non posse videntur. At spretis vulgi fabulis, & Alexandri gloriationibus, qui sese hominis filium esse probri loco ducebat, cum peritissimis Interpretibus (20) dicendum est, spurios hosce, vel advenas, in Azoto habitantes, Judæos esse, vel populos aliunde collectos, ac genere a Philisthinis alieno, quorum colonias Alexander in Philisthinorum urbes misit, quemadmodum in urbem Gazam misisse diximus. Hæ advenarum coloniæ, quæcumque demum illæ fuerint, *Mamzerim* omnino, quoad Philisthinos urbesque illis traditas, erant. Proximis statim versiculis eo ducimur, ut hæc verba intelligamus de Judæis, qui Macchabæorum ætate urbes Philisthinorum occupavere.

℣. 7. AUFERAM SANGUINEM EJUS DE ORE EJUS: victimas inanibus Diis in posterum non mactabit; sanguinem non bibet, neque crudas cruentasque carnes comedet: vel, hostium suorum cruore non pascetur. Singulis hisce explicationibus sua sunt argumenta. Interdum Ethnici crudas adhuc victimas vorabant (21). Horrori erant Hebræis ii, qui carnes cum sanguine comederent. Id porro conceptis verbis Lege vetitum erat (22). Cum urbes hic recensitas tenuerint Hebræi, Domini Legem servabunt Philisthini. Nulla deinceps inter ipsos superstitio futura est aut sævitia.

ERIT QUASI DUX IN JUDA, ET ACCARON QUASI JEBUSÆUS. Vel (23): *Et erit Azotus quasi dux millium in Juda, & Accaron quasi Jebusæus*. Judæi a Philisthinis, Philisthini ab Judæis non secernentur. Azotus & Accaron futuræ sunt ut reliquæ urbes Juda, atque ut ipsa Jerosolyma. Unum erit Imperium, una Respublica. Lege apud Macchabæos (24) victorias, quas Judas ejusque fratres de Philisthinis retulere, & authoritatem, quam in eas gentes exercuere Judæi. Satis compertum est, Jebusæos olim tenuisse Jerosolymam, pulsos deinde a Davide. Quin & ea urbs olim Jebus appellabatur. Superati sunt Jebusæi, legemque a victore accepisse videntur. Areunam Jebusæum, ad Judæorum sacra conversum, interque Hebræos habitantem, legimus in 2. Libro Reg. c. 24. 16.

℣. 8. CIRCUMDABO DOMUM MEAM EX HIS QUI MILITANT MIHI; Macchabæis, qui Dei Templum adversus Antiochum Epiphanem tutati sunt, ac pro muro æneo circa Templum ac Sanctuarium fuere.

(8) Justin. lib. XI. cap. 10. (9) Ezech. XXVI. XXVII. XXVIII. (10) Vide Arrian. lib. 2. Curt. lib. 4. Justin. lib. XI. (11) Vide Usser. ad an. 3672. (12) Q. Curt. lib. 4. (13) Arrian lib. 2. Q. Curt. lib. 4. (14) Vide Curt. lib. 4. Diodor. Olym. 112. an. 1. Joseph. Antiq. lib. XI. ult. (15) Arrian. lib. 2. ad finem. (16) וישב ממזר באשדוד (17) Vide Lyr. Dionys. Menoch. Tyr. (18) Justin. lib. XI. Plut. in Alex. alii. (19) Plutarch. in Alex. (20) Ita Chald. Grot. Drus. (21) Vide nos in Genes. IX. 4. (22) Levit. VII. 26. XVII. 11. 14. (23) והיה כאלוף ביהודה ועקרון כיבוסי (24) 1. Macc. V. 26. 68. 2. 78. 79. & seq. XI. 4. & seq. & Joseph. Antiq. lib. XII. c. 12.

re. Aliter, ex Hebræo (25): *Dabo circa Domum meam, ut defendatur ab exercitibus, transeuntes & commorantes*, vel *transeuntes & redeuntes*. Pollicetur Deus, sese Templo suo futurum ceu exercitum circa Domum suam instructum, ut illam ab hostibus tueatur. Post Macchabæos, Templum suum tutatus est Deus; atque externorum injurias ab illo arcuit, donec post Jesu Christi necem, illud penitus dereliquit. Septuaginta (26): *Et supponam Domui meæ elevationem, ut nemo pertranseat neque revertatur*. Vel, ex alia legendi ratione: *Erigam Domui meæ coronam*; illam ceu muro circumdabo, &c.

Et non transibit super eos ultra exactor; quia nunc vidi in oculis meis; propitio illis animo illos intuitus sum; vel, meis ipse oculis vidi injurias injustasque vexationes, quas in populum meum illi exercuere. Obnoxii semper Regibus Ægypti vel Syriæ, & vectigales fuere Judæi, postquam Alexandri magni Imperium in partes divisum est. At excusso Syrorum jugo a Macchabæis, quieti liberique manserant, præsertim post Joannis Hircani Sacerdotium, qui ultimus Macchabæorum fuit, succedente Juda Aristobulo, qui Regis nomen usurpans, pacifico usus est regno.

℣. 9. Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Prædictis iis quæ eventura erant in Judæorum Regno, ab Alexandro Magno usque ad excussum penitus externorum jugum; id quod centesimo circiter anno ante Jesu Christi ortum contigit; pollicetur denique Propheta Regis Servatoris adventum, qui Judæorum spes & solatium erat. Iis porro illum notis designat, quæ uni ipsi conveniunt, & aperte adeo in Jesu Christo spectantur, ut falli non possent Judæi, nisi animi contumacia sese indignos reddidissent cœlesti eo lumine, quo opus erat, ut Divinum hunc Liberatorem & cognoscerent & amarent. Hæ vero notæ sunt nomina Regis, Justi, Servatoris, pauperis, alterumque humilitatis indicium, asina scilicet ac pullo asinæ vehi. Alteram hanc vaticinii partem plane expletam cernimus, quo tempore ingressus est Jerosolymam Christus (27); ac divina illius Persona exhibet quicquid magnum, divinum, magnificum & nobile est, junctum aptissime cum humilitate, lenitate, inopia, ærumnis, infirmitate, nulla prorsus pugna aut contrarietate. Una nimirum Religio Christiana contrarios adeo & oppositos fines conciliat.

Cæci semper Judæi, & erroris studiosi, cum extrema hæc minime conjungi posse arbitrentur, duplicem Messiam commenti sunt; alterum pauperem, humilem, ærumnosum; alterum gloria, victoriis, triumphis clarum. Alii unicum volunt; at de illius conditionibus disputant. Hi nobiles, micantes, gloriosas ipsi tribuunt; illi obscuras, humiles, miserrimas. His homo est dolorum, opprobriis satiatus; illis Rex Pacificus, victor, Dominator, universum orbem nominis sui gloria & terrore complens. Iidem isti Doctores asserunt, asinum, quo vehendus erat Messias, illum esse, qui Abrahamo sacrificium Isaaci parante, ligna tulit Gen. 22. 3.

℣. 10. Disperdam quadrigam ex Ephraim. Profundam adeo & tranquillam pacem vobis largiar, ut neque armis neque bellicis curribus indigeatis. Aiebat eodem sensu Michæas v. 10. 11. *Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas. Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas*. Isaias 2. 4. *Conflabunt populi gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur ultra ad prælium*.

Potestas ejus a mari usque ad mare. Hæc, quemadmodum & superiora, nonnisi de J. Christi Imperio proprie intelligi possunt. Septuaginta (28): *Dominabitur aquis a mari usque ad mare*. Vel, ex aliis Codicibus: *Dominabitur ab aquis usque ad mare*; a Mediterraneo usque ad Oceanum; ab altera Orbis plaga usque ad alteram.

℣. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, de cisterna, vel de subterraneo repositorio, ubi vinum oleumque servabatur. Id significat hic *lacus*. Hebraica vox *bor* cisternam significat, aquarum conceptaculum. Explicantur (29) hæc verba de Jesu Christo ad inferos descendente, unde is captivos eduxit, veteres Patriarchas, novi Fœderis vi, quod suo sanguine firmaverat. Hebræus, qualem nostra ætate legimus (30): *Tu quoque, o filia Sion, captivos tuos eduxi e fovea, in qua non erat aqua, in sanguine fœderis tui*. Scilicet, ex Chaldæo, aliisque Interpretibus: *Vos quoque, quibuscum in sanguine sancitum est pactum, redemi vos de subjectione Ægyptiorum*. Causa tamen est suspicionis, locum esse corruptum; Septuaginta enim ita legunt, uti S. Hieronymus; qui nullum lectionum discrimen apud veteres Interpretes animadvertit; id quod nunquam negligit, ubi varietas alicujus momenti contingat. Proximus huic versiculus innuit, posse etiam ad verbum de Babylonicæ captivitatis exitu, vel de Antiochi Epiphanis furiis explicari.

℣. 12. Convertimini ad munitionem, vincti spei, captivi spe destituti. Qui adhuc Babylone estis, & spem alitis futuram, ut meliores fulgeant dies, amicamque fortunam præstolamini, ut in urbes vestras redeatis, revertimini: duplicia eorum, quæ amisistis, vel quæ Babylone reliquistis, reddet Deus. Vel, relatis hisce verbis ad libertatem, quam Macchabæi comparavere Judæis, quo tempore Antiochus Epiphanes in Judæos sæviebat (31): *Et tu, Sion, ob sanguinem fœderis novi*, quod cum Domino Judas Macchabæus pepigit, restauratis in Templo sacrificiis, novaque Templi dedicatione, *eduxi vinctos tuos e fovea, in qua non erat aqua*. *Foveam* seu cisternam *aqua carentem* nuncupat eas ærumnas, quibus tunc populus opprimebatur. Idem alibi (32) Status cum morte, sepulcro ac nocte obscurissima comparatur. Reliquos qui omnem de Domino fiduciam non amiserant, hortatur, ut Jerosolymam & ad Templi arcem revertantur. Iisdem ferme verbis Judas Macchabæus monebat suos, ut ad Templum redirent (33): *Accendamus nunc mundare Sancta, & renovare*. Post eam ærumnarum procellam, reddidit Israeli Deus duplicia, quæ ille hactenus habuerat; *Hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi*; meliorem libertatem, imperium amplius, populum fideliorem, magisque absolutum regimen atque tranquillius.

℣. 13. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum; implevi Ephraim, quasi pharetram. Hæc S. Hieronymus, Theodoretus, atque alii plerique Interpretes de ætate Macchabæorum explicant, quos nimirum Deus arcu suo suisque telis instruxit, ut eorum opera superbiam atque impietatem Regis Syriæ coërceret. Id proxime statim a Propheta significatur: *Suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia*. Syri sub Græcorum appellatione designantur, quod tunc in Syria Seleucidæ, Græca gens, imperarent. *Implere*, cum de jacu-

---

[25] וחניתי לביתי מצבה מעבר ומשב [26] Καὶ ὑποστήσομαι τῷ οἴκῳ μου ἀνάστημα, τοῦ μὴ διαπορεύεσθαι, μηδὲ ἀνακάμπτειν μηδένα. Theodoret. & Edit. Rom. Ὑποστήσομαι στέφανον. [27] Matth. xxi. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, &c. Septuag. Πραΰς. Legunt ענו pro עני *Pauper*. [28] Septuag. apud Theodoret. Καὶ κατάρξει ὑδάτων θαλάσσης ἕως θαλάσσης. Edit. Complut. Καὶ κατάρξει ὑδάτων ἕως θαλάσσης. Heb. ומשלו מים עד ים
[29] Hieronym. Cyrill. Div. Thom. 3. parte quæst. 52. art. 5. Sanct. & Interp. Catholici passim.
[30] גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור אין מים בו [31] 1. Macch. iv. 42. 43. & sequ.
[32] Dan. xii. 2. [33] 1. Macch. iv. 36.

jaculando agitur, de arcu in circulum sinuato usurpatur. Utrum hæc vera fuerit apud Hebræos verbi *implere* significatio, incertum est; apud Latinos res dubio caret. Vegetius lib. 1. cap. 15. *Major adhibenda solertia, ut arcum scienter teneant, ut fortiter impleant, ut sinistra fixa sit, &c.* Quamobram reddendum esset: *Ephraim quasi arcus est, vi finnatus, &c.*

℣. 14. Dominus Deus super eos videbitur. Apud Macchabæos (34) legimus, non semel Deum sive Angelum in aere, sive in fronte exercitus Judæorum apparuisse, ut hostium copias terreret. Ita cum Judas Macchabæus Timotheum prælio aggressus est, equites quinque sese obtulere, undique micantes, quorum duo Judam armis protegebant, terrebantque hostes; tres cæteri ignem ac fulmina in hostes jaculabantur. Iterum Judas aureum ensem ab Jeramia per visum accepit, ut eo ense bella Domini gereret: *Accipe gladium sanctum munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel*. Nulla denique unquam bella aut expeditiones magis claruere prodigiis, quam quæ per ea tempora contigerunt. Parva hominum manus, fera inermium, maximos exercitus sæpissime cæciderunt; coercitisque Syriæ regum Syriæ viribus, oppressam denique Religionem, dejectamque Rempublicam in statum multo feliciorem, quam olim fuerat, restituerunt.

Vadet in turbine Austri. Domini, Macchabæis opem ferentis, apparatum nobilissima descriptione prosequitur Zacharias. Tela jaculatur, canit buccina, in hostem ruit; Nimirum: Fulgura accendit, fulmina jacit: En focos & tela, tonitru sonat: en buccinam; acerrimam procellam excitat, iis similem, quæ ab austro in Judæam inferuntur (35): ita in hostem ruit. Usitatæ Prophetis locutiones, ut extraordinaria Dei auxilia significent (36). Apud 1. Macch. x. 30. quinque Angeli, pro Juda in Timotheum pugnantes, *in adversarios tela & fulmina jaciebant; ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione, cadebant*.

℣. 15. Subjicient lapidibus fundæ. Nulla præter fundas arma erant Macchabæis in prioribus præliis, quibus adversus Syros pugnavere (37): *Tegumenta & gladios non habebant*. Funda Hebræis erat usitatissima, communisque & ipsis & ipsorum finitimis (38).

Bibentes inebriabuntur quasi a vino; et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. Cave hæc ad verbum explices. Sanguinem prorsus horrebant Judæi, ejusque usu a Lege districtius interdicabantur, quam ut illos imitatos credas gentium nonnullarum morem, quæ cruorem hostium bibebant. Cruoris esu prohibebantur, indicta mortis pœna Levit. 17. 10. *Homo si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo*. Hoc igitur solummodo vult Propheta, illos cruorem hostium fusuros, ceu leones qui sanguinem bibunt, eoque nutriuntur. Ebrii quodammodo cruore fient, ceu vino, quo omnis misericordiæ sensus iis auferetur. Illorum manus cruore hostium ita infi- cientur, uti pateræ sacrorum, quibus cruor victimarum excipitur, atque uti altaris cornua, super quæ idem cruor funditur Levit. 4. 25. & 16. 18. Hæc proverbium sapiunt,

℣. 16. Lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Explicari hæc possunt de altari holocaustorum, per Judam Macchabæum restituto. Teste Scriptura Macch. iv. 43. 47. eversum est vetus Altare, quod violaverant Græci, sepositique illius lapides, dum unus aliquis Propheta exoriens, quid de iis agendum esset, pronunciaret, novumque constructum e rudibus saxis, nondum profanatis, aut in alios usus adhibitis: *Ædificaverunt lapides integros, secundum Legem, & ædificaverunt altare novum*. Hebræus (39): *Quia lapides sancti erecti sunt*, vel sepositi, seu consecrati, *super terram ejus*. Septuaginta (40) *Quia lapides sancti volutati sunt super terram ejus*. Alii reddunt Hebræum: *Lapides coronæ elevati sunt super terram ejus*. Scilicet, ædificatus est murus, quo hæreditas illius coronetur. Macchabæi similes muro sunt, hæreditatem vel populum illius claudenti; sepes gregi fuere. Deo grates agit Esdras (41), quod populo sepem in Judæa dederit.

℣. 17. Quid enim bonum ejus est, . . . nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? post tam multa beneficia & victorias, quid jam largiri populo potest Deus? Quo præmio afficiet servorum suorum labores & fidem? Terram dabit bonis omnibus cumulatam, frumenti & vini copiam (42); *frumentum electum*, eximium, adolescentes milites robore implens; & *vinum dulce, fæcundas faciens adolescentulas*, illas hilaritate complens, lætaque carmina docens. *Frumentum* adolescentium *electorum*, & *vinum fæcundas faciens adolescentulas*, sacro furore agitans, vel etiam fortes efficiens, aut fœcundas; omnes quippe hasce explicationes patitur Hebræus; est sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, verum fidelium ac militum robur ac vis; nempe Christianorum, qui assiduis undique præliis obnoxii sunt, ut fidei depositum, & innocentiam tueantur. Idem hoc vinum fœcunditatem, hilaritatem ac vires Christianis virginibus, infirmisque animabus elargitur, divina quadam ebrietate illas agens, qua omnes mundi & carnis illecebras spernunt ac superant. Septuaginta (43): *Frumentum adolescentibus, & vinum bene fragrans in virgines*.

[34] 2. Macch. 11. 22. & v. 2. & x. 29. & 21. 5. & xv. 15. [35] Procellæ ex austro plerumque oriebantur. Job xxxvii. 9. Jerem. iv. 11. 12. Psal. lxxvii. 26. [36] Psalm. xvii. 8. 9. 10. 11. 12. & Habacuc. iii. 11. Nahum 1. 3. 4 &c. [37] 1. Macch. iv. 8. Vide nos in eum locum. [38] Vide nos in Judic. xx. 16. [39] כי אבני נזר מתנוססות על אדמתו [40] Septuag. Διότι λίθοι ἅγιοι κυλίονται ἐπὶ τῆς γῆς αὐτοῦ. [41] 1. Esdr. ix. 9. *Et daret nobis sepem in Juda, & Jerusalem*. [42] דגן בחורים ותירוש ינובב בתולות [43] Septuag. Σῖτος νεανίσκοις, καὶ οἶνος εὐωδιάζων εἰς παρθένους.

CAPUT X.

Imbrem & ubertatem terræ populi sui donat Deus. Ariolorum Idololorumque inanitas. Dei furor in pastores Israelis flagrans. Populus in captivitatem redactus. A Principibus ac Liberatoribus a Deo missis in libertatem vindicatur.

℣. 1. Petite a Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. 2. Quia simulacra locuta sunt inutile, & divini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra:

vane consolabantur: idcirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pa-
stor. 3. Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia visita-
vit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, & posuit eos quasi equum
gloriæ suæ in bello. 4. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii,
ex ipso egredietur omnis exactor simul. 5. Et erunt quasi fortes conculcantes lu-
tum viarum in prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascen-
sores equorum. 6. Et confortabo domum Juda, & domum Joseph salvabo: & con-
vertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt, quando non projeceram
eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos. 7. Et erunt quasi fortes
Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi a vino: & filii eorum videbunt, & lætabun-
tur, & exultabit cor eorum in Domino. 8. Sibilabo eis, & congregabo illos, quia
redemi eos: & multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati. 9. Et seminabo eos
in populis, & de longe recordabuntur mei: & vivent cum filiis suis, & revertentur.
10. Et reducam eos de terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad terram
Galaad, & Libani adducam eos, & non invenietur eis locus. 11. Et transibit in
maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis,
& humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet. 12. Confortabo eos
in Domino, & in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

℣. 1. PETITE PLUVIAM IN TEMPORE SEROTINO, ET DOMINUS FACIET NIVES. Hebræus (1): *Petite a Domino pluviam autumnalem, & Dominus faciet nubes*, seu fulgura. Vix imbrem postulaveritis, statim nubibus obruetur Cœlum, & nubes in terram aquas demittent. Jungenda hæc sunt cum Capite superiori. Pergit descriptio felicitatis, quæ post Antiochi Epiphanis furias iterum florebit.

℣. 2. QUIA SIMULACRA LOCUTA SUNT INUTILE. Colligit compendio ea, quæ Judæorum ærumnas peperere, quorum causa Deus populum suum odiis persecutorum aliquandiu permisit, antequam Macchabæos ad vindicandam populo libertatem produceret. Ærumnarum authores fuere Principes Juda, idololatriam, superstitiones, vanaque somnia & auguria sectati. Macchabæorum historia cum his optime convenit; docens (2), Jasonem, cum diuturnum Oniæ fratris sui Pontificatum ægre ferret, eam dignitatem ab Antiocho Epiphane emisse; factumque ita gentis suæ Pontificem ac Principem, veteres ritus abrogasse, ac mutasse mores Judæorum, ut illos ad Græcorum Leges moresque converteret. Eo tempore (3) nequissimi homines hortati sunt cives suos, ut majorum Religionem relinquerent, dicebantque: Eja, fœdus cum finitimis gentibus ineamus; postquam enim ab iis recessimus, multa nos mala oppressere. Quamobrem missis ad Regem Legatis impetravere, ut gentium more vitam agerent: *Dedit illis potestatem, ut facerent justitiam gentium*. Gymnasia instar Græcorum instituerunt, & vestigia circumcisionis pro viribus abolentes, relictoque sancto fœdere, ad alienos accessere, penitus venumdati, ut male agerent. *Recesserunt a testamento sancto, & juncti sunt nationibus, & venumdati sunt ut facerent malum*. His deceptus Israel veluti aritum grex, statim sese oppressum ærumnis sensit, dispersusque est ut oves pastore carentes: *Abducti sunt quasi grex; affligentur, quia non est eis pastor*, inquit hic Zacharias.

℣. 3. SUPER PASTORES IRATUS EST FUROR MEUS, ET SUPER HIRCOS VISITABO. Populi Principes proceresque hircorum appellatione hoc loco significantur. Virg. Eclog. 7.

Vir gregis ipse caper.

Recedite de medio Babylonis, ait Jeremias L. 8. *& estote quasi hœdi ante gregem*. Isaias (4): *In fortitudine manus meæ feci, & abstuli terminos populorum, & hircos* [Vulgata, *Principes*] *eorum deprædatus sum*. Ira Dei in Jasonem, Lysimachum, Alcimum, qui magnum Sacerdotium emerant, atque ordine vicissim eo potiri fuerant, excanduit. Jason fugere, atque a patria exulare coactus (5): Lysimachus in Templo interfectus, cum illud diripere meditaretur (6); Alcimus a Deo percussus, miserrime interiit (7); Menelaus præceps datus in turrim cineribus plenam, occubuit (8).

VISITAVIT DOMINUS EXERCITUUM GREGEM SUUM DOMUM JUDA. Iratus Deus hircos ac Principes populi visitavit; at gregem suum minime deseret, imo in misericordia inviset. Israel iis fidei desertoribus severissimo supplicio affectis, justi ac fideles beneficiis ac solatiis cumulabuntur. Marathias, ac deinde Judas Macchabæus dissipatas populi reliquias collegere, atque uti bellicus Domini equus effecti sunt: *Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello*.

℣. 4. EX IPSO ANGULUS. Eligam in Juda angulum, sive angularem lapidem, quo parietes ædificii conjungantur. Macchabæos significat, Duces Juda, Principes & præsidium. Hi profecto genus atque ortum ex Tribu Juda non duxerant, cum Sacerdotes essent ac stirpe Levitica: at e media Tribu Juda, penes quam genus imperium erat, cujus de nomine universa gens appellabatur; Hebræi enim sub una Judæ sive Judæorum appellatione agnoscebantur. Cæterum mysterio non vacat id quod fert Scriptura, lapidem angularem e Juda egressurum, quamquam revera ii qui populum liberavere, genus ex alia Tribu sortiti sunt: Christum scilicet Jesum, lapidem vere angularem, qui ædificium spirituale conjungit, & salutem Israeli affert, Spiritus Sanctus spectabat; Jesum, inquam, ex Juda & Davidis stirpe, secundum carnem, proditurum.

EX IPSO PAXILLUS. Hebraica vox (9) vulgo usurpatur de clavis, qui humi figebantur, ut tentoria probe extenta sustinerent. Innuit Propheta futurum, ut in Juda inveniantur fulcra, quibus tentorium Israelis sustineatur. Deum rogabat Esdras (10), ut populo daret *paxillum in loco sancto*. Accipitur etiam pro clavo in pariete fixo, ex quo aliquid suspenditur. Dei nomine pollicetur Eliacimo Heleiæ filio Isaias 22. 23. fore ut

[1] שאלו מיהוה מטר בעת מלקוש יהוה עשה חזיזים [2] 2. Macc. IV. 7. 11. Joseph. libello de Macch.
[3] 1. Macch. I. 12. [4] Isai. X. 13. Vide XIV. 9. [5] 2. Macch. V. 5. . . . 8. & 9.
[6] 2. Macch. IV. 39. . . . 42. [7] 1. Macch. IX. 54. 55. [8] 2. Macch. XIII. 4. 5.
[9] ממנו יתד [10] 1. Esdr. IX. 8.

ut is a Deo in domo sua ceu clavus, vel paxillus in loco firmo ac stabili statuatur, cui aliqua committantur. Ac paulo post 22. 25. minitatur avulsurum se clavum e loco in quo fixus fuerat, ut & ipse frangatur, & quæ ab ipso pendebant, labantur. Hoc comparationum genus neque humile apud Hebræos, neque spernendum erat; quippe qui aliter quam nos supellectilem domosque curarent.

Ex ipso egredietur omnis exactor simul (11). Exactoris appellatio in utramque partem accipi posse creditur; pro iis scilicet, qui justa ac necessaria Reipublicæ vectigalia exigunt; vel pro iis quos externi Principes mittunt, ut gravissimis & iniquis exactionibus populum vexent, vel Principum authoritate abutuntur, ut in subditos sæviant atque insaniant. Primo sensu, exactor nihil magnopere odiosum sonat; sed altero, piis omnibus odio est. cave autem putes, Deum polliceri Judæ simile hominum genus, pauperum exitio, & infirmorum oppressioni natum. Animadvertit Ludovicus de Dieu, eamdem vocem, quæ apud Hebręos exactorem, apud Æthiopes Regem significare. Ne tamen diu in hujus vocis significatione laboremus, nonne potuit hic Judæ polliceri Deus futurum, ut is imperium in externos exerceat, atque exactores ad illos mittat, ut legitima vectigalia ex iis expetat? Id revera sub Asmonæorum imperio contigit, qui superatis Idumæis, cæterisque Judææ finitimis, tributa imperavere.

℣. 5. Confundentur ascensores equorum. Græci, qui magno numero currum equitumque Macchabæos invadent, probro obruentur, ac parva peditum atque inermium manu fugabuntur. Expletam hujus vaticinii fidem singulæ Maccabæorum paginæ docent.

℣. 6. Convertam eos, quia miserebor eorum. Illos in urbes sedesque sua revocabo, unde coacti sunt elabi, ut sese inimicorum odiis subducerent; e specubus quo confugerant, reducam, atque e desertis, quo secesserant, ne impiis Tyranni legibus obtemperare cogerentur, vel sacra Numinibus facientes, vel sacrilego cultu sese inquinantes.

℣. 7. Erunt quasi fortes Ephraim. Ephraimitæ bellicæ virtutis laude semper claruerunt; ita ut hæc in proverbium abierit. Arguit Ephraimitas Psalmista Psal. 87. 9. quod ipsa prælii die virtutis suæ obliti fuerint: *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Agens Moyses de Josephi posteris, quorum nobilissimus erat Ephraim, ait Deut. 33. 17. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ*, ceu taurus obvia quælibet cornu ventilans, cum furit.

℣. 8. Sibilabo eis; sibilo eos colligam, revocabo (12). Supremum Domini imperium his verbis significatur. Septuaginta (13): *Significabo eis.* Buccina canam, ut illos colligam, ut Imperator buccinæ clangore copias cogit.

℣. 9. Seminabo eos in populis. Postquam Hebræi sub Regibus Assyriorum Chaldæorumque, ac deinde Ægyptiorum & Syrorum dispersi sunt, ingens horum numerus omnes undique terrarum plagas frequentavit; ac mirum profecto est, gentem, quæ quamdiu opibus & pace floruit, regionis suæ finibus claudebatur, ita creverit, uti compertum est, postquam captivitate & bellis dissipari cœpit. Jesu Christi & Apostolorum ętate, magno numero Judæos in omnibus terrarum plagis videmus (14). Qua die Spiritus Sanctus in Apostolos illapsus est, venerant Jerosolymam Judæi ex Parthis, Medis, Elamitis, Mesopotamia, Judæa, Cappadocia, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphilia, Ægypto, Libya, Cyrenaica, Italia, Arabia, Creta Insula, innumerique Proselyti. Philo ad Cajum legatus, illi significavit, Judęorum gentem omnes Imperii Provincias & mundi partes implere. Illud porro digum animadversione est, eos ubique constanti Religionis suę, suorumque morum ac rituum studio claruisse. Idque prædicere videtur hic Propheta, cum ait: *De longe recordabuntur mei.*

℣. 10. Reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos. Restitutis in Judæa per Macchabæorum victorias pace, libertate, & rerum copia, plerique Judęi, qui, in Ægyptum & in Assyrios secesserant [ex iis enim quę sequuntur colligere est, hęc sub Syrię nomine intelligenda esse], vel etiam qui superioribus bellis & diu antea ducti fuerant captivi, in patriam rediere. Cum vero hic reditus sensim, nullaque celebritate aut Principis alicujus sanctione contigerit, apud nullum e Scriptoribus Historiarum traditur. Teste Josepho Antiq. l. 12. c. 2. Ptolemęus Philadelphus centum & viginti millia Judęorum, qui in Ægypto erant, redemit, atque in Judęam remisit. At hoc, ut verum sit, vetustius est ętate, de qua Zacharias; quamobrem ab eo hic minime spectatur. Proculdubio autem ita frequenti numero redierunt, ut vix capi intra fines suę regionis possent: *Et non invenietur eis locus.*

℣. 11. Transibit in maris freto; et percutiet in mari fluctus. Persuadere conantur Judæi (15), majores suos nedum in Persidem ac Mediam fuisse translatos, verum etiam ultra Bosphorum, & ad septentrionem; cumque illos inde reducere vellet Deus, sese illis ducem prębuisse, arefacto Bosphoro, ut transitum illis præberet; quemadmodum olim Deus Erythræi maris alveum aperuerat, & Josue Jordanis aquas diviserat. At tantæ molis res, cum nullo satis certo monumento nitatur, unius loci hujus fide freta, cui loco aliæ aptari queunt explicationes, liceat de ea dubitare, dum alios, præter se ipsos Hebræi testes produxerint. Censent nonnulli (16) hæc verba ita esse intelligenda, quasi ferrent: Israel e captivitate revertatur triumphantis more, uti olim ex Ægypto, quo tempore Deus, cæsis Erythręi fluctibus, illum dividi jussit, ut transitum Judæis daret. Hebræus ad verbum (17): *Transibit in mari clauso; & percutiet in mari fluctus, & siccabuntur omnia profunda fluminis.* Si trajiciendum sit Israeli mare, patriam repetenti, maris fluctus sedabit Deus, iisque transeuntibus quietos continebit: si tranandi sint amnes, illos Deus arefaciet. Hoc ipsum innuere voluit Isaias, ubi ait (18): *Percutiet Dominus Ægyptum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.*

Humiliabitur superbia Assur; et sceptrum Ægypti recedet. Excisus jam diu fuerat Ægyptius, ejusque Imperium ruerat sæculis aliquot ante hæc tempora, quæ a Propheta innuuntur. Is quippe hoc nomine Syriæ Regnum significat, revera prostratum post Antiochum Epiphanem. Intus divisum, bellisque domesticis laceratum, vix annis Septuaginta post Antiochi obitum stetit. Ægypti Regno in Ptolemæos translato, Ægyptii indigenæ patrio Imperio ejecti fuere, iidemque illi Ægyptiorum Reges, qui Judæos e captivitate reversos frequenter vexaverant, authoritate, quam in Judæos exercuerant, a Syriæ Regibus exuti, nunquam post ætatem Macchabæorum recuperavere.

(11) כל נגש יחדו Septuag. Πᾶς ὁ ἐξελαύνων ἐν τῷ αὐτῷ. (12) אשרקה להם (13) Σημανῶ αὐτοῖς. (14) Act. 11. 5. 9. 10. 11. Vide & Petr. 1. Ep. cap. 1. ℣. 1. (15) Apud Hieron. hic. (16) Cyrill. Theodoret. Sanct. Menoch. (17) ועבר בים צרה והכה בים גלים והובישו כל מצולות יאור (18) Isai. xi. 16. *Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis; sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.*

CAPUT XI.

Malorum Judæis imminentium supremis ipsorum Reipublicæ temporibus descriptio. Templi excidium. Israelis Pastor geminum pedum suum comminuit, gregemque destituit. Pastores tres uno mense moriuntur. Triginta argentei in Pastoribus mercedem dati, & per contemptum ad figulum rejecti. Grex insano Pastori traditus.

℣. 1. APeri, Libane, portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. 2. Ulula abies,
quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. 3. Vox ululatus pastorum, quia vastata
est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis.
4. Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis, 5. Quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus,
divites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis. 6. Et ego non parcam
ultra super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram, & non eruam
de manu eorum. 7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis.
Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum; & pavi gregem. 8. Et succidi tres pastores in mense uno, & contracta est
anima mea in eis: siquidem & anima eorum variavit in me. 9. Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur: & reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui. 10. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur
Decus: & abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis. 11. Et in irritum deductum est in die illa: & cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. 12. Et dixi ad eos: Si
bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. 13. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium. 14. Et præcidi
virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem
inter Judam, & Israel. 15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. 16. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit,
dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, &
carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet. 17. O pastor, & idolum,
derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus:
brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

℣. 1. APeri, Libane, portas tuas; et comedat ignis cedros tuas. Zacharias tribus elapsis capitibus commoda descripsit fortunasque Judæ & Jerosolymæ post reditum e Captivitate Babylonica, ante & post Macchabæos; hic vero Templi excidium prædicit, Judæorum rejectionem, ac servitutem sub Romanis. Eodem tempore celeberrimum Passionis Christi eventum canit, infame scilicet facinus, quo Divinus hominum Servator triginta argenteis venditus est, emptumque ea pecunia agrum figuli. Apertis denique verbis innuit parvum Ecclesiæ gregem, & curam, qua summus Pastor illam prosequitur: *Aperi, Libane, portas tuas*, Jerosolymæ Templum, frequenter adeo in Scripturis (1) Libani nomine significatum, tum editi ac nobilissimi situs causa, tum columnarum e cedro, quibus porticus tuæ ornabantur, aperi fores: Is nimirum, qui hactenus in te moram traxit, teque opibus & gloria cumulavit, te in hostium potestatem mox tradet, tuasque columnas & cedrina laquearia flammis relinquet. Authore Josepho lib. 7. de Bello c. 12. paulo ante supremam Jerosolymæ obsidionem, porta orientalis Templi anterioris ærea & gravissima, cui claudendæ vix homines viginti sufficerent, statim sponte nocte intempesta patuit, quamvis validissimis vectibus ferreisque seris, quas firmabant catenæ ferreæ, clauderetur. Sacra Pentecostes die, ingressis noctu Sacerdotibus in Templi aditum, ut sacro munere fungerentur, terræmotus repente cum ingenti strepitu exauditus est; tum voces quasi multitudinis sonuere, clamantes: Egrediamur hinc. Eadem animadvertit Tacitus hist. lib. 5. *Expansæ repente delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos: simul ingens motus excedentium.* Si qua Rabbinis fides, Johanan quidam, inter gentis proceres, cum Templi fores sponte patere cerneret, clamavit (2): *Templum, Templum, quousque te ipsum turbas aut perditum is? Novi ego tandem destructum iri te, quemadmodum author prædixit Zacharias Propheta, inquiens: Aperi, Libane, fores tuas, & voret ignis cedros tuas.*

℣. 2. Ulula, abies, quia cecidit cedrus: quoniam

(1) Ezech. XVII. 3. *Aquila grandis magnarum alarum veniet ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Jerem. XXII. 23. *Quæ sedes in Libano, & nidificas in cedris.*

(2) Vide Kimchi, Lyr. hic, Galat. alii.

NIAM MAGNIFICI VASTATI SUNT. Prosopopœja, qua Propheta terribilitas exhibet cedrorum lapsu quercus, pinus, abietes. Arbores illæ pulcherrimę, amplissimæ, & magnificę, quę veluti *Principes* (3) saltus Libani erant, nunc jacent: harum excidium plorate, arbores Libani. Si Libano & cedris Templum significatur, abietes certe & quercus innuunt reliquas urbes Juda.

SUCCISUS EST SALTUS MUNITUS. *Templum in modum arcis, proprijque muri, labore & opere ante alios. Ipsæ porticus, quis Templum ambiebatur, egregium propugnaculum*, inquit Tacitus hist. l. 5. Septuaginta (4): *Evulsus est saltus bene plantatus.*

℣. 3. VOX ULULATUS PASTORUM; QUIA VASTATA EST MAGNIFICENTIA EORUM. Pergit metaphora. Exutus est arboribus nobilissimis Libanus; mœrent pastores, qui eo conveniebant, ibique veluti presidium & perfugium habebant. Leones, qui in nemoribus & virgultis secus Jordanem natis habent cubilia, rugitu testantur, quantupere doleant, ubi terram hanc flumine obrutam, aut eversos dejectosque lucos intuentur: *Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis.* Jordanis superbia sive erectio aliud nihil esse creditur preter inundationem, cum aquę maxime toment. Chaldęus reddit: *Vox rugitus eorum, ut catulorum leonum, quoniam exsiccata est propter eos elatio Jordanis.* Si fidem habes Itinerariis, duo sunt Jordanis alvei: alter angustior, quo clauditur, cum humiles sunt aquę, alter multo amplior, & utraque ora, quas diximus, sublimior, quem implet, cum aquis turget. Alterum hoc spatium prębet leonibus perfugium inter virgulta, quibus occupatur. Hinc vero pelluntur, cum Jordanes tumet. Spectat huc Jeremias, inquiens (5), venturum Babylonis Regem ceu leonem prodeuntem ob Jordanis superbiam, & munita loca occupantem. Lacrymabundi Pastores hi sunt Judęorum Proceres, suę gentis ęrumnis, & Jerosolymę ac Templi excidio juste mœrentes. Instar leonum rugiunt, quos aquę suis e latebris pepulerint. At *superbia Jordanis* significare potius videtur locum, quem implent aquę, tumente fluvio. Loci omnes, qui hanc locutionem ferunt, aptissime hoc sensu explicantur; atque hic presertim aliter intelligi prorsus nequit.

℣. 4. HÆC DICIT DOMINUS .... PASCE PECORA OCCISIONIS. Misertus malorum populi sui Deus, impiis Principibus relicti, ceu gregis laniénæ destinati, Prophetæ imperat, ut suo nomine illius curam gerat. Vel: Prædicito, memet ducem gregi meo futurum. Apud Scripturam dici solent Prophetæ ea facere, quæ vel oratione vel gestis prænunciant. Ita præcepit Isaiæ Deus (6), ut populi cor obduret, claudat oculos, aures obstruat. Impii Pastores, populum crudelissime necantes, sunt Herodes, & qui successere; tum ii qui populo authores fuere, ut bellum temere atque inconsulto in Romanos gererent; Eleazarus nimirum, Simon, Joannes, cæterique Zelatorum ac seditiosorum Duces. Hos graphice describit Zacharias ℣. 5. *Quæ pecora qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus; Divites facti sumus.*

℣. 6. EGO TRADAM HOMINES UNUMQUEMQUE IN MANU PROXIMI SUI. Singulæ Josephi de Bello Judaico scribentis paginæ penitus impletam hujus vaticinii fidem ostendunt, divisa seditionibus Jerosolyma, tum ante tum post obsidionis initium. Interiorem Templi partem occupabat Eleazarus, ibi a Joanne & Zelatoribus, extra Templum vagantibus, obsessus; utrumque vero stringebat Ananus, civium ductor. Simon Gioræ filius, ad urbem accedens, intra Templum exceptus est ab Idumæis, qui illud jam occupaverant. Ita divisa in partes urbs, nimirum inter hos qui bellum, & cæteros qui pacem volebant, suis ipsius viribus consumebatur. Nullus ferme dies civilibus prœliis inter ipsos Israelitas vacabat. Reliqua circum provincia nihilo quietior erat; cives enim oppidorum inter se committebantur, vel in Judæos Judæi, vel Ethnici in Judæos, his ubique afflictis cęsisque. Suo illos furori permittebat peritissimus bellicę artis Vespasianus, neque unquam obsidionem urgebat, ne illi junctis viribus valide resisterent. Joseph. hist. l. 5.

ET IN MANU REGIS SUI; Romanorum Imperatoris, cujus imperio subditi erant, cui servire maluerant, quam Christo Jesu: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Joan. XIX. 15.

℣. 7. PASCAM PECUS OCCISIONIS PROPTER HOC, O PAUPERES GREGIS. Paulo ante præceperat Zacharię Deus, ut pasceret gregem destitutum, & Principum Ducumque suorum sęvitię derelictum; nimirum prędiceret fore, ut Deus ipse ducem gregis sese exhiberet: hin fidem promissionis implet. Jesus Christus, a Patre missus, sese populo suo pastorem prębet (7); misericordia plenus venit, ut oves luporum faucibus & laniena liberet; at gregem ita improbum atque indocilem uti pastores nanciscitur: Quamobrem vi coactus illum deserit. Septuaginta (8): *Pascam oves occisionis in Chananitidem.*

ASSUMPSI MIHI DUAS VIRGAS: UNAM VOCAVI DECOREM, ET ALTERAM VOCAVI FUNICULUM. Ut gregem meum agam, duo mihi comparavi; pedum & flagrum. Pedo, quod Decorem nominavi, ornamentorum causa, quibus illud instruxi, indocilem gregem ferii; flagrum, e funiculis compositum, indicium est lenissimę authoritatis, quam in illum exercui. Domini severitatem adhibui, pedo percutiens; tum paterno amore sęvii, flagro utens. Nihil penitus omisi, quo indocilis populus reduci posset: severitate primum, ac deinde lenitate & clementia usus sum, alternis denique pedo & flagro: at frustra: coactus sum illos destituere.

℣. 8. SUCCIDI TRES PASTORES IN MENSE UNO. Putant Judęi (9) tres hosce pastores esse Mariam, Aaronem, ac Moysen, in quos mortis sententia uno mense pronunciata est, quamvis non uno mense obierint; quinque enim vel sex menses inter Aaronis & Moysis obitum fluxere. Fatentur Interpretes, mensem hic pro brevissimo tempore usurpari; & certe si una hęc esset difficultas, minimi faceremus. At quę orationis conjunctio esse potest inter Mariam, Aaronem ac Moysen, & ea quę versat hic Zacharias? Censent alii (10), Davidem esse, Adoniam, & Joabum; alii (11) Joachazum, Joachimum, & Sedeciam; nonnulli (12) tres Macchabęos fratres, Judam, Jonatham, & Simonem, qui intra unum annorum mensem, scilicet intra triginta annorum curriculum obiere; quidam ultimos tres Asmonęos Principes, Hircanum, Alexandrum & Antigonum; denique alii (13), tres factionum Duces, Jerosolymam discerpentium per supremam Jerosolymę obsidionem; nempe Joannem, Simonem & Eleazarum. Innui potius a Propheta credimus tres Romanos Imperatores, qui Neroni successere, Galbam scilicet, Otho-

(3) כי אדירים שדדו *Magnificus* אדיר est epitheton, quo plerumque Principes significantur. (4) Κατεσπάσθη ὁ δρυμὸς ὁ σύμφυτος. Hebr. ירד יער הבצר (5) Jerem. L. 44. *Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam.* (6) Isai. VI. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude.* (7) Isai. XL. 11. Jerem. XXXI. 10. Ezech. XXXIV. 23. Joan. X. 14. (8) Ποιμανῶ τὰ πρόβατα τῆς σφαγῆς εἰς τὴν Χαναανῖτιν. Legunt לכנעני pro לכן עניי הצאן Legunt etiam ℣. 11. Γνώσονται οἱ Χαναναῖοι τὰ πρόβατα. (9) Hebr. in Hieron. Rib. Tir. (10) Grot. (11) Quidam in Drus. (12) Menoch. (13) Drusius.

Othonem, & Vittellium, qui brevissimo anni unius paucorumque dierum spatio a suis ipsorum subditis necari fuere (14). Tres hosce Pastores excepit Vespasianus, qui expugnata Jerosolyma, Templum per copias suas, duce Tito, cremavit. Sive tres Pastores intellige tres Pontifices, qui uno anno Jerosolymis ereati sunt, Ismaelem Phabæi filium, Josephum cognomento Cabei, & Ananum filium Anani, vel, si mavis, Ananum, qui tribus solummodo mensibus Pontificatum tenuit; Jesum filium Damnæi, qui ea dignitate per tempus brevissimum potitus est. Cum Agrippa hujus loco Jesum filium Gamalielis creasset, ambo competitores sumptis armis de Pontificatu decertavere. Ut jurgii causa auferretur, Matthias Theophili filius renunciatus est, quo Pontifice obsessa est Jerosolyma (15). Fessus denique tam multis sacrilegiis Deus, atque indignissima pascendi gregis sui ratione, in populi sui pastoribus animadversa, irritatus, abjecit penitus ovium suarum curam, & pedum fregit.

Contracta est anima mea in eis; siquidem et anima eorum variavit in me, mihi infidelis fuit. Reddi potest Hebræus (16): *Contracta est*, efflicta, tædio affecta, *anima mea erga eos; & etiam anima eorum nauseavit me*. Fieri non poterat, quin recitatos mox Judæorum Pontifices odio & contemptui haberet Deus, cum illi Dei obsequium ita parvi facerent; unumque Pontificatus honorem & lucrum sectantes, viribus, favore, pecuniis certarent, ut illum assequerentur, aut sibi servarent. Septuaginta (17): *Aggravata est anima mea super eos; etenim animæ eorum rugiebant super me*.

℣. 9. Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur. En ultimam exitii Judæorum sententiam. Illos denique deserit Deus, cum illos tamdiu expectaverit, ut pœnitentiam agerent. Post Jesu Christi necem, quæ criminum ejus gentis cumulus fuit, annos adhuc septem & triginta illis largitus est, ut crimen agnoscerent; at cum eos nedum minime resipiscentes, verum etiam scelera sceleribus cumulantes cerneret, illos denique abjecit, atque in hostium potestatem tradidit.

℣. 10. Tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, et abscidi eam; ut irritum facerem foedus meum. Duplex hic fœdus distinguendum est, quod frangit Deus: alterum scilicet inter populum suum & Romanos, cæterosque, quibuscum amicitias inierant Judæi; alterum, inter Israelem & Judam. Primi fœderis fracturam significabat pedum, quod appellabatur Decus, a Deo confractum; alterius, fractura virgæ. Primum fœdus infregit Deus nece trium pastorum, de quibus ℣. 8. alterum, acceptis loco mercedis triginta denariis ℣℣. 12. 13. Primam fœderis fracturam consecutum est bellum Romanorum in Judæos, & gentium omnium conspiratio, ut Judæos veluti gentem omnibus invisam & inimicam haberent; idque ferme ubique post Christi necem usuvenisse cernimus: alteram separatio Judæorum fidelium, qui ad Jesu Christi sacra transierunt, ab Israelitis infidelibus ac pertinacibus, qui Judaicos ritus deserere noluerunt.

℣. 11. Cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. Judæi fideles, qui optimo jure pauperes gregis nuncupati sunt, verique pauperis Magistri & paupertatem amantis, Discipuli, iræ diem prope esse, nullo negotio agnovere. Hos monuerat Servator, Jerosolymæ excidium imminere (18), illiusque præsagia docuerat, jusseratque in montes elabi (19). Prophetæ, qui inter ipsos erant, illos iterum ea de re admonuerunt (20), ac secessere Pellam (21), trans Jordanem, ut ibi perfugium a procella nanciscerentur.

℣. 12. Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam .... et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Cum deinceps vobis pastor esse nequeam, atque a vobismetipsis vos deserere cogar, date, si placet, si videtur, mercedem meam. Pastorem patremque tot sæculorum spatio vobis egi: æquum ne est, ut mercedem aliquam referam? Neque egeo, neque postulo: date, si videtur. Triginta igitur siclos argenteos mihi exhibuere (22), pecuniam certe labori meo non parem. Id porro adamussim expletum est in Christo Jesu, quem Judæi abjecere, empta illius vita siclis triginta; oblataque ea pecunia perfido Discipulo, ut is sibi illum proderet.

℣. 13. Projice illud ad statuarium. Hebræus (23): *Projice illud ad figulum* (24), vel ex aliis (25), *ad fictorem, ad plasten*; quæ versio cum Hieronymiana congruit. Septuaginta (26): *Defer eos ad conflatorem, & considera si probatum est, sicut probatus sum pro eis*. Pecuniam depone in conflatorium, & periculum facito, utrum ex probato puroque argento sit. S. Matthæi Evangelium (27), atque ipse usus pecuniæ ab Juda redditæ, in quem ea adhibita est, empto scilicet agro figuli, satis suadent, posteriore hoc sensu locum hunc esse usurpandum. Jubet Prophetam Deus triginta hosce nummos restituere, vaticinari scilicet futurum, ut restituantur.

℣. 14. Præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus; ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel. Israel Judæos pertinaces significat, qui Christum rejecere; Juda vero fideles Judæos, qui ad illum accesserunt. Hi a fratribus sejuncti, novam Ecclesiam instituerunt, novumque fœdus ingressi, una cum Ethnicis novam gentem novumque gregem, cui pastor est Christus, effecere. Discrimen hoc proprie post Templi excidium solummodo contigit; ad eam enim ætatem usque Judæi ad Christiane sacra conversi Legis ritus servavere: at everso Templo, Christiani ab Judæis secessere, atque Evangelium nullo discrimine tum Ethnicis tum Judæis nunciatum est.

℣. 15. Sume tibi vasa (notas) pastoris stulti. Pastor hic stultus, vero Pastori, Christo scilicet Jesu succedens, Cajus Caligula est, vel Claudius, seu Nero. Tres ii Imperatores, fatentibus ipsis Rerum Romanarum Scriptoribus, insani erant, stupidi, mente infirmi, vel furiosi. Caligulæ insaniam, furias, sævitiam ignorat nemo (28). Claudius hebes mente erat, ipsiusque mater Antonia (29) *portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum; ac si quem socordiæ argueret, stultiorem ajebat filio suo Claudio*. Nero insaniæ ac sævitiæ monstrum fuit. Hos nimirum Principes optavere pastores

(14) Sueton. in Vespas. cap. 6. Tacit. lib. 2. hist. cap. 79. Dio. (15) Vide nostram Dissertationem de Pontificum successione. (16) ותקצר נפשי בהם וגם נפשם בחלה בי (17) Βαρυνθήσεται ἡ ψυχή με ἐπ' αὐτούς, ἐ γὰρ αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐπωρύοντο ἐπ' ἐμέ. Aqu. Καίγε ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐνέφρισεν ἐν ἐμοί. *Maturuit in me*. Sym. Ἠμαύρωσεν ἐμοί, *Fleruit in me*. (18) Matth. xxiv. 1. 2. & seq. Luc. xix. (19) Luc. xxi. 20. 21. (20) Lactant. lib. cap. 21. (21) Euseb. hist. Eccles. lib. 4. cap. 5. Vide & Theodoret. in Zach. xiv. initio. (22) שלשים כסף Plerumque subandiunt sicli nomen, ubi Scriptura nummi naturam non tradit. Sicli 30. conficiunt libras Gallicas 51. & aliquot denariolos. (23) השליכהו אל היוצר (24) Ita Munst. Tir. Cast. Jun. Drus. Grot. alii plures. (25) Ita Aquil. Mont. Vat. (26) Κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον, ἐ σκέψαι εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν. (27) Matt. xxvii. 3. *Judas retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum . . . consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum*, &c. (28) Vide Sueton. in Calig. Philon. Legat. ad Cajum; Joseph. Antiqu. lib. 10. cap. 1. (29) Sueton. in Claudio.

stores Judæi, rejecto Jesu Christo (30): *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Caligula Tiberium excepit, quarto post Christi obitum anno. Sui ipsius simulacrum in Templo Jerosolymitano dedicare volebat: idem facinus tentavit Nero: justissimam ingratæ gentis pœnam, quæ Deum suum, verumque Religionis suæ argumentum reliquit, ut sævos insanosque dominos sequeretur. Hos graphice describit Propheta proximo versiculo: *Derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet*, sæve fatigans, agensque per lapidosa loca & aspera. Profecto nunquam luculentius experti sunt Judæi, quid pastor sit, quid tyrannus, quam cum paruere Romanis, redacta in provinciam Judæa. Assiduas nimirum illi sensere a Romanis Præsidibus vexationes, injurias, direptiones, avaritiam; qui oppressa libertate, imperatisque tributis ac vectigalibus gravissimis non contenti, Religioni, Legibus, ac Templi sanctitati illusere. Hebræus (31): *Vulneratas* oves *non visitabit*; vel, gregem non recensebit, inspecturus, ulla ne sit ovis abscondita aut amissa: *adolescentem*, ætate teneram *non quæret*, quæ imbecilles ætate pastorem sequi nequeunt; *fractam*, cui membrum aliquod fractum est sive luxatum, *non curabit*; *stantem*, quæ cæteras sequi nequeat, *non gestabit*. Septuaginta (32): *Quod deficit, non visitabit, & dispersum non requiret, & contritum non sanabit; & integram non diriget, & carnes electorum devorabit*. Fracta ovium membra nonnisi assidua pastoris sollicitudine sanantur, quemadmodum hominum vulnera Medicorum cura (33): *Fracta pecudum non aliter quam hominum crura sanantur.*

℣. 17. O Pastor, et Idolum, derelinquens gregem. Hebræus (34): *O Pastor nihili*; inane pastoris simulacrum. Septuaginta (35): *Væ qui pascitis vana, qui dereliquistis oves.*

Gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus. Cajus Caligula, Tiberii successor, a Chærea & conjuratis necatus est, uti narrant Josephus & Suetonius; atque, authore Josepho Antiqu. l. 19. c. 1. primum illi vulnus illatum est inter humerum & cervicem; atque elabi conantem, e conjuratis unus in genua impulit, a cæteris deinde confectum, cæsumque fortasse vulnere super caput oculumque dexterum, quod prædicit Zacharias. Author est Suetonius (36), Caligulam in maxilla cæsum fuisse a Chærea. Is exitus fuit Pastoris insani, vanæque Pastoris imaginis, qui suum ipsius simulacrum publicæ Religioni in Templo Jerosolymitano proponere moliebatur, cui familiare erat illud: *Oderint, dum metuant*; quique crudelissime optaverat: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* ut uno ictu abscinderet.

Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur. Metaphorica videtur locutio: brachium scilicet atque oculus pro robore & ingenio hominis, rebusque homini carissimis & maxime necessariis usurpantur. Unica erat Cajo filia adhuc infans, quæ ad parietem allisa, & gladio confossa Cæsonia uxor. Obiit omnibus invisus contemptusque; ejusque memoria universo late Imperio execrabilis fuit: tantis licet viribus pollens, illud impetrare non potuit, quod maximopere optabat, ut in Templo Jerosolymitano sui simulacrum dedicaretur. Illius mentem malæ libidines obscuravere, neque unquam vidit, quid sibi vere utile esset, quave ratione extrema infortunia vitaret.

---

(30) Joan. xix. 15. (31) הנכחדות לא יפק׳ הנער לא יבקש והנשברת לא ירפא הנצבה לא יכלכל וגו׳
(32) Septuag. Τὸ ἐκλεῖπον οὐ μὴ ἐπισκέψηται, καὶ τὸ διεσκορπισμένον οὐ μὴ ζητήσῃ, καὶ τὸ συντετριμμένον οὐ μὴ ἰάσηται, καὶ τὸ ὁλόκληρον οὐ μὴ κατευθύνῃ, &c. (33) Columell. lib. 7. cap. 5. (34) הוי רעי האליל
(35) Ὦ οἱ ποιμαίνοντες τὰ μάταια, οἱ καταλελοιπότες τὰ πρόβατα. (36) Sueton. in Cajo: *Respicientique maxillam ictu discidisse.*

CAPUT XII.

Vaticinium in Jerosolymam. Mala, quibus opprimetur, & prodigiosus malorum finis. Luctus ingens ob cædem illius, qui confossus est.

℣. 1. ONus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cœlum, & fun-
dans terram, & fingens spiritum hominis in eo: 2. Ecce ego ponam Je-
rusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Juda erit in obsi-
dione contra Jerusalem. 3. Et erit: In die illa ponam Jerusalem lapidem oneris
cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, concisione lacerabuntur: & colligentur
adversus eam omnia regna terræ. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem
equum in stuporem, & ascensorem ejus in amentiam, & super domum Juda aperiam
oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate. 5. Et dicent duces
Juda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum
Deo eorum. 6. In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, &
sicut facem ignis in fœno, & devorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes popu-
los in circuitu, & habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem. 7. Et sal-
vabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio, ut non magnifice glorietur do-
mus David, & gloria habitantium Jerusalem contra Judam. 8. In die illa proteget
Dominus habitatores Jerusalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Da-
vid: & domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. 9. Et
erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Jerusalem.
10. Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gra-

tiæ,

tiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. 11. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. 12. Et planget terra: familiæ, & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum; 13. Familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. 14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.

℣. 1. ONUS VERBI DEI SUPER ISRAEL. Capite hoc directe spectantur Antiochi Epiphanis bella in Judæos, Macchabæorum victoriæ, & Jerosolymæ status post bella: ex obliquo & metaphorice, suprema Jerosolymæ obsidio per Romanos, Jesu Christi mors & Resurrectio, & Ecclesiæ institutio.

DOMINUS FINGENS SPIRITUM HOMINIS IN EO. Hebræus ad verbum (1): *In medio ejus*, uti figulus lutum format, aut fusor metallum. Homini vitam animamque largitur. Vitę spiraculum Adamo indidit Gen. 2. 7. creatque in singulis animam, cognitionis nostrę, nostrarumque cupiditatum principium.

℣. 2. PONAM JERUSALEM SUPER LIMINARE CRAPULÆ OMNIBUS POPULIS IN CIRCUITU. Finitimi omnes ad illam convenient, ut ebriosi homines ad locum, ubi crapula exercetur. Confluent, ut illius cruorem usque ad ebrietatem bibant; vel Divini furoris calicem longis haustibus bibendum illi propinabunt. Futura est Jerosolyma uti ganea, ubi ebrietati opera navatur. Cives propinatum calicem usque ad fœces haurient. Hebræus (2) reddi potest: *Pelvis soporifera*, stuporem vel tremorem inducens. Septuaginta (3): *Pono Jerusalem ut atria*, postes, *quæ moventur*. At luculentior est versio ferens pelvim soporiferam. Jerosolyma primum ipsa sibi calix ebrietatis fuit; prima enim omnium bibit ipsa, & ebrietatem ac tumultum retnlit; deinde cęteris propinavit, quemadmodum docent Macchabęorum victorię de Idumęis, Samaritanis & Gręcis.

SED ET JUDA ERIT IN OBSIDIONE CONTRA JERUSALEM. Id certe nunquam contigit ante bella Epiphanis & Eupatoris ejus filii in Judęos. Tunc porro multi ex Judęis transfugæ, ad Gręcos desciscentes, acerrime omnium in fratres suos sęviere (4): *Congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant Legem Domini, & fecerunt mala super terram, & effugaverunt populum Israel in abditis*. Jerosolymam aggressus est, & vi cepit Jason Pontifex (5), atque in eam veluti in hostes sęviens, innumeros ferme cives necavit. Alcimus, alius Pontifex, qui Sacerdotium a Rege Syrię emerat, ope exercitus a Bacchide ducti, patrię regimen & Pontificatum occupavit (6). Huic accedentes transfugę omnes, & quietis civium inimici, innumera regioni mala intulere. His exemplis satis superque confirmatur hujus vaticinii fides. Hebręus (7): *Sed & in Judam erit hostis in obsidione adversus Jerusalem*. Ait Chaldęus, homines ex Juda coactos fuisse, huic obsidioni opem auxiliumque conferre. Septuaginta (8): *Et in Judæa erit obsidio adversus Jerusalem*. Hebręum alii reddunt: Instruetur obsidio, qua & Juda & Jerosolyma obvolventur.

℣. 3. PONAM JERUSALEM LAPIDEM ONERIS CUNCTIS POPULIS, ut illud lapidum genus, ad quos unusquisque virium suarum periculum facit. *Mos est in urbibus Palæstinæ*, inquit S. Hieronymus in hunc locum, *& usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis & castellis rotundi ponantur lapides, gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium sublevare, magnitudinem virium demonstrantes. In arce Athenienſium juxta simulacrum Minervæ, vidi sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cum quærerem quid sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari: nec prius ad agonem quemquam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari*. Asserunt (9), in plerisque Asię tabernis pondera quędam, seu ferreas sphęras cerni, in ipso Moschęę limine suspensas, quas nonnulli insolitarum virium homines sustulere, servatas deinde veluti illorum roboris monumenta. Hoc lapidum genus innui in tertio Regum libro, sub nomine *lapidis Zoheleth* (10), nonnulli putavere. Ad hunc morem alludit Author Ecclesiastici VI. 22. *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis*.

OMNES QUI LEVABUNT EAM, CONCISIONE LACERABUNTUR. Ingens conatus fracturas illi pariet. Id passim in magnis conatibus usu venit; extensum enim validissime peritonæum laceratur, morbosque molestissimos affert. Seu, venam aliquam rumpent. Vel denique: Manus ferient, vel humeros renesque luxabunt. Finitimi omnes virium suarum periculum adversus Jerosolymam fecere; Assyrii, Chaldæi, Persæ, Syri, Ægyptii: at suo singuli malo. Lapidem revera sustulere, cepere nimirum & evertere Jerosolymam; at brevis voluptas fuit, inanisque hæc gloria magno illis stetit.

℣. 4. PERCUTIAM OMNEM EQUUM IN STUPOREM. Cum Syri Jerosolymam expugnaverint atque everterint, meumque ego furorem in illam exercuero, Templum meum profanari sinens, tunc *soporifera pelvis* (11) gentibus hisce propinabitur, quæ ordine bibent. Fugabuntur equites, elephanti, exercitus, ac modica peditum & inermium manu profligabuntur. Non semel experti sunt Apollonius, Seron, Philippus, Nicanor, Gorgias, Bacchides, Timotheus, ipsique Syrorum Reges, copias suas vertigine, terrore, stupore, occupari, divinamque manum, hominum oculis minime obnoxiam, adversus ipsos pro Israele pugnare.

℣. 5. ET DICENT DUCES JUDA IN CORDE SUO: CONFORTENTUR MIHI HABITATORES JERUSALEM IN DOMINO (12). Judas Macchabæus, robore ac fiducia in Deum plenus, populi imperium capessit, animos excitat, labefactatam populi virtutem confirmat, secumque esse jubet, ac de Deo confidere. Macchabæorum stemma fuisse dicuntur ea Moysis verba (13): *Quis similis tui in fortibus, Domine?* In gravissimis ubique periculis Judas populum jubet fiduciam in Deo collocare (14), cui tantumdem est victoriam multis paucisque largiri:

(1) ויצר רוח אדם בקרבו Πλάσσων πνεῦμα ἀνθρώπου ἐν αὐτῷ. (2) הנה אנכי שם את ירושלם סף רעל לכל העמים (3) Τίθημι τὴν Ἱερουσαλὴμ ὡς πρόθυρα σαλευόμενα. (4) 1. Macch. 1. 15. (5) 2. Macchab. v. 6. (6) 1. Macch. VII. 19. & seq. (7) וגם על יהודה יהיה במצור על ירושלם (8) Καὶ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἔσται περιοχὴ ἐπὶ Ἱερουσαλήμ. (9) Paul Lucas, Voyage du Levant tom. 2. ch. 14. (10) 3. Reg. 1. 9. (11) Supra ℣. 2. (12) אמצה לי ישבי ירושלם (13) Exod. XV. 11. מי כמכה באלים מ. כ. ב. י. Macaba. (14) 1. Macch. III. 18.

ri: *Non est differentia in conspectu Dei Cœli liberare in multis & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli; sed de cœlo fortitudo est*. Judam Macchabæum fratresque luculentius describere non poterat Zacharias. Septuaginta (15): *Dicent Principes Juda in cordibus suis: Inveniemus nobis habitantes Jerusalem in Domino omnipotenti*.

℣. 6. Ponam Duces Juda sicut caminum ignis in lignis. Judas futurus est camino flagranti similis, prunisque ardentibus pleno; gentes vero ceu ligna camino imposita. Qui Judam invaserint, peribunt, ceu lignea strues camino imposita flagrat, atque in cineres solvitur. Bellum capessivere Macchabæi primum vitæ & Religionis defendendæ causa; diuque nihil egere, nisi ut injuriam a suis propulsarent; at ita sese tutati sunt, ut omnes ubique hostes profligaverint. Arma deinde intulere iis, quorum injuriis olim obnoxii fuerant; cæsis Idumæis ad dexteram, ad sinistram Samaritanis, hostibus nempe omnium sævissimis, superatis: *Devorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu*.

Et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo. Jerosolyma injuriis Antiochi ejusque Ducum relicta, penitus deserta squalluit, adeo ut Templum ipsum virgultis, urbs tota ruderibus impediretur. Omnia scilicet cremaverant atque everterant hostes, præter arcem, quam ipsi tenebant (16): *Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis ejus*, &c. Templum vero profanatum, desertum, crematumque invenit Judas, cum illud purgaturus accessit (17): *Viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu*. His tamen minime repugnantibus, prædicit Zacharias, restitutum iri Jerosolymam, ipso rei eventu fidem vaticinii comprobante.

℣. 7. Ut non magnifice glorietur Domus David, cum *tentoria Judæ*, urbes nimirum & domicilia restituta, uti olim, fuerint. Non unius opera hominis e Davidica gente utetur Deus, sed Macchabæorum, e Levitico genere & oppido Modin in Tribu Ephraimi.

℣. 8. Erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David; et Domus David, quasi Dei. Horum infirmissimus similis Davidi erit, & Davidis Domus uti domus Dei illis futura est. Ad verbum (18): *Qui ex iis vestigio falletur*, qui offenderit, *erit quasi David*; Davidis instar surget, veniamque adeo absolutam impetrabit, ut præteritus error virtutem commendaturus sit. Chaldæus & Septuaginta (19): *Qui maxime infirmus ex ipsis fuerit, erit ut domus David*; ita validus uti David, qui cum gigante pugnet; uti Angelus Domini viribus, scientia, &c. Davidicæ familiæ homines in Juda ceu Dii & Dei Angeli habebuntur: mali cæteris exemplo deinceps non erunt, neque populum in flagitia & superstitionem trahens, quemadmodum plures Davidici generis Reges fecere. Hi optimum Judæ exemplum futuri sunt. Jesu Christi ortum designare videtur Zacharias his verbis: Erit *Domus David ut Domus Dei, ut Angelus Domini in conspectu eorum*, scilicet populi; ut intelligant Israelitæ, vetustissimam hanc nobilissimamque familiam illustrem fore & gloriosam non diuturno gentia imperio, sed sua ipsius virtute, atque in Deum fide. Profecto Davidia posteri nunquam deinceps Regnum obtinuere; at detrimentum satis præstitere Jesus, Maria, Joseph, nobilissimi ejus stirpis surculi.

℣. 10. Effundam super Domum David . . . spiritum gratiæ et precum. Mea illos gratia implebo, ac bene orare docebo; spiritum largiar orantem postulantemque intra nos gemitu inexplicabili (20): *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hæc novam Legem potissimum spectant. At de Judæis etiam asseri potest, parta genti suæ pace, Macchabæorum virtute & consilio, a Deo impetrasse uberiorem gratiæ & precum spiritum, quam antea habuerint. Constantiori fide Dominum secuti sunt, aures exhibuere monenti, ejusque Templum studiosius frequentavere. Eo tempore multo plures fuere in urbibus Synagogæ, & Sacra orationi loca. Septuaginta (21): *Effundam super domum David spiritum gratiæ & commiserationis*, in amicitiam meam excipiam, ærumnarumque illorum miserebor. Chaldæus (22): *Spiritum misericordiæ & miserationum*. Gratiam apud me habebunt, meaque illos misericordia cumulabo.

Aspicient ad me, quem confixerunt. Deum, quem olim adeo spreverant, indigne adeo defecerant, in quem flagitia evomuerant, cujus nomen impiissime profanaverant, deinceps non dereliquere Judæi. Hebraica vox (23), quæ sonat *configere*, significat etiam probris incessere, afficere contumeliis. At unum Jesum Christum, clavis in cruce confixum, accusatum, probrisque & contumeliis oneratum, hoc loco spectari, testantur Evangelistæ (24) & Interpretes. Illum Judæi in cruce conspexere, probraque in illum evomuerunt: at ex iis multi, cum illum morientem, & prodigia mortem illius comitata & consequuta vidissent, Jerosolymam reversi sunt, pectora ferientes (25). Ii, quibus Sacra Pentecostes die S. Petrus Dei verba nunciavit, pœnitentia moti, commissa flagitia execrati sunt (26). Omnes denique Judæi, qui post S. Spiritus illapsum ad Christi Sacra conversi sunt, quique deinde, atque ad finem usque sæculorum nomina Christo dabunt, vaticinium Zachariæ confirmant: *Aspicient ad me, quem confixerunt*.

Hebræi Codices nonnulli (27) habent: *Aspicient in eum, quem confixerunt*. Atque ita intelligendus erit hic locus de luctu, quo Judæ Macchabæi obitum prosequuti sunt. Fortissimum virum, ab hostibus confossum, Judæi intuebuntur. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur: *Plangent eum planctu quasi super unigenitum. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*. Compertum est, quantopere populus Judam mortuum tum Jerosolymis, tum in universa late Judæa fleverit (28): *Fleverunt omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt: Quomodo cecidit Potens, qui salvum faciebat populum Israel!* His tamen minime excluduntur ea, quæ de Judæorum ad Christianam Fidem conversorum luctu ob Jesu Christi necem diximus, cum Judas Macchabæus merum fuerit Servatoris hominum symbolum & imago. Septuaginta (29): *Aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt*, vel *tripudiaverunt*, malis meis gavisi sunt.

℣. 11. Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Creditur Zacharias alludere ad luctum

[15] Καὶ ἐροῦσιν οἱ χιλίαρχοι Ἰούδα ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, Εὑρήσομεν (Edit. Complut. Εὑρήσωμεν) ἑαυτοῖς τοὺς κατοικοῦντας Ἱερουσαλὴμ ἐν τῷ Κυρίῳ παντοκράτορι. Aqu. Κραταίωσόν μοι, Conforta mihi. [16] 1. Macch. III. 45. [17] 1. Macch. IV. 38. [18] והיה הנכשל בהם ביום ההוא כדויד ובית דויד כאלהים [19] Καὶ ἔσται ὁ ἀσθενῶν ἐν αὐτοῖς ὡς ὁ οἶκος Δαυίδ, ὁ δὲ οἶκος Δαυίδ, ὡς οἶκος Θεοῦ, ὡς ἄγγελος Κυρίου. &c. [20] Rom. VIII. 26. [21] Septuag. Ἐκχεῶ ἐπὶ τὸν οἶκον Δαυίδ . . . πνεῦμα χάριτος, καὶ οἰκτιρμοῦ. [22] Chald. רוח הסדה ורחמין Hebr. רוח חן ותחנונים [23] והביטו אלי את אשר דקרו [24] Joan. XIX. 37. [25] Luc. XXIII. 48. *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*. [26] Act. II. 37. [27] והביטו אליו [28] 1. Macch. IX. 20. 21. [29] Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο.

luctum in morte Josiæ actum, ad Mageddo interfecti (30), cum is adversus Nechaum Ægypti Regem bellum gereret. Cum populus Josiam summopere amaret, insolitis adeo lacrymis illum prosequutus est, ut hic luctus quodammodo in proverbium abierit. Scripsit Jeremias in hanc rem lamentationes, quæ deinde per omnium ora celebratæ sunt, & anniversatio luctu iteratæ: *Universus Juda & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maxime, cujus Cantores atque Cantatrices usque in præsentem diem Lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel.* Vide tertium Esdræ Librum 1. 32. & Præfationem in Lamentationes Jeremiæ, & Commentarium in Caput IV. ℣. 30. Lamentationum, ubi recitavimus sententiam eorum, qui Carmen hoc in Josiæ obitu scriptum esse ajunt.

Quæ hic leguntur a ℣. 8. explicari ad verbum possunt de Juda Macchabæo, & ejus nece. *Qui lapsus fuerit ex eis, erit quasi David.* Judas Macchabæus, qui in bello adversus Bacchidem cecidit, ita defletus est, veluti David fuerit, vel alius a Davidis familia; uti vir fortissimus, *ut Angelus Domini.* (℣. 9.) *in die illa, quæret* Dominus *conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem.* Judæ obitum, qui Rempublicam turbaturus erat, nullæ prorsus ærumnæ consecutæ sunt. (℣. 10.) Tunc *effudit* Deus *super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum misericordiæ & miserationum. Aspexere* Judæi fortissimum Imperatorem, *qui confixus est* ob patriæ defensionem; *& planxerunt eum planctu quasi super unigenitum.* (℣. 11.) *Magnus fuit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon*, urbis vicinæ *Mageddo*, ubi Iosias vulnere affectus & mortuus est.

℣. 12. Familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum. In publicis solemnibusque luctibus viri seorsum ac fœminæ per turmas in publicis foris, in compitia, quin & extra urbes flebant, magnis clamoribus ac vocibus, quibus omnia personabant. Addebantur interdum lugubria musices instrumenta, quo miserabilior pompa efficeretur. Testantur Itineraria, id apud multos Orientalium adhuc servari.

℣. 13. Domus Nathan, quæ inter præcipuos erat Davidicæ familiæ ramos, ex qua ortus est Zorobabel, qui ætate Zachariæ imperium in Juda gerebat.

Domus Semei, inter nobilissimas Levitarum familias. Ex Levi Gersom, e Gersom Semei nati sunt. Vide 1. Par. VI. 16. & 17.

CAPUT XIII.

Fons lavans peccata domus David. Idola prorsus abolita in Juda. Pœna in falsos Prophetas a propinquis illata. Pastor percutitur, & disperguntur oves. Geminæ populi partes dispersæ, una servata.

℣. 1. IN die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablu-
tionem peccatoris, & menstruatæ. 2. Et erit in die illa, dicit Dominus ex-
ercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: &
pseudo-prophetas, & spiritum immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum pro-
phetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum:
Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater
ejus, & mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. 4. Et erit: In die illa con-
fundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur
pallio saccino, ut mentiantur: 5. Sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego
sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et dicetur ei: Quid
sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dices: His plagatus sum in domo eo-
rum, qui diligebant me. 7. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum
cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves,
& convertam manum meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Domi-
nus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea.
9. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & pro-
babo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum.
Dicam: Populus meus es, & ipse dicet: Dominus Deus meus.

℣. 1. IN die illa erit fons patens domui David. Jungendum est Caput hoc cum superiori. Descripto Judæ luctu in funere Judæ Macchabæi, narrat Propheta felicissimum Religionis statum in Judæa, ab eo tempore, usque ad Messiæ obitum, cujus Passionem spectare incipit ℣. 7. *Fons patens domui David, in ablutionem peccatoris & menstruatæ*, idem esse videtur atque alter, de quo Ezechiel 48. 1. fusius, ab Joele pariter 3. 18. significatus. Nonnulla etiam de hoc fonte habet Zacharias infra, XIV. 8. Hic fons, si historiam ac literam spectes, est aquæ rivus, magnis sumptibus per aquæductum in Templum illatus, quo imperatæ per legem lustrationes ablutionesque in loco sancto peragebantur. Tropice autem aquas Baptismatis est, nostris nos maculis, verisque animi sordibus eluens. Fides verborum, quibus terrenum Templi fontem describunt, expleri ad literam nequit; harum quippe aquarum copia & virtus tanta non fuit, quantam narrant Prophetæ. Ipsa tamen illorum verba, quantumvis sublimia, multo etiam minora sunt, quam ut Ba-

[18] 4. Reg. XXIII. 20. 2. Par. XXXV. 22. 23. . . . 25.

Baptismatis a Christo instituti vim assequantur.

℣. 2. DISPERDAM NOMINA IDOLORUM DE TERRA. Post Maccbabæorum ætatem nulla deinceps superstitio in Israele visa est. Hoc ipsum diu antea prædixerant cæteri Prophetæ: *Auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum. Et percutiam eum eis fœdus*, &c. Olea 11. 16. 17. *Reliquiæ Israël non facient iniquitatem*, inquit Sophonias III. 13. *nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa*. Ezechiel 37. 22. *Faciam eos* [Judam & Israelem] *in gentem unam. Neque polluentur ultra in idolis suis & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis*, &c.

PSEUDO-PROPHETAS, ET SPIRITUM IMMUNDUM AUFERAM DE TERRA; ariolos, magos, omnes denique, qui immundorum spirituum opera utuntur, ut homines decipiant: *Spiritum immundum*. Superstitio, falsi Prophetæ, sortilegia, magicæ artes, auguria, somniorum interpretatio, artesque curiosæ penitus exulabunt.

℣. 3. NON VIVES, QUIA MENDACIUM LOCUTUS ES IN NOMINE DOMINI. Qui populum in alienam religionem trahere tentasset, hunc Lex morte damnabat Deut. 13. 1. 2. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum; & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis; non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris ... Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur*. Divinæ Legis, purissimæque erga Deum Religionis studium ita in universo Israele florebit, ut ne filiis quidem pareant parentes, ubi illi falso vaticinari, populumve ad Numinum superstitionem pertrahere tentaverint.

CONFIGENT EUM PATER EJUS, ET MATER EJUS, Stigmata & notas illi inurent, quibus agnosci queant falsi Prophetæ, ferme uti apud nos furibus quibusdam ac transfugis lilii stigma inuritur. Falsos Prophetas morte damnari non consuevisse, docet ℣. 6. & Lex superiori versiculo recitata, non adversus falsos Prophetas præsertim est, mendacia nunciantes, sed in eos, qui populum in Numioum superstitionem inducere conabantur. Quædam olim notæ mancipiis fugitivis in fronte imprimebantur, quo facilius agnoscerentur: hinc ea nomina *fronte literati* (2), *vultu inscripti* (3), *notum fugitivorum epigramma* (4), *stigmatiæ*, &c. Ita apud Hebræos falsorum Prophetarum manibus probrosa quædam stigmata inurebantur, ut illos unusquisque cognosceret. Reddunt Septuaginta (5): *Compedient eum pater ipsius & mater*.

℣. 4. CONFUNDENTUR UNUSQUISQUE EX VISIONE SUA. Res ipsa & eventus vaticiniorum hujusmodi inanitatem ostendent, nullo negotio unusquisque intelliget, verus ne Propheta sit an falsus: vaticinium ab eventu comprobari non patiar. Id ego efficiam, ut falsa docentium ac vaticinantium verbis, atque inani rerum & eventuum specie non decipiamini. Suas ipsorum fraudes sponte detectas mendaces isti conspicient.

NEC OPERIENTUR PALLIO SACCINO, UT MENTIANTUR. Populus exteriori verorum Prophetarum specie aut vestium similitudine non falletur (6). Hæc siquidem ita negligentur, ut falsi Prophetæ iis usuri non sint, quippe qui hoc illicium vanum fore intelligant. Vel: Frustra veri Prophetæ notas sibi arrogabunt: non audientur. Judæi quolibet tempore a deceptoribus nullo negotio fallebantur; neque unquam inter ipsos defuere, qui arte decipiendi multitudinem excellerent. Nonnulla horum exempla tradit Josephus; & Christus Jesus Matth. 7. 15. cavere jubet a *falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Dicendum est igitur, illud solummodo hoc vaticinio significari, falsos Prophetas multo pauciores minusque noxios inter Judæos fore, quam olim fuerint. Hebræus (7): *Nec operientur chlamyde pilosa*. Septuaginta (8): *Pelle villosa*. Vestes villosæ generatim minimi pretii non habebantur; solaque vilior materia earum, quibus utebantur Prophetæ, illas a cæteris secernebat. Vox *adereth*, quæ hic legitur, usurpatur etiam apud Jonam 3. 6. ut chlamydem Regis Ninives significet & apud Josue 7. 21. pallium elegantissimum, quod Achan in Jerichuntis direptione surripuit. Prophetica pallia e rudibus camelorum villis erant, seu ex ovium vellere, qualibus adhuc utuntur Arabes nonnulli in Palæstina. Corpus Esau Scriptura Gen. 25. 25. villosæ chlamydi simile fuisse testatur.

℣. 5. NON SUM PROPHETA; HOMO AGRICOLA EGO SUM. Consueta Prophetici instituti munera cum agrestis vitæ negotiis pugnabant. Amos, 7. 14. ut traditam sibi Prophetæ appellationem a se averteret, sese pastorem esse ait, sycomoros vellicantem. Cum Elias Elisæum ad sui clientelam vocaret, agriculturam dimittere jussit 3. Reg. 19. 20. Jesus Christus Apostolos eligens, illos a cymba, retibus, exedra removet (9). Hominem metuentem, ne Propheta a cæteris habeatur, aientem inducit Zacharias, se agricolam esse. Odiosum adeo futurum est falsorum Prophetarum nomen, ut vel ipsa meri Prophetæ appellatio vitanda sit probri loco.

QUONIAM ADAM EXEMPLUM MEUM AB ADOLESCENTIA MEA, Adami exemplo, humum exerceo sudoribus meis (10); atque hoc munere a primis adolescentiæ annis occupor. Quamobrem Prophetarum auditor esse nunquam potuit; meæque vitæ institutum a Prophetico me semper amovit. Hebræus (11): *Homo docuit me ab adolescentia mea*; vel, *emit me ab adolescentia mea*. Venditus sum in hanc artem: servio hero durissimo, qui a teneris usque annis me agriculturæ devovit. Sive: *Homo me operari facit ab adolescentia mea* (12). Septuaginta (13): *Homo genuit me ab adolescentia mea*: Filius agricolæ ego sum.

℣. 6. QUID SUNT PLAGÆ ISTÆ IN MEDIO MANUUM TUARUM? Siquis urgeat: Siquidem Prophetam non agis, quorsum hæc vulnera, seu stigmata, quæ in manibus geris? Uti vidimus supra ℣. 3. parentes hominis, qui falsi Prophetæ artem exerceret, ignito acutoque ferro stigmata illi inurebant minime delenda, quibus mendax esse agnosceretur. Sunt (14) qui hæc verba de vulneribus explicent, quibus Jesu Christi manus confossæ sunt: at versiculi hujus conjunctio cum superioribus vetat hæc ad illum referri, quæ ipsum contumelia affectura essent (15).

℣. 7. FRAMEA, SUSCITARE SUPER PASTOREM MEUM. Exorditur hic de Servatoris Passione vaticinium. Præceps hic ab una re ad alteram penitus alienam transitus Lectorem excitat ac movet: *Ensis, expergiscere, pastorem meum feri*. Quis porro pastor iste, nisi Christus Jesus, qui hoc Zachariæ vaticinium ipse ad se retulit, inquiens Matth. 26. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista: Scriptum est enim: Percutiam pastorem,*

[2] Apulej. de asino aur. lib. 9. [3] Plin. lib. 18. [4] Petron. Arbiter. [5] Συμποδίσουσιν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, & ἡ μήτηρ. Hebr. ודקרהו אביהו Eadem hic legitur vox, quam reddidere supra, Zach. XII. 10. κατωρχήσαντο. Cæteri Interpretes Græci: *Confixerunt*. Hieron. Ἐξεκέντησαν. [6] 4. Reg. 1. 8. & II. 8. Isai. XX. 2. Matth. III. 4. [7] ילבשו אדרת שער [8] Septuag. Δέῤῥιν τριχίνην. [9] Matth. IV. 20. 22. IX. 9. [10] Genes. III. 17. 18. 19. [11] כי אדם הקנני מנעורי [12] Ludov. de Dieu קנה Æthiopic. Operari. [13] Ὅτι ἄνθρωπος ἐγέννησέ με ἐκ νεότητός μου. [14] Rupert. & Riber. hic, D. Thom. in Psalm. 221. Salmeron. 1. 10. tract. 7. apud Sanct. [15] Vide Hieron. Cyrill. Theodor. Albert. Hugon. Haimon. Dionys. Lyran. Vat. Sanct. alios.

& dispergentur oves gregis. Quæ verba statim hic deinde leguntur: *Percute pastorem, & dispergentur oves*. Framea vox est e priscis Germanis orta, teste Tacito, ac proprie spiculum sonat. At Hebræus (15) habet *gladium*. Prophetæ passim gladium exhibent veluti anima instructum vorantem ac destruentem, tum experrectum, & denique quiescentem. Ita Poetæ furentem viventemque gladium exhibent, & Martem pro ense usurpant.

Supra pastorem meum, et super virum cohærentem mihi: adversus Christum Jesum, qui a Patre dividi nequit (16): *Ego & Pater unum sumus*; quique semper ea facit quæ illi placent (17): *Quæ placita sunt ei, facio semper*. Septuaginta (18): *Super pastorem meum, & virum civem meum*. Aquila: *Et super virum tribulem meum*. Symmachus: *Et super virum populi mei*. Theodotion: *Super virum proximum meum*. Hebraica vox (19) *hammithi* idem ferme sonat ac Latina, *popularis meus*, civis, amicus.

Convertam manum meam ad parvulos. Parvum gregem dispersum colligam: Apostolos confirmabo, & eos qui fugerant, revocabo. Aliter: Parvum Judæorum numerum servabo: *Extendam manum meam ad paucos* (20). Hæc explicatio cum consequentibus optime convenit. Septuaginta (21): *Extendam manum meam super pastores*. Pastores Israelis, qui Christum Jesum tradidere, severissime puniam.

℣. 8. Erunt in omni terra ... partes duæ in ea dispergentur ... et tertia pars relinquetur. Duas in partes Judæa omnis dividetur; alii enim in Christum Jesum credent; illum alii rejicient, deceptorem dicent, ac denique crucifigent. Tertia pars, quæ in patria remanebit, pulsis inde Judæis, Ethnicorum gens erit. Hæc ad Christum Jesum convertetur, ejusque Ecclesiam efficiet; ita ut ea Judæorum pars, quæ in Christum crediderat, magno Ethnicorum numero obruenda sit. Pars hæc peribit; at aliter plane ac prima, cum hæc revera perseveratura sit, solumque nomen amissura; uni enim Synagogæ peribit.

℣. 9. Ducam tertiam partem per ignem ærumnarum, eamque probabo uti aurum in fornace. Christiana Ecclesia ex Ethnicis conflata, trecentis amplius annis sævissimas hostium injurias passa est: at inde purior ac numerosior prodiit. Semen fuit Christianorum cruor, novos semper Christianos ferens. Purgata his artibus gens & probata, *vocat nomen Domini, & exaudit eam Deus: idemque populum suum eam nuncupat, eaque illum Deum suum nominat*. Hæc sunt verorum Fidelium indicia.

[15] חרב עורי Septuag. Ῥομφαία, ἐξεγέρθητι. Aqu. & Sym. Μάχαιρα. [16] Joan. x. 30.
[17] Joan. viii. 29. [18] Septuag. Ἐπὶ τὸν ποιμένα μου, ἐπ' ἄνδρα πολίτην μου. Aqu. Σύμφυλόν μου. Sym. Ἐπ' ἄνδρα τοῦ λαοῦ μου. Th. Ἐπ' ἄνδρα πλησίον μου. [19] ועל גבר עמיתי Vide Levit. xix. 11. 15. 17. xxiv. xxv. 14. 15. 17. [20] והשבתי ידי על הצעירים Hebræa vox צעיר usurpatur de parvo, infirmo, & de modico numero. Vide 2. Par. xxiv. 24. במצער אנשים באו Vide & Mich. v. 1. & Grot. hic.
[21] Ἐπάξω τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τοὺς ποιμένας. Ita & Arab. Syr. contra superiores.

CAPUT XIV.

Jerosolymæ obsidio. Deus in monte olivarum apparebit. Restauratur Jerosolyma, & præter modum augetur. Supplicia in illius osores. Populi Jerosolymam confluent adoraturi; qui vero non venerint, punientur. Ingens opum copia in Templo & Jerosolymis.

℣. 1. Ecce venient dies Domini, & dividentur spolia tua in medio tui. 2. Et
congregabo omnes Gentes ad Jerusalem in prœlium, & capietur civitas;
& vastabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars civitatis in
captivitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe. 3. Et egredietur Dominus, & prœliabitur contra Gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. 4. Et
stabunt pedes ejus in die illa super Montem olivarum, qui est contra Jerusalem ad
Orientem, & scindetur Mons olivarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, &
medium ejus ad Meridiem. 5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam
conjungetur vallis montium usque ad proximum, & fugietis, sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda: & veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. 6. Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus, & gelu. 7. Et erit
dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit
lux. 8. Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad
mare novissimum: in æstate, & in hyeme erunt. 9. Et erit Dominus Rex super
omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum. 10. Et
revertetur omnis terra usque ad desertum, & de colle Remmon ad Austrum Jerusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo, a porta Beniamin usque ad locum
portæ prioris, & usque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea, & anathema
non erit amplius, sed sedebit Jerusalem secura. 12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: tabescet caro
unius-

uniuscujusque stantis super pedes suos, & oculi ejus contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo. 13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus ejus super manum proximi sui. 14. Sed & Judas pugnabit adversus Jerusalem, & congregabuntur divitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis. 15. Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. 16. Et omnes, qui reliqui fuerint de universis Gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum. 17. Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. 18. Quod & si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 20. In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. 12. Et erit omnis lebes in Jerusalem, & in Juda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis, & non erit mercator ultra in domo domini exercituum in die illo.

Ỳ. 1. ECce venient dies Domini. Jungendum est hoc Caput cum superiori. Prædicta Servatoris Passione, fuga & reditu Apostolorum (1), futuras dicit Zacharias in Juda partes tres, quarum duæ perituræ sunt, tertia superstes erit. Tertia hæc pars Ethnicos significat, ad Christiana sacra conversos; cæteræ duæ Judæos. Qui ex iis Jesu Christo crediderint, Ethnicis ad Christum conversis jungentur; itaut una gens cum iis sint. Cæteri ex Judæis, qui pertinaces fuerint, per Romanos interibunt. Postremam hanc vaticinii partem mox visuri sumus hoc Capite, Judæorum scilicet pertinacium ruinam.

Dividentur spolia tua in medio tui. Jerosolymam, in ultima per Romanos obsidione, nihilo minus cives sui intra ipsam armati, quam externi hostes afflixere. Qui zelatorum nomen iniquissime usurpabant, quos locupletissimos e civibus noverant, hos spoliabant impune, ac necabant. Magna satis causa mortis erant aut divitiæ aut ingenuitas (2).

Ỳ. 2. Congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium. Hæc de Romanorum bello in Jerosolymam, intelligimus (3). Cum Vespasianus Judæam aggredi decrevisset, geminas ex Ægypto Legiones conscripsit, Romanisque copiis, quæ in Syria erant, adjunxit; tum auxiliares fœderatorum amicorumque undique accivit (4); ut vere dici queat ipsius exercitus ex innumera variarum gentium colluvie coaluisse; Romanis, Græcis, Syris, Ægyptiis, Arabibus, Idumæis, Phœnicibus, &c. Teste Tacito lib. 5. Hist. tres in Judæa Legiones invenerat Titus: duas ex Ægypto conscripsit, unam e Syria: tum viginti fœderatorum cohortes accessere, & octo equitum turmæ. Sohemus, Agrippa, & Antiochus non leves illi suppetias misere, præter ingentem Arabum manum: *Validaque, & solito inter accolas odio infensa Judæis Arabum manus.*

Capietur civitas, vastabuntur domus, ita ut nulla penitus stet (5). Nonnullas solummodo turres relinqui voluit Titus, ceu fortunæ suæ monumenta; ut nossent posteri, quam valida esset ea urbs, quam felicissime subegit.

Egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. Hæc pugnare videntur cum iis quæ diximus, nimirum penitus cecidisse Jerosolymam, nonnullis dumtaxat turribus in urbis loco relictis. Putant S. Hieronymus (6), S. Cyrillus, Eusebius, Hugo Cardinalis, aliique nonnulli, eam urbis partem servatam esse, quæ monti Moriæ & Sioni insidebat, solamque inferiorem urbem incendio esse voratam: id tamen ex Historiarum monumentis ægre probabunt. Legimus revera, authore Josepho de Bello l. 7. c. 15. Titum quadragenta amplius Judæorum millibus pepercisse, facta illis potestate manendi ubicumque videretur: at illos aut Jerosolymæ mansisse, aut domicilium in ea urbe illis fuisse permissum, nullibi legimus. Probabilius igitur cum Theodoreto dicemus, dimidiam Judæorum partem Jerosolymis periisse. Qui pertinacius in urbe per Romanos obsessa morati sunt, sepulcrum & exitium invenere: at qui fidem habuere Prophetarum minis, & Jesu Christi monitis (7), ii opportuna sibi consulentes fuga, necem vitavere. Reddi potest Hebræus (8): *Egredietur dimidium urbis in captivitatem, & reliquum populi urbis non exscindetur.* Quicquid in urbe reliquum fuerit, peribit: alii in exilium ducentur; alii vel fame vel gladio in ipsa urbe interibunt; at qui Jerosolymis recesserint, non exscindentur. Dimidia pars ex mero literarum sono hic accipienda non est, quemadmodum & Ỳ. 8. sed magnam totius partem solummodo significat.

Ỳ. 3. Et egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes illas; adversus Romanos, qui Jerusolymam Templumque cremaverint. Aliam explicationem exhibet Hebræus (9), aptiorem, & cum consequentibus melius nexam: *Egredietur Dominus, & præliabitur in gentibus illis*, vel *cum iis gentibus*. Ipsi profecto Romani fatebantur, numquam futurum fuisse, ut Jerosolymam expugnarent, nisi perspicua ope adfuisset Deus (10). Nonne inimicum sese illis præbuit Deus, tam multis e Cœlo signis, quæ Jerosolymis & in Templo micuere, fuse a Josepho narrata (11)? Author est Philostratus l. 6. c. 14. oblatam

 sibi

[1] Zach. XIII. [2] Vide Joseph. lib. 5. de bello, in Lat. cap. 1. & 2. [3] Ita Hieronym. hic; Euseb. Demonstr. lib. 2. cap. 15. Vide & Theodoret. in Isai. LVI. Ỳ. 3. Sanct. Drus. alii plures.
[4] Joseph. de Bello lib. 3. cap. 1. [5] Joseph. lib. 7. cap. 49. [6] Hieronym. & Cyrill. hic; Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 15. [7] Matth. XXIV. 16. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Vide sup. Zach. XI. 11. [8] ויצא חצי העיר בגולה ויתר העם לא יכרת מן העיר
[9] ויצא יהוה ונלחם בגוים ההם Septuag. Ἐν τοῖς ἔθνεσι. [10] Joseph. Antiqu. lib. 7. cap. 16.
[11] Joseph. Antiqu. lib. 7. cap. 12.

sibi coronam, ob victoriæ decus, rejecisse Titum, quod manum dumtaxat Deo in perniciem Judæorum conjurato sese præstitisse diceret, seque non authorem cædis esse, sed ministrum. Favent nostræ interpretationi Theodoretus, S. Cyrillus, & Eusebius.

℣. 4. Stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum. Ibi castra metabitur, ut Jerosolymam evertat. Hoc profecto in monte Titus decimam Legionem ab Hierichunte profectam statuit (12). Inde speculatus Jerosolymam Christus Jesus (13), futurum illius excidium prædixit. Ex eo denique loco in Cœlum sublatus est (14), urbemque ingratissimam luculentissime dereliquit.

Scindetur mons olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, prærupto grandi valde, &c. Alia montis pars ad septemtrionem cadet, alia ad meridiem; ita ut tota montis olivarum moles quatuor in partes scindatur, vel in minores montes quatuor, singulas versus mundi plagas. Frustra tentaveris horum verborum fidem adamussim ex literarum sono expletam demonstrare, nisi forte in supremo rerum exitu impletum iri affectas, quo tempore ineptum est ariolari quid eventurum sit, aut sententiam ferre, utrum vera an falsa futura sit quorumlibet Scriptorum explicatio. Olivarum mons integer adhuc stat, neque ullæ in eo voragines aut prærupta latera conspiciuntur. Illum tria in cacumina, vel tres in colles dividi, ex Itinerariis discimus, quorum collium medius editissimus est, humilior qui ad meridiem. Utrum vero tres hi colles ita steterint ab ipso rerum exordio, an aliquo terræ motu divisi, ignoramus. Plerisque Interpretum videtur hic Zacharias fracturam aliquo terræ motu partam innuere: at mihi potius probatur, innui profundas scrobes ac voragines, quas egestis e monte humo & lapidibus fecere Romani, ut aggeres, mœnia, vineas in valle Cedronis & ad meridiem Jerosolymæ struerent (15). Teste Josepho de Bello lib. 6. c. 12. in Latino, Titus, *facto initio a castris Assyriorum, ubi ipse tendebat, ad inferiorem novam urbem murum ducebat, & hinc per Cedronem ad Olivarum montem, dein revertens a meridie montem complexus est usque ad rupem quæ Peristereonos vocabatur, eique proximum collem, qui valli juxta Siloam imminebat.* Consueta Prophetarum oratione (16) interdum quassi dicuntur montes, discissi, lætitia exsultare, metu tremere, usque ad fundamenta turbari, partus doloribus cruciari, &c. ut intelligas, Deum perspicua præsentiæ suæ indicia exhibuisse, opem attulisse præter spem, non sine prodigio, magnum aliquod discrimen avertisse, ita fortasse hic Zacharias scissuras innuit, scrobes ac voragines, quas in monte Olivarum effecere Romani, sub montis imagine discissi, atque in partes quatuor divisi. Proximus huic deinde versiculus nostræ huic explicationi satis favet, uti statim videbimus.

℣. 5. Fugietis ad vallem montium eorum; ad vallem iis montibus clausam, ut imminentia commorantibus in urbe mala vitetis. Testis est non uno loco Josephus; non omnia undique urbis latera obsidionali muro valloque clausa fuisse, cum Judæi plures Jerosolymis elapsi sint. At Hebræus (17), Chaldæus, Septuaginta (18), cæterique veteres Interpretes Græci, assentientibus Græcis Patribus, nonnullisque Recentioribus, veluti Drusio, Grotio, aliisque, legunt: *Et claudetur*, obstruetur, *vallis montium meorum, quoniam vallis illa montium porrigetur usque ad Azal*, vel usque prope: *& obstruetur, uti obstructa est terræmotu tempore Oziæ.* Romani ut inæquale circa mœnia Jerosolymæ solum æquarent, præsertim in valle Cedronis, ingentem humus, lapidum lignorumque vim eo congessere. Cum vero murum arcesque circa urbem struere aggressi sunt, novis iterum terræ molibus opus fuit; ita ut, inquit Josephus (19), hortorum ædiumque privatorum muros everterint, ac per multa circum passuum millia ciderint quidquid arborum sylvestrium & frugiferarum erat: quamobrem universa ea regio, olim uberrima, in solitudinem redacta est. Terræmotus, qui sub Ozia contigit, meminit etiam Amos 1. 1. ac post Josephum Antiqu. l. 9. c. 11. vulgo accidisse creditur, quo tempore Ozias ausus est sacrum thus in Templo cremare (20). Si Vulgatæ versionem teneas, dicendum erit, Jerosolymæ populum fugisse per vallem, quam patens Olivarum mons fecit, uti vidimus ℣. 4. At si septuaginta Interpretes sequaris, putandum erit, partem montis olivarum eo tempore avulsam, in vallem Cedronis ruisse: id quod nullibi traditur.

Et veniet Dominus Deus, omnesque Sancti cum eo. Similem in Joele cap. 3. v. 2. 9. 12. descriptionem legimus, ubi de vindicta Domini in Assyrios, populo suo graves infensosque agitur. Moyses Dei illapsum in montem Sinai, ipsumque in fronte copiarum populi sui proficiscentem describens Deuter. 33. 2. innumeris illum exhibet Sanctorum millibus utrimque stipatum. Porro *Sancti* sunt Angeli, Divinæ voluntatis ministri, populusque sanctitate perfusus, atque a cæteris gentibus secretus. Hic illum inducit Zacharias in olivarum monte apparentem, instar Judicis, flagitiorum pœnam ex Jerosolyma expetentis. Finditur mons dividiturque, ceu illius præsentia territus; humus rupesque avelluntur, atque in subjectam vallem ruunt. Sancti, Deum majestatis comitantes, Angeli sunt, Dei vindictam exercentes, vel ipsimet Romani, quos ille accivit ut furorem suum in refractariam urbem persequantur. Agens de excidio Babylonis, a Persis expugnandæ, Isaias xiii. 3. Dei nomine ait: *Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea.* Sanctificare bellum, sanctificare milites, sanctificare gentem adversus gentem, sanctificare aliquem in diem occisionis (21), similesque aliæ locutiones familiari Hebræorum Prophetarumque sermone dumtaxat significant, parare, instruere, vocare, mittere in prælium. Dei vindictam describit Sophonias 1. 7. sub sacrificii imagine, quo vocantur convivæ, ii scilicet quibus imperatum est, ut vindictam persequantur. Diem Domini adesse ait: *Præparavit Dominus hostiam; sanctificavit vocatos suos.*

℣. 6. In die illa non erit lux, sed frigus et gelu. Dies lætitiam, nox ærumnas significant. Sol & æstus frigori, tenebris, gelu opponuntur. Qua die vindictam exercuerit in Jerosolymam Deus, miserrima urbs dolore, mœrore, ægritudine, desperatione obruetur. Agens de suprema Jerosolymæ calamitate Servator (22), futurum ait,

(12) Joseph. de bello lib. 6. cap. 3. in Lat. Vide & lib. 6. cap. 5. pag. 951. (13) Luc. xix. 41. cum Matth. xxiv. 2. 3. (14) Act. 1. 12. (15) Vide Grot. hic. (16) Psalm. xvii. 8. 16. Isai. xxiv. 8. Mich. vi. 2. Psalm. xlv. 4. xcvi. 5. cxiii. 4. 6. Mich. 1. 4. Nahum 1. 5. Habac. iii. 10.
(17) ונסתם גיא הרי כי יגיע גיא הרים אל אצל ונסתם כאשר נסתם מפני הרעש (18) Septuag. Καὶ ἐμφραχθήσεται ἡ κοιλὰς τῶν ὀρέων μου, καὶ συνάψεται ἡ φάραγξ τῶν ὀρέων Ἀζαὴλ, καὶ ἐμφραχθήσεται ὃν τρόπον ἐνεφράγη ἀπὸ προσώπου τοῦ σεισμοῦ ἐν ἡμέραις Ὀζίου βασιλέως. Ita alii, Aqu. Sym. Theodot. apud Hieron. hic. (19) Joseph. lib. 6. cap. 4. 5. Capite 14. idem asserit, opus demum fuisse, ligna & materiem nonaginta ab urbe stadiis, novem circiter passuum millibus, quærere. Vide initium Libri 7. (20) 4. Reg. xv. 5. & 2. Par. xxvi. 19.
(21) Jerem. vi. 4. xii. 3. xxii. 7. li. 27. 28. Joel iii. 9. Mich. iii. 5. (22) Matth. xxiv. 29. *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cælorum commovebuntur.*

ait, ut sol tenebras patiatur, luna non micet, stellæ labantur e cœlo, & Cœlorum virtutes quatiantur. Similes his locutiones habent Prophetæ, quibus extrema provinciarum, urbium ac gentium infortunia describunt (24). Hebræus qualem nunc legimus, corruptus esse videtur (25): *In die illa non erit lux pretiosa, sed spissa*, densa nubes. Chaldæus: *In tempore illo non erit lux, sed præda & gelu.*

℣. 7. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: et in tempore vesperi erit lux. Futurum est per id bellum tempus, quo prælii exitus ita incertus pendebit, ut dici nequeat, sit ne dies an nox; Judæi ne an Romani victores; at denique victoria iis stabit, quibus favet Deus, nempe Romanis. Diem hunc, uni Deo notum, quo tempore vaticinabatur Zacharias, ipse rei eventus ostendit. Duo narrat Josephus, ad quæ referri potest hic locus. I. Cum Titus (26) una cum equitibus sexcentis urbem circum undique exploraret, innumeri repente Judæi mœnibus erumpentes, facto impetu, illum cum modica suorum manu a cæteris sejunxerunt; quamobrem cum paucissimis, qui circa se erant, universam hostium multitudinem sustinere coactus est, ac per medios hostes, undique jaculantes, iter sibi stravere ad suos. II. Cum Judæi (27), incensis Romanorum operibus, illos usque intra castra compulerunt, ubi veluti obsessi claudebantur; donec opem ferens Titus, illorum animos confirmavit, coegitque Judæos intra urbem fugere, tanta ipsorum cæde, inquit Josephus, ut si ad vesperam usque resistissent, omnes penitus essent perituri. Hoc igitur est quod prædicit Zacharias: *In tempore vesperi erit lux.*

℣. 8. In die illa exibunt aquæ vivæ de Jerusalem. Novum hic argumentum exhibet Zacharias. Hactenus nimirum de extrema Jerosolymæ calamitate: nunc alterius Jerosolymæ, Ecclesiæ scilicet Christianæ, felicitatem statumque florentissimum aggreditur. Ipsimet Judæi, & qui illorum interpretationes sequuntur, opus est fateantur, hæc verba de terrena Jerosolyma ad verbum usurpari non posse; sive illam post Antiochi Epiphanis furias, sive post extremam per Romanos expugnationem intueantur. Quamobrem ad tropicam explicationem confugere necesse est, alteramque Jerosolymam, a priori penitus alienam, quærere. Jerosolymæ situs, teste S. Hieronymo (28), totius Palæstinæ sterilissimus erat & aridissimus. Lapidosus circa illam ager, & aquis carens; inopia fontium pluviis aquis uti cogitur, & pro puteis cisternas habet. Gemini revera fontes prope urbem erant, ad orientem alter, & alter ad occidentem: at quantulum id erat tantæ urbi, quæ duplici monti insidens, ægerrime ab omnibus suis partibus ad geminum hunc fontem descendere poterat? Satis aquarum in ipsius urbis usum esse, asserit Strabo lib. 16. at agrum circa penitus arentem & lapidosum, spatio stadiorum sexaginta, vel septem amplius millium passuum. Quamobrem *aquæ vivæ* Jerosolyma egredientes, eædem sunt, quarum meminit, quasi per transennam præteriens, Capite XIII. (29); quasque apud Ezechielem 47. I. legimus, & apud Joelem 3. 18. Aquæ hujusmodi figura sunt Baptismatis, cæterorumque Ecclesiæ Sacramentorum, Evangelicæ Doctrinæ, & gratiæ Spiritus Sancti. Eadem est *aqua viva*, quam Christus Jesus Samaritanæ fœminæ promittit Joan. 4. 10. *salientem in vitam æternam; quam qui biberit, non sitiet in æternum.* Denique sunt *aquæ vivæ fluentes de ventre* eorum, qui Christo Jesu credunt Joan. 7. 38.

Medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum. Altera hujusmodi aquarum pars Jerosolymis mare mortuum versus, quod mare orientale est, fluet, altera ad mare occiduum, sive Mediterraneum. Illa Judæos, hæc Ethnicos designat (30). Evangelii dogmata tradita sunt Ethnicis & Judæis; at quanto amplius mari mortuo est Mediterraneum, tanto magis Ethnicorum Ecclesia modicum Judæorum numerum, ad Christi sacra conversorum, superatura est.

℣. 9. Et erit Dominus Rex super omnem terram: erit Dominus unus. Unus ac necessarius Ecclesiæ suæ Princeps est Christus Jesus. Huic uni omnes parent Pastores; atque horum nobilissimi sese servorum Dei servos esse gloriantur. *Vos vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim*, inquit Christus Joan. 13. 13. Potestas omnis tradita illi est in Cœlo terraque (31); & audito Jesu nomine omne genu flectitur, in cœlo, terra & inferis (32).

℣. 10. Revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle, Remmon. Universa regio iterum frequentabitur, vel in locis maxime desertis, a colle ad Remmon usque. Jerosolymæ Judaicæ limites nunquam adeo prorogati sunt, aut prorogabuntur. Quamobrem de altera Jerusolyma, cujus figura fuerit terrestris Jerosolyma, hic locus intelligendus est. Jerosolymæ limites describuntur hic a Gabaa, vel ab edito loco, ad Remmon usque. Gabaa quinque vel sex passuum millibus aberat ab Jerosolyma, septemtrionem versus: Remmon ad meridiem jacebat, incertum quo intervallo. Forte etiam Gabaa absolute pro edito loco, Remmon pro malo punico usurpatur. Cæterum consule Tabulam Jerosolymæ.

℣. 11. Anathema non erit amplius; Jerosolyma in posterum anathemate non ferietur; vel, extremo penitus excidio non damnabitur, veluti urbes, quæ ex Legis sanctione anathemati devoventur (33). Aliquo certe detrimento a domesticis externisque hostibus Jesu Christi Ecclesia affici potest; at cum illius fundamenta lapidi innitantur, ruinæ obnoxia non est, atque ad exitum usque sæculorum stabit.

℣. 12. Tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos. Perspicuam luculentamque vindictam in Ecclesiæ suæ hostes frequenter exercuit Deus. Herodes Magnus, primus ipsius Jesu Christi inimicus, putredine vermibusque consumptus, atque ipse sibi gravis, obiit (34). Herodes Agrippa, qui nascentem Ecclesiam insectatus est, quique Jacobum Apostolum, Joannis fratrem, necavit, morbo gravissimo affectus, *consumptus a vermibus expiravit* (35). Nero, primus Christianorum hostis, necem sibi miserrime consciscere coactus est (36); Domitianus a Conjuratis domi suæ necatus (37). Maximianus Imperator, sævitia in Ecclesiam notissimus, occulto ulcere, viscera depascente, & crudelissime cruciante, voratus periit. Innumera vermium multitudo, orta e corporis tabo, terrum odorem exhalabant (38). Vitam clausit furens, & inanissime dolens, quod

tam

(24) Psalm. CVI. 10. Isai. V. 30. XIII. 7. 16. L. 3. LIX. 9. Ezech. XXXII. 8. Joel II. 5. 31. Amos V. 17. Apoc. 12. 2. (25) והיה ביום ההיא לא יהיה אור יקרים וקפאון (26) Joseph. de Bello lib. 5. c. 2. pag. 907. 908. (27) Idem lib. 6. cap. 12. pag. 915. 918. (28) Hieronym. in Isai. XLIX. *Jerusalem totius Provinciæ deserrima est, & saxosis montibus asperatur, & penuriam patitur sitis, itant cœlestibus utatur pluviis, & raritatem fontium, cisternarum extructione soletur.* (29) Cap. XIII. I. *In die illa erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* (30) Hieronym. Cyrill. Haimo. (31) Matth. XXVIII. 18. (32) Philipp. II. 10. (33) Vide Levit. XXVII. 21. 28. 29. & Num. XXI. 2. & Deut. VII. 2. 26. XIII. 15. (34) Antiq. lib. 17. c. 9. & lib. 1. de Bello cap. ult. p. 772. 757. (35) Act. XII. 23. Joseph. Antiq. XIX. cap. 7. (36) Sueton. in Nerone. (37) Idem in Domitiano (38) Euseb. lib. 1. vitæ Constant. cap. 57.

tam multos innoxios neci daderit, Hujus Collega, & sævitiæ particeps Maximinus, Divini furoris vim minime effugit. Oculis e capite sponte lapsis, cæcus reliquum vitæ spatium egit, quod brevissimum fuit; ita enim languido remansit corpore ac tenui, ut hærente ossibus cute, simulacrum hominis potius, quam vivens homo videretur (39). Dixeris, Zachariam suismet oculis hæc aspexisse, cum diceret, hos Dei hostes *stantes super pedes suos* esse *morituros*, ac futurum ut *caro uniuscujusque* e corpore *tabesceret*, *oculi eorum contabescerent in foraminibus suis*, *& lingua eorum contabesceret in ore suo*. Historico sensu, referri hæc possunt ad bella, quæ post captivitatem gessere Judæi cum finitimis, Gog seu Cambyse, & Antiocho Epiphane. Confer Zachariam II. 8. 9. 10. XII. 9. 10. XIV. 12. 13. Origenes & Theodoretus in Psalmum CXVII. Zachariam recitant, veluti hæc bella prædixerit.

℣. 13. Erit tumultus Domini magnus in eis. Ecclesiam magnopere terreri sinet Deus, hostes undique in se armatos conspicientem; & certe si miserum hoc tempus diuturnum fuisset, ipsimet Electi tot ærumnis fortasse cessissent. Id luculentissime prædixit Discipulis Christus Matt. XXIV. 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet; & nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter Electos breviabuntur dies illi.*

Apprehendet vir manum proximi sui. Duplex loci hujus explicatio est: Alter alterius manum prehendet; frater a fratre opem quæret: Christiani inter inimicorum odia mutuam sibi opem afferent, & manum invicem porrigent. Vel contra: Frater alterius fratris manum capiet, suaque manu manum illius impediet, ut illum in hostis potestatem tradat, prohibeatque ne sese ille tueatur. Postrema hæc explicatio congruere aptius cum Hebræo videtur (40), & cum consequentibus conjungi. Prædixerat Christus Matth. X. 21. 36. futurum, ut frater fratrem traderet, & amicum amicus; filium pater, & filius patrem; & uniuscujusque propinquos, illi fore inimicissimos.

℣. 14. Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem. Primi atque acerrimi Ecclesiæ hostes fuere Judæi. Post S. Stephani necem, sæva adeo in Ecclesiam Jerosolymitanam odia exarsere, ut Christiani omnes, præter Apostolos, per Judæam & Samariam dissipati fuerint (41). Saulus post multa & luculentissima furoris sui argumenta, in nece S. Stephani exhibita, furore adhuc plenus, & cruorem anhelans, literas a Principibus Sacerdotum impetravit, quibus ipse juberetur quærere Damasci eos, qui de Jesu Christi nomine dicerentur, eosque in custodiam datos, Jerosolymam trahere (42). Idem vero Paulus, ad Christum conversus, quam multa ex fratribus suis passus est (43)? Quoties in Theatris Judæi Christianos ad bestias depoposcerunt? In S. Polycarpi martyrio, Judæi maxime omnium sæviebant.

Congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu. Gentes ad Christi sacra conversæ certatim opes suas ad Apostolorum pedes ac successorum contulere. Christianorum charitas nedum Domini Ministros, ac Divini verbi Præcones aluit, verum etiam inopes, viduas, pupillos, Templaque magnificentissime ornavit. Ingentes Ecclesiarum opes vel primis Christianæ Religionis sæculis ipsi Ethnici mirabantur. Julianus Apostata summo animi mœrore hoc ipsum videbat. (44) *Ecce quam sumptuosis vasis Filio Mariæ ministratur*, ajebat apostata indignissimus Felix, Julianum apostatam alloquens, cum sacra vasa a Constantino & Constantio consecrata intueretur.

℣. 15. Et sic erit ruina equi et muli ... et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. Equi, muli, & cætera jumenta, quæ in eorum castris fuerint, eadem plaga ferientur. Nullis historiarum monumentis discimus, equos & jumenta hostium Ecclesiæ eamdem dominorum fortunam subiisse. Raro Scriptores hoc rerum genus colligunt, quæ a posteris minimi fiunt. Non desunt Interpretes, qui equorum mulorumque nomine intelligant gregarios milites, populosque rudes ac stolidos, qui temere Christianam Religionem odere, quam minime noverant. Dubium certe non est, quin illos, non secus atque Imperatores, punierit Deus; atque hæc causa fuerit tot ærumnarum, quibus obrutum est Imperium, postquam bellum Sanctis indixit. Unde cædes exercituum Diocletiani, Maximiani, Licinii, Maxentii, Juliani, nisi ex militum impietate, pravoque studio Dominos imitandi, qui Christianam Religionem vexabant?

℣. 16. Omnes qui reliqui fuerint ... ascendent de anno in annum, ut adorent Regem Dominum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum. Errorem denique agnoscent Ethnici, & ii, quibus pepercerit Deus, in Ecclesiam confluent, Festosque dies cum Fidelibus celebrabunt. Id potissimum micuit sub Constantino, quo tempore, post innumeras ærumnas ac procellas, Christiana Religio ubique triumphavit, absolutamque libertatem adepta est. Festum Tabernaculorum ab Judæis celebrabatur, ut memoriam itineris per solitudinem revocarent. Nulla hujus nominis festa dies apud Christianos est; at conversi ad Christum Ethnici solemni ritu in sacro Epiphaniæ Festo grates Deo agunt, quod sese e tenebris eductos in admirabile lumen suum vocaverit, *Qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum*. 1. Petri 2. 9.

℣. 17. Et erit: qui non ascenderit .... non erit super eum imber. Ecclesiæ preces, Sacramenta, salutis verba, quæ in Templis nunciantur, fontes bonorum sunt, Divinorumque beneficiorum. Ubi duo vel tres nomine Jesu Christi congregati fuerint, ipse medius illorum est (45). Væ iis, qui ab Ecclesiæ communione secesserint: similes erunt palmiti a vite avulso. Væ, qui a sacris cœtibus absunt, aut scelerum merito digni sunt, qui ab iis removeantur: ii participes esse desinunt precum Ecclesiæ, ex quibus, veluti e fonte spiritualis gratiæ imber manat. Væ denique Infidelibus, Ethnicis, Judæis, incredulis, quos imber minime irrigabit. Nulla extra Ecclesiam salus.

℣. 18. Erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint, ut Festum diem celebrent. Alienis olim minime imperabat Deus, ut ad Templum convenirent, festos populo suo dies celebraturi: imo nedum non imperabat, verum etiam severissima lege interdicebat, ne illi accederent (46). Nonnullos etiam penitus, aut diuturnum ad tempus excludebat, ne in cœtum populi sui admitterentur (47), circumcisione initiati, & Judaicam Religionem professi. Nunc ab his ipsis illud solummodo postulat, ut ad Templum suum confluant, mala extrema minitatus, nisi obtemperaverint. Innuit id Christus parabola Regis, amicos ad convivium vocantis, iisque renuentibus, inopes, ægros & claudos, impletoque nondum cœnaculo, obvios quoslibet ingredi cogentis: *Compelle intrare*. Luc. XIV. 24. Quamdiu vulgatum non fuerat Evangelium, ali-

(39) Idem ibid. cap. 50. (40) והחזיקו איש יד רעהו ועלתה ידו על יד רעהו (41) Act. VIII. 1.
(42) Act. IX. 1. & seq. (43) 2. Cor. XI. 24. 26. (44) Vide Theodoret. lib. 2. cap. 11. 12.
(45) Matth. XVIII. 20. (46) Levit. XXII. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro; & quicquid aliud dare volueris, quia corrupta & maculata sunt omnia, non suscipietis ea*. Vide & Exod. XIII. 48.
(47) Deut. XXIII. 1. 2. 3. &c.

aliquis erat Ethnicis excusationi locus: suo ipsorum arbitrio illos reliquerat Deus, ac suas unusquisque libidines sectabatur: at ounciata per Christum gentibus universis veritate, ejusque verbo ad extremos usque terrarum fines allato, nulla est excusatio. Si quis non credat, ad Ecclesiam non veniat, Festos Domini dies non celebret, reus est criminis Ægypti gentiumque exterorum: *Hoc erit peccatum Ægypti; & hoc peccatum omnium gentium* ℣. 19.

℣. 20. ERIT QUOD SUPER FRÆNUM EQUI EST, SANCTUM DOMINO. Aurum argentumque, quo phaleræ & ephippia equorum ornantur, sacrum Domino erit. Milites, Principes, fortes viri confluent, ut obsequium Domino exhibeant, rebus charissimis ac pretiosissimis illi dedicatis. Id præsertim in Constantino micuit, qui ditata sacris vasis Ecclesia, munificentiam suam commendavit. Illum imitari quovis tempore piissimi Principes ac liberales, amplissima munificentiæ monumenta in Christianorum Templis reliquere. Aliter multo redditur Hebræus (49): *Quod est super tintinnabula equi, sanctum erit Domino*. Vel: Equorum tintinnabulis cæterisque ornamentis inscribetur: Sanctum Domino. Sunt qui vertant: *Inscribetur præsepibus equorum: Sanctum Domino*. Sordidissima loca purgabuntur, Deoque consecrabuntur. Aquila & Theodotion (50) reddidere *profundum*, id quod Septuaginta *frænum*; & Hebræus S. Hieronymi Doctor, *phaleras* vel ornamenta equorum. Fræna olim erant splendidissima, & interdum aurea. Æneid. 8.

Frænaque bina meus quæ nunc habet aurea Pallas.

In Darii castris ab Alexandro superati (51), *jacebant toto campo opes Regiæ, aurea vasa, aurei fræni*. Equos a Rege Latino ad Æneam dono missos describens Virgilius Æneid. 7. ait:

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Credimus, Hebraicam vocem significare tintinnabula, quibus bellicorum equorum habenæ & collum ornabantur, ut illi fragori assuescerent; atque ita vertimus: *Et erit super tintinnabula equorum inscriptum hoc lemma: Sanctum Domino*. Vide Dissertationem de Musicis Hebræorum instrumentis, ubi de *mizeloth*, quæ hic nominantur.

ERUNT LEBETES IN DOMO DOMINI, QUASI PHIALÆ CORAM ALTARI. Lebetes, ollæ, & reliqua privatarum ædium supellex Domino dedicabuntur: ita nimirum sacræ & inviolabiles erunt, uti pateræ, quarum usus est ad fundendum super altare sanguinem. Quibus verbis significatur, Iesu Christi Religionem non unum intra Templum, aut unam urbem, gentemve seu Provinciam esse moraturam, sed orbem universum occupaturam: futuros ubique Fideles, Ecclesias, sacra Domino vasa; sacrificia ubique Deo immolatum iri; Sacerdotes ac Ministros ubique futuros; Sacerdotium denique sacrumque ministerium non uni familiæ addictum fore, uti apud Judæos erat. Hoc ipsum habet versiculo consequenti.

℣. 21. ET NON ERIT MERCATOR ULTRA IN DOMO DOMINI. Nullę deinceps columbę, aut vituli, vel arietes in usum sacrificiorum in Templo erunt. Christianorum sacrificia alterius generis sunt ab antiquis. Apud Christianos unum est sacrificium, Dei humanis artubus induti Corpus & Sanguis, Iesus Christus, ut hoc vaticinium expleat, a Patris sui Templo mercatores & nummularios ejicit; horum mensas everrit, eosque flagro pellit, increpans, Domum Patris sui non esse negotiationis domum: *Nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis*. Ioan. 2. 16.

Septuaginta (52), Syrus, Arabs, novique Interpretes multi (53): *Non erit ultra Chananæus in domo Domini*. Nullus deinceps ibi erit profanus aut impius. Vel: Nullum erit in posterum discrimen Iudęos inter & Chananęos. Chananęi & alieni appellatio prorsus delebitur. Qui crediderit, intra Domum Domini admittetur, neque quis olim ipse fuerit, quisquam recordabitur. Pares erunt Chananęus, Iudęus, Barbarus, dum credant, justi sint & fideles.

(49) יהיה על מצילות הסוס קדש ליהוה (50) מצילות Aqu. & Theod. Βυθὸς. Septuag. Χαλινὸς. Sym. Περίπατον σύσκιον, *incessum umbrosum*. Hieron. hic. (51) Q. Curt. lib. 3. (52) Septuag. Καὶ οὐκ ἔσται ἔτι Χαναναῖος ἐν τῷ οἴκῳ Κυρίου. Heb. ולא יהיה כנעני עוד (53) Munst. Jun. Tremel. Tig. Drus. Pisc.

FINIS COMMENTARII IN ZACHARIAM.

IN

IN MALACHIAM
PROLEGOMENON.



A, quæ ad Malachiam ſpectant, in ambiguo adeo verſantur, ut ne viri quidem nomen ſatis conſtet; quam enim obtinet denominatio, hæc munus potius deſignare videtur; ſonat enim miſſum, Angelum, ſeu Prophetam Domini; quam communem fuiſſe ea ætate Prophetarum omnium appellationem, ex Aggæo (1) intelligimus. Septuaginta Hebræum מלאכי *Malachim* reddiderunt Ἄγγελος αὐτοῦ, *Angelus ejus*; eodemque Angeli nomine noſtrum Prophetam laudant Patrum Græcorum & Latinorum nonnulli (2). Utroque, & Malachiæ & Angeli Domini utitur Scriptor quarti Eſdræ I. 41. utrumque etiam jungit Tertullianus; unicum vero Malachiæ adhibent S. Juſtinus Martyr, & Irenæus. Origenes ſerio putavit, non virum fuiſſe, ſed Angelum exuviis mortalibus indutum (3). Veteres Hebræi apud Hieron. in Præfat. Malach. Paraphraſtes Chaldæus, S. Hieronymus ibidem, Rupertus Abbas ſuſpicati ſunt, Malachiæ nomine Eſdram deſignari. Hæc omnia nihilo certiori fide aſſeruntur, quam quæ narrant Pſeudo-Epiphanius, Dorotheuſque, & Chronicon Alexandrinum de Sapha urbe in Tribu Zabulonis viri patria, cui ex docilitate morum, & ex præſentia Angeli ejuſdem Prophetæ verba perſpicue coram populo confirmantis, Angeli nomen inditum eſt. Immatura morte obiiſſe, & tumulo parentum ſuorum illatum, ferunt.

Quod in ea re certum videtur, illud eſt, nimirum Malachiam ſub Nehemia, & poſt Aggæum, & Zachariam munus iniviſſe, quo tempore Templum jam reſtitutum ſtabat (4). Inter Sacerdotes & populum Juda licentia, quam acrioribus verbis Propheta reprehendit, nimis obtinebat. Fœdus a Nehemia inter medios Sacerdotes & Optimates gentis ſuæ cum Domino renovatum (5), ſpectare videtur (6); quemadmodum de fame ſub Nehemia graſſante (7) apte intelligenda ſunt verba capitis III. 10. &c. Invehitur non raro in Sacerdotes (8), qui Dei nomini invidiam ſceleribus creant, fœduſque cum illo initum violant. Plora in Miniſtris Domini vitia nactus eſt Nehemias (9). Ductas inauſpicato uxores alienigenas Judæis exprobrat Malachias (10), in fratres ſævitiam (11), divortii facilitatem (12), in ſolvendis decimis & primitiis ſocordiam (13), pronum in ſeditionem adverſus Deum ingenium (14). Hæc omnia ſatis congruunt cum ſceleribus in populo ſub Nehemia gliſcentibus (15), ut & de ætate ejuſdem Prophetæ documentum ſint apertiſſimum.

Omnium V. T. Prophetarum, quorum ſcripta ſuperſunt, noviſſimus Malachias CD. circiter annis Jeſum Chriſtum præceſſit; neque obſcuro prædixit oraculo divini Præcurſoris adventum (16), tum & duplicem alterum Jeſu Chriſti (17). Horrorem poſtremi judicii ſub imagine poſtremæ Romanorum in Judæos expeditionis exhibet; ſimul edicens Eliæ adventum, quo nomine & S. Joannem Baptiſtam & Eliam Prophetam deſignavit, quorum primus priorem Meſſiæ adventum, alter alterum ſub exitum Mundi præverteret. Agit de ſacrificio novæ Legis, & veterum ſacrorum abrogatione. Vide Malach. I. 10. II. 12. Poſt Malachiam nemo alius, quem noverimus, Propheta fidei ſatis aſſertæ uſque ad S. Joannem Baptiſtam in Iſraele claruit.

---

(1) Agg. I. 13. *Dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini*. Vide etiam Malachiam III. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam, &c.* (2) Clemens Alexand. lib. 1. Strom. Tertull. contra Jud. cap. 5. Malachiam Angelum unum ex XII. Prophetis. (3) Origen. com. 2. in Joan. Vide Hieron. in Agg. 1. Præfat. in Malach. Epiſt. ad Evagrium. (4) Theodoret. in Malach. Uſſer. ad an. 3583. (5) 2. Eſdr. IX. 38. 2. 1. 2. &c. (6) Cap. II. 4. &c. (7) 2. Eſdr. V. 2. XIII. 20. (8) Malach. I. 6. &c. II. 1. 2. &c. (9) 2. Eſdr. V. 12. XIII. 4. 5. (10) Malach. II. 11. (11) Ibid. ℣. 10. III. 5. (12) Ibid. ℣. 13. (13) Malach. III. 10. (14) Malach. II. 17. III. 14. 15. (15) Vide 2. Eſdr. V. 1. &c. IV. 1. 2. XIII. 17. 19. 23. XIX. 43. 44. XIII. 10. (16) Malach. III. 1. (17) Ibid. 1. 2. 3. 4. 5.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN MALACHIAM.

CAPUT PRIMUM.

Judæi erga Deum, qui Jacobum, relicto Esau, elegit, ingrati. Domini Sacerdotes Altare, atque oblata in eo munera spernunt. Horum oblationes rejiciet Deus, puramque oblationem, quæ ubique ipsi exhibebitur, excipiet.

℣. 1. ONus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ. 2. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, 3. Esau autem odio habui, & posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti? 4. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus, quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus usque in æternum. 5. Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. 6. Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? Ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? 7. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. 8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. 9. Et nunc deprecamini vultum Dei, ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. 10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. 11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. 12. Et vos polluistis illud in eo, quod dicitis: Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur, contemptibile est, cum igne, qui illud devorat. 13. Et dixistis: Ecce de labore, & exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum; & intulistis de rapinis claudum, & languidum; & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

℣. 1. ONUS VERBI DOMINI AD ISRAEL, IN MANU MALACHIÆ (1). Dei minæ in Israelem per Malachiam. S. Hieronymus in Versione & Commentario (2) ubique legit *Malachi*, non *Malachiam*. Prior vox *Angelum meum*; altera *Angelum Domini* significat. Septuaginta (3): *Assumptio verbi Domini super Israel in manu Angeli ejus*. Postrema hæc verba priscis nonnullis, veluti Origeni (4), persuasere, Prophetam, cujus explicationem aggredimur, Angelum fuisse de cœlo missum. Cæteri e Græcis Interpretes reddidere *Malachi*, uti S. Hieronymus. Vide Prolegomenon. Sacerdotes, atque omnes universe Israelitas hic acerrime arguit Deus incuriæ in Divinis obsequiis victimisque offerendis ac muneribus, qualia in Lege imperabantur; eosque ingrati animi vitio damnat, quod suam erga ipsos benevolentiam minimi fecerint; minitaturque futurum,

(1) משא דבר יהוה אל ישראל ביד מלאכי (2) Vide nov. Edit. Hieron. (3) Λῆμμα λόγου Κυρίου ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ. (4) Vide Hieron. Præfat. in Malach.

rum, ut ipsos rejiciat, aliumque populum atque alia sacrificia eligat.

ỳ. 2. DILEXI VOS, DICIT DOMINUS; ET DIXISTIS: IN QUO DILEXISTI NOS? Iratus ingratissimo populo Deus, illum arguit, quod tam multa & perspicua amoris sui indicia non agnoverit. Pervicacissima gens, divina beneficia non sentiens, postulat, quænam is dederit amoris argumenta. Cave putes, Israelitas eo usque temeritatis unquam pervenisse, ut hæc dicerent: *In quo dilexisti nos?* At Deus pessima animi illorum sensa promit (5); cogitationes aperit, atque interpretatur. Cum beneficiorum meorum obliviscimini, mihique remisse adeo obsequia præstatis, vilissima quæque altari meo sistitis, meumque cultum & gloriam minimi facitis, quid nisi postularis, quo argumento vos mihi caros fuisse docuerim? Mos Scripturę est dicere quę quis cogitavit, ab illo esse prolata, vel aliquem pronunciasse, quæ non protulit quidem, sed ita se gerit, quasi ea sentiat ac proferat. Ita impius negare dicitur Deum esse, quod ita se gerat, quasi esse non credat.

ỳ. 3. DILEXI JACOB, ESAU AUTEM ODIO HABUI. Æque mei erant uterque; & ambos hominis mihi carissimi filios, æque felices efficere poteram, vel utrumque deserere: attamen amavi Jacobum, Esavum odi. Major natu erat hic, & patri carissimus: at ipsi Jacobum prætuli; atque ad Jacobum jura & commoda majoris natu converti: innumeros illi posteros dedi, regionem eximiam, imperium in fratrem; &, quod caput est, memet illius familiæ ostendi, eamque populi mei loco ac nomine elegi; statui in Jacobo domicilium, & in Israele imperium. Hæc pro Jacobo egi, Esavum exuens juribus, quę natalium ipsius dignitati debebantur, sterilemque & aridum agrum illi tribuens, ejusque posteros imperio Judæ subjiciens. Cumque illa scias, postulare non vereberis, quodnam tibi exhibuerim mei erga te amoris indicium? Ullo ne unquam tempore benevolentiæ meæ argumenta tibi præbere cessavi? Cui unquam gentium ea, quæ tibi, largitus sum?

S. Paulus Rom. IX. 11. locum hunc recitat, ut ostendat, homines a Deo eligi vel reprobari, antequam illi quicquam bene aut male gesserint. *Rebecca*, inquit, *ex uno concubitu habens* geminos in utero filios *Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Res a se creatas non odit Deus temere, unaque hac de causa, quis nimirum odisse vult: *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti* (6): sed in in Esau malum oderat, quod in illo jam erat, pessimasque animi illius habitudines, & flagitia, quæ ab eo patratum iri prævidebat, uti sentiunt S. Hieronymus (7), ac Theodoretus (8). Vel, Geminos hosce fratres exhibebat, ceu Electorum ac reproborum figuram, quemadmodum S. Paulus, ac deinde S. Augustinus (9), & Scriptores plerique docuerunt. Divina ope & beneficiis occupatus Jacob, & fratri præpositus, antequam nasceretur, imago est Electurum, quos Deus gratuitæ prorsus misericordiæ beneficio e massa perditionis eruit; reprobis in ea massa relictus, occulto justitiæ suæ consilio. Hos repræsentat Esau; ex quo tamen minime colligendum est, illum revera invisum Deo fuisse, aut reprobatum. Aliud est figuram esse & symbolum; aliud rem ipsam esse quæ repræsentatur. Peccatoris imaginem assumpsit Christus; at peccator non fuit. Moyses, aditu promissæ regionis exclusus, symbolum est Judæorum, quos rejecit Deus; quamvis ipse vir Dei fuerit, ac Dei amicus, ipsum alloquens coram. Jacob, inquit Scriptura, oderat Liam, quia remissius amabat quam Rachelem; & imperat Christus, ut parentes oderimus, minus nempe amemus quam Deum.

POSUI MONTES EJUS IN SOLITUDINEM, ET HÆREDITATEM EJUS IN DRACONES DESERTI; draconibus dereliqui. Direpti fuere a Nabuchodonosoris exercitu Idumæi, anno post expugnationem Jerosolymæ quinto, ut in Abdiam (10) & Ezechielem (11) ostendimus. Horum ager, natura sterilis, solitudini similis deinceps fuit, atque ab incolis pene desertus, quorum plerique fugere in regionem Juda, domino tunc & habitatore carentem, populo Babylone captivo. At paulatim Idumæa iterum floruit, sperabatque Edom fore, ut urbes suę iterum surgerent, suaque damna repararentur. Innuit id his verbis Propheta: ỳ. 4. *Destructi sumus; sed revertentes, ædificabimus quæ destructa sunt.* His Idumæorum fortunis, quamquam levissimis, invidentes Judæi, querendi occasionem inde capiebant: Quid nobis largitus est Deus, quod reliquis non dederit? An feliciores Idumæis sumus, Moabitis, Ammonitis? Nonne patriam hi repetiere, uti nos? Respondet Malachias, ingens inter utrosque esse discrimen; futurum scilicet, ut Juda diu stet, floreat, radices agat, & imperium late porrigat; cæteri labantur, serviant, ac denique pereant: *Ipsi ædificabunt, & ego destruam; & vocabuntur termini impietatis, &c.* Versiculum hunc Septuaginta ita reddunt (12): *Statui terminos eorum in desolationem, & hæreditatem eorum in domata deserti.* At Hebræus (13) cum Vulgata consentiens fert, montes Idumææ in solitudinem a Deo esse derelictos, & Idumæorum hæreditatem *draconibus*, anguibus, cæterisque bestiis humi repentibus. Eodem hoc nomine appellantur ingentes maris aut fluminum pisces.

ỳ. 4. ISTI ÆDIFICABUNT, ET EGO DESTRUAM. Idumæi sedes iterum in montibus suis ponent, urbes restituent; at in illos Deus excitaturus est Macchabæos, a quibus & expugnati sunt, & circumcisionem cæterasque Judæorum Leges ac ritus sequi coacti sunt (14).

VOCABUNTUR TERMINI IMPIETATIS. In illos Deus veluti in impios scelestosque animadvertet; iram perspicue exeret, gravique manu illos semper opprimet: *Populus cui iratus est Dominus usque in æternum*, Regio ultioni devota, quam implacabili odio prosequitur Deus.

ỳ. 5. VOS DICETIS: MAGNIFICETUR DOMINUS SUPER TERMINUM ISRAEL. Ubi vindictam meam in Idumæos videritis, vos a me amari intelligetis, eamque laudabitis, omnesque regionis vestræ fines undique vocabitis, ut ad laudes mihi canen-

(5) Theodoret. hic: Οὐκ εἰς [illegible] ... Ἀλλὰ τὸ ἀγνώμον αὐτῶν τῆς διανοίας ἐλέγχει. Vide & ad ỳ. 2. Οὐκ ἐπειδὴ ῥήματι τοιαύτῃ ἀπεχρήσαντο, ἀλλ' ἐπειδὴ λογισμοῖς τοιούτοις ἐκέχρηντο.
(6) Sap. XI. 25. (7) Hieron. hic: *Porro dilectio, & odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus.* (8) Theodoret. hic: Τὸν μὲν τοῦ Ἡσαῦ ἐμίσησα, διὰ τὴν πονηρίαν τῆς γνώμης, ἠγάπησα δὲ τὸν Ἰακὼβ, ὡς κρείττω ἀγαθόν. (9) Vide August. lib. 1. Operis imperfecti contra Julian. cap. 131. & 141. & lib. 5. contra Julian. cap. 4. & lib. de dono perseverantiæ cap. 14. num. 35. *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est: præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur; cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur?* (10) Vide Abdiam 1. . . . 15. 16. 17. & sequ. Vide Joseph. Antiq. lib. X. 11. (11) Ezech. XXV. XXXV. Amos I. 11. Isai. XXI. Jerem. XLIX.
(12) Ἔταξα τὰ ὅρια αὐτοῦ εἰς ἀφανισμόν, καὶ τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ εἰς δόματα ἐρήμου.
(13) ואשים את הריו שממה ואת נחלתו לתנות מדבר Vide similes locutiones Isai. XXXIV. 13. Jer. IX. 11. & LI. 37.
(14) 1. Macc. V. 3. 2. Macc. X. 16. 17. Joseph. Antiq. lib. XIII. c. 17.

mendas accedant. Hebræus (15): *Commendetur Dominus trans*, vel desuper, *terminos Israel*. Vel ex Septuaginta (16): *Magnificatus est Dominus super terminos Israel*. Magnitudinis & virium suarum specimina nedum intra populi sui fines, verum etiam in Idumæa dabit, illam Israeli subjiciens.

℣. 6. Si pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Patris nomen erga populum usurpat Deus. *Primogenitus meus Israel*, inquit idem apud Moysem Exod. 4. 22. Et apud Isaiam 1. 2. *Filios enutrivi & exaltavi*. At plerumque domini & Regis appellatione utitur; & obsequium, metum, subjectionem exigit. Illum Patriarchę timorem suum nuncupabant: *Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac*. Gen. 31. 42. Testatur Deus Malach. 2. 5. Sese cum Aarone & Levi iniviste fœdus, ac sui metum illi indidiſſe, ut sese vereretur, suoque nomine audito tremisceret. Propria Judaicę Religionis ac Legis nota erat metus: Juvenalis Sat. XIV.

Judaicum ediscunt & servant ac metuunt jus.

℣. 7. Offertis super altare meum panem pollutum. Panis nomine hic significari potest quicquid in Templo ac Domini Altari offertur, victimæ, panes, triticum, liquores, & alia; quę ceu Domini panis & annona censebantur. Cruentæ victimæ, quarum adeps & cruor in Altari offerebatur, apud Moysem (17) *panis Domini* vocantur. Ex iis quæ in hoc Capite consequentur, constat, Deum de victimis præsertim queri; docetque, qua ratione impuræ sint.

℣. 8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Nonne perverse agitis? Vel, Nonne mala & impura est victima? Victimas sibi mactatas vitio carere volebat Deus (18): *Immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo*. Ut Deo placerent, non satis erat, si omne abesset vitium: opus erat, ut is, qui eas offerret, animi munditie ornaretur. Legimus apud Aggæum 2. 14. quam acriter arguat Deus Judęos, quod sordibus suis victimas pollucrent; testeturque, inutiles esse victimas, quas prava animi habitudine sibi sisterent. Certissimum fidei morientis, languentisque Religionis indicium est, ubi Sacerdotes languidum & iners ministerium in Templo exhibeant; & mirum certe est, post tam multas ærumnas & mala nihilo fuiſſe in eo genere obsequii solertiores. S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. ut Ethnicorum Religionem in ludibrium vertat, doceatque, Numinum Sacerdotes nullam prorsus Diis suis fidem habuiſſe, illorum dolos fraudesque in Sacrificiis narrat. *Non cum femora ad inguinem usque valde circumlinxeritis*, inquit Pherecrates Poeta, *& lumbo valde tenues, ipsam deinceps spinam tamquam limatam distribuistis nobis tamquam canibus: deinde cum vos vestri invicem vos pudeat, multis modis contegitis*. Eubulus Comicus Bacchum introducit, ita querentem: *Primum quidem quod mihi sacrificant quidem sanguinem & vesicam; cordis autem ne superficiem quidem: Ego enim neque dulci vescor victima, nec femoribus*. Hesiodus dicit, Jovem deceptum a Prometheo in divisione carnium, accepiste

Arte mala assa bovis nitida pinguedine tecta.
Hinc fit, ut ossa viri sacras adolere per aras
Assueti, veteris imitantur originis usum.

Scripsit Menander: *Cum summos lumbos, bilem, & quæ comedi non possunt ossa Diis imposuerint, ipsi consumunt cætera*. Nihilo levius erat Judæorum scelus, quod arguit Malachias, cum ii vilissimas victimarum partes Diis offerrent.

Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam. Hujusmodi victimas Præsidi tuo offer, ac periclitare, utrum illi placeant, aut te excepturus ipse sit, utrum te auditurus. Persarum Præfectis parebant eo tempore Judæi. Si ea offers Deo, quæ homini conspicuo offerre non auderes, qui fieri posse putabis, ut illa excipiat Deus?

℣. 10. Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Quis vestrum obsequium mihi exhibet animo cupiditate vacuo, nullaque spe mercedis, qua exhibitum mihi obsequium prosequor? Vel: Ullus ne vestrum est, qui nulla mercede mihi serviat? Mihi ne gratis obsequimini? Cur igitur remissam adeo mihi servitutem exhibetis, quasi avaro sævoque Domino serviatis? Hebræus ad verbum (19): *Quis est in vobis, & claudet ostia; & non incendet altare meum gratuito?* Qui ex vobis Templi mei fores claudunt, Templi Custodes & Ministri nulla ne mercede mei altaris ignem excitant? Septuaginta (20): *Quoniam & in vobis claudentur ostia, & non succendetur altare meum gratis*. Quasi Deus minitetur Judæis fore ut Templi sui fores claudi jubeat, suique altaris ignem extingui; sacrificia denique ac Templum aboleat. Quæ interpretatio cum consequentibus optime convenit.

Munus non suscipiam de manu vestra. (℣. 11.) Ab ortu enim Solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. En geminos nostræ Religionis articulos, luculentissime explicatos; sacrificiorum nempe veteris Legis ac rituum abolitionem; & sacrificium purissimum, quod omnibus in locis & inter gentes offertur Deo. Rejecta Synagoga, electa Gentium Ecclesia, veteres hostiæ saluti inutiles, Legis novæ sacrificium, quod unum Deo placet, Ecclesia in omnes late gentes, & ad extremos usque terrarum fines porrecta, certissima sunt nostræ Religionis argumenta ab hostibus ipsis servata, qui ea penitus expleta dolent, & invidia furentes, eorum vim fallere, & fulgorem obscurare frustra conantur. Sacrificium purum & labe carens, quod veteres figuræ nonnisi rudi imagine repræsentavere, illud est, quod nostris in altaribus fit, ubi singulis diebus, omnibus in locis, & quotidie pluries illud ipsum Sacrificium instauramus, quo Christus Jesu in Cruce pendens sese Patri victimam obtulit; neque taurum sacrificamus aut arietem hircumve, labibus a Moyse descriptis carentes, sed Dei hominis Carnem ac Sanguinem; Divini scilicet Agni, hominum crimina auferentis; Hostiam puram jucundamque, purusne sit an inquinatus Sacerdos aut populus; a nemine enim munditiem mutuatur, neque capax est labis (21). Væ tamen illam offerenti aut accipienti manibus aut ore peccato inquinatis. Hostia, quantumvis pura, ipse non purgabitur; victima ignis erit, quo is consumetur & necabitur. Hebræa vox, quæ hic redditur (22) *oblatio munda*, proprie significat tritici, similæ, panis & vini oblationes, quæ in sacro altari fiebant; veluti luculentius etiam panem vinumque designet, quæ materies Consecrationis Corporis & Sanguinis Jesu Christi sunt (23).

(15) יגדל יהוה מעל לגבול ישראל (16) Ἐμεγαλύνθη Κύριος ὑπεράνω τῶν ὁρίων Ἰσραήλ.
(17) Vide Levit. III. 11. 16. Num. XXVIII. 2. 24. (18) Levit. XXII. 21. Deut. XV. 20. 21.
(19) מי גם בכם ויסגר דלתים ולא תאירו מזבחי חנם (20) Διότι καὶ ἐν ὑμῖν συγκλεισθήσονται θύραι, καὶ οὐκ ἀνάψεται τὸ θυσιαστήριόν μου δωρεάν. (21) Hieron. hic, ad ℣. 7. *Polluimus panem, idest, Corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est: non quod hoc aliquis audeat dicere, & quod impie cogitat, scelerata voce proferre; sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei.* (22) מנחה טהורה Septuag. Θυσία καθαρά. (23) Vide, si lubet, Justin. Dialog. cum Triphone, Irenæum lib. 4. cap. 32. Chrysostom. in Psalm. 95. August. lib. 18. de Civit. cap. 35. Theodoret. hic.

℣. 12. Dicitis : Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibile est, cum igne qui illud devorat. Hæc publice quidem non dicebant, sed animo (24) & gestis satis ostendebant, veluti impura habere se mensam panum propositionis, & Altare holocaustorum, ubi cruentæ victimæ cremabantur, cum utrumque tam parvi facerent, panesque & hostias despectissimas, & vilissima munera in eo sisterent: *Obtulistis de rapina claudum*, &c. Vide ℣. 8. Hebræus (25): Polluistis nomen meum, ajentes: *Mensa Domini contaminata est, & fructus ejus*, (reditus ejus), *vilis esca ejus*. Septuaginta (26): *Mensa Domini polluta est; & qui superponuntur despecti sunt cibi ejus*. Putat Grotius, recitari hoc loco Sacerdotum querelas, quod utile parum sibi esset Altaris ministerium. *Reditus, quem habemus ex altari, nullius est pretii, quia quantum datur, id totum cedit igni: nihil nobis restat*. At melior videtur explicatio, quam primo loco dedimus.

℣. 13. Et dixistis : Ecce de labore (laboris fructum); et exsufflastis illud, spernitis. Victimas ægre offertis, & querimini, me laborum vestrorum fructum a vobis exigere; cumque offertis, quasi spernentes ac repugnantes facitis. Recentiores nonnulli Hebræum reddunt (27): *Dixistis : Quantum fatigationis : Et anhelantes visi estis*. Quasi ad Templum venirent victimis onusti, & de lege ac victimæ pondere quererentur, Aliter: Quam molestum hoc est! Et victimas sufflando vel spernendo abjecistis. Spernentis est deflare, ubi aliquod viderit (28). Admissa literulæ unius mutatione, optimus ex Hebræo sensus eruitur (29); Dixistis: *Ecce quod fœtet; & exsufflastis*, veluti removentes a naribus tetrum Altaris nidorem ex carnibus in Templo crematis, fusoque ibi cruore. Septuaginta (30): *Ecce de afflictione est*, ægre & inviti offertis, *& exsufflastis illa*. Vel, ut alii Codices ferunt: Vos invito animo offertis, & ego illa deflavi, inquit Deus, sperno, rejicio.

Et intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus, panis, tritici, liquorum oblationes, quas proprie significat Hebraica vox *mincha*. Vitiatas offertis victimas, & munera vilissima. Vide quæ diximus in ℣. 8. Ipsimet Profani hæc in victimis observabant (31); *Hoc quoque notatum, vitulos ad Aras humeris hominum allatos non fere litare, sicut nec claudicantem, nec aliena victima*, scilicet vel victimam furto comparatam, vel minime convenientem Numini, cui mactatur. Docet Author Ecclesiastici 34. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*.

℣. 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile (32). Masculum pro sano, valido, roboris pleno usurpatur, opponiturque infirmo, ægro, vitiis affecto. De votis, quæ Deo nuncupabantur, lex est omnino perspicua (33). Masculæ victimæ, vitii expertes, deferendæ erant, sive in holocaustum, sive in pacificum sacrificium. Spontanea quidem religione offerri poterant aut bos aut ovis, membro aliquo vitiato; at hujusmodi victimas voto dicari, aut offerri voti solvendi causa, nefas erat (34). Hic porro de voto agitur. *Thus masculum* appellabant illud Profani, quo in sacrificiis utebantur.

Verbenasque adole pingues, & mascula thura (35). Solemni scilicet usu nihil in Religionis exercitio nisi masculum adhibebatur (36): *Thus masculum vocamus, cum alias non fere mas vocetur, ubi non sit fœmina. Religioni tributum, ne sexus alter usurpetur*.

---

(24) Vide supra quæ diximus in ℣. 2. (25) ואתם מחללים אותו באמרכם שלחן יהוה מגאל הוא וניבו נבזה אכלו (26) Τράπεζα Κυρίου ἠλισγημένη ἐστί, καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα ἐξουδενωμένα βρώματα αὐτῆς. (27) ואמרתם הנה מתלאה והפחתם אותו (28) Sueton. in Cajo: *Probeta diversum Julii, & Augusti diplomata ut vetera, & obsoleta deflabat*. Sic legit Lips. & Casaubon. Deflare, idem quod κατεφυσᾶν, & καταπτύειν.
(29) Malperim מתלעה *Vermibus scatens*. Vide Exod. xvi. 20. & Deut. xxviii. 39 (30) Ἰδοὺ ἐκ κακοπαθείας ἐστί, καὶ ἐξεφυσήσατε αὐτά. Edit. Rom. Theodor. Syr. Arab. Ἐξεφύσησα αὐτά. Hieron. *Exsufflastis*, *exsufflatione mea digna fecistis*. (31) Plin. lib. viii. c. 45. (32) ויש בעדרו זכר ונדר וזבח משחת
(33) Levit. xxii. 18. 19. 20. 21. 22. (34) Ibid. xxii. 29. *Bovem & ovem aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potes; votum autem ex eis solvi non potest*. (35) Virgil. Pharmaceutria.
(36) Plin. lib. xii. cap. 14.

CAPUT II.

Minæ in Sacerdotes. Fœdus a Domino initum cum familia Levi. Fœdus hoc violavere Sacerdotes, & scientiam neglexere. Uxores alieni generis duxere Judæi; nimiaque levitate divortia fecere. De Providentia dubitarunt.

℣. 1. ET nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. 2. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor. 3. Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum. 4. Et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. 6. Lex veritatis fuit in ore ejus: & iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace, & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. 7. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est. 8. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. 9. Propter quod, & ego

dedi

dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ficut non fervaftis vias meas, & accepiftis faciem in lege. 10. Numquid non pater unus omnium noftrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo defpicit unufquifque noftrum fratrem fuum, violans pactum patrum noftrorum? 11. Tranfgreffus eft Juda, & abominatio facta eft in Ifrael, & in Jerufalem, quia contaminavit Judas fanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni. 12. Difperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magiftrum, & difcipulum de tabernaculis Jacob, & offerentes munus Domino exercituum. 13. Et hoc rurfum feciftis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non refpiciam ultra ad facrificium, nec accipiam placabile quid de manu veftra. 14. Et dixiftis: Quam ob caufam? quia Dominus teftificatus eft inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu defpexifti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. 15. Nonne unus fecit, & refiduum fpiritus ejus eft? Et quid unus quærit, nifi femen Dei? Cuftodite ergo fpiritum veftrum, & uxorem adolefcentiæ tuæ noli defpicere. 16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Ifrael: operiet autem iniquitas veftimentum ejus, dicit Dominus exercituum: cuftodite fpiritum veftrum, & nolite defpicere. 17. Laborare feciftis Dominum in fermonibus veftris, & dixiftis: in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis, qui facit malum, bonus eft in confpectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi eft Deus judicii?

℣. 2. MITTAM IN VOS EGESTATEM, ET MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS. Cum bene precati fueritis populo, has ego preces in maledicta convertam; contrarius omnino erit verbis eventus. Compertum eft, moris fuiffe apud Judæos, ut populo in magnis Feftivitatibus collecto Sacerdotes bene precarentur (1). Aliter: Ad inopiam vos redigam, bonifque omnibus, quæ liberalitas mea & mifericordia in vos effundit, vos exuam. Denique; Vos eo adigam, ut omnium rerum egeatis; *veftræque benedictiones*, primitiæ, decimæ, reditus execrabiles erunt, diris devoti, commodi nihil ferent. *Benedictio* (2) interdum pro mortalium bonorum copia, pro muneribus aut donariis ultro aut datis aut acceptis ufurpatur.

℣. 3. PROJICIAM VOBIS BRACHIUM, ET DISPERGAM SUPER VULTUM VESTRUM STERCUS SOLEMNITATUM VESTRARUM, ET ASSUMET VOS. Armum victimarum, qui mercedis nomine vobis relinquitur (3), execrans rejiciam; feftos dies veftros, quos indigniffima miniftrandi ratione polluitis, *Stercus folemnitatum veftrarum*, ftomachabor. Vel; Impuras victimas, quas feftis diebus mihi mactatis, projiciam. Solemnitas pro victimis in folemnitate mactatis dicitur. Denique: Sordes, quibus mea facra polluitis, in vos recident; vofque contemptu & probro obruemini. Hebræus (4): *Ecce ego corrumpam vobis femen, & difpergam ftercus fuper vultus veftros, ftercus folemnitatum veftrarum; & affumet vos ad fe*. S. Hieronymus, veterefque Interpretes Græci legebant *Zeroab*, brachium, pro *Zerab*, femine. Septuaginta (5): *Ecce ego feparabo vobis humerum* victimarum, qui vobis præberi folet in facrificiis, *& difpergam ventriculum* hoftiarum, qui vobis etiam relinquitur, *fuper facies veftras, ventriculum folemnitatum veftrarum*, hoftiarum folemnium; *& fufcipiam vos ob hoc ipfum*. Aquila nonnihil aerius exhibet (6): *Minitabor vobis humero*, inftar hominis, qui alterum hominem armo animalis, quem manu tenet, percuffurus eft, *& diffipabo ftercus fuper facies veftras, ftercus folemnitatum veftrarum*. Poftrema hæc verfio proxime omnium accedere videtur ad verborum fidem.

℣. 4. MISI AD VOS MANDATUM ISTUD, UT ESSET PACTUM MEUM CUM LEVI. Cum Sacerdotium veftrum rejecero, veftrofque ritus abolevero, tum demum intelligetis, me effe harum fanctionum, quas minimi facitis, authorem: faxo noveritis, me illarum violatione non leviter provocari, meque graviffime offenfum effe indigniffima incuria, qua geritis fanctiffimum minifterium, quod authori veftri generis Levi ego tradidi, illum inter cæteros Ifraelis filios feligens, ut Sacerdotium in illius familia conftituerem, fœdufque cum illo amiciffimum jungerem. Fœderis hujus tempus & conditiones in Scriptura minime leguntur. Filii Levi jam ante vituli aurei fuperftitionem defignati fuerunt in Sacerdotes; at cum eo tempore in cæteros Ifraelitas fefe ftudiofiffimos Divinæ Legis ultores exhibuiffent, nobiliffimam hanc Dignitatem illis confirmavit Deus (7). Summum etiam Sacerdotium familiæ Phinees traditum eft, poft illuftre illud virtutis fpecimen, quod necato Zambri exhibuit (8). *Levi* pro Aarone hic ufurpatur; Tribus author & Princeps, pro nobiliffimo ejufdem Tribus homine, qui gentis fuæ decus erat, fummo Sacerdotio indutus, quod peculiare ipfi ejufque pofteris fuit.

Putant nonnulli, non agere hic Malachiam de primo fœdere, quod Deum inter ac Tribum Levi initum eft in folitudine, fed de altero cum eadem Tribu inftaurato poft reditum e captivitate, luculenter defcripto apud Nehemiam, IX. 38. & X. 5. Cum vos ego rejecero, meoque Sacerdotio exuero, tunc denique fcietis, mecum vos iniiffe olim fœdus, meque hæc præcepta dediffe, quæ vos tam male fervaftis. [℣. 5.] Vitam ac pacem vobis ego promiferam, meum ego vos timorem docueram, vofque coram me cum metu & obfequio verfabamini. [℣. 6.] Juftitiam ac veritatem amabatis, veftroque exemplo multi a fceleris tramite reducebantur. [℣. 7.] At primum hoc inftitutum reliquiftis, violaftis initum a me cum vobis fœdus, atque erroris occafionem fratribus veftris vos præbuiftis. Poftrema hæc interpretatio veriffima videtur, atque optime cum præcedentibus & confequentibus nexa. Convenit

(1) Num. VI. 23. *Sic benedicetis filiis Ifrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuftodiat te, &c.* Eccli. XXXVI. 19. (2) Pfalm. CXLIV. 16. 1. Reg. XXV. 27. XXX. 26. 4. Reg. V. 15. & paffim. (3) Levit. VII. 32. & Deut. XVIII. 3. (4) הנני גער לכם את הזרע וזריתי פרש על פניכם פרש חגיכם ונשא אתכם אליו (5) Ἰδοὺ ἐγὼ ἀφορίζω ὑμῖν τὸν ὦμον, καὶ σκορπιῶ ἔνυστρον ἐπὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν, ἔνυστρον ἑορτῶν ὑμῶν, καὶ λήψομαι ὑμᾶς εἰς τὸ αὐτό. (6) Ἰδοὺ ἐγὼ ἐπιτιμῶ ὑμῖν σὺν τῷ βραχίονι, καὶ λικμήσω κόπρον ἐπὶ πρόσωπα ὑμῶν, κόπρον ἑορτῶν ὑμῶν. Aquil. apud Theodoret. (7) Vide Levit. XXXII. 26. 27. 28. 29. (8) Num. XV. 7. 8. 10. 11. 12. *Do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipfi, quam femini ejus pactum Sacerdotii fempiternum.*

etiam cum iis quæ narrat Esdras de sincera Sacerdotum conversione ad Deum post diuturnos errores & connubia cum alienis uxoribus inita (9); deque ipsorum lustratione, ut ministerii sui exercitium rursus aggrederentur (10). Denique perspicua videtur allusio inter ea quæ hic dicuntur, & fœdus de quo Nehemias (11).

℣. 7. LABIA SACERDOTIS CUSTODIENT SCIENTIAM, ET LEGEM REQUIRENT EX ORE EJUS. QUIA ANGELUS DOMINI EXERCITUUM EST. Summa erat apud Hebræos Sacerdotum dignitas; penes quos nedum scientia morum, rituum & cæremoniarum ad ministerium Sacerdotum, & ad ea quæ popolus Religioni debebat, spectantium erat; verum etiam summa juris judicialis prudentia, ut jus æquum populo universo redderent, seseque consulentibus responderent. Majoris momenti lites ad Sacerdotes deferebantur; & eos qui Sacerdotum authoritati repugnarent, Lex morte damnabat (12): *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio ... morietur homo ille; & auferes malum de Israel*. Legem, judicia, Dei verbum, & Israelis fœdus Levitis hæreditatis loco tribuit Moyses (13). Proverbium erat in Israele, nullum esse Sacerdotem Legis minime peritum; quemadmodum sapiens consilio non caret, ac sermone Propheta (14). *Non enim peribit Lex a Sacerdote, neque consilium a Sapiente, nec sermo a Propheta*. Denique testatur Deus (15), sese a Sacerdotio eum removere, qui scientiam muneri suo convenientem negligit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Teste Josepho lib. 2. contra Appion. gentis suæ Sacerdotes solertem studio Legis operam navabant, & iis, quibus animus & mores instituuntur; quicquid enim geritur, ipsorum curæ est. De rebus ii difficillimis sententiam ferunt; iidemque decernunt pœnas iis qui in Legem peccant. Quid de Judæorum Sacerdotibus ipsimet sentirent Ethnici, ex Diodoro Siculo Eclog. lib. 40. ex Photio didicimus. Præcipua Judaicorum Sacerdotum cura, inquit hic, est Templi obsequium. Illos deinde Legislator gravissimarum rerum Judices & arbitros, gentiliumque Legum ac morum custodes. Is, quem Pontificem nominant, Angeli loco apud ipsos habetur, ipsos docens quid velit Deus. Adeo autem illi obsequuntur Judæi, ut ipso in cœtum veniente, statim omnes veluti coram Numine procumbant, ipsumque ceu Oraculum occulta detegens suspiciant. Hæc cum iis congruunt, quæ hic leguntur, Sacerdotem scilicet *Angelum* esse *Domini exercituum*. Magno certe ingenio magnaque scientia instrui Sacerdotes Judæorum necesse erat, ut gravibus adeo & arduis muneribus fungerentur.

Veteris Legis Sacerdotium cum Novo comparant Patres, deque hujus muneribus agentes, ajunt, novæ Legis Sacerdotes opus esse nedum majori sanctitate & munditia, quam Judaicos, ornari, verum etiam luculentiori consilio scientiaque; denique, Jesu Christi Sacerdotes tanto illustriores esse Sacerdotibus Judaicis scientia & virtute, quanto nobilius est Sacerdotium, gravius exercitium, & amplior authoritas. Neque enim cruentæ jam hostiæ immolandæ sunt, ferendave sententia, pura sit nec ne aptaque sacrificio victima; homo aut domus lepra vitiata sint, an pura. Novæ Legis Sacerdotum officium est, Corpore & Sanguine Jesu Christi Deo sacrificare; Cœli fores reserare aut claudere; salutis instituta tradere; ita comparatum esse, ut noverit docere quid credat, atque adversus fidei suæ hostes decertare. Quo explicatior fides nostra, profundiora mysteria, cultus purior, sublimiores sententiæ, nobiliora sunt moralis disciplinæ dogmata, quam apud Judæos; eo majorem esse decet nostrorum sanctitatem & scientiam, quam veteris Legis Sacerdotum. Christianus, *si Sacerdos est, sciat Legem Domini*, ait S. Hieronymus in Agg. II. *si ignorat Legem, ipse se arguit non esse Sacerdotem. Noverit, nec simplicitatem & ciborum continentiam Magistro sufficere, nisi quod ipse facit, possit & alios erudire. Qui si* [idem in Malach. II.] *ignorantiam in cæteris diligentem, in scripturis sanctis ostenderit negligentem, frustra jactat Dignitatem, cujus opera non exhibet. Qui nescit Scripturas* [idem Præfat. in Isaiam] *nescit Dei virtutem ejusque sapientiam. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est*.

℣. 9. ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE. Cum de iis quæ ad Legem meam pertinebant, sententiam ferretis, homines iniquissime veriti estis (16). Cum opus esset, justitiam judicando sequi, favori & cupiditati morem gessistis. Symmachus (17): *Veriti estis personas in Lege*: metuistis, nequem in Lege offenderetis. Hebræus ad verbum (18): *Erexistis facies in Lege*. Populi flagitia amice excepistis, cum arguenda essent, atque ita legem meam ludibrio obnoxiam effecistis.

℣. 10. NUMQUID NON PATER UNUS OMNIUM NOSTRUM? Narrat hic S. Hieronymus Judæorum traditionem, docentium, majores suos e captivitate reversos cum primis uxoribus divortium fecisse, ut juniores pulcrioresque ex externis electas acciperent; atque hoc ipsum hic a Malachia damnari. Nonne fratres sumus eodem patre prognati? Nonne unus nobis est Deus atque una Lex? Cur igitur Israelitarum fratrum vestrorum filias spernitis, quas repudiatis? Cur negligitis Dei Legem, externas uxores ducere vetantem? At neque certum est, neque probabile omnino videtur, Israelitas e captivitate reversos primas uxores repudiasse, ut alias ducerent. Nihil simile illis objicit Esdras, ubi hoc connubiorum genus Legi repugnantium damnat; ac tantummodo illos arguit (19), quod uxores e Chananæis, Moabitis, Ammonitis & Ægyptiis duxerint, relicto prorsus hoc Israelitarum flagitio, quod erat minime negligendum. Nihil etiam hac de re habet Nehemias, quamquam animadvertit (20), Israelitas nonnullos cum Azotiis, Ammoniticis & Moabiticis fœminis connubia junxisse. Neque ad primas uxores, veluti dimissas, redire coguntur; sed ab externis sejungi. Malachias revera hic infra (21) Judæos arguit, temere divortia facientes cum uxoribus, quibuscum ab adolescentia vitam egerant: *Et hoc rursum fecistis: operiebatis lacrymis Altare Domini*. Hoc tamen flagitium prorsus alterum erat ab eo, de quo Esdras & Nehemias, atque hic Malachias, ℣. 11. Hanc igitur censemus esse hujus ℣. 10. sententiam: Nonne unus nobis est & pater & Deus? Cur tanta in fratres sævitia? *Quare despiciet unusquisque fratrem suum* (22)? Cur relinquitis? cur spernitis? necessaria in rebus angustis ope fraudatis? sævissime nullaque misericordia vexatis? Eamdem in gentis suæ pauperes sævitiam vitio Judæis vertit Nehemias (23).

℣. 11. CONTAMINAVIT JUDAS SANCTIFICATIONEM DOMINI, QUAM DILEXIT (24); carissimam Deo gen-

(9) 1. Esdr. IX. 1. 2. X. 1. 2. (10) 2. Esdr. XII. 27. 30. & XIII. 22. 29. (11) 2. Esdr. IX. 38. (12) Deut. XVII. 9. 10. 11. 12. (13) Deut. XXXIII. 9. 10. *Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum: servaverunt judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel*. (14) Jerem. XVIII. 18. (15) Osee IV. 6. (16) Vide Deut. I. 10. Levit. XIX. 15. 2. Par. XXIX. 6. (17) Ἐδυσωπήθητε πρόσωπα ἐν νόμῳ. (18) ונשאים פנים בתורה Septuag. Ἀλλ' ἐλαμβάνετε πρόσωπα ἐν νόμῳ. (19) Vide 1. Esdr. IX. 1. 2. (20) 2. Esdr. XIII. 23. 24. (21) Malach. II. 13. וזאת שנית תעשו (22) Heb. מדוע נבגד איש באחיו Perfide agimus. Septuag. Ἐγκατελίπετε ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, Dereliquistis. (23) 2. Esdr. V. 1. 2. & seq. (24) חלל יהודה קדש יהוה אשר אהב ובעל בת אל נכר

gentem, cum fœminam aliena Numina colentem in uxorem duxit. Reddi potest Hebræus: *Polluit Judas Sanctuarium Domini, amans ducensque filiam Dei alieni*. Nefariis hisce nuptiis Judas Dei Templum polluit, quippe qui nulla lustratione purgatus, ad sacra accessit, ac Dei Templum ingreditur. Vel: Religionis suæ sanctitatem polluit, violata Lege, qua hoc connubiorum genus interdicitur (25). Septuaginta (26): *Contaminavit Judas sancta Domini, in quibus dilexit, & adinvenit in Diis alienis*.

℣. 12. DISPERDET DOMINUS MAGISTRUM ET DISCIPULUM. Hebræus (27): *Succidet Dominus vigilantem & respondentem*. Alludit ad excubitores noctu vigilantes, sibique invicem respondentes (28): Puniam & eum qui malo exemplo cæteros in malum trahit, & eum qui magistrorum exemplo male agit: qui exemplum præbuit, & qui secutus est. Septuaginta (29): *Disperdet Dominus hominem facientem hæc, donec humilietur in tentoriis Jacob*.

℣. 13. ET HOC RURSUS FECISTIS: OPERIEBATIS LACRYMIS ALTARE DOMINI. Alteram hanc expostulationem adversum vos habeo: nimirum quod in causa fueritis, ut altare meum lacrymis legitimarum uxorum, quas dimisistis, madeat. Id luculenter exprimitur ℣. 14. Quamquam Deus divortium Judæis, pertinaciæ ipsorum causa, permiserit, teste Jesu Christo Matt. 19. 8. sapientissimi tamen inter illos & piissimi damnavere divortia, præsertim frequentia, & ea quibus dimittenda erat uxor, quam quis ab adolescentia duxerat, quam Malachias nuncupat hic ℣. 14. *uxorem pubertatis tuæ*. Frequentiora fuere divortia sub Judaicæ Reipublicæ finem (30). Atque hoc certe flagitium ex iis censendum est, quæ, teste Diodoro Siculo in excerptis Photii ex lib. 40. Judæi ex alienorum admistione didicerunt. Tradunt Judæi, uxores hasce dimissas esse a viris, uxores alias apud externos quærentibus. Sententiam hanc secuti sunt S. Hieronymus, aliique post eum multi. Vide quæ diximus supra.

℣. 14. DOMINUS TESTIFICATUS EST INTER TE ET UXOREM PUBERTATIS TUÆ. Connubium, quod cum uxore tua iniisti, probavit Deus. Solemnis actio Religionis est connubium, qua vir & uxor mutuam sibi fidem jurato pollicentur. Uxor quæ fidei deest, Dei sui fœdus obliviscitur, inquit Sapiens Prov. II. 17. *Relinquit ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est*. Ipse rerum initio Deus connubii leges ita sanxit, ut illud solvi nefas esset (31): vetustissimam hanc sanctionem vos violatis, frequentia nimium ac temeraria divortia sectati.

℣. 15. NONNE UNUS FECIT, ET RESIDUUM SPIRITUS EJUS EST? Nonne fœmina Dei ejusdem opus est, ejusque spiritu animata? Cum Deus spiritu suo animam Adamo inspirasset, nonne illius uxorem Evam anima instruxit? Nonne eadem eli primæ mulieris, atque primi hominis conditio? Cur igitur in uxores vestras ita sævitis, quasi alterius naturæ sint? Hebræus plane aliter redditur (32): *Et non unus fecit; & residuum spiritus ei. Et quid unus* iste *quærebat? Posteritatem Dei. Estote ergo cauti in spiritu vestro, & uxorem adolescentiæ tuæ ne injuria afficias*. Explicari potest de Abrahamo. Pissimus hic vir, Divino Spiritu edoctus, cum Sara, quamquam sterili, solus & liberis carens, divortium non fecit. Quid vero maxime omnium optabat Abraham? *Semen*, posteros *Dei*, filium, Divinarum promissionum hæredem. Patris igitur vestri exemplum sectamini, atque in uxores ab adolescentia ductas, quicquam perfide ne geratis. Aliter (33): *An unus ille* Abrahamus *ita egit, cujus de spiritu residuum nos sumus?* Quasi ex vulgari sententia censuerit, filios animam vitamque a parentibus trahere. Chaldæus: *Nonne unus fuit Abraham solus*, posteris carens, *ex quo propagatum est sæculum?* Unius nomine appellatur etiam Abraham apud Isaiam LI. 2. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia unum* [cum unus esset] *vocavi eum*; illum eo tempore elegit, quo nullus illi erat hæres. Gemina ferme habet Ezechiel 33. 24. *Unus erat Abraham, & hæreditate possedit terram*. Reddi etiam potest ita (34): Nihil tale quisquam ageret, quamquam levissimo Divini Spiritus residuo instructus. An istud faceret, si posteros Dei dumtaxat quæreret? &c. Septuaginta (35): *Non alius fecit; & reliquiæ spiritus ejus* illi sunt. *Et dixistis: Quid aliud quam semen*, posteros, *quærit Deus? Et custodite in spiritu vestro, & uxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas*. Obscuris adeo ex verbis vix apta erui potest sententia.

℣. 16. CUM ODIO HABUERIS UXOREM TUAM, DIMITTE: ... OPERIET AUTEM INIQUITAS VESTIMENTUM EJUS. Sanxerat in Lege Deut. 24. 3. Deus, ut, siquis uxorem, sibi deinde vitii alicujus causa odiosam, duxisset, datis divortii literis, illam remitteret. Quamvis id dederit Deus, ne Judæi majora in flagitia ruerent, uxores nempe necarent, quas fastidiissent; testatur hic Propheta, nolle Deum statutas olim leges revocare; quod siquis justa de causa uxorem oderit, det divortii literas, ex Legis instituto; tunc vero omnem hujus rei invidiam in uxoris caput deventuram: *Operiet iniquitas vestimentum ejus*. At affici uxorem injuria, temere dimittere, prætextum quærere ut dimittatur, vetat: *Nolite despicere*. Hebraica vox (36) proprie sonat, inique, perfide agere, decipere, fraudare. Hebræus totius versiculi, nonnullorum Interpretum sententia, reddi potest (37): *Cum illam oderis, dimitte, ait Dominus; & iniquitas operiet vestimentum viri*, qui illam dimiserit. Si facta per Legem potestate uteris, non idcirco expers es criminis: injuriam divortio celas, ne in graviora ruas. Chaldæus: *Si oderit eam, dimitte illam, dicit Dominus; & ne operias peccatum vestimento tuo*. Chaldaicæ Paraphasis Author liberioribus Rabbinorum de divortio sententiis favere videtur. Septuaginta (38): *Si odio habueris, dimitte, dicit Dominus: operiet impietas vestimenta tua*, vel cogitationes tuas, ut Codices impressi habent.

℣. 17. AUT CERTE [sin minus], UBI EST DEUS JUDICII, justissimus? Si Deus impios odit, cur illos patitur, & non punit? Cave putes, hoc dixisse constanter Judæos: at nunquam defuere, qui pravis hisce cogitationibus morem gesserint, easque animo enutrierint, præsenti impiorum felicitate offensi, cujus felicitatis causa Providentiam accusarint. Videbatur ipse David hac Divino-

(25) Deuteronom. VII. 3. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia*.
(26) Διότι ἐβεβήλωσεν Ἰούδας τὰ ἅγια Κυρίου, ἐν οἷς ἠγάπησε, καὶ ἐπετήδευσεν ἐπὶ Θεοὺς ἀλλοτρίους.
(27) יכרת ער וענה מאהלי יעקב (28) Vide Isai. XXI. 11. *Custos quid de nocte*. (29) Ἐξολοθρεύσει Κύριος τὸν ἄνθρωπον τὸν ποιοῦντα ταῦτα, ἕως ἂν ταπεινωθῇ ἐκ σκηνωμάτων Ἰακώβ. (30) Vide in Deuteronomium nostram Dissertationem de divortio. (31) Genes. II. 24. Matth. XIX. 6. (32) ולא אחד עשה ושאר רוח לו ומה האחד מבקש זרע אלהים ונשמרתם ברוחכם ובאשת נעוריך אל יבגד (33) Grotius.
(34) Ludov. de Dieu. (35) Καὶ οὐκ ἄλλος ἐποίησε, καὶ ὑπόλειμμα πνεύματος αὐτοῦ. Καὶ εἴπατε· τί ἄλλο ἢ σπέρμα ζητεῖ ὁ Θεός; καὶ φυλάξασθε ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, καὶ γυναῖκα νεότητός σου μὴ ἐγκαταλίπῃς. Ita legit Complut. Theodoret. Hieronym. sed Edit. Rom. Καὶ οὐ καλὸς ἐποίησε. Alii, οὐκ ἄλλος, Alii, οὐκ ἄλλο. Capell. legi jubet, οὐκ ἄλλο. *Non aliud; non plures scilicet uxores Adamo creavit Deus*. (36) ולא הבוגד Septuag. Οὐ μὴ καταλίπετε. (37) כי שנא שלח אמר יהוה וכסה חמס על לבשו 70. legerunt לבשך, legendum puto לבשה
(38) Ἐὰν μισήσας ἐξαποστείλῃς, λέγει Κύριος . . . . καλύψει ἀσέβεια ἐπὶ τὰ ἐνθυμήματά σου. Male habent Edit. Ἐνθυμήματα, pro ἐνδύματα; sic ita tamen legebat Hieron. sed Heb. habet לבשו

vinorum consiliorum inæqualitate turbari; at ubi pessimum impiorum exitum intuitus est, sententiam mutavit Psal. 72. 2. Vide & Jeremiam, XII. 1. 2. 3. Postulant Providentiæ ordo, ipsaque Electorum salus, ut vivant impii, utantur authoritate, imo abutantur (39). Impios non statim punit Deus; non quod, uti Ethnicus quidam censuit (40), Deus universi regimine curaque nimium occupetur; sed quod æque sapiens sit, uti justus; & si justitia celebrem flagitii pœnam postulet, sapientia suos unamquamque rem fines assequi consueta & æquabili ratione jubeat.

CAPUT III.

Angelus Domini, viam ipsi advenienti paraturus; Messiæ adventus. Sacerdotes purgabit Messias, grataque efficiet Judæ sacrificia. Expostulatio in Judæos. Veniet uti judex Deus, ut pœnas ex iis sumat. Temerariæ Judæorum querelæ in Deum. Hortatur ut convertantur & decimas reddant; atque ita futurum ait, ut reddat agris ubertatem. Illud etiam queruntur, Deum minimi ea facere, quæ ipsi bene agunt; respondetque Deus, accuratissimas rerum bene ab illis gestarum rationes penes se esse.

℣. 1. ECce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis: & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: 2. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: 3. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. 4. Et placebit Domino sacrificium Juda, & Jerusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. 5. Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos: & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. 6. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filii Jacob non estis consumpti. 7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, & non custodistis. Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur? 8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis. 9. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. 10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. 11. Et increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. 12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. 13. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. 14. Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui servit Deo, & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? 15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt. 16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo: Et attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus. 17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium; & parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi. 18. Et convertemini, & videbitis, quid sit inter justum, & impium: & inter servientem Deo, & non servientem ei.

℣. 1. ECCE EGO MITTO ANGELUM MEUM, QUI PRÆPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM. Secundum Caput claudens Propheta inquit, Deo molestos fuisse Israelitas, cum dicerent, hominum merita a Deo parvipendi, & cariores illi esse impios, quam pios. Ut hisce Judæorum expostulationibus respondeat Deus, ait, venturum se, ut hosce impios puniat (1), quorum impunitas infirmos e populo offenderat. Statim vero Divini Præcursoris, tum Dei ipsius adventum describit Propheta. Minas promissionibus & exhortationibus miscet; is enim in terras veniens, Ju-

(39) Vide August. in Psal. LIV. *Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ut per eum justus exerceatur.*
(40) Plin. lib. 2. hist. nat. cap. 7. *Deos agere curam rerum humanarum ex usu vitæ est, pœnasque maleficiis aliquando seras occupato Deo in tanta mole, nusquam autem irritas esse.* (1) Vide ℣. 5.

Judæorum & felicitas & exitium, multorumque ruina & fortuna fuit (2): *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Israelitarum plerique suæ ipsorum pertinaciæ relicti sunt; cæteri, ad Christum conversi, salutem assecuti sunt.

Evangelistæ, qui uno consensu locum hunc ad Joannem Baptistam Christi Præcursorem retulere, paulo aliter illum recitant; leguntque (3): *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*; quasi Æternus Pater Filio polliceatur, missurum se Angelum, qui itinera illi sternat; cum apud Malachiam Filius Præcursorem suum ipse præmittat. Hæc tamen personæ mutatio minimi momenti est, Sive enim Pater, seu Filius, Sanctusve Spiritus suo nomine per Prophetas loquantur, eadem semper Divina Trinitas loquitur. Ipse etiam Malachias personas mutat hoc eodem in loco, inquiens: *Et statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis*; quasi Dominator hic alius ab eo sit: qui mox dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

Et statim veniet ad Templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Messias, quem tam diu præstolamini; Dominator, quem enixis adeo votis quæritis; *Angelus fœderis*; fœderis, inquam, novi, quod Deus cum hominum natura iniit, Mediator; idem ille, qui primi fœderis Abrahamum inter & Dominum, ac deinde inter Deum & Israelem ad Sinai montem initi, sequester & author fuit: Angelus ille, Missus, Propheta, his verbis a Moyse promissus Deuter. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*. Compertum est, tum apud Malachiam, tum apud Aggæum 1. 13. Angeli seu Legati, *Malach* appellationem pro Propheta usurpari. Zacharias Joannis Baptistæ pater, ad ea quæ hic de Præcursore diximus, alludens, filium his verbis alloquitur Luc. 1. 76. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus*. Locum hunc ad Messiam spectare, consentiunt Judæi; eorumque majores certissime credebant, Messiam Zorobabelici Templi ætate venturum: ut vero causam aliquam pertinaciæ suæ prætexant, neve Christum cogantur agnoscere in hoc pacis Angelo, illum nonnisi diuturnum post tempus venturum esse comminiscuntur (4); cum Propheta *statim*, scilicet quamprimum venturum scribit (5); sive *repente*, statimque in Templo futurum, eodem scilicet in Templo, quod vos illi condidistis. Hæc porro tota ejus Templi gloria futura est (6), qua illustrius ac nobilius Salomonico efficietur. Veteres quidam Templi nomine Deiparæ Virginis uterum intellexere, ubi Dei Filius humanis artubus indutus est. Vide S. Cyrillum ac Theodoretum hic, & S. Augustinum *De Civit. lib.* XVIII. *cap.* 35.

℣. 2. Ecce venit: et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Superbe dixistis (7): *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini*, Deo placet, & *tales ei placent*: *aut certe*, sin minus, *ubi est Deus judicii*, æquissimus? En igitur Deus, cujus æquitati & judiciis obloquimini, jam venit. Quis autem vestrum stare coram audebit, cum ille vestra vobis flagitia objecerit, & justitiam, qua gloriamini, meram esse hypocrisin merumque mendacium ostenderit? Quis pristinum illius adventum sine formidine recenseat, genti vestræ, quæ impiis animi sui sensibus suæque cæcitati relinquenda est, fatalem? Veniet certe; at illum minime agnoscetis; virtutis illius jubar ferre nequibitis, nequissimaque invidia agemini, ut inferatis illi necem, ob quam omnium malorum cumulus in vos ruet. Deinde intelligetis, utrum iniquus sit Judicii Deus, cujus gesta damnatis. Explicari etiam hæc possunt de altero Jesu Christi adventu, vel de Joanne Baptista, qui Hebræorum flagitia tam acriter ac libere arguit Luc. 3. 7.

Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, qua panni purgantur. Judæorum Religionem purgavit Dei Filius; omnia superstitionum genera, pravas Legis explicationes, scelera quibus pessima gens tenebatur, abstulit. Nihil saltem non movit, ut malam radicem avelleret, turpissimamque rubiginem detegeret. At verbi illius vim nequitia & perversitas Judæorum coercuit, oculos illi clausere, obstruxere aures, & animos obduravere. Tota verborum ejus virtus in Lege Nova & Ecclesia Christiana constitit. Ibi Divina Lex cognita est ac servata, nulla mistione labis, aut servilis ingenii, coactionis aut hypocrisis, quibus Testamentum Vetus vitiabatur. *Herba fullonum*, vel, ex Hebræo (8), *Borith fullonum*. Sunt qui borith saponem, sunt qui herbam esse putent. Postremi hujus generis sunt S. Hieronymus & Septuaginta; ex quibus ille in Jerem. 2. 22. borith in humilibus humidisque Palæstinæ locis inveniri, qua utuntur ad tergenda lintea, ferme uti nitro. Hæc fortasse ea est quam vulgo dicimus *soude*. Vide quæ diximus in Jeremiam 2. 22.

℣. 3. Sedebit conflans et emundans argentum; et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum (9). In Oriente fabri aurarii & argentarii, & qui aurum argentumque purgant, sedentes operam labori navant, ac fornacem humi habent, camino carentem, media in officina. Ventilant autem ignem tereti folle (10). Hunc procul dubio statum describit Malachias, cum ait, futurum ut sedeat Deus, ceu faber aurarius, aurum argentumque liquans & purgans. Sacerdotes, quos Dei Filius purgat, Novæ Legis Ministri sunt, justitiæ sacrificium offerentes Deo, *offerentes sacrificia in justitia*. Hos substituit Deus Veteris Testamenti Sacerdotibus, atque a vili metallo segregat, uti plumbum ab auro argentoque secernitur. Vide in Epistola ad Hebræos (11) quanto nobilius Sacerdotium Jesu Christi sit Sacerdotio posterorum Aaronis, & postremi hujus abolitionem, ut locum priori faceret.

℣. 5. Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis. Cum inter vos venero, intelligetis, utrum ego malum probem, mihique placeant impii, quemadmodum asserere audetis (12). Impios hosce, quorum impunitate offendebamini, accusabo, damnabo, puniam. Dei Filius mundum Judæorumque ætatis suæ flagitia doctrina & exemplis satis damnavit. Vita omnis atque omnia illius verba Judæorum superbiam, hypocrisim, falsamque religionem assidue damnavere. Pollicetur missum iri a se Spiritum Sanctum, qui (13) *arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem*, inquit Christus, *quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me; de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est*. Suæ denique justitiæ specimen exhibuit severissime Dei Filius in Jerosolymam, illam in Romanorum potestatem tradens, faciensque, ut ingens adeo Judæorum numerus sub victorum gladiis caderet. Exemplum profecto luculentissimum, quo ostenditur, hominum peccata nunquam non a Deo spectari; neque illa probare, ubi dissimulet, aut pœnam differat. Expli-

cari

(2) Luc. II. 34. (3) Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. VII. 27. (4) Vide Hieronym. hic; & Basnage liv. 6. ch. 26. hist. des Juifs, Edit. Parisiensis. (5) Heb. ופתאם יבוא Septuag. Ἐξαίφνης ἥξει. (6) Vide Agg. II. 8. 10. (7) Cap. II. 17. (8) בורית מכבסים Septuag. Ποία πλυνόντων. (9) ישב מצרף ומטהר כסף וטהר את בני לוי וזקק אותם כזהב (10) Bellon. observat. lib. 2. cap. 114. Chardin. &c. (11) Hebr. V. VII. VIII. IX. & X. (12) Cap. II. 17. (13) Joan. XVI. 8.

cari optime queunt hæc de altero Servatoris adventu, cum is ad vivorum mortuorumque judicium accesserit (14).

℣. 6. EGO DOMINUS, ET NON MUTOR. Idem ille sum semper, qui olim fui. Quid vobis argumenti est, ut scelus impune a me relictum esse doceatis? Nonne superbos semper dejeci, humilesque & pauperes erexi? Sennacheribum inspicite, Nabuchodonosorem, Cambysem: quam acriter in illos animadverti? Sententiam non muto: qui has humani generis pestes imitantur, eorum exemplo peribunt. Spectate, quantopere Abrahami genus hactenus amaverim; uti vos ab Ægypto reduxerim, atque e captivitate revocaverim: *Ego Dominus, & non mutor*. Servavi ego vos, atque ab exitio prohibui: *Et vos, filii Jacob, non estis consumpti*. Falso igitur dicitis, me uti inconstantia, & eos qui male agunt, mihi esse amicos. Bene pieque agite; statimque experiemini, quantopere vos defunsurus sim, meisque beneficiis cumulaturus: *Revertimini ad me, & revertar ad vos* ℣. 7.

Hebræus (15): *Quoniam ego Dominus non iteravi*, iterum non incepi, *& vos non destitistis*. Vos secundo non feri, penitus non perdidi, ceu hostem humi stratum, qui iteratis ictibus conficitur: at clementia mea vestris a flagitiis vos non removit. Aliter: *Ego enim Dominus non odi vos; & vos, filii Jacob, non cessastis peccare*. Meomet ingenio ad pœnas de vobis sumendas non feror: at vos me provocare non desistis. Septuaginta (16): *Quoniam ego Dominus Deus vester, & non mutor; & vos, filii Jacob, non recessistis* (℣. 7.) *ab injustitiis patrum vestrorum*.

℣. 8. IN QUO CONFIGIMUS TE? IN DECIMIS ET IN PRIMITIIS, quas non redditis. Nova in Judæos expostulatio. Testatur Deus, sese ipsorum incuria solvendis decimis ac primitiis, quæ Templo & Sacerdotibus debebantur, gravissime offendi. Innuit ℣℣. 10. 11. 12. sterilitatem, qua universa Judæorum regio hactenus squalluerat, pœnam fuisse incuriæ, qua illi muneris sui officia expleverant. Eadem esse fames non videtur, quam Aggæus 1. 7. & Zacharias 8. 11. ortam narrant ab Judæorum negligentia, qua Templi instaurationi minime incubuerant. Malachias recentior est utroque hoc Propheta, plurium annorum intercapedine. Vide Tabulam Chronologicam.

Eadem Hebraica vox (17), quam S. Hieronymus hic reddidit *configere*, injuria afficere, a Septuaginta vertitur (18) *supplantare, calce ferire*. Dicitis: *In quo supplantavimus te?* Vel: *In quo te calce ferivimus*, equi ceu lascivi ac pingues, qui accedentes calce feriunt? Simile facinus vitio vertit Deus filiis Heli (19): *Quare calce abjecistis victimam meam & munera mea?* At non eadem in Hebræo vox legitur. Aquila & Symmachus (20): *In quo fraudavimus te?* Qua re te spoliavimus? Hebraica vox proprie sonat confodere, clavis figere, apud Chaldæos & Syros; injuria afficere, provocare, pungere, vi capere.

℣. 9. IN PENURIA VOS MALEDICTI ESTIS. Hebræus (21): *Execratione execrabiles estis, & me offenditis, omnis gens simul*. Ab Hebræo & Vulgata magnopere discrepant Septuaginta (22): *Et vos transversum*, cum contemptu, *me intuemini, & me vos calce feritis. Annus impletus est*. Quid hæc execratio sit, de qua Propheta, ipsa versione tradit S. Hieronymus; regionis nimirum sterilitas, a Deo missa ob neglectam a Judæis decimarum oblationem, Domini Sacerdotibus solvendam.

℣. 14. ET QUOD EMOLUMENTUM, QUIA AMBULAVIMUS TRISTES CORAM DOMINO? Altera Judæorum querela, cui statim respondet Propheta. Animos coram te, o Deus, dejecimus, jejunia egimus, excruciati sumus, coram te humillima personarum specie adfuimus: tu non respexisti. *Ambulare tristis*, indicium est hominis jejunio debilitati, doloribusque & cruciatibus extenuati. Vetat Dei Filius, ne Discipuli, cum jejunia duxerint, mœrorem præseferant (23); soletque Scriptura jejunium, mœrorem, pœnitentiam his verbis significare (24), *affligere animam suam*. Septuaginta (25): *Ambulavimus supplices ante faciem Domini*. Recentiores multi (26) reddunt Hebræum (27): *Quoniam ambulavimus obscure*, in luctu, pullo indutis, *coram Domino*; Chaldæus, *in depressione spiritus*. Aptius tamen de ore obscuro, tristi (28), atro, mœstoque intelligitur.

℣. 15. BEATOS DICIMUS ARROGANTES; SIQUIDEM ÆDIFICATI SUNT FACIENTES IMPIETATEM; confirmati sunt, quamvis flagitia sectentur. Ad verbum (29): *Nos beatos censemus superbos; etiam ædificati sunt qui operantur impietatem*; opulentas familias construunt, posteros habent & numero & opibus flurentes (30). Septuaginta (31): *Et nunc nos beatos dicimus alienos*, populos qui te ignorant, tibique minime serviunt.

TENTAVERUNT DEUM, ET SALVI FACTI SUNT. Periculum de Domino faciunt (32), patientiam illius tentant, impune in illum peccant, nullique discrimini obnoxii sunt. Septuaginta (33): *Et restiterunt Deo, & salvi facti sunt*.

℣. 16. TUNC LOCUTI SUNT TIMENTES DOMINUM ... ET ATTENDIT DOMINUS; ET SCRIPTUS EST LIBER MONUMENTI CORAM EO, pro iis qui Deum verentur. Justi, hac impiorum oratione offensi, mutuo dixere: Audiit Deus temeraria hæc impiorum verba, quibus ipse iniquitatis arcessitur: audiit, eaque in volumine exarari jussit, quod aliquando revolutum ac patens, hosce seditiosos arguet, quam injuria conquesti fuerint. Contrariam plane sententiam ex hoc loco eliciunt Septuaginta (34): *Hæc oblocuti sunt qui timent Dominum*. Hæc de re questi sunt. Atque hanc sententiam optime admittit Hebræus (35). Profecto, teste Scriptura, plissimi quidam viri, uti David (36) & Jeremias (37), visis impiorum fortunis, turbati sunt, primoque turbationis impetu contineri non potuere, quin cum Deo quererentur. *Liber*, in quo servos suos amicosque describit Deus, ipsa est immensa illius æquitas, unicuique reddens quæ meretur. Deum exhibet passim Scriptura ceu Regem, qui milites ac Ministros in numerato habet, atque uti Judicem, jus unicuique dicentem ex iis, quæ in ipsius breviario inveniuntur (38). Impiorum flagitia in tabulis ab Jove describi, dicebant Græci (39).

℣. 17.

[14] Hieronym. Theodoret. alii plures. [15] כי אני יהוה לא שניתי ואתם בני יעקב לא כליתם
[16] Διότι ἐγὼ Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, καὶ οὐκ ἠλλοίωμαι, καὶ ὑμεῖς υἱοὶ Ἰακὼβ οὐκ ἀπέχεσθε (7.) ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν τῶν πατέρων ὑμῶν. [17] ואמרתם במה קבענוך [18] Εἰ τίνι ἐπτερνίκαμέν σε. Quasi ducant ex עקב
[19] 1. Reg. II. 29. למה תבעטו בזבחי [20] Aqu. & Sym. apud Theodoret. hic: Ἐν τίνι ἀπεστερήσαμέν σε.
[21] במארה אתם נארים ואתי אתם קבעים הגוי כלו [22] Septuag. Ἀποβλέποντες ὑμεῖς ἀποβλέπετε, καὶ ἐμὲ ὑμεῖς πτερνίζετε· τὸ ἔτος συντετέλεσται. Legendum omnino videtur ἔθνος, pro ἔτος, uti animadvertit S. Hieron.
[23] Matt. VI. 16. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes*. [24] Levit. XVI. 29. XXIII. 27. 29. 32. Dan. X. 12.
[25] Ἐπορεύθημεν ἱκέται πρὸ προσώπου Κυρίου. [26] Tig. Cast. Drus. Jun. Tremel. Pisc.
[27] כי הלכנו קדרנית מפני יהוה [28] Grot. Vatab. Vide Psalm. XXXVII. 7. XLI. 10. XLII. 2.
[29] אנחנו מאשרים זדים גם נבנו עשי רשעה [30] Vide Genes. XVI. 2. XXX. 3. Exod. I. 21.
[31] Καὶ νῦν ἡμεῖς μακαρίζομεν ἀλλοτρίους, &c. Leguat זרים pro זדים [32] גם בחנו אלהים וימלטו
[33] Septuag. Καὶ ἀντέστησαν Θεῷ, καὶ ἐσώθησαν. [34] Ταῦτα κατελάλησαν οἱ φοβούμενοι τὸν Κύριον, &c.
[35] אז נדברו יראי יהוה וגו [36] Psalm. LXXII. 2. & sequ. [37] Jerem. XII. 1. 2. & sequ.
[38] Exod. XXXII. 32. Psalm. LXVIII. 29. CXXXVIII. 16. Isai. XXXIV. 16. Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12.
[39] Euripid. Τὰ ἀδικήματα ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς γράφεσθαι.

℣. 17. ERUNT MIHI IN PECULIUM, ET PARCAM EIS, SICUT PARCIT VIR FILIO SUO. Hebraica vox (40) *segulah* proprie sonat pretiolum quidpiam, quod seponitur, & studiose servatur, uti aurum & gemmæ, &c. *Peculium* apud Latinos est proprium mancipii lucrum, id quod ipse nomine suo sibi parat. Septuaginta (41): *Erunt mihi in acquisitionem*, hæreditas mea, id quod ipse mihi paravi, quod mihi peculiare est; *& eligam eos, sicut eligit homo filium suum*. Aquila (42): *Erunt mihi in peculiare, & parcam eis, uti parcit homo filio suo*. Patris more, leniter nimirum, erga illos agam.

CAPUT IV.

Judicii dies. Adventus Domini, ceu solis ortus. Elias ad revocandos Judæos missus.

℣. 1. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, &
omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit
Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen. 2. Et orietur
vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ; & sanitas in pennis ejus: & egrediemini,
& salietis sicut vituli de armento. 3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis
sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 4.
Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, & judicia. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat
dies Domini magnus, & horribilis. 6. Et convertet cor patrum ad filios, & cor
filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.

℣. 1. ECCE DIES VENIET SUCCENSA QUASI CAMINUS. Pergit Capitis superioris sententia, respondetque Propheta illorum expostulationibus, qui cum impiis feliciter omnia in hac vita cedere conspicerent, ea re offendebantur, adeoque Dei æquitatem accusabant. Non semper dissimulabit Deus: aderit aliquando ultionis dies, qui impiis ceu ignis erit paleam vorans, & obvia quæque comburens. Hæc ultionis dies ea est, qua Romani bellum intulere Judæis. Bellicus ignis in Juda conflagrabit, totiusque gentis impiissimos corripiet. Hos Deus ex omnibus terrarum plagis colliget, ut illos Jerosolymis ipso Paschatis die claudat (1), nequis justam scelerum suorum pœnam effugiat. Porro ea calamitas in illos prætertim ruet, qui olim clamavere Matth. 27. 25.: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*. Supremus hominum Dominus ea die innoxios a reis secernet. Christiani, cum supremum hoc Jerosolymæ & Judaicæ gentis exitium prævidérent, alio secessere (2), donec procella deserveret. Quæ hic ad verbum de suprema Jerosolymæ obsidione per Romanos dicuntur, de supremo etiam Judicio usurpantur; Patresque & Interpretes posteriori hoc sensu communius intelligunt, quemadmodum & ea Evangelii verba (3), ubi utrumque locum conjungit Christus; signa nimirum quæ ad supremam Judæorum perniciem, & quæ ad supremum Judicium spectant.

ERUNT OMNES SUPERBI. Septuaginta (4): *Omnes alieni*, quemadmodum & ℣. 16. Aquila legit, *Superbi*, uti Vulgata.

℣. 2. ORIATUR VOBIS TIMENTIBUS NOMEN MEUM SOL JUSTITIÆ; ET SANITAS IN PENNIS EJUS. Qui Deum timuerint, æquissimi hujus Judicis adventum ita hilares intuebuntur, uti homo in tenebris jacens orientem sibi solis lucem videt, cujus jubar, calor & radii quodammodo illum ad incolumitatem & vitam revocant, cum & hilaritatem & lucem ipsi afferant. Solis alæ, de quibus hic, ipsi illius radii sunt. Solem & auroram (5) fingebant Hebræi veluti corpora alis & anima instructa, virtutis ipsorum causa & pernicitatis; quemadmodum ferme Profani equos & quadrigas soli tribuebant. Poeticæ tropicæque locutiones.

EGREDIAMINI, ET SALIETIS SICUT VITULUS DE ARMENTO. Hebræus (6): *Egrediemini, & lascivietis, ut vituli simul juncti ut frumenta excutiant*. Pinguissimi erant boves in hanc rem destinati: terentium enim ora nullo vinciebantur fræno, licebatque illis pro libito frumentis vesci, uti Lex sanciebat (7): *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*. Hominem hilarem Jeremias cum juvenca fruges terente comparat (8). Plerique tamen Recentiorum vertunt: *Salietis instar vitulorum saginarii*, qui scilicet in saginario clausi tenentur, convivio vel sacrificio destinati: atque hæc certe versio probabilissima omnium mihi videtur. Hebraica vox *marbek* locum significat, ubi pecus saginatur, uti ex omnibus iis locis discimus, in quibus ea vox legitur. Pythonissa mulier a Saule consulta, vitulum saginatum (*marbek*) (9), quem illa alebat, Regi apposuit. Amos 6. 4. vitio vertit locupletissimis Israelitarum, quod vitulos *de medio* agri vel saginarii in cibum adhibeant. Denique, quamvis boum terentium ora nullo fræno vincirentur, ac frumentis expleri pro libito iis liceret, hic tamen labor levis esse non poterat; quod si levis, brevior certe, quam ut eam dumtaxat in rem boves alerentur: nihilque ineptius foret, quam hæc hominum hilarum comparatio cum vitulis in area salientibus terentibusque. Nihil contrarium magis bobus hisce quam exultare, cum & jugum ferrent, & vi coacti tererent, ab agricolis exagitati.

℣. 3. CALCABITIS IMPIOS, CUM FUERINT CINIS SUB PLANTA PEDUM VESTRORUM. Vitulis lascivientibus similes eritis, atque hostes pede terentibus

---

(40) והיו לי סגלה וחמלתי עליהם כאשר יחמל איש על בנו Vide Exod. xix. 5. (41) Septuag. Καὶ ἔσονταί μοι εἰς περιποίησιν, καὶ αἱρετιῶ αὐτοὺς ὃν τρόπον αἱρετίζει ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ. (42) Ἔσονταί μοι εἰς περιουσιασμόν, καὶ φείσομαι, ὡς φείδεται ἄνθρωπος τῷ υἱῷ αὐτοῦ. Hieronym. & Theodoret. (1) Vide Joseph. de bello. (2) Euseb. hist. Eccles. lib. 3. c. 5. (3) Matth. xxiv. 3. & seq. Marc. xiii. 4. 5. & seq. Luc. xxi. 5. 6. & sequ. (4) Heb. זדים Septuag. Ἀλλογενεῖς. Aqu. Ὑπερήφανοι. Theod. (5) Vide Psal. cxxxviii. 9. Heb. *Si sumpsero pennas auroræ*. כנפי שחר (6) ויצאתם ופשתם כעגלי מרבק (7) Deut. xxv. 4. 1. Cor. 12. 9. 1. Timot. v. 18. (8) Jerem. L. 11. כעגלה דשה (9) 1. Reg. xxviii. 24.

bus ceu pulverem sive cinerem, consumptis igne inimicis, atque in pulverem redactis. Sunt qui de Christianis explicent; quibus jucundum fuit intueri severitatem, qua Deus in impiam Jerosolymam animadvertit, quique sedes super urbis rudera & cineres posuere, condita iterum Ælia, unde Judæi tam diu exulavere; ita ut urbem longe prospicientes, ingredi non auderent (10).

℣. 4. Mementote Legis Moysi. Legem Mosaicam studiosissime & constantissime servate ad eos usque dies, quos prædixi, donec Angelus Domini adveniat, illique vias sternat. Ad ea usque tempora, nullus erit Judæis Propheta: unica vobis regula, unicumque solatium vobis futura sunt Moysis instituta, quo enixius optetis vestræ libertatis diem. Divinique Præcursoris adventum, *in Eliæ spiritu & virtute* venturi (11), quo *ad Dominatorem quem expectatis, & ad Angelum testamenti quem* tamdiu *vultis* (12), ducamini.

℣. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam (13), antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Intelligi hæc possunt tum de primo, tum de secundo Jesu Christi adventu. Ante Servatoris ortum, Joannes Baptista venit; qui, antequam Christus inter homines præconum voce agnosceretur, illum prædixit, designavit, ostendit, & coram Discipulis atque Judæis confessus est. Vidimus (14), temporalem Christi primum advenientis ortum, quamvis infirmitate & clementia distinctum, terribilem nihilominus fuisse Judæis, earum calamitatum causa, quæ ipsum consecutæ sunt, Judæorum scilicet damnationis, ruinarumque Urbis ac Templi. Postremum hunc adventum hic spectasse potissimum videtur Malachias. Docet luculentissime Christus (15), Joannem Baptistam ipsum esse Eliam, quem Judæi præstolabantur; Divinumque Præcursorem inter homines venisse, virtute & constantia Eliæ instructum, ut incredulos converteret, Judæosque ad majorum suorum fidem & justitiam revocaret. Addit Matth. 17. 12. aures illi præbuisse Judæos, sed pro libito in illum insaniisse; ac nihilo mitius in se ipsum acturos. At Judæorum facinus diu impune non fuit.

Patres (16) & Interpretes vulgo locum hunc de supremo Judicio, alteroque Servatoris adventu explicant; idque ipsum legentibus statim occurrit. Constanti unoque consensu tradunt Synagoga & Ecclesia Christiana, Eliam revera ipsaque persona, ante mundi exitum, esse venturum, ut Antichristo resistat, & Judæos ad Christum revocet. Ioannis Baptistæ adventus, Templique & Jerosolymæ excidium, quamquam re ipsa contigerint, figura dumtaxat fuere veri Eliæ adventus sub exitum sæculorum, terribilisque Judicii, quod in universos late homines, legum suorum violatores, & criminis sectatores, exercebit Deus.

℣. 6. Convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres. Ecclesiam cum Synagoga, & cum Ecclesia Synagogam conciliabit Elias: atque hujus conjunctionis centrum futurus est Christus: gentes duæ in unam coalescent: una erit fides, una Ecclesia. Judæi, utpote vetustiores, nuncupantur patres; Ethnici ad Christum conversi, quippe in veri Dei cognitione recentiores, filiorum nomine significantur. Nulla erit inter utramque gentem simultas aut invidia: *Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim*. Isai. xi. 13.

S. Joannes Baptista studiosissime laboravit, ut cum filiis patres, & cum patribus filios conciliaset, verbo prædicans & gestis: hortabatur, constantissime arguebat vitia & scelera, quibus Judæi ætatis suæ tenebantur; illosque revocabat ad majorum virtutem ac fidem, quorum mores parum adeo suis moribus exprimebant (17). Monebat, frustra illos gloriari, quod genus ex Abrahamo ducerent (18), cujus fidem & obsequium erga Deum adeo non imitabantur. Proximum atque imminentem Dei furorem prædicebat, inquiens, securim radicibus arborum jam admotam esse, ut illas dejiceret (19). Nihil denique neglexit, quo filiorum animi cum majoribus suis, Patriarchis atque Prophetis conciliarentur, hortatus, ut Christum Jesum, a suis ipsorum majoribus prædictum, expectatum, optatumque, & antequam is inter homines nasceretur, adoratum, agnoscerent.

Hæc locutio, *Convertet cor patrum ad filios*, significare potest, illum parentes cum filiis, & filios cum parentibus conciliaturum (20). Ubi legeris, patrem arma capere in filium, & filium in patrem, extremam rerum turbationem, bellum sævissimum atque intestinum intelligis (21). Nunciavit Joannes Baptista Servatoris adventum, qui parentes filiosque, Judæos atque Ethnicos, veteres Patriarchas & ex Judæis illos, qui institutionibus suis aures animumque præbuere, conciliavit. Cum cæteris bellum minime cessavit, ut idem ait *Matth. x. 35. Non veni pacem mittere, sed gladium*. Salebras omnes abstulit, omnesque Legis & Prophetarum locos, de quibus disceptabatur, explicavit. Quicquid pugnans in sacris Scripturis videbatur, in se uno conjunxit; cum & Deus esset atque homo, morti obnoxius & mortis expers, Dominus ac servus, gereretque conjunctam cum infirmitate omnipotentiam.

Explicari denique potest ita: *Convertet patres unaque filios, & filios quemadmodum patres* (22); utrosque ad verum Dei cultum reducet. *Filii cum patribus* absolutam significant Judæorum omnium conversionem, nemine prorsus excepto, qualia sub mundi exitum eventura est: *Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret*. Roman. xi. 26.

Ne forte percutiam terram anathemate. Vel (23): *Ne forte veniam & devoveam terram anathemati*; quemadmodum eas urbes ac regiones, quarum incolæ delentur, absolutoque exitio devoventur (24). Septuaginta (25): *Ne percutiam terram penitus*. Ex paucis hisce verbis discimus, minas, quas hic legimus, spectare potius Jerosolymæ excidium, quam supremum Judicium. Quorsum enim in sæculorum exitu minitaturus est Deus: Convertimini, ne terram penitus perdam? An populi conversio obstaret, ne destrueretur terra aut incendio absumeretur?

(10) Euseb. Hieronym. in Jerem. xvii. & in Sophon. 1. (11) Luc. 1. 17. (12) Malach. iii. 1.
(13) Septuag. Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην. Ita Edit. Rom. Theodoret. Hieronym. sed Complut. Ἠλίαν τὸν Προφήτην.
(14) Supra iii. 2. (15) Matt. xi. 14. & xvii. 11. 12. Marc. ix. 11. 12. Luc. 1. 17. ix. 8. (16) Ita Justin. Mart. Dialog. cum Tryphone. Tertull. lib. de anima c. 35. 50. Martyr Hyppolit. serm. de Anti-Christo, hom. 58. in Matt. Ambros. in Luc. l. 1. Hieron. in c. 4. Matt. & in c. xvii. & in Malach. hic. Theodor. hic; Cyrill. Alex. in hunc loc. Aug. l. xx. de civit. c. 29. Greg. Mag. hom. 7. in Evangelia, & alii plures. Vide, si placet, Malvenda de Anti-Christo lib. 9 cap. 6. Sanct. hic, Natal. Alex. hist. vet. Testam. tom. 4. Dissert. 6.
(17) Aug. lib. 20. de Civit. c. 29. Greg. Moral. l. 21. c. 10. Hieron. hic, Sanct. n. 19. (18) Luc. iii. 8.
(19) Ibid. ℣. 9. (20) Confer Eccli. xlviii. 10. Luc. 1. 17. *Ut convertat corda patrum in filios*.
(21) Vide Mich. vii. 5. 6. Jerem. ix. 4. xlvii. 3. Matt. x. 35.
(22) Heb. והשיב לב אבות על בנים ולב בנים על אבותם Præpositio על accipitur non raro pro cum, supra. Gen. xxxii. 11. *Ne perimat matrem cum filiis*, על בנים (23) פן אבוא והכיתי הארץ חרם (24) Deuter. vii 26. vii. 17. (25) Μὴ ἔλθω καὶ πατάξω τὴν γῆν ἄρδην.

FINIS COMMENTARII IN MALACHIAM.

IN-

INDEX RERUM AC VERBORUM,

Quæ in Jeremia, Barucho, Ezechiele, Daniele, & duodecim minoribus Prophetis continentur.

Am-

dæorum

Fe-

me

K

L

Lessus,

Messię

N

con-

O

P

Sab-

T

Decor

V

amplio-



FINIS INDICIS.

ÆNEÆ TABULÆ LOCENTUR